Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/patrologiaecur115mign

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (*ANNO* 1216) *PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI* (*ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT :*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXV.

AHYTO, AUDRADUS,
ALDRICUS, LEO IV, BENEDICTUS III, ANGELOMUS, S. EULOGIUS, S. PRUDENTIUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1881

Ex typis societatis dictæ Societas impressionis et librariæ administrationum viarumque ferratarum
PAULO DUPONT — Parisiis, in via dicta Jean-Jacques-Rousseau, 41. (Cl.) 11.2.81.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

DEC -5 1931

2115

SÆCULUM IX.

LEONIS IV,

BENEDICTI III,

PONTIFICUM ROMANORUM,

SS. EULOGII, PRUDENTII,

TOLETANI ET TRECENSIS ANTISTITUM

ANGELOMI LUXOVIENSIS,

OPERA OMNIA,

JUXTA ERUDITISSIMAS LUCUBRATIONES MANSI, F. DE LORENZANA, MORALIS, PERTZII, CARD. MAII, PHILIPPI JAFFÉ, EXPRESSA, ET PERQUAM DILIGENTER EMENDATA.

PRÆMITTUNTUR

AHYTONIS, BASILEENSIS EPISCOPI, AUDRADI, SENONENSIS CHOREPISCOPI, ALDRICI, CENOMANENSIS EPISCOPI

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT UNIVERSA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1881

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CXV CONTINENTUR.

ANNO DOMINI DCCCL.

AHYTO *SEU* HAITO

BASILEENSIS EPISCOPUS.

MONITUM ACHERII IN LIBELLUM SUBSEQUENTEM

(Spicilegii tomo I.)

Nobilissimum AHYTONIS (qui aliis *Haito, Heito, Haido* nuncupatur), episcopi Basileensis, fetum, post octingentos et amplius annos pulvere obsitum ac neglectum, emittimus in lucem. Hocce monumentum primum V. Cl. Emerici Bigotii indicio debeo, qui Roma cum Parisiorum Lutetiam rediisset, ac mihi retulisset quid antiquitatis ibi reperisset, asseruissetque exstare in Urbe Ahytonis Basileæ episcopi Capitulare viginti quatuor constans capitulis, veterrima manu exaratum, ego actutum fui ejus desiderio vehementer inflammatus; atque haud multo post desiderium meum epistola testatus sum reverendissimo Patri Joanni Bona, qui suæ pietatis ac doctrinæ splendore Ecclesiam illustrat catholicam. Ipse igitur operam dedit ut mihi satisfaceret, sicut ex subjectis disces ejus ad me litteris :

ADMODUM REV. PATER.

« Citius quam credideram mitto tibi Capitulare Ahytonis episcopi Basileensis. Reperi illud præter spem in bibliotheca eminentissimi cardinalis Barberini. et lætatus sum, sicut qui invenit spolia multa. Tum nulla interposita mora petii, obtinui et amanuensi transcribendum tradidi, quod fidelissime peractum est. Inseres illud VI aut VII tomo tui Spicilegii; dicesque te illud accepisse ex bibliotheca eminentissimi cardinalis Francisci Barberini, S. R. E. vicecancellarii.

« Cap. 21 *genu* positum reperies pro generatione sive gradu generationis, obsoleto plane vocabulo, nisi quod in usibus feudorum *geniculum* eodem sensu usurpatum reperitur.

« Multum laudat summus pontifex Spicilegium tuum, dixitque sibi præ omnibus placere virorum illustrium epistolas, et ea quæ pertinent ad historiam et antiquam Ecclesiæ disciplinam ; nam hæc, inquit, singularia sunt, et historia epistolaris omnium certissima est. Tum subdidit, utiliorem præstare operam reipublicæ litterariæ qui eruendis e situ bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, quam qui novos cudunt libros : libri enim novi, si quid boni continent, ab antiquis mutuari solent. Hoc est judicium de studiis quod ab ore sanctissimi domini nostri acceptum tibi sincere repræsento, nihil addens, nihil minuens. Deus tibi vires largiatur, ut plures hujusmodi spicas colligere possis ad ordinis monastici decus et totius Ecclesiæ utilitatem. Id voveo ex animo.

« Romæ, die 10 Septembris 1663.

« *Tuus in Christo servus obsequentiss.*
« D. JOANNES BONA *cong. reform.*
« *S. Bern. abbas generalis.* »

Exstat et id Capitulare in codicibus mss. bibliothecæ Vaticanæ notatis 1146, 1147, 1148.

Ahytonem vitæ sanctitate, doctrina, rebus gestis, et apud imperatorem Græcorum obita legatione insignem, laudibus multis extollunt scriptores quamplurimi.

Annales Francorum veteres an. 811 : « Absoluto atque dimisso Arsatio (hoc erat nomen legato Nicephori imp.), ejusdem confirmandæ gratia legati Constantinopolim ab imperatore (*Carolo Magno*) mittuntur Haido, episcopus Baslensis, et Hug (*Hugo*), comes Turonicus, » etc. Eadem Eginhardus in Annalibus an. 811, cui *Hatto Basiliensis episcopus* dicitur pro *Haito*. Vita Caroli Magni, incerto auctore, habet ipsissima verba. Monachus Engolismensis in eadem vita : « Absoluto..... pacis confirmandæ gratia legati ab imperatore Constantinopolim mittuntur Haido episcopus Baslensis, » etc. Annales Fuldenses anno 811 : « Imperator legatos suos Constantinopolim misit Haidonem Basiliensem episcopum, » etc. Hermannus Contractus in Chronico ad an. 806 : « Augiæ Waldone abbate ad regendum S. Dionysii cœnobium transposito, Heito nonus abbas præfuit annis 17. » Anno 811 : « Heito abbas Augiæ episcopus Basileæ cum Hugone et Aione comitibus Constantinopolim missus Hodœporicum suum scripsit. » Anno 816 : « Augiæ basilica S. Mariæ ab Heitone abbate et episcopo constructa, dedicata est. » Anno 822 : « Augiæ Heitone abbate et episcopo privatam et quietam vitam adoptante, Erlebaldus, abbas tertius decimus, præfuit annis 13. » Anno demum 824 : « Augiæ Wetinus monachus e corpore ductus et reductus, post triduum obiit; cujus visiones Heito episcopus prosa, et Walachfridus heroico metro scripsit. » Hepidannus, monachus S. Galli, in Annalibus quos ab anno Christi 709 ad annum 1044 deduxit : « Anno, inquit, 802, Heito episcopus in concilio Karoli clarus habetur. » An. 810 (811 *potius*) « Heito super mare transivit, » id est, mari Constantinopolim legatus petiit. Anno 820 : « Heito episcopus in Augia militat. » In Chronico Sanctigallensi ab anno 748 ad annum 926, *Hatto* corrupto nomine appellatur pro *Haito* vel *Heito*, et dicitur « an. 806 Waldoni Augiæ abbati successisse » (quod et Hermannus scribit); et anno 811 : « Hatto super mare transivisse. » Anno 822 : « Hattoni Erlaboldus » [*alias* Erlebaldus] in regimine Augiæ « successisse, » ac demum anno 836 « Hatto episcopus obiisse ; » quæ pleraque Hermannus Contractus in Chronicon suum transtulit.

BQ 310 .M135 Vol. 115

AHYTHONIS CAPITULARE.

Hæc Capitula quæ sequuntur Ahyto Basileensis Ecclesiæ antistes, et abbas cœnobii quod Augia dicitur, presbyteris suæ diœceseos ordinavit ; quibus monerentur qualiter seipsos ac plebem sibi commissam caste et juste regere, atque in religione divina confirmare debeant.

Primo, omnium discutienda est sacerdotum fides, qualiter credant et alios credere doceant : ubi et exempla proponenda sunt, quatenus a creatura Creator quantulumcumque possit intelligi.

Secundo, jubendum est ut Oratio Dominica, in qua omnia necessaria humanæ vitæ comprehenduntur, et Symbolum apostolorum, in quo fides catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur tam Latine quam Barbarice, ut quod ore profitemur, corde credatur, et intelligatur.

Tertio, intimandum est ut ad salutationes sacerdotales congruæ responsiones discantur, ubi non solum clerici et Deo dicatæ sacerdoti responsionem offerant, sed omnis plebs devota consona voce respondere debet.

Quarto, ut fides sancti Athanasii a sacerdotibus discatur, et [a] ex corde omni die Dominico ad horam primam recitetur.

Quinto, ut sciant quid sit sacramentum baptismatis et confirmationis ; et quale sit mysterium corporis et sanguinis Domini, quomodo in eisdem mysteriis visibilis creatura videtur, et tamen invisibilis solus ad æternitatem animæ subministratur, quod in sola fide continetur.

Sexto, quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum ; id est, Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, Baptisterium, Computus, Canon pœnitentialis, Psalterium, Homiliæ per anni circulum Dominicis diebus et singulis festivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit : quia valde periculosæ sunt evangelicæ minæ, quibus dicitur : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* xv, 14).

Septimo, ut sciant tempora legitima ad baptizandum in anno ; id est, sabbato sancto Paschæ, ut illa trina mersio in baptismate imitetur triduanam mortem Domini clarificatam resurrectione. Et idcirco usque ad octavum diem ipsa regeneratio sancta ab omni populo Christiano celebrabitur. Aliud vero tempus baptismatis sabbato sancto Pentecostes celebrandum est. Si vero necessitas contigerit, omni tempore [b] in periculo subvenien- A dum est, quia necessitas vix habet legem : et ut vas ad fontem baptismatis habeant, quod ad reliquos usus nullatenus assumatur.

Octavo, pronuntiandum est ut sciant tempora feriandi per annum ; id est, omnem Dominicam a mane usque ad vesperam, [ob venerationem [c] Dominicæ resurrectionis ; sabbatum vero operandum a mane usque ad vesperam, ne in] Judaismo capiantur. Feriandi vero per annum isti sunt dies, ut supra orsi sumus, Natalis Domini, sancti Stephani, sancti Joannis Evangelistæ, Innocentum, Octava Domini, Theophania, Purificatio sanctæ Mariæ, sanctum Pascha, sicut in superiori capitulo comprehensum est : Rogationes tribus diebus, Ascensio Domini, Sabbatum sanctum,
B Pentecostes : sancti Joannis Baptistæ, duodecim apostolorum, maxime tamen SS. Petri et Pauli, qui Europam sua prædicatione illuminaverunt : Assumptio sanctæ Mariæ, Dedicatio basilicæ sancti archangeli Michaelis, dedicatio cujuscunque oratorii, seu cujuslibet sancti in cujus honore eadem ecclesia fundata est ; quod vicinis tantum circum commorantibus indicendum est, non generaliter omnibus. Indictum vero jejunium quando, [d] a palatio, vel a domo fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter observetur. Reliquæ vero festivitates per annum, sicut sancti Remedii, sancti Mauricii, sancti Martini, non sunt cogendæ ad feriandum, nec tamen prohibendum, si plebes hoc caste et zelo Dei cupiunt exercere.

C Nono, jubendum est eisdem sacerdotibus ut non permittant secum mulieres habitare extraneas, juxta Nicænum concilium, nisi eas tantum in quibus suspicio nulla malæ famæ oboriri potest.

Decimo, ut tabernas non ingrediantur, nec sedendo domi, nec in itinere occupati. Si vero necesse habent ibidem aliquid emendi, missos suos dirigant, et oblata in aliam domum conferant et cum gratiarum actione fideliter percipiant.

Undecimo, ut placita sæcularia non observent, nec fidejussores exsistant, nec canes ad venandum, nec accipitres, nec falcones, nec sparavarios, nec ullius ludi aut spectaculi licentiam habeant. Sufficit enim eis quod in primo psalmo legitur : *In lege Domini*

[a] *Ex corde.* Hoc est *memoriter*, Gal. *par cœur*, ut recte monet Acherius. Statim voculam *omni* addidimus ex codice quodam antiquissimo Sangallensi, quocum priorem editionem contulit Baluzius.

[b] *In periculo.* Hæc addidimus e duobus codd. S. Galli.

[c] *Ob venerationem.* Quod uncis includi curavimus, ex iisdem codicibus adjecimus. In eorum altero *observationem* legitur.

D [d] *A palatio.* De jejuniis a regibus nostris indictis consuli possunt Gregorius Turonensis, lib. IX, cap. 21, et Carolus Magnus, epistola ad Fastradam. Quod deinde legitur *a domo* vitiosum esse Acherius recte monet, et legendum esse *a domno*, sed idem non recte explicat a domno apostolico, sive papa ; verius est, a proprio episcopo.

esse eorum voluntatem, et in lege ejus meditari die ac nocte (*Psal.* I, 2). Et quod in Apostolo præcipitur: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit* (*II Tim.* II, 4).

Duodecimo, ut sciant quia nemo per pecunias ordinandus est, nec per munera Ecclesiam debet occupare, quia si factum fuerit, et ipse et ordinator ejus deponendi sunt: quia manifestum est eos qui talia agunt simoniaca hæresi ægrotare; et talem non per ostium in ovile ovium juxta Evangelii verba, sed ascendentem aliunde, furem esse et latronem. Et non solum ipsi qui hoc faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, excommunicandi sunt.

Tertio decimo, ut nullus vagantem ex aliena parochia audeat recipere, aut secum commorandi, aut missam celebrandi, nisi permissione nostra: nec ullius Ecclesiæ aut plebis gubernacula suscipiendi, nisi præveniente conscientia nostra; qui secus fecerit, excommunicabitur.

Quarto decimo, ut in tuguriis, vel in ecclesiis non consecratis, vel in domibus, nisi forte visitandi gratia infirmitate detentis, missarum mysteria non celebrent. Quod si fecerint, propter inobedientiam degradandos se sciant.

Quinto decimo, quod decima, quæ a fidelibus datur, Dei[a] census nuncupanda est, et ideo ex integro est reddenda. Cujus tertia pars secundum canonem Toletanum (*Conc. Tolet.* IX), episcoporum debet esse. Nos vero hac potestate uti nolumus, sed tantum quartam partem [b] juxta constituta Romanorum pontificum, et observantiam sanctæ Ecclesiæ Romanæ, de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosus inde repertus fuerit, sive clericus, sive [c] laicus ille sit, communione privabitur, et synodali censura dijudicabitur.

Sexto decimo, ut unusquisque hoc provideat, ut mulieres ad altare non accedant, nec ipsæ Deo dicatæ in nullo ministerio altaris intermisceantur. Quod si pallæ altaris lavandæ sunt, a clericis abstrahantur, et ad cancellos feminis tradantur, et ibidem repetantur. Similiter et presbyteri, cum oblata ab eisdem mulieribus offeruntur, ibidem accipiantur, et ad altare deferantur.

Septimo decimo, ut ipsi sacerdotes verbo et exemplo omnibus prædicent, ut nullas usuras accipiant, nec sescupla, nec speciem pro specie. Quia valde infidelis et rebellis Dei jussionibus est qui hoc agit: quod omnibus Christianis [d] æque dictum dignoscitur, maxime tamen sacerdotibus, qui forma et exemplum fidei omnibus esse debent.

Decimo octavo, ut nullus ordinatus sive ordinandus migret de sua parochia ad aliam; nec ad limina apostolorum causa orationis, ecclesiæ suæ cura derelicta; nec ad palatium causa interpellandi; nec a communione suspensus, ab alio communionem recipiendi, sine permissione et præscientia episcopi sui. Quod si fecerit, nihil valet hujusmodi communio, aut ordinatio aut demigratio. Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum est, ut qui causa orationis ad limina beatorum apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, et sic proficiscantur: quia a proprio episcopo aut sacerdote ligandi aut solvendi sunt, non ab extraneo.

Nono decimo (*Burchard. lib.* III, *c.* 198), ut aliud in ecclesia non legatur aut cantetur, nisi ea quæ auctoritatis divinæ sunt, et Patrum orthodoxorum sanxit auctoritas. Nec falsa [e] nomina angelorum colant sed ea tantum quæ prophetica et evangelica docet scriptura, id est, Michael, Gabriel, Raphael. Nec diversa sentiant in judiciis pœnitentium, cum unus minus, alter vero majus alteri adulando, alteri detrahendo placere velit: sed considerata qualitate personæ juxta modum culpæ agatur censura vindictæ.

Vicesimo, admonendi sunt ut perpendant, quia quidquid a fidelibus datur, redemptio peccatorum est: et ideo non glorientur talibus sumptibus uti, sed magis timeant quod in Veteri Testamento de sacerdotibus dictum est: *Iniquitatem populi eos debere portare.* Et ideo cum magno timore [f] super eos solliciti sint, quorum donis participantur, quia magnum periculum est judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.

Vicesimo primo, ut sciant et intelligant quid sit incesti crimen, et hoc unusquisque in sua parochia provideat ne fiat, et si factum fuerit, quantum celerrime potuerit emendetur; id est, ut nullus sibi accipiat de propinquitate usque [g] in quinto genu. Quod si ignoranter factum fuerit, non facile credatur, sed judicio Dei examinetur: et non separentur in quarto genu, [h] sed in pœnitentia cunctis diebus conjunctionis suæ perseverent. Similiter et vir duas uxores inter se simili ratione conjunctas, aut uxor duos viros inter se eodem modo conjunctos, aut compater, aut commater, filiolus aut filiola spiritualis de fonte, aut de confirmatione, aut Deo dicata, aut alterius uxor vivente marito, aut alterius maritus vivente uxore. His talibus nulla ratione in matrimonium licitum est conjungi. In primo vero genu vel secundo si inventi fuerint scelus perpe-

[a] *Dei census.* Sic laudati codices, recte: prior editio, *Dei censo*: in eadem *et Deo ex integro reddenda.*

[b] *Juxta constituta.* Uterque codex S. Galli, *secundum usum.*

[c] *Laicus ille.* Prior editio, *diaconus,* quod cum vitiosum esset, codices duos sæpe laudatos secuti sumus. In fine legebatur, *judicabitur.*

[d] *Æque dictum.* Prior editio, *æque interdictum esse.*

[e] *Nomina colant.* Ut Adalbertus episcopus an. 744 in concilio Suessionensi damnatus, qui orationi cuidam suæ septem angelorum nomina ignota inseruerat.

[f] *Super eos.* E duobus codicibus S. Galli hæc addimus.

[g] *In quinto genu.* Laudati codices, *in quintum genus*: et infra, *in quartum genus.* In conc. Vermer., anno 752 celebrato, perinde atque in Legibus Ripuariorum, ut 55, § 3, et in Legibus Longobardorum, tit. 14, l. 1, *geniculum* pro generatione usurpatur.

[h] *Sed in pœnitentia.* Totum hoc usque ad *similiter* in neutro S. Galli codice reperitur.

trasse fornicationis, matrimonii [a] jura alterius sciant se funditus perdidisse. In tertio vero genu si inventi fuerint tali crimine pollutos esse, digna pœnitentia eos subsequatur, et tamen matrimonii jura eis, non vicissim, sed ad alios non negentur. Ubi vero mancipia non unius sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utriusque dominis, hujusmodi copulatio rata non erit. [b] Quidquid vero negligendo sentitur, et virtute qua potuerit non emendetur; nam hujus copulæ auctor erit, qui huic negligendo consentit. Plura sunt quæ ad incesti crimen scribi poterant, sicut in matre, et filia, noverca et pene innumera quæ menti ad scribendum non occurrunt: hujusmodi tamen, et his similibus personis, copula maritalis in sempiternum subtrahitur.

Vicesimo secundo, admonendi sunt ut sciant populis denuntiare quæ sint opera misericordiæ cum fructibus suis, quæ evangelica et apostolica pagina complectitur, quibus pervenitur ad vitam: quæve opera iniquitatis cum fructibus suis multiplicibus, quibus calle sinistro ad æternum tenditur interitum. Et ut perjurii crimen omni modo devitent: quia non solum in Evangelio vel reliquiis sanctorum crimen perjurii, sed in veritate quæ Deus est (si mentitur) perpetrare dignoscitur.

Vicesimo tertio, admonendi sunt ut sciant quia ecclesiis quibus præsunt, sponsi facti sunt: et ideo omni vigilantia qualiter eas decorent, et incessanter deserviant, totius vitæ suæ vigilantiam impendant.

Vicesimo quarto, ut horas canonicas, tam nocturnas quam diurnas, nullatenus prætermittant. Quia sicut Romana Ecclesia psallit, ita omnibus ejusdem propositi viam tendentibus faciendum est. Et non solum Novi Testamenti sunt documenta eadem formulam observandi sed etiam Veteris Testamenti patet ratio: quia Propheta Spiritu sancto instinctus profert: *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII, 164). Et: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi (Ibid., vers.* 62).

Vicesimo quinto, ut plebibus denuntient quod filios et filias spirituales quos in baptismate suscipiunt, eis fidejussores et sponsores fidei exsistunt, et pro eis diabolo, cui ante mancipati fuerant abrenuntiant: et ideo usque cum adulti fuerint, et eis fidei suæ sponsionem et abrenuntiationis exposuerint et reddiderint, in sua providentia habeant. Et quod illi pro eis spoponderant, ab eis eadem responsa ex integro exigant.

[a] *Jura alterius.* Sic laudati codices, rectius quam prior editio, *jura ulterius.*

[b] *Quidquid vero.* Locum hunc ita emendat Acherius: *Quidquid vero negligenter consentitur et virtute*, etc.

ANNO DOMINI DCCCLIV.

AUDRADUS

SENONENSIS CHOREPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN AUDRADUM.

(Galland., Bibl. Patr., tom. XIII).

Ex sacerdote chorepiscopus Senonensis fuit Audradus noster ad annum usque 849, quo in Parisiensi concilio *omnes chorepiscopi qui erant in Francia depositi sunt* (*a*). Scripsit librum *De Revelationibus*, anno 853, cujus excerpta legas apud Andræam du Chesne (*b*). In his memoratur liber *De Fonte vitæ*, hexametris scriptus, ad Hincmarum Rhemensem, quem primus edidit Oudinus (*c*) ex ms. abbatiæ Floreffiensis, inter Scriptores Galliæ et Belgii. Erravit tamen vir doctus toto cœlo, dum libellum hunc ipsimet Hincmaro attribuit, cum Audradum si e controversia parentem agnoscat. Ex eo nos illum exhibemus. Fuit porro Audradus cognomento *modicus*, Burchardi Carnotensis episcopi consanguineus, interfuitque concilio Senonensi anno 853 (*d*).

(*a*) Lupus, ep. 40, cum *magistrum suum* vocat.

(*b*) Baron., ad an. 838, num. 6.

(*c*) Annal. Fuldens.

(*d*) Sigebert, cap. 94 de S. E.

EPISTOLA AUDRADI AD HINCMARUM.

Nobilis ingenii linguam, facunde poeta,
Cœlitus esse tibi dulci modulamine pandis,
Dum flagrans animo, virtutum pascua lustras,
Dum salientis aquæ perfundis lumina rore,

Ocius hinc lectæ lauri succedis et umbræ
Pallentis hederæ, necnon et pinguis olivæ :
Dans miro nexam capiti de fonte coronam.
Denique quos dudum sitientes ire per agros
Cernebas miseros, studio florente monebas,
Ut (fontis vitæ) clarissima cernere templa
Irent, et votis peterent sibi dona salutis.
Me quoque jamdudum charum quem ducis amicum,
Talibus Audradum dictis, Hincmare, monebas :
Ut vivas felix, monitis nunc utere nostris,
Rumpe moras, cursu properans quo mœnia cernis.
Fons ibi de medio sedis diverberat auras,
Et mihi largitur vivos haurire sapores,
Atque tibi faciam præcedens limina pandi.

Fictio poetica Audradi episcopi.

Credulus his equidem dictis festinus amici.
Explorare locum, cernens sed culmina veni.
Sive fides horret dictu, seu fictio fratris
Fama mox facili sancto me clausit ab imbri.
Vertex cum subito paret de margine bino
Sacrarum tereti fontem circumdare saxo,
Si foret emensus, septem bis redderet ulnas
Candida septeni species fulgebat in ulnis.
Ac totidem mixtas nebulis obduxerat Eurus.
Illic dum frustra duodenis atteror horis,
Tuque domi placidis celares tempora ramis,
Incusare fidem cœpi fallacis amici,
Nec desunt lacrymæ, cur te præcedere sivi.
Occiduis quoque surgebant jam partibus umbræ,
Vesper et Hesperias ornabat lampade terras.
Cum fletu victos oculos per mœnia volvo,
Vocibus his Dominum, votis iterumque reposcens :
O quicunque loci custos rectorque videris,
O dignare sitim misero restinguere tantam !
Mox de sede sacra vox est allata per auras :
Sum rerum custos, sum vivi fontis origo,
Sed sine vase suos mortalibus abnegat haustus :
Sit cui cognoscas talis compacta figura,
Scilicet ut calamis septenis surgat ab imo,
Erigat et summum distinguens ausa cacumen,
Ora quidem totidem colli de vertice flagrant.
O quam gratisonis celebrabat talia verbis !
Demum quid facerem, docuit sermone paterno.
Curre domum, manibusque refer quæ mando, [miselle ;
Aut si pauperies te illud non sinit habere,
Invida seu furtim rapuit de nocte noverca,
Aut si nulla domi mansit spes inveniendi.
Audi consilium, cur his exureris auris ?
Huc quidam juvenis, te nocte dieque frequentat,
Et scypho nostris libamina fundit in aris :
Olli nos nostris dedimus viridantia pratis
Tecta, quibus maneat jussus, seu prosit amicis.
Cygnea jamque sibi costinis atria gyrat,
Utitur et claris nostro moderamine lymphis,
Jam seu dives amat pictis recubare tapetis.
Ocius accelerans, illi hæc mea dicta referto :
Hospitio sanctam requiem meruisse fideles
Sis memor ! o juvenis, nunc et sine fine valeto.
Auribus hoc capiat, tectis te vimine textis
Temperet atque sitim, somnum sub nocte quiete
Sternat, et hærentes recreet per viscera fibras.
Et prima cum luce dies dejecerit umbras,
B Molliat argillam, primo vel sole tepescat,
Et nota tornet specie, quam novit abunde :
Obducat cera, ceramque recondat arena,
Innocuos ignes juxta mox collocet illud,
Æquet lance, metalla placet cum pondere libræ.
Quæ commissa sibi meminit, lucrique memor fit
Per quæ pollet ovans, nostris vernantibus aulis ;
Ambabus manibus post omnia follibus efflet,
Et vacuet formam cera, repleatque metallo.
Post aliquod spatium, vas testis exuat assis,
Effigiemque novam ferro diffumiget unco,
Concilietque tuis manibus venerabile pignus.
Illud huc tecum veniens deferre memento,
Hoc libabis aquæ fontem salientis ad astra,
Insuper et causam reseret quid vase figurem,
C Et dubios verbis animos tibi firmet amicis
Interea triplum solvat cum carmine nodum,
Quem poterit fusum reserans ornare metallum
Hunc tibi mente locans. Olli sic pangere mando
In gemine specie lunæ distinguitur orbis,
Scilicet obscura claraque fugante tenebras,
Luminis et faciem terras dum vertit ad imas,
Altera pars cœlo tenebris obducta tenetur.
Denique bis septem lumen mirabile visu
Evomit in terris glomerata fronte diebus.
Nam, mirum dictu ! crescunt dum lumina Phœbæ,
Instituere Patres nimium solemnia Paschæ.
Sed sursum pallens, ut primum condere lumen
Cœperit, et terris nigra vilescere forma
Ter septem numerant, quos non excedere soles
D Sit, sed in his licitum, sanctum solemne requiri.
Quid hic Pascha pium numerus, seu luna figurent
Explicet : et triplum poterit dissolvere nodum.
Hic memor esto, locum juvenis responsa capessant.

LIBER DE FONTE VITÆ

Tum præsens juvenis referens hæc ordine jusso,
Jussa refers, agnosco quidem mandata relatis,
Immortale decus Domino, regnumque perenne
Qui mihi dignatur geminas mandare salutes,
Quique dedit vivo faciem perfundere rivo,
Vimineasque domus frondenti tegmine cessit :
Excipit ac nostri scypho libamina voti,
Illius haud dubium nobis præcepta tulisti.
Da, dilecte, manum, mecumque hac nocte quiesce,
Florentemque domum jam nunc fidissimus intra,

Atque sedens animum recreato salubribus undis,
Utere vel stratis somno sub nocte tapetis.
Cætera quæque refers, aurora teste facessam.
Non meritis indigna tuis tibi gloria crevit.
Tanta, bonus hospes sacro de fonte bibisti,
Namque vales doctis ægrum sanare loquelis
En quæsita manus, quo vis properemus, amice ?
Nec fraudabo torum membris, nec pocula labris
Illius æternum maneat per sæcula nomen
Hospitis electi, qui me direxit ad aulam.
Sed cum tanta tibi virtus laudesque manerent ;
Miror cur tantis voluisti subdere pœnis
Me, qui nil nocui, juvenem sed semper amavi.
Dicere si liceat, placitum culpabo magistri.
Nam quondam placidis caneres cum vocibus odas,
Me ceu dilectum, mulcebas carmine tali :
Consule festinus, propriæ, dilecte, saluti.
Te quoque paulatim præcedens limina pandam.
Intra quæ saliens fons vivus verberat astra.
Ficta fides placiti rapuit vestigia pacti,
Condictoque loco veniens incognitus horror :
Bisque quaterque vocans Hincmarum, vocibus addo.
Hauribam vacuas crebra de voce loquelas
Aure, tuque fidem velans, responsa negabas.
Altitonans donec me misit partibus istis,
Cunctaque quæ retuli, docuit sermone paterno.
Confortare, precor, violet ne cura quietem ;
Sit tibi nunc requies, spatio sub noctis opacæ,
Et veniente die dictis responsa parabo.
Pallida luciferum sequitur jam filia solis,
O meus Audrade, sospes sis, somnia linquis,
O venerande nimis, sanum me somnia linquunt,
Principio lucis, pacti vel temporis hora.
Perfice namque precor multum laudabilis hospes,
Pignus : et exponas missum cum carmine nodum.
Incipe nunc mecum cœlestis gratia carmen
Æterni fontis, ciphri Paschalis, et horæ.
Sit regi Domino virtus, laus, gloria semper,
Illius et faciem precibus poscamus uterque,
Sensibus ut nostris aspiret jussa fateri,
Qui tibi differri jussit sua pocula, donec
Æternum fatearis eum, credasque colasque.

De creatione mundi et hominis, cui Deus infundit vitam.

Incipe nunc mecum cœlestis gratia carmen
Æterni fontis, ciphri paschalis et horæ.
Vult etenim sciri, mundi qui tempora duxit,
Pontum, telluremque, polosque creavit, et illis
Ære subtili formam speciemque reducit,
Astris qui cœlos, variis animalibus arva,
E grege squammoso fluvios, volucrumque perornat.
Aera, post hominem fecit ratione repertum,
Talibus et dictis effatur conditor illum.

Præceptum a Deo homini primo impositum, sub pœna amittendi fontis vitæ.

Quæque moventur in orbe novo, frondentque virentque ;
Omnia trado tibi, mihimet tu subditus esto :
Illa tuis vivant, nostris tu condite jussis.
A Confero multa tibi, nobis tu pauca rependas.
Unius ut ligni tangas ne mala memento,
Nam te de limo feci, vitaque replevi
Ut semper vivas, si non neglexeris illud :
Et mecum regnes, senio non fractus in ævum.
Quod si de vetita gustaveris arbore malum,
Continuo mortalis eris, captivus et ibis,
Fonsque tibi vitæ claudetur cum paradiso.
Nam te qui terræ dominum concedo manere,
Carcere flammivomo, tristi nec torqueo fumo,
Horrisonique canis rabiem non cernere cogo,
Nec feci gelidum tenebris sentire dolorem,
Alterius fugias domini succumbere jussis.
Cujus suggestu, misero si riseris actu,
Quas retuli supra, merito succumbito pœnis.

B *Homo peccans amittit sibi et posteris fontem vitæ.*

Eheu ! qui primi recinam nunc facta parentis
Qui sprevit præcepta Dei, vitamque reliquit,
Et mortis domino consensit, et intulit orbi
Atque suis natis, omni sobolique sequenti
Quas meruit pœnas, domino mereatur iniquo.
Qui vetiti malum ligni porrexerat Evæ,
Eva viro, mortem cunctisque sequacibus ambo.
Sic homo cum voluit, vitam pro morte reliquit.
Incipe nunc mecum cœlestis gratia carmen
Æterni fontis, ciphri paschalis, et horæ.

Ad quem revocatur a Deo per pœnitentiam.

Sed tamen Omnipotens rerum cui summa potestas,
Quem fecit hominem doluit, miseratus et illum,
C Dulcibus alloquiis et celsa voce reclamat.
Quo fugis, o factura mei ? per devia vallis
Tendis ad ignotas et cæci carceris ædes.
Sulphureasque domos, flammas sine fine vomentes.
Illic mors inimica sedens tua funera sarcit,
Obvia mille tuo præmittens spicula cordi.
Flecte, miser, cursum, quo sol consurgit eos
Est ubi nostra domus, et vivi fontis origo.
Et septem palmæ faciem salientis amictant
Fecundæ fructu, quarum non poma putrescunt.
Temperies veris, flores et roscida mella,
Et miranda suos emittunt gramina flores,
Pulchrius in toto verum nil cernitur orbe.
Huc plangens lacrymansque redi, veniamque preceris,
D Et votis exposce tibi pia pocula fontis,
Et fructu palmæ peccati vincula solvi
Namque tuæ mortis, tu conscius esse videris.
Hæc celebrante Deo clementi carmine verba,
Infelix oculos, gressum nec flexit ad illum,
Sed mortis dominum lethali fonte secutus,
Excepit dignas tanto pro crimine pœnas
Hostis ut agnovit revocari carmine vinctum,
Fraude dolos acuit, figitque cacumine culmi,
Mortiferum pomum nexit, calamoque draconem
Extulit, et virga signum pomo colubroque
Ante patrem prolem suam : non intulit illis
Vim, quod sponte sua cuncti periere sequentes.
Sic victor serpens, victorum signa levavit,
Et sibi per campos, urbesque domosque petivit

Et nemora, sculpi simulacra, Deumque precari
Se jussit, hominumque genus sibi subdidit omne.

Mittit Deus ad revocandum hominem prophetas, qui nihil possunt in hac re.

Incipe nunc mecum cœlestis gratia carmen
Æterni fontis, ciphri paschalis, et horæ.
Sed Deus æternus hominem sævire metallo
Indoluit, elegitque viros, quos esse prophetas
Jussit, et errantem docuit revocare parentem.
Hi Domini videre domum, fontemque biberunt
Gustavit palmæ fructum, sed nullus eorum,
Vincula nec potuit captivi solvere quisquam.

Christus, fons vitæ æternus, hominem sua morte redimit

Æqualis Patris donec de virgine natus
Filius advenit, homines retinere labentes,
Et revocare sibi mortis de carcere lapsos.
Ipse quidem præsens Dominus, hæc verba salutis,
Eloquio dulci saliens fons, intulit orbi :
Terrigenæ quicunque sitim restringere rivo
Vultis, æternum cursim contendite fontem,
Unicus ecce Dei fons vitæ, jure perenni
Effluo nunc largos vobis sitientibus imbres.
Namque meas hominum quisquis gustaverit un-[das,
Ultra non sitiet, felix sed vivet in ævum.
Cernitis ecce quidem præsenti corpore natum,
Me Patris æterni genitum sine temporis hora.
De me deque Patre procedit Spiritus almus,
Quem septem palmæ faciem quæ fontis amic-[tant,
Multiplici dono distinctæ, mystice signant.
Nam dederam mundo vitam, quam respuit Adam
Humano generi gignens lethale venenum,
Unde fuit totum, mortis tenebrisque pererrat,
Illum qui feci, jam præsens ipse requiro.

Merito exclusum e paradiso.

Eligo namque hominem moriens absolvere letho,
Namque per excessum vitam pro morte reliquit,
Proque suis meritis paradisi perdidit aulam.
Cognitione Dei vacuus, simulacra deosque
Effigiare sibi studuit, dominosque precari.
Hunc ego decrevi, soli mihi subdere colla.
Quid facit? ab furis rapitur deceptus amore,
Utque Deum veneratur eum, cui claustra gehennæ
Inferus et flammæ, tenebrisque obducta vorago
Atra manet sedes, spirantibus undique flammis.
O factura mei, tristi sub sorte laborans !
Quam feci manibus faciem, vitaque replevi,
Ad me deflectas. Nam qui voco corpore sumpto
Te revocare volens, veni moriturus in orbem
Signifer ille quidem lethi, mortisque repertor
Talibus auditis, furiis accensus et ira,
Artibus insimulat fidis : Sat possumus, inquit.
Cum mater hominum nostro sine numine tantum
Ediderit terris, culpati nescia partus.
Conditor ille potens, cœli qui possidet arcem,
In terris hominem primum quem fecit, adivi,
Disjecique suis clausum quem sepserat aulis,
Et mihi subjeci, et natos, vulgusque nepotum,
Insuper et proprio complevi dogmate mundum.
Me sine nec prolem matres genuere maritis,
Ex quo nostra volens Adam præcepta secutus,
Seque suosque dedit nobis servire parentes :
Legibus his donec pacto quo nescia fractis,
Tantus in orbe puer, nullius criminis hæres
Intrat, et antiquas præsumit frangere leges.
Dum mihi prostratum, quærit sibi surgere mun-[dum,
Hunc ego ter tentans hominem cognoscere purum
Arte mea volui ; heu pulsus dubiusque recessi !
Ergo decet majora virum sentire pericla.
Mors mihi te sociam solito cum fœdere jungam,
Qui nisi cognosca semper quid possit amica.
Esse potest totum revocet per carmina mundum.

B *Quem mors alloquitur, regnaturum ubique terrarum.*

Mors dedit econtra tales de pectore voces :
Fœdera si quæris, tecum semper ubique,
Perfice quod gaudes, totus quam suscipit orbis,
Æmulus ille tuus morsu degustet amaro.
Erige, nil tardes, virgam, pomum colubrumque ;
Quo lato digne Dominus veneraris in orbe,
Lexque manet, priscos subdens tibi jure colonos,
Illius in faciem victricia signa levato.
Humano qui more nisi tua sceptra sequatur,
Sorte mea calidam divellam corpore mentem.
Tuque potens animam rapies, raptamque tenebis,
Corpus in optata claudetur morte sepultum,
Sic quoque cessabit nostros irrumpere fines.
C Dixerat, et dæmon, concusso culmine signi,
Audet in æterno torquendus sulphuris igne
Infestare Dei faciem, pomo colubroque.

Fons vitæ restauratur per Christum resurgentem a mortis sepulcro

Incipe nunc mecum cœlestis gratia carmen
Æterni fontis, ciphri paschalis, et horæ.
At patiens Dominus hominum cui cura perennis,
Signa levat contra lignum, pomumque Deumque ;
Pro furto pomi sacrum dans in cruce pomum.
Hujus non speciem potuit mors ferre nec hydrus,
Moxque fugam caperent, si non vis proxima Christi
Majestasque Dei Leviathan prenderet hamo,
Et natus hominis mortem moriendo necaret,
D Qui ponens animam sancto commisit ab ore :
Protinus alma jubet, hostis sævissima colla
Divinis stringi vinclis ; torvumque draconem.

Portas mortis effringentem.

Jam tormenta premunt suspecta, trahuntque ge-[mentem
Ad portas erebi, Dominus quas obruit, atque
Tartara disrupit. Cæci tunc carceris ædes
Lux Deus irradians, evertit luce tenebras.

Et eripientem e faucibus draconis homines.

O nova captivis facies tunc visa Tonantis,
Qui genus humanum rapuit de fauce draconis.
Vincula dissolvit, prædam patrique reduxit,
Armillæque tetras percussit cuspide fauces,
Posse nec indulsit sanari vulnus apertum

Tunc mortis morsus prædictus voce prophetæ [a]
Exstitit, et partem rapuit, partemque reliquit.
Primus et ad vitam devicta morte triumphans.
Ter redeunte die, post hæc surrexit ab umbris
Christus, et e tenebris lumen resplenduit orbi.
Ut sol post tenebras consurgit luce coruscus,
Condere quem densæ nunquam potuere tenebræ.
Sic chaos exsuperans Christus, de morte migravit.
Atque pium celebri cum nomine Pascha sacravit.
Quo transivit enim lux est, et vita perennis,
Dans formam nobis tenebris exurgere posse,
Si tamen illius celebremus dogmatis horam,
Lumine quam lunæ numero signavit et almo.
Inferiora legas, si vis hæc carmina nosse.

Explicatio mystica Paschalis et ejus dierum.

Perfice nunc mecum cœlestis gratia carmen
Æterni fontis, ciphri paschalis, et horæ.
Nunc audi, frater, quæ sit displosio nodi.
In gemina specie lunæ distinguitur orbis,
Scilicet obscura, clarique fugante tenebras.
Dicitur hac specie pars terræ parsque polorum.

Luna hominis figura.

Effigies hominis, manibus plasmata creantis.
Hactenus et terris conversum lumen ad illum
Vertere luna monet, quæ dum sua lumina terris
Volvit et ad cœlum. tenebris obducta tenetur.
Dat hominis formam, qui dum terrestria quærit,
Ingenii lumen terras convertit ad imas :
Excipit et vulgi gaudens dum murmure laudes,
Dispectus cœlo, tenebris obductus habetur.

Celebratio Paschæ prohibetur ante lunam XV.

Interea minimum poterit solemnis haberi,
Bis etenim septem glomerata fronte diebus
Evomit in terris lumen mirabile luna,
In quibus est vetitum sanctum solemne requiri
Qui duo,quæ Christum præcedunt tempora signant,
Ante datam legem primum, sub lege secundum.
Per quæ terrigenæ peccati pondere pressi
Ingenium vitæ sibimet conferre volentes,
Indigni cœlo, tenebris mersere senectam.
Morte nec abjecta, meruerunt cernere Pascha.

A Sed sursum pallens, ut primum condere lumen
Cœperit, et terris nigra vilescere forma :
Ter septem numerant, quos non excedere soles
Sit, sed in his licitum, sanctum solemne requiri.
Sic lacrymans primum cœlo cum vertere vitam
Cœperit, et terris viltis despectus et esse.
Jam cœlo clarus, ter septem supputet illud,
Scilicet in mundo, Christi quo gratia fulget
Tempus : et ex toto conversus corde requirat
Pascha salutiferum, celebri ratione repertum.
Deque tenebrosa saliens caligine noctis,
Transeat ad lucem, Christus quam contulit orbi ;
Ut, tribuente Deo, felix per secula vivat.

Perfice nunc mecum cœlestis gratia carmen
B Æterni fontis, ciphri paschalis, et horæ.
Auxiliante Deo cujus mihi verba tulisti,
Arcanum fidei reserans, sub nomine Paschæ,
Explicui : triplum potuique resolvere nodum.
Marginis et geminas cecini jam forte figuras.
Clara septenis specie qui fulget in ulnis,
Ac totidem mixtis variatur cortice nigro.
Vos quoque jam fudi, venerabile pignus honoris,
Septenis calamis, horis totidemque ter ornans.
Hoc fine quisque sitit, frustra contendit ad umbras
Æterni fontis, hic est sapientia patris ;
Non intrabit enim commercia pectores atri,
Subdita peccatis nec mens amplectitur illam.
Spiritus ipse Dei, sed qua dignissimus hospes
Expurgans vitiis, septeno munere dotat.
Perpetuoque sibi mensuram dedicat aulam,
Hæc sitiens lymphas poterit haurire salubres.
Hoc vas quisquis habet, fontis festinet ad undas.
Hauriat et sacris fundat libamen in aris.
Cursibus æthereis, sonitus fit maximus orbi,
Qui tegit hunc sonito, monuit me sensibus imis.
Hæc, Audrade, tibi modulari carmine dulci,
Pignora chara satis recinas quæ sæpius oro.
Sic quoque felici tractabis gutture fontem
Quæsitum, longo certamine, dulcis amice.
Maxima dona tibi cœlestis gratia confert.
Hæc memor esto mei, sacris cum funderis aris,
Obsecro, mi frater, nunc felicissimus esto.

[a] Ose. XIII, 14.

EXCERPTA LIBRI REVELATIONUM

Quas AUDRADUS MODICUS *scripsit anno Christi* 853.

(Apud du Chesn., Script. Rer. Franc., t. II, p. 390, ex ms. cod. cruditissimi viri Jacobi Sirmondi.)

CAPUT VIII.

Et ecce descendens Dominus, et cum eo omnes sancti. Et sedit in confinio ætheris et aeris. Tunc sol obscuratus est tribus continuis diebus, et luna tribus eisdem noctibus, et nullum radium in hoc spatio fuderunt in terram, cum nulla nube tegerentur. Jussitque Dominus ante se venire omnes princi- D pes Ecclesiarum Qui mox adfuerunt, et adoraverunt. Cumque benedixisset eos, dixit : Cujus culpæ est, fratres amantissimi, quod sic atteritur et vexatur hæreditas mea, quam redemit Pater sanguine meo? At quidam eorum dixerunt : Domine, culpa regum est. Dixit igitur Deus : Qui sunt hi reges ? Non cognovi, non constitui. Responderunt, et dixe-

runt ei : Ludovicus pater eorum. Dixitque Deus : Ubi est ille ? Et adduxerunt eum, et dixerunt : Ecce adest. Et dixit Dominus ad eum : Quare posuisti inter filios tuos tantam discordiam, ut ob hoc tam acriter fideles mei vexentur ? Respondit ille, et dixit : Domine, ego putans quod filius meus major Lotharius tibi vellet obedire, et secundum tuam voluntatem Ecclesiam tuam regere, constitui illum loco meo ad regendum populum tuum. Sed postea videns eum in superbia contra te erectum, et nolle acquiescere ut secundum te gubernaret plebem tuam, submovi eum, et parvulum quem dedisti mihi nomine Carolum videns humilem et obedientem, intellexi dona misericordiæ tuæ in eo esse, et ideo constitui eum loco majoris, ut humilis semper et obediens secundum tuam voluntatem serviret tibi in ministerio gubernationis populi tui. Respondit Dominus, et astantibus sibi dixit : Certe verum dicit, majorem propter superbiam a regno removere voluit, minorem propter humilitatem et obedientiam regnare constituit. Ubi sunt ? inquit. Qui protinus adducti sunt ante eum. Et ait Dominus : Lotharius quia dixit, Ego sum, dejiciatur. Carolus propter obedientiam et humilitatem stabiliatur. Quid, inquam, de tertio ? Et dixerunt quidam de astantibus : Domine, arma movit in patrem. Cumque gravis sententia de illo jam immineret, alii de astantibus dixerunt : Domine, opus bonum inventum est in eo. Nam licet multi ejus causa de tuo sint absumpti servitio, tamen ille studet ut de alienigenis loco eorum tibi alios acquirens subroget. Et ait ad hæc Dominus : Lotharius quia opus bonum inventum est in eo, stabiliatur et ipse.

CAPUT IX.

Veniant igitur ante me, et inibo fœdus cum eis, quod non liceat violari. Tunc jussu Dei adductus est et Ludovicus Italorum rex, filius Lotharii, et statuti sunt hi tres ante Deum. Et dixit Dominus Carolo : Tu puer meus, si humilis et obediens fueris, et permanseris coram me, et Ecclesias meas restitueris in statum suum quo ordinavi eas, et unicuique ordini congruum suæ religionis restitueris caput, et ordini unicuique propriam legem tenere feceris, et a rapinis et deprædationibus et ecclesiarum violationibus omnem populum qui tibi committitur cessare feceris, et unicuique homini justitiam servaveris, et corde bono et optimo voluntatem meam semper secutus fueris, ecce do tibi sceptrum regni et coronam . et ut inter te et fratrem tuum Ludovicum Germanorum regem pax sit perpetua, et ipsa, qua partitum est regnum inter vos cum fugarem ante faciem vestram Lotharium, erit divisio regnorum vestrorum nec tuus in partem Lotharii, nec ejus in partem tuam processus. Et tu Ludovice, in Sermonibus istis eumdem habeas mecum pactum firmatum. Similiter et tu, alter Ludovice, Italorum rex. Et inter vos tres pax perpetua in his verbis et in hoc pacto maneat. Et ob hoc quod mihi in hunc modum servieritis, do tibi, Carole, ut Hispanias, duce

A beato Martino principe, liberes ab infidelibus, et tuo regno ad honorem nominis mei secundum libertatem fidelium meorum consocies. Nec gens Scytharum, quæ regnum tuum immodice affligit, contra te tuumque regnum prævaleat, et falsi fratres ac rebelliones tui regni ante faciem tuam velut fumus ante faciem venti deficiant. Tibique tui filii et nepotes, si hoc pactum servaverint, succedendo feliciter, donec in eo coram me steterint, in regnum succedant. Verumtamen quia Ecclesias de suo statu submovere non timuisti, et propter te tantum malum affligit Ecclesiam meam, scias te sequenti anno in hoc ipso mense qui nunc est, Britanniam venturum, ibique ita ab inimicis tuis dehonestandum, ut (*f. add.* vix) vivus evadas. Ibi-
B que morietur perfidus et nefandus Vivianus, qui non extimuit conculcare nobilitatem Ecclesiarum mearum, abbatem se glorians monasterii beati Martini et cæterorum. Devorabunt enim idcirco carnes ejus feræ silvarum. Similiter et cæteri multi corruent, et tu, ut dixi, difficulter evades. Si quidem noli tunc desperare de recuperanda salute, sed quascunque Ecclesias eo bello deliberavero, restitue in statum suum, et ego tibi omnes alias quæ sunt in regno tuo deordinatæ, consequenter deliberabo. Vide tu omnimodis ut neque pro aliqua ambitione, aut pristina temeritate, iterum a suo ordine vel statu eas amplius removeas, si pactum meum quod hodierna die tecum pepigi vis inviolabile permanere. Quod si hoc tu non servaveris,
C nec verba pacti mei tibi se conservabunt. Et tu Ludovice Germanorum rex, accipe sceptrum regni et coronam hanc in firmamento pacti hujus. Quod si conservaveris, duce beato Paulo principe, erit in gentes quæ sunt adhuc infideles apud Germanias felicissima dilatatio tua. Si autem tu hoc non conservaveris, nec pactum meum quod ego tecum pepigi stabile manebit. Tu autem, Ludovice Italorum rex, accipe sceptrum regni et coronam hanc in firmamento pacti hujus. Quod si servaveris, duce beato Petro principe, erit contra gentes quæ opprimunt regnum tuum, felicissima extensio tua. Sin autem, mutabitur et istud. Hi enim tres principes, quos duces et adjutores cum exercitibus suæ societatis vobis dedi, ab imminenti damnatione mundum suis inæstimabilibus precibus modo eri-
D puerunt. Sine quorum ut ordinavi ducatu et protectione, nulla vestris congressibus cedet prosperitas. Servantibus quoque vobis, ut dixi, pactum hoc, quod hodie solemniter vobiscum pepigi : tunc hi duces et coram me vestram vestrorumque regnorum causam semper peragent, et quocunque sive ad bellum, sive ad pacem, processeritis, vestri vestrorumque duces optatissimi et invicti protectores erunt. Hæc complens Dominus ordinavit in omnibus Ecclesiis principes sive pastores suæ bonæ voluntatis, dans finem his qui falso vocabulo censentur pastores. Similiter capita plebium universorum Christianorum. Et benedixit mundum dicens : Quia pro iniquitatibus hominum modo quasi jam damnatus omnibus ementis

appares, nunc accipe benedictionem meam et esto fecundissimus hoc anno sequenti, ut nulli dubium maneat quin ego his tribus diebus, quibus solis et lunæ radii se absconderunt, visitaverim Ecclesiam meam, ejusque causam disposuerim. Factumque est. Et hæc percomplens Dominus, ascendit super omnes cœlos in dextera Patris. Venit quoque anniversarii dies, et sermo Domini completus est in Carolum et exercitum ejus. Namque Vivianum ab hostibus interfectum devoraverunt feræ silvarum, et multæ Ecclesiæ ab oppressoribus suis, ut Dominus prædixerat, eo bello sunt deliberatæ. Mandaverat hoc legatus Ecclesiarum Carolo regi per Rothbernum quemdam cubicularium regis, et omnem textum narrationis exposuerat : quod rex obedire neglexit, sed inhonestissime a Britannia reversus, non restituit Ecclesias in ordine suo. Quamobrem adduxit Nortmannos in Gallias Deus, qui eas terra marique vastarent, et immanitas omnium maliguantium velut ira Dei cœpit undique in partem horum regum effervescere. Tunc legatus Ecclesiarum tribus diebus et noctibus continuis, tertio sine cibo et potu, coram Deo permausit, orans ut misereretur populo suo, et non subtraheret inducias datas. Qui iterum flexus ad pietatem misertus est, et utcunque ex parte mitigavit iram furoris sui, sustinens adhuc Induciarum spatium.

CAPUT XV.

Et factum est anno 853, hoc est Induciarum nono, tertio mense, iterum evocavit me rex Carolus ad se. Et cum principibus Ecclesiarum, testibus Wanilone, Hincmaro, Amalrico, Leopardulo, venerabilibus archiepiscopis, præsente Christianissima regina Ermentrude, cœpit percontari de his omnibus, vel si in aliquo potuissem deprehendi mendacio sciscitari. At ego in sermone Domini iterum illi ut supra scripta sunt omnia enarravi. Qui cœpit iterum atque iterum promittere quod infra duos menses sancti Martini ecclesiam, seu cæteras, quæ videbantur apertæ, in suo ordine restituisset : quod non adimplevit. Sed ad provocandam adhuc iram Omnipotentis, accersivit quemdam diaconum, nomine Burchardum, qui erat e partibus Lotharii regis, et commendavit illi Ecclesiam Carnutensium, ut esset in ea pontifex ; ac si nullum in regno dignioris nominis clericum invenire potuisset. Et dixit Weniloni Senonum archiepiscopo, ut eum ordinaret episcopum. Vocavit autem me idem archiepiscopus, et dixit : Scio ad iram Dei provocandam regem nostrum Carolum egisse, ut Burchardum a partibus Lotharii evocaret, et pastorem Ecclesiæ constitueret. Nam de eo per universas regni hujus ecclesias..... fama et dictu horribilis divulgata est. Sed si esse posset ut Dei iracundia non provocaretur. quia apud sæculi causam strenuus esse dignoscitur, rogo te omnimodis ut ores Deum, quatenus dignetur tibi ostendere, si esse possit ullo modo, ut secundum ejus voluntatem idem Burchardus fieri mereatur episcopus

A Nam ego, si esse posset, satis hoc vellem. Est enim mihi consanguineus. Age ergo ut moneo, et si aliquid inde dignatus fuerit ostendere tibi Deus, non abscondas a me illud, in fide Dei te obtestor. Cumque orarem solito pro fratrum salute, etiam et pro supradicto negotio, ecce Dominus dignatus est me audire, et descendens de cœlo lumine suo circumfulsit me in loco quo eram orans, et dixit : Maledicta dies qua erit Burchardus episcopus. Et hæc dicens, in cœlum rediit. Unus autem ex angelis qui cum eo venerant, ad dexteram mihi remansit, et ait : Nosti quid dixerit Dominus ? Et aio : Domine, apertius scire vellem. At ille dixit : Omnibus diebus, quibus fuerit Burchardus episcopus, stillabit ira Dei super omnes ecclesias usque ad B ruinam illarum. Idcirco excommunicando prohibet ordinatorem ejus Altissimus, ne imponat illi manus in benedictione episcopali. Et hæc dicens, Dominum secutus est. Ego autem adorans et gratias agens, retuli universa archiepiscopo meo, qui mox scriptum misit oraculum istud regi Carolo. Et ego conventu episcoporum, qui ob hoc Senonas convenerunt, monente jam dicto archiepiscopo, retuli illud. Qui primo quidem noluerunt ordinare episcopum eumdem Burchardum, tam evidens Dei oraculum pavescentes. Sed imperium regis postea, et multorum episcoporum ac principum regni consensus prævaluit, et mense quarto anni Induciarum noni, ordinatus est episcopus. Cujus ordinationem aperte ira Dei mox secuta est, et C sequenti mense per totum mundum vento urente percussæ sunt vineæ, tempestates et tonitrua et pericula cœlitus ultra quam dici possit emissa. Eodemque anno Nortmanni per Ligeris alveum ascendentes monasterium sancti Martini Turonense, et basilicam ejus toto orbe venerabilem, nullo obstante, mense nono incendunt. Corpus autem beati domni Martini clerici ejus inde fugientes secum portaverunt in monasterium monachorum quod dicitur Cormaricus eidem sancto subjectum. Tunc pactum quod pepigerat Christus cum regibus irritum factum est, quia non ad emendationem se ullo modo, sed apertissime ad provocandam super se magis iram Dei omnipotentis converterunt. Idcirco et omnis pax rupta D est et omne malum iterum ceu reviviscens super omnes ecclesias velut intolerabilis maris procella, superinundavit ; ut nulli dubium esse posset fideli aut infideli ira Dei cœlitus Ecclesias omnes et totum mundum undique et ubique conquassari. Tunc maxima pars legationis meæ irrita facta est, et omnis confusio et maledictio cœpit superinundare.

CAPUT XVIII.

Audi me frater. Hic est fons, de quo multo labore et studio edidisti venerabilem librum quem bene titulasti de Fonte vitæ. Et dixit mihi doctor : Recognosce scyphum istum : de eo quidem carmina clara in memorato Libro vitæ fontis composuisti.

CAPUT XXIV.

Et tunc cœpit (Deus Pater scilicet) a principio

universa dolendo repetere, dicens: Tu die, Fili, qua secundum tuam humanitatem resurrexisti a mortuis, postulasti a me omnipotente Patre tuo, omnipotens Fili, mihi per omnia coæqualis, et consubstantialis, et dedi tibi gentes in hæreditatem. Et nunc vides quomodo quos redemisti et deserunt, et contra te, qui te cognoverunt et adorare didicerunt, arma tyrannica cum sacramento militari partis adversæ sumere non sunt veriti. Ego quidem, Fili, multas inducias, te volente, ut ab hac nequitia pœnitendo resipiscerent, pro eis me æque et te, ac Spiritum nostrum a te meque æque procedentem, nobisque per omnia coæquuum et consubstantialem, exorantibus sanctis tuis illis concessi: quas neglexerunt, et in superbia omnia hæc pro nihilo duxerunt. Auxeruntque potius sibi opera ne- A quitiæ, et absque ulla pœnitentia in eis perdurant. Cumque in hoc crebro ab illis dispectus afficerer tædio, evaginavi gladium meum ut interficerem eos, et quantæ infelicitatis essent, ac quantæ apud me dejectionis, ostendens, diem sanctissimum et celeberrimum Paschæ ritu pagano in medio eorum apud urbem Parisiacam maculari permisi; ut vel sic experirentur mortem sibi instare vicinius, qui Pascha sacrum in celeberrimis suorum locorum basilicis digni celebrare minime viderentur. Sed illi mente superba in suis sceleribus obstinatissime obduruerunt, et ego exsurrexi in ira ut delerem eos omnes. Sed tu continuisti me, et has decennes inducias voluisti illis mecum inseparabilis voluntas ad pœnitentiam adhuc dare, etc. B

ANNO DOMINI DCCCLVI

ALDRICUS
CENOMANENSIS EPISCOPUS.

GESTA ALDRICI

A DISCIPULIS EJUS SCRIPTA.

(Apud Baluz., Miscellanea historica, tom. I).

I.

Domnus Aldricus Cenomanicæ urbis episcopus, natione patris ex parte Francus sive Saxo, matris quoque ex parte Alamannus atque Bajuvarius. Pater ejus nominabatur Sion, mater quoque ejus Gerildis. Prædictus ergo episcopus regia ex progenie ortus atque aliis nobilissimis parentibus est procreatus. Ab infantia autem cum episcopis enutritus atque ab eis nobiliter et sapienter est instructus; ecclesiasticis quoque disciplinis voluntarie se submittens, ordinabiliter congruenterque est inconnexus. Jam enim duodecim annos habens, a jam dicto patre suo ad palatium deductus est, et glorioso Carolo Francorum regi atque domno Ludovico ejus filio honorifice commendatus, et ab eo est decenter susceptus. Ipse videlicet omnibus bonis moribusque dulcibus ornatus, omnia omnibus factus est, et tam regi quam omnibus ejus optimatibus et regi famulantibus, Domino annuente, placere meruit. Per diem itaque regi et fidelibus suis amabiliter militans, Domino autem nocte et secrete totis nisibus et vigiliis atque orationibus serviens, gratiam divinam meruit assequi. Sed sollicite evenerat ut quandocunque locus ei eveniret, in ecclesia Sanctæ Mariæ quæ est constructa in Aquisgrani palatio secrete psalmos decantaret et orationes faceret. Quadam autem die in prædicta ecclesia Sanctæ Mariæ in sinistra parte altaris C secrete psalmos suos cantans, instinctu divino corde admonitus est ut militiam sæcularem dimitteret et Domino solummodo famulari studeret. Ipse quoque adhuc teneræ ætatis erat atque pube tenus. Tunc primo is.. se incipiebat, timens valde ne hoc illi diabolica ex parte suggereretur, obnixe Deum deprecatus est ut, intercessione beatæ Mariæ, in cujus ecclesia orabat, si divinitus jam dicta voluntas in ejus corde versaretur, manifestum ei pro sua misericordia faceret; sin autem diabolica immissio esset, similiter et hoc illi notum faceret. Totis itaque nisibus et flectendo genua, pectusque tundendo, ante prædictæ sanctæ Mariæ aram deprecatus est ut domini ex hoc meruisset facere voluntatem, ut diabolus eum seducendi nullum locum haberet. D Ipse enim divinitus in antedicta bona voluntate confortatus et firmius subjugatus est et plenius corroboratus. Deinde cœpit toto corde rogare Deum ut si diaboli esset exhortatio, recederet ab eo, et si divina esset gratia, pleniter eam secundum Dei voluntatem adimplere meruisset. In hac autem intentione ferme dimidium annum corde angens, angelica et divina confortatione suffultus, ad regem deprecaturus accessit ut sæcularem militiam dimittere ei liceret et militiæ spirituali se conjungere atque cum Domino famulari permitteret. Nullo tamen nisi tantummodo uno Deum timenti amico suo et charissimo familiari hoc confessus est, timens quip-

pe ne si hoc intelligerent parentes et amici, ei hoc facere minime permitterent. Rex autem, hæc audiens, oppido tristatus est, promittensque ei duodecim et amplius comitatus se daturum si hoc dimitteret et in sua militia perseveraret. Ipse vero a rege hoc audiens ait, etiamsi dimidium suum regnum ei daret, ipsa voluntatem propter hoc non dimitteret. Videns autem rex se illum a sua intentione non posse avertere, concessit ei licentiam et locum ubicunque eligeret in suo regno. Tunc ergo ipse, inspirante divina gratia, petivit locum sibi dari in quadam civitate cujus vocabulum est Mediomatricis, quæ et alio nomine Mettis vocatur; sibique cum duobus clericis tantummodo postulavit dari præbendam. Rex autem et hoc concessit, et quantum volebat sibi dare spopondit. Tali enim conditione licentia accepta, a rege osculatus est, et ad jam dictam urbem festinando profectus est; ibique amabiliter et devote ab omnibus susceptus, et clericus ab episcopo ejusdem civitatis et cuncto clero divinis benedictionibus decantantibus et hymnis spiritualibus modulantibus confortatus est, et vestimentis clericalibus indutus, et manuum impositionibus ab episcopo et a cunctis sacerdotibus clericali benedictione consecratus, inter seniores fratres est collocatus. Deo igitur ibi totis nisibus die noctuque deserviens, factum est ut multos Domino lucrifaceret. Cantum quippe Romanum atque Grammaticam sive divinæ Scripturæ seriem humiliter discere meruit, quibus et donante omnium Domino pleniter atque doctissime instructus est. Post duos quoque clericatus sui annos ab episcopo ejusdem civitatis nomine Gundulfo in Ecclesia Sancti Stephani diaconus est ordinatus. In ipso igitur gradu tres ferme annos militans mirabiliter et docte quotidie diaconatus sui adimplere certavit officium. Mortuo quoque jam dicto Gundulfo prædicto ordinatore suo, alius episcopus in eadem civitate nomine Drogo, filius Caroli piissimi imperatoris, subrogatus et ordinatus est: qui videns prædicti Aldrici levitæ intentionem et studium bonum, quod tam in ministerio suo quam et erga omnes habebat, cœpit eum exhortari ut sacerdos efficeretur. Noluit autem jam dictus diaconus Aldricus neque ausus est divinam repellere benedictionem, ad quam sæpissime vocabatur a Drogone ejusdem civitatis episcopo et successore jam dicto ordinatori suo, dum nobiliter degebat in diaconatus officio, eligente eum clero et populo presbyter est ordinatus. Ipse autem melius ac melius virtutum pollens actibus, multosque erudiens suis prædicationibus sive bonis exhortationibus, multos et innumerabiles Deo et sanctæ Ecclesiæ lucrari meruit. Demum quoque eligentibus fratribus, et suadente sive exhortante episcopo suo Drogone, licet coacte, senior cantor ibi sublimatur. In scholis vero in quibus jam magister erat constitutus sapienter multos et innumerabiles in supradictis artibus erudiens, magnum lucrum in sancta Dei Ecclesia facere meruit, imo innumerabiles in jam

* Vide annales Bertinianos, an. 832.

A dictis artibus doctissime erudivit. Videntes igitur eum antedictus pontifex domnus Drogo et cunctus clerus sive populus in jam dictis ministeriis et doctrinis magnum habere studium et multos doctores et magistros nobiles fecisse, in majus eum ministerium, quamvis coacte sublimaverunt et primicerium secundum Romanum ordinem eum esse constituerunt, totumque clerum tam civitatis quam et monasteriorum, sive totius illius civitatis parochiæ, ei subditum esse præceperunt, et magistrum omnium eum constituerunt. Ille enim in his studiosissime Domino serviens, omnibus bonis hominibus amabiliter famulari meruit; eumque cuncti boni ita amabant quasi semetipsos; et quidquid eis imperabat, libenter faciebant. Audiens autem

B Ludovicus imperator Francorum ejus opinionem, ad se eum vocavit, et in suo palatio, volente vel nolente, eum seniorem sacerdotem suumque confessorem præesse constituit. Qui et ibi omnibus palatinis bonis placens, ut solitus erat, omnibus omnia factus, ab omnibus honorabatur atque venerabatur. Ita quoque omnes eum diligebant, si fieri potest, quasi semetipsos, ejusque jussionibus in omnibus quasi senioris voluntarie et bono animo obtemperantes erant. Quatuor autem menses cum imperatore in suo palatio nobiliter degens, eique amabiliter serviens, nec ad unum diem licentiam exinde evadendi et in patriam pergendi impetrare valebat. Episcopatum ei quippe quoddam, cujus vocabulum est Cenomanis, eligente

C eum ejusdem provinciæ archiepiscopo Landramno atque comite ejusdem parochiæ Rorigone, sive omnibus præfixæ parochiæ nobilibus hominibus, atque cunctis palatinis, et clero et populo, per baculum Landramni Turonicæ civitatis et prædictæ parochiæ metropolitani jam dictum episcopatum in sua præsentia et eo instigante a Ludovico gloriosissimo imperatore, orantibus cunctis, cura pastorali est commissum: qui et hoc refugiens, et nolens prædictum episcopatum suscipere, omnibus tamen, licet coactus, hortantibus, ipsum sacrum suscepit ministerium. Ordinatus quoque a suo prædicto metropolitano et cæteris nobilibus et sapientibus episcopis in idipsum convenientibus, eligente eum clero et populo in prædicta civitate et in ipsa matre Ecclesia die 11 Cal. Januarii est, anno

D igitur incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo trigesimo et secundo, episcopus est consecratus.[a] Tertio autem die post ordinationem suam jam dictus domnus imperator in suam adveniens civitatem, gratias agens Dominum laudavit quod jam ordinatus erat episcopus. Prædictus ergo pontifex domnum Ludovicum imperatorem cum psallentio et hymnis et canticis sive crucibus et cæteris divinis oraculis benigne et sapienter suscipiens, eumque ad ecclesiam manu tenens et deducens per altaria orando, suis precibus, eum Domino commendavit. Suprascripto igitur imperatori omnibusque suis nobiliter et dulciter famulari studuit, ibique domnus imperator Ludovicus

nativitatem Domini nostri Jesu Christi, præfato Aldrico episcopo et suo clero sapientissime et honorifice officium peragente, solemniter celebravit. Octo quoque dies in eadem civitate domnus imperator residens, villam quamdam quæ Brogilus et Novavilla nuncupatur cum omnibus ad se pertinentibus, quæ dudum inde abstracta et in beneficium data fuerat, per suum præceptum ei atque Ecclesiæ suæ sedis sive clericis et domini servis inibi Domino famulantibus jure firmissimo perpetuis temporibus possidendam reddidit.

II.

Prædictus quoque pontifex, in primo pontificatus sui anno, aquam per aquæductum in prædictam civitatem Cenomanicam, quam nullus hominum ibi antea venire viderat, suo opere et bono ingenio adducere meruit, omnibusque qui antea valde aqua indigebant, nec eam nisi per magnum laborem eatenus habere poterant, sufficientem, auxiliante Domino, habere fecit. Unum siquidem vel duo media aquæ infra civitatem antea emere nemo valebat nisi unum denarium afferentibus eam de Sartha vel de aliquo fonte dedisset, quoniam nec puteum inibi aliquem habebant. Ideo tam chara erat. In ipso quoque anno claustrum ubi sui canonici conversari regulariter et canonice possent ædificare cœpit, qui antea nunquam, ut fertur, claustrum habere meruerunt, sed per civitatem huc et illuc vagantes et dormientes et discurrentes, tam in nocte quam in die, per diversa domicilia manere solebant, et propter hoc impedimentum ad officium divinum occurrere, ut decebat, minime valebant; eisque suam domum, in qua manerent, et solarios sive cellaria et alia ædificia, quæ ad suum opus habebat, tradidit. Et non in hoc sufficiens erat, sed etiam alias domos per circuitum nobiliter, sicut ad hoc opus decebat construere certavit. Præfatus ergo pontifex fuit vir mitissimus et sapiens valde, lingua eruditus, psalmos omnes per ordinem memoriter retinens, et in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus. lingua quoque in lectione posita, et exhortator omnium bonorum operum, plebique florentissimæ salutaria prædicans fidei catholicæ et apostolicæ, immaculate conservare perenniter sua monita salutaria prædicans, corda fidelium corroborans, orthodoxæ fidei æmulator ac defensor fortissimus, paupertatis amator, erga inopes non solum mitis, sed etiam sollicitus, captivorum etiam redemptor, orphanorum quoque et viduarum largitor, necessaria tribuens, amator religiositatis Christianæ, normæ, et religiose volentibus vivere et Dei timorem habere in suis præcordiis dilectio residens; vir vero erat mitissimus atque suavis omnique bonitate ornatus, amator cleri omnisque populi Christiani, tardus ad irascendum, et velox ad miserandum, nulli pro malo malum reddens, neque vindictam secundum meritum tribuens; sed pius et misericors erat omnibus, cunctos attrahens, neminemque dissipans. Magnum gregem adunare in unum et ingens lucrum, adminiculante Domino infra sinum sanctæ Dei Ec- A clesiæ tam infra suam parochiam quam et extra facere meruit, et multos Domino lucrari meruit. Fecit igitur prædictus Aldricus pontifex in præscripto claustro recta nova et dupla, in quibus et diversas mansiones ad opus fratrum et ad eorum necessitates procurandas mirabiliter et nobiliter construxit. Insuper et in jam dicto claustro fecit ecclesiam in honore sancti Stephani a novo, quam et in honore præfixi sancti Stephani et omnium sanctorum quinta Iduum Novembris solemniter consecravit; in qua et in ipsa die consecrationis ejus signum apparuit mirabile. Quidam enim sacerdos inibi suos wantos perdidit dum prædictum sacraretur templum; quos quidam clericus inveniens, furtim de ipsa ecclesia nova exportare cupiens, de B prædicta Sancti Stephani et omnium sanctorum ecclesia exire non potuit, nec ipsos wantos secum deferre valuit, antequam eos in ipsa ecclesia videntibus multis ejicit, et fuga lapsus evasit. Fecit namque in prædicta ecclesia altaria sex; quorum unum sursum positum in media absida collocatum in honore sanctæ Sophiæ sacravit, et reliquias Domini nostri Jesu Christi, tam de spongia quam et de sandaliis ejus propriis, in confessione in eo facta collocavit. Fecit quoque atque sacravit jam dictus pontifex in superiori et in dextera parte ipsius ecclesiæ aliud altare in honore sancti Stephani, et sancti Vincentii, ac sancti Gervasii, sanctique Privati, sive sancti Quirini, atque sancti Naboris, necnon et sancti Nazarii martyrum Christi, et in eo C decenter eorum reliquias collocavit. Fecit namque in superiori et in sinistra parte ipsius ecclesiæ tertium altare, atque sacravit in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, sive sancti Clementis Romanæ Ecclesiæ episcopi et martyris, et sancti Albini, sancti Amantii ac sancti Arnulphi, seu sancti Martini, atque sancti Clementis primi Metensis urbis episcopi, atque sancti Audoeni, necnon et sancti Martialis, ac sancti Benedicti, et sancti Paterni, et sancti Silvestri, confessorum Domini, et in eo propriis manibus decenter prædictorum sanctorum reliquias in confessione ipsius altaris collocavit. In subteriori ergo parte et in absida ipsius ecclesiæ, fecit et consecravit quartum altare in honore sancti Stephani et omnium sanctorum, D et in eo sancti Stephani atque aliorum multorum sanctorum reliquias propriis manibus decenter collocavit atque conclusit. In dextera igitur subteriori parte ipsius ecclesiæ quintum fecit altare, quod et consecravit in honore sancti Pauli et sancti Jacobi apostoli et sancti Matthæi apostoli et evangelistæ, et in confessione ipsius altaris prædictorum sanctorum apostolorum reliquias propriis manibus decenter composuit atque conclusit. In sinistra et in subteriori parte ipsius ecclesiæ sextum fecit altare quod et consecravit in honore sancti Theodori et sancti Juliani atque sancti Lamberti, martyrum Christi, et in confessione ipsius altaris eorum pignora propriis collocavit manibus.

III

Anno siquidem incarnationis Domini nostri Jesu

Christi octingentesimo trigesimo et quarto, indictione vero tredecima, et anno imperii domni Ludovici piissimi imperatoris vigesimo et secundo, anno ordinationis præscripti Aldrici episcopi tertio, prædictam ecclesiam jam dictus pontifex solemniter et decenter dedicavit. In præscripto namque Calendarum die, Turonis metropolis civitate per consensum et electionem Landramni prædictæ Turonicæ urbis archiepiscopi, sive aliorum episcoporum atque multorum abbatum atque comitum necnon et aliorum innumerabilium prudentium virorum a Ludovico præscripto imperatore, cura Cenomanicæ urbis et sollicitudo totius populi ipsius urbis parochiæ Aldrico præfato episcopo commissa est; cui omnipotens Deus, suppliciter oramus, una nobiscum tribuat requiem sempiternam et vitam æternam. Præscripto videlicet anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi, undecimo quoque Calendarum Decembris die solemniter consecravit jam dictus Aldricus pontifex absidam matris et senioris civitatis ecclesiæ, quam a novo fundavit et mirabiliter ornavit atque fabricavit, et qua et altare mirabiliter fabricatum et compositum construxit. Jam dictam quippe absidam una cum præfato altari consecravit in honore sancti Salvatoris et sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, sed et sancti Stephani; in quo et reliquias sancti Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ, atque de proprio corpore sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, sive sancti Stephani in sæpedicto altari, propriis manibus decenter collocavit et mirabiliter composuit. Aliam quoque partem præscriptæ matris et civitatis ecclesiæ, cujus consecrationis dies penitus ab omnibus ignorabatur, in prædicto Domini Salvatoris nostri Jesu Christi nomine et sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorumque martyrum Gervasii et Protasii, atque sancti Stephani, reconciliavit atque solemniter dedicavit. In præfata namque ecclesia seniori altaria construxit et a novo fundavit, atque in supradicta die sacravit numero decem: et nomina super ea eorum sanctorum, in quorum memoriis ea consecravit, desuper ascribere jussit; quæ et adhuc per singula altaria inserta singillatim et distincte ac diligenter investigantibus reperiri hodierna die queunt. Deambulatoria siquidem sursum per totum in circuitu ipsius ecclesiæ fecit, in quibus et altaria quinque nobiliter construxit atque sacravit. Primum enim in dextera et in orientali parte altare in prædictis deambulatoriis positum sacravit in honore sancti Martini et sancti Hilarii, ac sancti Germani sanctique Vedasti, sive sancti Domnoli atque sancti Carilefi et sancti Rigomeri confessorum Christi, et pignora prædictorum sanctorum in eo propriis manibus decenter et ecclesiastico more collocavit. Aliud vero altare in supradicta dextera parte et in eodem deambulatorio in medio positum sacratum in honore sancti Petri et sancti Joannis apostoli et evangelistæ atque sancti Andreæ, necnon et omnium apostolorum, et reliquias eorum in ipso collocavit altari. In occidentali quippe parte ipsius ecclesiæ, in ipso solario fecit atque sacravit altare in honore omnium sanctorum, in quo et multorum sanctorum pignora propriis collocavit manibus. In sinistra autem parte ipsius ecclesiæ et in sinistro deambulatorio in orientali parte fecit et consecravit altare in honore sancti Dionysii et sancti Laurentii, ac sancti Remigii sanctique Medardi, seu sancti Bonifacii et sancti Rustici, necnon et sancti Eleutherii martyrum et confessorum Christi, et eorum reliquias in ipso propriis manibus collocavit altari. In prædicto videlicet sinistro solari et deambulatorio in medio aliud fecit et sacravit altare in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ ac sanctæ Anastasiæ sanctæque Cæciliæ, necnon et omnium sanctarum virginum, et pignora sanctarum virginum in eo multa propriis collocavit manibus. Deorsum quoque et in dextera, sive orientali parte præfatæ ecclesiæ fecit et consecravit altare in honore sancti Ambrosii et sancti Benedicti, sanctique Gregorii, ac sancti Augustini sive sancti Juliani atque sancti Hieronymi, necnon et sancti Vigoris Christi confessorum, et eorum in eo decenter et ecclesiastico more collocavit reliquias. Extra chorum scilicet et in dextera parte ipsius ecclesiæ fecit et consecravit altare in honore sancti Georgii et sancti Felicis, ac sancti Symphoriani sive sancti Sixti atque sancti Tiburtii, sanctorum quippe Marcellini et Petri, et eorum in eo decenter collocavit reliquias. In sinistra namque et in orientali parte ipsius ecclesiæ fecit et sacravit altare in honore sanctæ Scholasticæ et sanctæ Agnetis ac sanctæ Luciæ, atque sanctæ Lodesindæ, sive sanctæ Afræ, sanctæque Geretrudis et sanctæ Aldegundis, virginum Christi, et in eo earum reliquias propriis decenter collocavit manibus. Extra chorum autem in sinistra parte ipsius ecclesiæ fecit et consecravit altare in honore sanctæ Agathæ et sanctæ Felicitatis ac sanctæ Sabinæ sanctæque Euphemiæ sive sanctæ Perpetuæ atque sanctæ Brigidæ, necnon et sanctæ Genovefæ, virginum Christi, et earum in eo decenter propriis manibus collocavit reliquias. In media quoque Ecclesia fecit altare in quo et crucifixum Domini nostri Jesu Christi auro et argento mirabiliter fabricatum erexit, et ipsum altare in media ecclesia positum in honore sanctissimæ Trinitatis in eo decenter propriis collocavit manibus. Antedictus igitur Aldricus Cenomanicæ præfatæ urbis episcopus anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo trigesimo et quinto, et anno imperii piissimi Ludovici imperatoris vigesimo et tertio, anno siquidem ordinationis suæ tertio, indictione quatuordecima, undecimo vero Calendarum Juliarum die solemniter consecravit occidentalem partem sæpedictæ matris et Cenomanicæ civitatis senioris ecclesiæ, quam et a novo fundavit et mirabiliter ornavit, ad effectum quoque usque perduxit: in qua et altare fecit in honore sancti Joannis Baptistæ, quod et insuper dicto Calendarum die in honore sancti Joannis Baptistæ solemniter consecravit, et prædicti sancti Joannis Baptistæ sive alio-

rum multorum sanctorum reliquias propriis manibus in eo decenter collocavit. Aliud ergo in dextera parte ipsius occidentalis partis ecclesiæ fecit altare et in præscripto die consecravit in honore sancti Christophori et sancti Hippolyti atque sancti Saturnini, martyrum Christi, et eorum reliquias in confessione ipsius altaris propriis decenter collocavit manibus. In sinistra namque parte ipsius occidentalis partis senioris ecclesiæ in suprascripto Calendarum die tertium consecravit altare in honore sancti Victurii et sancti Victuri, ac sancti Brixii, sanctique Arvei, atque sancti Baumadi, seu sancti Almiri, seu sancti Ulfacii et sancti Juliani primi ipsius urbis episcopi, atque sancti Turibii et sancti Pavacii, necnon et sancti Liborii, confessorum Christi, et eorum reliquias propriis manibus decenter in supradicto collocavit altari. Præscripto namque undecimo Calendarum Juliarum die, antedictus Aldricus pontifex est de utero matris suæ natus, cui omnipotens Deus assidua intercessione prædictorum sive omnium sanctorum tribuat vita æternaliter una cum eis frui sempiterna. Amen.

IV.

Dedit quippe præfatus Aldricus pontifex villam quamdam canonicis suis, cujus vocabulum est Buxarias, cum omnibus ad se pertinentibus, una cum silva cujus vocabulum est Felicionis, de qua et plenius prædicti canonici eorum mererentur habere stipendia, et delectabilius Domino famulari, sive pro imperatore antedicto Ludovico et conjuge sua Judith, sed et pro liberis regalibus, sive pro universo exercitu eorum, atque pro sæpedicto Aldrico ipsius urbis episcopo orare certatim studerent, et delectabilius sive studiosius eis Domino militare delectaret. De præfixa videlicet villa censuit, atque suis successoribus contestando in suo privilegio quod de eadem villa prædictis canonicis suis fecit adjuravit ut fratres et canonici Cenomanica in urbe degentes haberent plenam refectionem in undecimo Calendarum Januariarum die, quando mater et civitatis ecclesia senior Cenomanica in honore sancti Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ et sancti Gervasii et Protasii sive sancti Stephani est a jam dicto Aldrico episcopo solemniter dedicata. Similiter censuit ut de præfata villa plena prædictis fratribus et canonicis undecimo Calendarum Januariarum die fieret plena refectio; in quo die et sæpedictus Aldricus in præscripta civitate et in præfata ecclesia est canonice et solemniter a nobilissimis et doctissimis atque sanctissimis episcopis pontifex ordinatus. Similiter censuit ut in undecimo Calendarum Juliarum antedictis canonicis et Dei servis de præfata villa fieret plena et optima refectio, in quo die et præfixus Aldricus episcopus est de utero matris suæ natus, atque occidentalis pars præscriptæ matris et civitatis ecclesiæ ab eodem pontifice est solemniter dedicata. Similiter in assumptione sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ est decimo octavo Calendar. Septemb. die, in cujus præfata ecclesia a sancto Juliano sacrata fuit, cujus consecrationis dies ab omnibus penitus ignorabatur, sed modo renovata et reconciliata sive consecrata est in honore prædictæ sanctæ Dei genitricis Mariæ seu sanctorum Gervasii et Protasii sive sancti Stephani solemniter et canonice in præscripto Calendarum die a præfixo Aldrico episcopo, constituit fieri et plenam refectionem jam dictis Dei servis ministrari. In his quoque prædictis quinque festivitatibus censuit ut prædicti canonici et Dei servi acciperent de præfata villa de pane optimo per singulos prædictarum festivitatem dies modios quatuor, arietes optimos sex, et de vino optimo modios duos et de potione optima modium unum, et cætera, sicut in ejus testamento quod de eadem re fecit, continentur inserta.

V.

In ipso ergo ordinationis atque consecrationis præscriptæ matris et Cenomanicæ civitatis ecclesiæ anno primo virtutes in supradicta ecclesia apparuerunt multæ, videntibus Domino insigniter tribuente multis. Quidam enim claudus et utrisque pedibus debilis in præfata ecclesia ad vespertinalem synaxin adveniens, dum fratres Domino vota persolverent et officia vespertina peragerent, utrisque pedibus restauratus ac sanatus multis videntibus fuit, ita vero pristinum recipere meruit gressum quasi nunquam claudus ac debilis fuisset. Alius siquidem ad matutinalem synaxin veniens, qui mutus ab ortu nativitatis suæ et surdus erat, dum canonici ac Dei servi in jam dicta sancti Salvatoris et sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, atque sancti Stephani ecclesia devotissime matutinalem peragerent synaxin, tam auditum quam et locutionem inibi pleniter recepit, et ita loqui ac audire meruit ceu nunquam surdus ac mutus fuisset. Sequenti namque tempore quidam cæcus veniens in jam dictam ecclesiam, dum missa a sæpedicto Aldrico episcopo et a suis consacerdotibus sive reliquis ministris devotissime peragebatur, visum Domino largiente recipere in supradicta ecclesia meruit plenum et ita videre veluti nunquam cæcus fuisset. Alius ergo plenus dæmonio, qui graviter a diabolo vexabatur, et sæpe tam in ignem quam et in aquam sive in reliqua pericula se demergere volebat, qui et multis funibus constrictus atque colligatus erat ne aliquem lædere posset, in supradictam ecclesiam ad matutinalem synaxin adveniens, dum ibi a Dei servis ibidem constitutis et a jam dicto episcopo divina peragebantur intensissime officia, a dæmonio curatus et pleniter sanatus est ceu nunquam a dæmonio vexatus esset. Alia quoque innumerabilia signa in suprascripta ecclesia et in antedicto primo ordinationis, consecrationis, sive reconciliationis suæ anno, necnon et in subsequentibus annis, innumerabilia multis apparuerunt videntibus signa, quæ propter prolixitatem sive propter tædium lectoris atque auditoris hic non inseruimus; quæ tamen tanta sunt in ejiciendis dæmoniis, in recipiendis gressibus, in reddendis auditibus

et reparandis visibus, sive in reliquis Dei benefi- A ciis quanta, ut reor, duo vel tres quaterniones minime capere valerent. Alii autem infirmi tam de febribus quam de aliis infirmitatibus in suprascripta ecclesia innumerabiliter multi. Domino largiente, sunt sanati, atque pristinam sanitatem recipere et plenam meruerunt adipisci salutem.

VI.

Antedictus enim domnus Aldricus, præfatæ urbis episcopus, quando in prædicto quinto Iduum Nov. die a largitatione domni Ludovici piissimi imperatoris, per consensum et electionem multorum nobilium virorum, sicut supra dictum est, accepit jam dictum episcopatum, quidam æmuli sanctæ Dei Ecclesiæ et sui intimaverunt atque firmiter protestati sunt præfixo domno Ludovico impera- B tori quod abbatia Sancti Vincentii non esset de jure antedicti episcopi, sed fiscus sæpedicti domni Ludovici imperatoris esse debebat. Domnus igitur Ludovicus imperator ad hoc inquirendum atque veraciter investigandum suos strenuos et fideles misit missos, qui hoc inquirerent si fiscus esse debebat, an de jure et dominatione antedicti episcopi esse deberet. Aldricus vero in hoc valde angebatur, tristabaturque, quod tali occasione a jure et dominatione sæpedicti episcopii jam dicta abbatia sancti Vincentii perdita et injuste ablata fieret. Non enim habebat ibi cognitos homines, nec ipsam rem cognoscebat; sed Dominum obnixe deprecabatur ut sua negligentia ipsa abbatia Sancti Vincentii de jure prædictæ Ecclesiæ perdita nec alie- C nata fieret. Quem nempe Dominus in hoc exaudivit, et oppido illum consolatus est; et ipsas res adminiculante Domino evindicare meruit, et ad jus suæ sedis ecclesiæ jure firmissimo retinere, licet in ipso die introitus sui, quando primo in festivitate sancti Martini in ipsam civitatem Cenomanicam est ingressus, ipsa inquisitio facta fuisset, ubi et testes habuit qui ad jus sui præfixi episcopatus ipsam abbatiam testificaverunt atque confirmantes dixerunt quod sub dominatione et jure præfati episcopatus esse deberet. Privilegium ergo quod domnus Domnulus de præfata abbatia fecit quando præfatum monasterium et jam dictam Ecclesiam de rebus suæ sedis Ecclesiæ ditavit, ipso tempore minime invenire quivit, quod ei tunc D absconditum fuit. Sed posteaquam illud jam evindicatum et per præceptum confirmatum monasteriolum habuit, ipsum privilegium Domino adminiculante invenire et adipisci meruit. Idcirco in hoc opusculo prædictum privilegium nobis inserere placuit; ut si, quod absit, futuris temporibus de sæpe jam dicta abbatia aliqua quæstio orta fuerit et præfatum privilegium aliqua machinatione aut malo ingenio aliquis occultare vellet, in hoc opusculo exemplar ejus inveniretur, cum quo et solatium fideles ejusdem sanctæ Dei ecclesiæ haberent, qualiter ipsa abbatia nunquam a jure et dominatione præfatæ ecclesiæ perdita fieret. Similiter et privilegium quod jam dictus domnus Domnolus de colonica ad ecclesiam Sancti Vincentii et ad opus fratrum ibi degentium cum consensu suorum canonicorum atque aliorum tam episcoporum quam et aliorum nobilium virorum fecit hic inserere placuit.

VII.

Exemplar privilegii et traditionis quam domnus Domnulus de villa Tricione et de Fraxinido, sive villula nomine Debuc, atque de aliis villulis sive rebus ac territoriis suæ sedis ecclesiæ in die dedicationis sæpedictæ Sancti Vincentii ecclesiæ ad ipsam ecclesiam fecit.

Domino venerabili Ecclesiæ Cenomanicæ clero Domnolus episcopus.

Congruum nobis fuit ut votum desiderabile in charitatis vestræ notitiam poneremus; quia si consensus vester desiderium cordis nostri decreta adverterit, credimus nullius nullo unquam tempore contrarietate a nobis pariter firmata posse convelli, cum pro salute populi, velut custodiam civitatis, reliquias domni ac venerabilis sancti Vincentii martyris intercedente præsumptione ausi fuerimus deferre, cum Dei adjutorio et vestro. eidem loco dignitatis ereximus in culmine, ita petimus ut nostro pariter ditetur et munere; et si sensus vester in nos contulerit claritatem, hanc paginolam donationis vestro quæsumus ut firmetur robore. Dono ergo in ipsius domni Vincentii honore donatumque esse volumus villa cognominante Tricione, quam Abundantius visus est quondam tenuisse, per loca designata ad Confluentes usque Bucias defluit in Indua usque termino Proliacense, subjungente ad se adjacentia Saturniacinse, inde pervia Saturniacinse pervenit ad vuacta usque campo Daulfo, deinde a broialo Censurio usque ad domum Meræ, inde ad campum Locogiacinse pervenit ab ipso Tricione cum id quidquid Mallaricus Diaconus noster tempore vitæ suæ usufructuario possidere videtur, cum agris pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cum mancipiis his nominibus, Leudomado cum uxore Leudomalla et infantulum Litomeri, Leudolfo, item Leudolfo, Chariobandi, Vinoflede, et Mogiane, gregi equino quem Allomeris intra terminum ipsum commanens custodire videretur. Idemque et villa Fraxeneto, quam bonæ memoriæ Ap. Presbyter tenuit, cum broialis Marcelliacensis, cum vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, cum accolis decem commanentibus in rem Ecclesiæ. Quicunque opportuni ad domum ipsam fuerint, quos per ad signationem Deudorico defensore perceperit possidendos, cum mancipiis his nominibus Lanvoneto, Fredulo cum uxore Taligia, Sesulfo, Castino cum uxore Leudomalla et filio Leudoghisilo, cum filia Childegunde, Puppa cum filio suo Populonio, cum Leudomundo et Leudomanda cum libertis omnibus prædicti presbyteri. Pari modo et locello ad Buccis, quem de Eutelio presbytero accepimus, cum mancipia qui ibidem excolere videntur, pratum intra vinarum supra ripa Sarthæ secum quem Abundantius vel actores Ecclesiæ visi sunt tenuisse Chyldigisilo puero, cum armento pecorum quem ipse

custodire videtur, et campo adjacente ad memorato prato quem nostro opere fecimus, Sesesmundo cum uxore sua Wiliare. Hæc omnia quidem per hanc paginam donationis, quam Aunulfo diacono prærato unanimiter rogavimus conscribendam, constat delegasse, nuncupata basilica habeat, teneat, possideat, quicunque loci ipsius dignitatem perceperit, jure hæreditario perpetualiter sibimet vendicet possidendum. Si ullo unquam tempore aut pontifex civitatis aut quælibet persona a nobis donata vel tradita de dominatione basilicæ ipsius abstrahere voluerit, induat maledictionem pro benedictione, et Domini nostri Jesu Christi vel omnium sanctorum martyrum incurrat offensam, et voluntas nostra perpetim, auxiliante Domino, capiat firmitatem, Ans Juliani legis indetamentionem.

Actum Cenomanis civitate, anno XI regnante domini nostri Chilperici regis pridie Nonas Martias. ✝ Domnolus peccator subscripsit. Germanus peccator, rogante clero Cenomanis, subscripsit. Dinamus peccator consensit et subscripsit. Drauscio presbyter subscripsit. Injuriosus peccator subscripsi. Populonius presbyter consensi et subscripsi. Alloveus presbyter consensum nostrum subscripsit. Setrius peccator consensi et subscripsi. Leudoveus presbyter subscripsi. Daunaredus presbyter consensum nostrum subscripsi. Frigimodus presbyter, Ursicinus diaconus consensum nostrum subscripsimus. Census diaconus consensum nostrum subscripsi. Romolus diaconus consensi et subscripsi. Daddus diaconus consensum nostrum subscripsi. Noxus diaconus subscripsi. Seuvovechus diaconus consensi et subscripsi.

VIII.

Item exemplar quod dominus Domnolus de villa Canon per consensum canonicorum suorum ad ecclesiam Sancti Vincentii fecit.

Anno XX regni Domini nostri Chilperici gloriosissimi regis, pridie Nonas Septembris, ego Domnolus in Christi nomine episcopus cum evocassem domno et fratri meo Audoveo episcopo Andegavæ civitatis visitare sanctis liminibus patroni peculiaris mei Victorii episcopi imo et solemniter ipsius celebrassem, cum consensu omnium fratrum meorum presbyterorum, quia ante tempus testamentum meum condidi et in ipsam voluntatem meam adhuc non complevi, quod meum conscriptum videtur volo in omnibus conservetur, et hæc paginola plenum capiat opto robur. Dono basilicæ sanctorum Vincentii et Laurentii, quam meo opere construxi et ædificavi pro salvatione civitatis et populi collocavi colonicam cognominatam Cannono, cum agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, et mancipiola duo Waldardo cum uxore sua vel infantibus eorum qui ibidem nunc commanere videntur, ab hodierno die prædictus Abbas antedicti loci ad stipendia fratrum nuncupatæ basilicæ faciat revocare, et tamen post obitum meum, quando Deus jusserit, qui præsens fuerit ordinatus de loco præfato commemorationem meam annis singulis adimplere procuret. Ideo tibi, Niviarde diacone, ac defensor nostræ ecclesiæ, indico atque jubeo ut hoc tua traditione, sicuti nunc a dicta ecclesia possidetur, cum omni soliditate vel adjacentia Suolevo abbati facias consignari. Hoc vero inserendum rogavi, ut qui voluntati meæ obvius esse voluerit, maledictionem illam incurrat quem Propheta in psalmo CIX decantavit, et præsens pagina maneat inconvulsa, quam pro rei veritate manu propria subscripsi et domnis et fratribus meis muniendam rogavi Domnolus peccator subscripsi. Audoveus peccator subscripsi rogante domno Domnolo episcopo. Theodulfus peccator subscripsi. Aimulfus presbyter subscripsi. Leudoricus presbyter subscripsi.

IX.

Placuit etiam in hoc opusculo exemplar præcepti quod jam dictus Aldricus a domno Ludovico piissimo imperatore, quando res de sæpe dicta sancti Vincentii abbatia et ipsam abbatiam adjudicare et adipisci meruit.

Hoc præceptum (Vide Patrologiæ tomo CIV, col. 1217, inter Ludovici Pii Diplomata).

X.

Similiter in hac scedula vel in hoc libello inserere placuit exemplar præcepti quod supradictus domnus Aldricus de villa quæ Brogilus vel Novavilla nominatur cum omnibus ad se pertinentibus tam villulis quam mancipiis, sive reiculis atque forestibus, necnon et omnibus ad eas juste pertinentibus accipere meruit ; ut, si necesse fuerit, hoc exemplar futuris appareat fidelibus præscriptæ Ecclesiæ, qualiter omnibus notum sit supradicta causatio.

(*Vide ubi supra, col.* 1218.)

XI.

Insuper in hoc opusculo inscribere libuit exemplar præcepti quod sæpedictus Aldricus de nonis et decimis vel restaurationibus ecclesiarum sive de censibus tam monasteriorum quam cellularum et villarum quæ largitione regia vassalli dominici adipisci, licet injuste et contra canonicam auctoritatem, meruerunt. Nam oblatio fidelium ab episcopis et ministris eorum secundum canonicam institutionem dispensanda et gubernanda est, non a laicis et sæcularibus vel laicis hominibus præsumpserint, sub anathematis nomine a sanctis Patribus districte feriuntur. Illis quoque hoc valde cavendum est, ne pro temporalibus hujus sæculi a deliciis cœlestis regni perpetuo alienati, quod absit, fiant.

(*Præceptum de quo agitur vide ubi supra, col.* 1219.)

XII.

Placuit etiam in hoc scripto inserere exemplaria præceptorum quæ præfatus domnus Aldricus, sæpedictæ urbis episcopus, de monasteriolo Sanctæ Mariæ quod est situm intra murum civitatis et flu-

vium Sarthæ accepit, quod etiam domnus Ludovicus piissimus imperator propter amorem Dei et reverentiam sanctorum sive propter dilectionem et amorem prædicti Aldrici suprascriptæ urbis episcopi ad matrem et civitatis seniorem ecclesiam potestative et legaliter tradidit. Quam antedictus domnus Aldricus in honore Domini nostri Salvatoris Jesu Christi et ejusdem genitricis Mariæ sive sanctorum martyrum Gervasii et Protasii atque sancti Stephani renovavit, solemniterque consecravit atque reconciliavit, congregatis scilicet episcopis atque sacerdotibus multis nobilibus sive reliquis Christi et sanctæ Dei Ecclesiæ ministris, cum consensu videlicet absentium multorum et innumerabilium nobilium episcoporum prædictam matrem ecclesiam in supradictorum memoriis consecrare solemniter ac studiosissime meruit. Primo siquidem hoc accepit præceptum, quoniam putabat quod prædictum monasteriolum donatio regum et fiscus esset imperatorum. Sed postquam invenit traditiones et precarias sive privilegia et strumenta multarum chartarum investigario sive armario prædictæ ecclesiæ, qualiter præfatum monasteriolum Sanctæ Mariæ ad jam dictam matrem et civitatis ecclesiam a Deo devotis et liberis atque nobilibus utriusque sexus hominibus traditum fuerat, aliud inde accepit præceptum, sicuti in eo continetur insertum. Idcirco hoc facere studuit ut si, quod absit, futuris temporibus aliqua ex hoc causatio orta fuerit, et prædicta præcepta aliquo ingenio ablata vel perdita fuerint, exemplaria amborum in his reperiantur schedulis præceptorum, et in hoc inveniantur inserta libello, quatenus ex hoc procuratores jam dictæ sedis ecclesiæ, si necessitas fuerit, adjutorium et recuperationem habere valeant.

(*Vide ubi supra, col.* 1255 *et* 1256.)

XIII.

His est inserendum item exemplar præcepti quod sæpedictus domnus Aldricus de rebus et de monasteriolis sive cellulis atque vicis, necnon et villulis sigillatim nominatis sub emunitatis tuitione et gubernatione suæ sedis ecclesiæ, quam reædificavit, et quasi a novo restruxit atque immelioravit, immajoravitque, et in honore sancti Domini Salvatoris et beatæ ejusdem Dei genitricis Mariæ atque sanctorum martyrum Gervasii et Protasii sive sancti Stephani solemniter consecravit, et præceptum istius exemplaris a domno Ludovico piissimo imperatore percipere meruit, sicut in eo continetur insertum. Ita etenim in eo habetur scriptum.

(*Vide ubi supra, col.* 1257.)

XIV.

Prædicta quoque præcepta in hoc opusculo ideo inserere placuit ut, sicut dictum est, si futuris aut modernis de supradictis rebus aliqua quæstio orta fuerit, exemplaria antedictorum in hoc libello inveniantur inserta præceptorum ; quatenus per ea fideles suprascriptæ ecclesiæ et rectores atque gubernatores ejusdem ex his exemplariis adjutorium habere queant. Nonnulla etenim alia præcepa præfatus domnus Aldricus jam dictæ urbis episcopus accipere pro firmitatis causa studuit, quæ in his schedulis propter prolixitatem vel fastidium audientium vel legentium, sive tædium scribentium, inserere minime libuit.

XV.

Prædictus quoque Aldricus, sæpedictæ urbis episcopus, collegit quædam capitula canonum valde utilia et necessaria, quæ a suis consacerdotibus sæpissime legenda sive memoriæ commendanda tribuit. Ex quibus enim canonibus atque edictis Patrum præfata capitula strictim colligere curavit, in suo proœmio continetur insertum. Primo vero collegit capitula nonnulla ex duodecim conciliis sive ex decretis Romanæ sedis episcoporum, quorum præfationem in prima fronte prædicti operis valde utilem posuit. Demum quoque quæ sequuntur ex aliis collegit canonibus atque dictis Patrum diversarum provinciarum, atque nonnulla ex his cum aliis sanctissimis et doctissimis episcopis in synodis pariter sanxit, sive ex capitulis Christianissimorum imperatorum, in synodis episcoporum decretis tam tempore Pippini quam et Caroli sive Ludovici, sicut in præfationibus ipsius libelli a diligenter investigantibus inveniri potest. Sæpedictus quoque Aldricus episcopus fecit tugurium, quod et ciborium nominatur, super altare seniori, quod est sacratum, ut præfixum est, in honore Domini Salvatoris et sanctæ Dei genitricis Mariæ atque sanctorum martyrum Gervasii et Protasii sive sancti Stephani necnon et simul in veneratione et honore omnium sanctorum. Ipsum enim ciborium et argento mirifice, sicut hodie apparet, fabricare studuit ; in quo et cennas argenteas et deauratas desuper configere præcepit, sicut hactenus a conspicientibus prædictum opus videtur. Hinc namque fecit in loco in quo olim canes et meretrices sive latrones habitare solebant monasterium supra fluvium Sarthæ milliario et semis a jam dicta urbe distante in honore sancti Salvatoris et sanctæ Dei genitricis Mariæ et sanctorum martyrum Stephani, Gervasii, et Protasii, atque omnium sanctorum, in quo et dormitorium novum decenter compositum fecit, et in ipso dormitorio absidam in orientali parte mirifice construxit, et in ea altare construxit et erexit ; ipsam vero absidam, una cum prædicto altare in die IV Iduum Septembris una cum suis reliquiis in honore sancti Benedicti confessoris præcipui solemniter consecravit ; et ubi antea latratus canum et ululatus pauperum qui a latronibus inibi inhabitantibus exspoliabantur resonabant, ibi hymnos angelicos et propheticos sivæ cæterarum divinarum Scripturarum laudes decantare et resonare die noctuque Domino constituit. Fecit quoque in ipso monasterio refectorium novum et nobiliter compositum, et cætera officina fratrum, tam cellaria quam et alia officina mirabiliter et decenter construxit et regulariter ordinavit, monachisque ad inhabitandum contradidit. In ipso ergo loco Calend.

Maii fundamenta ecclesiæ et claustri cœpit ponere A et construere; in quo opere mira et magna virtus Dei est declarata, quia quæ in duos aut tres annos minime putabant esse consummata, in quatuor et quinto dimidio mensibus, Domino adminiculante, consummatum est, id est, a Cal. Maiis usque XVI Cal. Octobris; in quo Calendarum die et ipsa ecclesia est consecrata, et ipsi monachi in dormitorio inibi novo cœperunt dormire, et in refectorio inibi novo manducare, quæ nullo modo fieri potuissent nisi Domini misericordia et ejus magna virtus hoc operata esset. Unde et ipse laudatur, qui hoc præstare et concedere atque divinitus operari dignatus est; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

XVI.

In prædicto itaque monasterio ecclesiam mirifice et ordinabiliter compositam a novo construxit, in qua et quatuordecim altaria erexit, et ea in memorias et nomina atque honores eorum sanctorum dedicavit et consecravit, et eorum pignora in eis collocavit, quorum nomina super ea hactenus adscripta esse videntur. Ipsam ergo ecclesiam ut præfixum est, in honore Domini Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ, sive sanctorum martyrum Gervasii et Protasii atque sancti Stephani, necnon et simul in honore omnium sanctorum solemniter decenterque in die XVI Calend. Octob. consecravit. Dum ergo consecratio prædictæ ecclesiæ a jam dicto episcopo et a suis ministris præparabatur, mira res et minime celanda accidit. Venit quoque quidam homo, nemine movente hominum aut vocante, sed divina clementia aspirante compunctus, nomine Salahardus, nobilis genere, ad præfatum locum et ad jam dictum episcopum, et ad ipsam congregationem, qui dixit se velle suum tradere proprium ad eamdem devotionem et ad præfixum locum et suos filios binos ad supradictam ecclesiam tradere servituti, ut et ubi, si Domino placuerit, monachi fierent, et cunctis diebus vitæ illorum inibi Domino deservirent. Quod ita post consecrationem supradictam peractam, Domino annuente, factum est. Tradidit itaque præfixus vir, multis nobilibus coram astantibus, præfixo episcopo una cum suis sacerdotibus et monachis supra præcriptum altare sancti Salvatoris votum ejus suscipientibus de proprio suo quantum; ut reor, cum mille solidis argenti pretiosi nemo emere poterat. Unde prædicto episcopo et suis sacerdotibus atque monachis inibi Domino famulantibus chartam legalem fecit, et fidejussores ex eodem proprio nobiles et electos condonavit. Ista igitur miracula nisi instinctu Dei nullo modo fieri possent. Idcirco et ea hic inseruimus, ut cuncti servi Dei pro eis qui hæc legerint orent qui suis votis Domini famulatum amplificare magnificareque atque adimplere cupiunt sive cupierint.

XVII.

Consecratione igitur solemniter et canonice peracta, ad ipsam ecclesiam sive ad ipsum altare quod in prædictorum honore sanctorum consecravit, et ad fulciendam fratrum necessitatem ibidem Domino servientium, una cum suis consacerdotibus et clericis sancte viventibus, cum consultu et consensu videlicet universi cleri et populi, contradidit quatuor Evangelia mirifice conscripta et calicem aureum una cum patena sua. Etenim ipsum Evangelium et prædictum calicem aureum, Deoque sacratum, una cum cæteris episcopis et consacerdotibus manus eorum desuper imponentibus, et cunctis reliquis consentientibus ac exorantibus, ibidem de rebus sitæ sedis ecclesiæ eum consultu omnium contradidit, multis testibus circumastantibus nobilibus et liberis hominibus videntibus; id est: villam Apiacum, in qua sanctus Ulfacius con- B fessor Christi requiescit in corpore, cum omni integritate, et villam Luciacum cum omni integritate, et medietatem de villa Can, et medietatem de villa Bernis, et illas culturas duas juxta præfatum monasterium infra illam silvam conjacentes, una cum prato ex alia parte monasterii consistente, sicut termini ipsorum monachorum dividunt, et illa molina duo juxta monasterium supra fluvium Sarthæ constructum, et villam Salvariam cum aliis villulis juxta eum adjacentibus, cum manentibus triginta, et illam vineam indominicatam quæ juxta ipsum monasterium consistit. Hoc totum præfixæ ecclesiæ et prædicto altari in dotem monachis ibidem Domino famulantibus regulariter eum consensu piisimi Ludovici imperatoris et episcoporum C multorum, maxime comprovincialium et consacerdotum suorum, monachis ibidem degentibus perpetualiter ad possidendum contradidit, deprecans et contestans humiliterque implorans ut nemo ea inde auferat, sed plura adaugeat, et sicut vult unusquisque ut sua pia facta stabilia permaneant, ita et nostra, licet pauca, perpetualiter manere inconvulsa permittat. In quo die et in qua solemnitate constituit ut monachi in ipso monasterio degentes et regulariter viventes fratribus canonicis matri et seniori civitatis ecclesiæ famulantibus dent plenam refectionem, quæ et in subsequentibus commemorabitur. Ipsam ergo refectionem clericis matri et seniori civitatis ecclesiæ famulantibus dare censuit; quæ etiam similiter in honore Domini Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ, sive sanctorum martyrum Gervasii et Protasii atque sancti Stephani necnon et simul in veneratione et nomine omnium sanctorum noscitur a prædicto Aldrico episcopo reconciliata et solemniter, ut præfixum est, sacrata esse, ad cujus similitudinem et imitationem et hanc ecclesiam in jam dicto monasterio consecravit. Quæ igitur quoniam subjecta est matri et seniori civitatis ecclesiæ idcirco et in ipsorum memoria quorum prædicta mater ecclesia et consecrata est hanc consecrare disposuit. Quod et ita ordinabiliter et solemniter Domino adjuvante factum est.

XVIII.

In die namque consecrationis prescriptæ ecclesiæ, ut superius commemoratum est, censuit su-

pradictis canonicis et Dei servis matri et seniori civitatis ecclesiæ famulantibus dari de jam dicto monasterio sancti Salvatoris de pane optimo modios quatuor, et de vino optimo modios tres, et quarum de potione optima, friscingas vero vervecinas duas et porcinas similiter duas. Constituit etiam ut jam dicti canonici pleniter et decenter venirent cum psallentio, id est cum crucibus et reliquis divinis obsequiis et ornamentis, ut decet, nobilibus ad vesperas et vigilias jam dictæ festivitatis et dedicationis Domini Salvatoris et ipsius monasterii ecclesiæ, in qua tam vespertinale quam et matutinale seu missale officium dedicationis ecclesiæ, sicut in sacramentario et lectionario sive antiphonario atque in cæteris sanctorum Patrum institutis et rationabiliter ordinatis a prudentibus sanctæ Dei Ecclesiæ cultoribus invenitur, agatur, et pleniter decenterque et rationabiliter atque solemniter una cum monachis ibidem degentibus et Domino famulantibus devotissime ab omnibus perficiantur, et post vesperas in ipsius dedicationis vigilia prædicti canonici in refectorio cum ipsis monachis talem refectionem sicut ipsi monachi una cum eis habeant. Missa vero crastina in die ipsius solemnitatis canonice et solemniter peracta, faciant ipsi canonici utrum episcopus vel magistri eorum melius et rationabilius judicaverint, aut in ipso monasterio reficiant pleniter, aut prædicta stipendia ad eorum refectorium famuli eorum deferant, in quo et ipsi pleniter et decenter reficiant, lætantes quippe et gaudentes de prædicta solemnitate.

XIX.

Constituit etiam prædictus Aldricus, jam dictæ civitatis episcopus, et humiliter deprecatus est, ut in præfixæ solemnitatis die unusquisque tam civitatis sacerdos quam et suburbanus sive præfati monasterii presbyter unam decantaret, dum in præsenti peregrinatione vixerit, pro eo vivente missam, post obitum quoque ejus, quando Dominus voluerit, similiter constituit et suppliciter deprecatus est, atque una cum eis pariter sanxit ut pro anima ejus prædicti sacerdotes in jam dicta die decantent devotissime unusquisque missam unam, et reliquus clerus, cuncti videlicet monachi et canonici, unusquisque psalmos quinquaginta devotissime decantet, orantes namque Dominum cœli ut vitam habere prædictus Aldricus mereatur sempiternam. Porro similiter constituit ut in die XI Cal. Januar. dedicationis matris et senioris ecclesiæ civitatis sacerdotes et clerici missas et psalmodia sicut et in dedicatione ecclesiæ Sancti Salvatoris jam dicti monasterii pro Aldrico episcopo studiosissime decantent, id est, unusquisque sacerdos missam unam vel eo amplius, si libuerit et unusquisque clericus psalmos quinquaginta et eo amplius, si placuerit, orantes et deprecantes Dominum cæli ut anima ipsius vita sempiterna perfrui et requie æterna mereatur. Amen.

XX.

Similiter ergo et in dedicatione sancti Stephani A ecclesiæ, quam infra claustrum canonicorum jam dictus Aldricus episcopus a novo construxit, decretum est ut prædicti canonici et ipsius civitatis Dei servi et suburbani omnes presbyteri et clerici ad ipsam solemnitatem dedicationis ecclesiæ sancti Stephani mane prima revestiti convenientes, unusquisque sacerdos in ipsa ecclesia pro anima prædicti Aldrici pontificis cantet missam unam ; et si amplius voluerit, in ipsius erit benignitate et potestate ut faciat. Et unusquisque clericus psalmos quinquaginta ; et si amplius voluerit, in ipsius eri benignitate et misericordia sine remuneratione et potestate, orantes et deprecantes Domini misericordiam obnixe ut anima ipsius Aldrici episcopi quiete æterna frui valeat, et requiem sempiternam B una cum sanctis et electis Dei habere mereatur. Amen.

XXI.

Sanxit quoque antedictus domnus Aldricus episcopus una cum fratribus et coepiscopis ac canonicis suæ sedis ecclesiæ, consideravit ut in die ordinationis ejus omnes presbyteri tam urbani quam et suburbani, sive monasteriales reliquusque clerus ad vesperas et vigilias ipsius festivitatis, sicut in natalitiis episcoporum constitutum est solemniter agere, pariter et solemniter convenirent, et in ipsa officia solemniter cum ipsis canonicis et devotissime peragerent, et post vesperas peractas in refectorio una cum ipsius ecclesiæ canonicis ter biberent, et ad nocturnas vel ad matutinas pleni- C ter postea venirent, et matutinalem synaxim una cum ipsis canonicis solemniter et decenter peragerent. In ipsius quippe solemnitatis die constituit atque sanxit una cum sapientissimis episcopis atque sacerdotibus ut mane prima omnes sacerdotes tam urbani quam et suburbani revestiti infra ipsam matrem et seniorem ecclesiam convenirent, et reliquus clerus una cum eis adveniat, et unusquisque presbyter pro jam dicto Aldrico pontifice missas devotissime decantet tres, et unusquisque clericus pro se psalterium decantet unum, aut simul omnis clerus versa vice unum decantet in choro psalterium; hæc vero officia et missarum solemnia pro Aldrico venerabili episcopo devotissime completa, simul omnes ad legitimum et canonicum D tempus in publicum et solemne introeant officium sicut in natalitiis pontificum facere constitutum est. Post actum quoque publicum atque solemne officium, simul tam ipsi canonici quam et omnes clerici ad prædicta officia peragenda convenientes in refectorium pariter et sufficienter solemniterque reficiant de præbenda quæ eis, ad prædicta officia peragenda et ad ipsam solemnitatem complendam a præfixo Aldrico dare de villa cujus vocabulum est Buxarias decretum est, sicut in testamento de ipsa villa fratribus a jamdicto Aldrico episcopo præfato et in eo scripto atque firmato a multis episcopis constitutum est. Prædicta vero festivitas et antedicta refectio fratrum quæ modo agitur in XII Calendarum Januariarum die, quæ et una die anticipatur propter dedicationem præfixæ matris et

senioris civitatis ecclesiæ, decretum et considera- A tum est a jamdicto Aldrico episcopo et a prædictis sanctis coepiscopis et suis sacerdotibus et canonicis universis ut transferatur in diem depositionis ejusdem, quando cum Dominus de hoc sæculo vocare voluerit; et in ipsa die agatur tam refectio prædicta quam et antedicta solemnitas, tantum enim ut hoc, quod modo pro vino in missis et psalmodiis et cæteris orationibus et cæremoniis agitur, tunc pro defuncto similiter, et prædicto numero adimpleto, id est, unusquisque sacerdos missas tres unusquisque clericus psalterium unum, in die depositionis ejus agatur pro defuncto episcopo, et tunc unusquisque devotius et solemnius agere certet, quia major necessitas est tunc quam nunc; quoniam et amicus in vita qui post mortem ani- B mam illius non diligit, et pro ea orare non certat, atque pro requie ejus orare et certare negligit et dedignatur. Est namque a præfixis sacerdotibus et Dei servis consideratum et decretum ut quisque hæc prætererit, aut cujus negligentia prætermissum fuerit, sive in danda prædicta præbenda, seu in peragendis prædictis officiis, ut ante tribunal districti judicis reddat ex hoc rationem, et ibi sententiam suam accipiat. Videte, fratres et sancti successores antedicti episcopi, ut hoc decretum non negligatis, sed magis adimplere studeatis; qualiter non damnationis pœnam, sed retributionis præmium in æternum percipere valeatis. Amen.

Oremus, fratres, ut Dominus animæ prædicti C pontifis Aldrici tribuat primæ resurrectionis partem, et vitam ei habere concedat in cœlis, ubi et gloria æterna perfrui una cum sanctis Dei æternaliter mereatur, ipso dispensante et tribuente qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per infinita sæculorum sæcula. Amen.

XXII.

Similiter etiam in festivitate dedicationis occidentalis partis matris et senioris civitatis ecclesiæ, in qua altare sancti Joannis contruxit et alia altaria tria, facere censuit: id est ut unusquique presbyter tam urbanus, quam et suburbanus, sive cuncti monasteriales sacerdotes ad ipsam solemnitatem, quæ est XI Calend. Juliarum, mane prima revestiti conveniant, et ibi pro jam dicto pontifice D Aldrico venerabili episcopo missam unam decantent, et si amplius voluerint, in eorum erit potestate et misericordia sine retributione, et unusquisque clericus psalmos quinquaginta, et eo amplius decantet pro anima Aldici jam dicti episcopi, orantes quoque Dominum cœli et deprecantes misericordiam ejus ut anima prædicti Aldrici episcopi vitam æternam habere valeat sive equiem sempiternam una cum sanctis, et electis Dei æternaliter frui mereatur per infinita sæculorum sæcula. Amen.

XXIII.

Constituit enim præfatus Aldricus venerabilis episcopus ut omnes presbyteri, tam urbani quam et suburbani sive monasteriales juxta urbem degentes et omnes sacerdotes infra illam commanentes, ad prædictas sex festivitates decenter et revestiti convenirent, id est XVIII Calend. Septembrium, quando festivitas Assumptionis sanctæ Dei genitricis Mariæ celebratur, et in festivitate consecrationis occidentalis partis matris et senioris civitatis ecclesiæ, quæ est XI Cal. Juliarum, et in festivitate dedicationis ecclesiæ Sancti Salvatoris infra monasterium monachorum quod Aldricus supradictus episcopus supra fluvium Sarthæ a novo fundavit, et in quo monachos habitare et regulariter vivere constituit, et in festivitate sacrationis ecclesiæ Sancti Stephani quam jam dictus Aldricus episcopus intra claustrum canonicorum a novo fundavit, quæ est V Iduum Novembrium, et in festivitate natalitii præfati Aldrici episcopi, quæ est XII Cal. Janariarum propter anticipationem unius festi diei, id est, matris et senioris ecclesiæ consecrationis celebratur, et in festivitate consecrationis matris et senioris civitatis ecclesiæ, quæ est XII Cal. Januariarum. Ad has ergo festivitates consideratum et decretum est ut prædicti sacerdotes revestiti mane prima conveniant, et in jam dictis ecclesiis oblatas et vinum a custodibus ipsarum ecclesiarum accipiant, et supradicta officia pro Aldrico episcopo mane prima ante horam tertiam faciant, orantes humiliter et supplicantes, flexisque poplitibus Domini misericordiam obsecrantes, tam sacerdotes cuncti quam et reliqui clerici omnes, ut absolvat Dominus animam Aldrici prædicti episcopi ab omni vinculo delictorum, quatenus in resurrectionis gloria inter sanctos et electos Dei ressucitari mereatur, et vita sempiterna una cum eis perfruatur per infinita sæcula sæculorum. Amen. Hæc ergo officia pro Aldrico prædicto episcopo devotissime et bono animo peracto, hora tertia in publicum et solemne ipsius diei officium omnes introeant, et officium solemne decenter solemniterque peractum in refectorio una cum prædictæ sanctæ matris ecclesiæ canonicis in prædictis sex diebus et festivitatibus plenam et condecentem refectionem sicut ipsi canonici habeant, gaudentes et lætantes plaudentesque in prædictis festivitatibus persistant, laudantes et benedicentes Dominum qui eis tanta bona tribuere non dedignatus est; orantes quoque et supplicantes Dominum cœli precibus incumbant, ut hanc vitam pacifice et decenter sancteque et pie degere valeant, et postmodum, quando Deus voluerit, vita æterna in cœlestibus sedibus una cum sanctis Dei frui mereantur, quod ipse præstare dignetur, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Hanc quicumque cupit dissolvere, a membris Ecclesiæ dissociatus eat.

XXIV.

Fecit igitur antedictus Aldricus episcopus monasterium in loco ubi dudum monasterium fuerat in honore sanctæ Mariæ constructum, quod et ipse legibus et per instrumenta chartarum a domno imperatore Ludovico ad jus sæpedictæ ecclesiæ acquisivit, sed pene destructum atque dirutum et absque

ulla ratione neglectum. In loco vero supradicto ubi illud prædictum monasterium fuerat, id est inter murum civitatis et fluvium Sarthæ, monasterium prædictus Aldricus episcopus, ut dictum est, fundavit, et a novo prout melius potuit construere studuit. Ecclesiam namque inibi fecit majorem quam ibi destructam invenisset, eamque in honore Domini Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii et Protasii IV Idus Octob. canonice atque solemniter sacravit. Et propterea hoc illi visum fuit agere quia in eorum sanctorum nomine et honore in quibus caput ipsius monasterii, id est mater ecclesia civitatis sacrata erat, ut in ipsorum memoria et honore membrum constructum sacratumve foret, et sicut prædicta mater ecclesia in honore Domini Salvatoris et sanctæ Mariæ sanctorumque martyrum Gervasii et Protasii dedicata erat, ita et ipsa in eodem monasterio ecclesia fuisset, qualiter eorumdem sanctorum memoria ab omnibus, ut decet, inibi futuris veneretur temporibus. Porro claustrum juxta ipsam ecclesiam fecit, id est refectorium, dormitorium, cellarium, et cætera officina quæ ad monasterium pertinent, nobiliter composuit, et ita constituit ut in medio claustro fons vivus et bonus surgeret, et inde per eorum officina aquam eis ministrando discurreret. In ipso quoque monasterio monachas instituit secundum regulam sancti Benedicti degentes, quas per licentiam domni imperatoris Ludovici et domnæ imperatricis Judith ab Intramnis monasterio misit ibidem. Et hoc decrevit atque sanxit pariter cum suo metropolitano et suis comprovincialibus, et aliis multis episcopis, auctoritate prædicti imperatoris Ludovici, ut futuris temporibus semper monachæ regulariter viventes et secundum regulam sancti Benedicti degentes inibi permanerent, et si quis hæc destruere aut infringere nisus (quod absit) fuerit, ante tribunal æterni judicis inde tremebundam redderet rationem. Ipsis quoque sanctis monialibus et monachis villas dedit, ut inde eorum stipendia et vestimenta atque cætera supplementa per singulos annos pleniter haberent, ut absque ullo impedimento aut indigentia regulariter vivere possent, id est villam Macerias in condita Conedralinse cum omni integritate, et aliam in condita Nivoniense cum omni integritate quæ Taumiacus nominatur, et est sita super fluvium Sarthæ, tertiam vero super eumdem fluvium Sarthæ, quæ Monasteriolus vocatur. et quartam in condita Gabronense, quæ Gambronis appellatur. Constituit namque, ut de præfato monasterio et de supradictis villis ministri et monachæ ipsius monasterii canonicis matris et senioris civitatis ecclesiæ degentibus, unam refectionem per singulos annos in solemnitate prædictæ dedicationis ecclesiæ, id est quarto Idus Octob. plenam et bonam facerent, et ipsi canonici ad officium dedicationis ipsius ecclesiæ revestiti veniant, et illud inibi per singulos annos, sicut in libris officiorum continetur, solemniter celebrent, atque pro prædicto Aldrico episcopo A inibi missas et psalmodia devotissime cantent, id est, unusquisque presbyter missam unam aut duas, et unusquisque clericus sive monacha psalmos centum decantent, perorantes Dominum cœli ut vitam æternam habere in cœlestibus mereatur, insuper orantes et devotissime supplicantes ut requiem æternam donet ei Dominus, et lux perpetua luceat ei. Amen.

Supradicta enim refectio canonicorum talis debet esse, id est ut accipiant per singulos annos de pane optimo modios quatuor, et friscingas porcinas optimas quatuor, et de vino optimo modios quatuor, tam in vita ipsius Aldrici quam et post ejus obitum, ita fiat qualiter ambobus congregationibus delectet semper pro eo orare, tam in ipso B die quam et in reliquis diebus, et memoria ipsius nominis ab eis devotissime celebretur, qualiter cum sanctis Dei in cœlestibus lætari et beata requie frui mereatur. Amen.

XXV.

Præfatus ergo Aldricus episcopus ingressus villam sui episcopii, in condita videlicet Conedralinse, monachos regulariter degentes instituit, ubi et monasteriolum, prout tunc temporis ratio dictavit et ipse melius potuit; ecclesiam et claustrum ædificavit, et futuris temporibus habitationes monachis regulariter viventibus præparavit. Et hoc constituit, ut semper ibi monachi essent, et pro domno imperatore et pro eo sive pro universa Ecclesia die noctuque orarent, suasque animas inibi salvarent et aliorum C lucrarent, bonamque vitam perpetualiter regulariter viventes ducerent. Ipsis enim monachis ex rebus suæ sedis ecclesiæ sibique divinitus commissis ad eorum varias necessitates sufficienter fulciendas atque supplendas dare abundanter, prout tunc temporis exposcebat necessitas, non distulit. Unde et scriptum quoddam sua cæterorumque venerabilium auctoritate episcoporum reliquorumque ordinum Deo servientum, necnon et laicorum religiosorumque pariter ac nobilium manibus roboratum futuris temporibus habendum et custodiendum propriis manibus tradidit, ut ex rebus in eo insertis eorum necessitates supplerent et domino suisque successoribus regulariter militarent, atque multos Domino lucrarent, et pro....... Principibus et pontificibus, quibus subjecti esse debe- D bant, atque pro cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus futuris temporibus exorarent, quatenus eorum et aliorum servorum Dei precibus remissionem omnium peccatorum et vitam perpetuam habere mereantur in cœlis. Amen.

XXVI.

Sæpedictus igitur Aldricus, Cenommanicæ matris ecclesiæ episcopus, quoddam monasterium monachorum in condita Duciasinse, in loco qui dicitur Talipiacus, super fluviolum Rhodani construxit prout melius tunc temporis ratio permisit. In ipso enim monasterio Talipiaco, ecclesiam in honore sancti Petri una cum claustro monachorum et molendinis et cæteris officinis quæ ad curam et regulam monachorum pertinent, prout melius potuit prædictus

pontifex construere et ornare nobiliterque et sapienter componere studuit. In præfato enim monasterio Talipiaco monachos de monasterio suo quod Anisola nominatur, in quo sanctus Carilephus corpore requiescit, misit, ut in eo regulariter viverent, et multos ad Dominum attraherent, suasque atque multorum aliorum animas inibi Domino multipliciter lucrarent, et pro domno Ludovico imperatore, seu pro filio ejus Carolo, atque pro præfixo Aldrico episcopo, sive pro omnibus sibi missis et universis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, die noctuque fideliter exorantes rogarent ut nobis omnibus suam semper tribuat facere voluntatem vitamque concedat degere felicem, et insuper requiem tribuat sempiternam. Amen. In memorato ergo monasterio Talipiaco præpositum suum nomine Jacob archipresbyterum abbatem constituit, qui monachorum curam ibi gereret, eosque monachos juxta regulam sancti Benedicti regulariter regeret, suamque atque aliorum animas inibi salvaret, atque ad supernam patriam, id est cœleste regnum Domino adjuvante deduceret, ut cœlestibus in sedibus una cum sanctis et electis Dei perpetualiter vivere cum eis regnare et gloriari, præstante Domino nostro Jesu Christo, mereantur. Amen. Has ergo villulas et res jam dictus Aldricus episcopus præfixo monasteriolo et monachis inibi Domino de gentibus per suum privilegium confirmavit una cum licentia domini Ludovici piissimi imperatoris, et una cum consensu Ursmari sui metropolitani et cæterorum suorum comprovincialium sanctorum episcoporum, assensum etiam præbente universo ordine et clero sibi commisso, sive cuncto cœtu Cenomanicæ in parochia militantium sacerdotum ac levitarum atqui reliquorum sacrorum ordinum ministrorum.

XXVII.

Commemoratus namque Aldricus, Cenomanicæ matris ecclesiæ episcopus, divino honore fervens pariter et amore monasterium Sancti Vincentii juxta Cenomanicam urbem situm quasi a novo reædificavit et renovare studuit, ipsamque ecclesiam Sancti Vincentii teguminibus et aliis ædificiis ornare interius exteriusque non distulit, et juxta eum in aquilonari parte claustrum monachorum una cum aliis ædificiis quæ ad curam et regulam eorum pertinere videntur, prout melius potuit, construere et ornare nobiliterque et sapienter atque decenter componere studuit. In præfato quippe monasterio præfixi Sancti Vincentii, quod pene dirutum et quasi annullatum invenit, jam magna ex parte reædificato, posuit monachos, ut regulariter in eo viverent, et multos ad Domini Salvatoris servitium et ad decorem sanctæ Dei Ecclesiæ attraherent, et ad lucrum animarum et corporum sive ad salvationem et exaltationem Christiani populi multos acquirerent, suasque atque aliorum innumerabilium animas multipliciter inibi sancte et juste ac pie et regulariter viventes Domino lucrarent, et pro domno Ludovico imperatore sive pro ejus conjuge Judith imperatrice atque pro nobilissima prole eorum Carolo glorioso rege, quorum licentia et auxilio fultus hæc agere cœpit, et pro omnibus sibi commissis gregibus et populis fideliter et incessabiliter die noctuque implorarent, seu pro omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ filiis incessanter orarent ut Dominus Salvator noster, qui nos proprio sanguine redemit, die noctuque in suo servitio et ad suam peragendam voluntatem ubique custodiat, semperque felicem vitam ducere concedat, et ad societatem sanctorum intercedentibus servorum et sanctorum Dei meritis perducere dignetur.

XXVIII.

Commemoratio de mansionibus et novalibus quæ præfatus Aldricus Cenomanicæ urbis episcopus ad utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ suorumque servorum et sustentationem pauperum sive indigentium atque supplementum sibi famulantium, et ad alenda sive nutrienda pecora, construere et exstirpare studuit.

Juxta monasterium sancti Salvatoris unam sibi ad inhabitandum fecit mansionem, et in monte Sedoneris octo fecit mansionilia, et in rebus de villa Vodebistria de Caterniaco tria, in Ruiniaco tria, super fluviolum Miliciæ tria, inter Agniacum et silva Briscia tria, in Drumniaco duo, in Mantula de ratione sanctæ Mariæ duo, in Mantula Sancti Albini et fratrum unum, in Novavilla duo, in Rino petroso unum, in Colonica secus urbem, in loco qui dicitur Vivariis, unum, in Puscit duo, in illa rua ultra fluvium Sarthæ duo, in illa rua Sancti Vincentii unum, in Laudemauro unum, in Bellasilva tria, in silva Laudensinde duo, in villa Tricionis quinque, super fluvium Liti juxta Culturas duo, in monte ipsius villæ, ubi vinea antiqua fuit, unum, in silva Vaustina septem, in Monciaco tria, in Canon duo, in Noiolio unum, hoc est, in Vaustina, in Vindoninse pago unum, in villa Cipetra super fluvium Sarthæ unum, in Parciaco unum, in Casiliaco duo, in Aciaco unum, in Rupiaco tria, in Asinariis villa fratrum duo, in Colonica duo, in vetus vicum unum, in Celsiaco duo, in Stauriaco in pago Bajocassimo duo, in silva Blanau in pago Oxominse duo, in Spelteriis villa fratrum duo, in Calonica duo, in vetus vicum unum, in Durno unum, in Canania tria, et in Culcanna sive ad Sanctum Julianum duo, juxta monasterium sancti Carilephi super illud magnum vivarium unum, ad monasterium aliud, ad Belmont tertium juxta Maceriolas quatuor, juxta illam silvam quam Godefredus fecit quinque in Panitiariis sex et septem in campo Cabalorum octo et novem, in Mont Camp decem, in Bovonis villare unum, in villam novam duo, in Varinnas duo, ad Ruciacum unum, in luco Aldrici unum, in Cipetum super fluvium Lizi in Belsa unum, in Pertica ad illam cellam unum, in Runviciacum unum, in Stiviale unum, ad mansiones juxta furcam Burgast unum, in Fraxinido in Belsa in Vuodebris unum, juxta Vuodebris in loco qui dicitur ad sanctum Paternum unum, in Flaciaco unum, in Rufiaco super Sartham unum, ad Curtunvelt unum, in Brimo unum, in villa Maurane unum, in Breniaco in

Bruslondinse unum, in Brinnaico in Exominse quatuor, ad Cervias unum, ad Curt Cardrici unum, ad Piscosam unum, ad Gaure unum, in Sarcinaco super fluvium Meduanam unum, in Cambion unum, in Bolsingas unum, in Autlinga Saxoniæ unum, in Alona unum, juxta campum Sigelaici unum, in Brisciola unum, in Molindareslingres unum, in Montmercantin unum, in finibus Culturensibus juxta Truecto sursum in illo monte e contra Montcue unum, in silva Carnida quinque, in Novavilla in Audecavo unum, in campo Seutdom una cum sua ecclesia unum, in cultura quæ monasteriolus vocatur unum, in illo monte ad Archas unum, juxta Sabonarias unum, juxta Proliacum latronum unum, in Contiliaco unum, in Contidla unum, ad villam Hulduminum, ad Fraxino in finibus Balian unum.

Sunt in summa centum quinquaginta duo mansionilia a novo fundata et reædificata non minima.

XXIX.

Placuit quoque in hoc opusculo inserere exemplaria privilegiorum præfati episcopi, et præceptorum ab imperatoribus et regibus supra ipsa privilegia firmitatis studio a prescripto domno Aldrico episcopo impetrata, ne aliqua machinatione præfata privilegia quassarentur, imperatorum et regnum auctoritatibus confirmata, quæ suis monachis et canonicis de quibusdam rebus et vittulis fecit, ut eorum stipendia pleniter haberent, et absque indigentia Domino servirent, et mater ecclesia suum privilegium pleniter retineret, sicut in subsequentibus hæc scire et investigare volentibus inveniri poterit.

Exemplar privilegii quod fecit memoratus pontifex fratribus suis de quinque festivitatibus anni et de villa Buxariis.

In nomine sancti Salvatoris et veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii et Protasii, quorum ecclesiæ titularius, licet indigne, esse videor, ego Aldricus, Cenomanicæ urbis indignus et peccator episcopus, primo anno ordinationis meæ, oppido mœstus de conversatione fratrum et canonicorum nostrorum, quadam nocte in oratione positus, ut credo divinitus inspiratus, cœpi cogitare ut rationabilius et canonice viverent, atque quod multo seu, ut fertur, nullo transacto tempore habuere claustrum haberent, in quo canonice et regulariter conversarentur et religiose ac canonicaliter Domino devote famulantes præsentibus scilicet atque futuris temporibus inhabitarent. Memorato ergo in tempore per consensum Landramni venerabilis nostri archiepiscopi, seu et per exorationem comprovincialium nostrorum omnium episcoporum, dedi prædictis canonicis nostris domum in dextera et australi parte constructam nostræ sedis et matris ecclesiæ, quæ est consecrata in honore sancti Salvatoris et in nomine ac veneratione prædictorum sanctorum, id est, sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorum martyrum Gervasii et Protasii sive sancti Stephani, simulque in veneratione et nomine omnium sanctorum; qua etiam in domo ego et antecessores mei dudum inhabitare solebamus. Prædictam ergo domum nostram atque præfatum locum, cum omnibus ædificiis superpositis et ædificatis, dedi canonicis nostris secundum ordinem canonicum ad inhabitandum. Ipsum quoque locum demum in modum claustri juxta virium mearum imbecillitatem restaurare curavi, et ibidem secundum canonicam institutionem ac sanctorum patrum ordinem canonicaliter Deo et prædictæ ecclesiæ servientes pariter institui degere vitam et ad canonicas pari modo cunctos devotissime concurrere horas, ac tempore refectionis, ut sanctus canonialis ordo docet, ad eorum refectionem nostri operis studio noviter ædificatum ad reficiendum occurrant, et omnia quæ ad corporis sustentationem pertinent, secundum ordinem canonicum pleniter percipiant. Hæc ergo ita peracta, accessi humiliter ad clementiam domni senioris nostri Ludovici piissimi imperatoris, petens ab eo ut pro sua largissima eleemosyna aliquid de rebus nostræ sedis ac matris ecclesiæ quas vassi dominici per ejus beneficium tenebant mihi reddidisset. Quam petitionem, Domino annuente, non renuit, sed sicut deprecatus sum adimplevit, et per præceptum suum, suo quippe annulo sigillatum, confirmavit. Hæc autem taliter peracta et a sua clementia impetrata, petii ut mihi licentiam daret ut aliquid de ipsis rebus ad necessaria fratrum et canonicorum nostrorum quas mihi reddidi tribuerem. Quod ita et fecit. Tunc ergo gratulanti animo in eleemosyna et memoria jam dicti domni mei Ludovici piissimi Augusti, dedi sana mente et prompto animo præfixis fratribus et canonicis nostris, una cum consensu præfati domni Landramni Turonensis ecclesiæ archiepiscopi et aliorum omnium scilicet comprovincialium coepiscoporum nostrorum, ad supplementum memoratorum fratrum nostrorum atque canonicorum nostrorum, in pago Cenomanico infra quintam præfixæ civitatis villam unam nomine Buxarias cum omnibus ad se pertinentibus, et silvam aliquam quæ Follicionis vocatur cum omni integritate, atque futuris temporibus ad eorum supplementum augendum per hoc testamentum confirmavi. Ita sane hoc feci ut per singulos annos habeant memorati fratres de præfata villa in festivitate dedicationis occidentalis partis matris et senioris ecclesiæ, quæ undecimo Cal. Juliarum die, in qua etiam parte occidentali est in suprascripto die sacratum altare in honore sancti Joannis, et alia duo in honore aliorum sanctorum quorum nomina super ipsa altaria sunt conscripta et quartum altare desuper in solario constructum in honore omnium sanctorum dignoscitur in jam dicto die a nobis esse sacratum. In memorato itaque undecimo Cal. Juliarum die, in veneratione jam dictæ dedicationis et solemnitatis, de prædicta villa Buxarias statuentes per hoc testamentum censemus, et censentes consultu et exhortatione multorum episcoporum ac sacerdotum devotissime statuimus ut accipiant suprascripti canonici et fratres nostri

de frumento optimo modios sex et de vino optimo modios quatuor, et insuper potione quæ vulgo alixona dicitur modium unum, et arietes optimos quatuor, et porcos optimos duos. Et in dedicatione ecclesiæ Sancti Stephani, quæ est infra claustrum constructa, cujus festivitas dedicationis est quinto Idus Novembris, similiter habeant fratres de frumento optimo modios sex, et de vino optimo modios quatuor, et insuper de potione quæ dicitur silvia modium unum, et friscingas porcinas perbonas duas, et arietes quatuor. In anniversario etiam ordinationis nostræ, quæ colebatur duodecimo Cal. Januarias, quæ tamen anticipatur una die propter dedicationem matris et senioris nostræ sedis ecclesiæ, quæ est undecimo Cal. Januarias, habeant prædicti fratres ad eorum refectionem de frumento optimo modios sex, et de vino optimos modios quatuor, et insuper potionem de finiculo modium unum, et ad pisces emendos de argento solidos quinque, de caseo autem modium unum, et de legumine optimo similiter modium unum. In dedicatione vero absidæ matris et senioris nostræ urbis ecclesiæ et reconciliatione ipsius ecclesiæ quam noviter ædificavi atque reædificare studui, quam et in honore sancti Salvatoris et in nomine sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii et Protasii, simulque in honore et veneratione omnium sanctorum undecimo Cal. Januariarum die, cum aliis episcopis et sacerdotibus multis solemniter dedicavi, et multorum sanctorum reliquias in ea propriis manibus collocavi, sive de corpore proprio sanctorum martyrum Gervasii et Protasii in confessione senioris altaris reliquias dedicando, decenter composui. In ipsa ergo festivitate habeant jam dicti fratres de frumento optimo modios sex, de vino autem optimo modios quatuor, insuper et de costo optimo modium unum, et ad pisces emendos solidos quinque, de caseo vero modium unum, et de legumine similiter modium unum. Hæc autem omnia de præfata villa Buxarias memoratis fratribus, veluti præfixum est, devotissime ministrentur. Ea scilicet ratione hæc illis dare censuimus ut prædictas quinque festivitates sæpedicti fratres solemniter et devotissime celebrent adjunctos sibi monasteriales omnes, sive suburbanos sacerdotes et reliquos clericos, qui in supradictas festivitatum vigilias devotissime veniant, et tunc mane prima revestiti in ecclesia cujus festivitas celebratur devotissime adesse procurent, ministrante autem eis custode ipsius ecclesiæ oblatas et vinum sufficienter inibi per singula altaria pro me peccatore, dum advixero, unusquisque sacerdos missam decantet unam et amplius, si libuerit et charitas ministraverit, et unusquisque clericus psalmos quinquaginta et amplius, quantum dilectio et amor Dei instigaverit. Ipsos autem psalmos tam ipsi canonici quam et suburbani vel monasteriales clerici alterius chori in præfata ecclesia vicissim decantare studeant. Post obitum vero meum, quando Deus voluerit, in prædictis festivitatibus futuris temporibus similiter pro defuncto faciant tam in missis quam et psalmodiis humiliter precamur. Hæc ergo omnia diligenter peracta, hora tertia in publicum introeant officium, ipsius diei festivam peragentes solemnitatem. Peracto autem solemniter prædictæ festivitatis officio, tunc in refectorio una cum prædictis monasterialibus et suburbanis sacerdotibus ac clericis religiose lectionem continuo audientes et intendentes religiosissime cum silentio reficiant. Hoc ergo summopere supplieiter obsecro sanctos successores meos et præpositos ac magistros seu ministros canonicorum prædictorum, sive ipsos canonicso præsentes scilicet et futuros, ut prædictos suburbanos seu monasteriales sacerdotes et clericos qui ad prædictam festivitatem venerint, et suprascriptas orationes pro me miserrimo peccatore fecerint, a memorata refectione et ab eorum refectorio a se non excludant; sed si aliqua necessitate factum fuerit, tunc statuentes imploramus ut unus canonicorum bene fidelis de prædictis stipendiis quæ de memorata villa Buxarias tribuuntur, accipiat unum modium panis et alterum vini, insuper et de jam dicta potione sextaria quatuor, et unam friscingam qualem meliorem invenerit, et ex his, illis præparet infra præfixum claustrum in optimo loco devote et religiose et refectionem plenam; sed magis opto et supplex deprecor ut cum sæpedictis canonicis nostris in refectorio cum illis religiosissime reficiant, solemniter quoque prædictas dies ducentes, et de tantis festivitatibus lætantes, Deumque in omnibus laudantes ac deprecantes ut tranquillam hanc degere valeant vitam, et præmia æternæ vitæ percipere mereantur. Insuper de prædictis stipendiis deprecans sanctos successores meos atque ministros præfatæ matris ecclesiæ contestor, atque contestans humiliter deprecor, ut unum modium de præfixo pane per singulas jam dictas festivitates et alium de prædicto vino, et de præfatis friscingis unam quadringinta pauperibus in singulis memoratis festivitatibus tribuant, et in optimo loco ex his eis refectionem præparent; qui inde refectionem habentes Dominum Salvatorem mundi collaudent, et pro me miserrimo peccatore vivo atque defuncto orare studeant, qualiter cum sanctis et electis Dei æternaliter lætari valeam, et vita frui perpetua merear. Amen. Quidquid autem in jam dicta villa amplius elaboratum et acquisitum quam superius in prædictis festivitatibus ministrandum insertum est de qualicunque justo ingenio vel arte, hoc ipsum veniat ad communem utilitatem prædictorum fratrum, et ad eorum refectionum augmentum proficiat, et nihil eis de sumptibus præfatæ villæ a quoquam substractum vel minoratum fiat, ut magis ac magis Domini omnipotentis servitium adimplere valeant, et pro perpetuitate imperii et domni et senioris nostri Ludovici præscripti piissimique imperatoris et sospitate conjugis et prolis ejus atque invictissima sui exercitus victoria exorare humiliter delectetur, et quasi ad vestigia pedum eorum provolutus deprecor universos in hac sede succedentes ut hanc firmitatem quam

pro amore Domini Salvatoris et veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii et Protasii, atque omnium in veneratione sanctorum, et eleemosyna sæpedicti domni Ludovici imperatoris, ac per ejus licentiam pro pondere peccaminum meorum fieri decertavit, in perpetuum conservent esse mansuram. Quam devotionem si quispiam violare præsumpserit, ante tribunal Christi, pro cujus amore hoc factum esse dignoscitur, tremebundam in judicium deducat rationem. Ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus et peccator episcopus hoc testamentum a me factum subscripsi. Ursmarus indignus Turonicæ urbis archiepiscopus huic testamento annuens subscripsi. Dodo humilis Andecavensium antistes huic testamenti decreto assensum præbui et subscripsi. Jonas indignus episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Autcarius Magontiæ urbis archiepiscopus subscripsi. Ebroinus indignus episcopus huic testamento annuens subscripsi. Guntardus indignus episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Erchinradus Parisiacæ urbis episcopus hoc testamentum, deprecante Aldrico episcopo, subscripsi. Vyarnarius indignus episcopus huic testamento subscripsi. Ego Echardus episcopus hoc testamentum, deprecante Aldrico episcopo, subscripsi. Theodoricus Cameracensis urbis episcopus hoc testamentum subscripsi. David chorepiscopus subscrisi. Ansteus decanus subscripsi. Godenus archipresbyter subscripsi. Ricardus presbyter subscripsi. Dedivinus archipresbyter subscripsi. Eruardus, licet indignus, presbyter subscripsi. Geraldus subcripsi. Gansuinus presbyter subscripsi Ascaricus presbyter subscripsi. Alexander presbyter subscripsi. Gerihanus presbyter subscripsi. Vineboldus presbyter subscripsi. Flodoinus presbyter subscripsi. Flodebertus presbyter subscripsi. Anisacharus diaconus subscripsi. Rodricus diaconus subscripsi. Regnogardus modicus subscripsi. Vivaldus subdiaconus subscripsi. Data Kalend. April. in die sancto Paschæ, anno incarnationis Dominicæ octingentesimo trigesimo et septimo, indictione vero quindecima, anno quoque vigesimo et tertio imperii domni nostri Ludovici gloriosissimi imperatoris, et anno ordinationis nostræ quinto. Actum ergo Cenomanica in urbe publica in Dei nomine feliciter. Amen.

XXX.

Exemplar præcepti domni Ludovici imperatoris super præscripto privilegio de villa Buxarias.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ego Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris fidelibus præsentibus et futuris notum sit quia vir venerabilis Aldricus, Cenomanicæ urbis episcopus nostræ, suggessit mansuetudini eo quod primordiis ordinationis suæ confusum canonicorum matris ecclesiæ sibi commissorum ordinem statumque invenerit, et claustrum qui canonice vivere debent eatenus nullum habuerant, sed ipse divini cultus amore fervens, ex domibus quas episcopi antecessores sui propriis usibus habere solerent, memoratum canonicorum habitaculis ac variis usibus attribuerit, illicque constructis et secundum opportunitatem cujusque usibus ædificatis ac decoratis, eos secundum auctoritatem canonicam fecerit habitare. Retulit etiam serenitati nostræ eo quod jam dictæ matris ecclesiæ quibusdam additis oratoriis aliisque forinsecus ecclesiis, solemniter religioseque eorum devotionem adimplere curaverit, easdem dedicationum festivitates propriis temporibus solemniter memorati canonici, convenientibus tam sacerdotibus quam religiosis laicis reliquoque populo solemniter celebrare valerent, eisdem canonicis quamdam ejusdem villam Bruxarias vocabulo per testamenti conscriptionem propria cæterorumque episcoporum venerabilium manibus roboratam proprie delegaverit, quatenus in sæpedictis dedicationum festivitatibus, præfixis etiam quibusdam conditionibus dignam ac necessariam refectionem habere valerent. Quæ sua institutio ut perennibus temporibus inviolabilis persistere possit nostræ, supplicavit celsitudini ut super idem devotissime religiose institutam nostram firmatis gratia auctoritatem percipere mereretur, per quam futuris temporibus inconvulse atque inviolabiliter permaneret. Cujus supplicationibus annuentes, per hoc nostræ auctoritatis scriptum statuentes, decernimus ut quod studio divini honoris et cultus religiose patrasse atque instituisse dignoscitur, et jam dicta inscriptionis suæ serie conscribi ac roborare non distulit cunctis temporibus maneat inconvulsum, nec quispiam successorum suorum de conditionibus in ea comprehensis quidquam audeat immutare aut memoratam villam a jure eorumdem canonicorum abstrahere ; sed quidquid de ea secundum institutionem ejus. ut dictum est, ordinare atque disponere voluerint sæpedicti canonici, liberam in omnibus habeant potestatem ; quatenus pro nobis, conjuge, proleque nostra, ac stabilitate totius imperii a Deo nobis concessi Domini misericordiam jugiter valeant exorare. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas nostris successorumque nostrorum temporibus inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Datum quatuordecimo Calendas Jul. anno, Christo propitio, vigesimo et tertio imperii domni nostri Ludovici piissimi Augusti, Indictione quindecima.

Actum Theodonis villa, palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXI.

Sequitur exemplar privilegii quod fecit prænominatus Aldricus, episcopus ecclesiæ Sancti Salvatoris, super fluvium Sarthæ, et monachis ibi Domino famulantibus.

In nomine sanctæ Trinitatis et unicæ Divinitatis. Ego Aldricus, Cenomanicæ urbis indignus et peccator episcopus, illustratione divinæ pietatis provoca-

tus, una cum consensu et licentia domini Ludovici piissimi imperatoris, seu omnium sanctorum comprovincialium episcoporum atque aliarum multarum provinciarum nobilium ac sapientium pontificum, sive cum omni nostræ curæ commissæ Deo devotæ congregationi matrique et nostræ sedis ecclesiæ famulanti, pertractans ego casum fragilitatis humanæ, pavescensque ultimum vocationis diem, ne multa mole peccaminum oneratus, sine fructu aliquo, quod absit, boni operis repertus inveniar, confortatusque alloquio prædicatoris præcipui, Pauli scilicet apostoli, ubi ait : *Si cujus opus manserit, mercedem accipiat* ; idcirco, ut dictum est, cum consensu et licentia suprascripti principis atque prædictorum sanctorum præsulum sive præfixorum servorum Dei promptissimo animo, divina inspirante clementia, nostræ devotionis decrevit compunctio, ut ad augendum cultum divinum sive matris et nostræ sedis ecclesiæ atque parochiæ nobis commissæ, ac cumulandum honorem atque lucrum multarum animarum, ut monasteriolum aliquod in nostra parochia nostro labore ad perpetuam omnipotentis Dei laudem fundare et construere deberemus, quod ita annuente Domino et facere studuimus, in quo et ecclesiam, prout valuimus, ad invocandum perpetualiter nomen Dei æterni in honore Domini Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ sive sanctorum martyrum Gervasii et Protasii atque sancti Stephani, necnon et in honore et memoria simul omnium sanctorum construere et solemniter sexdecimo Cal. Octob. die cum aliis episcopis et sacerdotibus sive reliquis sanctæ Dei ecclesiæ ministris decenter et rationabiliter canoniceque atque insigniter, Domino auxiliante, curavimus consecrare, in qua et quindecim altaria erigere et in honoribus et memoriis eorum sanctorum quorum nomina super ea inserta esse præsentis temporis momento videntur, eorumque atque aliorum multorum sanctorum patrocinia et reliquias meis propriis manibus collocavi, solemniterque ea et decenter adjunctis nobis præfatis sanctissimis sociis ordinabiliter sanctificantes consecrare, Domino miserante, meruimus, quorum intercessionibus nos adjuvari misericorditer confidimus eorumque perpetuis tueri præsidiis, largiente Domino, humiliter petimus. In memorato itaque Calendarum die et in dedicatione præfatæ ecclesiæ cum licentia et exhortatione jam dicti principis sive præscriptorum sanctorum patrum, videlicet episcoporum ac nobilium et sancte viventium sacerdotum, per librum quatuor Evangeliorum nobiliter ornatum et auro ex parte conscriptum, seu per calicem aureum unum cum patena sua desuper episcopis et sacerdotibus manus eorum imponentibus, multis scilicet nobilibus coram astantibus et videntibus, tradidimus simulque delegavimus una cum jam dicto Evangelio et memorato aureo calice de nostræ sanctæ sedis ecclesiæ rebus ad supradictum sanctum locum, qui vocatur monasterium Sancti Salvatoris, olim vero Brogilus a priscis vocabatur ; et ad opus monachorum inibi regulariter viventium et Domino famulantium donatumque in perpetuum ibidem ob mercedem et stabilitatem prædicti domni nostri Ludovici piissimi imperatoris, cujus largitione et præfatum locum acquirere meruimus, sive futurorum dominorum, regum videlicet Francorum, seu et nimis pro pondere peccatorum nostrorum donamus et per hoc testamentum confirmamus confirmatumque futuris temporibus esse volumus, tam opportunitatem quam et pro stipendio fratrum ibidem Domino servientium, necnon et consolationem peregrinorum, atque hospitum advenientium receptionem. Primo vero omnium delegavimus ibidem villam Salvarias cum manentibus triginta et illas culturas duas juxta illud monasteriolum sitas, seu illam silvam quæ intra fluvium Sarthæ et inter prædictas culturas et præfatum monasteriolum consistit, atque illam vineam dominicam quæ inter Salvarias et jam dictum monasteriolum conjacet, et illa molina duo juxta illud monasteriolum supra fluvium Sarthæ sita, necnon et illud pratum ex alia parte præfati monasterioli situm una cum silva, sicut termini prædictorum monachorum dividunt. Delegavimus etiam ibidem villam nostræ sedis ecclesiæ Apiacum cum omni integritate, in qua sanctus Ulfacius, pretiosus Christi confessor, corpore requiescit ; simulque tradidimus ibi medietatem de villa Canon ; parique modo confirmamus ibidem villam Luciacum cum omni integritate ; simulque inibi dedimus et medietatem de villa quæ Beruas vocatur de ratione Sanctæ Mariæ, quam redditione domni nostri Ludovici excellentissimi imperatoris acquisivimus ; et illam precariam quam Friderardus per precariam de rebus Sanctæ Mariæ et Sancti Gervasii tenet, tradimus totam similiterque donamus, et in villa quæ vocatur villa Sancti Autleni manentes tres cum vineis tribus et campis aliis, et quantum pars Sanctæ Mariæ ibi habetur. Videlicet et illas res quas Saleardus in die dedicationis ipsius ecclesiæ eidem sancto loco et nobis sive ipsis monachis legaliter tradidit inibi, per hoc testamentum confirmamus. Hæc autem omnia in pago Cenomanico sunt sita. Supradictas igitur villas omnes et res cunctas superius nominatas et ad prædictas villas jure pertinentes, una cum cæteris domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, mobilibus et immobilibus, omnia et ex omnibus ad præfatum sanctum locum pro lucranda sancta mercede et augmento nostræ sanctæ sedis ecclesiæ atque nostræ congregationis ornatu donamus, tradimus, simulque delegavimus, et omnia quæ eidem sacrosancto loco et fratribus et monachis inibi Domino famulantibus et regulariter viventibus divina pietas deinceps augeri voluerit et a bonis hominibus ibidem condonatum atque traditum fuerit, ita ut ab hac die ibidem perpetualiter, Domino auxiliante, in augmentis proficiant. Unde constitui ob hoc piæ devotionis

amore veniente jam dictæ Sancti Salvatoris ecclesiæ consecrationis festivitate, omni anno fatribus matri et nostræ sedis ecclesiæ famulantibus consolationem ministrandam ab abbate et monachis in præfato monasterio Domino famulantibus, id est, de pane optimo modios sex, et friscingas porcinas tres, berbicinas vero similiter tres, et de vino optimo modios quatuor, et de potione optima quinque. Ea vero ratione hæc illis dare censuimus ut supradictæ matris ecclesiæ jam præfati canonici pleniter ad memoratam dedicationis ecclesiæ cum silentio et cæteris divinis ornamentis veniant festivitatem cum cæteris suburbanis sacerdotibus et reliquis clericis, et tunc mane prima inibi pro me peccatore, dum advixero, unusquisque sacerdos cantet unam missam et amplius, si libuerit et charitas ministraverit, et unusquisque clericus psalmos quinquaginta et amplius, quantum dilectio et amor Dei instigaverit. Post obitum vero meum, in prædicta die similiter pro defuncto faciant. Hæc ergo omnia diligenter peracta, hora tertia in publicum introeant officium et una cum monachis ibidem Domino famulantibus solemniter ipsius diei festivam peragant solemnitatem; et tunc utrum elegerint faciant, aut inibi cum ipsis monachis pariter reficiant, aut si ibi non refecerint, tunc accepta stipendia in refectorio infra domum et claustrum canonicorum una cum prædictis suburbanis, clericis, et sacerdotibus reficiant. Hoc sane humiliter obsecro sanctos successores meos atque abbates vel monachos præfati monasterii, et præpositos ac magistros seu ministros canonicorum nostrorum, sive ipsos canonicos præsentes scilicet atque futuros, et prædictos suburbanos, seu monasteriales sacerdotes et clericos, qui ad prædictam festivitatem venerint, et suprascriptas orationes pro me miserrimo peccatore fecerint, a memorata refectione vel ab eorum refectorio a se non excludant; sed si aliqua necessitate factum fuerit, tunc statuentes imploramus ut unus canonicorum bene fidelis de prædictis stipendiis quæ jam dicti monachi tribuerint, accipiat unum modium panis et alternum vini, insuper ex potione sextaria quatuor, et unam friscingam qualem meliorem invenerit, et ex his illis præparet devote et religiose refectionem. Sed magis opto et suplex deprecor ut cum sæpedictis canonicis nostris in refectorio cum illis religiossime reficiant, solemniter quoque illum diem ducentes, et de tanta festivitate lætantes, Dominumque in omnibus laudantes ac deprecantes ut tranquillam vitam hanc degere valeant et præmia æternæ vitæ percipere mereantur. Insuper de prædictis stipendiis deprecans sanctos successores meos contestor et contestans humiliter deprecor atque ministros ejusdem Ecclesiæ ut unum modium de præfixo pane et alterum de jam dicto vino et de præfatis friscingis unam quadraginta pauperibus in memorata festivitate tribuant, qui inde refectionem habentes Dominum Salvatorem mundi collaudent et pro me miserrimo peccatore orare studeant, qualiter cum sanctis et electis Dei

A lætari æternaliter mereamur. Amen. Porro quod multas episcopales sedes et matres Ecclesias diversa monasteria sub se habere videmus constructa, quæso ne quidam superflue hoc me fecisse asserant, præsertim cum magis pro honore Ecclesiæ nobis commissæ, et pro lucro animarum quam pro facinore humano, hoc me fecisse profiteor. Nec mirum si præfatum locum de rebus nostræ sedis Ecclesiæ ditaverim, cum multos sanctos episcopos jam talia fecisse et legimus et cognovimus. Idcirco precor cunctos fideles sanctæ Dei Ecclesiæ ut non hoc me superflue fecisse putent, sed magis pro me peccatore orare non dedignentur; ut si quam pro hoc mercedem adipisci meruero, ejusdem fieri mereantur participes.

B Denique humiliter precor Dominum nostrum Jesum Christum, beatum successorem meum mox futurum et post eum in sede nobis commissa succedentes cunctos episcopos, atque quasi ad pedes eorum provolutus suppliciter flagito, omnesque principes ac nobiles et ignobiles, cunctosque Christianos obsecro, ut parvula a nobis facta ad divinam omnipotentis Dei laudem et incrementum prædicti monasterioli Sancti Salvatoris conservent, et in eorum eleemosyna sive ob prædicti Domini Salvatoris amorem, in cujus honore jam dictum monasteriolum ædificatum et dedicatum esse dignoscitur, augere inibi plura dignentur, et de eis quæ fecimus atque delegavimus inibi imminuere aut subtrahere non præsumant; quatenus et bona illorum facta in

C præsenti et in futuro, sicuti et nostra fecerint, Deo auspice, conserventur; quatenus si aliquam mercedem pro pio præfixo facto, Domino annuente, habere meruerimus, ipsius mercedis, auxiliante ipso Domino Salvatore nostro, pro cujus et amore hoc fecimus, effici mereamur consortes. Precor etiam cunctos sacerdotes ac Dei servos sive monachos omnes ut prædictas orationes in præfata die pro me peccatore pie et studiosissime adimplere procurent, qualiter absolutionem omnium peccatorum meorum eorum precibus adipisci valeam, et sanctorum consortio perpetualiter Domino largiente frui merеamur. Similiter precor obnixe abbates et monachos cunctos in præfato sancti Salvatoris monasterio degentes, prædicta stipendia canonicis et fratribus nostris, sive suburbanis

D sacerdotibus et clericis ministrare in jam dicta die non negligant; quatenus ipsis ministrantibus nobisque humiliter famulantibus et cæteris fratribus et Dei servis orantibus, per suffragia omnium sanctorum nos et illos Jesus Christus Dominus noster in æterna lætitia una cum sanctis suis fovere dignetur. Amen. Porro ut hoc testamentum sive privilegium a me pia voluntate factum, per rationem supradictam, omni tempore maneat illibatum atque firmissimum, manu propria illud pro firmitatis studio roboravimus, sive sanctos patres nostros episcopos, atque fratres nostros sacerdotes et levitas seu reliquos clericos cæterasque personas quorum nomina subter habentur, inserta firmare humiliter postulavimus.

Ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus peccator episcopus hoc testamentum a me factum subscripsi. Ursmarus indignus Turonicæ urbis archiepiscopus huic testamento annuens subscripsi. Dodo humilis Andecavensium antistes huic testamento decreto assensum præbens subscripsi. Warnarius indignus episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ebroinus indignus episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Autcarius Magontiæ urbis archiepiscopus hoc testamentum, deprecante illo Aldrico prædictæ urbis episcopo, subscripsi. Guntardus indignus episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Erchinradus episcopus hoc testamentum, deprecante Aldrico episcopo, subscripsi. Ego Hechardus episcopus hoc testamentum, deprecante Aldrico episcopo, subscripsi. Ego Theodoricus Cameracensis urbis episcopus hoc testamentum subscripsi. David chorepiscopus subscripsi. Austeus decanus subscripsi. Deduins archipresbyter subscripsi. Erauldus presbyter indignus subscripsi. Ricaudus presbyter subscripsi. Godenus archipresbyter subscripsi. Geraldus presbyter subscripsi. Flodouinus, licet indignus, presbyter subscripsi. Gantzuinus presbyter subscripsi. Ascaricus presbyter subscripsi. Flodebertus presbyter subscripsi. Alexander presbyter subscripsi. Ansbaldus presbyter subscripsi. Gerbaus presbyter subscripsi. Anisacar diaconus subscripsi. Rodricus diaconus subcripsi. Vinaldus diaconus subscripsi. Reginbardus modicus subcripsi. Leodaldus diaconus suscripsi. Data Calend. Aprilis in die sancto Paschæ anno incarnationis Dominicæ 837, Indictione vero xv, anno quoque XXIII imperii domini nostri Ludovici gloriosissimi imperatoris, et anno ordinationis nostræ quinto. Actum ergo Cenomanica in urbe publice in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXII.

Sequitur exemplar præcepti Domini Ludovici imperatoris, super memorandum privilegium Sancti Salvatoris et monachorum quod eis jam dictus Aldricus episcopus pio affectu fecit.

(Vide ubi supra, col. 1271).

XXXIII.

Sequitur descriptio de eleemosyna præfati Aldrici, præfixæ Cenomanicæ urbi episcopi, qualiter sibi credita singillatim disposuit et discrete Christi famulis ejusque famulabus per hoc scriptum dare constituit.

In nomine sancti Salvatoris et veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Gervasii et Protasii atque sancti Stephani, quorum ecclesiæ, licet indigne, titulatus esse videor, Aldricus Cenomanicæ urbis et prædictæ ecclesiæ indignus et peccator episcopus, omnia in nostra diœcesi et parochia consistentibus, episcopis, sacerdotibus, diaconibus, subdiaconibus, et reliquis sanctæ Dei ecclesiæ ministris, seu cunctis fidelibus notum esse cupio quia pertractans casum humanæ fragilitatis, una cum licentia domini Ludovici piissimi imperatoris, et consensu etiam metropolita- A ni Ursmari Turonicæ urbis archiepiscopi seu cæterorum comprovincialium episcoporum atque multarum aliarum provinciarum sanctorum episcoporum, considerare cœpi cum canonicis et cæteris parochianis nostris, tam sacerdotibus quam aliis divino cultui famulantibus, atque nobilibus laicis tam nostris quam et aliis liberis et bonis hominibus, qualiter mea facultaticula et inibi commissa post meum obitum utiliter et rationabiliter foret in utilitatem sanctæ matris ecclesiæ et meam eleemosynam dispensata, ne forte (quod absit) aliquis sibi ea rapere aut furari aut in suos usus converti faciat, sicut in multis jam factum cognovimus, sed omnia in utilitatem sanctæ Ecclesiæ et substentationes nobis famulantium, seu supple- B menta nostrorum clericorum tam monachorum quam et canonicorum, sive adminicula laicorum qui nostræ ecclesiæ et nobis famulari videntur, necne in alimonias pauperum, per consilium prædicti metropolitani et per manus fidelium sacerdotum sive diaconorum atque fidelium laicorum qui ad hoc peragendum a me denominati et constituti fuerint, fideliter et rationabiliter in supra nominatas utilitates et necessitates, sicut in subsequentibus dicemus, distribuantur, id est, quidquid tunc temporis in nostro ergastulo de pecuniis diversi generis et vestimentis inventum fuerit, tota decima pars distribuatur ecclesiæ quam fecimus super fluvium Sarthæ, in loco qui dudum Broilus Casalis nominabatur, quam et in honore Domini Sal- C vatoris et sanctæ Dei genitricis Mariæ, sive sanctorum martyrum Gervasii et Protasii atque sancti Stephani indigni sacravimus, et monachis ibi Domino famulantibus fideliter et cum charitate tribuatur, nona vero pars ecclesiæ quam fecimus inter fluvium Sarthæ et murum civitatis, in qua et monachas collocavimus, et sub regula sancti Benedicti vivere decrevimus, quam et in honore prædicti Domini Salvatoris et sanctæ Mariæ ejusdem Dei et Domini genitricis sive sanctorum martyrum Gervasii et Protasii sed et sancti Stephani, quæ matri ecclesiæ subjecta esse videtur, indigni canonice sacravimus, et monachis, sanctimonialibus, sive cunctæ congregationi ibidem Domino famulanti fideliter et cum charitate absque ulla D dilatione aut prohibitione vel impedimento attribuatur. De reliquo vero, tantum quod in ergastulo inventum fuerit, juxta decreta canonum, quatuor portiones fiant tam de auro quam et de argento, sive de cæteris metallis vel ustensilibus et diversi generis vestimentis et supellectilibus omnibus : una quæ remaneat ecclesiæ nobis commissæ, alia vero in nostra eleemosyna detur fidelibus pauperibus, tertia autem clericis capellanis et vasallis nostris, quarta presbyteris urbanis et monasterialibus sive suburbanis atque reliquis parochianis et diaconibus seu subdiaconibus necnon et reliquis ministris et clericis, ut melius fieri potuerit. Nam et hoc summopere videndum est, ut omnia cum charitate fiant. Similiter et de vino solummodo quod tam in civitate quam et in ejus ruis tunc in-

ventum fuerit faciendum est, id est, omnis decima prædicti vini detur monachis viris, et nona funditus detur monachis feminis in prædictis locis degentibus; reliquum autem in quatuor partes dividatur et, ut præscriptum est, partiatur fideliterque et cum charitate per præfixas turmas, seu de pecuniis in nostro inventis ergastulo dictum est, rationabiliter distribuatur. De vino quoque quod in civitate et ejus ruis tunc temporis fuerit inventum fiat ut dictum est. De reliquo autem vino cuncto, et de annonis omnibus diversi generis, et leguminibus sive fenis per diversa loca et in omnibus villis nostris nobisque commissis reconditis, volumus atque præcipimus suppliciterque flagitamus ut decem partes fiant æqua lance divisas: una videlicet fideliter servetur matri ecclesiæ et beato successori nostro quem Dominus elegerit, et alia detur vassallis et capellanis sive servientibus qui Domino nobisque in nostra mansiuncula militare videntur, ut non ipsi quique, quod absit, in aliquo periclitentur inopia, sed habeant unde sustentari queant usquequo se cum sancto successore nostro mox futuro collocare, Domino adjuvante, utiliter valeant. Tertia tribuatur canonicis et famulis sanctæ matris ecclesiæ et nonnanis quæ in ea quotidie oblationes Domino offerunt, ut et pro me peccatore futuris temporibus Domino offerre eis delectet eorum oblationes. Quarta largiatur monachis qui sunt in monasterio sancti Carilephi et ingressive in Savonariis atque sanctimonialibus monachis quæ sunt Intramis monasterio. Quinta detur monachis quæ sunt in monasterio sancti Salvatoris paulo minus milliario ab urbe distante super fluvium Sarthæ, et illis monachis quæ sunt in sancto Vincentio juxta urbem, seu sanctimonialibus monachis quæ sunt in monasterio Sancti Salvatoris et Sanctæ Mariæ sive sancti Gervasii inter fluvium Sarthæ et murum civitatis collocato. Sexta congregationibus quæ per cætera diversa monasteria, tam in Cenomanica parochia quam et in pago Andecavo, sive Turonico atque Oxomense, et per cæteros pagos Domino militantibus fideliter, in quantum posse et esse facultas tribuerit, cum omni discretione rationabiliter tribuatur. Septima presbyteris et diaconibus ac reliquis clericis nostra in parochia Domino per diversas ecclesias militantibus discrete et rationabiliter tribuetur, ut eis semper pro miserrimo peccatore delectet orare et sacrificia Domino assidua offerre, et flexis poplitibus precor ut eis assidue agere suadeatur. Octava, ut diximus, tam de vino quam et de annona diversi generis et legumina sive feno, rationabiliter et discrete detur funditus familiis in nostris villis nobisque commissis commanentibus quæ ea suis sudoribus laboraverunt, ut et eis pro me peccatore orare delectet: et hoc eis agere precor sæpissime suadeatur. Nona et decima pars omnis annonæ, vini et feni et leguminis pauperibus, viduis, et orphanis fideliter cum omni discretione et charitate funditus tribuatur. Omnes enim precor ut pro me orare dignemini, ut remissionem

A cunctorum valeam percipere peccatorum, et vitam habere, annuente Domino, merear sempiternam. Fiat, fiat. Greges autem jumentorum una cum eorum amissariis, et vaccarum ac boum seu porcorum, et ovium sive caprarum, qui sunt in Breim in condita Noviacense, et in Proliaco infra villam quintam, seu in Novavilla super fluvium Sarthæ, sive in Cavania, et in Cepeto supra Sartham, et in Bruonis villare in Belsa, et in altero Proliaco super fluviolum Viduam, ecclesiæ nobis commissæ et nostro successori cum omni integritate possidendos et utiliter lucrandos et gubernandos relinquimus. Ego autem in toto episcopio non inveni viginti jumenta. Modo Deo gratias septem ei relinquo greges una cum eorum amissariis; neque in B toto episcopio nobis commisso ex omnibus pecoribus vel pecudibus tantum inveni quantum modo, Domino auxiliante, in una ex supradictis villulis relinquo ex his quæ meo pretio comparavi et meo labore acquisivi. Ideo supplex flagito ne alicui durum aut contrarium sit si ea quæ meo sudore acquisivi, et meo pretio comparavi, meis benefactoribus tribuo et mihi servientibus dono, atque Domino offerendo in mea eleemosyna fideliter distribui præcipio, et pro redemptione multorum et innumerabilium peccatorum meorum dari Dei servis et pauperibus humiliter supplico. Illi ergo greges jumentorum una cum eorum amissariis et vaccarum ac boum seu porcorum et ovium atque caprarum qui sunt in Alamaniscas, et illi C greges jumentorum una cum eorum amissariis et boum utriusque sexus, et porcorum sive ovium atque caprarum qui sunt in Drimiaco juxta Mantulam, et in Paciaco, in villæ videlicet parte quam David modo providet, fratribus et canonicis nostris cum omni integritate absque ulla dilatione sive diminutione fideliter et cum omni charitate dentur. Illi namque greges jumentorum una cum eorum amissariis et boum utriusque generis, seu porcorum et ovium atque caprarum, qui sunt infra monasterium sancti Carilephi, et in villa Floriaco, et in Conflentio, et in villa Mauri et in Comnis, et in villare Martis, et Rusciaco, et in Campo Sigalaici, et in illa cella sive in Cantarnaco, atque in diversis mansionibus circa monasterium constructis, omnes integerrime monachis qui in monas- D terio sancti Carilephi et in cella quæ Savonarias vocatur Domino militandi absque ulla minoratione aut tarditate detur. Ternos autem greges jumentorum una cum eorum amissariis ac boum et vaccarum sive caprarum et ovium qui sunt in Haliau, et quatuor porcarias quæ in eadem villa, tam in mansilionibus quam et in aliis locis esse videntur, et illos greges qui sunt in Curte Quadrici, in Saxonense, omnes tam jumentorum quam et boum et vaccarum seu porcorum et ovium atque caprarum illis monachis qui Domino in ecclesia sancti Salvatoris supra fluvium Sarthæ, ubi ille abbas præesse videtur, cum omni integritate et cum charitate absque ullo scrupulo aut contradictione sive dilatione fideliter tribuantur. Illi quoque greges ju-

mentorum una cum eorum amissariis et boum utriusque generis seu porcorum et ovium atque caprarum qui sunt in villa Colonica juxta urbem in illa curte quæ dicitur Villa, quam Gundoldus modo providet, et in Carrariis super fluvium Sarthæ, et in Canon, dentur monachis integerrime qui Domino in monasterio Sancti Vincentii militant. Illi ergo greges jumentorum una cum amissariis et boum utriusque generis seu porcorum et ovium qui sunt in Gres et in Fraxinido, in Belsa, et in Semmuro, monachis in Gres Domino in ecclesia Sanctæ Mariæ et Sancti Almiri militantibus funditus absque ulla tarditate aut minoratione tribuantur. Illi quoque greges una cum eorum amissariis jumentorum et vaccarum ac boum sive ovium et porcorum atque caprarum omnes qui sunt in Aviniaco, seu in Casiliaco, et in illa parte Paciaci quam Gundoldus providet, nostris sororibus sanctimonialibus monachis quas inter murum civitatis et fluvium Sarthæ in ecclesia Domini Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ semperque virginis sive sanctorum martyrum Gervasii et Protasii atque sancti Stephani sub monastico ordine et sub regula sancti Benedicti vivere collocavimus, cum summa charitate et omnium integritate absque ulla dilatione fideliter attribuantur. Illi quoque greges jumentorum una cum eorum amissariis et boum utriusque sexus et ovium sive porcorum atque caprarum qui sunt in Rupiaco, integerrime fratri meo Isaac filioque ejus Rotgario absque ulla diminutione aut dilatione tribuantur. Illi autem greges jumentorum una cum eorum amissariis et boum utriusque generis seu porcorum et ovium atque caprarum qui sunt in Contrella, et in Varennis, in Vindosnense, et in Breuviaco, in Oxomense, et in Artinis super Liz, et in Lanciani ultra Ligerim, sive in Vodebris, vassallis qui nobis in nostra mansiuncula serviunt et clericis qui Domino in nostra capella famulantur cum omni integritate disposite et rationabiliter largiantur. Reliquos namque greges jumentorum et boum utriusque generis et ovium seu porcorum atque caprarum, omnes qui sunt in culturis et in silva Uvastina in diversis mansionilibus et locis, tam super fluvium Liz quam et in silva Uvastica, et in Tricione in diversis mansionilibus et in locis diversis, et in Tauriaco, et in Bajocassino, et in Vetusvico, sive in Celsiaco, ac in Nascas, seu in Cadarus, et in Colonica ultra Medanam, et in Culcamia ultra fluvium Ligeris, et in Callemarcio, sive in monte Sodeuris, in omnibus mansionilibus in eo constructis, et in rivo petroso, et in villa nova in Belsa, et in villa Macunen, et in Bioca super fluvium Bricia, et in Villena in Parisiaco, in nostra eleemosyna, presbyteris et Dei servis sive pauperibus fideliter et rationabiliter cum omni timore et reverentia distribui disposite imploramus atque rogamus, et omnia fieri cum charitate optamus. De equis namque nostris et secmariis sive mulis et asinis ac poledris, quibus adhuc fruimur, et sine quibus regale et commune servitium explere nequimus, de illis qui antea dati minime fuerint, præcipimus duos, quales meliores inventi fuerint, prædicto domno metropolitano nostro bene paratos et ornatos dari; et alios duos, quales post hos meliores inventi fuerint, Didani Andecavensis urbis Episcopo bene ornatos tribus jubemus. Ipsos enim sanctos episcopos, si mihi superstites Domino miserante fuerint, ad obitum meum venire deprecor, et animam meam per eorum sanctas orationes Domino devotissime commendari suppliciter flagito, et ad corpusculum meum eorum precibus Domino una cum anima commendari et cum orationibus eorum sepeliri humiliter postulo; et in omnibus summopere illos, et quasi ad pedes eorum provolutus, deprecor ut de me et pro me sic faciant sicut volunt ut de illis tam in vita quam et post obitum fiat. Insuper quatuor equos bonos meæ sepulturæ loco et fratribus inibi Domino famulantibus dari jubeo. De cæteris ergo equis volo ut causa benedictionis singulos accipiant singuli qui præscripti et præordinati ad nostram eleemosynam faciendam fuerint, ut melius illis delectet pro me orare et commissum sibi negotium peragere. De reliquis quippe equis et poledris et mulis atque asinis tres jubemus fieri portiones: una pars remaneat ecclesiæ nobis commissæ et sancto successori nostro; alia vero largiatur disposite et rationabiliter clericis et vassallis et servientibus et ministerialibus nobis famulantibus. Tertia autem pars distribuatur fideliter et rationabiliter in nostram eleemosynam prout melius scierint et potuerint quibus hoc commissum fuerit. Taliter quoque illis hoc præcipio et deprecor agere et tam fideliter et rationabiliter dispensare qualiter inde rationem non metuant reddere in conspectu Domini nostri Jesu Christi, et ex hoc non recipiant, quod absit, damnationem æternam, sed præmium sempiternum. Illa vero omnia quæ in præfato tempore, ut dictum est, in prædictis locis et agris tam internis quam externis inventa fuerint, Domino Deo, devota mente et sano corpore, pro ingenti et nimio pondere peccaminum meorum supplex et devotus offero, et per hanc chartulam, quam sana mente dictavi et supradicto prætextu scribere jussi, atque propria manu subter firmavi, ad supradicta et scripta, sicut hæc paginula testamenti commemorat, explenda et fideliter peragenda Domino Deo sponte et devote trado: ut si quis aliter, quod absit, ex præfatis rebus, in quantum melius prævaluerit ac poterit, agere præsumpserit ipso Domino Deo suo et Salvatori nostro Jesu Christo reddat inde rationes, cui hæc præscripta peragenda et explenda devote oblata et tradita sunt, et ante tribunal ipsius judicis æterni ex hoc tremebundam deducat rationem. Contestor enim sanctum successorem meum mox futurum, quicunque fuerit, et quasi ad vestigia pedum ejus provolutus humiliter deprecor ut sic de me et pro me miserrimo peccatore faciat sicut vult ut sui successores post oblitum ejus de eo faciant, et sic mea facta integra conservet sicut

sua vult post se servari. Hanc ergo paginulam testamenti suppliciter flagito ut per omnia conservet; et si quis aliter ex his quæ hic inserta sunt facere voluerit, supplico ut eum corrigat, et eis quos ad hoc peragendum de nomine vero, sive quibus hoc negotium commissum fuerit, auxilium per omnia præstet, ut hæc absque ullo impedimento perficere queant. Si autem, quod absit, aliter fecerit, ante tribunal Domini nostri Jesu Christi tremebundam ex hoc reddat rationem. Obnixe quoque deprecor sanctum successorem meum, quemcumque Dominus fore voluerit, et omnes sacerdotes tam monachos quam et canonicos, sive cunctos clericos et laicos in nostra diœcesi et parochia commanentes et conversantes, ut in anniversaria obitus mei per singulos annos diligenter tractent et fideliter in eis pro me ora studeant et vigilias et missas devote decantent, ut, Domino annuente, remissionem omnium peccatorum meorum et indulgentiam misericorditer percipere merear, et vitam insuper habere sempiternam valeam. Amen. Precor etiam dominum successorem meum per Dominum omnipotentem, cunctosque fratres et consacerdotes nostros contestor, quatenus ei fideliter suadeant ut si facultas permiserit, et illi placuerit, per singulos annos in die obitus anniversarii mei de suo faciat prædictis sacerdotibus tam monachis quam et canonicis et reliquis clericis atque pauperibus plenam atque bonam refectionem. Et si illi hoc durum, quod absit, aut difficile fuerit, tunc de villa Buxarias, quam fratribus et canonicis nostris per testamentum firmiter corroboratum, et per præceptum domini Ludovici piissimi imperatoris confirmatum sponte et devotissime tradidi, atque perpetualiter possidendam et perfruendam reliqui, illa refectio quæ modo et sicut modo præparatur et agitur in die natalis et ordinationis meæ, precor ut convertatur funditus in die obitus et anniversarii mei, et sicut in prædicto testamento continetur per omnia ita agatur, et sicut in eo scriptum est devotissime et fidelissime perficiatur, ut refectionem et consolationem habeant in illa die tam sacerdotes et clerici quam et pauperes et indigentes qui pro me miserrimo peccatore oraverint, ut omnes devota mente inibi requiem æternam habere exorent suppliciter. Insuper supplico prædictum successorem meum ut præfatum testamentum meum quod de præfixa villa Buxarias feci, fratribus et canonicis nostris per omnia conservet, et sicut in eo continetur insertum de quinque refectionibus eorum et aliorum sacerdotum ac clericorum atque pauperum diligenter adimplere faciat, ut omnes per singulas festivitates exorent et dicant: *Aldrico, Domine, pontifici nostro da requiem æternam et vitam sempiternam. Amen.* De jam dictis ergo rebus nemo aliquid meum putet esse nisi ad ameliorandum et canonice dispensandum, quoniam Domino omnia quæ in hac chartula memorata et conscripta sunt per hoc testamentum præsens taliter tradidi et ad prædicta explenda et peragenda firmiter delegavi, et sicut in hac paginula distinctum et insertum est summopere deprecando fieri jussi et postulavi; et si quis aliter, in quantum facultas fuerit, aut deterius de præscriptis rebus Dominoque oblatis ad præfixa peragenda egerit, ante tribunal Domini nostri Jesu Christi de sua præsumptione tremebundam deducat rationem. Obnixe quoque omnes precor, ut taliter ex omnibus in hac chartula conscriptis agant qualiter in conspectu Domini quod absit, et vitam æternam, Domino tribuente, una cum sanctis et electis Dei habere mereantur. Amen.

XXXIV.

Sequitur exemplar præcepti domni Ludovici piissimi Augusti super præscriptam descriptionem de eleemosyna Aldrici episcopi causa firmitatis et inconvulsionis facti.

(Vide ubi supra, col. 1273.)

XXXV.

Exemplar immunitatis Sanctæ Mariæ et Sancti Gervasii et Aldrici episcopi de monasterio Sanctæ Mariæ.

(Vide ubi supra, col. 1273.)

XXXVI.

Item exemplar præcepti domni Ludovici piissimi imperatoris de monasterio Anisolæ Aldrico episcopo et ecclesiæ sibi commissæ imperialiter actum, quando prædictus domnus Ludovicus imperator illud canonice atque legaliter reddidit ecclesiæ Sanctæ Mariæ et Sancti Gervasii, memorato Aldrico ejusdem matris ecclesiæ episcopo.

(Vide ubi supra, col. 1275.)

XXXVII.

Exemplar præcepti domni Ludovici piissimi imperatoris de moneta Aldrico Cenomanicæ urbis episcopo ejusque successoribus concessa.

(Vide ubi supra, col. 1276.)

XXXVIII.

Item exemplar præcepti immunitatis domini Ludovici imperatoris de Sancti Carilephi monasterio de Aldrico episcopo impetratum.

(Vide ubi supra, col. 1278.)

XXXIX.

Item exemplar præcepti domni Ludovici piissimi imperatoris de villa Lugduno, quod fecit prædictus imperator Cenomanicæ matris ecclesiæ et Aldrico ejusdem ecclesiæ episcopo.

(Vide ubi supra, col. 1279.)

XL.

De dedicatione senioris altaris Anisolæ monasterii.

Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 838, indictione vero prima, anno siquidem XXV imperii domni Ludovici piissimi imperatoris, anno sexto ordinationis Aldrici Cenomanicæ urbis episcopi, quinto quoque Iduum Maiarum die, solemniter senius dedicatum est altare senioris ecclesiæ monasterii Anisolæ a præfixo episcopo Aldrico in honore Domini Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ sanctique Martini confessoris præcipui. In præfixo ergo Iduum die cum psallentio susceptus est jam dictus Aldricus episcopus, primo postquam ei redditum fuit memoratum Anisolæ monasterium a do-

mno Ludovico imperatore, a monachis et reliquis nobilibus hominibus in ipso monasterio; cui Dominus precibus prædictorum et omnium sanctorum æternam tribuat vitam. Amen.

Præsul, ave, noster, cuncti te, Aldrice, rogamus,
Nunc altus dominus, nunc humilisque pater.
En tua fama sacri vulgans præconia facti,
Gallorum celsas venit ad usque domos.
Qui est pia spes patriæ, solamen et optima virtus,
Ast murus fortis et clypeus validus.

XL *bis*

De hospitalium constitutione et receptione, et de sex sanctorum corporibus in sinu matris ecclesiæ delatis et collocatis, quorum nomina hic habentur inserta; et de duodecim signis in clocariis matris ecclesiæ collocatis, per singulas horas reboandis, et de consecratione episcoporum et sacerdotum ac reliquorum graduum sive sanctimonialium, atque de commemoratione dedicationum ecclesiarum.

Memoratus igitur Aldricus episcopus in præfata Cenomanica urbe duo hospitalia facere studuit. Unum idque juxta præfatam Cenomanicam urbem super fluvium Sarthæ a radice pontis Sanctæ Mariæ propter abundantiam aquarum et pascuorum construere certavit, ad receptionem videlicet episcoporum et comitum atque abbatum sive cunctorum adventantium, in quo et ecclesiam construxit quam et in honore sancti Stephani solemniter dedicavit, et alia ædificia ad prædictum opus faciendum rationabiliter et mirifice ordinabiliterque construxit et disposuit. Alterum ergo hospitale juxta matrem et senioris civitatis scilicet ecclesiam infra urbem construxit, in quo pauperes et debiles cæci ac claudi, sive aliarum debilitatem subnixi et indigentes multi reciperentur, quibus alimenta et lectorum stramenta sufficienter et discrete ministrarentur. Præfixa quoque hospitia jam dictus Aldricus venerabilis episcopus de rebus suæ sedis ecclesiæ nobiliter dotavit, et villulas seu decimas, sicut in testamentis de iis factis continentur insertum, una cum consensu episcoporum multorum et suorum consacerdotum ad memorata hospitalia et ad usus hospitum ac peregrinorum atque pauperum sive relinquorum adventantium canonice rationabiliterque contradidit, et per testamenta ab episcopis et sacerdotibus sive reliquis nobilibus et liberis hominibus roborata confirmavit. Præscriptus quippe Aldricus jam dictæ urbis episcopus venerabilis invenit quædam corpora sanctorum sex, quæ in desertis ecclesiis valde divinis officiis et luminaribus atque reliquis divinis cultibus negligebantur, quæ una cum consilio conserdotum suorum in gremio suæ sedis ecclesiæ et in confessione senioris ejusdem ecclesiæ altaris decenter et rationabiliter collocavit: id est corpus sancti Juliani præfatæ urbis episcopi et prædicatoris primi, et sancti Thuribii prædicti episcopi Juliani successoris, sanctique Pavacii jam dictæ ubis etiam episcopi et prædicatoris optimi, seu sancti Romani sacerdotis præcipui et, ut fertur, nepotis sancti Juliani et sanctæ Romanæ Ecclesiæ ministri, quem etiam sanctæ Juliæ fratrem nonnulli esse testantur atque sanctæ Tevestinæ præcipuæ virginis, quæ et monasteriolum sanctæ Mariæ in rebus senioris ecclesiæ una cum adjutorio sancti Innocentis præfixæ urbis episcopi construxit; sed et sanctæ Adæ, quæ et Adrehildis alio nomine nominatur, quæ, ut legitur, deprecante prædicto sancto Innocente, de monasterio sanctæ Mariæ quod situm est in urbe Suessionis ad Cenomanicam urbem venit, et ibi in suburbio Cenomanico in præfato monasterio sanctæ Mariæ regulam sancti Benedicti docuit, et eam inibi decenter ordinavit; et partem corporis sancti Liborii supradictæ urbis episcopi et confessoris optimi, et maximam partem corporis sancti Haduindi. Antedicta quoque corpora sanctorum in ecclesia quam præfatus Aldricus præfixæ urbis episcopus in honore Domini Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ atque sanctorum martyrum Gervasii et Protasii sive sancti Stephani simulque et in veneratione omnium sanctorum solemniter consecravit, et in memorata ejusdem ecclesiæ senioris altaris confessione prædicta corpora, ut præfixum est, solemniter decenterque et ordinabiliter collocavit, ea videlicet ratione ut inibi officia et luminaria et cætera ad divinum cultum et ad honorem sanctorum pertinentia planiter haberentur, et postmodum ubicunque necessitas construendorum poposcerit monasteriorum, singillatim præfixa corpora in unoquoque monasterio collocaret: quatenus ex eorum me-
C moriis et apertis intercessionibus magis cultus cresceret divinus, et laus Dei in melius et multis modis multiplicaretur, sicut in posteris actum esse, Domino annuente, probatur. Ipse ergo Aldricus in præfata seniore et matre ecclesia civitatis duodecim signa ex metallo optimo fundere et firmare studuit, quæ et in jam dicta seniore ecclesia decenter in clocariis collocavit, et ad singulos cursus mirabiliter et ordinaliter reboare et sonare disposuit, quatenus et per ea populum ad ecclesiam decenter et solemniter convocaret, et ex eis plura et multimoda laus Domini exornaretur et cresceret, ut et in cymbalis bene sonantibus cuncti assidue Dominum laudarent, et quandocunque dulcis eorum sonus in auribus populorum reboaret,
D de eorum sceleribus omnes recordarentur, et pro eis Domini misericordiam singulis horis invocarent, quatenus remissionem et absolutionem eorum percipere mererentur, et mundi atque puri ab omnibus sordibus peccatorum fierent, atque ad sempiternam pervenire gloriam mereantur. Præfatus igitur Aldricus episcopus tantæ fuit dignitatis et honoris amorisque ut usque ad Romanam sedem ejus rumor pervenerit, eique domnus Gregorius Romanæ sedis ecclesiæ venerabilis apostolicus Roma in pago Cenomanico suum vestimentum sacerdotale miserit, illud scilicet vestimentum quo in Pascha indutus fuerat. Misit etiam ei baculum pastorale, quod ferula nuncupatur, una cum sua epistola, vocans eum ut, si possibile foret, usque ad eum perveniret, eique concessit ut qualemcunque

petitionem et benedictionem a sede sancti Petri accipere vellet, aut per seipsum aut per suum missum ei voluntarie et libenti animo mitteret atque concederet. Fuit enim memoratus episcopus conciliarius imperatoris et unus ex prioribus, quem tam domnus imperator quam et sui optimates et regni proceres obtemperabant et oppido credebant atque in omnibus obedientes ei se esse et benevoli dicebant [a]. Sed inde valde tristabatur quod sæpissime eum in palatio retinebant, et propterea suum ministerium ei ut desiderabat et volebat perficere non licebat, quoniam erat persæpe prope unum annum quod de palatio non absolvebatur, sed ibi, licet invitus, morabatur; et ideo multa remanserunt tam in sua civitate quam et in suis monasteriis sive in sua parochia imperfecta, sed et quædam nec inchoata quæ ad divinum cultum explendum et ad laudem omnipotentis Dei magnificandam atque ad utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ perficiendam facere prudenter disponebat et perfici desiderabat. Prædictus quoque Aldricus episcopus fecit ordinationes per diversa et canonica tempora sexaginta. Episcopos ergo sacravit septem, sacerdotes vero octingentos, Levitas nongentos. Subdiaconos quoque et reliquos ordines prout necessitas poscebat; quorum nomina propter prolixitatem et tædium scriptoris atque lectoris hic non inserimus, sed in alia scedula, in qua nomina eorum et testes et titulos et tempora et reliqua quæ ad hoc pertinent plenius inseruimus; et si quis hæc plenius nosse voluerit, in ea reperire valeat, vel si aliqua altercatio de eorum ordinatione futuris temporibus orta fuerit, in ipsa scedula appareat pleniter declaratum qualiter aut qua ratione sive ad quos titulos ordinati esse noscuntur. Ipsam enim scedulam apud seniorem custodem matris et civitatis ecclesiæ reperire poterit si quis voluerit. Sacravit etiam prædictus pontifex virgines inter monachas et canonicas per diversa et canonica tempora centum et viginti. In monasterio videlicet Intramnensi monachas virgines canonice sacravit quadraginta quinque. Et in monasterio Sanctæ Mariæ juxta urbem super fluvium Sarthæ, quod ipse a novo fundavit et ornavit, monachas virgines consecravit triginta octo, et reliquas canonicas virgines per diversa loca Domino militantes septemdecim.

XLI.

De translatione corporis sancti Pavacii et dextri brachii sancti Liborii.

Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 840, indictione III, anno vero imperii Ludovici piissimi Augusti XXVII, et anno VIII Aldrici hujus parochiæ episcopi atque hujus cœnobii fundatoris, VII videlicet Iduum Julianum die, solemniter translatum est a præscripto episcopo et ab aliis episcopis et sacerdotibus et reliquis sacris ordinibus corpus sancti Pavacii et brachium dextrum sancti Liborii in hanc Sancti Salvatoris ecclesiam, hucque in nobilissima urna decenter a præfixis

A episcopis et sacerdotibus subsequentibus signis humatum; quorum precibus ab omnibus petimus liberari malis et cunctis frui æternaliter bonis, ipso auxiliante, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

XLII.

Constitutio Aldrici urbis Cenomanicæ episcopi de luminaribus et incensibus ecclesiæ senioris civitatis.

Constitutum et ab Aldrico Cenomanicæ civitatis episcopo ut ardeant per quotidianas noctes in seniori ecclesia de oleo a vespere per totam noctem usque mane tria, et de cera, quando tempus dictaverit, una, et ad nocturnas sive matutinas ardeant luminaria per quotidianas noctes de oleo decem et de cera quinque, tria ante senius altare, et quartum ante altare sanctæ Trinitatis vel crucifixum, et quintum ante altare sancti Joannis. Illa vero luminaria quæ de oleo fiunt ardeant per altaria et loca destinata, unum inter senius altare et sedem episcopalem, et aliud ante gradus senioris altaris, et tertium in medio choro, et quartum in exitu chori, et quintum ante altare sancti Georgii et sancti Felicis atque sancti Symphoriani et aliorum sanctorum quorum nomina super eo ascripta adesse videntur, et sextum ante altare sanctæ Agathæ et sanctæ Felicitatis et sanctæ Sabinæ et aliarum sanctarum virginum quarum nomina super illud scripta adesse videntur, septimum ante altare sanctæ Trinitatis, et octavum ante aram sancti Joannis Baptistæ, et nonum ante altare omnium sanctorum, et decimum ante aram santi Christophori et sancti Hyppoliti atque sancti Saturnini et reliquorum sanctorum quorum nomina super illud scripta esse videntur, et undecimum ante altare sancti Victorii et sancti Brixii atque sancti Arvei et reliquorum sanctorum in quorum honore sacratum esse cognoscitur. In Dominicis vero omnibus noctibus et in festivitatibus XX sanctorum constitutum est ut amplius incendantur et ardeant luminaria XXX de oleo, et quinque de cera, et in festivitate sancti Joannis apostoli et evangelistæ, et in festivitate sanctorum Innocentium, et in octavis Domini, sive in octavis Epiphaniæ, et in festivitate sanctæ Agnetis, seu in festivitate sanctæ Agathæ, et in festivitate apostolorum Philippi et Jacobi, et in inventione sanctæ crucis, et in festivitate sancti Petri, similiter et in festivitate sancti Pauli, seu in festivitate sancti Laurentii, et in decollatione sancti Joannis Baptistæ, sive in festivitate sancti Michaelis archangeli, atque in festivitate sancti Bartholomæi apostoli, et in festivitate sancti Matthæi apostoli et evangelistæ, sive in festivitate apostolorum Simonis et Judæ, nec non et in festivitate omnium sanctorum Kalendis Novembris, atque in festivitate sancti Martini, et in festivitate sanctæ Cæciliæ virginis et martyris, atque in festivitate sancti Andreæ apostoli. In his quoque festivitatibus amplius agatur, id est, in Epiphania et in

[a] Vide præceptum Ludovici Pii pro ecclesia Cenomanensi, *Patrologiæ*, tomo CIV, col. 1296.

Purificatione sanctæ Mariæ et in Ascensione Domini, seu in Pentecosten, et in dedicatione occidentalis partis ecclesiæ senioris et altaris sancti Joannis Baptistæ, quæ est XI Kal. Julii, et in nativitate sancti Joannis Baptistæ, et in Assumptione sanctæ Mariæ, et in nativitate sanctæ Mariæ, seu in natale episcopi, quæ agitur in die festivitatis sancti Thomæ apostoli, atque in dedicatione matris et senioris ecclesiæ suæ senioris altaris. In his namque festivitatibus constitutum est ut ardeant luminaria triplicata, id est, de oleo nonaginta, et cera decem, hoc scilicet centum vel eo amplius, prout opportunitas et locus fuerit. Tamen nullo modo conces um est ut minus, sed amplius. In nativitate autem Domini tam festive constitutum est fieri sicut illos dies decet; et in festivitate sanctorum Gervasii et Protasii sive sancti Stephani prout melius potuerit fiat. Est etiam constitutum a prædicto episcopo ut incensum boni odoris offeratur per singula altaria et deferatur fratribus in ecclesiam convenientibus et populis ad ecclesiam venientibus ad matutinas et ad missam sive ad vesperas atque completorium. Hæc autem per singulos quotidianos dies devotissime, in Dominicis vero diebus et in festivitatibus amplius et solemnius agatur.

XLIII.

Placuit etiam in hac scedula, quæ de quibusdam actibus pontificum Cenomanica in urbe degentium usque ad Aldricum ejusdem urbis episcopum conscripta esse dign scitur, inserere relationem sive memoriale qualiter prædictus Aldricus antedictæ urbis episcopus monasterium Anisolæ, in quo sanctus Carilephus confessor præcipuus corpore requiescit, ante domnum Ludovicum imperatorem legibus conquisivit: ut si deinceps aliqua altercatio de eo orta fuerit, præfati memorialis exemplar in hac scedula conscriptum bonis hominibus ad relegendum appareat. Quod si aliquis ex hoc aliquam pulsationem prædictæ matri et civitatis ecclesiæ deinceps suisque successoribus ullo unquam tempore facere tentaverit, in hac scedula reperiatur qualiter evindicatum fuerit, et quid repetierit evindicare non valeat, sed subter inserta evindicatio firma et stabilis omni tempore permaneat.

Incipit relatio vel evindicatio sive memoriale qualiter monasterium Anisolæ ad jus Cenomanicæ matris ecclesiæ ante domnum Ludovicum imperatorem ab Aldrico episcopo canonice et legibus evindicatum fuit.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Temporibus Ludovici piissimi Augusti subter inserta causatio vel evindicatio fuit de monasterio Anisolæ inter Aldricum episcopum et Sigismundum abbatem, qui illud tunc tenebat. Nam præfatus Aldricus dicebat et scriptis et testibus approbabat quod de jure suæ sedis ecclesiæ præfatum monasterium cum omnibus ad se pertinentibus esse debebat, et sui antecessores illud ex rebus Cenomanicæ matris ecclesiæ magna ex parte fundarant, et ad ipsam matrem ecclesiam subjectum esse debebat, et hoc legibus affirmabat. Econtra Sigismundus dicebat quod proprium domni imperatoris esse debebat, et non de prædicta ecclesia: sed nullam veram auctoritatem exinde ostendebat, nisi tantum unam epistolam quam Pippinus propter odium Gauzioleni episcopi cuidam suo monacho fecerat, ut illi subjectum esset et non Gauzioleno: et hoc propter odium Gauzioleni factum esse perscrutatum est. Quia quando fuit Pippinus Cenomanica in patria, et de quadam persecutione inimicorum suorum reversus per Cenomanicam patriam transibat, tunc cum præfatus Gauziolenus et suus frater Harivius non receperunt, sed infra Cenomanicam urbem cum omnibus quos secum conducere potuerunt se recluserunt, et domnum Pippinum regem illuc introire non permiserunt, sed damnum ei de suis hominibus facere nitebantur, et suum pincernam coram eo stantem, dum sua castra in vinea sancti Petri juxta urbem Cenomanicam posita erant, interfecerunt, et alios homines vulneraverunt. Videns autem domnus Pippinus quod ibi proficere non potuit, vastans totam illam regionem, pergere cœpit ad Franciam. Tunc in ipso itinere venit ad ipsum prædictum monasterium Anisolam, et præcepit illis monachis ut nullam obedientiam facerent jam dicto Gauzioleno, eo quod ei rebellis esset, sed sub suo mundeburdo vel sub sua tantummodo tuitione vel dominatione permanerent. Et tunc eis ac Siebaldo eorum abbati talem epistolam dedit, quod propter odium, ut dictus est, Gauzioleni, et non propter ullam aliam rem aut injustitiam factum esse liquet. Tunc enim ipse Siebaldus non fuit ausus ibi remanere, sed una cum Pippino usque in Franciam perrexit. Postea vero cognoscens Pippinus quod injuste fecisset et propter odium Gauzioleni hoc egisset, præcepit filio suo Carolo et jurejurando contestatus estut præfatum monasterium redderet Cenomanicæ matri ecclesiæ, cujus juste esse debebat, ne aliquod detrimentum sua anima ex hoc haberet. Et sic fecit postea domnus Carolus et Franconi episcopo illud reddidit, atque per præceptum suum prædictæ matri ecclesiæ confirmavit. Multi autem hactenus vivunt qui domno Carolo hoc dicere audierunt, qualiter suus pater domnus Pippinus ei hoc contestando facere præcepit. Et quando jam dictum monasterium Branconi reddidit, multi vivebant qui hoc domnum Pippinum Carolo præcipere et contestari audierunt. Istam vero rationem pleniter prædictus Aldricus episcopus perscrutatam apud veridicos homines habebat, et hoc testibus veris et bonis coram omnibus affirmabat. Taliter enim Aldricus et Sigismundus altercantes, pervenit ipsa ratio usque ad domnum imperatorem; qui hoc firmiter inquirerere præcepit, et veraciter sibi renuntiare jussit. Sed antequam ipsa causatio ante domnum imperatorem veniret, volebant eorum amici et boni homines eos inde pacare et concordare. Sed Aldricus episcopus obtemperabat eorum justis petitionibus, et Sigismundus non faciebat; sed quidquid et juste et rationabiliter sui amici agere

suadebant, prædictus Sigismundus spernebat. Offerebat enim ei memoratus Aldricus episcopus ut aliquem censum ei ex hoc solveret, sicut sui antecessores prædicti episcopi antecessoribus faciebant, et per suum beneficium illud tenere, et nunquam ei diebus vitæ suæ de illo aliquod impedimentum facere volebat, sed quiete et pacifice una cum suis monachis eum inibi esse permittebat. Offerebat etiam et aliam causam prædicto Sigismundo, suadentibus prædictis amicis et bonis hominibus, jam dictus Aldricus episcopus, ut si hanc non vellet, saltem aliam faceret. Permittebat autem ei duas aut tres villas, quales sibi eligeret, per suum beneficium habere, et ex his nullum servitium aut aliqua dona requireret, sed quidquid ex his vellet faceret. Illis omnibus a Sigismundo spretis, cœpit sæpedictus episcopus suam justitiam juste et rationabiliter quærere, quia plenam et justam rationem sibi in hoc habere videbatur. Præcepit enim hanc justitiam inquirere domnus imperator Ebroino Pictaviensis urbis episcopo, et Erchinrado Parisiacæ civitatis episcopo et Rorigoni comiti, et Altmaro seneschalcho domnæ Judith imperatricis, et misso palatino una cum aliis vassis dominicis. Sed dum hæc res ad effectum tunc minime pervenit propter alias necessitates, et hoc domno imperatori renuntiatum esset, præcepit ut ante se in suo palatio ipsa altercatio finiretur. Tunc ergo jussit domnus imperator ut haberent ambo eorum auctoritates et testimonia Aquisgrani palatio ad suum placitum quod ibi tempore quadragesimali cum episcopis et abbatibus et comitibus et cæteris fidelibus suis habebat, ut ibi pleniter præfixa altercatio finem perciperet. Sed Sigismundus jam vocatus ad ipsum placitum minime pervenit. Qua de re iterum domnus imperator per suam epistolam eum vocavit ut post Pascha veniret. Qui et hoc renuens, jam tertio vocatus minime venit, neque missum aliquem misit cur hoc dimitteret. Tunc cernens domnus imperator suam inobedientiam et contumaciam, expectavit tamen adhuc post tertium condictum placitum quindecim dies ut veniret; sed cernens eum jam venire non velle, neque suam rationem juste diffinire, quia minime hoc rationabiliter et veraciter se facere confidebat, et propterea venire ad placitum nolebat, tunc domnus imperator interrogavit suos consiliarios et episcopos sive abbates et comites et reliquos fideles suos quid ex hoc facere deberet, et quale consilium ex hoc ei darent, et quid de tam inobediente suo præcepto facturus esset. Tunc respondentes dixerunt utriusque ordinis omnes: Vidimus quod iste episcopus vester Aldricus habet suas auctoritates et præcepta regalia tam genitoris vestri quam et aliorum vestrorum antecessorum, videlicet regum Francorum, in quibus, ut coram nobis relictum est, continetur insertum et sanctorum sacerdotum ac regum manibus propriis corroboratam, quod monasterium Anisolæ, unde agitur hæc justitia, Cenomanicæ matri ecclesiæ traditum fuit et ab episcopis ejusdem matris ecclesiæ constructum et ornatum atque legibus possessum.

A Habet etiam præfixus episcopus, quos videmus et audimus, suos testes veros et bonos, qui has auctoritates firmas et veras esse testantur, et jurejurando quæ dicunt affirmant. Insuper testantur quod infra legitimo tempore prædicta mater Cenomanicæ civitatis ecclesia vestituram legitimam habuisset de prædicto monasterio, et adhuc triginta anni non sunt transacti quod ex eo legitimam vestituram habuit, et propterea inde fuit modo alienatum quod Franco episcopus prædictæ ecclesiæ suo propinquo Adalghyso illud impetraverit, ut pro illo regalia servitia et itinera faceret, quæ ille pro sua infirmitate et senectute facere non valebat. Affirmaut etiam eumdem Franconem aliquas villulas et quosdam vassallos casatosque, ut nominant,

B ex præfixo monasterio ad suum opus, dum advixit, retinere, sed illis ambobus defunctis non fuit ad præsens episcopus ejusdem sedis qui domnum imperatorem Ludovicum ex hoc interpellaret ad tempus; et sic datum est alio, et tali occasione sublatum est de præfixa sede. Sed et hoc quod isti monachi dicunt quod vestrum proprium esset, prædicti testes Aldrici episcopi per eorum auctoritates et per vestros vassallos et alios veridicos et bonos homines affirmant non esse. Dicunt etiam, si vestrum proprium esset, res ipsius monasterii secundum legem Salicam aut Ribuariam tuerentur, sicut alia loca et res quæ de vestro sunt proprio faciunt, et mancipia non partirentur, sicut de aliis locis et rebus quæ de vestro sunt proprio in illa

C regione est consuetudo facere; sed de istis causis in rebus sancti Carilephi sicut in propriis domni imperatoris observare apud eos est consuetudo nihil unquam conservatum fuit; et pro istis causis affirmant et defendunt jac dicti testes sæpedictum monasterium non vestrum proprium aut alicujus esse, sed de jure Cenomanicæ matris ecclesiæ, de cujus rebus est fundatum. illud esse affirmant, quod et rationabiliter et legibus, ut nobis videtur, facere possunt. Testantur etiam supra memorati testes quod omnes episcopi qui in prædicta civitate et in jam dicta sede a tempore sancti Innocentis episcopi secundi, successoris videlicet sancti Victurii, et a tempore sancti Carilephi confessoris eximii fuerunt, prædictum monasterium sub-

D jectum habuissent, exceptis duobus, quod propter prædictum odium et pro aliqua negligentia veraciter factum esse inquisitum est. Testantur etiam quod plus ad jus et subjectionem prædictæ matris ecclesiæ præfatum monasterium pertineat quam ad vestrum proprium aut ad aliam aliquam causam; et hoc, si aliqui testes contra se venerint, falsos eos, qualiter præceperitis, facere posse testantur, firmiterque affirmant. Supradicta vero ratione hanc justitiam diligentissime ventilatam, rei veritatem cognoscentes, pleniter et rationabiliter legis divinæ et mundanæ nos utriusque ordinis vestri fideles auctoritate instructi, et plena ratione suffulti, judicamus vosque hortamur ut ei auferatur qui vobis inobediens exstitit et ad vestrum placitum non solum semel aut bis vel ter vocatus

venire contempsit, quia de sua absentia culpabilis et convictus esse cognoscitur, et ei vestra auctoritate nostroque judicio reddatur præfatum monasterium qui vobis inobediens non fuit, nec ad placitum venire renuit, sed semper præsens cum suis auctoritatibus et nobilibus testibus adfuit, et hoc pleniter et legaliter approbare est paratus quod suæ sedis ecclesiæ præfatum monasterium esse debet. Et propterea præfato Aldrico episcopo firma auctoritate ad jus suæ sedis ecclesiæ præfatum monasterium cum omni integritate ut reddatur judicamus. Quidam autem eorum dixerunt: De nobis ipsis aliter judicare non possumus, quod si aliquis nostrum licet nemine quærente, aut aliqua causatione pulsante, vocatus ad vestrum placitum venire contempserit, ni infirmitas aut legitima somnis eum detinuerit, et si aliqua somnis, aut infirmitas eum detinuerit, ni ipse suum advocatum aut suam excusationem rationabilem ad vos miserit, juste et plena ratione perdere debet unusquisque nostrum quod de vestro habet. Et propterea sicut et de nobis, sic et de illo judicamus; quia neutrum fecit, nec ipse venit, nec mandare studuit cur illud dimisit. Sed sicut isti homines qui præsentes adstant, id est Hagano et Benedictus et alii, dicunt et affirmare volunt qualitercunque vobis placuerit, sive si aliquis ex vobis aliter dixerit, singulare certamen cum eo præliari sive in judicio, si vobis placuerit, seu cum sacramento verum facere nullam ob aliam causam præfatum Sigismundum remansisse, neque propter infirmitatem, neque propter aliam necessitatem, nisi quod venire, ne convinceretur, noluit, quia nullam justitiam neque aliquam justam aut rationabilem causam prædicta quæstione se habere confidebat. Et hæc prædicti homines quotidie ante vos et ante nos et reliquos fideles vestros clamant, et approbare, sicut prædictum, est, vel qualiter vos placuerit et eis præceptum fuerit volunt. Et hoc sæpissime publiciter in hoc palatio est acclamatum et perquisitum nobis et cæteris fidelibus vestris audientibus: sed nemo est qui eis contradicere aut resistere velit, sed plus dicunt omnes eos veritatem dicere, quod et verisimile nobis esse videtur. Sic vos jam quindecim dies per aliud placitum vel tertium et concessum exspectantes, neque suum advocatum aut suas auctoritates misit, neque ullam excusationem de se vel de suo contemptu facere noluit. Idcirco de sua absentia vel contumacia jam convictum atque damnatum eum esse legibus judicamus, ita ut nec ejus vox amplius de hac causa audiatur. Et ut hoc quod dicimus et judicamus auctoritate canonum et legis plenius confirmemus, precamur ut nonnullæ sententiæ ad hoc pertinentes canonum et legum ante vos legere jubeatis. Et tunc publice coram omnibus recitatæ sunt hæ sententiæ canonum et legum.

Excerptum ex decretis papæ Bonifacii, capitulo III.

Manifestum est confiteri eum de crimine qui indulto et delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt de eo comprobentur, cum ipsa absentia pro confessione constet [a].

Item ex decretis ejusdem Bonifacii papæ.

Nulli dubium est quod reus judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit. Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat.

Item ejusdem cujus supra.

Cavendum est ut si quis adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur; sed quæ male pullulasse noscuntur, radicitus evellantur et emendentur.

Ex decretis Cœlestini papæ.

Non caret enim suspicione qui ad judicium venire contempserit et purgari se distulerit, quia ipsa absentia sua est comprobatio. Insuper occurret veritas, si falsitas displicet. Merito namque causa nos respicit si silentio faveamus errori. Ergo corripiantur qui hujusmodi sunt modis omnibus, ut veritas eorum versutiis non sopiatur, sed astuta eorum cavillatio aptissime et prudenter omnibus manifestetur et emendetur, atque restituatur quod hactenus occultum et neglectum fuit.

Item excerptum ex decretis papæ Innocentii [b].

Veritas sæpius exagitata magis splendescet ad lucem, et pernicies revocata in judicium gravius condemnatur. Nam fructus divinus est justitiam sæpius recenseri, et errata corrigere, ablata restaurare. Nec otiosa ergo Dominus judex noster in nobis esse patitur quæ exercenda, non negligenda donavit [c].

Sequentia vero capitula ad eamdem rationem pertinentia a sapientibus comitibus et scabinis dominicis sunt prolata; et per judicium coram omnibus sunt recitata.

Hæc capitula quæ subsequuntur de lege Romana sunt assumpta.

Imperator Valentinianus inter cætera Firmino præfecto prætoria et patricio data [d]. Si quis pulsatus in judicio adesse noluerit, post secundam aut tertiam conventionem sciat se contumacis sententiam subiturum, id est ut quidquid, si fuisset in judicio addicendus erat, petenti litigatori quasi victus exsolvat. Data VII. Kal. Maii Romæ, Herculano V. C. cons.

Quinque capitula de effectu sententiarum et finibus litium Pauli sententiarum lib. V [e]. Quicunque tribus auctoritatibus judicis conventus, aut trinis litteris vel tribus edictis ad judicium fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est quod causam exstinguit, fuerit evocatus, et præsentiam suam apud eum judicem a quo ei denutiatum est

[a] Lib. V Capitul., c, 37; lib. VII, c. 43.
[b] Decreta Innoc I, c. 35.
[c] Decret. Cœlestini I, c. 12.
[d] Novell. unica de episc. judicio in interpret.
[e] Paul. lib. V Sent., tit. 5 in interp.

exhibere voluerit, adversus eum quasi in contumacem judicari potest. Quinimo nec retractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit judicatum.

Item Theodosius libro quarto de sententiis ex periculo recitatum

Imperatores Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. Clearcho præfecto. Quidquid præsentibus partibus in causis fuerit ordinatum, habebit plenissimam firmitatem, nec poterit immutari. Data Kal. April., Honorio VIII et Boetio conss.

Sequitur sententia de eadem lege Romana de libro Pauli assumpta.

Si enim judicibus talia conceduntur, quanto magis regibus et imperatoribus frena et lora ampliora et latiora relaxantur, quoniam de crimine majestatis gravius judicantur rei et incriminati quam alterius alicujus generis sæcularis: quia honor capitis decus est aliorum membrorum, et dedecus capitis ignominia est aliorum membrorum. Porro quia omnia membra sequuntur caput, scilicet ut in comparatione prædecessorum nostrorum, more videlicet antiquorum, loquamur, sicut ab illis non semel aut bis vel ter sed persæpe firmatum et definitum esse legimus, dehonoratio et despectio seniorum et magistrorum et contumacia eorum contumelia est subditorum et juniorum, et honor et exaltatio atque benevolentia et obedienda seniorum et magistrorum honor et exaltatio est subditorum et juniorum, quia et illi ab istis et isti ab illis mutuo foventur et exaltantur, et regni et populorum ampliatur, et vis atque justitia eorum crescit et populus salvatur et exaltatur. Si quis autem contra hæc inire aut aliqua machinatione aliquid agere præsumpserit, damnatus in omnibus et ab omnibus interius exteriusque sententia ultionis feriatur, ne in posterum quisquam talia agere præsumat, et si quis facere tentaverit, similiter damnetur, et ultionis sententiam non effugiat.

Item unde supra, si quis ad placitum venire distulerit.

Si quis subterfugiendo placitum huc illucque vadit, et placitum venire distulerit, et maxime si vocatus a judicibus fuerit, omnimodis providendum est ne quærens suam justitiam pro tali occasione perdat, sed quasi convictus ille qui ad placitum venire distulerit, item culpabilis et convictus de sua absentia judicetur, et deinceps hoc recupare non valeat, sed magis metallis et aliis pœnis deputetur, ne amplius quisquam talia agere præsumat, et ille de sua versutia et absentia vicisse non lucretur, neque subterfugisse gaudeat, neque suam justitiam perdat. Data IX. Kal. Maii.

His et aliis auctoritatibus sanctorum Patrum et canonum atque legum rationabiliter instructi judicavimus et iterum judicamus ut Aldrico sæpedicto episcopo jam dictæ res, qui semper pleniter instructus præsens adfuit, et nunquam ad suam justitiam comprobandam defuit, vestra auctoritate vestroque judicio reddantur. Et si talis firmitas ex hoc facta sit quæ in posterum appareat, nunquam deinceps de hoc prædicta ecclesia sibi commissa aliquod damnum aut scandalum aut ullam causationem patiatur. Et si aliquis, quod non credimus, ex hoc deinceps aliquam pulsationem aut causationem ei facere voluerit aut suis successoribus, evindicare non valeat, nec ejus vox penitus audiatur qui hoc facere tentaverit, sed hoc judicium quod modo agitur, ratum futuris maneat temporibus, et vestra redditio firma et stabilis permaneat. His taliter peractis, hoc divisimus. Tunc domnus imperator coram illis reddidit Aldrico præfixo episcopo per eorum judicium plena auctoritate monasterium Anisolæ, in quo domnus Carilephus corpore requiescit ad jus Cenomanicæ matris ecclesiæ cui, præfatus episcopus præerat, futuris temporibus possidendum, et missos ei dedit qui ei inde plenam vestituram facerent, Fulconem, scilicet, comittem palatii, et Arduinum et Gaufridum comites, et Folcradum vassum dominicum, qui postea, sicut domnus imperator eis jussit, plenam et legalem vestituram per cloccas et ostia senioris ipsius monasterii ecclesiæ, in qua etiam sanctus Carilephus corporaliter requiescit, et per portas ipsius monasterii jam dicto Aldrico episcopo multis coram testibus in ipso monasterio solemniter fecerunt. Hoc autem factum est anno incarnationis Dominicæ 838, indictione II, et anno imperii præfati domni Ludovici piissimi imperatoris XXV, anno vero ordinationis sæpedicti Aldrici epicopi sexto. Pridie quoque Kalendarum Maiarum Aquisgrani palatio prædictum judicium est actum, et in ipsa die ipsa ratio a præfixo imperatore legibus est adimpleta et plena ratione peracta. Propterea ergo hoc memoriale conscribere libuit ut si aliqua altercatio deinceps exorta fuerit qualiter hæc res acta sit, per hoc memoriale declaratum appareat: ut si aliquis ex hoc aliquam querelam facere tentaverit evindicare minime valeat. Actum atque conscriptum est hoc memoriale Aquisgrani palatio Kal. Maii in sacrario sanctæ Mariæ, regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum. Hæ vero chartæ et hæc præcepta publice relecta et recitata sunt ante domnum imperatorem et Drogonem ejus fratrem et archicapellanum, sive etiam ante suos missos quos domnus imperator ad hanc causam audiendam et discernendam constituit, seu ante conscriptos episcopos, comites et ministros ac judices, quando hoc judicium in præscripto palatio judicatum est, et quando præfatum monasterium ad jus præfixæ Cenomanicæ matris Ecclesiæ est legibus redditum et supradicto prætextu evindicatum; id est:

I. Traditio sancti Carilephi quam fecit sancto Innocenti episcopo per licentiam et consensum Childeberti regis.

II. Charta commendationis qualiter se domnus Carilephus per licentiam sui abbatis, exhortante domno Avito, una cum suis monachulis subdidit ecclesiæ

civitatis, et in manus sancti Innocentis episcopi duabus vicibus se tradidit.

III. Precaria quam sanctus Carilephus accepit a sancto Innocente de eadem re.

IV. Præceptum Childeberti regis quod jussit facere super traditionem sancti Carilephi et super precariam quam ipse sanctus Carilephus accepit a sancto Innocente.

V. Charta donationis de rebus et villulis, et auro et argento et vestimentis tam ecclesiasticis quam et aliis, sive libris et crucibus et capsis vel reliquiis sanctorum multorum quæ domnus Innocens in adjutorium ad monasterium Anisolæ construendum et ornandum domno Carilepho et suis monachulis per scripturam tradidit.

VI. Charta de conventionibus sancti Innocentis et sancti Carilephi miræ magnitudinis conscripta, et a quindecim episcopis firmata, ut eorum conventiones nullo modo irritæ fierent, sed per omnia stabiles permanerent.

VII. Precaria quam sanctus Domnolus episcopus abbati suo Gallo fecit de monasterio sancti Carilephi.

VIII. Præceptum quod Chilpericus rex sancto Domnolo episcopo fecit et suo abbati Gallo de monasterio Anisolæ.

IX. Præceptum emunitatis quod fecit Chilpericus rex sancto Domnolo episcopo de monasterio Anisolæ et de omnibus villulis et rebus ad eum pertinentibus.

X. Precaria quam Haduindus episcopus de monasterio sancti Carilephi Sigranno abbati fecit.

XI. Præceptum quod rex Chlotarius Haduindo episcopo et Sigranno abbati de monasterio Anisola fecit.

XII. Præceptum emunitatis quod fecit Chlotarius rex Haduindo episcopo de monasterio Anisola et de omnibus villulis et rebus ad illud pertinentibus.

XIII. Precaria quam domnus Berarius episcopus de monasterio sancti Carilephi Ibboleno abbati fecit.

XIV. Præceptum Dagoberti regis super precariam Ibboleni abbatis quam a domno Berario episcopo de monasterio Anisola accepit.

XV. Præceptum emunitatis quod fecit Dagobertus rex domno Berario, episcopo de monasterio Anisola et de omnibus villulis et rebus ad illud pertinentibus.

XVI. Precaria quam Gauziolenus episcopus de monasterio sancti Carilephi Didoni abbati fecit.

XVII. Præceptum Chilperici regis quod fecit Gauzioleno episcopo et Sicbaldo abbati super precariam eorum de monasterio Anisola.

XVIII. Præceptum Chilperici regis sub emunitatis tuitione Cenomanicæ sedis. Ecclesiæ factum Gauzioleno episcopo. Simul et confirmatio in hoc ipso præcepto continetur quam fecit super precariam prædictus rex Gauzioleno memorato episcopo et Didoni abbati suo.

XIX. Præceptum emunitatis quod fecit Theodoricus rex Berario episcopo de cellulis et villulis sui episcopii et nominatim de monasterio Anisola.

XX. Præceptum emunitatis quod fecit Dagobertus rex episcopo Herlemundo de cellulis et villulis de suo episcopatu ; ubi et monasteriolum Anisola commemorat, et suæ sedis ecclesiæ esse affirmat.

XXI. Monumentum de vita sancti Innocentis episcopi.

XXII. Exemplar de vita et actibus sancti Turibi episcopi.

XXIII. Præceptum quod fecit domnus Carolus Franconi episcopo quando ei monasterium Anisola per judicium et plenam auctoritatem reddidit et suæ sedis ecclesiæ confirmavit, sicut in eo continetur insertum.

XXIV. Præceptum quod fecit domnus Ludovicus imperator Franconi episcopo de mancipiis sanctæ Mariæ et sancti Carilephi, in quo continetur monasterium Anisolæ subjectum esse debere Cenomanicæ matri Ecclesiæ.

XXV. Præceptum quod fecit domnus Carolus Franconi episcopo quando ei concessit ut hostes et itinera nulla faceret, sed Adalghisus suus propinquus omnia regalia servitia pro eo faceret, et per licentiam Franconis aliquam partem abbatiæ sancti Carilephi teneret, et post obitum Adalghisi ad jus et regimen Cenomanicæ matris ecclesiæ absque ulla contradictione reverteretur, sicut in eo continetur insertum.

Huic judicio et redditioni interfuere subter inserti viri : Judith Imperatrix, Carolus gloriosissimus rex, Drogo archiepiscopus atque archicapellanus, Autcarius archiepiscopus, Hadalboldus archiepiscopus, Amaluvinus archiepiscopus, Aiulphus archiepiscopus, Rataldus episcopus, Ecardus episcopus, Erardus episcopus, Ebruinus episcopus, Wiliricus episcopus, Albericus episcopus, Ghefridus episcopus, item Albericus episcopus, Simeon episcopus, Ercanradus episcopus, Ionas episcopus, Vuiladus episcopus. Ansigaudus episcopus, Adalardus comes, Radulfus comes, Bonefacius comes, Adalbertus comes, Vuarinus comes, Herbertus comes, Audulfus comes, Stephanus comes, Rainaldus comes, Cislebertus comes, Landricus comes, Gerardus comes, Abbo comes, Teoto comes, Poppo comes, Erminus comes, Anfredus comes , Adalgarius comes , Gebuinus comes, Tetghildus comes , Troandus comes , Ardoinus comes , Rumaldus comes , Herloinus comes, Hungarius comes, Theodoricus comes, Ricboto abbas, Ludovicus abbas, Stplido abbas, Hilduinus abbas, Burchardus abbas, Lantramnus abbas, Godolricus abbas, Daniel abbas, Georgius abbas, Elmeradus abbas, Vuaringarius abbas, Aldricus abbas, Eribertus abbas, Tethaldus abbas, Marcoardus abbas, Humbertus abbas, Eginardus abbas, Fulco vassus dominicus et comes

palatii, Ragenarius vassus dominicus et comes palatii, Teutfridus vassus dominicus, Adalelmus vassus dominicus, Henricus vassus dominicus, Engiscardus vassus dominicus, Diso vassus dominicus, Franco vassus dominicus, Teoto vassus dominicus, Folcradus vassus dominicus, Teoto vassus dominicus, Folcradus vassus dominicus, Bernuinus vassus dominicus, Evrardus vassus dominicus, Salaman vassus dominicus, Egibertus vassus dominicus, Vuinitmarus vassus dominicus, Vuitbaldus vassus dominicus, Radulphus vassus dominicus, Gunzo vassus dominicus, Odorricus vassus dominicus, Cadilo vassus dominicus. Letricus vassus dominicus, Nantarius vassus dominicus, Robertus vassus dominicus, Isaac vassus dominicus, Hugo vassus dominicus, Dagobertus vassus dominicus, Ebruinus vassus dominicus, et reliqui innumerabiles quorum nomina propter prolixitatem hic non inseruimus.

XLIV.

Exemplar epistolæ quam domnus imperator Ludovicus Ionæ urbis Aurelianensis episcopo et Henrico abbati fecit de causa Aldrici Cenomanicæ urbis episcopi suorumque monachorum de monasterio sancti Carilephi, quando illud ei domnus imperator plena ratione ecclesiæque sibi commissæ reddit, et propter ea quidam monachi inconsulte contra omnem auctoritatem canonicam et regularem ex eo sunt egressi, et res ecclesiasticas non paucas sive sacrata vasa aurea et argentea furtim inde exportaverunt.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus, Jonæ venerabili episcopo salutem.

Notum tibi esse volumus quia perventum est ad nos quod monachi ex monasterio sancti Carilephi in egressu præsumptivo idem monasterium expoliassent ornamentis ecclesiasticis tam in thesauro quamque in vasis seu vestimentis, nec non et libris. Quapropter tibi præcipimus et Henrico abbati ut vos omni diligentia illud inquiratis, et cum omni integritate res ecclesiasticas eidem ecclesiæ restituere faciatis. Vale, ex hoc habeto studium sicut de te bene confidimus, et sicut in hoc nostram cognoscis voluntatem.

XLV.

Item exemplar alterius epistolæ domni Ludovici imperatoris de prædicta re, ad quos supra.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus, Jonæ venerabili episcopo salutem.

Notum tibi esse volumus quia perventum est ad nos quod monachi ex monasterio sancti Carilephi egressi sunt de proprio monasterio, aliena loca quærentes, immemores propriæ promissionis eorum, in qua promiserunt obedientiam et stabilitatem propriæ promissionis loci, atque renuntiaverunt propriis voluntatibus secundum regulam sancti Benedicti, obliti etiam sententiam evangelicam, in qua Dominicum exemplar audivimus : *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan.* VI. 38) : oblitique apostolicæ sententiæ ita dicentis : *Subjecti estote omni creaturæ, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis* (*I Petr.* II, 13). Et hoc non ob aliud fecerunt nisi quod abbas eorum nobis inobediens apparuit, et nos eidem abbati idem monasterium tulimus, et illud Aldrico episcopo ecclesiæque sibi commissæ legaliter, sicut a suis prædecessoribus possessum et constructum fuit, reddidimus, sicut lator ejus epistolæ tibi dicere poterit, quia prolixum est nobis in hac epistola omnia inserere qualiter actum et definitum rationabiliter fuit, et quia in nullo sentimus contrarium esse auctoritati canonum monachos subjectos episcopis fieri debere. Quapropter volumus ut missus noster sis una cum Henrico abbate, et eosdem monachos plena auctoritate canonum et regulari atque nostra ad proprium monasterium redire compellatis. Si vero quispiam eorum vos non obaudierit volumus ut compellatis eum venire ad nostram præsentiam in proximo placito quod habituri sumus, Domino annuente, apud Carisiacum. Bene vale, et ora pro nobis Dominum.

XLVI.

Notitia de monasterio sancti Carilephi in generali synodo in Carisiaco palatio regio, facta ab Aldrico episcopo per judicium episcoporum accepta, sicut in ea continetur insertum.

(Vide ubi supra, col. 1290.)

XLVII.

De responsione Ludovici imperatoris et judicio optimatum suorum contra præcepta quæ monachi de monasterio Anisolæ attulerunt coram eo, quando contra Aldricum episcopum de prædicto monasterio in rationes venerunt.

Quando Aquisgrani palatio anno imperii domni Ludovici piissimi Augusti XXV, coram eo et principibus suis tam ecclesiasticis quam et sæcularibus in generali conventu querela de monasterio Anisolæ et rebus suis inter Aldricum Cenomanicæ urbis episcopum et Sigemundum ejusdem monasterii abbatem agebatur et diligentius scrutabatur, atque jam dictus pontifex inter reliqua instrumenta chartarum et præcepta regalia unum præceptum quod domnus Carolus facere jussit, sua videlicet propria manu roboratum et annulo suo subter sigillatum, per quod ipse jam dictum monasterium Franconi episcopo ecclesiæque sibi commissæ reddidit, et monachi prædicti Sigemundi quoddam præceptum de electione eorum, ut de semetipsis haberent licentiam eligendi abbatem, quod dicebant jussu domni Ludovici piissimi imperatoris esse conscriptum. Ad quod respondit domnus imperator : Si ego hoc præceptum fieri jussi, nesciebam quod prædictum monasterium de episcopio Cenomanico esset, et ignorabam quod pater meus illud ibi per suum præceptum redderet. Sed quia vos et pares vestri hoc mihi celastis, et per fraudem et malum ingenium facere suasistis, idcirco ipsum præceptum, quod mihi præcipere fieri dicitis, vestro mendacio infirmatur, quia causa ubi fraus intercedit non valet, sed magis re-

A proba efficitur. Et ideo vestrum præceptum stare non poterit, quia vestro mendacio et vestra fraude funditus destruitur. Si enim nos unam vobis tantum electionem concessimus, ipsam cito finitam esse cognoscimus, quia Sigemundus, quem vobis abbatem elegistis, memoratum monasterium sua culpa perdidit, quia nobis inobediens et infidelis exstitit. Hæc taliter prædictus domnus imperator agens interrogavit cunctos circumstantes quid super hac re eis rectius videbatur. Qui respondentes dixerunt tam episcopi quam abbates, sive comites, et reliqui omnes : Hæc posteriora præcepta, quæ isti monachi afferunt, non possunt destruere anteriora quæ Aldricus episcopus et ecclesia sibi commissa habet ; sed anterioribus cedendum est, et posteriora, quæ fraude et malo ingenio impe- B trata fuerunt, infirmantur et stare non possunt, quia actio qua in quibuscunque negotiis fraus intercesserit non valebit. Et ut ratione et lege firmentur ea quæ testamur, aliqua ex authenticis nostris vobis testimonia indicantes proferimus. Constitutum est a sanctis patribus et bonis imperatoribus et lege decretum ut quidquid falsa petitio a principe obtinuerit, quia fraus intervenit, non valebit. Item alibi : « Quæcunque contra jus conscripta fuerint non valebunt, quocunque modo fuerint impetrata. » Item alibi : « Qui falsa principium præcepta detulerint, puniantur. » Item alibi : « Dolus malus est cum aliter agitur, aliud simulatur. » Item alibi : « Qui dolum vel metum adhibuit ut res ad alium transiret, de doli actione te- C nebitur. » Item alibi : « Dolus malus est si per falsitatem voluerit quis prius definita convellere. » Item alibi : « Redintegrandum est a præsentibus judicibus et in ejus unde abcessit potestate revocandum quod quacunque conditione temporis, aut dolo, aut captivitate, aut virtute majorum timore faciente deperierit. » Item alibi : « Quidquid vera seu falsa petitio a principe obtinuerit, quia fraus intercessit, non valebit [a]. » Magna fraus fuit, quoniam monachi prædicti memoratum monasterium de jure Cenomanicæ sedis ecclesiæ esse sciebant, quia non sunt adhuc triginta anni quod a pontificibus memoratæ sedis possessum est ; et hæc celantes, vobisque mentientes, præcepta sibi sine consensu prædictæ sedis pontificis, cui juste debetur, facere suadebant. Et hoc justum esset, ut D si aliquis laicorum hoc fecisset, ut magnum detrimentum sustineret ; sed et pro certo judicaretur illi ut capitali sententia puniretur. Sed quia non laici, sed jam dicti monachi, hoc fecerunt, dignum est ut ita coerceantur ne alii monachi deinceps talia agere præsumant. Propterea nonnulli præfati monasterii monachi cum Sigemundo prædicto eorum abbate exsilio damnati sunt. Et sic confirmatum est sæpedictum monasterium Aldrico episcopo et ejus episcopio, sicut in ejus notum est præceptis et aliis monumentis chartarum continetur insertum.

XLVIII.

Memoriale qualiter Anisolæ monasterium a jure Cenomanicæ matris ecclesiæ post obitum Ludovici piissimi imperatoris alienatum est.

Si quis nosse desiderat qualiter monasterium Anisolæ una cum rebus suis de jure Cenomanicæ matris ecclesiæ post obitum Ludovici secundi Francorum imperatoris elapsum est, in hoc memoriale breviter comprehensum aliquid invenire poterit. Defuncto præscripto domno Ludovico piissimo Augustino anno incarnationis Dominicæ octingentesimo et quadragesimo, magna seditio orta est in imperio suo. Inter cætera autem mala surrexit quædam tyrannica potestas in pago Cenomanico qua resistere nitebatur Carolo filio ejus, cui prædictus imperator inter cæteras regiones Neustriam dederat, et suos fideles valde infestabat. Præfatæ ergo tyrannicæ potestati se conjunxit Sigemundus, qui dudum de præfatæ Anisolæ monasterio abbas fuerat, et Aldricus ecclesiæ Cenomanicæ episcopus, qui illud monasterium una cum rebus suis tunc tenuerat, fideliter Carolo seniori suo adhærebat, et licet memorata tyrannica potestas eum ad se sæpissime vocaret, et firmitatem ei facere vellent qui eam exercebant qualiter ipse quæreret ut diebus vitæ illorum suos honores non perderet nec imminutos haberet, sed majores et qualescunque in illa regione peteret adipisceretur, si se illis conjungeret. Sed ille propter hæc omnia proposito a prædicto seniore suo se non substraxit ; sed inconvulse fidelis et pro viribus adjutor illi exstitit, et propter illum omnia sua dimisit, et eum secutus est per omnia. Cessante vero jam dicta seditione, cepit Carolus rex prædictus consilium ut memoratos tyrannos aut a jam dictis finibus ejiceret, aut eos sibi fideles faceret : ad quos misit optimates suos, vocans eos ad se. Quibus responderunt. Nec ad illum veniemus, nec illi fideles erimus, nisi nobis convictis concedat omnibus vitam et membra et tales honores quales modo tenemus, quocunque modo eos habeamus, inter quos præfatum Sigemundum et monasterium Anisolæ cum rebus suis comprehenderit. Videns domnus Carolus præfatus rex, propter alias seditiones quæ undique grassabantur, sine magno discrimine aliter tunc non posse fieri, consensit petitionibus eorum, et inter reliquos Sigemundo concessit memoratum monasterium habere, et prædicto Aldrico et suæ sedis ecclesiæ firmiter promisit illud cito redditurum : et tali occasione memoratum monasterium alienatum est tunc a jure Cenomanicæ matris ecclesiæ, non legibus evindicatum, sed tyrannice alienatum.

XLIX.

Vertente autem tempore, et prædicto Sigemundo ad memoratum regem, domnum videlicet Carolum filium Ludovici imperatoris, minime veniente, et facto maximo prælio in pago Altisidiorense inter Carolum et Lotharium, in qua a Domino Deo et Salvatore nostro data est jam dicto Carolo victoria,

[a] Ex Pauli lib. I Sent., tit. 9, et lib. I Cod. Theod. de dolo malo in interpr.

et eo per partes Cenomanicas remeante, nec tunc memorato Sigemundo ad eum veniente, redditur Kal. Augusti in villa cujus vocabulum est Bona super fluvium Liz, in pago Cenomanico, a præscripto domno Carolo legibus præfato Aldrico episcopo per judicium multorum nobilium et sapientium virorum prædictum Anisolæ monasterium cum omnibus ad se pertinentibus; eique ibi missi boni et strenui dati sunt qui eum et Cenomanicam matrem sibi commissam ecclesiam legibus revestirent, et plenam ei atque legalem vestituram ex eo futuris temporibus legaliter tenendam facerent. Quod et supradicto prætextu tertio die Nonas jam dicti mensis factum esse liquet. Et sic falsitas subditur veritati, atque injuste alienata juste restituuntur: quæ et hactenus a præfato episcopo et a suæ sedis ecclesiæ ministris legibus possidentur, et canonice atque regulariter gubernantur.

L.

Exemplar epistolæ formatæ quam Drogo archicapellanus et urbis Mediomatricæ archiepiscopus Landramno Turonicæ urbis archiepiscopo canonice misit, ut Aldricum prædictæ urbis Mediomatricæ cardinalem presbyterum atque ejusdem urbis primicerium suo permissu et jussu domni Ludovici piissimi imperatoris episcopum Cenomanicæ matris ecclesiæ ordinaret, sicut in ea habetur insertum. Talis enim est prologus prædictæ epistolæ venerabili Landramno archiepiscopo.

Venerabili in Christo fratri et coepiscopo Landramno archiepiscopo Drogo in Domino salutem. Auditu comperi quod domnus imperator concessisset Aldrico presbytero consecrationis nostræ, qui etiam et noster tonsus doctus et clericus fuit, episcopium Cenomanicæ urbis. Sed ille postea ad nos mittens petiit, sicut debuit, ut ei ordinatoribus suis tibi atque suffraganeis tuis ad episcopatus culmen ordinandi assensum præbuissem et licentiam tribuissem. Cujus petitioni ita consensi, ut si ipsum per Dei voluntatem et domni imperatoris dignum et utilem sanctæ Dei Ecclesiæ ad hoc officium inveneris et ita decreveris, quia ipse apud nos probos mores ostendit, licentiam a nobis concessantibus id perficiendi atque ipsum consecrandi habere cognoscas. Oro te valere et omnes fratres, atque memor sis mei in sacris orationibus charitatis tuæ.

LI.

Exemplar formatæ epistolæ quam Drogo archicapellanus et Mediomatricæ urbis archiepiscopus Aldrico prædictæ Mediomatricæ urbis cardinali presbytero atque ejusdem urbis primicerio canonice misit, ut suo consensu et domni Ludovici piissimi imperatoris jussu Cenomanicæ matris ecclesiæ a suo archiepiscopo et reliquis comprovincialibus episcopis ordinaretur, ideo quia populus eum sibi ordinari episcopum petierat, et ad eum epistolam pro hoc direxerat, ut suo adminiculo et permissu antedictus Aldricus eorum atque jam dictæ Ecclesiæ episcopus ordinaretur, canonice eis direxit epistolam hunc modum continentem.

Dilecto filio Aldrico vocato episcopo Drogo indignus archiepiscopus in Christo sempiternam salutem. Cognoscat dilectio tua mihi placere ea quæ

A tibi divina largitio honoris conferre per imperialem administrationem dignata est. Sed dilectio tua, ut debuit, ad me misit ut tibi epistolam misissem ad metropolitanum tuum conscriptam ut ei licentiam tribuissem te ordinandi. Nunc vero, quanquam decentius atque honestius fuisset mihi et tibi ut scripto a te directo iterum scriptis respondissem, tamen ne forte occasio per me differentem donum tibi divinitus, ut credo, concessum aliquod tibi inferret impedimentum, charitate fretus fecit ut petisti. Unde unas tibi misi epistolas: quarum una ad metropolitanum tuum est conscripta juxta petitionem tuam, ei retribuendo licentiam; altera vero ad te, ut et tu cognoscas licentiam a nobis tibi attributam et nos potius in B augmento honoris tui gaudere quam ullo modo injuriam tibi aliquam inferre voluisse. Vale semper in Domino, et confortare, memor semper nostri, et fidem quam semper erga nos jure servasti inconvulsam deinceps per charitatem tuam esse rogamus. Iterumque vale.

LII.

Summa de polecticis vel plenaris fratrum Cenomanica in urbe Deo servientium, de rebus quas Franco senior et Aldricus eorum episcopi eis dederunt et testamentis atque præceptis regalibus confirmaverunt.

Debent homines fratrum in summa de numericia vini modios duos et quadringentos, de pastione vini modios ducentos unum et septuagintos, de hostileuse argenti solidos centum quadraginta et C novem. Et debentur septem multones de pascuario, cum lana sex et septuaginta, sogales duo et quadringinta. Et debentur duo, et de laudatico solidi quinque. Et debentur decem de carnatico, arietes quinque et quinquaginta sine lana, de lignario solidi sex et vigiuti, et debentur novem de sensu, sol. unus et centum de inferenda et de postiurno, sive de sensatico sol. centum et octoginta; et debentur inde de pastione inter frumentum et sigale modii quatuor et triginta, et sextaria novem sufuso, de avena modii quadringenti quatuor et quadraginta; axilios ad alvimanum quatuor et quinquaginta, et omni anno scudulas mille cum quadringentis et quadraginta.

LIII.

D *De ejectione Aldrici Cenomanicæ urbis episcopi, et de invasione atque vastatione Cenomanicæ matris ecclesiæ una cum rerum.*

Decedente domno Ludovico Francorum imperatore secundo, filio videlicet Caroli Magni imperatoris, anno incarnationis Dominicæ octingentesimo et quadragesimo, Indictione tertia, anno siquidem imperii sui vigesimo et septimo, surrexit quædam tyrannica pravitas, inter cætera mala, inter Ligerim et Sequanam, et maxime in pago Cenomanico, in quo Aldricus tunc octavum annum in episcopatus dignitate fulgebat. Et licet prædictus imperator inter tres filios suos regna sua divideret, id est inter Lotharium et Ludovicum atque Carolum, Lotharium in media Francia, Ludovicum vero in Hostria

[Austria], et Carolum in Neustria et Aquitania collocaret. cætera vero regna et ducatus inter eos, sicut in annalibus eorum continetur, divina consensu principium suorum partivit. Præfatum autem pontificem memorato Carolo filio suo minori per manus commendavit. Cui jam dictus pontifex Aldricus fidem servans debitam, ab infidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et suis a præfata tyrannica potestate in supradicto anno a præscripto episcopio et a sua sede ejectus est; et propterea multa quæ in ecclesiasticis et aliis rebus pro amore Dei facere cœperat, imperfecta remanserunt. Nam pene prædictum episcopium tunc vastatum est et quasi ad nihilum redactum. Habebat enim cœptum claustrum canonicorum et matrem ecclesiam in media civitate a fundamento una cum suis porticibus et paradisum inchoatum, et maximam partem exea factam, similiter et ædificia monasteriorum quinque, una cum claustris et cæteris eorum. Habebat quoque ad utilitatem ejusdem ecclesiæ fulciendam et ad pauperes recreandos congregatos greges jumentorum una cum amissariis amplius quam octoginta, vaccarum et ovium atque caprarum sive porcorum amplius quam ducenta, annonam et fenum ac vinum tam ad opus congregationum hospitumque ac pauperum quam et ad sibi ecclesiæque sibi commissæ servientium opus sufficienter. Sed quid amplius dicam? Ita habebat fundatum tam in ecclesiasticis quam et in aliis rebus prædictum episcopium et res sibi commissas qualiter non fuerint a diebus antiquis, vel a tempore quo alicujus. . . . . . hominis memoria retinetur. Sed hæc et reliqua bona innumerabilia a prædictis tyrannis, sive hospitalia septem quæ ad pauperes et hospites recipiendos et recreandos fecerat, funditus vastata et diruta sunt. Propter has vero insidias et alias multas hæc et alia bona innumerabilia quæ facere voluit et cœpit in suo episcopio non apparent, quæ a Domino illis requirantur a quibus hæc subversa et vastata atque prohibita sunt, et non ab illo, qui hæc agere et adimplere voluit et prohibitus atque dejectus dimisit. Præscripti ergo tyranni de genere Herivei et Vidonis superiorum tyrannorum remanserunt.

LIV.

Synodus habita ab Aldrico in urbe Cenomanica.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Aldricus indignus Cenomanicæ matris ecclesiæ episcopus omnibus nostræ curæ commissis sacris ordinibus et cunctis fidelibus salutem et gloriam sempiternam. Cum in Dei nomine anno incarnationis Dominicæ octingentesimo quadragesimo, Indictione tertia, et anno imperii domni Ludovici piissimi imperatoris vigesimo et septimo, anno vero octavo ordinationis prædicti Aldrici episcopi, quarto videlicet Iduum Maiarum die, synodum omnium sacerdotum ac levitarum seu reliquorum servorum Dei Cenomanica urbe prædictus pontifex coadunaret, post allocutionem et admonitionem sive inquisitionem eorum, cœpit jam dictus Aldricus episcopus una cum eis, illisque deprecantibus, tractare quid officii unusquisque pro suis confratribus tam pro vivis quam et pro solutis debitæ mortis diligenter ageret, et quid pro præfixo pontifice et grege utriusque ordinis sibi commisso fideliter adimpleret. Qua de re hoc instinctu divino pariter considerantes tractavimus, simulque inter nos bono animo et pura voluntate decrevimus, ut dum (advixerit) unusquisque nostri ordinis sacerdos pro præscripto domno Aldrico episcopo et pro populo sibi commisso in quarta feria una cum litania et oblationibus missam decantet, similiter et sexta feria faciat; et qui hoc facere non poterit, quinquaginta psalmos decantet, orantes et supplicantes Dominum cœli ut Deus omnipotens præfixo nostro pontifici secundum suam voluntatem hanc tribuat degere vitam, et quando ei placuerit, finisque hujus vitæ advenerit, cœlestis janua ei pateat, et locus sanctorum consortii nobis deprecantibus detur. Amen. Similiter et præfatus pontifex pro nobis omnibus aut per se aut per aliquem a se commissum est pollicitus agere. Insuper hæc tractantes in prescripto Iduum Maiarum die et in jam dicta synodo inter nos decrevimus ut unusquisque nostrum, dum advixerit, pro suis confratribus in annuo duodecim cantet missas cum oblationibus et reliquis orationibus, et quandocunque nostrum unusquisque (decesserit), decanus nomina de suis junioribus conscripta in nostra, per singula tempora, synodo deferat, et unusquisque nostrum pro illis missas compleat duodecim cum oblationibus et reliquis orationibus et vigiliam cum novem psalmis et totidem lectionibus et responsoriis, una cum matutinalem synaxim fideliter pro defunctis fratribus peragat, et sic hoc faciat sicut vult pro se fieri quando hoc idem ei advenerit, et sicut ante tribunal districti judicis rationem ex hoc reddere voluerit quod hic coram Deo, et coram nostro pontifice et coram nobis omnibus se facere sponte promisit. Tribuat Dominus omnipotens ut sic inde faciamus ut non damnationem, sed plenam retributionem ex his a Domino Deo nostro percipere valeamus, et vitam habere sempiternam valeamus, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LV.

Hæc est missa quæ pro domno episcopo et pro omnibus sibi commissis in unaquaque hebdomada, id est quarta et sexta feria, una cum litania adimpleri debetur; et post istam subsequitur illa quam pro nobis in invicem canere debemus; et post illam subsequitur illa quam pro fratribus nostris defunctis cantare debemus.

Missa quotidiana. ℣. Intret oratio mea.

Sanctæ Dei genitricis Mariæ ac beatorum apostolorum sive martyrum tuorum Gervasii et Protasii atque sancti Stephani simulque reliquorum marty-

rum et confessorum virginumque atque omnium sanctorum tuorum assiduis intercessionibus quæsumus, Salvator mundi, pontificem nostrum Aldricum misericorditer protege, pariterque ei familiaritate atque consanguinitate conjunctos, et omnes sibi commissos utriusque ordinis viros et feminas ab omni pravitate defende, et secundum tuam voluntatem eis vivere tribue, omnemque populum Christianum misericorditer custodi, et animabus famulorum famularumque tuarum omnium sibi commissorum et commissarum atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium requiem tribue benignus sempiternam, et sanctorum tuorum cœtibus consociare digneris propitius. Per Christum, etc. *Epistola ad Colossenses.* Fratres, non cessamus pro vobis orantes et postulantes. ℟. Domine, exaudi, ℣. Ne evertas. *Evangelium secundum Joannem.* In illo tempore, sublevatis Jesus oculis in cœlum dixit : Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionem. Pater juste, mundus te non cognovit. Ego autem novi te, et hi cognoverunt, quia tu me misisti et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis. *Offert.* Exaudi, Deus. *Secreta.* Oblationis hujus, Domine, placare muneribus, et intercedentibus omnibus sanctis tuis protege pontificem nostrum Aldricum et omnes sibi commissos commissasque atque omnem populum Christianum a cunctis defende periculis, et animabus famulorum famularumque tuarum omnium sibi commissorum commissarumque atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium per hæc sancta sacrificia remissionem omnium tribue peccatorum, et vitam habere concede sempiternam. *Præfatio.* Vere dignum, etc., et tuam clementiam profusis precibus implorare, intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, sanctisque martyribus tuis Gervasio et Protasio, sive sancto Stephano et omnibus sanctis tuis, cunctorum peccatorum veniam pontifex noster Aldricus consequi mereatur, et eos easque quos et quas ei cura regiminis consociasti ac familiaritate et consanguinitate junxisti, et omnem populum Christianum angelorum omnium sanctorum tuorum præsidiis tuere, et animas famulorum famularumque tuarum omnium sibi commissorum et commissarum atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium, ut in pacis ac lucis regione constituas deprecamur. Per Christum Dominum nostrum. *Infra actionem.* Hanc igitur oblationem quam tibi pro pontifice nostro Aldrico atque grege sibi commisso et propinquitate ac familiaritate junctis ei atque pro salute cuncti populi Christiani suppliciter immolamus, quæsumus, Domine, ut benignus accipias, et tua pietate concedas, ut ei illis proficiat ad salutem hujus pietatis affectus, et animabus famulorum famularumque tuarum omnium sibi commissorum et commissarum atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescenium impetret beatitudinem sempiternam, diesque nostros. *Ad communionem.* Amen dico vobis. *Ad complendum.* Purificet, quæsumus, Salvator mundi, pontificem nostrum Aldricum divini sacramenti libatio, et gloriosa sanctæ Dei genitricis Mariæ atque omnium sanctorum oratio, et gregi sibi commisso ac familiaritate et consanguinitate junctis ei et omni populo Christiano misericordiam tuam ubique prætende, et animabus famulorum famularumque tuarum omnium sibi commissorum et commissarum atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium remissionem omnium tribue peccatorum et vitam habere concede sempiternam. Per, etc. *Alia.* Omnipotens sempiterne Deus, sanctæ Dei genitricis Mariæ et omnium sanctorum tuorum pia et assidua intercessione pontificem nostrum Aldricum ubique misericorditer protege et ab omnibus adversitatibus corporis et animæ tua potentia defende, commissumque sibi gregem cunctum ad regendum custodi, et omnem populum Christianum conserva, atque illi et omnibus in Christo quiescentibus requiem tribue sempiternam. Per, etc.

Item alia missa quam mutuo prædicti sacerdotes inter se cantare debent.

Deus, qui charitatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis et famulabus tuis diversorum cœnobiorum et titulorum atque locorum, tam sacerdotum et levitarum quam et reliquorum fidelium tuorum quorum quarumque memoriam agimus, et quorum quarumque his in titulis scripta continentur vocabula, fratribus ac sororibus et familiaribus nostris salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant, et quæ tibi placita sunt tota dilectione perficiant. Per Dominum. *Lectio Jeremiæ prophetæ.* Si iniquitates nostræ contenderint contra nos, Domine, libera nos, quæsumus, fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt adversiones nostræ, Tibi peccavimus, exspectatio Israel es, Salvator noster, in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum super nos invocatum est. Ne derelinquas nos, Domine Deus noster. *Secundum Matthæum.* In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, etc. *Secreta.* Munera, quæsumus, Domine, quæ pro nostra et omnium, quorum quarumque memoriam recolimus et quorum quarumque his in diptychis nomina continentur inserta, redemptione oculis tuis tuæ offerimus majestati placatus suscipe, et ad perpetuam nobis omnibus tribue pervenire salutem, per.

Omnipotens æterne Deus, imploramus tuæ majestatem misericordiæ, ut nobis et omnibus quorum quarumque recolimus memoriam, et quorum quarumque nomina his in diptychis continentur inserta veniam largiri digneris peccatorum, ut ab omnibus inimici vinculis liberati, tuis toto corde inhæreamus

mandatis, et te solum semper tota virtute diligamus, et ad tuæ quandoque beatitudinis visionem pervenire mereamur. Per Christum.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi pro peccatis atque offensionibus nostris, et omnium quorum quarumque agimus memoriam, et quorum quarumque hic continentur inserta vocabula, offerimus, ut cunctorum delictorum remissionem, consequi mereamur, quæsumus.

Divina libantes mysteria, quæsumus, Domine, ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem et pacem pro quorum quarumque dilectione hæc tuæ obtulimus majestati. Per Christum.

Alia.

Da famulis et famulabus tuis, quæsumus, Domine, omnibus quorum quarumque memoriam agimus et quorum quarumque nomina his in diptychis continentur conscripta, seu etiam cæteris fidelibus utriusque sexus, in tua fide et sinceritate constantiam, ut in charitate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per Christum.

Item missa pro defunctis fratribus et sororibus nostris.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro animabus famulorum famularumque tuarum, quorum quarumque memoriam agimus, et quorum quarumque nomina his in diptychis conscripta esse noscuntur, preces nostras, et lucis eis lætitiæque regionem in sanctorum tuorum societate concede. Per.

Alia.

Deus, cui proprium est misereri et preces exaudire supplicantium, propitiare animabus famulorum famularumque tuarum diversorum cœnobiorum et titulorum quorum quarumque memoriam agimus, et quorum quarumque hic assignata continentur vocabula, ut te miserante a vinculis peccatorum absoluti, ad æternæ beatitudinis requiem pervenire mereantur. Per.

Ad Thessalonicenses.

Fratres nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri qui, etc.

Secundum Joannem.

In illo tempore, dixit Jesus turbis Judæorum : Amen, amen dico vobis quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent, etc.

Secreta.

His quæsumus, Domine, placatus muneribus intende, et quod ad laudem tui nominis supplicantes offerimus, ad indulgentiam omnium quorum quarumque memoriam agimus, et quorum quarumque nomina hic continentur inserta, sive cunctorum fidelium proficiat defunctorum. Per.

Deus, qui nobis in Christo unigenito Filio tuo Domino nostro spem beatæ resurrectionis concedis, præsta, quæsumus, ut animæ pro quibus hoc sacrificium redemptionis nostræ tuæ offerimus maestati ad beatæ resurrectionis requiem, te mise-

A rante, cum sanctis tuis pervenire mereantur. Per Christum.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro animabus omnium quorum quarumque memoriam agimus, et quorum quarumque nomina his in diptychis conscripta esse noscuntur, seu cunctorum cunctarumque fidelium defunctorum defunctarumque, quæsumus, Domine, propitiatus accipias, et miserationum largitate tuarum concedas, ut quidquid terrena conversatione contraxerunt, his sacrificiis emundetur, ac vinculis mortis absolutæ, transitum mereantur ad vitam ; diesque nostros, etc.

Propitiare, Domine, quæsumus, omnibus in Christo quiescentibus, et animæ famulorum famularumque tuarum, quorum quarumque memoriam agimus, et quorum quarumque nomina his in diptychis conscripta esse noscuntur, his purgatæ sacrificiis indulgentiam pariter et requiem capiant sempiternam. Per.

B

Alia.

Deus, cui possibile est omnes homines sine difficultate salvare, tanto benignus animabus famulorum famularumque tuarum diversorum cœnobiorum et titulorum quorum quarumque memoriam agimus, et quorum quarumque hic assignata continentur vocabula, misericordiam concede perpetuam quanto eos ad Filii tui Domini nostri pertinere gratiam tribuisti. Per.

Alia.

C Deus, vita viventium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, præsta propitius ut animæ famulorum famularumque tuarum quorum quarumque memoriam agimus, et quorum quarumque nomina his in diptychis continentur inserta, a nostræ mortalitatis tenebris absolutæ in perpetua cum sanctis tuis luce lætentur. Per Christum.

LVI.

Exemplor precariæ de villa Tridente, quam Aldricus episcopus Bavoni Vasso dominico fecit tempore Ludovici piissimi Augusti.

Domino sancto ac venerabili basilicæ sanctorum Gervasii et Protasii martyrum quæ est constructa infra urbis Cenomonicæ civitatem, quam Aldricus episcopus in dominatione et regimine habere videtur, ejusque congregationi ex ipsa consistenti basilica. Ego enim in Dei nomine Bavo, dum et mea

D fuit petitio et vestra decrevit voluntas, et per permissionem domni nostri Ludovici gloriosi imperatoris villas vestras de ratione ipsius basilicæ, cujus vocabula sunt Tridentus et Vintleva, cum omni integritate eorum nobis ad usandum tenere permisistis, in ea vero ratione ut dum ego advivo, tenere et dominare facere debeam, et post meum quoque, Deo jubente, discessum partibus sancti Gervasii revertere faciatis. Et convenit nobis annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam argenti solidos quinque et viginti transsolvere debeam, aut decimam et nonam pleniter persolvam de omni reditu ; et si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem exinde facere de-

beam, et ipsas villas perdere non debeam, et ut A hæ præcariæ uno tenore conscriptæ omnique tempore firmæ et stabiles permaneant. Actum Cenomanis civitate publice, anno decimo et octavo regnante domno Ludovico gloriosissimo imperatore Nonas Kal. Maias. S. Bavonis vassi dominici, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Viddonis. S. Vul. S. Hervei. S. Serilonis. S. Berilonis. S. Ebrulfi vicarii. Hercheus. S. Adalberti Gislarnis. S. Adalgysi. S. Godofridi. S. Jacobi. Deusdet subscripsit. Bobilo subdiaconus scripsit et subscripsit.

LVII.

Exemplar præcepti domni Ludovici piissimi imperatoris de villa Tridente, quod fecit prædictus imperator Cenomanicæ matri ecclesiæ et Aldrico ejusdem urbis episcopo.

(Vide ibid., col., 1293).

LVIII.

Exemplar precariæ de Fraxinedo et sancto Georgio in condita Sagonense vel de aliis villis sancti Gervasii quarum vocabula in ea habentur inserta, quas Vulfingus tenet, quam ei Gauziolenus episcopus fecit primo anno regni Pippini regis.

Domino sancto ac venerabili basilicæ sancti Gervasii et Protasii infra urbis Cenomanicæ civitatem constructæ ubi Gauziolenus episcopus præesse videtur, ejusque congregationis ex ipsa consistentia. Ego enim in Dei nomine Vulfingus, dum et cognitum est qualiter domnus noster Pippinus gloriosus rex villas de sancto Georgio, sancto Gervasio, C Fraxinedo, Flexobracciale, Aciaco vel sancto Georgio cum appendiciis suis, Aloniaco longa filcaria, Camiaico mundarias, ad ipsam ecclesiam reddere jussit, et postea per verbum domno nostro Pippino mea fuit petitio, et vestra decrevit voluntas, ut ipsa locella per vestra beneficia ad usus fructuario ordine mihi teuere permisistis, id est, cum mansis, casis, domibus, ædificiis, mancipiis accolabus, libertis, terris, vineis, silvis, pratis, et pascuis, vel quantum ad ipsa loca aspectum esse videtur, dum ego advivo pro vestro beneficio mihi licet tenere et dominare. Et spondibus vobis ut pro indicio ipsius sancti Gervasii vel vestro non sit annis singulis ad festivitatem sancti Martini illam hibernaticam argento libra una ad partem sancto D Gervasio aut rectoris ecclesiarum transsolvere faciam : et si negligens aut tardus de ipso censo ad ipso placito fuero, fidem exinde facere debeam, et ipsam rem, dum ego advivo, perdere non debeam, et post meum quoque, Deo jubente discessum, ipsa locella cum eorum soliditate ad se pertinentis vel aspicientis vel quidquid ibidem attrahere vel immeliorare potuero, vel quantumcunque tunc temporis ibidem inventum fuerit, vos rectores sancti Gervasii sine ulla judicis consignatione aut hæredum meorum contraditione in vestram faciatis revocare dominationem et potestatem ad faciendum quod volueritis, et hæc precaria, ac si semper per quinquiennium renovata fuisset, firma permaneat. Actum Cenomanis civitate in anno primo regni domni nostri Pippini gloriosi regis. Signum Vulfingo, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Fulgoberti. S. Sichardi. S. Vildeni. Salomano rogatus subscripsit. Aiglibertus. subscripsit. S. Vuamafredi. S. Giboleni. Bertobodus subscripsit. Beraldus scripsit et subscripsit.

Anteriorum episcoporum authentica et precariæ infrascriptarum villarum in archivo Cenomanicæ matris ecclesiæ conservantur, et propter prolixitatem operis in hac schedula non sunt incerta.

LXI.

Exemplar precariæ quam Franco episcopus Germundo fecit de villa Fraxinedo, Flexobrachiale, Aciaco, sancto Georgio in condita Sagonense, cum appendiciis suis, et alauniaco, seu longa filcaria, et Camiaco, atque mundarias, cum omnibus ad se pertinentibus. B

Domino sancto ac venerabili basilicæ sancti Gervasii et Protasii martyris infra urbis Cenomanicæ civitatem constructæ, ubi Franco episcopus præesse videtur, ejusque congregationi ex ipsa Ecclesia consistenti. Ego enim in Dei nomine Germundus, dum et cognitum est qualiter domnus Carolus gloriosus rex villas sancti Gervasii, Fraxinedo Flexobrachiale, Aciaco, vel sancto Georgio cum appendiciis suis, Aloniaco, longua filcaria. Camiaco mundarias, ad ipsam ecclesiam reddere jussit, et postea per verbum domino nostro Carolo glorioso regi mea fuit petitio, et vestra decrevit voluntas, ut ipsa locella pro vestro beneficio ad usus fructuario ordine mihi tenere permisistis, id est, cum mansis, casis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis, terris, vineis, silvis, pratis, et pascuis, et quantum ad ipsa loca aspectum esse videtur, dum ego advivo pro vestro beneficio mihi liceat tenere et dominari ; et spondimus vobis ut pro indicio ipsius sancti Gervasii vel vestro non sit annis singulis ad festivitatem sancti Martini illa hibernatica argenti libra una vobis ad partem sancti Gervasii et rectoris ecclesiarum transsolvere faciam, aut decimam, aut nonam ex omni reditu pleniter persolvam ; et si negligens aut tardus exinde apparuero ad predictum placitum, fidem exinde facere debeam, et ipsas res, dum ego advivo, perdere non debeam, et post meum quoque, Deo jubente, discessum, ipsa locella cum eorum soliditate ad se pertinentis vel aspicientis, vel quidquid ibidem attrahere vel immeliorare potuero, vel quantumcunque tunc temporis ibidem inventum fuerit, vos aut rectoris sancti Gervasii sine ullius judicis consignatione aut hæredum meorum contraditione in vestram faciatis revocare dominationem et potestatem ad faciendum quod volueritis, et hæc præcaria, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, firma et stabilis permaneat. Actum Cenomanis civitate in anno XXXI, regnante domno nostro Carolo glorioso Rege, in mense Martio. S. Germundi, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Fulcoberti. S. Sichardi. S. Vuildoni. Haifredus subscripsit. Salomon rogatus subscripsit. Aigliber-

tus subscripsit. Vuanafredus Gibolonus subscripsit. Bertobodus subscripsit. Bavo subscripsit. Ebtardus subscripsit. S. Vultadi. Salaardus subscripsit. Vualtarius subscripsit. S. Frumaldi. S. Leuberti. Beraldus scripsit et subscripsit.

LX.

Exemplar precariæ de villa quæ vocatur Mansiones in condita Diablentica, quam Merolus episcopus Viliberto fecit.

Domino sancto ac venerabili basilicæ sancti Vincentii martyris, quæ est constructa extra muros Cenomanis civitatis, quam Merolus episcopus in dominatione et in regimine habere videtur. Ego enim in Dei nomine Vilibertus, et mea fuit petitio et vestra voluntas decrevit, et per jussionem domini nostri Caroli gloriosi regis villa vestra de ratione monasterii sancti Vicentii, quod situm est extra urbem, cujus vocabulum est ad Mansiones, cum omni integritate et appendiciis in vicaria Diablentica nobis ad usitandum tenere permisistis, in ea vero ratione ut dum ego advivo et dominari facere debeam, et post meum quoque, Domino jubente, discessum, partibus sancti Vicentii monasterii revertere faciatis. Et convenit nobis annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam de argento solidos decem transsolvere debeam, aut decimam et nonam pleniter persolvam de omni reditu, et si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem facere exinde debeam, et jam dictam villam perdere non debeam, sed hæc precaria, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, firma et stabilis permaneat. Actum Cenomanis civitate in anno XXXII, regnante domno nostro Carolo glorioso rege in mense Aprili. S. Viliberti, qui hanc precariam firmare ac fieri rogavit. S. Maginardi. S. Barivei. S Girberti. S. Enigrimi. S. Adelberti. Bavo suscripsit. S. Raginfridi. Gedean subscripsit. Ebtardus subscripsit S. Raginfrindi. Jacob subscripsit. S. Bartaldi. S. Amalberti. S. Joachim. S. Bosleni. Nersinus diaconus scripsi. et subscripsit.

LXI.

Exemplar precariæ quam Merolus episcopus Viliberto de cella sancti Frambaudi fecit.

Domino sancto ac venerabili basilicæ sanctorum martyrum Gervasii et Protasii quæ est constructa infra urbem Cenomanis civitatem, quam Merolus episcopus in dominatione. et in regimine habere videtur, ejusque congregationi in ipsa basilica consistenti. Ego enim in Dei nomine Vilibertus, dum et mea fuit petitio et vestra decrevit voluntas. et per jussionem Domini nostri Caroli gloriosi regis monasteriolum vestrum de ratione prædictæ basilicæ, cujus vocabulum est ad cellam sancti Frambaldi, in vicaria Gabronense, cum omni integritate sua vel appendicis nobis ad usandum tenere permisistis, in ea vero ratione ut dum ego advivo tenere et dominari facere debeam, et post meum quoque, Deo jubente, discessum, partibus sancti Gervasii revertere faciatis. Et convenit nobis annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam de argento solidos sex transsolvere debeam; et si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem exinde facere debeam, et ipsum monasteriolum perdere non debeam, sed hæc precariæ uno tenore conscriptæ omnique tempore firmæ et stabiles permaneant. Actum Cenomanis civitate anno XXXII, regnante domino Carolo gloriosissimo rege, IX. Kal. Mahias. S. Viliberti, qui hanc precariam fieri et firmare rogavit. S. Gedeonis. S. Gripponis. S. Gauzberti. S. Ragemberti. S. Audulfi, S. Gheldulfi. S. Brucleni. Jonas subscripsit. S. Varau. S. Gulfaldi. Bavo diaconus scripsit et subscripsit.

LXII.

Exemplar precariæ quam Merolus episcopus Viliberto fecit de Belfaido in canonico, et de Senmuro, et Ingranda, et Vivillare, et Fontanas, et Monasteriolum, et Bragolium, cum eorum appendiciis.

Domino sancto et venerabili basilicæ sanctorum Gervasii et Protasii martyrum infra urbem Cenomanis civitatem constructæ, ubi Merolus episcopus præesse videtur, ejusque congregationi in ipsa ecclesia consistenti. Ego enim in Dei nomine Vilibertus, dum et cognitum est qualiter domnus Carolus gloriosus rex villam sancti Gervasii, Belfaidum vicum publicum cum suis appendiciis, Belfaidum vicum publicum cum suis appendiciis, et Senmurum, et Ingrandam, et Vivillare, sive Fontanas, et Monasteriolum, et Bragolium, sive Auciacum vicum publicum, cum omni integritate vel eorum appendiciis ad jam dictam ecclesiam reddere jussit, et postea per verbum domno nostra Carolo glorioso regi fuit petitio, et vestra decrevit voluntas; ut ipsa locella per vestrum beneficium ad usum fructuarium ordinem mihi tenere pesmisistis, id est, cum mansis, casis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis, terris, vineis, silvis, pratis, et pascuis, vel quantum ad ipsa loca aspectum esse videtur, dum ego advivo per vestrum beneficium mihi liceat tenere et dominari. Et spondimus vobis ut pro indicio ipsius sancti Gervasii vel vestro non sit annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam argenti libram unum et dimidiam vobis ad partem sancti Gervasii et rectoris eclesiarum transsolve refaciam, aut decimam et nonam ex omni reditu pleniter persolvam; et si negligens aut tardus exinde apparuero ad prædictum placitum, fidem exinde facere debeam, et ipsas res, dum ego advivo perdere non debeam, et post meum quoque, Deo jubente. discessum ipsa locella cum omni soliditate ad se pertinentes vel aspicientes, vel quidquid ibidem attrahere vel immeliorare potuero, vel quantumcunque tunc temporis ibidem inventum fuerit, vos aut rectores sancti Gervasii sine illius judicis consignatione aut hæredum meorum contradictione investram faciatis revocare dominationem et potestatem ad faciendum quod volueritis et hæ precariæ, ac si semper per quinquennium renovatæ fuissent, firmæ et stabiles permaneant. Actum Cenomanis civitate publice anno XVIX, regnante domino Carolo glorioso rege in mense Maio. S. Viliberti qui hanc

precariam fieri et affirmare rogavit. S. Hervich. S. Adalulfi. S. Osberti. Boso supscripsit. S. Vuedranni. S. Troduini. S. Gehrii. S. Ramestani. Bavo subscripsit. Eptardus subscripsit. Salahardus subscripsit. S. Amalberti. Beraldus subscripsit. S. Pharamundi. Vinneradus diaconus scripsit et subscripsit.

Anteriorum episcoporum athentica et precariæ infrascriptarum villarum in archivo Cenomanicæ matris ecclesiæ conservantur, atque propter prolixitatem operis in hac schedula non sunt inserta.

LXIII.

Exemplar epistolæ quam domnus Ludovicus imperator Elisachoro abbati suoque misso misit, ut beneficia et res in ea scriptas Aldrico episcopo vel suis missis consignaret, et suum episcopium imperiali auctoritate ex eis pleniter revestiret.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus Aldrico venerabili episcopo et fideli nostro salutem. Noverit tua industria quia missus tuus nostram adiit præsentiam innotescens quod quidam vassali nostri, Chermundus, Vulfardus, Berchadus, Bodo et socius suus, beneficia ex tuo episcopio habent quæ olim per precarias inde alienata fuerant. Qua de re volumus ut tu nostra auctoritate recipias usque ad nostram præsentiam, et de nostra fidelitate magnam curam semper habeas, sicut hactenus te habere cognovimus. Nam memoratus missus tuus nostram deprecatus est pietatem ut aliquem missum tibi dederimus qui prædictas res tibi ecclesiæque tibi commissæ consignaret et vestituram legitimam faceret. Qua de re Helisachoro misso nostro præcipimus ut de supradictis beneficiis tibi vestituram faciat quando illas in partes a nobis directus fuerit. Volumus etiam ut quam citius poteris missum tuum bene fidelem ad nos dirigas, qui nos certos faciat qualiter erga vos et reliquos fideles nostros modo agatur, et quid de illis causis factum quas vobis agere præcepimus. Bene vale, et ora pro nobis.

LXIV.

Exemplar præcepti domni Ludovici piissimi imperatoris de quibusdam beneficiis vassalorum suorum, id est, Germundi, Vulfardi, Berchadi, Bovonis et socii ejus, quæ prædictus imperator reddidit et confirmavit Cenomanicæ matri ecclesiæ et Aldrico ejusdem ecclesiæ episcopo.

(Vide ubi supra, col. 1294.)

LXV.

Concordia Bethtæ cum monasterio sancti Vincentii.

Dum cognitum est quod Bethta Deo sacrata portione aliqua in locella nuncupantia Soliaco, Mansione, villam Bariaco, seu et Briscino, quam filius suus Ermenfredus quondam moriens dereliquit, et ad ipsam legibus obvenit, per venditionis titulum A ad basilicam sancti Vincentii Cenomanis civitate vindicat, et accipit exinde in pretium, quod et bene complacuit atque convenit, hoc est, auri solidos probos, optimos atque pensantes numero ducentos. Quo veniens venerabilis frater Patuinus præpositus de ipso monasterio una cum venditione ipsa, in privata collatione ipsa protulit ad relegendum dum inter se intenderent, (hi sunt, Berthofridus, Dodo una cum conjuge sua Eudilane vel Bertholanda cum infantibus suis his nominibus Ademaro et Joanne), chartam ambagibalem ibidem præsentabant quam Bethta ad ipsos infantes suos fecerat, ubi habebat insertum, dum advivebat, et in partes duas Leogiliso quondam conjuge suo quam et suam tertiam ad usum tenuerit, et post suum discessum ad jam B dictos infantes suos tam illas duas partes quam et suam tertiam in eorum reciperent dominatione, dum inter se intenderent, mediantibus bonis hominibus ad pacis concordiam visi sunt eos revocasse. Convenit inter ipsos quod illa quarta parte quam Ermenfredo quondam in Mansiones debitum erat memorati infantes Berthofredo, Dodo una cum conjuge sua Eodilane vel Bertholanda contra venerabili fratre Patuino præposito vel ipso monasterio, quantumcunque ibidem habere videntur, omni tempore habeant evindicatum, et reliquo vero tam in Soliaco quam in Bariaco seu et in Briscino quidquid Ermenfredo quondam obvenire debuit, vel quantum per venditionis titulum memorata Bethta sive jam Noberta ad memorata basilica delegata contra ipso Berthofredo et Dodone C uno cum conjuge sua Eodilane necnon et Bertolandane, tam terris, casis, mancipiis, domibus, ædificiis, accolabus, partis, pascuis, vineis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mobile et immobile, junctis et subjunctis, vel omni supraposito, quantumcumque in jam dicta locella Ermenfredo quondam habere debuerat, pars monasterii sancti Vincentii vel ejus rectores contra ipsos homines superius commemoratos æquali lance dividere debent. Unde convenit ut tres epistolas uno tenore conscriptas inter se fieri et accipere deberent, quod et ita fecerunt, ut nullus contra parem suum de istis convenientis se remutare non posset; quod in hoc facere præsumpserit, partem suam a D pare suo amittat, et insuper fisco sociante auri libras decem argenti ponde viginti coactus exsolvat, et nec sic quod reperit vindicare non valeat, et has epistolas, quas in invicem bona voluntate fecerunt, cum stipulatione intraposita firmas et inviolabiles omni tempore valeant perdurare. Actum Soliaco in rem ipsam is anno XI regni domni Theodorici gloriosi regis, quod fecit præsentis mensis Octobris die duodecimo. Dodo subscripsit. S. Eodilane conjuge sua Berthofredus subscripsit. S. Bertolandane germana eorum, qui hanc epistolam fieri rogaverunt. Diriceus abbas subscripsit. Beoraldus in Dei nomine abbas subscripsit. Aiglimanus subscripsit. Joannes subscripsit Salico subscripsit. Dadolo Sidonianis subscripsit Bertholaudus subscripsit. S. Vuitdoni. S. Turpaldo.

Bavo subscripsit. Landulfus subscripsit. Olricus A subscripsit. Caldobertus recognovi et subscripsi.

Anteriorum episcoporum authentica et precariæ infra scriptarum villarum in archivo Cenomanicæ matris ecclesiæ conservantur, et propter prolixitatem operis in hac schedula non sunt inserta.

LXVI.

Precaria de villa Calisamen quam fecit Aldricus Cenomanicæ sedis episcopus, Agberto vasso dominico tempore Ludovici piissimi Augusti.

Domino sancto ac venerabili basilicæ sanctæ Mariæ semper virginis sanctorumque martyrum Gervasii et Protasii, quæ est constructa infra muros Cenomanis civitatis, quam Aldricus episcopus in dominatione et regimine habere videtur, ejusque congregationi ex ipsa consistenti. Ergo enim B in Dei nomine Agbertus, dum et mea fuit petitio, et vestra decrevit voluntas, villam vestram de ratione ipsius basilicæ, cujus vocabulum est Calisamen, cum omni integritate nobis ad usandum tenere permisistis, in ea vero ratione ut dum ego adviyo tenere et dominari debeam, et post meum, Deo jubente, discessum, partibus sanctæ Mariæ et sancti Gervasii sanctique Protasii revertere faciatis; et convenit nobis ut annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam argenti solidos xxv transsolvere debeam, aut decimam et nonam pleniter persolvam de omni reditu, et si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem exinde facere debeam, et ipsam villam perdere non debeam. Et ut hæ precariæ uno tenore conscriptæ omni tempore C firmæ et stabiles permaneant, manu nostra et aliorum nobilium nostrorum subterfirmandas esse decrevimus. Actum Pictavis civitate publice, anno xxvii imperii domni Ludovici piisimi Augusti, ix Kal. Februarias, S. Agberti qui hanc precariam fieri ac firmare rogavit. S. Regenarii comitis palatii. S. Gauzelini mansionarii. S. Ragenaldi comitis. S. Ramnulfi comitis palatii. Gibertus comes signavit. S. Valfredi comitis. Eberardus comes signavit. Emino comes signavit, Radulfus vassus dominicus signavit. Gauziolenus vassus dominicus signavit. Rotgarius vassus dominicus signavit. Isaac vassus dominicus signavit. Immo vassus dominicus signavit. Varnarius diaconus scripsit et subscripsit.

LXVII.

Exemplar præcepti domini Ludovici piissimi imperatoris de villa Calisamen, quod fecit prædictus imperator Cenomanicæ matri ecclesiæ et Aldrico ejusdem urbis episcopo.

(Vide ubi supra, col. 1295.)

LXVIII.

Exemplar præcepti domni Ludovici piissimi Augusti quod, precante Aldrico episcopo, fieri jussit quando ei concessit ut haberet suum œconomum qui pro illo secundum jussionem suam generet exteriores curas et regalia servitia, et itinera faceret, et prædictus pontifex sua in parochia resideret, et suum ministerium absque impedimento adimplere curaret, et reliqua sicut in eo continentur inserta.

(Vide ubi supra, col. 1297.)

LXIX.

Exemplar præcepti domni Ludovici piissimi Augusti de villa Bonallu quod fecit prædictus imperator quando illam reddidit Cenomanicæ matri ecclesiæ et Aldrico ejusdem ecclesiæ episcopo.

(Vide ubi supra, col. 1298.)

ANNO DOMINI DCCCLVI.

ANGELOMUS

LUXOVIENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN ANGELOMUM.

(Fabric, Bibl. med. et inf. Lat.)

Angelomus, monachus Luxoviensis in Burgun- D dia, ordinis Benedictini, scripsit ad Lotharium, adeoque ante annum 855, quo Lotharius imperator et Drogo Metensis episcopus obiit (*a*), *Enarrationes*, sive *Stromata in Canticum canticorum*, et post mortem ejusdem Drogonis, Stromata *in quatuor libros Regum* collecta ex Patribus et laudata Sigeberto cap. 86, et Trithemio cap. 266, de S. E. et de illustribus Benedictinis II, 42: qui etiam ejus *librum de divinis Officiis* commemorat. Stromata in libros Regum ante editionem Rom. 1565, fol., habeo edita Coloniæ 1530, fol., per Eucharium Cervicornum, qui in Præfat.: *Utinam reliqua ejus opera, præsertim quod* in Genesin *edidisse se fatetur, exstarent*, etc. Ista *in Genesin* Commentaria nuper ex codice monasterii ad Petrum Salisburgensi vulgavit Bernardus Pez., tom. I Anecdotorum, pag. 43, Augustæ Vindel., 1721, fol., quibus Angelomus proœmium versibus hexametris præmisit. Utraque in Canticum, quæ et ipsa excusa Coloniensibus typis, et in libros Regum recusa exstant in Bibliotheca Patrum Coloniensi, tom. IX, pag. 780, et Lugdunensi, tom. XV, pag. 307-415. In libros Regum non diffitetur se Drogonis hortatu *ad calcem tenus perduxisse, non solum quidem quia filius erat præstantissimi Caroli Cæsaris, imo frater mitissimi Ludovici principis, verum etiam quia erat præclarus pontifex et abbas meus egregius.*

(*a*) Vide Labbeum de S. E., tom. I, p. 77.

ANGELOMI

LUXOVIENSIS MONACHI

COMMENTARIUS IN GENESIN [a]

(Apud Pezium, Thesaur. Anecd. noviss., tom. I.)

INCIPIT PROOEMIUM SEQUENTIS OPUSCULI ANGELOMI DIACONI.

[b] Istius egregii seriem percurre libelli,
Quem dictante Deo libuit depingere, lector,
Ut prosam reseret, nec non tibi mystica pandat:
Propellat nocuas, nocuoque ex corde tenebras,
Vitalesque legens crebro decerpere sensus,
Atque satis valeas mentis pinguescere fibras.
Historiæ hic Genesis reserantur opuscula sacra.
Omnia quæ pandunt grandævi condita mundi
Scilicet æthereique poli, telluris aquæque
Condidit, æthralique Deus qui regnat in arce.
Materia in species informi transtulit aptas,
Conspicumque manet visu, et palpabile quidquid
Nostris, exceptumque quidem seu visibus atque
Cum socia Patris, virtute et Flaminis almi
Olim condiderat pariter ratione potenti.
Nam referunt etiam nostræ primordia vitæ,
Cum hominem narrant paradisi in sede locatum,
Unde draco sævus detraxit lividus, atque
Tartaream sedem, vetitum quia tollere pomum
Ambro quin voluit, solus nec pertulit iram;
Sed genus humanum pœnas, heu! sensit Averni,
Quod genuit totum proprio de femore lapsus
Hic sex annorum mansit per millia trusus,
Filius ille Dei donec descendit ab aula
Sumere nomen Adæ voluit qui ac omnia membra
Solvit sic miserum miserans indigna ferendo;
Ut caperet plorans tandem cœlestia regna,
Quæ tacto poterat sine Christo perdere pomo.
Hic patriarcharum clarissima gesta leguntur,
Mystica quæ nimium gravidis typicisque figuris
Signantur Christi, nostræque et dona salutis,
Hic sacra nam sacræ cernuntur dyndima legis,
Atque evangelica salpix [*leg.* salpinx] typice into-[nat orbi.
Texitur eloquium sanctorum hinc purius auro,
Clarius argento, formosius undique electro,
Quod nobis pandit typice moderamina vitæ.
Mystica depromit, promittit et alta polorum:
Dorica nam Hebræa fari, nec lingua Latina
Possunt, quæ gremio retinet sacra iste libellus.
Ergo age jam calles rutilos discurre libenter,
Istius ut capias sacra tot charismata, lector,
A E quibus altithronum possis dignoscere Christum
Et merearis ovans cœli conscendere limen,
Quoque metas felix multarum gaudia rerum,
Cernendo Dominum semper per sæcula verum.
Amen.

Expliciunt versus.

ITEM PRÆFATIO IN OPUSCULIS EX LIBRO GENESIS, ANGELOMI DIACONI.

[c] Eximio Patri, et floribus virtutum fulcito [Z., Patri moribus virt. ful.], sapientiæque nitore ornato LEOTRICO sacerdoti, ANGELOMUS humilis Levita.

Postquam gazophylacia ac thesauros quatuor Evangeliorum, quæ omnibus divinarum Scripturarum paginis sua merito auctoritate præcellunt,
B scilicet egregio domino permittente, ac imperante abbate, subtili indagatione, Domino largiente, in quantum quivimus, rimati sumus, videlicet magistro, viro quidem eruditissimo Mellino [Z., Mellilico] sacerdote sermone lampabili, ac toto catholico propalante spiritualem aurem accommodante intelligentiam libenter hausimus, tandem, ut nosti, ad abyssos Veteris Testamenti, Christo præsule, prædicto Patre imperante, quanquam pavidi, ovantes appulimus, atque alta pelagi reumaque gurgitum divinæ historiæ nostram carinam avidi scrutatores immersimus. Cum enim, auctore lucis afflante, etiam evangelicum clypeum læva gestantes, gladiumque ancipitem divini verbi dextra ferentes, in tam vastissimos ac mysticos quoque
C sensus tegmine sublato didascali promulgatione testimoniis divinarum cincta potissimo labore desudantes, proficuaque collatione meditantes ea quæ ab ore doctoris libentissime hausimus, memoriæ sensus commendaremus, inter colloquia cœlestis oraculi cœpisti affabili pioque affamine crebro suggerere, ut ea quæ ubertim ac mirabiliter divinarum auctoritatibus approbata exponi videbantur, et thesauro pectoris juxta fragilitatem sensus recondebantur, in membranulis meo stylo digerere non abnuerem, ut haberetur unde in futuro frequentata lectione memoria recrearetur. Quod ego tantæ rei pondus pertractans, omnimodis delitescendo facere distuli. Sed nos incœpto opere gravi

[a] « Prodit nunc primum in lucem ex ms. codice celeberrimi monasterii ad S. Petrum Salisburgensis ordinis S. Benedicti, diligenter collatus cum codice ms. inclyti cœnobii Zwetlensis ordinis Cisterciensis. » PEZ.

[b] *Sequentes versus absunt a Codice Zwetlensi.*

[c] Cod. Z.: *Incipit prologus beati Angelomi monachi et Levitæ, ad Leodricum sacerdotem, super Genesim.*

labore desudantes, subito, Domino annuente, in A onus curæ pastoralis, a qua te excusare minime licuit, pro aliorum salute suffectus es. Ego inibi te subrogatum, quo sub gravi falce depressum etiam lacrymabili ore declamas, eo quod salutaria dicta et mella animarum sedula meditatione, ut prius imbibere non licet, rursus me accersito auctoritate prælationis, cœpisti, non sugerendo, ut dudum, sed quodammodo intentando imperare, ut aliqua opuscula ex libro Geneseos, maxime sex dierum opera, a Domino patrata, juxta litteram, quæ valde difficillima videntur, sicut a doctore tradita fuerant, liquido sermone depromerem : quoniam spiritalem intelligentiam, quæ in nonnullis locis magnam obtinet nebulositatem, in libris Patrum te habere, et maxime a beato Isidoro, viro erudi- B tissimo, enucleatum testaris, licet omnia quæ in præfato volumine continentur mysteria, non ab eo inveniantur compacta, et [*Cod. Z. om.* et] etiam, quod est gravius, ea quæ a tanto doctore prætermissa sunt, secundum quod [*Cod. Z.*, quæ] tradita mihi fuerant, et per me invenire potuissem, ut suis insererem locis, libera auctoritate imperasti. Cujus præceptionis censuram pertimescens, tacita cogitatione assensum præbere decrevi. Sed quanquam multa forent, siquidem præ omnibus duo sunt quæ me ab hoc opere maxime deterrent. Unum, quod huic oneri me imparem reperio, præsertim cum nulla sim scientia liberalium artium oppletus, non syllogismorum schematumque ac troporum figuris ornatus, licet aliquid prælibas- C sem. Non etiam flore veteris scentiæ fultus, sed indoctus eloquio, exsors elogio. Aliud, quod tanta obscuritate obnubilatur, ut mihi vix aliquid interlucere videatur. Unde miror quare tantus vir non solum sapientiam artium ineptus, verum etiam sacrarum Scripturarum divitias nactus, ut merito illud epithalamium decantare gratulabundus valeas : *Introduxit me rex in cellaria sua* (*Cant.* I, 4) et reliqua, mihi viribus destituto, acerrima jussione molem tanti ponderis imponere studueris.

Verumtamen, ut affatus sum, perdendens quod tuis me obsecundare oportebat imperiis, memorans illius Dominici præcepti, quo ait : *Qui vos audit, me audit*, etc, (*Luc.* X, 16), diu multumque dubitans, virium mearum impossibilitatem D anxio animo trutinans, velut nauta naufragus fluctuum procellis turbatus tandem portum orationis pavens, fateor, petii ; ut largitor rerum, unica spes, orbis Dominus, vires, licet indigno, tribueret, quatenus hoc recto [Z., rato] tramite, imo intemerata fide explere potuissem. Denique ipso inspirante, quamvis pavido conatu, tamen tuis jussionibus parere studui : ac sex dierum opera juxta historiam, licet tropica permista sint, pauca prout mihi tradita fuerant, impolito sermone enucleavi. Cumque jam finem defigere ultima dictano decreverim, et super hac re reticere ultra penitus disposuissem, repente magister ingressus, his me verbis blande alloquitur : Quid, inquit, affabilis fili ? quid [Z., quod] cum tanto studio edisseras ? Quod cum celare non auderem teste conscientia, humili ore deprompsi. Ipse vero nosse gestiens, ut est sagacis ingenii solers, si quid utilitatis edidissem, coram se relegi præcepit. Quæ perlecta, ut ita dicam, laudavit, atque, inquam, approbavit, contulitque etiam mihi librum beati Augustini contra Manichæos super hac re luculento sermone exaratum, unde ea quæ digesseram, comprobare quivissem. Quo ferventi astu lustrato, Christo præduce, non solum in sensu, verum etiam in quibusdam locis syllabisque concordantem inveni. Deinde [Z., Dein] imperat juxta suum nomen locutione melliflua, ut ignavia temporis non pigrescerem, et cæptum opus non sinerem, sed solerti studio peragere tentarem. Rursus pertractans, ne forte ad aliquorum perfectum, saltem parvulorum fieri juberetur, jam divino auxilio fisus, tuis, Pater, ejusdemque magistri præconiis provocatus, orationumque vestrarum suffragiis fretus, opus imperatum, quanquam sermone inculto, texere sum aggressus. At vero ne quis mea inserta conjiceret, sanctorum Patrum hinc inde volumina aggregans [*In cod. Petr. deest* aggregans], ut ex eorum dictis corroborarem ea quæ describerem ; unde nonnulla ex eorum quodammodo magnis fluminibus profundisque gurgitibus in rivulum derivavi exiguum, præcipua et propria eorum indidi dicta. Nonnulla quippe causa brevitatis, sensum eorum sequens, propriis intuli verbis ; aliqua vero quæ ex traditione didici, et in tomis penes nos invenire non potui, constipulata exemplis subnectere præsumpsi, et in libelli modum finire decrevi, ut qui diversis causarum tumultibus occupatus, latissimos doctorum non vacat percurrere campos, hunc admodum brevitate collectum ocius lustrare quivisses libellum, quem peto, ut sagaci examinatione percurras, et tuis phaleramentis facetæ urbanitatis decorare studeas, ne sciolis fastidium generet, et aures sapientium sermo incultior commaculet.

Sed antequam isagoge ad calcem perveniat, notandum est quod in quibusdam locis veritatem videlicet historiæ semper pandens, spiritalem moralemque intelligentiam inserere nisi sumus, inibi scilicet ubi prædixisti ut historia veritatem factorum, ac fidem relationis inculcet, et spiritalis intelligentia ad cœlestium figurarum secreta perducat, et moralis persuasio ad meliorationem vitæ invitet ; ne solummodo historia [Z., historiæ] pressus, sed spiritualis, imo moralisque [Z., moralis] dulcedine captus lector, excusationis invenire possit anfractus : sed ex hoc cum ambrosios cœperit decerpere gustus, magis libenter campos doctorum satagat lustrare ovans latissimos. Vale.

Explicit præfatio. [a]

[a] *Z : Explicit prologus Angel. Levitæ ad Leodricum Sacerdotem super Genesim*

INCIPIT TEXTUS OPUSCULI IN GENESIM.

In principio creavit Deus cœlum et terram.

Adminiculante divina gratia, quæ parvulis confidentiam, mutis præstat locutionem, descripturus opusculum in libro Genesis, antequam contextum [Z., textum] historiæ et enthecas spiritalis oraculi attingam, libet inquirere quare volumen istud specialiter Genesis vocetur, cum in eo multa commemorantur quæ ad generationem non pertinere noscuntur, nisi quia consuetudo est Hebræorum ex principiis nomina librorum imponere, sicut Exodus, et multi alii nuncupantur. Unde Bresith Hebraice, Latine non immerito Genesis interpretatur : eo quod in ipso exordio de creatione cœli, ac terræ, et generatione hominum animantiumque narratur. A nonnullis etiam quæritur quis scriptor hujus libri habeatur ? Licet supervacue moveatur, cum tamen auctor illius Spiritus sanctus fideliter credatur : quia nemo facta ante homines describere poterat, nisi Spiritus sanctus dictaret, et per scribentis vocem hominibus in principio gesta narraret. Sed sciendum est, quanquam in eo scriptum sit, *Erat Moyses mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra* (*Num.* XII, 3) ; et *locutus est Dominus ad Moysen*, et mille talia ; tamen sicut a doctoribus traditur, et multis exemplis comprobatur, unde est : *Unum scripsit Moyses canticum, et docuit filios Israel* (*Lev.* XXXI, 22), et alia hujusmodi, ipse Moyses scriptor divinæ historiæ exstitit. Moris enim Scripturæ sacræ est ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur, quia Spiritu sancto impelluntur.

Deinde simul quosdam etiam movet, quæ causa accidit ut historiam divinæ legis idem Moyses suo tempore describeret, et non olim exarata a quoquam fuerit ; nisi quia primis hominibus ante diluvium cognitio Dei, et lex naturalis, atque mira Dei opera exordio patrata cognita fuerant. Sed post diluvium ista omnia ita oblivioni tradita erant, et maxime temporibus Moysi, ut plane homines ignorarent quod ante acta fuissent [Z., quod antea actum fuerat]. Unde etiam philosophi principium hujus mundi ignorantes dicebant mundum esse coæternum ac coævum. Et forte hoc audiens Moyses [Z., vel quia] quia cuncta taliter abolita erant a sensibus hominum, instructus divino Spiritu, ratum duxit texere creationes cœli et terræ, cæterarumque creaturarum, atque legem litteræ, Domino imperante, filiis Israel tradere ; ut eosdem plenius instrueret de Deo, ne ad idola Ægyptiorum redirent, et mundum creatum ostenderet. Unde quia jam sicut in primis hominibus lex bonæ naturæ non servabatur, sed pene abolita erat, per Moysen lex litteræ descripta et data est, ut bona quæ sciebantur, auctoritatem haberent, et quæ latere cœperant manifestarentur, et ut terror disciplinæ corrigeret delinquentes et fidem reformaret in Deum. Et nunquid Moyses ibi erat, quando Deus cuncta creavit ? Minime ; sed ipsa coæterna sapientia Dei Patris, per quem facta

A sunt omnia, eidem Moysi, famulo suo, revelavit tempore quo voluit, ut olim facta conscriberet. Et quomodo ei fidem accommodare possumus, vera dixisse, nisi quia futuris sæpe probantur præterita, et præteris futura, sicut in Daniele comprobatur, et in hoc libro ostenditur ? Denique de illo tempore Moyses scripsit homo, quando non erat homo, cum ait : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Sicut enim de illo tempore scripsit homo, quando non erat homo ; ita etiam futura scripsit eo tempore, quando erat homo, quæ postea expleta comprobantur in veritate, sicut in patriarchæ Jacob benedictione declaratur, juxta quod ipse ait dicens : *Non auferetur sceptrum de Juda*, etc. (*Gen.* XLIX, 10), quæ in figura Christi prædicta fuerant ;
B sed jam in veritate creduntur completa. Si enim de futuro vero non dixisset, de præterito, quod certum scripserit, nemo credere voluisset. Nec non etiam interrogatur ubi Moyses libros suos ediderit ? Dicunt enim nonnulli quod Genesim et Exodum usque : *Cantemus Domino*, in Ægypto conscripserit, cætera vero in solitudine. Alii vero asserunt quod, transito mari Rubro, per quadraginta annos in deserto descripserit quod et ratione comprobari [Z., per rationem probari] potest. Hæc enim scire volentibus pauca dicta sufficiant. Nunc, Domino favente [Z., largiente], ad historiæ seriem transeamus. Ait enim Moyses.

CAPUT PRIMUM.

C Vers. 1. — *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Primum notandum quod mox Scriptura primo verbo æternitatem atque potentiam Dei creatoris ostendit. Quem enim in principio temporum mundum creasse perhibet, in ipso perfecto ante tempora æternaliter exstitisse designat ; et quem in ipso conditionis initio cœlum et terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentem declarat, cui voluisse fecisse est. Et in hoc aperte datur intelligi quia utrumque simul ab eo factum est, quamvis utrumque ab homine dici non possit. *In principio.* Quod duobus modis accipi potest : *in principio* scilicet primum [Z., primo] omnium, hoc est, in initio creaturarum. quod LXX interpretes, et Symmachus, et Theodotion similiter transtulerunt.
D Et in Hebræo scriptum est : *Bresith*, quod Aquila interpretatur, *in capitulo*. Sive quod ait, *in principio*, intelligendum est, in Filio, qui de semetipso ait : *Principium qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 5). Et de quo Joannes dicit : *In principio erat Verbum*, et reliqua (*Joan.* I, 1). Unde et in psalmo de ipso Psalmista ait : *In capite libri scriptum est de me* (*Psal.* XXXIX, 8). Et ideo *in principio*, id est in Filio, imo per Filium fecit Deus omnem spiritalem corporalemque creaturam, quæ cœli et terræ nomine appellata est. Sed magis hoc qui ita dicunt, secundum sensum quam secundum verbi translationem de Christo accipi volunt. Sed forte quærit aliquis quare fecit Deus cœlum et terram ? Cui respondendum est : Voluntas enim Dei causa est cœli et terræ ; et ideo major est volun-

tas Dei quam cœlum et terra; et qui hoc quærit, majus aliquid quærit quam est voluntas Dei, et nihil majus invenire potest. Compescat se ergo humana temeritas, et id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat. Et si voluntatem Dei nosse desiderat, fiat amicus Dei. Quia si alicujus voluntatem hominis nosse vellet, cui amicus non esset, omnes ejus impudentiam [Z., imprudentiam] aut stultitiam deriderent. Attamen arbitrari possumus mundum istum hominis causa esse fabricatum qui domus illius quodammodo factus est; qui, cum diversis constet substantiis, unus est [Z. *om.* est] tamen multis membris aptatus, ut ex his invicem mutuis operibus, quæ necessaria homini futura erant gignerentur. Denique quod ait: *Creavit Deus cœlum et terram*, nonnulli simpliciter intelligentes, quibus sacra Scriptura nidus est, et non habentes pennas quibus queant alta petere, dum audiunt Deum, putant eum esse corporeum, et aliqua mole miræ magnitudinis summaque potentia præditum. Isti enim non sunt per omnia contemnendi, sed potius implorandum est [Z., *om.* est] pro eis, ut Dominus mittat angelum suum qui eos in nidum recollocet, et plumescant, atque alas spiritalis intelligentiæ accipiant, ut Deum incorporeum et invisibilem intelligant, ne tanquam pulli implumes a viantibus conculcentur.

Alii vero, altioris intelligentiæ sapientia [Z., intelligentia sapientiæ] præditi, quibus divina Scriptura non jam quodammodo nidus, sed fructus est atque cibus, qui per ramos hujus arboris gratulando volitant, attendentes ipsum Deum incorporeum, invisibilem, et intelligunt qualiter in Filio, hoc est, in Verbo suo non transeunter sonando, sed æternaliter manendo, creavit cœlum et terram. Itaque [Z., jamque] quod sequitur: *cœlum et terram*, diversi diversa sentiunt. Nonnulli nomine cœli volunt intelligi cœlum istud conspicuum; et terræ nomine terram hanc visibilem, ex qua gignuntur universa. Alii quippe illud intelligi volunt cœlum thronum Dei, quod solius [Z., solum] præsentiæ divinæ ab omni volubilitate hujus mundi manet secretum, de quo in sequentibus plenius suo loco dicturi sumus. Alii autem in cœlo intelligunt spiritales creaturas, id est angelicam dignitatem; quia prima die ipsam spiritalem [a] condidit, de qua legitur in libro beati Job: *Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei* (*Job.* XXXVIII, 7); in terra vero informem materiam Alii quippe vocabulo cœli ac terræ ipsam informem materiam, ex qua creatum est cœlum et terra. Nec immerito, quia futurum erat ut ex ipsa formarentur. Nam cœlum postea scribitur factum. Taliter dictum est quemadmodum si, semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, et robur, et ramos, et fructus, et folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt. Ipsa enim confusa [*Petr.*, inconfusa] materia quasi semen cœli ac terræ erat. Nam illi qui cœli nomine hoc visibile cœlum, et terræ vocabulo hanc conspicuam intelligi volunt, si cis opponatur quid [Z., quod] Deus fecerit secunda et tertia die, omnino non habent quid respondere queant. Qui vero, ut dictum est, cœli nomine spiritales intelligunt dignitates, ac terræ vocabulo informem materiam, ex qua cuncta formata sunt, hi quoque recte sentiunt, et sensus eorum credendus est, ita tamen si idonei sunt ad discernendum [Z., discendum] quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine. Nam duo quæ in primo et in ultimo ponuntur loco, difficillima sunt ad intelligendum. Arduum namque est et difficillime comprehendi potest qualiter Deus sua æternitate cuncta præcedit [*Petr.*, procedit]. Duo vero quæ medio ponuntur, id est qualiter tempore flos fructum, et electione fructus florem præcedat, facile valet comprehendi. Cæterum quomodo origine, ut sonus cantum præcedit, obscurum ad capiendum est. Sed notandum est quia omnis cantus sonus, non omnis sonus cantus. Sonus enim formatus fit cantus, et non solum cantus, sed etiam suavis ac dulcis, ideoque sola origine sonus præcedit cantum. Sic quippe informis materia non æternitate præcedit formatas creaturas, sicut Deus ipsam. Non tempore, quia tempora non fuerunt nisi post formatas creaturas. Nec electione cum penderet extremior, quia potiores sunt formatæ creaturæ quam informis substantia; sed non sola origine præcedit formatas creaturas, Deus enim ex nihilo condidit informem materiam, et ex ipsa cuncta creavit, juxta quod scriptum est in libro Sapientiæ: *Non enim erit manus tua, Domine, invalida, qua creasti mundum ex informi materia* (*Sap* XI, 18). Unde philosophi, prout jam dictum est, non valentes penetrare quemadmodum divina Sapientia mundum creavit ex nihilo, æstimabant coæternum esse mundum. Ista propterea dicunt, quia attendunt fabrum, et non Deum. Aiunt enim: Lignum adjuvat fabrum, et argentum argentarium, et aurem aurificem. His enim quamvis indigeant, tamen creare nequeunt. Dominus autem nihil horum indiguit, sed ex informi materia condidit omnia, non extra se tanquam faber (non enim faber facit lignum, sed de ligno aliquid facit). Omnipotens autem nulla re adjuvandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat efficeret, alioquin Deus non esset.

Sed quæritur cur ita dictum est: *In principio fecit Deus cœlum et terram*, et non dictum est: In principio dixit Deus: Fiat cœlum et terra, sicut de luce narratur: *Dixit Deus: Fiat lux*, et reliqua? Nisi quia prius universaliter nomine cœli et terræ comprehendendum erat, et commendandum quod fecit, et deinde per partes exsequendum sicuti actum legitur. Sequitur:

VERS. 2. — *Terra autem erat inanis et vacua.* Cum superius ait: *Creavit Deus cœlum et terram*, cur dicitur: *Terra autem erat inanis et vacua?* nisi quia ipsa informis materia, quæ nomine terræ dicta est, inanis erat et vacua. *Inanis* videlicet, id est incomposita et necdum coadunata in species

[a] Supple, ex cod. Z., *creaturam.*

suas. *Vacua* vero, quia vacabat a gignendis fructibus. Unde alia translatio dicit: *Invisa et incomposita. Invisa* propter obscuritatem, *Incomposita* propter deformitatem, quia adhuc tota abysso, id est, immensa profunditate tegebatur aquarum. Unde per hoc quod ait: *Terra autem erat inanis et vacua*, quale sit cœlum, quod primum considerat, potest intelligi, videlicet quod ab omni hujus mundi volubili statu secretum, divinæ præsentiæ manet semper quietum. Nam de nostro cœlo, in quo sunt posita luminaria, qualiter vel quando sit factum, in sequentibus declaratur. Non ergo superius illud cœlum inane creatum est et vacuum ut terra, quoniam nihil creatione [Z., quæ nihil creationis] protulit, quia mox beatissimis angelorum agminibus impletum est, de quibus superius diximus, quos in principio cum cœlo, et terra ad laudationem sui creavit, sicut ipse ad beatum Job dicit: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* (*Job.* XXXVIII, 4.) Et paulo post: *Cum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* (*Ibid.*) E quibus uni dicitur: *Quomodo cecidisti de cœlo?* et reliqua (*Isa.* XIV, 12). Si adhuc in cœlo erat positus, quomodo dicit: *In cœlum conscendam?* Sed quia legimus: *Cœlum cœli Domino* (*Psal* CXIII, 16), cum esset in cœlo. Id est in firmamento, in cœlum, ubi solium Dei erat, cupiebat ascendere. Seu sicut diximus superius, aut ipsa angelica dignitas, aut ipsa informis materia cœlum intelligitur.

Et tenebræ erant super faciem abyssi. Abyssi nomine illa informis materia accipitur, eo quod obscura erat et profunda. Ait enim. *Et tenebræ*, et reliqua. Quare ergo nominantur tenebræ, cum superius non commemorantur creatæ? Ergo si conditæ non sunt, nunquid æternæ sunt? Absit. Sed sciendum est quia tenebræ non est res substantialis, sed proprie nominantur tenebræ absentia lucis. Sicut enim silentium non est substantia, sed absentia vocis; et nuditas nihil absentia tegumenti, et cætera talia, sic quippe tenebræ est [Z., sunt] ipsa privatio lucis, et non aliquid sunt sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Bene namque dicitur: *Tenebræ erant super faciem abyssi*, quia nondum erat illuminata et manifestata supradicta informis materia. Seu etiam dicere possumus quod Deus non tenebras in aqua aut in aere fecit ullas, sed ordine distincto providentiæ suæ, prius aquas cum cœlo creavit ac terra, et [Z., sed] has post modum, cum voluit ipse, lucis gratia venustavit. Quod usque modo eum et, in aqua ipsa, et in aere per quotidianum solis accessum ac discessum facere videmus. Ubi notandum quia cum duobus elementis, aqua videlicet et terra, duo condidit, ignem videlicet et aerem. Ignem in ferro et lapidibus, quoniam [Z., quæ] terræ viscere jam latebant condita, quod calidi aquarum fontes produnt [*Petr.*, producunt]. Aerem vero in ipsa terra, cui esse permistus ex eo cognoscitur, quod cum fuerit humectata et temperiem solis acceperit, mox vapores exhalat largissimos.

Et spiritus Dei ferebatur super aquas. Quid est A quod dicitur, *ferebatur*? Nunquid tali modo quemadmodum sol terræ superfertur? Minime. Sed *ferebatur* non localiter, sed potentialiter, regendo et sustendando ipsam informem materiam: sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Unde bene alia translatio dicit: *Incumbebat* [Z., *incubabat*], seu *confovebat* in similitudine volucris, ova calore animantis, ut manifeste intelligatur de Spiritu sancto, et non de spiritu hujus mundi, sicut hæretici putaverunt. Quia sicut avis confovet, ut fetus in species producat, ita Spiritus sanctus fovebat ipsam informem substantiam ut cuncta conderet ex ea. Verumtamen quærendum est quare nominantur aquæ, cum supra non legantur creatæ? Ergo nunquid æternæ sunt, sicut Manichæi suspicati sunt? Non. Sed ipsi semetipsos B fallunt [Z., ipsi per semetipsos falluntur], quia non intelligunt quod vocabulo aquæ ipsa invisibilis substantia nominetur, et congrue aqua signatur, quia fluida erat, et voluntati divinæ adjacebat, ut omnia humorem habentia ex ipsa procrearentur. Cuncta siquidem quæ nascuntur et nutriuntur, humore aquæ concrescunt atque coalescunt. Sed sciendum est quoniam idcirco aquæ appellatione notatur ipsa prædicta informis substantia, quia de illa non poteramus aliquid scire, nisi sacra Scriptura nostro more loqueretur. Una quippe res est, sed diversis nominibus distinguitur; ne si solummodo uno nomine appellaretur, hoc tantummodo crederetur. Et ideo variis nominibus nuncupatur, C quia ex ipsa cuncta formanda erant, ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus. Dicitur enim cœlum, terra, abyssus, et aqua, quia futurum erat ut ex ipsa gignerentur. Sicut enim in parvo grano arboris variæ species latent, sic profecto, prout jam prælibavimus, in hac informi materia cuncta occultabantur. Sed notandum est quia in capite hujus voluminis tota Trinitas declaratur. Nam subditur.

VERS. 3. — *Dixitque Deus: Fiat lux*, et reliqua. Quid est enim quod ait, *dixit Deus?* Nunquid sonando transeuntibus sonis locutus est? Minime. Ipse enim incorporeus est, et si loquitur, nunquid lingua Hebræa, Græca, aut Latina loquitur? Non. Sed quod ait, *dixit Deus*, non ipse sonus accipitur locutionum [Z., locutionis], sed illud quod intelligitur in sono. D Apud Deum purus intellectus est sine strepitu et diversitate linguarum. Dicere itaque Dei facere est, sicut scriptum est: *Ipse dixit, et facta sunt*, et cætera (*Psal.* CXLVIII, 5). Verbum vero Dei unigenitus Filius est, Joanne attestante, qui ait: *In principio erat Verbum*, et reliqua. Porro quod ait, *dixit*, id est, in Verbo suo æternaliter manente fecit. Cæterum quod ait, *fiat lux*, ob celeritatem divinæ potentiæ dicitur. Si enim quarta die describuntur luminaria facta, quæ lucem administrant, quid est quod dixit, *Fiat lux?* An forsitan jam erat aliqua lux creata supra firmamentum, quo lumine sol illuminaretur? Sed nomine lucis angelica dignitas figuratur, quæ profecto per superius cœlum significatur, nunc lux dicitur. Prius itaque condita est, sed postea conver-

A tendo ad contuendam gloriam sui creatoris lux effecta. Et ideo dictum est: *Fiat lux, et facta est lux.* Ac si manifeste diceretur: Convertatur ad contemplandum incessabiliter me. Decebat autem ut ipsa angelica dignitas, quæ [Z., quia] sua dignitate cunctis creaturis excellebat, inhærendo summæ luci lux vocaretur, licet mutabilis esset condita. Si enim immutabilis esset condita, nullatenus alii merito superbiæ ab illa æterna visione corruerent. Sed quæ [Z., quia] mutabilis extitit natura, cæteris ruentibus, gratia divinæ largitionis fecit immutabilem. Sed notandum quod quidam doctorum juxta fidem historiæ simpliciter hoc intelligi volunt. Aiunt enim quod in superioribus ejusdem terræ partibus, quas et nunc diurna solis lux illustrare consuevit, principalis hæc lux emicuit, cujus B visione beatissimi angeli frui cœperant. Nec [Z., non est] mirandum, divina operatione lucem in aquis posse resplendere, cum et hominum operatione constat eas sæpius illustrari, nautarum videlicet [Z., videlicet more], qui in profundo maris demersi, emisso ex ore oleo, perspicuum sibi hoc ac lucidum reddunt. Si enim homo talia per oleum sui oris potest, quantam Deus per Spiritum oris sui lucem creare posse credendus est? Lege Hexaemeron Bedæ, moderni doctoris, si ita volueris. Nos quidem beati Augustini, prout prius inseruimus, dicta sequi decrevimus.

VERS. 4.— *Et vidit Deus lucem quod esset bona,* et reliqua. Cur dicitur, *vidit Deus,* quasi novum aliquid accidisset, cum nequaquam crearet nisi C æternaliter videret? Sed *vidit Deus* pro eo quod est, videre [Z., videri] fecit. Sæpe enim per efficientem id quod efficitur designatur. Dicitur læta domus, et læta epistola, effundens hydriam [Z., hydria] in canalibus, et cætera talia: quod genus locutionis a grammaticis metonymia vocatur. Vidit ergo Deus, id est, videre [Z., videri] fecit, ipsi angelicæ creaturæ, quam bona a Deo condita est. Seu in hoc quod ait, *vidit* in prædestinatione nobis videre [Z., videre] fecit quam bona a Deo creata esset. Tali modo verbis præteriti temporis rem futuram indicavit, quali modo apostolis ait: *Omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV, 15); quod futurum erat ut faceret. Cæterum dum dicit, *divisitque lucem a tenebris*, ostendit D quia distinctio facta est inter lucem et tenebras, non tenebræ factæ; quemadmodum clamando vocem, silentium autem non clamando dicimus, quia cessatio vocis silentium est. Distinguimus, tamen sensu quodam inter ea, et illud vocamus vocem, istud silentium. Quemadmodum ergo recte dicimus facere silentium, sic recte Deus dicitur facere tenebras; quia lucem, quibus vult, temporibus et locis vel dat, vel detrahit. Quia, ut Clemens ait: Unam [Z., imam], inquit, mundi partem illustrans aliam reliquit obscuram. Lucem videlicet in superiore orbis parte diffundendo, in qua humana erat conversatio futura, inferiora vero ejus priscis in tenebris remanendo. Si cui hoc accipere placuerit, nos, ut cœpimus, B. Augustini [*Suppl. ex* Z., dicta] sequi, et expositionem magistri nisi sumus.

Et divisit Deus lucem ac tenebras [Z., *a tenebris*], et reliqua. Id est, cœlestes angelorum cives ab immundis spiritibus, quando Lucifer avertendo a Creatore, et convertendo ad se, æstimans sibi sufficere, superbia timidus, sine auxilio sui conditoris, ejectus est cum suis sequacibus a cœlestibus, et cæteri in sua stabilitate permanserunt, hos nuncupans diem, illos noctem, juxta quod sequitur, *appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.* Quia ruina ruentium æterna facta est stabilitas permanentium, licet quidam dicant quod divisio lucis a tenebris distinctio sit formatæ rei ab informi; appellatio autem diei et noctis, inquiunt, insinuatio distributionis est, qua significetur nihil Deum inordinatum relinquere. Sed quod ait, *vocavit*, dicitur, vocari fecit. Quia sic distinxit omnia et ordinavit, ut discerni possent et nomen accipere. Sequitur:

VERS. 5. — *Factumque est vespere et mane dies unus* Quærendum est cur dicatur, *vespere et mane* cum adhuc non erat sol in firmamento, cujus occasu *vespere* et ortu *mane* efficerentur? An forte tantum spatium prima, et secunda, et tertia dies habuit, quantum est ab ortu solis usque ad occasum et iterum aquilonem gyrando revertitur ad orientem, ut suo fulgore tenebras mundi propellat, et quod spatium illi qui in antris et in ergastulis, licet luce careant, sentire per usum possunt; quod fortassis ita intelligi valeret, nisi adderetur *vespere et mane.* Unde restat ut in [*Cod. Z. om.* in] vespera intelligatur perfectio præcedentis operis, et mane inchoatio subsequentis. Loquitur enim more nostro Scriptura, ut distinctio operum Dei intelligatur. Porro quod ait, *vespere et mane dies unus*, potest referri ad angelicam creaturam. Quando enim intuitum avertebat a Deo, et convertebatur ad contuendam creaturam, quodammodo *vespere* erat; cum vero ad Creatorem, convertebatur, ut in ipso clarius intelligeret creaturam, *mane* erat. Verumtamen si permansisset in consideratione creaturæ, non solum *vespere*, sed etiam nox esset. *Dies unus* bene additur propter unitatem angelicæ dignitatis, quæ ita uni Deo contemplando inhæret, ut nunquam intuitum amoveat a contemplatione.

VERS. 6. — *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum*, et cætera. Firmamenti nomine cœlum conspicuum appellatur, jam distinctum ab illa informi materia, de quo in sequentibus dicitur: *Vocavitque Deus firmamentum cœlum.* Sed quærendum est quale sit firmamentum, quod dividat aquas superiores ab inferioribus? Nam nonnulli dicunt firmamentum esse cœlum aereum, a quo aves cœli nominantur, quod dividat aquas nubium ab aquis fluminum. Alii vero intelligi volunt cælum sidereum, sive athereum, eo quod dividat aquas superiores ab inferioribus. Neque enim incredibile est invisibiles aquas consistere super firmamentum sed si sunt non fluidæ, quia non fluitant, sicut istæ

visibiles. Unde aliqui glaciali soliditate persistere æstimant, non vaporali tenuitate, sicut ex stella Saturni, quæ frigidissima est, autumant. Quia, inquiunt, ex his aquis frigidam esse, eo quod juxta summum cœlum per triginta annos cursum suum peragat, licet hoc negare velint, qui de ponderibus disputant. Nec propriis distinctæ locis locatæ tanquam flumina, et non locorum sedibus, sed dignitate naturæ superare cœlum dicunt; quia cum sit cœlum corpus pulcherrimum, omnis invisibilis creatura, ut beatus Augustinus ait, excedit etiam pulchritudinem cœli. Ideoque, ut idem doctor eximius putat, aquæ super cælos sunt. Ait enim: Quo modo autem et qualeslibet aquæ ibi sint, esse ibi eas minime dubitemus; quia major est, inquit, Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas. Quæ aquæ universam terræ superficiem in tantam tegebant altitudinem, sicut alii doctores aiunt, ut usque ad illos locos pertingerent ubi nunc usque super firmamentum cœli ex parte residentes, nomen Dei creatoris cum cœlis cœlorum laudare non desinunt. Denique si aliquis hoc negare voluerit, iste, si hominem crearet, ut Deus, epitimam non poneret in capite, sed in stomacho. Attamen de hac re non est nostrum temere definire, quia remota est a nostris visibus. Quidam autem aquas supernas accipiunt populos angelorum, de quibus scriptum est: *Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII, 4). Inferiores vero aquas homines terræ [Z., terra] degentes, de quibus dicitur: *Aquas quas vidisti, populi sunt et gentes,* quas utique cœlum sidereum ad invicem segregat.

VERS. 9.—*Dixit quoque Deus: Congretur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida*, et reliqua. Si enim totus mundus erat aquis plenus, ubi congregatæ sunt, nisi quod ait: *Congregentur in locum unum?* ac si diceret; Distinguat, atque producat jam ex se species suas illa informis materia, et appareat species aquarum, et species terræ. Ipsa enim congregatio in unum ipsa est aquarum formatio, quas videmus et tangimus. Et quod ait, *appareat arida*, quid aliud dici intelligendum est, nisi materies accipiat visibilem formam, quam nunc habet terra ista? Quæ bene, inquam, terra arida vocatur, quia, sicut ignis proprie calorem, et aqua humorem ita quoque terra ariditatem habet.

VERS. 10. —*Congregationesque aquarum appellavit maria.* Notandum quod omnes congregationes aquarum, sive dulces sint sive salsæ, juxta idioma linguæ Hebaicæ maria nuncupantur. Sed in Hexaemeron jam dicti doctoris Bedæ ita legimus: Fieri, inquit, potuit, ut terra ipsa longe lateque jussu Creatoris subsidens, alias partes præberet concavas, quibus fluentes aquæ reciperentur, ut appareret arida. Potest etiam non absurde intelligi ac credi rariores primarias fuisse aquas, quæ velut nebula terras tegerent, congregatione autem esse spissatas, quæ datis sibi locis capi possent, apparente arida in reliquis. Et bene ait, *in locum unum*, quia jugi unda atque continua Oceano ac mari junguntur Magno. Sequitur:

VERS. 11-13.—*Germinet terra herbam virentem,* et reliqua, usque *cujus semen sit in semetipso.* Cur ait, *in semetipso*, cum multæ arbores non proferant fructum, ut in ipso habeant semen? Sed sciendum est quia si non habent in fructu, habent in radice, ex qua germinentur.

Et vidit Deus quod esse bonum, et cætera. Si ergo herbæ, et fructus terræ, et ligna pomifera bona sunt, et dictum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona;* et ad extremum subjungitur: *Requievit Deus ab omnibus operibus;* quid de herbis venenosis, et lignis nocivis dicendum est? Et quid est quod ad Adam ait de spinis et tribulis: *Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi?* nisi ut intelligat qui proponit, quia non absolute dictum est: *Terra spinas et tribulos germinabit*, sed ait, *tibi*; ac si diceret: Incipiat tibi germinare ad exercitium laboris, quæ prius germinavit pabulum ad usus jumentorum et bestiarum. Nisi enim peccasset, nequaquam noxia illa terra germinaret. Unde apparet quia post peccatum illius cœpit terra spinas gignere Nam de herbis arboribusque venenosis et nocuis sciendum quia valde bona condita sunt; quia si non præbant escam, administrant medicinam; et si nobis noxia videntur, feris et avibus innoxiæ sunt, quia eis præbent pabulum, licet nobis non præbeant alimentum. Et ideo, sicut dictum est, omnis creatura valde bona condita est, sed post peccatum primi parentis actum est ut aliquæ infructuosæ arbores et steriles apparent, et herbæ venenosæ, ut ex ipsis homo peccatum suum quodammodo consideraret, et commoneretur aliquando averti a peccatis, et ad Dei præcepta converti, et expavesceret amittere culturam Dei, et sterilis apparere in agro Ecclesiæ, si non esset arbor fructuosa. Seu propterea arbores infructuosæ, et herbæ nocivæ creatæ; ut nulla indignis aperiantur mysteria [Z., ministeria], neque ostendatur in qua figura futurorum ista dicta sunt.

VERS. 14-19. — *Dixit autem* [Z., *itaque*] *Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli*, et cætera. Si quarta die facta sunt luminaria, quare superius [Z., prius] dictum est *vespere et mane*, nisi, prout jam dictum est, in *vespere* accipitur expletio præcedentis operis, in *mane* inchoatio subsequentis?

Et sint in signa, et tempora, et annos, et dies. In signa, juxta quod Dominus ait: *Erunt signa in sole et luna, et stellis* (*Luc.* 21, 25). Signa dicuntur eo quod in futurum aliquid signant quia sunt talia signa in sideribus quæ tempestates, et pluvias, et bella denuntiant, et etiam nonnulla navigantibus in mari viam ostendunt. *Et in tempora*, quia suis vicissitudinibus tempora distinguunt, veris videlicet et æstatis, autumni et hiemis. *Dies et anni* ad cursum solis et lunæ quia sunt solares dies, sunt et lunares juxta calculatores. Seu quia antequam formarentur, non erat unde dici noctisque horæ signaretur. Nam scriptum est: *Fecit lunam in tempora* [Z., *tempore*]

sol cognovit occasum suum (*Psal.* CIII, 19). Sed quærendum est si cœpta hic sunt tempora, et incipiunt dies articulis et momentis horarum decerni, quid dicendum est de illo spatio quod fuit usque ad quartum diem? Nunquid non [*Z. om.* non] tempora fuerunt? Sed quodammodo tempora fuerunt, sed non est illud spatium distinctum articulis horarum ut modo distinguitur [*Z.*, distinguuntur], sed pertransiit quia sol non erat quo discernerentur. Tali modo factum est quodammodo, sicut nunc agitur quando sol nube tegitur et tempora non possunt distingui, sed tamen spatium dici transit.

VERS. 20-23. — *Dixit igitur Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile*, usque, *benedixit eis Deus dicens: Crescite*, et cætera. Hic ostenditur quia reptilia et volatilia unus naturæ sunt atque originis, sed nomine aquæ etiam aer iste intelligitur, qui et a sapientibus aquis deputatur [*Z.*, quia sapientibus aqua disputatur], eo quod exhalatione aquarum evaporando pinguescit, et volatus avium suscipit. Nisi enim quamdam crassitudinem haberet, volatus illorum non sustineret. Unde æstivo tempore, quando serenum est, terram irrorat et guttæ apparent. Et nisi aqua aliquod solidamentum haberet, corpora hominum natantia et volucrum non ferret; et ideo quidquid undosum est et confluidum [*Z.*, fluidum] piscibus; quidquid vero crassum est et exhalat, avibus deputatur. Quod enim aer pinguis et ventosus, et flatum præbeat, philosophi in monte Olympo probaverunt: quia, inquiunt, quod in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes colligantur, quoniam excessit altitudine sua totum istum aerem humidum in quo aves volitant, et ideo nec aves ibi volare asseverantur, solebant per singulos annos causa sacrificiorum cacumen ejus ascendere, et aliquas notas in pulvere scribere, quas alio anno integras inveniebant; quod fieri non posset si ventos aut pluvias locus ille pateretur: et spongias humectatas naribus applicabant, unde crassiorem et consuetum spiritum ducerent, quia tenuitas illius aeris non eo inspirabat. Qui etiam nullam se avem in eo loco aliquando vidisse asserunt. Nam quod ait: *Benedixit eis dicens*: *Crescite*, et reliqua, hic primum ideo benedictionem intulit, quia animantia creata sunt, sive quia futurum erat ut per aquam baptismi homines benedictionem consequerentur.

VERS. 24-25. — *Dixit autem Deus*: *Producat terra animam viventem*, et reliqua, usque *et vidit Deus quod esset bonum*. Si enim *Deus vidit quod esset bonum*, quid dicendum de putredudine arborum et infirmitatibus diversarum creaturarum? Nisi quoniam cum creata sunt, non apparebant istæ infirmitates, sed in sua origiue acceperunt ut in futuro haberent. Sed quid est quod ait: *Vidit Deus quod esset bonum*, id est in ea bonitate placuit ut maneret, in qua placuit ut fieret quod fecit. Sequitur:

VERS. 26. — *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Quid est quod ait: *Faciamus hominem ad imaginem nostram?* nisi quia jam rationabilis creatura condebatur, ut quodammodo cum consilio facere videretur, et ut nobilitas ejus ostenderetur. Ideo ait, *Faciamus*. Sed quare superius dictum est, *dixitque Deus*: *Fiat*, et hic ait, *Faciamus hominem ad imaginem*, et reliqua, pluraliter? Ut ostenderet; quia trinus est Deus in personis, et unus in deitatis natura [*Z.*, in deitate natura]. Inde est quod in consequentibus dicitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*, et reliqua. Homo quippe ad imaginem Dei dicitur, secundum quod animam habet invisibilem et immortalem in sua natura. Sed si imago Dei est ipsa ratio animæ, similitudo vero ipsius est æterna vita, quam daturus est omnibus electis, quando erit illud quod Joannes ait: *Similes ei erimus*, et reliqua (*Joan.* III, 2), non æquales facti Divinitati, sed sociati æternitati. Aliter; si imago Dei est in interiori homine, similitudo in moribus: sed imaginem Dei omnes habent, similitudinem vero pauci. Illi enim specialiter similitudinem illius tenent, qui sunt imitatores ejus et illud adimplent quod ait: *Sancti estote, quia ego sanctus sum*, et reliqua (*Lev.* XI, 44). Nam subditur, *et præsit piscibus maris*, et cætera. Igitur si cuncta animantia et volatilia ad hoc creata sunt ut homini subjecta essent, quid est quod multa noxia patitur a bestiis? Ecce vult abigere aves nonnullas, et non valet superare bestias [*cod. Z. om.* bestias], et non potest, et etiam sæpe pro fragilitate humana ab ipsis interimitur. Et licet omnibus dominari non queat, tamen nullatenus dominatur a bestiis [*Z.*, nullatenus dominatur bestiis]. Sed quisquis ista proponit, attendit qualis factus est homo post peccatum; et non considerat qualis existitit antequam peccaret. Conditus namque ad imaginem Dei, si persisteret in suo ordine, omnia ei subdita manerent. Verumtamen quia prævaricator factus est mandatorum Dei, quædam ei ad utilitatem concessa sunt, quædam vero in flagellum conversa, juxta quod ipse per prophetam ait: *Ego Dominus faciens pacem, et creans malum* (*Isa.* XLV, 7). Creare videtur Deus malum, quando homo a creaturis, quæ sibi subjectæ esse debuerant, flagella patitur. Igitur si homo teneret ordinem suum, servarent et bestiæ obedientiam suam, juxta quod in beato Daniele ostenditur, cui leones subjecti etiam tempore famis fuerunt.

VERS. 27. — Notandum [*Z.*, Notandumque quod] quia quod homo ad imaginem Dei conditus sit, et bestiis præesse, in ipsa c catione sui et creaturarum ostensum est. Homo namque creatur est erectus ut cœlestia consideraret; bestiæ vero pronæ, ut ostenderent obedientiam suam. Creavit igitur Dei Filius [*Z.*, Deus Filius] hominem ad imaginem suam, et creavit ad imaginem Patris, quia ipse est imago Dei Patris, ad cujus imaginem etiam conditus est homo. Secundum enim, prout jam dictum est, interiorem hominem [*Z.*, in interiore homine], quia rationalis est, et animam habet in sua natura, et immortalis factus est. Unde Apostolus ait: *Vir non debet velare caput* [*Z.*, *caput suum*] *quia imago Dei est*: *mulier autem velet*

caput suum, quia imago est viri (*I Cor.* xi, 7). In quantum enim homo ad cœlestia tendit et divina contemplatur, non debet velare caput, id est obstaculum peccati menti opponere Si autem omiserit divina meditari, et converterit ad terrena superflue, non jam vir, superflua dicitur, et ideo velet caput ut mulier, id est ponat obstaculum justitiæ, ne dum licita cogitare cœperit, ad illicita prorumpat, et totum se ad exteriora diffundat, unde Deum offendat.

Masculum et feminam creavit eos. Cur dicitur feminam creatam esse, cum postmodum narratur *formata,* nisi quia per originem in viro creavit eam, quia [*Z*., quæ] ex viro formanda erat? Masculum autem unum et feminam imprimis creavit Deus unam, non ut animalia et cætera plura, ut humanum genus ardore ad invicem charitatis constringeret, quod sex uno parente ortum [*Z*., ortum esse] meminisset. Unde mulierem ex viri latere formavit, ut mutua illorum conjunctione terram esse implendam doceret.

Vers. 28. — *Benedixitque illis dicens : Crescite, et multiplicamini, et replete terram et subjicite eam.* Hanc sententiam nonnulli historialiter sentiunt, quidam vero spiritaliter; sed melius, qui utroque modo. Sed sciendum, quoniam non est incredibile, secundum benedictionem Dei posse crescere et multiplicari eos per coitum, si optemperantes fuissent præceptis divinis, ita vero ut membra genitalia moverentur natura, non aliqua instigante concupiscentia libidinis, ut tot videlicet procrearentur ex eis electi, quot eligendi sunt ex omnibus gentibus ad instaurandum numerum angelorum et nequaquam sibi succederent moriendo ; sed completo numero electorum a corporali paradiso sine morte ad cœlestem transirent. Sed quibusdam hoc impossibile videtur, ut membra potuissent moveri absque libidine, cum membra inquiunt, concupiscentia moventur. Sed attendant quia non solum in hominibus, sed etiam in bestiis irrationabilibus aliqua membra moventur, et cætera immobilia permanent, quæ eis, si dicerentur non crederent nisi cernerent. Sæpe namque cutis animalis, muscis stimulata, movetur sola, ut muscas excutiat, cætera membra immobilia perseverant. Sic etiam et auris una movetur, et cætera quiescunt ; et multa alia quæ incredibilia forent nisi viderentur. Si itaque ista possunt fieri in membris irrationabilium, quanto magis ex benedictione Domini membra natura, non concupiscentia ad procreandum moveri quiveraut? Et sicuti in cultu ruris agitur ad segetes procreandas, ita Adam sine concupiscentia in illa muliere valuit prolem procreare.

Salva historiali narratione, potest referri ad fecunditatem animæ, *crescite*, id est, multiplicamini augmentando virtutes, et *replete terram,* sub carnis virtutibus fecunditate, et subjicite spiritui, et dominamini bestiis, hoc est, motibus, quos similes bestiis, per temperantiam [*Z*., habetis per intemperantiam]; qui si erumpunt in perniciosas delectatio- A nes, similes sunt bestiis : si autem reguntur, omnino mansuescunt. Hinc Paulus ait : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt* (*Gal.* v, 24). Sed quæritur in quam utilitatem dominationem accepit homo in pisces, et volatilia, et cætera, vel ad quos usus ? Non enim comederet si non peccasset, sed ad escam solum arborum sunt fructus in prima conditione concessi. Nisi forte dicendum est quia peccaturum præsciebat eum Deus, et mortalem peccando futurum. Ideoque solatia primordialiter instituit, quibus suam fragilitatem possit tueri, seu alimentum ex his vel cætera necessaria.

Vers. 29, 30. — *Dixitque Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam, et universa ligna*, etc., usque, *ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terræ.*
B Cur enim herbæ, et fructus lignorum dicuntur dati in escam cunctis animantibus terræ, et volatilibus, cum multæ sint [*Petr*., sunt] bestiæ, et volatilia, quæ carnes comedunt, et non aluntur frugibus terræ, sicut sunt leones et cætera, nisi aut specialiter illa posita sunt quæ his pascuntur escis ; aut etiamsi carnes comeduut, ex his aluntur, quia corpora eorum comedunt quæ his herbis aut frugibus pascuntur, sicuti serpentes, qui morantur in arenosis locis, sed mortes animantium sunt eis in escam.

Vers. 31.— *Vidit Deus cuncta quæ fecit, et erant valde bona.* Cum enim superius multa creata sunt, et dictum est per singula. *Et vidit Deus quod esset bonum*, cur in fine dicitur, *et erant valde bona*, nisi
C quia in suis speciebus divisa bona sunt ; juncta autem simul non solum bona, sed etiam in sua generalitate valde bona sunt ? Verbi gratia, laudas oculum in corpore per se, etc.; alia membra specialiter; conjuncta autem, ut sit unum corpus, non solum bona dicis, sed etiam valde bona; et in tantum generalitas laudatur in corpore, ut etiamsi aliquod membrum inde præciditur, non solum est inutile, sed etiam fœdat corpus. Seu ideo homine condito bene singulariter non dicitur, *vidit Deus quod esset bonum*, sicut de cæteris creaturis, sed post cuncta creata dictum est, *et erant valde bona*, quia propter hominem creata sunt. Nam antea quasi singula erant boua ; homine autem, propter quem condita sunt, creato, jam dicitur, *valde bona*,
D quia omnia in decorem hominis creata sunt, homo vero in gloriam et laudem conditoris sui factus est.

CAPUT II.

Vers. 1. — *Igitur perfecti sunt cœli et terra et omnis ornatus eorum.* Bene pluraliter *cœli* ponuntur, quia, secundum auctoritatem scripturarum, tres esse comprobantur : primum videlicet aereum, a quo aves cœli nominantur : secundum æthereum, vel sidereum, ubi luminaria continentur ; tertium spiritale, quod proprium est angelorum, de quo Paulus apostolus ait : *Scio hominem raptum usque ad tertium cœlum* (*II Cor.* xii, 2). Unde post pauca subdidit, *raptum in paradisum.* Quod enim præmisit, *tertium cœlum*, hoc iterum iteravit, cum ait, *in paradisum.*

Sed sciendum est quia ornatus cœli spiritalis sunt A angeli, archangeli, throni, etc.; ornatus vero ætherei cœli, sol, et luna, et stellæ : ornatus autem aerei cœli nubes, venti, pluviæ, volatilia diversi generis. Terræ namque ornatus est mare [*Petr.*, ornatus in aere], juga montium, subducta vallium tensa [*Z.*, densa] camporum, vicissitudines temporum, species fructuum, decursus aquarum, et cætera. Sequitur :

Vers. 2. — *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo*, et cætera. Ideo juxta historiam senario numero mundi creationem perfecit, quia ille numerus perfectus juxta arithmeticæ disciplinæ legitur rationem, ut ostenderet Deus omnia perfecta et valde bona eum condidisse. Cæterum altius requiritur quid est B quod hic dicitur, *requievit*, cum ipse in Evangelio ait : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor?* (*Joan.* v, 17.) Sed de requie Dei trimoda [*Petr.*, tribus modis] expositio a doctoribus ponitur. Primum quod hic ait, *requievit*, id est a condendis novarum creaturarum generibus cessavit, quia deinceps nihil novi creavit per originem. Sed tamen usque modo operatur regendo et ministrando creaturam suam, quam ex informi materia condiderat. Aliter : quod ait, *requievit*, ideo dictum est quia futurum erat ut ipse, per quem facta sunt omnia, pro nostra redemptione ipso septimo die quiesceret [*Z.*, requiesceret] in sepulcro. Seu translato genere locutionis potest referri ad membra capitis. Dicitur namque, *Deus requievit*, pro C eo quod est, requiescere fecit, quia nimirum in ipso electi perfectam obtinent requiem post hanc vitam ærumnosam, quæ per sex dies figuratur velut in septimo die in requie cœlesti, quæ interim alia in vita suscipit animas electorum, donec tandem adveniat octava dies futuræ resurrectionis. Bene namque dictum est, requievit Deus post valde bona opera, ut ostenderet quia aliter electi non valent pertingere ad septimam diem, ad requiem scilicet beatam, nisi post opera valde bona. Movet denique ad quærendum qua ex causa sex diebus operari voluit omnia opera sua, et septimo quiescere, nisi quia iste numerus magnum retinet mysterium. Si enim dividatur in duo id est in unum et sex, in uno signatur unitas divinitatis, seu unio [*Z.*, unitas] charitatis ; in sex vero perfectio bonorum operum, et in septimo æterna requies animarum. Voluit namque Deus idcirco opera sua sex diebus agere, et septimo requiescere, ostendens quod illi qui modo unitatem charitatis perfectionemque bonorum operum exhibent, pervenient ad requiem cœlestem, ut contemplentur unitatem divinæ majestatis, licet dicatur et altius. Senarius vero numerus primus opere et actu perfectus est, quia in sex diebus creavit Deus cœlum, et terram, et partibus suis impletur. Nam unus, duo, tres, fiunt sex. Significatur enim in requie diei septimi, quod Deus ante creationem mundi in seipso natura et potestate perfectus est, et æternaliter in seipso habet requiem ; creaturæ vero actu ab ipso creationis acceptam habent per ipsum in suis naturis perfectionem quamdam, quia unaquæque creatura creata est perfecta a Creatore, et requiem in operatione obedientiæ, et maxime rationabiles creaturæ eo bono beatæ sunt ut in conditore suo requiescant. Sequitur :

Vers. 3. — *Benedixitque diei septimo, et sanctificavit illum.* Cur de die sabbato dicitur : *Benedixit Deus diei septimo, et sanctificavit illum*, dum de aliis diebus hoc non legitur eum dixisse ? Ideo ut ostenderet sanctorum requiem post sex hujus sæculi ætatum labores in æterno sabbato, et benedicta requie quieturos, sicut dicturus erit : *Venite, benedicti Patris mei*, et reliqua (*Matth.* xxv, 34). Ideo et illa dies sine vespera legitur, quia ultima requies sanctorum sempiterna erit. Et congrue quippe dicitur, *sanctificabit et benedixit*, quia sancti ex benedictione Domini æternam percipiunt requiem.

Sed, his prælibatis, notandum est quod operatio divina quatuor modis distinguitur. Primo, quod in verbi [*Z.*, verbo] Dei dispensatione omnia æterna sunt. Secundo, quod in materia informi, qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Tertio, quod per opera dierum sex varias distinxit creaturas. Quarto, quod ex primordialibus seminibus non incognitæ naturæ oriuntur, sed notæ sæpius, ne pereant, reformantur. Hactenus historiam succincte tetigimus, licet pauca intermixta sint quæ ad spiritalem pertinere videantur sensum. Sed spiritalem intelligentiam prætermittimus causa brevitatis ; quam si quis cognoscere desiderat, librum Isidori legat cæterorumque doctorum campos percurrat, quia nimirum historia divinæ legis non est sine mystica significatione conscripta, teste Paulo apostolo, qui ait : *Lex enim figuram habet futurorum bonorum* (*Col.* II, 17), non ipsam imaginem rerum. Et alibi : *Hæc omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* x, 11). Quod etiam exponens exemplum hujus historiæ, ubi dictum est : *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem*, et cætera, manifestavit inibi sacramentum esse, cum dicit : *Sacramentum hoc magnum: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v, 32). Sed historiam Veteris Testamenti atque prophetarum ita accipere debemus ut neque mysticam significationem in omnibus requiramus, neque etiam historialem, sed partim mysticum sensum, partim etiam superficiem historiæ. Ubicunque enim historialis intelligentia ponitur, tantummodo propterea fit ut in ea contineatur spiritalis intellectus, sicut in vasis musicorum agitur. Ponuntur enim ibi ligna, ponuntur et chordæ, ut his contineantur et suaviter sonare possint. Sic et historia ponitur, ut in connectendo spiritalem intelligentiam contineat. Sequitur :

Vers. 4. — *Istæ generationes cœli et terræ, quando creatæ sunt in die quo fecit Dominus Deus cœlum et terram.* Sequitur hic recapitulatio sex dierum operum Dei propter illos qui mundum coæternum dixerunt, et sine initio eum semper fuisse affirmant, ut ore conticescant atque penitus confun-

dantur. Sed requirendum est quid est quod hic A ait, *in die quo fecit cœlum et terram*, cum superius sex diebus omnia opera sua distincte patrasse legitur, nisi quod rerum omnium origo simul creata est in substantia. quæ varias restabat producenda formarum in species, juxta quod scriptum est : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul (Eccli.* XVIII, 1). Potest et altius intelligi. Diem namque quo tempore primordialis creaturæ posuit, sicut et Apostolus [*Z.*, sicut dicit Ap.] : *Ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI, 2), diem totum tempus intelligi voluit quo sancti in hac vita pro æterna salute laborant. Sequitur :

VERS. 5. — *Et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret.* Quomodo herba et viren- B tia agri antequam exorirentur, condita sunt ? Et si non erant exorta, quomodo erant facta [*Petr.*, sexta], nisi quod causaliter et originaliter tunc condita sunt quando dictum est : *Producat terra herbam virentem ?* Tunc eam constat producendi accepisse virtutem, et in ea virtute tanquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quæ tempora erant orienda. Et bene ait, *omne virgultum agri*, et reliqua, ut celeritatem operis Dei insinuaret ; id est antequam aliqui fructus ex terra crescendo orirentur aut germinarent, repente omnes campi et colles herbis erant et arboribus cooperti. *Non enim pluerat Dominus super terram, et homo non erat qui operaretur terram.* Cur de homine, qui jam sexta die factus fuerat, hoc recapitulatur, nisi quan- C do fecit Deus omne virgultum agri, nondum pluerat et nondum homo factus erat ?

VERS. 6. — *Sed fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terræ.* Hic merito quæritur si fons irrigabat extensa camporum superficiemque universam terrarum, cacumina montium non irrigabat [*Z.*, irrigabantur] : et si juga ac cacumina montium infundebat, ergo non fons, sed diluvium erat. Sed quod ait, *fons ascendebat de terra*, et reliqua, juxta litteram tale est ac si dixisset : Nondum pluerat, sed fontes per universam terram, sive in planitie camporum, sive [*Z.*, sive in] verticibus montium, suis quibusque locis erumpentes, regiones proprias irrigabant. Sed *fontem* more Scripturarum singulari numero pro plurali posuit propter unitatem naturæ, eo quod omnes unam D originem habent.

VERS. 7. — *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, et reliqua. Quid est enim quod hominem de limo terræ formavit, et non de angelica creatura, nisi quia ideo voluit de limo terræ creare, ut semper humilitatem teneret, et non superbiret. pulverem se cineremque juxta exemplum Abrahæ consipiceret, et ageret gratias conditori suo eo quod de tam fragili materia conditum ad tantam gratiam erexit, ut, si subditus ei foret, regna cum angelis obtineret cœlorum ? *Et inspiravit in faciem ejus*, etc. Inspiratio Dei in faciem hominis condito est animæ rationalis. Sed in hoc quod ait, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, quæstio oritur : utrum Deus animam insufflando fecit, an eam quam fecerat, corpori dando potius insufflavit ? Sed utrumque unum est, et nihil habet quæstionis ; quoniam sive insufflando fecit animam sive creando, vel dando corpori insufflavit, tamen credendum est, quia spiraculum divinum non est in animam viventem conversum, sed operatum est animam viventem : et non habet anima participationem cum Divinitate, nec de aliquo flatu suo, nec de seipso condidit, ut cogamur dicere naturam Dei esse mutabilem, sicut anima, quæ modo proficit, modo sapit, modo dissipit. Nam de seipso si animam fecisset Deus, nunquam vitiosa, aut mutabilis, vel misera potuisset esse. Etiam sciendum quia non est de elementis visibilibus facta, quia si esset, haberet aliquam communionem cum eis, videlicet ex terra soliditatem, ex aqua humorem, ex aere flatum, ex igne calorem. Sed quoniam his omnibus caret, apparet eam inde non esse, quæ cum illis nil habere probatur ; sed ex nihilo, sicut superius diximus, aut insufflando creavit, aut creando corpori insufflavit. *Et factus est homo in animam viventem.* Non enim spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritalis effectus est, quando in paradiso positus præcepta perfectionis accepit. Itaque postquam peccavit, et emissus est de paradiso. in eo remansit ut esset animalis. Et ideo omnes qui de illo nascimur, prius animales efficimur, donec renati per fontem baptismatis assequamur spiritalem Adam, id est Christum, per quem simus spiritales, juxta quod Paulus apostolus ait : *Non prius quod spiritale est, sed quod animale ; deinde quod spiritale (I Cor.* XV, 46).

VERS. 8. — *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis*, etc. Paradisus *hortus*, sive *voluptas*, vel *deliciæ* interpretatur. Sciendum est quia quatuor modis in divinis libris paradisus legitur. Est enim paradisus, de quo in hoc loco Moyses loquitur, qui tamen, in quo loco, quave provincia vel regione situs fuerit, soli Deo cognitum est, præsertim cum toto [Z., in toto] orbe terrarum nusquam reperiri potest. Sed tamen, ut nonnulli autumant, in Oriente est positus; quia, inquiunt, opportunum erat ut locus præ cæteris amœnissimus in excellentiori parte mundi plantaretur. Unde nonnulli transtulerunt : *In Eden contra Orientem.* Dicitur et paradisus *mundus* propter ornatum suum, ut in Ezechiele, ubi Dominus de regno Assyriorum locutus est : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei* (*Ezech.* XXXI, 8). Legitur etiam et paradisus spiritalis, in quem Paulus se raptum commemorat dicens : *Scio raptum hominem in paradisum* (*II Cor.* XII, 2), id est in cœlestem amœnitatem. Juxta anagogen vero paradisus Ecclesia est. Unde Salomon in Cantico canticorum ait : *Hortus conclusus soror mea, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus* (*Cant.* IV, 22). Ait enim : *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio.* Nam quod ait, *a princi-*

pio, nonnulli intelligi volunt ab initio terræ, id est A ab Oriente. Sed quod dicit, *a principio*, id est ab exordio, sive ab initio cœli et terræ, sicuti Symmachus et Theodotion transtulerunt, intelligitur. Et ideo non Orientem, sed exordium, et initium significat. Unde intelligitur quod antequam cælum et terram faceret Deus, paradisum condiderat. Lege librum Locorum beati Hieronymi. Legitur enim in Hebræo : *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum in Eden a principio*. Eden *deliciæ* interpretatur. Bene dicit *in Eden*, id est, in loco deliciarum. Unde et quod hic dicitur *voluptatis*, Symmachus *paradisum florentem transtulit*.

Vers. 9. — *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave*. Quid est ergo quod hic dicitur produxisse lignum pul- B chrum de humo, etc., cum supra legitur, *Germinet terra herbam virentem, et lignum pomiferum faciens*, et reliqua ? Sed sciendum est non propterea edictum [Z., dicitur] lignum pulchrum productum, ut novum aliquid condiderit, sed ex his generibus quæ jam terra tertia die produxerat, exorta sunt postmodum, et ex illa virtute quam antea terra acceperat, producta sunt. Et hic etiam recapitulatio est, sicuti et de homine superius. Sequitur : *Lignum etiam vitæ in medio paradisi*. Quidam tantum allegorice intelligi volunt lignum vitæ divinam sapientiam, de qua Salomon ait : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam ; et qui tenuerit eam, beatus* (*Prov.* III, 18). Sed credendum est quia sicut petra percussa a Moyse præbuit C aquas, quanquam significaret Christum historialiter vera petra fuit ; ita et lignum vitæ, quamvis eumdum significat [X., significet Christum], tamen erat corporaliter evidentissime lignum ; quod propterea lignum vitæ nuncupatur, quia si inde sumerent primi parentes, nec morbo, nec aliqua senectute deficerent, et si in obedientia permanerent, nec morerentur, sed propter obedientiam corpus eorum in spiritale converteretur, sicut sanctorum in resurrectione erit, et a terreno ad cœlestem transirent immortales paradisum. Denique in cæteris erat alimentum, in isto autem sacramentum lignumque scientiæ boni et mali. Deus enim omnia bona fecit, nec aliquid mali in paradiso instituere potuit. Sed quare dicitur, *lignum* D *scentiæ boni et mali*, nisi propterea appellatur lignum scientiæ boni et mali, non quod illud lignum in sua natura rationabile existit, ut haberet scientiam boni vel mali, sed quia homo in eo experiri et scire potuerit [Z. potuit], quid interesset inter bonum obedientiæ, et malum inobedientiæ? Et ideo in paradiso lignum vitæ, et lignum scientiæ boni et mali creatum est, ut per illud potuisset immortalis esse, per hoc ver mortalis : ligno vitæ quasi medicina, ut incorruptibilis esset, utebatur; ligno autem scientiæ boni et mali quasi veneno, ut moreretur.

Vers. 10. — *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum parodisum, qui inde dividitur in quatuor capita*. Sciendum est quia nec per hoc paradisus declaratur evidenter ubi sit, quasi per flumina inveniri possit locus ipsius. Qui sicuti nonnulli dicunt, et beatus Augustinus autumat, licet ab uno fonte Scriptura teste procedant, tamen subtus terra profluunt, et post longos tractus suis locis erumpunt et celantur interim amnes.

Vers. 11-12. — *Nomen uni Phison, ipse est Ganges fluvius Indiæ. qui circuit omnem terram Evilat, ubi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum est, ibique invenitur bdellium et lapis onychinus*. Bdellium nonnulli dicunt lignum esse pretiosissimum, alii vero lapidem pretiosum. Unde nonnulli pro bdellio et onychino carbunculum et lapidem prasinum transtulerunt. Interpretatur autem Phison *inflatio* juxta historiam, quia vento tumente inflatur : seu *os pupillæ*, quod melius est.

Vers. 13. — *Nomen fluvio secundo Geon, ipse est et Nilus fluvius Ægypti, ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ*. Qui ab oriente fluens, a radicibus videlicet Atlantis montis, sicut autumant, et ad septentrionem flexus, autumnalibus pluviis auctus, plana Ægypti irrigat, usque dum in littore maris Rubri sub terra celatur, deinde irrumpens Ægyptum ad occidenten fluit. Interpretatur quippe *tenebrosus*, quia per Æthiopiam et Ægyptum currit; sed melius *terræ gratia*, vel *fertilitas*, quia felices homines redit, quod magis ad spiritalem intelligentiam pertinet.

Vers. 14. — *Nomen vero fluminis tertii Tigris, ipse vadit contra Assyrios*. Qui propter velocitatem a bestia nomen accepit, et interpretatur *sagitta*. *Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates*, fluvius Mesopotamiæ : sed propterea terram quam circumit non nominat Scriptura, quia prope erat terræ Judæorum, et notus erat eis, et interpretatur *ubertas*. Hactenus historiam succincte descripsimus. Hinc vero breviter, maxime propter interpretationes nominum, aliqua quæ ad spiritalem significationem pertinent, inserere nitimur, licet contra morem nostræ descriptionis conemur.

Fluvius qui egrediebatur de paradiso significat Dominum ac Redemptorem nostrum, de paterno fonte procedentem, a quo origo est omnium creaturarum. De quo per Psalmistam dicitur : Apud te est fons vitæ ; et de quo Propheta ait : Dominus Deus noster fluvius gloriosus [Z., gloriosus est], exsiliens in terram sitientem. A quo procedunt quatuor flumina quæ irrigant paradisum. Quatuor ista flumina quatuor significant Evangelia, quæ habent originem ab ipso Domino Jesu Christo, quibus irrigat Ecclesiam suam, quæ per paradisum figuratur, sicut paulo superius prælibavimus, ubi paradisum tripliciter inseruimus. Unde et interpretationes eorum nominum sacris Evangeliis congruunt. Phison, qui interpretatur *os pupillæ*, significat Evangelium Joanni ; *os* enim ad locutionem pertinet, *pupilla* ad visum ; quia quod ipse per attributam sibi gratiam per oculum mentis de divinitate Salvatoris præ cæteris altius intellexit, loquendo eructavit dicens : *In principio erat verbum*, et reliqua. *Qui circuit om-*

nem terram Evilat, id est terram orientalem, quia ibi maxime legitur de excellentia Divinitatis ipsius, qui *Oriens* vocatur, propheta attestante, qui ait: *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12). *Ubi nascitur aurum*, etc., qui ibi præ cæteris sensus refulget spiritalis sapientiæ. Aurum namque sapientiam significat, Salomone attestante, qui ait: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* (*Prov.* XXI, 20). *Ibique envenitur bdellium*. Bdellium, si ad lignum refertur, significat mysterium crucis, quod in hoc Evangelio plenissime declaratur. Si autem ad lapidem, qui alio nomine carbunculus vocatur, significat Divinitatis excellentiam. Et lapis onychinus, qui in quibusdam codicibus prasinus invenitur, significat humanitatem Salvatoris, quæ inibi evidenter declaratur, de qua plenissime in hoc legitur Evangelio. *Geon* vero, qui interpretatur *terræ gratia*, præfigurat Evangelium Matthæi, quia ibidem continetur qualiter Dominus sua gratia, nullis nostris meritis exigentibus, terram carnis nostræ assumere dignatus est, de qua et Isaias ad Judæos loquitur dicens: *Interficiet te Dominus Deus tuus, et servos suos vocabit nomine alio, in quo, qui benedicitur super terram, benedicetur in Deo, amen, et qui jurat in terra, jurat in Deo amen* (*Isa.* LXV, 15).

Tigris, qui vadit contra Assyrios, quem *sagittam* interpretari dicunt, significat Evangelium Marci, qui veloci et brevi sermone comprehendit Evangelium suum. Qui bene contra Assyrios, qui *feroces*, et *captivantes*, vel *quasi dæmones* interpretantur, ire dicitur, quia contra aereas potestates, quæ genus humanum captivare non cessant, disputat. *Euphrates* fluvius Mesopotamiæ, qui interpretatur *ubertas*, significat Evangelium Lucæ, quod in magna prolixitate conscriptum est, in quo non solum Christi nativitas, verum etiam sui præcursoris tenetur ascripta, et multæ parabolæ inibi leguntur quæ in aliis non habentur.

Nonnulli etiam moraliter hæc quatuor flumina quatuor virtutes principales significare voluerunt, videlicet prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam. Per Phison intelligitur prudentia. Prudentia ergo significat ipsam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis. Unde Phison *oris mutatio* interpretatur, quam si eloqui velis, parturis eam potius quam paris [Z., parias], quia ibi audivit Paulus ineffabilia verba, *quæ non licet homini loqui* (*II Cor.* XII, 4). Et ideo *Evilat* interpretatur *parturiens* sive *labor*, quam circuit; qui cum labore per prudentiam magis parturis ipsam contemplationem veritatis quam parias quia pleniter nullus eam comprehendere valet. Ibi nascitur aurum, disciplina videlicet vivendi, quoniam [Z., quæ] aliena est, atque decocta nitescit ab omni sorde, velut aurum purum. Ibi invenitur bdellium, qui alio nomine carbunculus inscribitur. Significat vero veritatem, quam nulla falsitas vincit, sicut carbunculi fulgur nullis tenebris noctis superatur. Et lapis onychinus, qui alio nomine prasinus [Z., prasius] inve-

A nitur, significat vitam æternam sua viriditate propter vigorem vitæ, quia non arescit. Geon, qui circuit omnem terram Æthiopum calidam ferventemque significat [Z., figurat] fortitudinem calore actionis alacrem atque impigram, quæ superat omnem segnitiem, et pervenit ad fervorem dilectionis. Tertius Tigris vadit contra Assyrios, et significat temperantiam, quæ resistit libidini, et voluptuosas frenat concupiscentias, quibus immundi spiritus, qui significantur per Assyrios, qui interpretantur *feroces*, vel *quasi dæmones*, decipere miseros satagunt, sed hac virtute superantur. Quartus Euphrates non est dictus quo vadat, aut quam terram circumeat. Significat autem justitiam, quæ ad universas animæ pertinet partes; quia ipse ordo, et æqui-
B tas animæ est, qua sibi tria ista concorditer copulantur, et in ista tota copulatione atque ordinatione justitia est. Sed notandum est quia philosophi et nonnulli doctores secundum ethicam disciplinam supradictas virtutes ita ordinant: prudentiam, justitiam, fortitudinem, et temperantiam. Prudentia, inquiunt, in agnitionem veritatis hominem; justitia dilectionem Dei et proximi servat; fortitudo vincit adversa, mortemque contemnit; temperantia vitiosas voluptates reprimit et omnia moderatur. Hæ sunt quatuor virtutes principales, quæ mores ornant, merita præbent, diabolum vincunt, cælum aperiunt. Prima intelligit, secunda diligit, tertia victoriam dat, quarta modum imponit. Quisquis enim quatuor Evangeliis instructus fuerit, et his quatuor
C virtutibus cor infusum habuerit, ab omni carnalium tentationum æstu temperatur, et habitabit inter ligna paradisi, videlicet sanctæ Ecclesiæ, opera sunt ipsorum; lignum vitæ ipsa bonorum et percipiet fructus lignorum atque perveniet ad lignum vitæ. Ligna paradisi fructifera, utiles disciplinæ vel sancti sunt; lignorum fructus, mores vel opera sunt ipsorum; dignum vitæ ipsa bonorum omnium mater sapientia est, de qua Salomon ait: *Dignum vitæ est his qui apprehenderint eam; et qui tenuerit eam beatus* (*Prov.* III, 18). Vel ipse Sanctus sanctorum Christus, ad quem quisquis [*Petr.*, si quisque] porrexerit manum, vivet in æternum. Sequitur:

VERS. 15. — *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis*. Hic enim os-
D tenditur quia extra paradisum conditus est. Quidam enim dixerunt quod in Hebron [*Petr.*, quod Hebron] conditus sit, ubi et sepultus jacet, et subito illuc positus. Hoc historia divinæ legis non narrat. *Ut operaretur et custodiret illum*. Quid operaretur, cum nondum erat laboris defectio? vel quid custodiret, cum nullus erat agressor vel prædo? An propter bestias dicit? Minime. Quia bestiæ nocivæ non fuerunt nisi post peccatum. Sed quod ait, *operaretur et custodiret illum*, non pertinet ad servilem laborem, sed ad exercitium jucunditatis, et honestam animi voluptatem, sicut patentes, cum nullis indigent, propter jucunditatem tamen laboribus se exercent. Seu etiam propterea dictum est, *ut operaretur*

et custodiret illum, id est, operaretur præcepta justitiæ, et perseveraret in mandato, et custodiret semetipsum, ne perderet paradisum. Dicunt et aliter: *Tulit ergo Deus hominem, et posuit eum in paradiso, ut operaretur et custodiret illum*, id est ut ipsum hominem Deus operaretur, et custodiret illum; operaretur ut justus esset; et custodiret, ut tutus esset; sicut terra operari dicitur ab hominibus non creando, sed exercendo, ut fructum ferat, quem sensum nonnulli reprehendere voluerunt, quia, inquiunt, si eum custodiret, non peccaret. Sequitur:

VERS. 16. — *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede*, etc. Quæritur quomodo loquebatur Adæ Deus? Aut per cœlestem substantiam, quomodo nunc loquitur angelis; aut per corporalem speciem, id est ex aere cœlesti sumpta imagine, sicut olim patriarchis; aut inspirando in mente, quomodo prophetis, sicut scriptum est: *Dixit mihi, qui loquebatur in me?* Sed sciendum est qua prius, antequam peccaret, loquebatur ei per cœlestem substantiam, sicut angelis; postquam vero peccavit, per subjectam creaturam, id est per angelum.

VERS. 17. — *In quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Quæritur de qua morte dicatur, utrum de morte corporis, an de morte animæ, an de morte gehennæ? Sed sciendum est quia de utraque morte sentiendum est, animæ videlicet et corporis. Animæ mors est, dum propter peccatum quodlibet Deus deseritur [Z., eum Deus deserit], qui est vita ejus. Mors corporis est, dum propter necessitatem quamlibet corpus deseritur ab anima. Quia sicut Deus est vita animæ, ita anima est vita corporis, quam mortem corporis peccando promeruerunt, quoniam immortales forent si non peccassent; et licet non statim fuissent mortui, sed post longum tempus, tamen quia jam spes immortalitatis amissa erat, futura mors præsens dicta est, quoniam hæc cœpit in spe haberi. Unde Symmachus transtulit, *mortales eritis*. Et hanc duplam hominis mortem Christus sua simpla morte destruxit. Nam sola carne mortuus est ad tempus, anima vero nunquam, quoniam nunquam peccavit. Possumus etiam mortem gehennæ intelligere, qua nunc cruciatur anima privata societate sanctorum, quæ post judicium recepto corpore pariter pœnam sustinebit. Unde nonnulli, auctoritate Scripturarum fulciti, quatuor mortes ostendunt: prima mors est, inquiunt, animæ, quæ deserit suum creatorem. Cum enim deserit, peccat. Hinc Dominus in Evangelio ait: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22). Hæc namque sententia duas mortes, animæ videlicet et corporis ostendit. Tertia est solius animæ, quam, dum ex hoc corpore [Z., quæ, dum a corp]. exierit, patitur, quam sustinebat dives in inferno, qui guttam aquæ petiit. Quarta, cum anima in futuro receperit corpus suum, et in ignem mittetur, quando Dominus dicturus est: *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41). Quando quippe peccavit Adam, est mortuus in anima. Hæc prima præcessit desertio Dei, tres postea secutæ sunt mortes.

VERS. 18. — *Dixit quoque Deus: Non est bonum esse hominem solum. Faciamus ei adjutorem similem sui.* Hic enim ostenditur quia uxor propter solatium et adjutorium creata est viro, et ideo solatium ei præbere debet atque subdita esse [Z., ideo ut solatium ei præberet, atque subdita esset], teste Apostolo: *Mulier sui corporis potestatem non habet* [Z., *habeat*], *sed vir*. Sed requirendum videtur quare Adam mundi dominus legem acceperit. Ideo, ne se extolleret dominio, sed in observatione mandati sciret se subjectum esse Conditori.

VERS. 19. — *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ, adduxit ea ad Adam.* Sciendum est non circuitu locali adducens, sicut aucupes et venatores, sed occulto nutu suæ potentiæ voluit ut venirent, *ut videret quid vocaret ea. Videret*, id est discerneret et intelligeret quid vocaret ea.

VERS. 20. — *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia*, et reliqua. Hic enim juxta litteram ostenditur quanta [Z., in quanta] dignitate homo pecoribus et animalibus irrationabilibus antecellit, qui intellectu suo cuncta distinguere et nominatim discernere potuit, et secundum qualitates, mores et iras bestiarum nomina imposuit; cui hanc dignitatem Dominus ideo conferre voluit, ut intelligeret seipsum et quanto melior esset animantibus, tanto suum auctorem potius diligeret [Z., *addit:* quo se meliorem aliis viventibus intelligeret]. *Adam vero non inveniebatur adjutor similis ejus*, id est, quia inter omnia animantia nullum rationale inveniebatur nisi ille solus. Adam interpretatur *homo*, sive *terrenus*, sive *terra rubra*, ex terra enim facta est caro, et humus hominis faciendi materies fuit. Nam spiritaliter quod terra rubra dicitur, significat Christum ex ejus semine carnem suscepturum, qui ab Apostolo secundus Adam dicitur cujus caro proprio sanguine in passione erat rubricauda [Z., rubicunda], juxta quod Isaias interrogat dicens: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* et reliqua (*Isa.* LXIII, 2.)

VERS. 21. — *Immisit ergo Dominus soporem in Adam*, et reliqua. Quid est quod dicitur: *Immisit soporem*, ut mulierem formaret? Nunquid non poterat Deus vigilanti costam educere feminamque formare? An forte ne doleret latus, quando costa detracta est, propter hoc oportebat ut ille dormiret? Quis est qui sic dormiat, ut ossa non evigilanti evellantur? An quia Deus evellebat, propterea homo non sentiebat? Poterat ergo vigilanti sine dolore evellere, qui poterat dormienti. Sed causa mysterii actum est. Ideo mulier non de terra psalmata est sicut vir, sed de latere viri dormientis, quia futurum erat ut Christus propter Ecclesiam in cruce dormiret, ex cujus latere fons salutis nostræ emanaret et formaretur Ecclesia. *Et replevit carnem pro ea.* Quid hoc est, nisi quia Christus posuit carnem suam in passione pro Ecclesia? Unde enim Adam infirmatus est, inde mulier fortis effecta [Z., effecta est]; quia

per hoc quod Christus infirmari dignatus est in passione, inde Ecclesia corroborata est.

Vers. 22, 28, etc. — *Et ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem*, et reliqua, usque quo ait: *et vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Quomodo hic feminam ædificatam dicit, qui superius ab omni opere suo requievit? Non enim hic creavit in materia, sed expressit in forma. *Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis*, et reliqua. Vocavit ergo uxorem suam vir tanquam potior inferiorem, et dixit: *Hoc os ex ossibus meis*, etc. Os de ossibus meis fortassis propter fortitudinem, et caro de carne propter temperantiam. Hæ namque duæ virtutes ad inferiorem animæ partem, quam prudentis rationalis regit, docentur pertinere allegorice. *Hæc vocabitur virago.* In quibusdam codicibus invenitur, *hæc vocabitur mulier.* Non enim videtur in Græco et in Latino resonare cur mulier appelletur, quia ex viro sumpta sit; sed etymologia in Hebræo sermone servatur [Z., servetur]: vir quippe vocatur *Is* et mulier *Issa*. Recte igitur ab *Is* appellatur est mulier *Issa*. Et hoc est quod hic ait, *hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.*

Vers. 24. — *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ*, et reliqua. Hic primum Adam prophetavit de Christo et ecclesia. Quod exemplum [Z. *om.* exemplum] exponens Paulus apostolus ait: *Mysterium hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia* (*Ephes.* v. 22). Quod si quis spiritaliter nosse desiderat, Augustini et Isidori dicta strenue legat. Bene ait, *in carne una*, hoc est in una voluntate et consensu, seu quia ex duobus una caro procreatur in prole.

Vers. 25. — *Erant autem uterque nudi* [Z., nudus], *Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant.* Non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa movebat ad concupiscendum. Si enim non peccarent, non erubescerent, quod in parvulis fieri videmus, qui antequam tempus libidinis et motus fragilitatis adveniat, non erubescunt ex nuditate. Et idcirco erant nudi, ut dictum est, sed non erubescebant, quia non videbant *aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivos eos ducentem in lege peccati* (*Rom.* vii. 23). Nihil enim putabant velandum, quia nihil sentiebant refrenandum. Sed post peccatum erubescebant, quia propter inobedientiam caro quodammodo verecundiæ testimonium perhibebat, et peccando promeruerunt ut eis rebellis esset.

CAPUT III.

Vers. 1. — *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus*, et cætera. Non ut serpens aliquam astutiam aut sapientiam haberet, sed propter astutiam diabolus intelligitur, qui per illum agebat dolum. Nam Aquila et Theodotion interpretati sunt, *nequam et versipellem;* ut per hoc magis versutia et calliditas quam sapientia demonstraretur. Quia quamvis prævaricator angelus per superbiam fuisset dejectus de cœlestibus, natura tamen excellentior et callidior est omnibus animantibus; quia si dignitatem amisit, subtilitatem non perdidit. Elegitque sibi diabolus animal naturæ suæ aptum, tortuosum, lubricum, per quod [*Petr.*, quem], loqueretur, ut per hoc sua dolositas et tortuositas designaretur. Verum ipse serpens loqui non poterat, quia hoc a Creatore non acceperat. Assumpsit illum diabolus, utens eo velut organo, per quem articulatum sonum emitteret ad perpetrandam malitiam suam. Per illum quippe verba faciebat. Sed ille nesciebat naturæ rationalis [*Petr.*, rationis] expers, sicut dæmoniacus et mente captus loquitur quæ [*Petr.*, quia] nescit, sed tantum per eum non quantum voluit, sed quantum a Creatore concessum est, peregit. Unde nonnulli quærunt si non intellexit, non sensit serpens, quomodo audiunt verba marsorum incantantium, ut ad eorum incantationes de cavernis egrediantur? Quibus respondendum est: Licet intellectum non habeant, tamen sensibus corporis nullatenus carent. Habent enim visum, auditum, odoratum, gustum et tactum. Et ideo quamvis audiant verba marsorum, nequaquam tamen intelligunt. Non enim obediunt intelligendo, sed ut de antris ad incantationes exeant, permittente Deo, coguntur a diabolo. Sequitur: *Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi?* Idcireo ad mulierem loquitur, quia vidit quod mulierem seducere posset, et non virum; seu quia virum tantum ad similitudinem Dei conditum putavit et non illam. Hic movet aliquos cur tentari Deus hominem permisit, quem consentire præsciebat, nisi quia magnæ laudis homo non esset, si ita condidisset eum ut malum facere non potuisset, sed foret tanquam animal. Sed condidit in proprio arbitrio, ut, si fortiter perseveraret in præceptis, remuneraretur; sin autem consentiendo corrueret, damnaretur, sicuti actum est. Nam et hodie sine intermissione per universum genus humanum ex insidiis diaboli homines tentantur, ut ex eo virtus tentati probetur, et palma non consentientis gloriosor appareat.

Vers. 2, 3. — *Cui respondit mulier: De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur*, et reliqua. Cur mulier ad interrogata serpenti [Z., serpentis] respondit? Ut prævaricatio ejus esset inexcusabilis, cum nullo modo dicere potuit se oblitam esse mandati, quod serpenti prodidit.

Vers. 4, 5. — *Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Ac si dixisset: Non est ita ut dicitis. Invidit itaque vobis Deus suam gloriam, et dignitatem, propterea vobis ista præcepit. Scit enim quia, si comederitis, similes ei eritis, scientes bonum et malum. Melius consilium dabo: Comedite, *et aperientur oculi vestri*, et reliqua. Magna promittit, ut facilius decipiat. Ait enim: *et aperientur oculi vestri.* Ad hoc persuasit ut

sub Deo esse nollent, sicut ipse esse contempsit. Libet inquirere quare diabolus tam infestus exstitit hominum saluti? Videlicet propter odium in Creatorem, et invidiam in hominem, et desperationem suæ salutis. Sequitur:

Vers. 6. — *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum*, et reliqua. Cur mulier considerávit lignum post serpentis persuasionem? Ut exploraret si quid in eo mortiferum esset, et dum nihil in eo tale aspectu reperit, confidentius gustavit. *Tulit de fructu illius, et comedit deditque viro suo.* Ideo vir consensit feminæ, ut nonnulli dicunt, quia forte illam mortuam non vidit ex cibo. Et potuit fieri ut putaverint alicujus significationis causa dixisse Creatorem: Si manducaveritis ex eo, morte moriemini, et ideo comederunt.

Vers. 7. — *Qui comedit, et aperti sunt oculi amborum.* Ad quid aperti sunt? Nunquid antea cæci erant? Minime. Sed aperti sunt non ad videndum, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, et malum ad quod ceciderant. Seu etiam aperti sunt oculi eorum ad invicem concupiscendum, quod etiam ad pœnam mox post peccatum evenit. Culpa quippe oculos concupiscentiæ aperuit, quos innocentia clausos tenebat. Hic enim ostenditur qualiter diabolus contra primum hominem in tribus tentationibus se erexit; quia hunc videlicet gula, vana gloria, avaritia, tentavit, sed tentando prostravit. Ex gula tentavit, cum cibum ligni [Z., lignum] vetitum ostendit, atque ad comedendum suasit, cum ait: *Comedite.* Ex vana autem gloria tentavit, cum dixit: *Eritis sicut dii.* Et ex avaritia tentavit, cum subjunxit, *scientes bonum et malum.* Avaritia non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. In hoc diabolus ad superbiam traxit, quod eum ad avaritiam sublimitatis excitavit. Unde postea secundum Adam, Dominum videlicet ac Redemptorem nostrum, his tentationibus aggredi conatus est, sed eisdem modis devictus succubuit. Nos etiam quotidie his tribus suggestionibus pulsamur: suggestione, delectatione, consensu; et cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum, sicuti parentes nostri, labimur, quia de carnis peccato propagati in nobis ipsis gerimus, unde certamina tentationum toleramus. Sed ideo, ut dictum est, Dominus tentari voluit juxta fidem Evangeliorum, ut nostras tentationes suis tentationibus devinceret, et ipsum quoque hostem humani generis a fastu suæ superbiæ prostraret. Denique hic notandum est quia ante prævaricationem, hominis, priusquam se morti manciparet, non erat inimico potestas, ad [*Petr.*, se ad] interiora hominis accedere, et cogitationes adversas inserere. Sed postquam eum per serpentem circumvenit, potestatem in eum accepit ut interius pulsaret. Nam juxta metaphoram, potest callidus serpens hæreticorum astutiam designare, qui illicita curiositate secreta Dei, quæ a nostris sensibus sunt remota, tangenda suadent, tanquam serpens, qui dicebat: Cur præcepit Deus scientiam habere

A latentem? Nova semper inquirere, et boni malique scientiam penetrare debetis.

Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata, vel subcinctoria, vel campestria, sicut alia translatio dicit. Cognoverunt se nudos, a gratia scilicet, qua illis fiebat ut nuditas corporis nulla eorum mentem lege peccati repugnantem confunderet. *Consuerunt folia ficus*, utique inobedientia suæ carnis confusi. Bene itaque ex foliis ficus se tegunt [Z., tenuerunt]; folia ficus quippe designant pruritum carnis, quo jam urebantur post peccatum. Amiserunt enim gloriam simplicis castitatis [Z., simplicitatis et cast.], et ideo ad duplicem libidinis pruriginem confugerunt, id est, quia æstum ardoris

B quem patiebantur in mente, ex foliis fici, ex quibus probatur ardor excitari in corpore, tegendo duplicaverunt. Tradunt namque si virgulta, seu folia ficus quis inciderit, quod liquor quasi lac emanat in modum virus, hominis etiam incendit cutem atque urit humanam. Et ideo, inquiunt, significant pruriginem et ardorem libidinis. Unde æstimant quod ex hac arbore vetitum pomum attigerunt. Possunt etiam, juxta nonnullos, folia ficus amara amaritudinem vindictæ significare. Spiritaliter foliis ficus se contegunt, qui sæculum asperum amplectuntur, qui prurigine voluptatis carnalis utuntur, quique decepti hæretica pravitate, et gratia Christi nudati, tegumenta mendaciorum tanquam folia ficus colligunt, facientes

C succinctoria pravitatis, cum de Domino vel Ecclesia mentiuntur. Sequitur:

Vers. 8. — *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram*, et reliqua. Quid est enim quod post peccatum hominis in paradiso Dominus non stare, sed ambulasse [Z., ambulare] dicitur, nisi quod irruente culpa se a corde hominis recessisse ostendebat? Etiam per hoc instabilem ejectionem eorum de paradiso ad mortalitatem demonstrabat. Tropice vero deambulat Deus illis, et non stat, qui stabiles in ejus præceptis non perseverant. Unde consequenter adjunctum est *ad auram post meridiem.* Solet enim sacra Scriptura per statum temporis merita causarum distinguere. Bene enim *ad auram post*

D *meridiem*, quia ardor charitatis abundante iniquitate in eis refriguerat, et lux ferventior veritatis abscesserat, appropinquantibus videlicet tenebris errorum, et peccatricem animam jam culpæ suæ frigore constringebant, et sub peccati umbra, quasi sub frigore auræ torpebat; sicut de eodem peccante homine scriptum est quia secutus est umbram. Ecce hic ostenditur quod Adam meridie transgressionis mortem huic mundo intulit. Unde Dominus hora sexta pro mundi vita crucifixus est, hoc est, recessuro a centro mundi sole, quando et latroni ait: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc* XXIII, 43). Rationis igitur, imo divinæ pietatis ordo poscebat, ut eodem temporis articulo quo tunc Adæ peccanti obcluserat, nunc latroni Dominus pœnitenti januam paradisi reseraret, et qua

hora primus Adam peccando huic mundo mortem invexerat, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destrueret.

Sed quæritur quare Dominus hominis peccatum per seipsum expiare voluit, et non per angelum? Ideo, quia non sufficiebat unius angeli meritum ad redemptionem totius humani generis. Nec tantum sceleris incurrisset diabolus in nece angeli, quantum incurrit in nece Creatoris. *Abscondit se Adam, et uxor ejus in medio ligni paradisi.* Juxta litteram, præ nimio pudore vel timore hoc fecerunt. Sed quid est quod *post meridiem*, nisi quia post lucem paradisi ac felicitatis in hujus sæculi caliginosa miseria se absconderunt? [Z., paradisiacæ felicitatis hujus sæc. se absc.] Spiraliter vero *in medio ligni paradisi* se abscondit, qui aversus a B præceptis Creatoris in erroris sui atque arbitrii voluptatibus vivit.

Vers. 9. — *Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es?* et reliqua. Nunquidnam divina potentia nesciebat post culpam servus ad quæ latibula fugerat? Sed quia vidit in culpam lapsum jam sub peccato, velut ab oculis veritatis absconditum; quia tenebras erroris ejus non approbat, quasi ubi sit peccator, ignorat. Eumque et vocat et requirit, dicens: *Adam, ubi es?* Per hoc quod vocat, signum dat quod ad pœnitentiam revocat. Per hoc vero quod requirit, aperte insinuat quia peccatores jure damnandos non ignorat. Et ideo illum increpando admonere voluit, ut attenderet ubi esset et unde cecidisset. Ait enim: *Ubi es?* ac si aperte diceret: Vide a quanta dignitate ad quod malum corruisti? Increpavit ergo Adam Dominus deambulans, ut dictum est, ut cæcis mentibus nequitiam suam non clausis sermonibus, sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo verbis malum quod gesserat audiret; et per ambulationem amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret, et per auram fervore charitatis expulso, torporem suum animadverteret, et per declinationem solis, quod ad tenebras appropinquaret, agnosceret. Sed notandum est quia si [Z., *om.* si] prius cum illis loquebatur, fortassis sicut angelis, nunc jam per subjectam creaturam apparuisse eis credendum est. Neque enim Adam post culpam Deum in substantia divinitatis videre potuit, sed increpationis verba per angelum audivit. Sed sciendum est quia *vocavit*, sed non statim ejecit. Hic itaque figuraliter ostenditur quia quicunque a fide vel bonis operibus ad mendacia sua et desideria labitur, non debet desperare, licet immensitate criminum sit oppressus. Non despicit Deus peccatores, sed adhuc ut redeant per pœnitentiam, vocat, qui *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXI, 23). Et ideo non desperandum, dum ipsi [Z., desperandum. Ipsi, etc.] impii, qui mortem intulerunt, ad spem indulgentiæ provocantur.

Vers. 10. — *Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me.* Miserrimo genere respondit, quasi ideo possit displicere nudus, sicut cum fecerat. Ante peccatum A enim nuditatem suam non advertebat, quia ejus intentio in supernis erat. Nam quod se a Dei præsentia abscondi posse putabat, et de insipientia pœna peccati accidit, eum latere velle quem latere nihil potest.

Vers. 11. — *Cui dixit Deus: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses?* etc. Ideo sic peccatum illius examinare voluit, ut culpam suam respiceret, et confitendo cognosceret quam longe a Conditoris sui facie abesset. Sed adhibere sibimet utrique [Z., utique] defensionis solatium quam confessionis elegerunt. Unde et sequitur:

Vers. 12. — *Dixitque Adam: Mulier quam dedisti sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* Heu, ubi peccatum finem habere debuit, ibi augmentum cœpit! Non enim culpam ad se retulit, sed quodam modo ad mulierem, quam Dominus dederat, et reatum suum oblique in Auctorem redegit [Z., rediit], qui ei talem sociam dederat, unde occasio peccati esset. Unde nunc quoque humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, et cum de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum umbra, quasi sub quædam se arborum folia abscondit. In qua videlicet occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi.

Vers. 13. — *Et dixit Dominus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondens ait: Serpens decepit me.* Similiter et mulier culpam oblique ad Creatorem retorquere voluit, eo quod illic intrare serpentem permisisset. Ecce! Qui ore C diaboli fallentis audierant: *Eritis sicut dii*, peccatum excusant; et quando Deo similes esse in divinitate nequiverunt, ad erroris sui cumulum, Deum sibi similem facere in culpa conati sunt. Sic ergo, ut jam superius descripsimus, dum defendere peccatum suum moliuntur, vir per mulierem, mulier per serpentem, auferunt, quod humilitatis confessione delere poterant. Unde nunc usque in usu peccantium agitur, ut culpa cum arguitur, defendatur, et unde finiri debuit, reatus inde cumuletur [Z., peccatum trahitur, ut culpa, dum agitur, defendatur, et unde finiri debuit, reatus inde cumuletur]. Hic notandum est quod omne peccatum quatuor modis perpetratur in corde, quatuor etiam modis consummatur in opere. In corde namque suggestione, D delectatione, consensu, et defensionis audacia perpetratur, sicut hic demonstratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim, quæ terrere mentem debuit, extollit, et dejiciendo elevat, sed gravius elevando supplantat. Unde et illam primi hominis rectitudinem diabolus his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc verum in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente non ignoratur. Serpens suadet, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eva delectata est, quia carnalis sensus ad

verba serpentis mox delectationi substernit. Adam vero assensum præbuit, quia dum caro in delectationem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri culpam noluit, quia videlicet spiritus quo peccando a veritate disjungitur, eo in ruinæ suæ audacia nequius obduratur. Iisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere : prius enim latens culpa agitur: postmodum vero etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: dehinc et in consuetudinem ducitur ; ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Hos itaque peccati modos, qui vel in corde latenter fiunt, vel patenter in opere perpetrantur, hic nobis historia primi hominis manifestat [Z., manifestatur].

VERS. 14. — *Qui dixit ad serpentem : Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ. Super pectus tuum et ventrem gradieris. Ventrem* septuaginta addiderunt Interpretes. Cæterum in Hebræo *pectus* tantum habetur. Ecce ! Serpens non est interrogatus ; quia forte non hoc sua natura, vel voluntate fecerat, sed diabolus de illo et per illum fuerat operatus. Ideoque consequenter neque ipse est interrogatus, quia nec confiteri peccatum est diabolo, nec habet omnino unde se excuset. Sed statim excepit pœnam maledictionis, et non eam quæ ultimo judicio reservatur, quæ præparata est sibi et angelis ejus ; sed pœna ejus hoc in loco dicitur, ut in potestate habeat eos qui Dei præcepta contemnunt. Et inde [Z., in die judicii] major pœna est illi quia de tali infelicitate lætatur. Ait enim : *Super pectus tuum et ventrem gradieris.* Nomine *pectoris* significatur superbia mentis, nomine vero *ventris* significantur desideria carnis. His enim duabus rebus serpit diabolus in eos quos vult decipere, id est aut terrena cupiditate et luxuria, aut superbia et insana doctrina. Dum enim quis luxuriam jam perpetrat actione, huic serpens repit ex ventre. Alius vero dum perpetranda versat in mente, huic serpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad opera explenda pervenitur, recte serpens prius pectore, et postmodum repere ventre describitur. *Et terram comedes.* Id est ad te pertinebunt quos terrena cupiditate deceperis, *Omnibus diebus vitæ tuæ.* Hoc est, omni tempore quo agis hanc potestatem ante ultimam judicii diem.

VERS. 15. — *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.* Semen diaboli perversa est suggestio, semen mulieris est totum genus humanum. Quæ duo semina ex præcepto divino continuum inter se gerere odium debent, ut non faciamus quæ diabolus vult, quia ille nunquam vult nobis profutura. Licet nonnulli velint intelligi mulierem mentem, semen mulieris fructum boni operis. Potest etiam et de beata Maria virgine, ex qua natus est Dominus, non incongrue accipi. Lege Augustinum et Isidorum. *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Caput itaque serpentis est cogitatio illicitæ suggestionis, quam nos omni intentione atque manu sollicitæ considerationis a cordis auditu funditus exstirpare, et ad petram, qui est Christus, allidere debemus. Calcaneum vero mulieris extremum est vitæ nostræ tempus, quo diabolus nos acrius impugnare satagit, qui cum initio deprehenditur [Z., reprehenditur], percutere calcaneum molitur. Qui etsi suggestione primæ intentionis non percutit, decipere in fine intendit. Cui, si viriliter resistimus, victoriam perseverantiæ cum salute nostra accipiemus. Notandum est quia in hoc quod ait: *Maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ*, ad diabolum refertur, qui maledictus dicitur, quia pœnitentiam agere non potest *Inter omnia animantia*, id est quæ suam servaverunt naturam. *Et bestias terræ*, hoc est inter homines, sive universalem Ecclesiam.

VERS, 16. — *Mulieri quoque dixit : Multiplicabo ærumnas tuas*, et cætera usque : *et sub viri potestate eris*, et reliqua. Quid est quod ait, *sub viri potestate eris ?* Nunquid ante peccatum sub ejus potestate non erat ? Fuit utique ; sed ea servitute quæ per dilectionem operatur et foras mittit timorem. Postea vero timore conditionalis servitutis, qui [Z., quæ] per disciplinam operatur. Spiritaliter mulier significat mentem et ideo quod ait, *in dolore paries filios*, hoc designat quia voluptas carnalis, cum aliquam consuetudinem malam vult vincere, patitur in exordio dolores, atque ita per meliorem consuetudinem parit bonum opus quasi filios. Quod vero adjecit, *et sub viri potestate eris*, et reliqua, hoc significat quod illa voluptas carnalis, quæ cum dolore reluctaverat ut faceret consuetudinem bonam, jam ipsis erudita doloribus cautior fit, et ne corruat obtemperat rationi, et libenter paret [Z., servit], quasi viro jubenti.

VERS 17. — *Adæ vero dixit : Quia audisti vocem mulieris, et comedisti de ligno*, et reliqua. Non enim opera, ut plerique putant, hic ruris colendi, sed peccata significat. Sed libet inquirere quare Creator in delicto Adæ terræ maledixit, et non aquis ? Ideo videlicet quia de terræ fructu contra interdictum manducavit homo, non de aquis bibit, et quia prædestinavit Deus in aquis abluere peccatum quod de fructu terræ contraxit homo. Et terrestria animalia plus maledictionis habent quam aquatilia, quia plus de maledicta terra vivunt quam aquatilia. Et ideo Christus post resurrectionem de pisce manducare voluit, non de aliquo animali terrestri. Ecce ! Per peccatum hominis terra maledicitur, ut spinas pareret et venenosas herbas, ad pœnam videlicet vel ad exercitationem mortalium, et ut ante oculos haberet homo originale peccatum, et vel sic admonitus aliquando averteretur a peccatis, sicut longe superius dictum est. Dicit enim, *maledicta terra*, et reliqua. Cum certo novimus quod maledictum Scriptura sacra prohibet, quid est quod nunc peccanti homini

terræ maledictione hoc, quod homo divina voce facere prohibetur, infertur ? Sed sciendum est quod Scriptura duobus modis maledictum commemorat: aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe judicio justitiæ peccanti homini probatum est, cum audivit : *Maledicta terra in opere tuo.* Maledictum judicio justitiæ profertur, cum ad Abraham dicitur : *Maledicam maledicentibus tibi.* Rursum quia maledictum non judicio justitiæ, sed livore vindictæ promitur, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait: *Benedicite et nolite maledicere* (*Rom* XII. 4). Et rursum : *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 10). Deus ergo maledicere dicitur, et tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit nisi [*Z.*, ait, malitia vindictæ, Deus autem non facit nisi, etc.], examine et virtute justitiæ. Cum vero sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, et mala foras exurgentia, quia maledictio debeant feriri, cognoscunt, et eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non discordant. Allegorice quoque spinæ in significatione peccatorum ponuntur. Ait enim :

VERS. 18. — *Terra spinas et tribulos germinabit tibi.* Quod est aperte dicere : Conscientia tua punctiones tibi et aculeos vitiorum procreare non desistet. Verumtamen per sententiam quæ in virum infertur, ratio nostra arguitur, quæ, peccati concupiscentia seducta, a paradiso beatitudinis remota habet maledictiones terrenæ operationis pro concupiscentia peccati : habet et dolores temporalium curarum quasi spinas et tribulos. Sic tamen dimittitur a paradiso beatitudinis ut operetur terram, id est ut in corpore isto laboret et collocet sibi meritum redeundi ad vitam beatam, quæ paradisi nomine significatur, possitque manum porrigere ad arborem vitæ et vivere in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem, vel cruciatum pœnitentiæ, per quem [*Z.*, quam] vita æterna recuperatur. Ait enim.

VERS. 19. — *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Quod alia translatio manifestius ponit: *Terra es, et in terram ibis.* Primus homo ita conditus fuit ut, manente illo, decederent tempora, ne cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per incrementa tendebat. At ubi vitium contigit, mox offenso Creatore cœpit ire cum tempore, et ideo audivit : *Terra es, et in terram ibis;* statu videlicet immortalitatis amisso, cursus [*Z.*, mox eum cursus, etc.] eum mortalitatis absorbuit, et dum in juventute ad senium, a senio traheretur ad mortem, transeundo didicit stando quid fuit. Cujus nos, quia de propagine nascimur, radicis amaritudinem quasi in virgulto retinemus; quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, ju-

A ventus ad senectutem, senectus transit ad mortem, sic suis augmentis ad detrimenta impellitur. *Et comedes herbas terræ*, et reliqua. Hic ostenditur quia hominibus ante diluvium non carnes, sed herbæ fructusque arborum datæ sunt ad edendum. Hinc est quod quidam sapiens versibus alludens ait : *Felix nimium prior ætas contenta fidelibus arvis, nec inerti perdita luxu, facilique sera solebat jejunia solvere glande.* Hic quoque notandum est quia septem sunt peccata Adæ, et ideo totidem, sicut aliqui describunt, subsecutæ sunt maledictiones. Primum peccatum superbia, quia dilexit esse in sua potestate plus quam Dei. Secundum, sacrilegium, quia Deo non credidit. Tertium, homicidium quia semetipsum peccando occidit. Quartum, quod
B fornicationem spiritaliter [*Z.*, spiritalem] habuit, quia integritatem mentis corrupit. Quintum, furtum, quia cibum prohibitum, attigit. Sextum, avaritia, quia plus quam debuit appetivit. Septimum, gula, quia vetitum fructum comedit. Quanquam septem sint vitia, et ideo septem pœnæ subsecutæ sunt. Prima, maledictio terræ ejus. Secunda ejectio de paradiso. Tertia, adventus in terram vilem. Quarta, mors filii. Quinta, labor. Sexta, mors corporis. Septima, descensio ejus in [*Z.*, ad] infernum. Et quia septies peccavit, septem, vindictas recepit. Sed hic placet inquirere quare angelicum [*Z.*, angeli] peccatum silentio in hoc libro, absconditum est, et hominis patefactum [*Z.*, esset, hominis vero pate], et cur summi angeli scelus insanabile fuit, et hominis sanabile ? Nisi quia ange-
C licum vulnus Deus non prædestinavit curare, hominis vero sanare prædestinavit. Et quia angelus sui sceleris inventor fuit, homo vero alterius fraude seductus. Item quanto sublimior [*Petr. om.* est *hic et infra*] est angelus in gloria, tanto major in ruina. Homo vero quanto fragilior est in natura, tanto facilior ad veniam.

VERS. 20. — *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, eo quod mater esset cunctorum viventium.* Eva interpretatur *vita*, sive *calamitas*, sive *væ*. *Vita*, quia origo fuit nascendi, et ideo *mater cunctorum* dicitur. *Calamitas* et *væ*, quia per prævaricationem causa exstitit moriendi ; a cadendo enim *calamitas* nomen sumpsit. Alii autem dicunt: Ob hoc Eva *vita* et *calamitas* est appellata, quia sæpe
D mulier viro causa salutis est, sæpe calamitatis, et mortis, quod est *væ*. Spiritaliter in hoc quod *vita* interpretatur, significat Ecclesiam, quæ mater vivorum id est recte factorum vocatur, quibus contraria sunt peccata, quæ nomine mortuorum significantur.

VERS. 21. — *Fecit quoque Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos, et ait.* Quid est quod eis tunicas pelliceas contexit ? Ut eos [*Z.*, nisi ut eos] mortales fuisse insinuaret.

VERS. 22.— *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum et malum.* Ait enim, *quasi unus ex nobis.* Sic loquitur quasi esset Deus, quod pertinet ad irrisionem insultantis, vel deterrentis ad exemplum timoris, ne quis [*Z.*, *om.* quis] peccaret,

quia non solum ita factus est ut fieri voluit, [a] sed nec illud quod factus fuerat, conservavit. Benedixit, *quasi unus ex nobis*, pluraliter propter Trinitatem, et illud : *faciamus hominem*, et reliqua. *Sciens bonum et malum*, videlicet per experimentum, quod Deus novit per sapientiam. *Videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum.* Ideo noluit sua pietate ut iterum sumeret de ligno vitæ, quia si inde comederet, immortalis cum suo peccato tanquam diabolus, ut aliqui volunt, permaneret, et non rediret per pœnitentiam. Unde putant quod nunquam de ligno vitæ comedisset, quia si edisset, inquiunt, non peccaret. Aliter. Voluit Deus ut sumeret, et per pœnitentiam recuperaret; et est ambigua locutio. Loquimur enim sic cum dicimus : Ideo moneo te ne iterum facias quod fecisti, volentes enim ut faciat. Et iterum : Ideo moneo te ne sis bonus, volentes utique ut sit. Ideo moneo te ne desperes quod bonus possis esse. Tali enim modo ait Apostolus : *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem* (*II Tim.* II, 25), cum hoc utique cupiebat.

VERS. 23. — *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est* Potest ergo videri [*Petr.* fieri] ut propterea homo in labore hujus vitæ esset dimissus, ut aliquando manum porrigeret ad arborem vitæ.

VERS. 24. — *Et ejecit Adam.* Haud dubium quin Dominus. *Et habitare fecit ante paradisum voluptatis cherubim, et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Non quod ipsum Adam, quem ejecerat, Deus habitare fecerit contra paradisum voluptatis, sed quod illo ejecto ante fores paradisi cherubim et flammeum gladium posuerit ad custodiendum paradisum, ne quis possit intrare. Bene cherubim, vel flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendum posuit, id est per angelicum ministerium igneam quamdam custodiam [Z., ignea quædam custodia], quæ tamen congrue *versatilis* esse dicitur pro eo quod quandoque veniret tempus ut etiam removeri potuisset, videlicet per adventum illius qui suæ incarnationis mysterio iter nobis paradisi aperuit. Cæterum ante adventum ipsius omnes mortui ad inferni claustra descendebant : quoniam [Z., omnes quanquam mundæ probatæque vitæ fuerint, ad inferni cl. desc. Dubium vero non est quoniam, etc.] homo, qui per se cecidit, ad paradisum redire, nisi per Dominum, non potuit. Verumtamen, sicut nonnullis videtur, potest intelligi quia Adam ante paradisum posuit, ante paradisum collocavit, scilicet propter spem pœnitentiæ, ut aspiciens semper beatitudinis locum fortassis pœniteret, et per veram emendationem rediret ad beatam vitam, quam spiritaliter paradisum nominavit. Sed, heu! proh dolor ! noluit, sed in sua miseria peccator remansit. Porro in hoc quod superius dicitur accepisse tunicam pelliceam, et modo sistitur ante paradisum, ubi positum est cherubim, et framea ignea, allegorice hoc significatur [Z., significat], quod a carnalibus sensibus abstractæ voluptates, qui [b] carnaliter viventes sunt ; quia sicut pelles abstrahuntur a corpore, ita pravæ voluptates a mente, et divinam legem consequuntur ; et dum convertuntur ad Deum per flammeam frameam, id est per tribulationes temporales, peccata sua cognoscendo et gemendo, et per cherubim, id est per plenitudinem scientiæ, quod est charitas, perveniant ad arborem vitæ Christum, et vivant in æternum. Cherubim namque *plenitudo scientiæ* interpretatur : framea versatilis, posita ad custodiendam viam ligni vitæ, temporales pœnæ intelliguntur. Nemo enim potest pervenire ad arborem vitæ, nisi per has duas res, tolerantiam videlicet molestiarum, et plenitudinem scientiæ, id est per charitatem Dei et proximi. *Plenitudo legis*, inquit Apostolus, *est charitas* (*Rom.* XIII, 10).

CAPUT IV.

VERS. 1. — *Adam vero cognovit Evam, uxorem suam, quæ concepit, et peperit Cain*, et cætera. Cain interpretatur *acquisitio* sive *possessio*, unde etymologiam ipsius exprimens mater ait : *Possedi hominem per Deum.* A nonnullis etiam *lamentatio* dicitur, eo quod post interfectum Abel interfectus sit, et pœnam sui sceleris dederit.

VERS. 2. — *Rursumque peperit fratrem ejus Abel.* Abel *luctus* interpretatur. Quo nomine significabatur occidendus. Idem [Z., Item] et *vanitas*, sicut aliqui volunt, quia cito solutus est atque subtractus. Hic notandum est quia duæ dicuntur civitates, diaboli videlicet atque Dei, quæ ab initio mundi, sicuti hic ostenditur, construi cœperunt, sicut et duæ generationes, carnalis scilicet et spiritalis. Unde regula Scripturarum est [Z., regulæ Scripturarum dicunt] duas generationes malorum et bonorum [F., esse] nosse, sicut multa exempla constant. Natus igitur Cain prior ex illis duobus generis humani parentibus pertinens ad diaboli civitatem, et ad carnalem generationem, de qua per Salomonem dicitur : *Generatio quæ patri suo maledicit, et matri suæ non benedicit, et generatio quæ sibi munda videtur, et non est lota a sordibus suis*, etc. (*Prov.* XXX, 11) ; et in Evangelio : *Generatio viperarum* (*Matth.* III, 7). Et : *Requirentur omnia a generatione ista.* Et multa alia. Posterior Abel pertinens ad civitatem Dei et ad spiritalem generationem. Unde Apostolus : *Non prius, quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale* (*I Cor.* XV, 46). Quapropter unusquisque, quoniam ex damnata massa exoritur, primo sit necesse est ex Adam malus atque carnalis. Quod si in Christum renascendo profecerit, postea erit bonus et spiritalis. Sic in universo genere humano primum duæ istæ cœperunt nascendo et moriendo percurrere civitates. Prior qui est natus, cives hujus sæculi designat, unde et civitatem primus construxisse legitur. Posterior autem isto peregrinus in sæculo, et pertinens ad civitatem Dei, de qua Psalmista : *Gene-*

[a] Sic uterque codex.

[b] Locus mendosus in utroque codice.

ratio rectorum benedicetur (*Psal.* CXI, 12). Et: *Hæc est generatio quærentium Dominum* (*Psal.* XXIII, 46); et his similia. Gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia cives sursum.

VERS. 3-5. — *Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*, et reliqua usque : *non respexit Dominus ad Cain, et ad munera ejus, iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus.* Unde scire potuit Cain quod fratris munera suscepisset et sua repudiasset, nisi quia vera est illa Theodotionis interpretatio, qua dicit : *Inflammavit Dominus super Abel et super sacrificium ejus : super Cain vero et sacrificium ejus non inflammavit?* Unde creditur quia ignis missus est de cœlo, qui illud sacrificium suscepit, ut sæpissime viris sanctis offerentibus factum legitur, sicut in dedicatione templi sub Salomone legimus, et quando Elias in monte Carmelo construxit altare.

VERS. 6, 7. — *Ait enim Dominus ad Cain* : *Quare iratus es?* et reliqua. Hoc est, quare irasceris, et invidiæ in fratrem livore iratum vultum dimittis in terram? *Nonne si bene egeris, recipies*, id est si pura mente obtuleris sacrificium recipies, respiciente Deo ad te et ad sacrificium tuum? vel sicut in quibusdam codicibus invenitur : *Nonne si bene feceris, dimittetur tibi omne delictum?* sive ut Theodotion ait : *acceptum erit?* hoc est : munus tuum suscipiam, sicut suscepi fratris tui. *Quod si male egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Vel, sicut quidam codices habent : *illico peccatum ante vestibulum tuum sedebit.* Scilicet intrantem et exeuntem te semper peccatum tuum comitabitur, et desinet Dominus custodire introitum [Z., intr. tuum] et exitum tuum. *Sed sub te erit appetitus tuus*, subauditur, si volueris ; *Et tu dominaberis illius.* Ac si apertius dixisset : Quia liberi arbitrii es, non habet peccatum super te dominium, sed tu [*Petr.*, non habes peccatum super dominium, sed tu, etc.] super illud, et in tua potestate est sive compescere, sive concupiscere illud. Verumtamen moneo te ut non tibi [Z., tui] peccatum, sed tu peccato domineris. Nam Septuaginta ita transtulerunt : *Nonne si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti? Quiesce* [Z., *quiescet a te conversio ejus*], *ad te conversio ejus*, et cætera. Sed multo aliter [Z., altius] in Hebræo est quam in his translationibus sensus. Itaque necessitate compellimur in singulis diutius immorari. Recte autem offertur sacrificium, cum offertur Deo vero, cui uni tantummodo sacrificandum est. Non autem recte dividitur, dum non recte discernitur vel loca, vel tempora, vel res ipsa quæ offertur, vel qui offert, et cui offertur. Recte offerunt Judæi Deum Patrem credendo ; sed non recte dividunt Filium negando. Recte Vetus Testamentum offerunt recipiendo ; sed non recte dividunt Novum respuendo. Sic quoque qui rapacitate, vel de qualibet re fraudulenter acquisita, opus eleemosynarum facit, rectum opus facit, sed mala discretione. Datur propterea intelligi, Deum non respexisse in [Z., ad] munus Cain, quia hoc ipse male dividebat. Recte namque offerebat Deo, cui soli offerendum est, bonum opus exhibendo ; sed non recte dividebat, non bona voluntate faciendo, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum, quod omnes qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem faciunt, id est non recto corde, sed perverso viventes. Vel quia fortassis Cain meliora sibi reservabat, et deteriora Deo tribuebat, et humana inventione excogitata, ut putatur, et ideo non recte dividebat, Abel vero optima Deo et naturalia offerebat, et ideo sacrificium ipsius susceptum est. Unde in Evangelio singulariter justus inscribitur, quia videlicet tria maxima justitiæ præconia in eo esse leguntur : virginitas, sacerdotium, et martyrium, in quibus Christum præfiguravit. Nos etiam recte offerimus, cum bono studio bonum opus agimus, sed recte non dividimus, si habere discretionem in bono opere postponamus. Quia nisi discretio fuerit, quod putatur causa virtutis, reatus est criminis [Z., fit real. crim.]. Ait enim : *Quiesce, peccasti. Sed ad te erit conversio ejus*, subauditur, *peccati*, si pœnitentiam agere volueris [Z., nolueris], et tibi tribuere quod gessisti. Ex hoc quod ait, *ad te erit conversio ejus*, potest intelligi ad ipsum hominem conversionem esse debere peccati, ut nulli alii quam sibi sciat tribuere quod peccat. Hoc est enim salubris pœnitentiæ medicina et veniæ petitio. Tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi non differendo præposuerit, sed pœnitendo subjecerit.

VERS. 8. — *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras.* In dolo namque ei locutus est et non est dominatus peccato suo. *Cumque essent in agro, consurrexit adversum eum, et interfecit eum.* Ecce! Qui primum hominem mortem docuit, ipse est istum secundum occisionem. Denique si optemperasset Deo quando audivit, *peccasti quiesce*, vel sicut in nostra translatione legitur : *Si bene egeris recipies ; sin autem in foribus peccatum tuum aderit, et tu dominaberis illius*, adjutus a Domino non peccaret. In foribus peccatum adest, cum in cogitationibus pulsat. Appetitus subter est, eique homo dominatur, si cordis nequitia inspecta citius premitur, et priusquam ad duritiam crescat, reluctanti menti subigatur. Quod quia Cain facere contempsit, fratricidium commisit.

VERS. 9, 10. — *Dixitque ei Dominus : Ubi est Abel frater tuus?* et reliqua. Non tanquam ignarus, sed tanquam judex, reum quem puniat, interrogat. Cui Cain ad cumulum damnationis suæ fallaciter ac superbe respondit dicens : *Nescio. Nunquid custos fratris mei sum? Dixitque Dominus : Quid est quod fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quæritur quomodo sanguis Abel clamat ad Deum? Clamat namque ad Deum, quia homicidii illius reatus in conspectu justi judicis apparebit.

VERS. 11, 12. — *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum*, etc. Terra in Adam maledictionem promeruit; sed Cain in peccato suo,

videlicet quia sciebat ipse damnationem prævaricationis primæ [Z., propriæ] et non timuit originali peccato fratricidii superaddere scelus, ideo majore maledictione dignus habebatur.

Vers. 13, 14. — *Dixitque Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Ecce desperando locutus est, quod est peccatum maximum. Non enim est confessus scelus suum, sed ad desperationis malum proruit. Unde et subjunxit : *Ecce ! Ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus.* Vel sicut Septuaginta transtulerunt : *Gemens et tremens in terra. Omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Ideo taliter se damnavit ut compendio mortis cruciatus evaderet præsentes.

Vers. 15. — *Dixitque Dominus : Nequaquam ita fiet ; sed omnis qui acciderit Cain, septuplum punietur.* Hic oritur valde complexa quæstio, quia alia translatio ait, *septem vindictas exsolvet.* Sed antequam de quæstione disseramus, rectum videtur ut editiones interpretum singulorum digeramus, quibus facilius sensus Scripturæ possit intelligi. Porro Aquila interpretatus est : *Et dixit ei Dominus : Propterea omnis, qui occiderit Cain, septempliciter ulciscetur.* Symmachus vero : *Propterea omnis qui occiderit Cain, hebdomadas* [Z., *Cain post septem hebdomadas, aut*, etc.] *exsolvet*, aut, *septimus vindicabitur.* Septuaginta quippe [Z., quoque], ut dictum est, et Theodotion : *Et dixit Dominus : Non sic omnis qui occiderit Cain septem vindictas exsolvet.* Jam tandem ad elucidandam quæstionem stylum vertamus. Postquam enim Cain fratrem interfecit, interrogatus a Domino ubi esset, contumeliose respondit : *Nescio*, etc. ; quam ob rem maledictione damnatus est, ut gemens, et tremens viveret super terram, noluit veniam deprecari ; sed peccatis peccata congeminans tantum putavit nefas, cui a Domino non possit ignosci. Denique respondit ad Dominum : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear*, id est plus peccavi quam ut merear absolvi. Ejicior, inquit, hodie a conspectu tuo, et conscientia sceleris lucem ipsam ferre non sustinens, abcondar et latitem, eritque omnis qui invenerit me, occidet me : dum ex tremore corporis et furia mentis agitatus eum se esse intelligeret qui mereatur interfici. Verum Deus, nolens eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradi pœnæ qua se ipse damnaverat, ait : Non sic, id est, non, ut tu æstimas, morieris, et mortem pro remedio accipies. Verum vives usque ad septimam generationem, et conscientiæ tuæ igne torqueberis, ita ut qui te occiderit secundum duplicem intelligentiam, aut in septima generatione, aut a magno te liberet cruciatu ; non quod ipse qui percusserit Cain, septem ultionibus subjiciendus sit ; sed quod septem vindictas, quæ in Cain tanto tempore concurrerunt, solvat in interfecto, occidens eum qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam.

Ut autem quod dicimus manifestius fiat, quotidianæ consuetudinis ponamus exemplum : loquatur inter verbera servus ad dominum : Quia incendi domum tuam, et universam substantiam dissipavi, interfice me ; dominusque respondeat : Non ut tu vis, morieris, et finies mortem supplicio ; verum longo tempore custodieris ad vitam, et tam infeliciter in hac luce versaberis, ut quicunque te occiderit, beneficium præstet occiso, dum de tam multis te liberet cruciatibus. Secundum Septuaginta quidem editionem hic nobis sensus videtur. De eo autem quod Aquila posuit, *semptempliciter*, et Symmachus, *hebdomadas exsolvet*, sive *septimus ulciscetur*, majorum nostrorum ista sententia est quod putent in septima generatione a Lamech interfectum Cain. Adam quippe genuit Cain, Cain genuit Henoch, Henoch genuit Irat et Irat genuit Malalehel, Malalehel genuit Mathusalem, Mathusalem genuit Lamech. qui interfecit Cain, ut ipse postea confitetur : *Quia occidi virum in vulnere meo, et juvenem in livore meo*, et reliqua. Et quidem de Cain, quod septima generatione interfectus sit, et juxta aliam translationem pœnam sui sceleris dederit, nihil obscure arbitror remansisse. Alii de septem vindictis Cain varia suspicantur. Et primum asserunt fuisse peccatum quod non recte diviserit ; secundum, quod inviderit fratri suo ; tertium, quod dolose egerit dicens : *Egrediamur foras ;* quartum, quod interfecerit eum ; quintum, quod procaciter negaverit : *Nescio.* Sextum, quod seipsum damnaverit : *Major est iniquitas mea, quam ut dimittar.* Septimum, quod nec damnatus egerit pœnitentiam secundum Ninivitas, et Ezechiam, regem Judæ, qui imminentem mortem lacrymis distulerunt. Et dicunt illud a clementissimo Deo ideo usque ad septem generationes fuisse dilatum, ut saltem malis ipsis et longæ vitæ mœrore compulsus pænitentiam ageret ut mereretur absolvi : et hunc esse sensum, quem supra præstrinximus, quod qui interfecerit Cain, ab ingenti eum pœna et omnibus suppliciis liberaret. Cæterum quod noster interpres secundum Hebraicam veritatem posuit, dicens : *Qui occiderit Cain, septuplum punietur*, aliqui intelligunt [Z., alii sunt qui intelligunt ita] ita : solet enim septenarius numerus sæpissime in Scripturis sanctis pro plenitudine cujuslibet rei poni. Ait ergo *septuplum punietur*, quasi dixisset : Gravissima ultione puniendus erit ille qui te occiderit, qui nec tanto damnationis comminatione admonitus, a sanguinis effusione voluit manus cohibere. Itaque terrorem intulit Dominus, ne quis homicidium perpetraret. Ecce, quantum ad historiæ superficiem pertinet, ne longius sermo procedat, super hoc enucleatum fore sufficiat. Verumtamen ne modum libelli excedere videremur, ad allegoricam intelligentiam apostropham facere distulimus. At vero si plenius tropice discere volueris, quid duorum filiorum nativitas, quidve Cain Abelque significent, jam sæpe præfati viri cæterorumque tegmine sublato doctorum percurre libellos. Nos igitur, ut cœpimus, historiæ vela,

Domino favente, pandamus. Ait enim legislator A Moyses :

Posuitque Dominus Cain signum [Z., *in signum*], et reliqua. Varie quippe de hoc signo Hebræi et nonnulli fidelium suspicantur ; sed quale posuerit, ne occideretur, Scriptura innuit, videlicet ut semper tremens et gemens, vagus et profugus viveret, nec auderet [Z., audiret] eum uspiam orbis terrarum sedes habere quietas. Et fortassis idcirco civitatem condidit, in qua salvari possit.

Vers. 16. — *Egressusque Cain a facie Domini, habitavit in terra profugus ad orientalem plagam Eden.* Septuaginta transtulerunt, *habitavit in terra Naid*, Quod Septuaginta *Naid* transtulerunt, in Hebræo non dicitur. Non est igitur terra Naid, ut vulgus nostrorum putat, sed expletur sententia B Dei, quod huc atque illuc vagus et profugus oberravit. Unde Naid interpretatur *instabilis, et fluctuans*, ac *sedes incertæ*, vel *commotio*.

Vers 17. — *Cognovit autem Cain uxorem suam, et peperit Henoch.* Aliqui dicunt in hoc quod dicit, *cognovit uxorem suam*, significare quod [Z., ut significaret quod] vindicta desineret, si uxorem non accepisset. *Et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch.* Henoch *dedicatio* interpretatur. In ipsius enim nomine civitatem postea ædificavit Cain. Hic primus civitatem construxisse describitur, ut aperte monstraretur quia ipse in terra fundamentum posuit, qui a soliditate æternæ patriæ alienus fuit. Peregrinus quippe a summis, fundamentum in C imis posuit, qui stationem cordis in terrena delectatione collocavit. Unde in stirpe ejus Henoch, qui *dedicatio* interpretatur, primus nascitur ; in electorum vero progenie Henoch septimus fuisse memoratur. Quia videlicet reprobi in hac vita, quæ ante est, semetipsos ædificando dedicant. Electi vero ædificationis suæ dedicationem in fine [*Petr.*, finem] temporis, id est in septimo exspectant. Hinc est quod Paulo attestante Abraham *in casulis habitavit*, quia habentem fundamenta civitatem, quam super nos [Z., supernus] artifex construit, exspectabat.

Vers. 18-22. — *Porro Henoch genuit Irad*, et reliqua usque : *et Mathusalem genuit Lamech, qui accepit uxores duas, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella.* Lamech quippe interpretatur D *percutiens*. Ipse percussit et interfecit Cain. Et ipse primus adulterium commisit, eo quod se in duabus uxoribus divisit. Hic notandum est quod in progenie Seth nulla ibi progenita femina nominatim exprimitur, nisi tantum in progenie Cain commemoratur ; per quod significatur terrenam civitatem, qua [Z., quæ] Cain cepit [*Petr.*, concepit], usque sui in finem carnales habituram generationes, quæ marium ac feminarum conjunctione proveniunt [Z., quæ per maritorum ac feminarum conjunctiones perveniunt] Unde ad testimonium Sella *umbra ejus* interpretatur.

Vers. 23. — *Et ait Lamech uxoribus suis : Occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livore meo*, et reliqua. Tradunt enim Hebræi quod Lamech occiderit Cain, et hoc contitetur uxoribus. Fuit, inquiunt, Lamech vir sagittarius et gnarus venandi ; sed longo senio læsus caligabant oculi ejus, et clare videre non poterat. Habebat quidem prævductorem adolescentulum, qui ei ducatum præbebat. Quadam namque die pergens in silvam, ut feras venatu caperet, præibat [Z., præibat ei] puer, viam præbens. Cumque saltum peragrarent, aspexit adolescens Cain a longe, et discernere non valens, putavit bestiam [Z., eum putavit esse bestiam], et ait ad Lamech : Video, inquit, bestiam. Dixitque Lamech : Da mihi arcum, et dirige manus illuc, et sagittam, ut jaciam. Quibus directis jecit et percussit jaculo Cain. Et sentiens quod percussisset corpus, cœpit palpare quid esset quod telo peremerat. Quo palpato intellexit quod Cain occidisset. Tunc furore permotus vertit arcum, et eo percussit puerum. Et hoc est quod ait uxoribus suis : *Occidi virum*, id est Cain, *in vulnus meum, et adolescentulum in livore meo.*

Vers. 24. — *Septuplum ultio dabitur de Cain ; de Lamech vero septuagies septies.* Sed nos simpliciter virum et adolescentulum ipsum Cain intelligimus ; virum propter ætatem et fortitudinem naturæ ; adolescentulum propter stultitiam et lasciviam instabilitatis. Verumtamen Lamech spiritaliter Christum interpretatur, qui occidit Cain, id est diabolum. Quo occiso suis uxoribus, hoc est duabus Ecclesiis, annuntiat, quibus imperat, ut suum sermonem auscultent. Unde quodam modo dicit occidisse se virum, quem propter fortitudinem diabolum nuncupat. *In vulnus suum*, scilicet morte sua ; et *adolescentulum* ipsum ait proter lasciviam et æternitatem. *In livore suo*, hoc est non [Z., *om.* non] sine dolore. Sed requirendum est quid est quod legitur dixisse Lamech cum occideret Cain : *Septuplum de Cain ulciscetur, de Lamech autem septuagies septies?* Quia homicidii peccatum septima generatione diluvio vindicatum esse legitur, ideo dictum est. Seu, ut Judæi tradunt, septuaginta septem animæ ex Lamech progenitæ repertæ sunt in diluvio et deletæ sunt. Et in hoc numero de Lamech factam esse vindictam dicunt quod genus ipsius usque ad cataclysmum perseveraverit. Adulterii vero scelus, quod Lamech primus omnium in duabus commisit uxoribus, non nisi sanguine Christi expiandum esse, qui septuagesima et septima generatione venit in mundum, secundum Evangelium Lucæ, qui tulit peccatum mundi, qui lavit amictum suum in sanguine uvæ, et torcular calcavit solus.

Vers. 25. — *Cognovit autem Adam uxorem suam, quæ concepit filium, vocavitque nomen ejus Seth.* Seth interpretatur *resurrectio*, seu *positio*. *Resurrectio*, eo quod post fratris interfectionem natus sit, quasi resurrectionem fratris ex mortuis suscitaret. *Positio* vero, quia posuit eum Deus pro Abel. Unde et dicitur : *Suscitavit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Vel sicut Aquila transtulit : *Posuit mihi Deus semen alterum pro Abel.* Spiritaliter,

A ut quidem volunt, per Adam et uxorem ejus Christus et Synagoga significatur. Unde natus est filius, id est populus gentium in fide. Qui recte Seth nominatur, id est positus in veritate. Quod autem dicit : *Semen aliud pro Abel*, significat bonos Novi Testamenti pro patriarchis, et prophetis. et martyribus, qui occisi sunt a mala parte populi Judæorum. Moraliter vero per Adam et uxorem suam sanctus quisque et caro demonstratur; per filium sensus perfectus; per *semen aliud pro Abel* boni sensus pro bonis intelliguntur.

VERS. 26. — *Sed et Seth natus est filius et vocavit nomen ejus Enos* [*Z.*, *quem vocavit Enos*]. Quomodo Adam *homo* interpretatur, ita et Enos juxta Hebrææ linguæ veritatem *homo* vel *vir* dicitur. Et congrue hoc vocabulum habuit. De eo enim scriptum B est: *Iste cœpit invocare nomen Domini*; vel, sicut quidam transtulerunt : *Tunc initium fuit invocandi nomen Domini*. Licet plerique Hebræorum arbitrentur quod tunc primum in nomine Domini et in similitudine ejus fabricata sint idola. Aliqui [*Z.*, alii] vero volunt quod ideo dictum sit eo quod unum de decem nominibus Domini, quo apud Hebræos vocatur, primum Enos reperisset, quod HEL. Allegorice [*Z.*, Verumtamen allegorice] successores populi Christiani significantur, qui nomen Domini invocant quod est Deus.

CAPUT V.

VERS. 1-4. — *Hic est liber generationis Adam, in die qua creavit Deus hominem; ad similitudinem Dei fecit illum*, et reliqua usque ; *et vocavit* C *nomen eorum Adam in die qua creati sunt*. Bene ait, *et vocavit nomina eorum Adam*, id est, *homo*. Hominis autem nomen tam viro quam feminæ convenit.

VERS. 5-7. — *Et factum est omne tempus quod vixit Adam, nongenti triginta anni, et mortuus est*. Juxta tropologiam, ut nonnulli interpretantur. anni Adæ nongenti triginta, tres leges, vel fidem, spem et charitatem, vel tempus ætatis Chriti significant.

VERS. 8, 9-21. — *Vixitque Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est. Vixit quoque Enos qui* [*Z.*, postquam] *genuit Cainan, nongentorum quinque annorum, et mortuus est*. Cainan *lamentatio* vel *possessio eorum* dicitur. Sicut enim D Cain *possessio*, ita derivativum nomen, quod est Cainan facit *possessio eorum* [*Z.*, *derivatum est nomen, quod Cainan facit*, possessio eorum]. Sed in hoc quod anni filiorum Adam decrescunt, significabat quod minuendi essent anni generis humani post se. Sequitur :

VERS, 21-27. — *Porro Henoch genuit Mathusalam. et ambulavit cum Deo* (subauditur *in conversatione*) *et non apparuit, quia tulit eum Deus*. Henoch [*Z.*, Porro Henoch] *dedicatio* interpretatur, sicut superius ostendimus. Sed quærendum est quare tantopere servatus est a morte? nisi ut ostenderetur quid omnes homines potuissent si non peccassent. Attamen moriturus erit, ut debitum solvat humanæ naturæ, et quod Christum noluit, nullus posset, id est non mori. *Henoch genuit Mathusalam, et facti sunt omnes dies Mathusalæ nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est*. Hic oritur quæstio famosa, et disputatione multorum ecclesiasticorum ventilata, quod juxta diligentem supputationem quatuordecim annos post diluvium Mathusala vixisse referatur. Etenim cum esset Mathusala annorum centum sexaginta septem, genuit Lamech. Rursum Lamech, cum esset annorum centum octuaginta octo, genuit Noe. et fiunt simul usque ad diem nativitatis Noe anni vitæ Mathusalæ trecenti quinquaginta quinque. Sexcentesimo anno autem vitæ Noe diluvium factum est, ac per hoc habita supputatione per partes, nongentesimo quinquagesimo quinto anno Mathusalæ diluvium fuisse convincatur. Cum autem supra nongentis sexaginta novem annis vixissse dictus sit, nulli dubium est quatuordecim annis vixisse post diluvium, sicut in Septuaginta invenitur. Et quomodo verum est quod octo tantum animæ in arca salvæ factæ sunt? Restat ergo ut, quomodo in plerisque, ita et in hoc sit error in numero. Siquidem in Hebræis et in Samaritanis libris ut beatus Hieronymus scribit, ita scriptum est : *Et vixit Mathusala centum octuaginta septem annis, et genuit Lamech ; et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentos octuaginta duos annos, et genuit filios et filias ; et fuerunt omnes dies Mathusalæ*, ut noster interpres transtulit, *anni nongenti sexaginta novem, et mortuus est. Et vixit Lamech, centum octuaginta duos annos et genuit Noe*. A die ergo nativitatis Mathusalæ usque ad diem ortus Noe sunt anni trecenti sexaginta novem. His adde sexcentos Noe, quia in sexcentesimo anno vitæ ejus diluvium factum est; atque ita fit ut nongentesimo sexagesimo nono anno vitæ suæ Mathusala mortuus est, et anno quo cœpit esse diluvium. Unde Mathusala interpretatur, *mortuus est*. Quomodo enim cum cum patre translatum fuisse, et diluvium præterisse putaverunt [*Z.*, putabant]? Ob hoc signanter transfertur *mortuus est* ut ostenderetur non vixisse eum post diluvium, sed in eodem cataclysmo, ut in quodam volumine reperi, fuisse defunctum. Soli enim, Scriptura testante (*I Petr*. III, 20), *octo* homines diluvium in arca evaserunt. Sed qui quatuordecim annis eum vixisse referunt post diluvium, magis ad spiritualem intelligentiam tendunt, videlicet super Christo interpretantur ; quoniam ipse est solus cujus vita nullam sentit ætatem. In majoribus quoque [*F. leg.* quippe] suis diluvium Noe sensisse [*Z.*, non sensisse] videtur.

VERS. 28-30. — *Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium, vocavitque nomen ejus Noe dicens : Iste consolabitur nos*, et reliqua. Vel sicut aliqui transtulerunt : *Iste requiescere nos faciet ab omnibus operibus nostris*. Unde Noe *consolatio* vel *requies* interpretatur. *Consolatio*, quia homines consolati sunt in diebus ejus, dum a peccata exstincti sunt in diluvio. *Requies* vero pro eo quod sub illo omnia retro opera

quieverint per diluvium, sive quia requiem in arca præstitit animantibus.

CAPUT VI.

Vers. 2. — *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ*, et reliqua. Filios Dei filios Seth, et filios hominum progeniem Cain dicit. Sed postquam filii Seth, concupiscentia victi, ex filiabus Cain semine indignissimo connubia junxerunt, ex tali conjunctione homines immensi corpore, viribus superbi, moribus inconditi, quos Scriptura Gigantes vocat, procreati sunt. Displicuit Deo, et abbreviavit illis tempus vitæ. Gigantes enim vocant Græci juxta sermonis etymologiam fabulose quasi terrigenas, id est terra genitos, eo quod immensa mole, et similes sibi terra genuerit; *ge* enim terra dicitur. Falso opinantur, qui putant prævaricatores angelos cum filiabus hominum ante diluvium concubuisse, et exinde natos gigantes, id est nimirum grandes et fortes viros de quibus terra completa est.

Vers. 3. — *Dixitque Deus : Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, et reliqua. In Hebræo scriptum est : *Non judicabit Spiritus meus homines istos in sempiternum quoniam caro sunt.* Spiritus enim iram in hoc loco significat, et caro fragilitatem humanæ naturæ, quasi dixisset : Quia fragilis est in hominibus conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus [Z., æternum servabo cruciatum], sed hic illis restituam quod merentur. Ergo ira non severitatem, ut frequenter in nostris libris legitur, significat; sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. Unde et iratus Deus loquitur ad quosdam : *Non visitabo filias eorum, cum fuerint fornicatæ, et sponsas eorum, cum adulteraverint* (*Ose.* II, 14). Et in alio loco : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum ; misericordiam autem meam non auferam ab eis* (*Psal.* LXXXVIII, 33). Porro ne videretur in eo esse crudelis, quod peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adjecit, *eruntque dies illius centum viginti annorum*, hoc est habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Sed quia genus humanum illius temporis agere pœnitentiam contempsit, noluit Deus tempus exspectare decretum, sed viginti annorum spatiis amputatis, anno centesimo induxit diluvium. Potest etiam *spiritus* anima intelligi, et ideo quod ait : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum*, tale est quasi dixisset : Non permanebit anima in carne in æternum, quia homo non spiritalis, sed carnalis est. Sequitur :

Vers. 5-8. — *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra*, et cætera usquequo ait : *Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra*, et reliqua. Quæritur quid est quod de Deo dicitur pœnituisse eum hominem fecisse. Et iterum, *tactus dolore cordis intrinsecus?* Nunquid in Deum pœnitentia aut dolor cordis cadere potest? Sed sciendum est quia Deus non de facto suo pœnitet aut dolet, sicut dolet homo, cui est de omnibus rebus omnino tam fixa sententia quam certa præ-

A sentia [*F.* præscientia], sed utitur Scriptura sacra usitatis nobis verbis intelligentibus, ut coaptet se nostræ parvitati, quatenus ex cognitis incognita cognoscamus.

Vers. 9-12. — *Hæ generationes Noe. Noe vir justus atque perfectus in generationibus suis.* Si nullus sine peccato, quomodo aliquis perfectus esse potest? Perfecti aliqui dicuntur, non sicut perficiendi sunt, sicut in illa immortalitate qua æquabuntur angelis Dei, sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti. Unde signanter additum est *in generatione sua*, ut ostenderet non juxta justitiam consummatam, sed juxta generationis suæ justitiam eum fuisse justum. Et hoc est quod in Hebræo dicitur : *Noe vir justus, perfectus erat in*
B *generationibus suis, cum Deo ambulabat*, hoc est illius vestigia sequebatur.

Vers. 13. — *Dixitque Dominus ad Noe : Finis universæ carnis venit coram me. Universæ enim carnis* significatur omnium mortalium, præter illos qui in arca salvandi erant. Illi igitur quasi seminarium secundæ originis servati sunt. Sequitur : *Et disperdam eos cum terra.* Quomodo cum terra, cum terra postea remansit? Tradunt enim doctores terræ vigorem et fecunditatem longe inferiorem esse post diluvium quam ante, et idcirco hominibus carnem edere licentiam esse datam, et ante etiam diluvium fructibus terræ solummodo victitasse.

Vers. 14. — *Fac tibi arcam de lignis lævigatis.* Ligna lævigata, fortia et insolubilia, de quibus alia
C translatio dicit *quadrata*, ut arca nec ventorum vi nec aquarum inundatione solveretur. *Et bitumine facies intrinsecus et extrinsecus.* Bitumen est ferventissimum et inviolatissimum gluten, cujus est virtus ut ligna ex eo linita nec vermibus exedi, nec solis ardore, vel ventorum flatibus, vel aquarum possint inundationibus dissolvi.

Vers. 15. — *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ;* quinquaginta cubitorum latitudo *et triginta cubitorum altitudo illius.* Qualem ergo arcæ speciem vel formam debemus intelligere? Ut videtur, quatuor angulis eam ex imo assurgentem, et eisdem paulatim usque ad sinum in angustum attractis, in spatium unius cubiti fuisse collectam. Sic enim dicitur, quia in fundamentis trecenti cubiti, in longitudine quinquaginta sint,
D et in altitudine triginta, sed collecta in cacumen angustum, ita ut cubitum sit longitudinis et latitudinis. Et vere nulla potuit tam conveniens et congrua arcæ species dari, quam ut summo velut e tecto quodam angusto culmen defenderet imbrium ruinas, et ima in aquis quadrata stabilitate consistens nec impulsu ventorum, nec impetu fluctuum, nec inquietudine animalium quæ intrinsecus erant, aut inclinari possit aut mergi.

Vers. 16.—*Cœnacula et tristega facies in ea.* Quod alia translatio, videlicet *bicamerata* in inferioribus, *tricamerata* in superioribus dicit; ita ut quinque habitationum distinctiones in ea esse advertamus : inferiora ejus loca stercoribus et spurcitiis esse deputata, ne animalia, et præcipue homines, fimi fetore

vexarentur. Huic autem superior et contigua camera conservandis pabulis animalium deputaretur. In hos ergo usus inferiores partes, quæ bicameratæ dicuntur, tradunt fuisse distinctas. Superiores vero partes, quæ tricameratæ dicuntur, ad habitaculum primo bestiis vel animalibus immitioribus vel serpentibus deputatas esse. Ab his vero congrua in superioribus loca mitioribus animantibus stabula fuisse. Supra omnia vero in excelso hominibus sedem locatam, ut pote sicut honore et sapientia antecellit, ita et loco cunctis præcellere animalibus; et sic quinque mansiones in ea esse intelliguntur. Prima stercorina, secunda apothecaria, tertia feris animantibus, quarta mansuetis, quinta hominibus. *Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus.* Fenestra ideo in consummitate [*Z.*, summitate] arcæ fieri jubetur, ut haberet unde emittere potuisset aves ad explorandam terræ siccitatem. *Ostium autem arcæ pones ex latere deorsum.* Tradunt enim etiam ostium quod ex latere factum dicitur, eo loco fuisse, ut inferiora, quæ dixit *bicamerata*, infra se haberet, et quæ dixit *tricamerata* superiora a loco ostii appellata sunt. Et inde ingressa animalia per sua quæque loca secundum quæ supra diximus, congrua discretione divisa sunt.

Sed forte quærit aliquis si habet aliquod sacramentum mensura istius arcæ? Habet igitur mysterium perfectum corporis Christi. Sexies enim trecenti habent infra se quinquaginta et decies triginta. Sic quippe humanum corpus, si jacentem metieris hominem, sexies habet longitudo latitudinem, et decies altitudinem. Nam longitudo jacentis hominis a vertice usque ad vestigia metienda est, et latitudo a latere usque in latus, et altitudo a dorso ad ventrem. Quæ figura apte Christo convenit propter longanimitatem omnia sufferentis fidei, et amplitudinem charitatis, et sublimitatem spei æternæ. Sequitur:

VERS. 19. — *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena in arca, de immundis vero duo et duo masculum et feminam. Sed et de volatilibus cœli septena et septena, masculum et feminam, ut salvetur semen super terram?* Quid sibi vult, *duo et duo, septena et septena*? An quatuor ex immundis, et quatuordecim ex mundis animalibus intelligere debemus introducta fuisse? Minime. Non *duo et duo* propter quatuor, sed propter masculum et feminam. Nam de immundis tantummodo duo, et de mundis solummodo septem. Ideo immunda pari numero posuit, munda vero impari, ut haberet unde hostias Deo de mundis immolaret. Et bene pluriora fuerunt munda quam immunda propter futurum usum humano generi, qui ex mundis debebatur hominibus, ut pluriora essent quæ prodessent quam quæ nocerent. De quibusque animantibus dictum est, *in quibus erat spiritus vitæ*. Non solum de hominibus, sed etiam de cæteris omnibus qui vitali aura vescuntur. Notandum est quod movere solet quosdam utrum tanta capacitate arca describitur, ut esse animalia tanta et tot cum mansiunculis convenientium sibi et escis eorum ferre potuerit? Tradunt enim Hebræi quod Moyses, ut de illo Scriptura dicit, omni sapientia Ægyptiorum eruditus fuit, et secundum artem geometricam, in qua præcipue Ægypti callent, cubitorum numero in hoc loco posuerit. Asserunt enim cubitum geometricum tantum valere quantum nostra cubita sex valent. Lege Origenem super hac re contra Apellem disputantem. Denique quod refert Scriptura, ingressa fuisse animalia omnia arcam, non Noe colligente, sed jubente Domino actum est, et ejus nutu coacta sponte præfinito numero veniebant ad arcam.

Sed quærunt aliqui quid de piscibus vel alitibus [*Z.*, altilibus], quæ in aquis vel super aquas vivere possunt, intelligendum sit? vel si ciniphes minutissimi et muscæ, mures et stelliones, et cætera talia in arcam introducta fuissent? et utrum amplior eorum numerus fuerit quam qui est definitus, et ubi fuissent [*Z.*, si ibi fuissent]? Sed admonendi sunt, quos hæc movent, sic accipiendum quia dictum est, *qui et repunt super terram*, et necesse non fuerit conservari in arca quæ possunt [*Z.*, solent] in aquis vivere, non solum mersa, sicut pisces, verum etiam supernatantia, sicut multæ alites. Deinde cum dicitur, *masculus et femina erunt*, profecto intelligitur ad reparandum dici. Ac per hoc nec illa necesse fuerat ibi esse quæ possunt, sine concubitu, de quibusque rebus vel rerum corruptionibus nasci. Vel si fuerunt, sicut in domibus consueverunt esse, sine ullo numero definito esse potuisse. Aut si mysterium sacratissimum quod agebatur, et tantæ rei figura etiam veritate faciliter [*Uterq. cod.*, faccialiter] non posset impleri, nisi ut omnia ibi certo illo numero essent quæ vivere in aquis, illius natura prohibente, non possunt; non fuit illius hominis cura ista, vel illorum hominum, sed divina. Non enim ea Noe capiens intromittebat, sed venientia et intrantia permittebat. Ea porro quæ sic habent sexum ut non habeant fetum, sicut muli et mulæ, mirum si fuerunt [*Z.*, fuerint] ibi, ac non potius parentes eorum ibi fuisse suffecerit, equinum videlicet atque asininum genus, et si qua alias sunt, quæ commixtione diversi generis genus aliquod gignunt. Sed et hoc ad mysterium pertinebat. Habet enim et hoc genus masculum et feminam. Quod enim de pace et unde se invicem non debellarent divisi generis animantia, sentiendum est? Sicut enim Dei nutu adducebantur in arcam, ita et Dei nutu conservabantur in arca. Seu enim secundum genera sua mansiunculis dividebantur, aut sejuncti [*Z.*, si junctim] manerent, Dei tamen potentia gubernabantur. Lege librum beati Augustini quintum decimum de *Civitate Dei* de arca disertum.

Solent etiam nonnulli quæstionem facere quomodo leones et aquilæ, et cætera hujusmodi quæ carnibus vivere consueverunt, in arca pasci potuerint? Forte, ut doctores opinantur, et alia animalia præter numerum definitum propter aliorum escam in arcam fuerunt intromissa, vel aliqua cibaria præter

carnes a viro sapienti, vel Deo demonstrante, quæ A
talium quoque animantium escis convenirent, quod magis credibile est. Nam scimus multa animalia, quibus caro cibus est, etiam pomis vesci [Z., et poma vesci]. Quid [Z., Quid vero] de potu animalium sentiendum, de quo nihil dicit Scriptura? Sunt quidam qui putant unius diei escam arca vel potum in multos prodesse dies illatum animantibus, vel forsitan ad totum annum quod verius esse potest. Sed dimittamus incertas conjecturas, et concedamus divinæ potentiæ de creaturis suis facere quod voluerit [*Petr.*, voluit].

CAPUT VII.

Vers. 1-19. — *Et inclusit eum Dominus deforis.* Quomodo enim posteaquam clausum est, ut [Z., et] nullus hominum extra arcam fuit, inbituminari B
extriusecus ostium potuit? Hoc enim sine dubio divinum opus fuit, ne ingrederentur aquæ per aditum, quem humana non munierat manus. Sequitur:

Vers. 20. — *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.* Quæritur, si aqua transcendit quindecim cubitis, altitudo [Z., cubitis, cujus altitudo] hunc aerem turbulentum, ut fertur, transcendit, ubi dicitur nec nubes videri, nec ventus [Z., dicuntur nubes videri, nec ventus, etc.] sentiri, sicut de Olympo opinantur? Sed sciendum est, si terra spatium illius tranquilli ætheris invadere potuit, cur et non aqua crescendo illum montem et aerem etiam transcendere potuit? Sunt tamen quidam qui putant C
nec terræ inæqualitatem [Z., æqualitatem] talem esse, nec montium altitudinem tantam ante diluvium esse sicut nunc est.

Vers. 21. — *Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, et quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt.* Si enim ita est, quid dicendum de animalibus quorum natura nec semper in aridis, nec semper in humidis vivere potest, sicut sunt lutri et vituli marini; et multa avium genera in aquis victum requirunt, sed in arduis dormiunt, nutriuntur et requiescunt? Dicendum est quia potuit virtus divina utramque eorum naturam, donec diluvium transiret, temperare; ut aut in humido tantum, aut in arido vivere possent. Nisi forte extra arcam in aliqua ejus parte D
loca illis præparata essent unde et in aquis vivere et in aridis requiescere potuissent.

CAPUT VIII.

Vers. 12. — *Recordatus autem Dominus Noe, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ.* De illo spiritu intelligi potest de quo dictum est: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Tunc enim ferebatur ut, congregatis aquis, in suum [Z., in unum] locum terra apparuisset. Nunc autem adductus dicitur, ut ablatis de medio aquis diluvii faciem terræ revelaret. Potest et spiritus nomine ventus intelligi, juxta illud Psalmistæ: *Et stetit spiritus procellæ* (*Psal.* CVI, 25), cujus flatibus crebris aqua cogeretur recedere.

Vers. 3-5. — *Et reversæ sunt aquæ de terra euntes et redeuntes.* Dum dicitur: *Reversæ sunt aquæ de terra et euntes et redeuntes,* videtur, juxta litteram, quia omnes fluviorum ac rivorum decursus per occultas terræ venas ad matricem abyssi redeunt, juxta illud Salomonis: *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant* (*Eccle.* I, 7).

Vers. 6. — *Post quadraginta dies aperuit Noe fenestram, et emisit corvum, qui egrediebatur et non revertebatur.* In Hebræo scriptum est *exiens et revertens, donec siccarentur aquæ de terra.* Sed ideo, ut nostra translatio innuit, non est reversus, quia aut ab aquis est absorptus et interemptus, aut aliquo cadavere supernatante est illectus, et desuper sedere est delectatus, quod columba naturaliter refugit, de qua dicitur: *quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.* Verumtamen requirendum est cur quadragenario numero pluvia inundabat, et iterum post quadraginta dies dicitur Noe fenestram arcæ aperuisse? Quadragenarius enim iste spiritaliter tribulationem pœnitentiæ ostendit. Quod vero post quadraginta dies fenestram aperuit, significat jejunio cœlum reserari. Ideo Moyses et Elias, etiam et ipse Salvator, jejunia consecravit, tanquam tribus temporibus necessaria ante legem sub lege, sub gratia. Sequitur:

Vers. 11. — *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olivæ,* et reliqua. Quare ramum olivæ portat, nisi quia typum Spiritus sancti adumbrabat? Quæ columba Spiritus sancti, expulso alite teterrimo, ad Noe post diluvium, quasi ad Christum post baptismum devolat, et ramos refectionis ac luminis pacem orbi annuntiat. Sed antequam descriptio hujus arcæ ad calcem perveniat, notandum est; si Deus omnia fecerat bona, etiam et valde bona, quid est quod munda et immunda nominantur in ea animalia? Nunquid immundum bonum potest esse? Sed sciendum est quia etiam quod immundum dicitur, in sua natura bonum est. Ad comparationem igitur alterius naturæ, melioris, quasi immundum putatur. Denique bos est melior leone, videlicet quia magis ejus natura convenit hominis necessitati subvenire, propter quem omnia creata sunt animalia, de quo etiam subditur: *Et ut terror vester, et tremor sit super cuncta animantia terræ.* Ideo homo terrore cæteris animantibus præpositus est, ut esset in solatium vindictæ transactæ, et ne pauci homines a pluribus opprimerentur bestiis, et ut scirent se irrationabilibus dominari, debere, non rationalibus. Unde et primi parentes nostri pastores pecorum, non reges hominum esse leguntur. Cæterum spiritaliter in hoc quod Noe dicit: *Fac tibi arcam,* consilium Patris ad Filium potest intelligi de acceptione carnis. *De lignis lævigatis,* id est de Judæis lege fabricatis. *Noe cum filiis suis* in superiori loco Christus est cum apostolis suis; aves in secundo, sancti designantur; pecora in tertio, innocentes figurantur; bestiæ in quarto, mundiales innuuntur. Quintus vero locus cum stercoribus infernus exprimitur. Aliter: per hæc quinque loca quinque ascensiones Ecclesiæ ostenduntur, id

est catechumeni, baptizati, conjugati, pœnitentes, sancti. Quod autem post septem dies pluvia descendit, pluvia voluntaria post veterem legem potest intelligi, de qua dicitur: *Pluviam voluntariam segregabis, Deus*, et reliqua (*Psal.* LXVII, 10). Quod autem dicit, *rupti sunt omnes fontes*, evangelistas; *abyssi magnæ* profunditas Veteris Testamenti; *cataractas cœli* apostolos intellige. Sed in hoc quod dicit: *Inclusit illum Dominus a foris* [*Z.*, *eum Dom. deforis*], ostendit Christum Ecclesiam suam custodire a persequentibus. Quod igitur intulit omnem carnem consumptam, hæreticos præcavet, existimantes aliquos diluvium evasisse, sicut de Mathusala putatum est. Quodque dicit, *euntes et redeuntes*, significat in persecutores vindictas et hæreses in hæreticos revertentes. Corvus dimissus et non reversus figuram peccatoris vel diaboli tenet, ad regnum Christi non revertentis. Columba vero, quæ est reversa, Adam, sicut nonnulli volunt intelligi, significat ad paradisum revertentem per Christum, si lector accipere voluerit; vel potius unumquemque justum ad Ecclesiam, cujus pes, id est sensus, in hoc modo non requiescit. Ramus olivæ in ore columbæ confessionem significat Trinitatis in ore uniuscujusque sancti. *Cum virentibus foliis*, id est operibus perfectis.

VERS. 21, 22.— *Non igitur ultra percutiam omnem animam, sicut feci cunctis diebus terræ. Sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiescent. Sementis et messis*, id est doctrinæ Scripturarum. Per frigus et æstatem castitatem et fidem designat; per noctem et diem, Vetus et Novum Testamentum. Aliter, per samentem et messem doctores, et scripturas [*Petr.* scriptores] hæreseos ostendit [*Z.*, appellat]; per frigus, et æstatem, infidelitatem et fidei charitatem; per noctem et diem hæreses in utroque Testamento volunt intelligi. Subditur :

CAPUT IX

VERS. 3-4. — *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedatis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis*, et reliqua. Quanti enim effuderunt sanguinem, et sanguis eorum effusus non est, et alii occiderunt hominem veneno, vel suspendio, et eorum sanguis non est effusus! Quomodo ergo Dominus effusurus est sanguinem eorum, cum illius [*Petr.* illi, *vel* ille] qui occidit, sanguinem effuderit? Et in resurrectione ridiculum est, et in hac vita, et ideo sanguis hominis vitale [*Z.*, vitalis], quo vegetatur, et sustentatur, et vivit, debet intelligi; quod qui effuderit sive per scandalum, sive perversitate doctrinæ, in die judicii effudetur ab eo, qui [*Petr.*, quod] sibi videbatur habere vitale. Cæterum, historialiter, post diluvium primum esus carnium homini conceditur, videlicet propter infecunditatem terræ, ut æstimatur, et hominis fragilitatem.

VERS. 13. — *Arcum meum ponam in nubibus*, et reliqua. Datur itaque signum securitatis, quia præ-

A scivit Creator formidabiles hominum animos, ne iterum diluvio se deleri crederent, dum sæpius inundationes pluviarum cernerent. Et bene idem signum securitatis in cœlo positum est, scilicet ut ab omnibus inspici potuisset, et ut pro quacunque tribulatione oculos cordis ad eum attollamus, qui habitat in cœlis. Sed quæritur cur diversi coloris datur hominibus? Propter securitatem et timorem. Unde et in arcu color aquæ et ignis simul ostenditur, quia ex parte est cæruleus, et ex parte rubicundus, ut utriusque judicii testis sint [*Z.*, sit], unius videlicet facti, et alterius faciendi, id est qui mundus judicii igne cremabitur. Nam aqua diluvii non delebitur. Hic enim nonnullos movet an pluviæ ante diluvium fuerint? Sed videntur

B [*Z.*, videtur] non fuisse, quia arcus non efficitur nisi ex radiis solis et humida nube. Poterat enim fieri ut ex roris et fontium, sicut Ægyptus, irrigatione terra fecundaretur.

VERS. 18-19.— *Erant igitur filii Noe Sem, Cham et Japheth*, et reliqua usque, *ab his disseminatum est omne hominum genus super universam terram.* Ab his enim et nepotibus eorum divisus est orbis. Sem, ut æstimatur, Asiam. Dicamus, interpretationes singulorum historialiter. Sem dicitur nominatus, quod nomen præsagio posteritatis accepit. Ex ipso enim patriarchæ et apostoli, et populus Dei, ex ejus quoque stirpe et Christus, cujus ab ortu solis usque ad occasum magnum nomen ejus in gentibus. Cham Africam calidam, et ipse

C ex præsagio futuri cognominatur. Posteritas enim ejus eam terræ partem possidet [*Z.*, obsidet], quæ vicino sole calentior est. Unde et Ægyptus usque hodie Ægyptorum lingua *Cam* dicitur. Et Japheth Europam sortitus est. Japheth, *latitudo.* Ex eo enim populus gentium nascitur, et quia lata est ex gentibus multitudo credentium, ab eadem latitudine Japheth dictus est. De Japheth nati sunt quindecim, de Cham triginta, de Sem viginti septem; simul septuaginta duo fiunt : de quibus ortæ sunt gentes septuaginta duæ, inter quas misit Dominus totidem discipulos ad prædicandum.

VERS. 20-22. — *Cæpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam, bibensque vinum inebriatus est, et nudatus in taberculo suo.* Et reliqua. Quare tantus vir inebriatus esse legitur?

D Forte, ut beatus Hieronymus, cœlestis Bibliothecæ interpres, dicit, quia inebriari vino nesciebat. Nec enim ante diluvium leguntur homines vino usi fuisse [*Petr.*, legitur vino homines uti]. Ideo specialiter de Noe dicitur: *Plantavit autem vineam.* Ut aliquibus videtur, nudatio femorum post ebrietatem secuta est, quia sæpius satietatem libido sequitur. Sed quod *filii Noe incedentes retrorsum operuerunt verenda patris, faciesque eorum aversæ erant*, et reliqua, moraliter intelligi valet. Aversari dicimus quod reprobamus. Quid est ergo quod filii verenda patris superjecti dorsis pallio aversi venientes operiunt, nisi quod bonis subditis sic præceptorum suorum mala displicent, ut tamen hæc aliis occultent? Operimentum aversi deferunt,

quia dijucantes factum, et venerantes magisterium nolunt videre quod tegunt. Sequitur:

Vers. 24. — *Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor ait: Maledictus Chanaan.* Chanaan ipse est filius Cham, ut Scriptura refert, *Porro Cham*, inquit, *ipse est pater Chanaan. Servus servorum erit fratibus suis.* Hic a multis requiritur cur Cham in filiis maledictionem recepit? Videlicet, quia peccantibus et non pœnitentibus futura imminet pœna. Sæpe quidem reproborum nequitiæ hic quidem inultæ proficiunt, sed in posterum feriuntur. Nequaquam enim divina severitas inulta remanere peccata permittit, sed ira judicii a nostra hic correptione inchoat, ut in reproborum damnatione conquiescat. Sed juxta historiam prophetarum quoque B est, quia terram [*Z.*, a terra] Chanaan, ejectis Chananæis et debellatis, accepturos fuisse filios Israel, qui venirent de semine Sem, sicut historia sacra postmodum actum narrat. Unde et dicitur:

Vers. 26. — *Benedictus Dominus Deus Sem. Sit Chanaan servus ejus.* Chanaan, filius Cham, interpretatur *motus eorum*, quod quid est aliud nisi opus eorum? Pro motu enim patris, id est pro opere ejus, maledictus est.

Vers. 27.— *Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.* Cur hoc intulit? De Sem Hebræi, de Japheth gentium populus nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium, a *latitudine*, quod Japheth interpretatur, nomen accepit. Quod autem ait, *habitet in tabernaculis Sem*, de nobis prophetatur, C qui in eruditione scientiæ Scripturarum ejecto Israele versamur. Sed tunc completum est historialiter quando Romani Judeam ceperunt.

Vers. 28.— *Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis, et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.* Cum enim dicit eum vixisse post diluvium trecentis quinquaginta annis, perspicuum ostendit centum viginti, annos generationi illi, ut supra diximus, ad pœnitentiam datos, et non vitæ mortalium constitutos.

CAPUT X.

D Vers. 1, 2.— *Hæ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham et Japheth. Filii Japheth Gomer, et Magog, et Madai, Jaban, et Tubal,* et cætera. Jam incipit describere, qualiter a filiis et nepotibus Noe gentes exortæ fuerunt. Sed sciendum est quia non hodie ita reperiuntur sicut in exordio ab eis progenitæ singulæ fuerunt et nomina acceperunt. Quoniam, ut beatus Augustinus ait, aut ab hostibus interemptæ penitus fuerunt, aut a propriis sedibus ad alia loca transierunt et antiqua quoque vocabula perdiderunt. Verumtamen ne indiscusse præterisse videremur, multa ex eis, sicut in doctoribus reperimus, et nobis tradita etiam fuerunt, qualiter ab hominibus vocabula sumpserunt, inserere conati sumus. Japheth, filii Noe, prout superius innuimus, nati sunt septem filii, qui possederunt terram in Asia ab Amano, et Tauro, Syriæ-Cœles, et Ciliciæ montibus usque ad fluvium Tanain, sicut in libris Locorum beati Hieronymi comperi. In Europa vero usque ad Gadira nomina locis et gentibus relinquentes, e quibus postea immutata sunt plurima, et cætera permanent ut fuerunt. Sunt autem Gomer Galatæ, Magog Scythæ, Madai Medi, Jaban Iones, qui et Græci unde et Mare Ionicum; Tubal Iberi, qui et Hispani, qui et Celtiberi, licet quidam Italos suspicentur, Mosoch Cappadoces. Porro Septuaginta interpretes Capturim Cappadocas arbitrantur. Iras Thraces. Nonnulli quidem Gog et Magog ad Gothorum gentem transtulerunt, quia Gothos omnes retro eruditi magis Getas quam Gog appellare consueverunt.

Vers. 3.— *Filii Gomer Ascenez, et Riphath, et Togorma.* Ascenez Græci Regnos [*Z.*, Rennos] vocant, Riphath Paphlagones, Togorma Phrygas.

Vers. 4, 5.— *Filii Jaban Elisa, et Tharsis, Cethim et Dodanim. Ab his divisæ sunt insulæ nationum in terris suis, vir secundum linguam suam, et cognitionem, et gentem suam.* De Ionibus, id est Græcis, nascuntur Helesei, qui vocantur Æolides, unde et quinta lingua Græciæ Æolis appellatur. Denique Tharsis Josephus Cilicias arbitratur. Unde et metropolis civitas eorum Tharsis appellatur Paulo apostolo gloriosa. Cethim Cithii [*Z.*, Scitii,] a quibus hodieque urbs Cypri nominatur. Dodanim, Rhodii. Denique, sicut in Antiquitatum, libris invenitur, omnes pene insulas et totius orbis littora, terrasque mari vicinas, a Græcis occupatas usque Oceanum possedere Britannicum, videlicet a Tauro et Amano montibus, ut supra diximus.

Vers. 6.— *Filii Cham, Chus et Mesraim, et Fut et Chanaan.* Chus hodieque ab Hebræis Æthiopia nuncupatur, Mesraim, Ægyptus, Fut Libyes, a quo et Mauritaniæ fluvius usque in præsens Fut dicitur. Porro Chanaan obtinuit terram quam Judæi deinceps possederunt.

Vers. 7.— *Filii Chus: Saba, et Evila, et Sabatha, et Regma, et Sabathaca.* Saba, a quo Sabæi, de quibus Virgilius:

.... *Solis est thurea virga Sabæis.*

Evila, Getuli in parte remotioris Africæ, eremo cohærentes. Sabatha, Sabathem, qui nunc Astabari nuncupatur. Regma vero et Sabathaca paulatim antiqua vocabula perdiderunt, et quæ nunc pro veteribus habeant, ignoratur.

Filii Saba, et Dadan [*Z.*, *filius Saba, Dadan.* vulg., *Filii Regma: Saba et Dadan*]. Hic Saba per *sin* litteram scribitur, supra vero per *samech*, a quo diximus appellatos Sabæos. Interpretatur ergo Saba *Arabia*. Nam in septuagesimo primo psalmo, ubi nos habemus: *Reges Arabum et Saba munera offerent*, in Hebræo scriptum est: *Reges Saba*, primum nomen per *sin*, ut Hieronymus ait, secundum

per *samech*. Dadan quippe gens est Æthiopiæ in A occidentali plaga.

Vers. 8. — *Porro Chus genuit Nemrod. Iste cœpit esse potens in terra, et erat robustus venator coram Domino*, et reliqua. Nemrod iste arripuit insuetam prius in populos [*Z.*, populis,] tyrannidem, regnavitque in Babylon [*Z.*, Babylone,] quia ab eo ibi confusæ sunt linguæ turrem ædificantium, et *Babel* appellata est, quæ interpretatur *confusio*. Regnavit autem et in *Arach*, hoc est in Edissa, et in *Archad*, quæ nunc dicitur Nibisis [*Z.*, Nobilis. *Leg.* Nisibis], et in Chalanne, quæ postea a Seleuco rege dicta est Seleucia. Qui congrue *robustus venator coram Domino* dicitur, seu, sicut in quibusdam codicibus invenitur, quod melius nobis videtur, *robustus venator contra Dominum*, id est hominum terrenorum suppressor et extinctor. Erigebat ergo [*Z.*, iste igitur erig.] cum suis populis turrem contra Dominum, in qua est impia significata superbia; quoniam dominatio imperantis in lingua est, et ibi est damnata superbia, ut non intelligeretur jubens homini, quæ noluit intelligere, ut obediret Deo jubenti. Sic illa conjuratio dissoluta est, cum quisque ab eo quem intelligebat, abscederet, nec se nisi ei cum quo loqui poterat aggregaret, et per linguas divisæ sunt gentes dispersæque per terras. Sequitur :

Vers. 11. — *De terra illa egressus est Assur, et ædificavit Niniven, et Roboot civitatem*, sicut in quibusdam codicibus invenitur. De hac terra Assyriorum pullulavit imperium, qui ex nomine Nini, Beli filii, Ninum condiderunt, urbem magnam, quam Hebræi appellant Niniven. Quod autem ait, *ædificavit Niniven et Roboot civitatem*, non putemus duas esse urbes; sed quia Roboot *plateæ* interpretantur, ita legendum est, *et ædificavit Niniven et plateas civitatis*.

Vers. 13, 14. — *At vero Mesraim genuit Ludim, et Anamim* [*Z.*, Ananim], *et Laabim, Neptuim, et Petrosim, et Cesloim, de quibus egressi sunt Philistiim, et Capturim*. Exceptis *Laabim*, a quibus Libyes postea nominati sunt, qui prius Futei vocabantur, et *Cesloim*, qui deinceps Philistiim appellati sunt, quos non corrupte Palæstinos dicimus, cæteræ gentes sex ignotæ sunt, quia bello Æthiopico subversæ usque ad oblivionem prætentorum [*Z.*, præteritorum] nominum. Possederunt autem terram a Gaza usque ad extremos fines Ægypti.

Vers. 15-18. — *Chanaan genuit Sidonem primogenitum suum, et Hethæum, et Gebusæum, et Amorrhæum, et Gergesæum, et Hevæum, et Aracæum, Asinæum, et Aradium, et Samariten, et Amathæum*. De Chanaan primus natus est Sidon [*Z.*, Sidona], a quo urbs Phœniciæ Sidon vocatur. Dein Aracæus, qui Arcas condidit, oppidum contra Tripolim in radicibus Libani. Aradii sunt qui Aradum insulam possederunt, angusto freto a Phœnicis littore separatam. Samariten, emissa nobilis Syriæ Cœles civitas. Amath tam a Syris quam ab Hebræis, ita ut apud veteres dicta fuerat, appellatur. Hanc Macedones Epiphaniam vocant. Nonnulli Antiochiam ita appellatam putant.

Vers. 19-21. — *Et fuit terminus Chananæorum venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec egrediaris Sodomam, et Gomorrham, et Adamam, et Seboim, usque Lesam*. Cæteræ propria nomina retinent. Hoc tantum adnotandum videtur quod *Lesa* ipsa sit quæ nunc *Callirhoe* dicitur, ubi aquæ calidæ prorumpentes in mare Mortuum defluunt.

Vers. 22. — *Filii Sem : Elam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram*. Hi ab Euphrate fluvio partem Asiæ usque ad Indicum oceanum tenent. Est autem Elam, a quo Elamitæ, principes Persidis. De Assur jam dictum est, quod Ninum urbem con-
B diderit. Arphaxad, a quo Chaldæi. Lud, a quo Lydia. Aram, a quo Syri, quorum metropolis est Damascus.

Vers. 23. — *Filii Aram Hus, et Hul, et Gether et Mes*. Hus, Trachonitidis et Damasci conditor inter Palæstinam et Cœle Syriam tenuit principatum, a quo Septuaginta interpretes in libro Job, ubi in Hebræo scribitur, *terram Hus*, regionem Ausitidem transtulerunt. Hul, a quo Armenii. Gether, a quo Arcanii sive Carii. Porro Mes, pro quo Septuaginta interpretes *Mosoch* dixerunt, hi sunt qui nunc vocantur Mæones.

Vers. 24, 25. — *At vero Arphaxad genuit Sala* [*Z.*, Sela], *et Sala genuit Heber. Et Heber nati sunt duo filii; nomen uni Phaleg et nomen fratris ejus Jectan*. Heber, a quo Hebræi, vaticinio
C quodam filio suo Phaleg nomen imposuit, qui interpretatur divisio, ab eo quod in diebus ejus linguæ in Babylone divisæ sunt.

Vers. 26, *seq.* — *Jectam genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, Jare, et Aduram, et Uzal de Daebal* [*Z.*, *Dedabal*], *et Abimalech, Seba, Ophir, Evila, Jobab*. Harum gentium posteriora nomina invenire non potui; vel ita vocantur ut primum, vel quæ immutata sint, ignoratur. Possederunt autem a Cofene fluvio omnem Indiæ regionem quæ vocatur Heria.

CAPUT XI.

Vers. 1-4. — *Erat autem terra labii unius, et sermonum eorumdem*, et reliqua, usque *et dixerunt : Venite, faciamus nobis civitatem, et turrem, cujus*
D *culmen pertingat ad cœlum*, etc. Ideo turrem sua superbia construere voluerunt, ut celebrarent nomen suum antequam dividerentur, sicut Scriptura testatur, seu ut explorarent quid esset super cœlum, sive, ut quibusdam videtur, ut haberent ubi fugerent, quia putabant iterum cataclysmo mundum deleri secuti prius. Sed quæritur utrum credibile sit tantæ stultitiæ esse homines, ut in cœlum altitudinem ædificii cujuslibet exigere se posse putarent? Quia solet superbiam stultitia sequi, et humilitatem sapientia, ideo turris hic superbiæ loco posita est, et quia sua stultitia atque superbia alta penetrare studuerunt, ideo confusi sunt. Fecit ergo superbia diversitates linguarum; humilitas Christi congregavit diversitates linguarum, ut quos turris dissociaverat, Ecclesia colligeret; de

qua dissolutione superius prælibavimus, ubi de Nembrot mentionem fecimus, qui [Z., quia] ipse quidem auctor hujus turris exstitit, et primo omnium hominibus dominari et regnum dilatare studuit. Solet enim multos movere, an unum opus fuerit turris, et civitatis, vel duo? A multis enim æstimatur arcem esse et civitatis Babyloniæ turrem illam. Hujus enim civitatis mirabilem constructionem gentium commendat historia, cujus nimia disponebatur altitudo, quæ in campestribus per situm quadratum ab angulo usque ad angulum muri sedecim millia tenuisse passuum, simul per circuitum sexaginta quatuor [Z., sexaginta tres], ut Herodotus historiographus dicit. Aliqui vero turrem unam volunt intelligi, quam præcipuam [Z., præcipue] inter alias erigere moliebantur, quæ in altitudine quatuor millia dicitur tenuisse passuum, quod capitolium, ut idem doctor dicit, de lato in angustias coarctatur, ut pondus imminens facilius a latioribus sustentaretur, in qua describunt templa marmorea, aureas statuas, plateas lapideas auroque fulgentes, et multa alia, quæ pene videntur incredebilia. Unde ait Scriptura:

Vers. 5. — *Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrem quam ædificabant.* Nonnulli autem omnes turres illius civitatis dixerunt, quæ per numerum singularem ita significatæ sunt, ut dicitur millies, et intelliguntur millia millium. Hinc Scriptura subinfert: *et cessaverunt ædificare civitatem.* Sequitur:

Vers. 7. — *Venite igitur et descendamus, et confundamus ibi linguam eorum.* Descendere Dei est humanos actus inspicere, vel eorum sensibus propinquare [Z., appropinquare]. Sive descendere dicitur tam ad auxilium quam ad vindictam, quando curam humano generi præstat per obsequia angelorum. Angelis enim qui aderant, ut beatus Gregorius dicit, Dominus ait: *Venite, descendamus*, et reliqua. Qui ascendunt in eo quod Creatorem conspiciunt, descendunt in eo quod creaturam sese illicitis erigentem examine districtionis premunt. Dicere ergo est: *Descendamus et confundamus linguam eorum*, in seipso eis hoc quod recte agatur, ostendere, et per vim internæ visionis eorum mentibus exhibenda judicia occultis motibus inspirare. Quod vero plurali numero dixit, *descendamus*, et iterum singulari, *confudit* Dominus labium universæ terræ, distinctione personarum sanctam Trinitatem, et operationis unitatem in majestate divina voluit ostendere, sicut in exordio humanæ creationis dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* ut trinitas in personis, et unitas in potentia divinitatis esse credatur.

Vers. 9. — *Et idcirco vocatum nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ*, et reliqua. Si Deus requievit ab omnibus operibus suis die septimo, unde subito tanta apparuit diversitas linguarum? Sed sciendum est quia non in hac divisione linguarum novum aliquid condidit Creator, sed dicendi modos et formas in diversis loquelarum generibus divisit. Unde easdem syllabas et ejusdem potestatis litteras aliter conjunctas, a diversis invenimus gentium linguis; sæpe etiam et eadem nomina, vel verba aliud aliquid significantia in alia lingua, atque aliud in alia. Ubi dicimus in psalmo: *In virga ferrea* (*Psal.* II, 9), in Græco habetur: *en rabdo sidera* [ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ]. Igitur in Latino *sidera* non *ferrea* significat sicut in Græco, sed *astra*. Sed notandum est quia illa lingua in sola familia Heber remansit, ex quo Hebræi dicti sunt, in ea parte hominum quæ Dei portio permansit, in qua et Christus nasciturus erat. Oportebat enim ut in ea lingua salus mundo primo prædicaretur, per quam primum mors intravit in mundum. Ostendit quoque titulus in cruce Salvatoris scriptus, hanc esse omnium linguarum primam.

Vers. 10. — *Hæ generationes Sem: Sem centum erat annorum, quando genuit Arphaxad*, et reliqua. Idcirco Sem repetit, ut ostenderet Abraham ex semine ejus duxisse originem, quia Hebræorum consuetudo est ut tantummodo primogenitos nominent.

Vers. 14-28. — *Sale quoque genuit Heber* et reliqua, usquequo ait: *mortuusque est Aran ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum.* Heber interpretatur *transitor*, quod significabat Ecclesiam futuram, quæ transiit ab infidelitate ad fidem, a vitiis ad virtutes. Sed requirendum est quid est quod de Aran legitur fratre Abraham; *mortuusque est Aran ante Thare patrem suum in Ur Chaldæorum;* Ur enim *ignis* dicitur. Unde et in Hebræo legitur: *in Ur Chesdi* (*F. casdim. Z., cesi.*), id est: in igne Chaldæorum. Et Chaldæi ignem colunt pro Deo. Thare vero, ut Chaldæi tradunt (Z., Thare quoque ut Hebræi trad.), cum filiis suis missus est a Chaldæis in ignem, quia ignem adorare nolebat, in quo igne Aran consumptus est. Et hoc est quod ait mortuum eum esse ante conspectum Thare patris sui, quod in sequentibus plenius dicemus.

Vers. 29. — *Duxerunt autem Abram et Nachor uxores. Nomen autem uxoris Abram Sarai, et nomen uxoris Nachor Melcha filia Aran, patris Melchæ et patris Jeschæ.* Jescha ipsa est Sarai. Denique Aran filius Tharæ frater Abram, et Nachor duas genuit filias: Melcham, et Sarai cognomento Jescham, e quibus Melcham accepit uxorem Nachor, et Sarai Abram. Necdum quippe inter patruos, et fratrum filios nuptiæ fuerant lege prohibitæ, quæ in primis hominibus etiam inter fratres et sorores initæ sunt.

CAPUT XII.

Vers. 1. — *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui*, et reliqua. Quæritur cur eum præcepit de terra sua egredi, cum ipse de terra nativitatis, id est de terra Chaldæorum, egressus fuerat cum patre? Nisi, ut quibusdam videtur, hæc egressio non ad egressionem corporis pertinet, sed ad egressum mentis, ne illuc voluntatem mentis haberet redeundi unde cor-

poraliter jam exierat. Moraliter ad exemplum illius A nobis exeundum est de terra nostra, id est de facultatibus hujus mundi, vel de terreno homine, et de cognatione nostra de conversatione (Z., nostra, id est, de conv.) et moribus, vitiisque prioribus, quæ nobis a nativitate velut consanguinitate conjuncta sunt. Et de domo patris nostri, videlicet de omni memoria mundi hujus, quæ domus diaboli dicitur, ut in psalmo: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui (Psal.* XLIV, 14), veluti gentilitate renuntiantes possimus dilatari in terra quam monstrat nobis idem in populo Dei, et in congregatione fidelium, et in terra cœlestis repromissionis, cum advenerit tempus introduci. Sed notandum est quia duæ repromissiones ad Abraham factæ sunt; una, quod terram Chanaan possessurus B esset in semine suo, quod significatur ubi dictum est: *Vade in terram quam monstravero tibi*, etc. Alia vero, longe præstantior, quod pater esset non unius gentis Israeliticæ, sed omnium gentium quæ fidei ejus vestigia sequuntur, quod his verbis promittitur: *Et benedicentur in te omnes gentes*, illi scilicet in semine Abraham benedicentur, qui Abrahæ fidem imitantur. Sed juxta historiam ostenditur quod multi in exemplis sanctorum benedictionem consequuntur. Cæterum quod ait: *faciamque te in gentem magnam*, virtutes ostendit. Magna gens est numerus virtutum. Verumtamen quod dicitur: *Egredere de terra tua*, etc., in cujusdam dictis ita reperi: *Egredere de terra tua*, id est de lege naturæ, *de cognatione* vero, de lege litteræ; C *de domo* quippe *patris*, hoc est de lege Novi Testamenti; *in terram quam monstravero tibi*, id est in cœlum, de qua Isaias ait: *Oculi tui cernent terram de longe* (*Isa.* XXXIII, 17).

Animadvertendum est quod instabilitatis Abræ instabilitatem gentis illius significat (Z., significabat). Gens enim ipsius major futura erat de instabilitate sua quam quando habitavit in terra sua. Ita et Ecclesia de itinere suo, videlicet de carnali habitatione et resurrectione, ut aliquibus videtur, majora præmia habebit.

VERS. 4. — *Septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Charran.* Hic indissolubilis nascitur quæstio: si enim Thara, pater Abram, cum esset in regione Chaldæa, septuaginta annorum genuit Abram, et postea in Charan D (*Petr. semper*, Charram) ducentesimo quinto ætatis suæ anno mortuus est, quomodo nunc post mortem Tharæ Abram exiens de Chara septuaginta quinque annorum fuisse memoratur, cum a nativitate Abram usque ad mortem patris ejus centum triginta quinque annorum fuisse doceantur (Z., doceatur)? Nisi quia vera est illa traditio Hebræorum, quam supra diximus, quod egressus sit Thara cum filiis suis de igne Chaldæorum, et quod Abram Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus. Unde et Dominus postea ait. *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum*, et ex illo tempore ei dies vitæ et tempus reputatur ætatis, ex quo confessus est Dominum, spernens idola Chaldæorum. Potest autem fieri ut, quia Scriptura reliquit incertum, ante paucos annos Thara de Chaldea profectus, venerit in Charran, quam morte obiret, vel certe statim post persecutionem Charram veniret, et ibi diutius sit moratus. Si quis ergo huic solutioni contrarius est, quærat aliam solutionem, et tunc recte ea quæ a nobis dicta sunt, improbabit.

VERS. 5, 6. — *Et egressus ut iret in terram Chanaan*, et reliqua. Hoc enim in figura Christi, cujus typum tenuit, actum est, qui obediens Patri usque ad mortem pervenit. Quodque dicitur: *Pertransivit Abram usque ad locum* (Z., *lucum*) *Sichem, et usque ad convallem illustrem*, ipsum Christum ostendit per patriarchas et prophetas ad Ecclesiam pervenisse, quæ vallis est illustris, videlicet fertilis vel egregia virtutibus, atque in humilitate sita. Unde et congrue subjungitur: *Chananæus autem tunc erat in terra*, mundiales videlicet atque gentiles; quanquam super diabolo possit intelligi. Chanaan quoque *motus eorum* interpretatur.

VERS. 7-9. — *Semini tuo dabo terram hanc.* Juxta illud Psalmographi [Z. Psalmigraphi]: *Postula a me et dabo tibi gentes*, et reliqua (*Psal.* II, 8), ubi ædificavit altare, unitatem scilicet fidei in Ecclesia. Tetendit igitur tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, et ab oriente Hai. Bethel interpretatur *domus Dei*. Significat Judæos, qui aliquando fuerant domus Dei per cognitionem, et quasi in oriente, dum sub lege fuerant, hoc est usque ad adventum Christi, sed [Z., et] propter incredulitatem suam deciderunt ad occidentem non credendo in Christum. Hai interpretatur *chaos*, id est *vorago intransmeabilis*. Significat gentes quæ in voragine et profunditate peccatorum detinebantur usque ad adventum Christi, quæ relicto errore crediderunt in Christum [Z., in Deum], qui est verus Oriens.

VERS. 10-20. — *Descenditque Abram in Ægyptum.* Christus videlicet in hunc mundum, juxta quod scriptum est: *Ecce enim Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum* (*Isa.* XIX), — *ut peregrinaretur ibi.* Sicut ipse ait in Evangelio: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* VIII, 20). — *Prævaluerat enim fames in terra illa*, de qua dicitur: *Mittam in vobis famem non famen panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini* (*Amos.* VIII, 8). Deinde sequitur qualiter Abram descendens in Ægyptum Sarai uxorem sororem suam esse dixit; Nec mentitus, quia propinqua erat sanguine, sicut ipse ait. Quam tamen Pharao, rex Ægipti, uxorem volens accipere, sed territus nimis, ubi ejus esse cognovit uxorem, illæsum reddidit. Hic enim innuendum est utrum conveniret Abram, tam sancto viro, ut celaret Sarai uxorem suam esse, et cur non magis poneret in Deo spem suam ne occideretur a rege? Ostenditur itaque in hoc ejus facto quod homo non debet tentare Dominum Deum suum, quando habet quod faciat ex rationabili [*Petr.*, rationali]

consilio pro anima sua. Fecit enim quod potuit pro vita sua; quod autem non potuit, illi commisit in quem speravit, cui et pudicitiam conjugis commendavit. Nec eum fides ac spes fefellit. Namque Pharao a Deo territus, multisque propterea malis afflictus, ubi ejus uxorem divinitus didicit illæsam cum honore reddidit viro suo. Sed move, forte quomodo, cum Sarai a Pharaone rapta fuerit, inviolata permanserit, licet corpus sanctarum mulierum non vis maculat [Z., maculet], sed voluntas et excusare possit [Z., posset] Sarai, quod famis tempore sola regi in peregrinis locis, marito connivente [Z., vivente], resistere nequiverit; tamen potest et aliter fœda necessitas excusari, quod juxta librum Esther quæcunque mulierum placuisset regi apud veteres, sex mensibus ungebatur oleo myrteo, et sex mensibus in pigmentis variis erat et curationibus feminarum, et tunc demum ingrediebantur ad regem. Itaque ita potest fieri ut Sarai, postquam placuerat regi, dum per annum ejus ad regem præparatur introitus, et Abrahæ multa donaverit, Pharao postea sit percussus a Domino, illa adhuc intacta ab ejus concubitu permansit. Sequitur :

CAPUT XIII.

VERS. 1-3. — *Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus, et omnia quæ habebat, et Lot cum eo ad australem plagam. Erat autem dives valde in possessione argenti et auri; reversusque per iter quo venerat a meridie in Bethel.* Pulchre de Ægypto liberatus ascendisse dicitur ad australem plagam, id est ad meridiem; non enim legitur declinasse aliquando ad occidentem. Sed occurrit huic sensui illud quod sequitur, quomodo potuerit exiens de Ægypto fuisse dives valde? Quod solvitur illa Hebraica veritate, in qua scribitur: *Abram gravis vehementer.* Ægypti enim pondere gravabatur. Et licet videantur esse divitiæ pecoris, auri et argenti, tamen si Ægyptiæ sint, viro sancto, cujus typum tenuit, graves sunt. Denique non, ut in LXX legitur, *abiit unde venerat, in desertum usque Bethel*, sed sicut in Hebræo scriptum est *abiit itinere suo per austrum usque Bethel.* Idcirco enim de Ægypto profectus est, ut non desertum ingrederetur, quod cum Ægypto reliquerat, sed per austrum, qui aquiloni contrarius est, veniret ad domum Dei, ubi fuerat tabernaculum ejus inter Bethel et Hai. Igitur Abram in hoc quod ascendit de Ægypto, Dominum ac Redemptorem nostrum significat, qui ut superius diximus, descendit in Ægyptum, videlicet in hunc mundum, expleto mysterio nostræ redemptionis, ascendit ad Patrem. Unde bene dicitur de Abram quod reversus sit per iter quo venerat in Bethel a meridie; quia ipse unigenitus Filius in suis prædicatoribus in fine sæculi reversurus est ad Judaicam plebem juxta illud : *Cum plenitudo temporis subintraverit, tunc omnis Israel salvus fiet* (*Rom.* XI, 25).

VERS. 5-12. — *Sed et Lot, qui erat cum Abram fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula; nec poterat eos capere terra*, et cætera, usquequo ait, *divisi sunt alterutrum a fratre suo.* Lot, qui interpretatur *declinans*, significat Judæos qui non credendo declinaverunt a Deo. Abraham, prout sæpe descripsimus, Dominum significat. Greges Lot et armenta, plebes et diversa conventicula Judæorum infidelium interpretantur. Unde et bene dicitur: *Et facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot.* Per pastores Abram significantur apostoli Christi. Per pastores Lot Sadducæi intelliguntur et Pharisæi, qui multum inter se altercati sunt. Sed in hoc quod ait : *Chananæus autem et Pherezeus habitabant in terra illa*, super immundis spiritibus interpretantur, qui potestatem habebant in Judæis. Seu etiam Lot significat hæreticos, quos cum Christiano populo terra, id est Ecclesia, non capit. Sed pastores Christi et hæreticorum seductores, qui pastores se dicunt esse, suis ovibus rixas et contentiones semper excitant in Ecclesia, et ideo dividentur ab invicem. *Recede a me*, inquit Abram, *obsecro, ad Lot. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Proprium itaque concedit in hoc Dominus, tanquam Abram arbitrium [Z., *om.* arbitrium] fratri suo, Judaico videlicet populo, ex quo carnem assumere dignatus est. Denique per dexteram fides vel vita futura, de qua Ecclesia ait : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II, 6). Per sinistram vita præsens, quam elegerunt Judæi. Unde et dicitur : *Elevatis autem Lot oculis vidit omnem circa Jordanis regionem*, et reliqua. Aliter. Bene ait : *si tu ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo*, etc.; quia in die judicii multi ex Judæis credituri erunt in Deum, et multi ex credentibus recessuri. Et hoc est quod ait, *ego ad sinistram pergam.* Tunc enim Christus tanquam Abram in credentibus, qui videbantur esse ejus membra, ad sinistram declinabit. Si autem ad hæreticos referre volueris, tunc adimplebitur hoc quod Scriptura dicit, *recede a me, obsecro*, quando dicturus est eis: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41). Unde consequenter subjungitur, *si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo*, etc. Per dexteram prosperitatem mundialem, quam hæretici eligunt, interpretantur; per sinistram infidelitatem vel infernum. Quod vero Abram dexteram plagam elegit, fidem, vel regnum sanctorum; quod autem sinistram, confractionem voluntatis, qua in membris suis condescendit his qui in amorem præsentis vitæ, quæ significatur, ut supra diximus, per sinistram, commemorantur. Unde et Jordanis, ut quidam volunt, in hoc loco doctrinam hæreticorum ostendit, a quo irrigabantur universa, quia sic videtur suis, ut bene doctrina ipsorum irrigetur. Quapropter rite [Z., recte] subinfertur, *venientibus in Segor.* Segor *parvula* interpretatur, quia illi qui ab hæreticis decipiuntur, in magnis videntur esse, sed in exiguitate ac miseria detinentur et ad nihilum tendunt.

VERS. 13. — *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis.* Superflue

additum est, *coram Domino*, sicut in LXX etiam invenitur; siquidem Sodomorum coloni apud homines mali et peccatores erant. Ille autem dicitur in conspectu Dei peccator, qui potest apud homines justus videri, quomodo de Zacharia et Elisabeth in præconio ponitur, quod fuerint justi ambo in conspectu Dei, et in psalmo dicitur: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2).

VERS. 14-17. — *Dixit ergo Deus ad Abram: Leva oculos tuos, et vide a loco in quo tu nunc es, ad aquilonem, et ad austrum, ad orientem, et ad mare, quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo et semini tuo.* Si enim terra tantum promittebatur ei, quam tunc in uno loco stans videre potuit per quatuor climata mundi, angusta videtur esse terra repromissionis. Non hoc solum terræ promissum B est quam videre potuit. Non enim dictum est: Tantum terræ tibi dabo quantum vides; sed, Tibi dabo terram quam vides, cum et ulterior undique dabatur. Et idcirco subjunxit: *Surge et perambula terram in latitudine et longitudine*, ut perambulando perveniret ad ea quæ oculis uno loco stans videre non posset. Significabatur autem ea terra, quam carnale semen ejus accepturum erat. Nam illud spiritale totius mundi latitudinem possessurum erat. Dum dixit, *ad orientem et ad mare*, quid dictum est? Solet enim Scriptura sancta, dum de plagis terræ repromissionis loquitur, mare pro occidente ponere, ab eo quod Palæstina regio mare occidentis plagæ habeat. Verumtamen, ut quibusdam placet, spiritaliter Christus cum Ecclesia C dicitur levare oculos a mundo ad quatuor partes terræ, per quas quatuor Evangelia figurantur, cuique omnis terra datur, ut alibi: *Postula a me, et dabo tibi gentes*, et cætera (*Psal.* II, 8), *Usque in sempiternum*, id est longitudine temporis.

CAPUT XIV.

VERS. 1-6. — Deinde sequitur qualiter reges gentium percusserunt Raphaim in Astarothcarnaim quoque, et Zozim cum eis, et reliqua. Raphaim *gigantes* interpretantur; Zozim *terribiles et horrendi*; Astaroth civitas, quæ usque hodie sic vocatur, significat quod quatuor reges interfecerunt gigantes, et robustos quoque Arabiæ; Astarothcarnaim, terram gigantum quamdam in supercilio Sodomorum.

D VERS. 7. — *Et reversi venerunt ad fontem Mesfat ipsa est Cades.* Fons Mesfat fons est judicii, hoc est Cades; per anticipationem dicitur quod postea sic vocatum est. Significat autem locum apud petram, qui fons judicii nominatur, quia ibi Deus populum judicaverit. *Et percusserunt omnem regionem Amalecitarum, et Amorrhæum sedentem in Assasonthamar.* Hoc est oppidum quod nunc vocatur Engaddi, balsami et palmarum fertile, sicut in libris Locorum reperi. Assason autem thamar interpretatur *urbs palmarum*. Thamar quippe *palma* dicitur. Sequitur.

VERS. 8-13. — *Et egressi sunt rex Sodomorum, et rex Gomorrhæ, rexque Adamæ*, etc., usquequo ait: *Quatuor reges adversus quinque. Vallis autem* A *silvestris habebat puteos bituminis multos. Itaque rex Sodomorum, et Gomorrhæ terga verterunt, cecideruntque ibi, et qui remanserunt, fugerunt ad montes tuleruntque omnem substantiam eorum, nec non et Lot, et substantiam ejus*, et reliqua. Notandum est quod *Bale*, quæ et Segor, tradunt Hebræi, quia sicut in alio loco ostenditur Scripturæ hanc eamdem esse *Salisa*, et interpretantur *vitulam consternantem*, quod scilicet tertio motu terræ absorpta sit, et ex eo tempore quo Sodoma et Gomorrha, Adama, et Seboin divino igni subversæ sunt, illa parvula nuncupatur; si quidem Segor tranfertur in *parvulam*. Vallis autem Salinarum, quæ et vallis silvestris dicitur, sicut in hoc eodem libro scribitur, iu qua fuerunt antea putei bituminis, B post Dei iram et sulphuris pluviam in mare Mortuum versa est, quod a Græcis stagnum bituminis appellatur. Idipsum est asphaltum. Mortuum autem appellatur mare, quod nihil recipit generum viventium, neque assuetas aquis aves, tauri camelique fluitent. Denique si Jordanis auctus imbribus pisces illuc influens rapuerit. statim moriuntur et pinguibus aquis subnatant. Lucernam accensam fertur supernatare sine ulla conversione, exstincto demergi lumine, et vas demersum arte, quod bibat, difficile hærere in profundo, omniaque viventia, demersa licet et vehementer illisa, statim resilire. Denique Vespasianum præcepisse natandi ignaros revinctis manibus in profundum dejici, eosque omnes illico supernatasse. C Aqua ipsa sterilis et amara, cæterisque aquis obscurior, et quasi adustæ [Z., adustam] præferens similitudem. Vagari super aquas bituminis glebas certum est atro liquore, quas scaphis appropinquantes colligunt, hærere bitumen, et nequaquam ferro præcidi fertur. Sanguine tantum mulierum menstruo vel urina cedere, utilis ad compagem navium, vel corporibus hominum medendis. Servat adhuc regio speciem pœnæ. Nascuntur enim poma pulcherrima. quæ et edendi cupiditatem exspectantibus generent; si carpas, fatiscunt ac resolvuntur in cinerem, fumumque excitant quasi assidue ardeant. Sane in diebus æstatis immodicus [Z., non modicus] per spatia campi exæstuat vapor, unde de coalescente vitio nimiæ siccitatis, atque humi arido [Z., humo arida] corruptior aer miserandas in- D colis conficit ægritudines. Denique quinque isti reges, allegorice, a quatuor regibus devicti qui venerunt de Babylone, significant quinque sensus corporis, videlicet visum, auditum, gustum, odoratum et tactum. Quatuor reges quatuor vitia principalia intelliguntur, id est cupiditas, gaudium, timor et tristitia. Per hæc quatuor vitia expugnavit diabolus non solum Sodomitas, per quos significabantur gentiles, sed etiam et Lot, qui interpretatur *declinans*, per quem significantur Judæi, qui declinaverunt a rectitudine fidei. Per vallem silvestrem præsentem mundum interpretantur [X., præsens mundus interpretatur]; per puteos homines in profunditate vitiorum demersos; per bitumen conglutinationem peccatorum, qua sunt uniti in iniquitate.

Potest et aliter intelligi : quatuor reges qui quinque superaverunt, possunt nimirum contraria vitia virtutibus significare : hæresim scilicet, gentilitatem, hypocrisin, avaritiam, quæ est idolorum servitus. Quæ reges nuncupantur, quia in multo jus regni [Z., regis] exercent. Quinque autem reges qui superantur ab his, quinque sensus possunt intelligi, ut diximus ; quia et ipsi reges, quia ex his homo noster exterior regitur, terga vertuntur, donec Abram, pater excelsus, victis quatuor regibus supradictis, spolia revocet, et Lot propinquum suum, declinantem utique a malo, ex eorum potestate eripiat.

Quod autem recedere quinque reges a quatuor dicuntur, significat quod illos maxime persequitur contraria potestas, quos ante in servitutem retinuit. Quod autem in tricentis decem et octo Pater ille excelsus, cui in Oratione Dominica dicimus, *Pater noster*, significat quod per electos, qui in persecutione virtutum constituti sunt, fundati fide Trinitatis, et habentes plenitudinem Decalogi octava die quæ sabbato sequitur, cum Christo resurgentes [a].

Vers. 14. — *Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos trecentos decem et octo.* Expeditos dixit juvenes, ad bellum promptos, et qui non fuerunt uxorati, de quibus in sequentibus dixit, *exceptis his quæ comederunt juvenes. Et persecutus est usque Dan.* Dan Phœnicis oppidum est quod nunc Paneas dicitur, ubi unus de fontibus Jordanis oritur, qui dicitur Dan, alter vero Jor. Ex his duobus fontibus qui haud procul a se distant, in unum rivulum fœderatis, Jordanis appellatur, sicut ex duobus fontibus unus fluvius, ita ex nominibus una appellatio creatur [Z., procreatur].

Vers. 18. — Deinde legitur qualiter Abram occurrit Melchisedech rex Salem [Z., regi Salem]. Movere solet quosdam quis fuerit iste Melchisedech, rex Salem, quem Apostolus dicit (*Hebr.* vii, 3) *sine patre et matre*, esset ? Ideo Apostolus cum dixit absque patre et absque matre esse, quia genealogiam ejus sacra Scriptura non narrat. Verumtamen, ut in cujusdam [Z., quodam] reperi vetusto volumine, tradunt Hebræi non absque patre et matre fuisse : sed quia nomen ejus non commemoratur, nisi quando occurrerit Abram, et nec patre nec matre legitur in divinis Scripturis. *Melchi* videlicet pater, et *Sedech* mater. Et inquiunt ; quia pater ejus Melchi mortuus fuit, antequam fuisset Melchisedech natus. Item mater ejus Sedech mortua fuit de parturiendo habens in utero Melchisedech, et ex his duobus nominibus Melchisedech filius eorum sit dictus. Propterea, ut Hebræi aiunt, sine patre et matre fuerit, quia mortui fuerunt antequam natus esset. Tradunt etiam hunc, mutato nomine, Sem esse filium Noe, et supputantes annos vitæ ipsius, ostendunt eum ad Isaac usque vixisse, omnesque primogenitos pontifices fuisse, hostias Deo immolasse usque ad tempora Aaron, et legis cærimonias, et hæc esse primogenita quæ vendidit Esau fratri suo Jacob, qui etiam Melchisedech jure de triumphis abnepotis sui decimas accepisset.

[a] Locus in utroque codice corruptus.

Porro Salem ipsam esse volunt quæ postea Hierusalem dicebatur. Hæc etiam primo Jebus, ut ferunt, postea Salem, deinde Hierusalem, sed postea a Salomone plenius instaurata Jerosolymis est dicta, quasi Hierosolymonia. Cæterum, ut quidam dicunt, Salem non Hierusalem, sed oppidum Satophoim [Z., Socaphoim], quod usque nunc dicitur Salem, et videtur ibi palatium esse Melchisedech. Unde agitur : transivit Jacob in Salem, civitatem regionis Sichem, quæ est in terra Chanaan. Inde dicit Joannes evangelista : *Erat Joannes baptizans in Ennon juxta Salim, quia multæ sunt ibi aquæ* (*Joan.* iii, 23). Nec differt utrum Salem an Salim dicatur, cum vocalibus in medium perraro utuntur Hebræi, et pro voluntate lectorum ac diversitate regionum eadem verba diversis sonis et accentibus proferunt [Z., proferuntur]. Nos enim opiniones diversorum ponimus ; sed prudenti lectori, quid horum verius elegerit, derelinquimus. Sed quantum ad figuram pertinet, iste Melchisedech Christum significat secundum Apostolum, quia Christus sine matre in cœlis, sine patre in terris, offerens Deo pro nobis in terris sui corporis panem et sui sanguinis vinum, ad quem dicitur : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* cix, 4). Quod si quis plenius nosse desiderat, beati Hieronymi et Isidori dicta perlustret. Sequitur :

CAPUT XV.

Vers. 2-4. — *Dixitque Abram : Domine Deus, quid dabis mihi ? ego vadam absque liberis, et filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer*, et reliqua. Non quasi dubius, an fieret, de promissione Dei, cum ait : *Domine Deus, quid dabis mihi ?* sed quomodo futurum [Z., venturum] esset, exquirens. Sed requirendum est quis fuerit iste Eliezer Damascus, de quo dixit Abram, *hæres meus erit ?* Ille utique fuit filius procuratoris Abrahæ, qui postea, ut aiunt Hebræi, Damascum condidit, et nomen civitatis dedit regnumque in ea obtinuit. Attamen notandum, ubi nos habemus, *filius procuratoris*, nonnulli transtulerunt : *filius Masech vernaculi mei*. Aquila vero, *filius potum danti domui meæ*. Theodotion, *filius ejus qui super domum meam est*, id est villici, qui universa dispensat, et distribuit cibaria familiæ ; vocaturque *Damascus Eliezer*. Porro Eliezer *Deus meus adjutor* interpretatur, qui, ut diximus, Damascum condidit. Sequitur :

Vers. 5-6. — *Suscipe cœlum, et numera stellas, si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum.* Unde in consequentibus dicit : *Sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ est littore maris*, In stellis cœli pauciores, firmiores, clariores intelliguntur ; in arena autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum atque carnalium.

VERS. 7. — *Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum.* Hoc est quod paulo ante diximus, in Hebræo haberi, *qui eduxi te de Chesdim*, id est de incendio Chaldæorum,

VERS. 8, 9. — *At ille ait : Domine Deus, unde scire possum quod possessurus sim eam ? Respondens Dominus : Sume, inquit mihi vaccam triennem, et capram trimam* [Cod., *trinam*], *et arietem annorum trium: turturemque quoque et columbam. Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium*, et reliqua. Quid igitur in illo mystico signo de posteritate generis sui Abrahæ intelligendum erat, vel cur trium annorum animalia illi erant sumenda? vel cur animalia dividit, et volucres non dividit? Trium enim annorum animalia tres temporum articulos designant, quibus populus ad summum honoris culmen adolevit. A temporibus vero patriarchæ Abrahæ per repromissiones usque ad tempora Moysi conjunctus est Deo : a tempore autem Moysi legislatoris, a Deo legis acceptione, et miraculorum ostensione, triumphis et terræ repromissionis ingressione glorificatus ; a temporibus vero David regio honore et templi civitatisque Hierusalem instructione elevatus est. Aries autem regiam et sacerdotalem dignitatem ; vacca sub legis littera servientem ; capra etiam eumdem populum peccatorem esse designat. Aves vero spiritales et Deo electos præfigurabant. Divisiones namque animalium schismata inter carnales semper esse ostendunt. Ideo vero quod aves non divisit, pax et unitas spiritalium intelligitur. Quod circa vesperam pavor irruit super Abram, terrorem in die judicii, qui separabit ab invicem spiritales et carnales, alios statuens in dexteram, alios in sinistram. Aves vero, quæ super cadavera volitant, dæmoniacæ sunt potestates, quæ carnalibus insidere quærunt, quas devotus doctor sedula admonitione abigere debet.

Intelligitur et aliter iste modus figuræ. Per vaccam enim significata est plebs posita sub jugo ; per capram criminatrix multitudo gentium ; per arietem duces populi gentium. Trium enim annorum animalia tria tempora significant, quia in tertium tempus [Z., tertio tempore] ista divisio facta est, segregatio videlicet fidelium ab infidelibus. Per turturem enim et columbam spiritales et hæredes ex utroque populo regni futuri [Z., regni Dei futuri] præfigurati sunt. Volucres autem descendentes super cadavera immundi sunt spiritus, qui mentibus carnalium semper insidere quærunt, quos devotus doctor sedula admonitione abigere debet, ut supra ostendimus. Unde et sequitur,

VERS. 10-12. — *Et abigebat eas Abram.* Quod hoc moraliter intelligi volunt. Sæpe corda justorum subortæ cogitationes polluunt, et terrenarum rerum delectationibus tangunt; sed dum citius manu sanctæ discretionis abiguntur, quasi aves repelluntur, ne cordis faciem caligo tentationis operiat, quæ hanc jam ex illicita delectatione tangebat. Nam sæpe in ipso orationis nostræ sacrificio importunæ cogitationes se ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Unde et Abram, cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos, dum in ara cordis holocausta Deo offerimus, ab immundis hæc volucribus custodimus, ne maligni spiritus et perversæ cogitationes rapiant quod mens nostra offerre Domino utiliter poterat.

VERS. 13-17. — *Dixitque Dominus ad eum : Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti et affligent quadringentis annis*, et reliqua. Non sic accipiendum est tanquam in illa durissima servitute quadringentis annis Dei populus fuerit ; sed quia scriptum est : *In Isaac vocabitur tibi semen*, ex anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis ex Ægypto computantur anni quadringenti quinque. Cum ergo de quadringentis triginta detraxeris viginti quinque, qui sunt a promissione usque ad natum [Z., nativitatem] Isaac, non mirum est si quadragintos et quinque annos summa solida [Z., solidate] quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectionis numeri paululum excrescit, aut infra est, non computetur. Non itaque quod ait in servitutem redigent eos, et nocebunt illis, ad quadringentos annos referendum est, tamquam per tot annos eos habuerint in servitutem, sed referendi sunt quadringenti anni ad id quod dictum est, *peregrinum erit semen tuum in terra non propria.* Quia sive in terra Chanaan, sive in Ægypto peregrinum erat illud semen, antequam hæreditatem sumerent in terra, ex promissione Dei, quod factum est posteaquam ex Ægypto liberati sunt, ut hyperbaton hic intelligatur, ut ordo verborum sit : *Sciendo scies quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis*; illud autem interpositum intelligatur, *et in servitutem redigent eas, et nocebunt illis*, ita ut in quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte summæ hujus, hoc est post mortem Joseph, factum est ut in Ægypto populus Dei duram perageret servitutem. Sed quare dictum est de filiis Abram : *Quarta progenie revertentur huc ?* et in Exodo legitur : *Quinta generatione ascenderunt filii Israel de terra Ægypti ?* Replica genealogiam Levi. Levi genuit Cath, Cath genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, Eleazar genuit Phinees. Cath cum patre suo Levi ingressus est Ægyptum. Rursum Eleazar cum patre suo Aaron egressus est ab Ægypto. A Cath usque ad Eleazar computantur quatuor. Quod autem secundum Exodum quinta generatione egressi sunt filii Israel de terra, tribus tibi Judæ ordo numeretur. Juda genuit Phares, Phares genuit Esrom, Esrom genuit Aran, Aran genuit Aminadab, Aminadab genuit Naason. Naason genuit Salmon. Phares cum patre suo Iuda ingressus est Ægyptum. Naason principes Juda in deserto descri-

bitur, cujus filius Salmon terram repromissionis introivit. Computa a Phares usque ad Naason, et invenies generationes quinque.

Vers. 18. — *Semini tuo dabo terram hanc a flumine Ægypti usque ad flumen Euphratem.* De quo flumine Ægypti dixit? Non ergo a flumine magno Ægypti, hoc est, Nilo, sed a parvo, quod dividit inter Ægyptum et Palæstinam [Z., dividit Ægypt. et Pal.], ubi est civitas Rhina curura [Rhinnocorura]. Quod vero adjungitur: *Cum sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis, transiens inter media illa, quæ divisa erant*, significat post finem sæculi futurum diem judicii, quando per ignem segregabuntur sanctorum populi et iniquorum.

CAPUT XVI.

Deinde legitur qualiter Abram ad Agar ancillam Ægyptiam ingressus est, et genuit ex ea filium, vocavitque nomem ejus Ismael, de quo dicitur: *Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes*, et reliqua.

Quomodo defenditur Abram adulterii reus non esse, dum vivente legitima uxore conjunctus sit ancillæ suæ? Necdum promulgata erat unius uxoris Evangelica lex. Habebat quoque promissionem a Deo multiplicandi [*Petr.*, multiplicati] seminis sui; sed necdum sciebat ex qua uxore, quia postea dictum ei de Sara habere filium. Nam propterea sic propagandi voluntas pia fuit, quia concumbendi voluntas libidinosa non fuit, etiam et Sarai prolem, quam de se habere nen potuit, de ancilla habere voluit, consentiebat uterque in facto, quia uterque Sarai sterilem esse sciebat. Sed quomodo *manus omnium contra* Ismael, vel *manus ejus contra omnes?* Invenit enim angelus Domini Agar super fontem aquæ in deserto ad fontem in via Assur, quæ per eremum ducit, quando ad Ægyptum ire festinabat, et vocabit nomen ejus Ismael; quia exaudivit Dominus humilitatem ejus. Ismael interpretatur *exauditio Dei. Hic erit ferus homo; manus ejus super omnes, et manus omnium super eum, et contra faciem omnium fratrum suorum habitabit.* Significabat autem semen ejus habitaturum in eremo, id est, Saracenos vagos incertisque sedibus, qui universas gentes quibus desertum ex latere jungitur, incursant, et impugnantur ab omnibus. Potest et in loco Judæorum et hæreticorum e regione Ecclesiæ tabernacula figentium, ferox et vaga infidelitatis incursio intelligi.

Vers. 13. — *Dixitque Agar: Profecto hic vidi posteriora videntis me.* Id est angeli, per quæ intellecta [Z., intelligitur] est incarnatio Domini, sicut et Moysi dictum est: *Posteriora mea videbis.*

Vers. 14. — *Propterea appellavit puteum illum viventis, et videntis*, et reliqua. Hic enim puteus significat gratiam baptismi, sive scientiam Scripturarum. Quicumque enim regenerantur ad vitam, per gratiam baptismatis vivunt et vident gratia Dei

A illustrati. Quidam codice habent, *bibentis et videntis*, quia unusquisque quanto magis sorbuerit scientiam Scripturarum bibendo, tanto magis videt intelligendo.

CAPUT XVII.

Vers. 1-14. — *Dixitque Dominus ad Abram: Ecce testamentum meum tecum, et eris pater multitudinis gentium, et non vocabitur nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham, quia patrem multarum gentium posui te.* Dicunt autem Hebræi quod ex nomine suo Deus, quod apud illos tetragrammum est, id est: *Jot, et he, vau.* [a] e literam Abræ et Saræ addiderat. Dicebatur enim primum *Abram*, quod interpretatur *pater excelsus*, B et postea vocatus est *Abraham, pater multarum:* nam quod *gentium* non habetur, in nomine subauditur. Nec mirandum quare, cum apud Græcos et quosdam *a* littera videatur addita, nos *e* litteram Hebræam additam dixerimus. Idioma enim linguæ est per *e* quidem scribere, sed per *a* legere; sicut e contra per *a* scribere et per *e* legere.

Vers. 15 — *Et dixit Deus Abraham: Sarai, uxor tua, non vocabis eam Sarai, Sara erit nomen ejus.* Erant qui putant primum Saram, per unum *r* scriptum fuisse, et postea ei alterum *r* additum, quia *r* apud Græcos centenarius numerus est. Sari igitur primum vocatum est per sin, res, jod; sublato jod, id est *i* elemento, addita est *e*, C quæ per *a* legitur, et vocata est Sara. Causa autem nominis mutati hæc est, quod antea dicebatur, *princeps mea*, unius tantummodo domus materfamiliæ; postea vero dicitur absolute *princeps*. Sed notandum est quia de vocabulo istius nominis Saræ diversi diverse legunt. Nonnulli Sari prius vocatam, et postmodum Saram dicunt, eo quod per sin, res, et jod, sicut supra descripsimus, beato Hieronymo propalante, apud Hebræos describatur, quasi sine uno *r*, quia non dicit duo res, sed unum; et ide legendum putant Sari, atque post mutationem Saram. Unde existimant, si ita fuerit, antiquam [Z. *om.* antiquam] permansisse consuetudinem in Ecclesia, ut *Sarra* vitio scriptorum unum *r* additum diceretur, quod et in au- D thenticis libris semper ita scriptum reperies. Hinc est etiam quod Sedulus poeta in carmine Paschali ait:

Saucia jam vetulæ marcebant viscera Sarræ.

At vero nonnulli Sarai, sicut in vetustissimis invenies tomis, non tantum Sari pronuntiare contendunt, et addita littera *e*, quæ per *a* legitur, postmodum Saraam nominatam autumant; quia inquiunt, sicut Abrahæ una littera, ita Saræ est altera addita, prout supra ostenditur. Unde siquidem ferunt quod Pater Albinus in Bibliotheca quam Carolo principi correxit, quod nos etiam oculis diligenter inibi inspeximus, emendare curavit, videlicet sine uno *r* Saraam et duo *a*; et in nostris quibusdam voluminibus ita legitur, quod et nos similiter legendum putamus

[a] Forte leg. Jod, He, Vau, He.

Verumtamen prudentis lectoris arbitrio derelinqui- A mus quid horum magis placuerit, quoniam potius alieno sensui cedere quam contentionibus volumus deservire. *Dixitque ad Abraham: Et tu ergo custodies pactum*, et reliqua usquequo ait : *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetur infans octo dierum*. Quare Abraham circumcisionem accepit ? idcirco Abrahæ circumcisio commendata est, ut sub lege esset, sicut et Adam, ne de ligno manducaret, ut probaretur si compleret hoc an non. Credens enim filium se habiturum, per cujus generationem omnibus gentibus benedictio futura esset, et in cujus nepotibus castitatis et sobrietatis unum mansisset exemplar, unde et in ea parte corporis signum fidei accepit, unde filius fidei, non carnis, nasciturus erat, nec B truncata corporis parte deformior, sed fidei in Deum signo gloriosior. igitur pro Deo aliquid perdere lucrum est, non damnum. Ita Abraham fidei suæ signum accipiens, non deformatus est, sed melioratus. Si enim Adam pactum Dei custodisset, non Abraham hoc pactum accepisset. Sed quia ille in hoc membro culpam inobedientiæ primo agnovit, decuit ut iste in hoc membro signum obedientiæ secundo accepisset, ut ostenderetur obedientes quandoque generasse filios ad vitam, dum olim prævaricatores generarunt ad mortem. Unde etiam sciendum est quia religio et ritus circumcisionis, quæ a beato patriarcha sumpsit exordium, multiformis erat et typos gerebat rerum futurarum. Nam erat signaculum fidei Abrahæ et se- C mini ejus, et indicium castigandi eos qui ad hoc semen et hanc fidem pertinerent ab omni inquinamento carnis et spiritus, et prophetia nascituri de hoc semine Salvatoris, qui nos et in præsenti per baptismum ab omni mortiferæ actionis pollutione mundaret, et in futuro per resurrectionem ab universa mortis ipsius corruptione in perpetuum liberaret, et præcipue donum remissionis, quod solveret a peccato prævaricationis Adæ, per hanc id temporis ministrari eidem gratiæ legisque latori complacuit. Qui enim nunc dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III, 3) ipse tunc dicebat : *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum* D *meum irritum fecit*. Non pactum utique circumcisionis, quod non infans, qui discernere necdum valuit, sed majores, qui id servare noverant, poterant, debuerant, irritum fecerunt, verum pactum, quod cum primo homine Deus iniit, omnis qui vel unius diei vitam gessit in terra, prævaricasse convincitur atque ideo remedio salutis aliquo opus habere non ignoratur.

VERS. 16-19. — Deinde sequitur qualiter Abrahæ repromittitur filius, de quo ei dicitur : *Eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem, et risit dicens in corde suo : Putasne, centenario nascetur filius*, et cætera, usquequo ait, *et vocabis nomen ejus Isaac*. Quæritur quomodo dictum sit ad Abraham de filio ejus : Et nationes et reges gentium ex illo erunt ? quia non provenit secundum regna terrena, sed secundum Ecclesiam debet accipi. An propter Esau etiam dicit, quia de eo ad litteram contigit adimpletum ? Sed sciendum est quia non dubitandi animo dixit : *Putasne, centenario nascetur filius*, et reliqua. Non enim hæc verba dubitantis diffidentiam ostendunt, sed admirantis gaudium. Ideo pro gaudio ridentis Abrahæ filius dicebatur Isaac. Nam risus iste in bono accipi debet, ut in Evangelio : *Beati qui lugent nunc quoniam ipsi ridebunt* (*Matth.* V, 5). Isaac enim interpretatur *risus*. Non enim pro risu Saraæ dictus est Isaac, sicut aliqui existimant, sed pro risu Abrahæ, quod et nos probamus. Postquam autem risit Abraham, et vocatus est Isaac, postea et risisse legimus Saraam. Inde est etiam quod in consequentibus Saraam ridentem redarguit Dominus, cum et Abraham riserit, et eum non redarguerit, quia illius videlicet risus admirationis et lætitiæ fuit, Saraæ autem dubitationis et diffidentiæ, quod ab illo dijudicari potuit, qui corda hominum novit. Unde hæc eadem Saraa ridens corripitur, correpta protinus fecundatur, et contra spem ex divina promissione accepit quod habituram se ex humana ratione dubitavit. Cæterum hic notandum est quia in Veteri Testamento quatuor propriis nominibus nominati sunt antequam nascerentur : Ismael videlicet et Isaac, Salomon et Josias, certis quibusdam ex causis, Quoties enim hominibus a Deo vel imponitur nomen, vel mutatur, singularis meriti indicium datur, magnos esse futuros, sicut Abraham, quia pater multarum gentium erat futurus, Abraham est vocatus. Sic Jacob, quia Deum vidit, Israel appellari meruit. Sed Josias rex ob eximiæ virtutis culmen nominatus est a Deo multo antequam natus est. Sic de cæteris sentiendum intellige. Sequitur :

CAPUT XVIII.

VERS. 1, 2.—*Cumque elevasset oculos Abraham, sedens in convalle Mambre, vidit tres viros*. Quibus tribus, sicut uni, locutus est. Unde quæritur, cum tres essent, quomodo singulariter. Dominum appellat dicens : *Domine, si inveni gratiam ante te, ne transeas servum tuum ?* An intelligebat unum ex eis Dominum, et alios angelos, an potius Dominum in angelis sentiens ? Igitur intelligendum est quia in angelis Dominum sentiens, Domino potius quam angelis loqui elegit. Aliquando imaginibus et ante corporeos oculus ad tempus ex aere assumptis per angelos loquitur Deus, sicut nunc Abraham, qui non solum tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere, eorum usibus etiam cibos adhibere. Nisi enim angeli, cum quædam nobis in terra nuntiant, ad tempus in aere corpus assumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent, nec cibos cum Abraham sumerent, nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti elemento gestarent. Nec mirum quod illic ipsi qui suscepti sunt, modo angeli, modo Dominus [Z., dominationes] vocantur, quia angelorum vocabulo exprimuntur qui exterius mi-

nistrabant ; et appellatione Domini ostenditur, qui eis inferius præerat, ut per hoc præsidentis imperium et per illud claresceret officium ministrantium.

Spiritaliter per hos tres viros volunt intelligi quidam Dominum nostrum, et Moysen, et Eliam. Quidam Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sicut in sequentibus legitur : *Cum deduceret eos Abraham, unus remansit cum eo, et duo missi sunt Sodomam.* Unde per unum qui remansit [Z. *addit* cum eo], volunt intelligi Patrem ; per duos qui missi sunt, Filium, Spiritum sanctum, qui frequenter leguntur missi a Patre.

Fervor quoque diei et cursus Abrahæ desiderium sanctorum significat qui desiderabant adventum Christi, sicut Simeon, et multi alii, de quibus Dominus apostolis ait : *Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ videtis,* et reliqua (*Luc.* x, 24). Moraliter, quid per hunc nobis cursum Abrahæ innuitur, nisi quia videlicet ut vir ac dominus domus, spiritalis noster scilicet intellectus debet in cogitatione Trinitatis claustra carnis excedere et quasi habitationis infimæ januam exire ? Cura autem carnis, ut femina, foras non appareat, et videri jactanter erubescat ; ut quasi post tergum viri sub discretione spiritus solis necessariis intenta, nequaquam sciat procaciter detegi, sed verecunde moderari. Cui tamen sæpe cum dicitur ut de se minime præsumat, et totam se in divinæ spei fiduciam transferat, despicit, et cessante studio adesse sibi vitæ subsidia posse diffidit. Unde et hæc eadem Saraa promissiones Dei audiens ridet, sed ridens corripitur, correpta autem protinus fecundatur, et quæ juventute vigens fecundari non potuit, annis fracta senilibus utero marcente [Z., marcescente] concepit. Quia cum cura carnis sui confidentiam habere desiderat, contra spem ex divina promissione accipit quod habituram se ex humana ratione dubitavit. Unde bene Isaac, id est *risus*, dicitur qui generatur, quia dum supernam spei fiduciam concipit, quid mens nostra aliud quam gaudium parit ?

Vers. 10. —*Revertens veniat ad te tempore isto*, et cætera. Id est, revertar ad te in tempore vitæ. Quasi dixerit, humano more loquens : Si vixero, si fuerit vita comitata. Tradunt namque medici nonnulli quod cujus corpus viri secundum hoc cum jam deficit, ut cum femina provectioris ætatis, quamvis adhuc menstrua patiatur, generare non possit, de juvencula potest. Et rursus mulier quæ tam provectæ ætatis est, quamvis adhuc menstrua fluant, et de seniore parere non possit, de juvene potest. Unde movet etiam quosdam quomodo cum esset Abraham prope mediæ ætatis, secundum quam homines tunc vivebant, et postea filios de Cethura fecerit, dicatur ab Apostolo (*Rom.* iv, 19), *corpore emortuo*, et pro miraculo, quia genuit, prædicetur ? Sed secundum hoc emortuum dixit, quod jam de provectioris ætatis muliere generare non posset. Si enim, quod ait Apostolus, corpus emortuum verbo quis promat, quia dixit emortuum, jam ergo nec ani-
A mam habuisse, sed cadaver fuisse intelligi debet.

Vers. 20-26. —*Dixitque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint.* Quis est *clamor* Sodomorum ? vel quid est quod Dominus dixit, *descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint* ? Peccatum cum voce est culpa in actione ; peccatum vero etiam cum clamore est culpa cum libertate et jactantia. Quod autem dixit, *descendam et videbo*, et cætera ejusmodi, omnipotens itaque Dominus, et omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præ-
B sumamus credere quam probare ? Et ecce per angelos ad cognoscenda mala descendit, et mox facinorosos percutit, atque ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptum est : *Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* xii, 18), ille de quo rursum scriptum est : *Dominus patiens est*, cum tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam prætermisit, et diem extremi judicii exspectare ad vindictam noluit, sed eos igne judicii ante diem judicii prævenit ! Ecce malum et quasi cum difficultate credidit, cum audit ; et tunc sine tarditate percussit, cum verum cognoscendo reperit ! Ut nobis videlicet daret exemplum, quia majora crimina et tarde credenda sunt cum audiuntur, et citius punienda cum veraciter agnoscuntur.

C Vers. 27. —*Dixitque Abraham : Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*, et reliqua usquequo ait : *non delebo propter decem.* Quare Abraham se pulverem dixit esse et cinerem, dum tantas promissiones accepit a Deo ? Sublimitatem promissionum humilitatis temperavit subjectione. Aperte enim intelligitur in quo loco se posuerat, qui pulverem se esse ac cinerem etiam dum cum Deo loqueretur, æstimabat. Si igitur se ita despicit, qui usque ad honorem divinæ collocutionis ascendit, sollicita intentione pensandum est qua pœna illi feriendi sint, qui ad summam non proficiunt, et tamen de minimis extolluntur.

Quæri solet utrum quod de Sodomis dixit Deus,
D non se perdere locum, si invenirentur illic vel decem justi, speciali quadam sententia de illa civitate, an de omnibus intelligendum sit generaliter parcere Deum loco in quocunque vel decem justi fuerint ? Non est necesse ut hoc de omni loco accipere compellamur. Verumtamen de Sodomis potuit sic dici ; quia sciebat Deus ibi non esse vel decem, et ideo sic respondebatur Abrahæ, ut significaretur, nec tot ibi posse inveniri, ad exagerationem iniquitatis illorum [Z., inveniri ad excusationem iniq. ill.]. Sed sciendum est quia, quantum ad allegoriam pertinet, per quinquaginta significantur pœnitentes, per quinque quadraginta hi qui per quatuor Evangelia gradiuntur, et per quinque sensus corporis abstinent se a malo et faciunt bonum. Per viginti vero, qui utriusque Testamenti

scientiam atque observantiam habent. Per triginta quoque illi designantur qui in fide consistunt, sanctæ Trinitatis vel in spe futuræ beatitudinis. In denario autem numero, qui sub mysterio sanctæ crucis se humiliter subdunt, et in dilectione Dei et proximi, quæ in Decalogo continetur, perfecti reperiuntur. Sequitur :

CAPUT XIX.

Vers. 1, 2. — *Venerunt duo angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus civitatis*, et cætera. Quare Abraham in tribus viris, si Deum intellexit, vel angelos, et iterum Lot in duobus eos humano cibo vesci putabat? Fortasse prius esse homines arbitrati sunt; in quibus Deum loqui intellexerunt, quibusdam divinæ majestatis existentibus et apparentibus signis, postea fuisse angelos cognoverunt, cum eis videntibus in cœlum issent.

Vers. 3-7. — *Compulit illos oppido ut diverterent ad eum*, et reliqua usque : *vallaverunt domum a puero usque ad senem*. Hinc considerandum est quanta sit virtus hospitalitatis. Ideo angeli quasi hospites coacti domum Lot introisse dicuntur, ut tentata esset charitas Lot, probata et remunerata, ut ostenderetur quantum esset hospitalitatis bonum. Hospitalem vero domum angeli ingressi sunt ad liberandum hospitem suum. Clausis etiam domus hospitibus ignis ingressus est ad perdendos peccatores in eis. Idcirco hospites non sunt evitandi, sed ultro invitandi. Bene enim senes cum pueris cucurrerunt ad scelus, quia scriptum proverbium est ; *Adolescens juxta vias suas, etiam cum senuerit, non recedet ab eis* (*Prov.* xxii, 6).

Vers. 8-9. — *Habeo duas filias quæ necdum cognoverunt virum ; educam eas ad vos, et abutimini eis*, et cætera. Quomodo Lot justus dicatur, si filias suas ad tam nefas scelus tradere voluit, nisi quia scelestius ad comparationem judicavit peccatum quod agitur contra naturam quam quod admittitur naturaliter ?

Vers. 10-18. — *Clauseruntque ostium viri, et eos qui erant foris percusserunt cæcitate*, etc.

Græci habent, *aorosia* [aorasia], quod magis dici potest, *avidentia*, quæ faciat non videre, non omnia, sed quod opus non est. Hac enim aorosia et illi percussi sunt, qui quærebant Eliseum. Moraliter vero, quid est quod, malis adversantibus, intra domum Lot reducitur et munitur, nisi quod justus quisque, dum pravorum insidias sustinet, ad mentem revertitur et imperterritus manet ? Sodomitæ autem viri in domo Lot invenire ostium nequeunt, quia corruptores mentium contra vitam justi nullum accusationis aditum deprehendunt. Percussi enim cæcitate quasi domum circumeunt, qui invidentes facta dictaque perscrutantur. Sed quia eis de vita justi fortis undique ac laudabilis actio obviat, errantes nil aliud quam parietem palpant.

Vers. 19-25. — *Dixitque Lot ad eos : Nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum et moriar. Est civitas hæc, ad quam possum fugere parva, et salvabor in ea*, et reliqua usque quo, *pluit* A *Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem de cœlo a Domino, et subvertit omnem regionem*. Quæritur quare Lot, cum jussus esset ad montem fugere, Segor prætulerit, ut ibi salvaretur, et rursum de Segor ad montem migrasse ? Tradunt Hebræi quod Segor, frequenter terræmotu subruta, Bale primum et postea Salisa appellata sit, timuitque Lot dicens : Si cum cæteræ adhuc urbes starent, ista sæpe subversa est, quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari! Et hanc occasionem infidelitatis etiam in filias coitus dedisse principium. Qui enim cæteras viderat subrui civitates, et hanc stare, seque Dei auxilio abreptum [*Z*., subreptum], utique de eo quod sibi concessum audierat, ambigere non debuit. Si judicium Dei B justum est, quare infantes in Sodomis simul cum parentibus cremati sunt? Ut nimis impium facinus Sodomitarum possit adverti. Peccatum enim eorum advenit usque ad necem filiorum, ne de origine illorum signum aliquod remaneret. Nonne provisum est illis, ne diu viventes exempla sequerentur patrum, et levius in futuro cruciarentur, vel omnino non, in aliena causa occisi? Parentes enim tam pro se quam pro eis rei sunt. Ergo mors filiorum crimen est parentum, et ideo futuri sunt accusatores parentum. Est qualecunque beneficium, reum non esse, qui gloriosus non est. Prodest pauperem non esse, qui rex esse non potest.

Moraliter ardentem Sodomam fugere est illicita carnis incendia declinare. Altitudo vero montium C est munditia continentium. Vel certe quasi in monte sunt, qui etiam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admistionem debitam nulla carnis voluptate solvuntur. In monte quippe stare est fructum propaginis in carne non quærere ; in monte stare est carnaliter non adhærere. Sed quia multi sunt qui scelera quidem carnis deserunt, nec tamen in conjugio positi usus solummodo debiti jura conservent, exiit quidem Lot Sodoma, sed tamen mox ad montana non pervenit, quia jam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo conjugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est vero in medio Segor civitas, quæ fugientem salvet et infirmum ; quia videlicet cum sibi per incontinentiam miscentur conjuges, et lapsus D scelerum fugiunt, et tamen venia salvantur. Quasi parvam quippe civitatem inveniunt, in qua ab ignibus defendantur ; quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira est, sed tamen a suppliciis secura. Unde idem Lot ad angelum dicit : *Est civitas hæc juxta ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea. Nunquid non modica est, et vivet in ea anima mea* ? Juxta igitur dicitur, et tamen ad salutem tuta perhibetur ; quia conjugalis vita nec a mundo longe divisa est, nec tamen a gaudio salutis aliena. Sed tunc in actione hac vitam suam conjuges quasi in parva civitate custodiunt, quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt. Unde et recte per angelum ad eumdem Lot dicitur : *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es*. Quia vi-

delicet cum Deo deprecatio funditur, nequaquam talis conjugii vita damnatur. De qua precatione quoque Paulus admonet, dicens : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* (*I Cor.* VII, 5). Quid in sulphure nisi fetor carnis, et quid per ignem nisi ardor desiderii carnalis exprimitur? Cum ergo habitantium Sodomis vel Gomorrhæ carnis scelera punire Dominus decrevisset, in ipsa qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe fetorem habet, et ignis ardorem. Qui itaque perversa desideria et carnis fetore arserant [*Z.*, fetori adhæserant], dignum fuit ut simul sulphure perirent, quatenus ex justa pœna discerent ex injusto desiderio quod fecissent.

Quare diebus Noe peccatum mundi aqua ulciscitur, hoc vero Sodomitarum igne punitur? Quia illud naturale libidinis cum feminis fuit peccatum, quasi leviori elemento damnatur ; hoc vero contra naturam cum viris libidinis peccatum acrioris elementi vindicatur incendio, et illic terra [*Z.*, illic vero ter.] aquis abluta revirescit, hic flammis cremata, æterna sterilitate arescit.

Quæritur, de cœlo quare vindicta esset super habitatores impios civitatum illarum? Quia clamor peccantium in cœlum ascendisse dicitur, idcirco de cœlo puniendi erant. Cur sulphureo igne puniebantur? Ut putidissimus libidinis ardor putidissimo flammarum ardore puniretur.

VERS. 26-29. — *Respiciensque uxor ejus post se versa est in statuam salis.* Cur autem uxor Lot in statuam salis versa est? Ad condimentum fidelium, quia punitio impii eruditio est justi.

VERS. 30. —*Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte, duæ quoque filiæ cum eo. Timuerat manere in Segor*, usquequo ait, *conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo.* Quo enim consilio filiæ Lot, dum [*Z.*, *om.* dum] concubitum patris petierunt, vel ab incestu purgari possunt, dum hoc scientes fecerunt, ille vero quasi nesciens? Videtur [*Z.* dicunt] namque filias Lot didicisse quædam de consummatione mundi, quæ immineret per ignem, sed tanquam [*Z.*, nec tamen] puellæ intelligere perfecte quæ didicerant, nescierunt quod Sodomitis igne vastatis multum adhuc spatium integrum resideret in mundo. Suspicatæ sunt tale aliquid factum quale in temporibus audierant Noe, et ob reparandam mortalium posteritatem solas se esse cum parente servatas. Recuperandi igitur, humani generis desiderium sumunt, atque restaurandi sæculi ex sese dandum opinantur exordium ; et quamvis grande eis crimen videretur furari concubitum patris, gravior tamen eis videbatur impietas, si humanæ, ut putabant, posteritatis spem servata castitate delerent. Propter hoc ergo consilium ineunt, minori, ut arbitror, culpa, [*Z.*, *addit* argumentoque majore] patris mœstitiam vel rigorem vino molliunt, et resolvunt, singulis ingressæ noctibus, singulæ suscipiunt ab ignorante conceptum; ultra non repetunt [*Z.*, nec ultra rep.] nec requirunt. Ubi hic libidinis culpa? Ubi incesti crimen arguitur? Quo-

A modo dabitur vitio, quod non iteratur in facto? si Lot quasi incestus in hoc facto culpandus est, an non culpandus est quidem in hoc facto Lot, quantum ebrietatis ignorantia meretur? Nam et hanc lex æterna condemnat, quæ cibum et potum non nisi ad salutem corporis sumere mandat. Et hic diligentius intendendum est quantum sit ebrietatis malum, et valde timendum illis quibus hoc malum in usu est non in crimine. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Uritur ille flammis mulierum quem sulphurea flamma non ussit. Erat ergo Lot arte, non voluntate deceptus. Ideo medius quidem inter peccatores et justos, quippe qui ex Abrahæ quidem cognatione descenderat, in Sodomis tamen habitaverat. Nam et hoc, quod evadit ex So-
B domis, sicut Scriptura indicat, magis ad honorem Abrahæ quam ad meritum pertinet Lot.

Fugit itaque Lot a Sodoma, etc. Lot itaque figuram habuisse legis, hujus uxorem illum populum ponimus, qui de Ægypto profectus, et de mari Rubro ac persecutione Pharaonis, tanquam de Sodomiticis ignibus, liberatus, rursum carnes et ollas Ægypti, et cepas cucumerosque desiderans retro respexit, et cecidit in deserto, factusque est etiam concupiscentiæ memoria in eremo. Ibi ergo lex primum illum populum tanquam Lot retro respicientem perdidit, ac reliquit uxorem. Inde veniens Lot habitat *in Segor*, de qua dicit : *Civitas hæc parva, et salvabo animam meam in ipsa.* Ergo quantum ad legem pertinet, civitas pusilla et non pusilla
C dicitur. Civitas enim a conversatione multorum est dicta pro eo quod plurimorum in unum contineat vitas. Hi ergo qui secundum litteram legis vivunt, parvam habent conversationem. Nihil enim grande est sabbata et neomenias, circumcisionem carnis et ciborum distinctiones observare carnaliter, spiritaliter vero intelligentibus non est pusilla, sed magna.

Ascendit ergo Lot post hæc in montem, et habitabat in spelunca, ipse et duæ filiæ ejus. Et lex ascendisse putanda est, quod ei per Hierusalem templum constructum accessit ornatus, cum facta est quidem domus Dei domus orationis ; mali autem habitatores fecerunt eam speluncam latronum. Duas filias Lot evidenter propheta describit dicens Oollam et Oolibam duas sorores esse, et
D esse quidem Oolam Judam, et Oolibam esse Samariam (*Ezech.* XV, 4). Istæ sapientes patrem, et somnum ei inducentes [*Z.*, patrique som. induc.], id est, tegentes et obruentes ejus spiritalem sensum, solam ex eo carnis intelligentiam trahunt, et inde concipiunt, inde generant filios tales quos nec sentit nec agnoscit pater. Talis quoque posteritas non intret in Ecclesiam Dei. *Ammonitæ*, inquit, *et Moabitæ non introibunt in Ecclesiam Domini usque in tertiam et quartam progeniem et usque in sæculum* (*Lev.* XXIII, 3), designans quod carnalis generatio legis non intret in Ecclesiam Christi [*Z.* Dei], nec per tertiam generationem per Trinitatem, nec per quartam per Evangelium, nec in sæculum.

Moraliter vero Lot significat rationabilem sensum, et virilem animum eorum qui arcem contemplationis arripere conantur: uxor autem, quæ retro respicit, carnem concupiscentiis deditam; duæ filiæ ejus, duo principalia vitia superbiam videlicet et vanam gloriam. Observandum est autem forte cum quis effugerit flammam mundi, et incendia carnis evaserit, etiam cum parvam Segor, id est actualem vitam, quæ est civilis supergressus fuerit, et ad altitudinem scientiæ et contemplationis velut ad montem ascenderit, ne insidientur ei duæ filiæ, superbia scilicet et vana gloria; quæ idcirco filiæ dicuntur quia non extrinsecus, se de nobis oriuntur, et in spelunca pectoris insidiantur, ut de nobis dormientibus, neque sentientibus generare possint filios, sensus utique et actus reprobos. Sunt enim nonnulli qui arcem contemplationis arripiunt; sed dum has secundum duas filias ducunt, quodammodo inebriantur ab eis; quia ita mente alienantur a Deo, ut quoscunque filios genuerint, id est, quæcunque opera exercuerint, non per ea in Ecclesiam Domini intrant, sicut Moabitæ et Ammonitæ videlicet neque per tertiam, neque per quartam generationem; quia non enim proderit notitia Trinitatis neque intelligentia evangelicæ prædicationis. Sequitur:

CAPUT XX.

VERS. 1. — *Profectus inde Abraham in terram australem habitavit inter Cades et Sur, et peregrinatus est in Geraris.* Cades solitudo est ubi fons judicii est, et Cades Barne in deserto, quæ conjungitur civitati Petræ in Arabia, ubi occubuit Maria, et Moyses rupe percussa aquam sitienti populo dedit. Monstratur ibidem usque ad præsens, ut beatus Hieronymus ait, sepulcrum Mariæ sororis Aaron. Sed et principes Amalech et Codor Lahomor ibi cæsi sunt et interpretatur *sancta* vel *sanctificans*, et dicta est fons judicii per anticipationem, sicut supra descripsimus, quia postea sic vocatus est locus ille ubi Moyses judicavit populum Domini. *Sur* vero similiter est. *Geraris* vero, sive *Gerara*, ut alibi reperi, ex cujus nomine Gerantia vocatur regio trans Daroma (erat enim, olim terminus Chananæorum ad australem plagam), est civitas metropolis Palestinæ, et fuit Scriptura hic testante inter Cades et Sur, hoc est inter duas solitudines, quarum una Ægypto jungitur, ad quam populus trans fretum Rubri maris pervenit: altera vero Cades usque ad Saracenorum eremum extenditur, ibique peregrinatus est Abraham.

VERS. 2-11. — *Dixitque de Saraa uxore sua: Soror mea est. Misit ergo Abimelech, rex Geraræ, et tulit eam,* et reliqua usquequo ait: *quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande?* Cur Abraham sororem suam secundo esse dixit? Quia ex priori Pharaonis correptione certus de Dei defensione, quod violari non potuit, incertus de sua vita, an illorum evaderet manus. Et miranda est Saraæ pulchritudinis forma, quæ in tantum amari poterat, ut vir suus propter ejus pulchritudinem se periclitari metuebat.

Cur dicit Deus ad Abimelech: *Peperci tibi, ut non peccares in me?* ut adverteretur in Deum peccari quando talia committuntur quæ putant homines leviter habenda tanquam in carne peccata. Cur non mox Abimelech mortuus est, dum dixit ei Deus: Ecce tu morieris? Utique Deus prædixit quod sine dubio futurum fuisset, si in hac admonitione a peccato abstinendo non caveretur.

VERS. 12-15. — *Respondit Abraham: Alias autem vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meæ.* Pater enim, ut nonnulli volunt, pro fratre ponitur. Thara itaque genuit Abraham, et Aran, cujus filia exstitit, Scriptura teste, Saraa. Et ideo dixit, sororem suam esse, sive quia de semine sui patris procreando per filium nata est Saraa, et consuetudo est etiam Scripturarum consobrinos fratres appellari, similiter et sorores. Propterea non immerito ait: *Alias soror mea est.* Et quia fuerunt Abraham et Aran de uno patre, et non de una matre, idcirco subjunxit, *filia patris mei et non filia matris meæ.*

VERS. 16 *seq.* — *Saraæ autem dixit Abimelech: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo; hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt,* et reliqua. Bene ait: *Hoc erit tibi in velamen oculorum,* id est, in verecundia vel in confusione vultus, ad omnes qui tecum sunt. Confusio namque esse poterat tantæ mulieris a viro suo fuisse sublatam. *Et quocunque perrexeris, memento te deprehensam,* subaudi, a me, et subtractam a fratre tuo. Ecce historialiter. Cæterum, spiritaliter, Abimelech qui interpretatur *pater meus rex*, significat sapientes istius mundi, vel regnum terrenum, qui per humanam sapientiam, in quantum eis attributum fuit, cognoverunt Deum Patrem esse ac regem totius creaturæ. Saraa significat Ecclesiam. Abraham quippe, unigenitum Filium Patris, qui frater fieri dignatus est per gratiam. Millenarius autem numerus, perfectionem [Z., persecutionem] fidei sapientium. Argentum vero, scientiam Scripturarum, per quam cognoverunt quod Saraa uxor esset Abrahæ, id est Ecclesia Domino copulata per fidem. Ait enim: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo,* qui Filius Dei est per naturam, cujus tu soror es per gratiam. Congrue dixit, *fratri tuo,* quia sapientes perfectionem suæ fidei velut mille argenteos Domino dederunt, per cognitionem sacrarum videlicet Scripturarum. *In velamento,* inquit, *oculorum tuorum,* id est in protectionem per sanctos videlicet doctores. *Qui ex me,* ac si dixisset aperte, ad fidem transierunt ad te. Ipsi namque sunt usque hodie in protectionem sanctæ Dei Ecclesiæ, maxime qui ex humana sapientia ac sublimitate prodierunt. *Lementoque te esse deprehensam.* Dsprehensam se meminit, quia prius Ecclesia persecuta est, sed intacta permansit. De Abimelech quoque rege Philistinorum moraliter possumus intelligere quod Saraam voluerit

accipere uxorem. Et quomodo Abraham illam sororem suam esse dixerit, vel quod compescuerit Deus Abimelech propter illam. Puto ergo quod Saraa, quæ interpretatur *princeps*, significet virtutem animi. Hæc vero virtus conjuncta est viro sapienti. Denique Dominus dicit : *Quæcunque dixerit tibi, audi vocem illius in omnibus in quibus consilium dederit tibi.* Non vult ergo Abraham virtutem uxorem suam dici ; donec [Z., dum enim] enim virtus cum aliis participari non potest, ne uxor appellari valet. Cum vero ad perfectum venerimus, ut simus idonei et alios docere, non jam virtutem et uxorem intra gremium concludamus, sed ut sororem etiam aliis volentibus copulemus. Unde scriptum est : *Dic sapientiam sororem tuam esse* (*Prov.* VII, 4). Secundum hoc igitur Abraham Saraam sororem suam esse dicebat. Voluit ergo et Pharao aliquando habere Saraam non in corde mundo. Sed virtus nisi cum cordis munditia non potest convenire. Longe autem (aliter) agit Abimelech iste quam Pharao. Unde videtur mihi Abimelech iste formam teneat studiosorum et sapientium mundi, qui philosophiæ operam dantes, licet non integram et perfectam regulam pietatis attigerint, senserunt tamen Deum et regem omnium. Isti ergo, quantum ad moralem philosophiam spectat, etiam purificati cordis operam dedisse comprobantur ; sed hanc non permisit Deus illos contingere. Hæc enim gratia non Abraham, sed per Christum tradi gentibus parabatur. Sanat autem Deus Abimelech, et uxorem illius, et ancillas, quas putamus naturalem philosophiam diversa et varia sectationum commenta. Interea Abraham impertiri cupit donum [Z., domum] cum gentibus divinæ virtutis. Sed nondum est tempus a priori populo transire ad gentes gratiam Dei. Secundum hanc ergo allegoriam Pharao, qui interpretatur *exterminator*, Saraam, id est virtutem, accipere non potuit. Manet ergo apud Abraham virtus, manet in circumcisione, donec tempus veniat ut in Christo Jesu perfecta virtus ad Ecclesiam gentium transiret. Tunc domus Abimelech et ancilla illius pariunt Ecclesiæ filios. Hoc enim tempus, quo sterilis parit, et orante Abraham, hoc est populo, per patriarchias, et prophetas prophetantes. Unde et illic dicitur : *Redde viro suo uxorem quia propheta est, et orabit pro te et vives.* Postea intulit, *orante autem Abraham sanavit Deus Abimelech*, et reliqua.

CAPUT XX.

VERS. 8.— *Fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis filii sui.* Quare in die ablactationis Isaac, et non in die nativitatis vel circumcisionis fecit convivium grande? Ut adverteretur quod nisi ad aliquam spiritalem significationem referatur, nulla solutio quæstionis est. Fecit itaque pater excelsus convivium cum a lacte depellitur Isaac, et fit lætitia magna quia summo doctori de his fit gaudium qui jam lacte non indigent, sed cibo spiritali, qui possibilitate sumendi exercitatos habent sensus, et discretionem boni et mali ; de quibus dicit Isaias : *In foramine aspidis, et in caverna reguli mittet manum suam qui ablactatus est lacte* (*Isa.* XI, 9). Super his autem convivium non potest agi lætitiæ, de quibus dicit Apostolus : *Lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III, 2).

Sed requirendum videtur juxta historiam, post quot annos pueri ablactari soleant. Inter Hebræos autem varia opinio est, asserentibus aliis quinto anno, aliis duodecimo ablactationis tempus impleri, quod apud nos non ita teneri videtur, sed aut tertio, quartove, aliquando autem quinto anno ablactatur. Sequitur :

VERS. 9-13. – *Cum vidisset Saraa filium Ægyptiæ Agar ludentem cum Isaac, dicit ad Abraham : Ejice ancillam hanc, et filium ejus*, et reliqua usque : *quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam.* Quod duobus modis intelligi potest, hoc est : sive quod populus Judæorum copiosus esset in sæculo regnaturus, sive quia cœlestis regni gloriam consecuturi essent qui ex eis credidissent in Christum. Sed libet notare in quo ludo arguit Saraa Ismaël, filium Agar. Dupliciter itaque hoc ab Hebræis exprimitur. Sive quod idolothytum fecit juxta illud quod alibi scriptum est : *Sedit populus comedere et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII, 6). Sive quod adversum Isaac quasi majoris ætatis loco sibi et ludo primogenita vindicaret. Quod quidem Saraa audiens non tulit. Et hoc ex ipsius approbatur sermone dicentis : *Ejice ancillam hanc cum filio suo*, etc.

VERS. 14-20.—*Surrexit itaque Abraham mane, et tollens panem et utrem aquæ, imposuit in scapula ejus*, et reliqua. Si tredecim annorum erat Ismael quando natus est Isaac, adjunctisque ætate ablactationis annis, quomodo convenit tantæ ætatis adolescentem matris sedisse cervicibus dum dicitur : Sumpsit Abraham panes et utrem aquæ, et dedit Agar ponens super humerum ejus, et parvulum, et dimisit eam ? Omnis igitur filius secundum idioma linguæ Hebræorum ad comparationem parentum infans vocatur et parvulus. Et est sensus : posuit ergo Abraham panes et utrem super humerum Agar, et hoc facto dedit puerum matri, hoc est, in manum ejus cum tradidit, commendavit, et ita emisit e domo ; quod in sequentibus declaratur, dum dicitur : *Surge, tolle puerum, et tene manum ejus*, non ut eum de terra velut jacentem tolleret, sed quasi comitem manu teneret. Quod autem manu parentis tenetur, sollicitus monstratus affectus.

Quid est quod dicitur matrem flevisse, et Deum vocem pueri exaudisse ? Quia mater non suam mortem, sed filii deplorabat, pepercitque Deus puero suo, pro quo fuerat fletus matris.

Quomodo ad [Z., quom. autem ad, etc.] puteum Juramenti agrum plantaverat Abraham, si in terra illa, quemadmodum Stephanus dicit, non acceperat hæreditatem nec spatium pedis? Ea est intelligenda hæreditas quam Deus munere suo fuerat daturus gratuito, non in ista quæ pretio empta est. Intelligi-

tur autem spatium circa puteum ad illud emptionis pactum pertinere in quo fuerant agnæ septem datæ, quando Abimelech et Abraham sibi etiam juraverunt.

Vers. 21. — *Habitavitque in deserto Pharan.* Pharan nunc oppidum [Z., Faron oppidum, etc.] trans Arabiam junctum Saracenis, qui in solitudine vagi errant. Per hoc transierunt filii Israelcum de monte Sina castra movissent. Est autem trans Arabiam, ut diximus, contra australem plagam, et distat ab Ælia contra orientem itinere dierum trium. Ibi habitasse Ismaelem dicitur, unde et Ismaelitæ, qui nunc Saraceni dicuntur.

Vers. 22-24. — *Eodem tempore dixit Abimelech, et Fichol princeps exercitus ejus, ad Abraham: Dominus tecum est in universis quæ agis. Jura ergo per Dominum, ne noceas mihi, et posteris meis*, et reliqua, usquequo legitur: *tentavit Deus Abraham.* Per Abimelech regnum vel sapientes hujus mundi, per Fichol philosophi istius sæculi [intelliguntur]. Unde bene Abimelech *pater meus rex*, Fichol autem interpretatur *os omnium*, propter rationalem intelligentiam. quæ logica dicitur, quæ Deum Patrem omnium confitetur, ut est Abimelech; et propter moralem, quæ ethica nominatur, quæ in ore est omnium et ad omnes pertinet, et pro communium similitudine præceptorum in omnium ore versatur, quam designavit iste Fichol. Hi enim veniunt ad Abraham, quia regnum, vel sapientes, seu philosophi istius sæculi per humanam intelligentiam venerunt ad Christum, intelligentes in signis et miraculis Deum esse cum illo in universis quæ ageret. Unde est illud: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (II Cor.* v. 19). Ait quidem: *Jura ergo per Deum ne noceas*, eo quod tandiu permansi in ignorantia atque in infidelitate; *et posteris meis*, permansuris in humana sapientia; *stirpique meæ*, meditandi hanc intelligentiam. *Sed juxta misericordiam quam feci tibi*, id est corpori tuo, quod est Ecclesia, *facies mihi, et terræ in qua versatus es advena;* ut est illud: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (Luc.* IX, 58)

Dixitque Abraham: Ego jurabo; juxta illud: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Matth.* XVI, 16). — *Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi illius;* quia multos ex credentibus coegerunt ad idola declinare.

Responditque Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem. Sed et tu non indicasti mihi. Subaudi, neque per legem, neque per prophetas.

Tulit itaque Abraham oves, videlicet simplices, *et boves*, scilicet doctores, *et dedit Abimelech*, id est sequentibus hujus mundi. *Percusseruntque ambo fœdus.*

Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum, et reliqua. Per septem agnas significantur apostoli, eptiformis Spiritussancti gratia repleti. Sed ideo agnæ dicuntur quia membra Christi pariunt, quos Abimelech, id est regnum. vel sapientia hujus mundi suscepit, testimonium perhibentes quia profunditas sanctarum Scripturarum, sive gratia baptismatis, quæ significatur per puteum, ad Abraham, id est ad Dominum Jesum Christum, pertinent specialiter.

Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterque juravit. Duplex autem [est] causa cur ita appellatus sit, sive quia septem agnas Abimelech de manu Abrahæ acceperit: septem enim dicuntur *Sabee;* sive quod ibi juraverint, quia et juramentum *Sabee* similiter appellatur. Quod si ante hanc causam supra nomen legimus, sciamus per anticipationem dictum esse, sicut et Bethel et Galgala, quæ utique usque ad tempus quo [Z., quod] ita appellatæ sint, aliter vocabantur. Notandum autem, et ex prioribus et ex præsenti loco, quod Isaac non sit natus ad quercum Mambre, sed in Geraris, ubi et Bersabee usque hodie oppidum est. Quæ provincia ante non grande tempus ex divisione præsidum Palestinæ [*Petr.*, Palæstina] *Salutaris* est dicta. Hujus rei Scriptura testis est, quæ ait: *Et habitavit Abraham* in terra Philistinorum.

Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, et reliqua. Nemus arbores sunt umbrosæ et infructuosæ. Habent enim lata et amœna folia, et significat esse quos elegit Dominus ex gentibus, qui erant liberalibus artibus instructi, et quasi per hoc videbantur magni et dilatati, et tamen sine fructu spiritalis intelligentiæ; quos Abraham, scilicet Dominus ac Redemptor noster in Bersabee plantavit, id est sacræ Scripturæ inseruit, per quorum eloquentiæ fecunditatem [Z., facunditatem] eam in superficie verborum adornavit.

CAPUT XXII.

Vers. 1. — *Tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum*, et reliqua, usquequo dicitur, *appellavitque nomen loci illius: Dominus videt.*

Quæri solet quomodo verum sit quod Abraham Deus tentare dicitur: cum Jacobus dicat: *Deus neminem tentat?* (*Jac.* I, 13.) Nisi quia locutione Scripturarum solet dici tentare pro eo quod est *probat.* Tentatio vero illa de qua Jacobus dicit, non intelligitur nisi qua quisque peccator implicatur. Unde Apostolus dicit: *Ne forte tentaverit vos is qui tentat* (*I Thess.* III, 5). Nam et alibi scriptum est: *Tentat vos Dominus, ut sciat si diligatis eum* (*Lev.* XIII, 3). Etiam hoc genere loquendi, *ut sciat*, dictum est, ac si diceretur, ut scire vos faciat: quoniam vires dilectionis suæ hominem latent, nisi experimento etiam eidem innotescant. Igitur Abraham tentatus est ut probaretur, justificaretur, coronaretur; ut et ejus obedientia tali probata examine posteris innotesceret.

Vers. 2. — Quod autem dicit, *super unum montium quem monstravero tibi*, aiunt Hebræi hunc montem esse in quo postea templum conditum est in area Ornam Jebusæi, sicut et in Paralipomenon scriptum est: *Et cœperunt ædificare templum in*

monte Moria (*II Par.* III, 6). Qui ideo *illuminans* A interpretatur et *lucens*, quia ibi est *dabir*, hoc est, oraculum Dei.

Vers. 4. — *Itinere dierum trium*, etc. Notandum quod de Geraris usque ad montem Moria, id est ædem [*Petr.*, sedem] templi, iter dierum trium sit, et consequenter illuc die tertio pervenisse dicatur. Male igitur quidam Abraham putant illo tempore ad quercum habitasse Mambre, cum inde usque ad montem Moria vix unius diei iter plenum sit. Quæritur etiam cur in tentatione Abrahæ dicit Deus: *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac?* nisi ut charitatis admonitione, et nominis recordatione, tentationis pondus accumularetur, et paternus affectus torqueretur ex memoria professionis, dum ante Deus dixit ad eum: *In Isaac* B *vocabitur tibi semen.* Quasi si ille occideretur, tota spes promissionis frustraretur. Et cur non statim licuit ei occidere filium, sed triduana itineris mora eum immolaturus secum duci jussus est? Quatenus longitudine temporis tentationis quoque augeretur incrementum. Nam per triduum iter protenditur, et per totum triduum crescentibus curis paterna viscera cruciantur, ut omni hoc spatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, tot noctibus puer penderet in amplexibus patris, inhæreret pectori, cubitaret in gremio, quatenus per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filii accumularetur.

Vers. 5-14. — Si Abraham indubitante firmo animo cogitabat mactare puerum Domino in holocaustum, quid est quod dixit pueris suis: *Vos ex-* C *pectate hic. Ego et puer, cum adoraverimus, revertemur ad vos?* Igitur et indubitanti animo mactare eum credebat, ideo utrumque laudis est et in constantia offerendi, et in confidere [*Petr.*, in fœdere] suscitandi. Sciebat certissime Deum fallere non posse, et licet puer occideretur, promissionem tamen Dei salvam permanere. Unde ei Paulus apostolus per Spiritum sanctum didicerat quid animi habuisset Abraham intra se, dum fidem ejus laudat, dixit: *Fide Abraham non hæsitavit, cum unicum offerret, in quo acceperat repromissiones qui a mortuis eum resuscitare potest Deus* (*Rom.* IV, 20).

Unde aries iste qui pro Isaac immolatus est, venit? Solet quæri an de terra subito ibi creatus esset, D vel aliunde ab angelo allatus? Aries iste non putativus, sed verus esse credendus est. Ideo magis a doctoribus æstimatur aliunde eum angelum attulisse quam ibi de terra post sex dierum opera Dominum procreasse.

Quare appellavit Abraham nomen loci illius, *Dominus videt?* Nusquam est quod Dominus non videat. Vidit pro apparuit dixit, hoc est, viderit fecit, sicut ibi: *Et nunc cognovi, quia times Deum*, id est feci ut cognoscatur: eo genere locutionis dum per efficientem significatur id quod efficitur, sicut pigrum frigus dicimus, eo quod pigros facit. Illud autem quod dixit: *Unde usque hodie dicitur: Dominus in monte videbit*, exinde apud Hebræos exiit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, homini optant auxilio sublevari, dicunt: *In monte Dominus videbit*, hoc est, sicut Abrahæ miserebitur et nostri. Unde et signum dati arietis solent [*Petr.*, solet] etiamnum cornu clangere.

Vers. 15-19. — *Vocavit autem angelus Domini Abraham secundo de cœlo dicens: Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me.* Nunquid Abraham propter angelum non pepercit suo filio, et non propter Deum? Aut enim angeli nomine, quo Christus significatus est, qui sine dubio Deus est, et manifeste a propheta dictus est *magni consilii angelus*. Aut quia Deus in angelo, et ex persona Dei angelus loquebatur, sicut in prophetis etiam solet. Nam in consequentibus hoc magis videtur apparere, ubi legitur: *Et vocavit angelus Domini Abraham iterum de cœlo: per memetipsum juravi, dicit Dominus.* Quid est quod secundo ad Abraham eadem et non aliæ promissiones fuerunt factæ? Significat duplum semen Abrahæ futurum esse, unum carnale, aliud spiritale. Ideo dixit ei Dominus: *Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, et velut arena maris.* In stellis cœli spiritales, in arena carnales volens [*Z.*, volunt] intelligi. Nam quod ait superius: *Per memetipsum juravi, ait Dominus*, more humano loquitur. Homines enim per majores sui jurant. Deus autem neminem sui majorem habet, et idcirco per semetipsum jurat. Sed jurare Dei est promissiones suas stabiliter firmare. Deinde quod intulit, *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*, spiritaliter intelligitur. Ait enim, *possidebit semen tuum*, id est Christus, vel fideles quique in Ecclesia, quorum tu pater eris per fidem; *portas inimicorum*, id est infernalia loca, quæ destructa fuerunt moriente Domino. Seu *portas possidebit*, id est peccata, per quæ itur ad mortem. Ille enim veraciter possidet portas inimicorum, qui non subjicitur ullis suggestionibus immundorum spirituum. At vero si quis hanc tentationem spiritaliter pleniter edisceere [*Z.*, addiscere] voluerit, jam sæpe præfati viri libellum legere curet. Sequitur.

Vers. 20. — *His itaque gestis nuntiatum est Abraham quod Melcha quoque genuisset filios Nachor, fratri suo*, et reliqua. Cur enim nominavit filios Nachor, fratris Abrahæ? Quia de illis vel de eorum stirpe aliquid celebre postea gestum esse legitur. Igitur Chus, de cujus Job stirpe descendit, scriptum est in exordio voluminis ejus: *Vir fuit in terra Chus, Job nomine.* Male igitur quidam æstimant Job de gente Esau. Secundus natus de Melcha Buzi, ex cujus genere est Balaam ille, divinus, ut Hebræi tradunt, qui in libro Job dicitur Eliu; primum vir sanctus et propheta Dei, postea per inobedientiam et desiderium munerum cæcatus, dum Israel maledicere cupit, divino vocabulo nuncupatus, diciturque in eodem libro: Et iratus Heliu, filius Barachiel, Buzites, de hujus videlicet Buzi radice descendens. Camuel quoque Pater est Damasci, ipsa enim vocatur Aran [*Z.*, Aron], quæ hic pro Syria scri-

pta et ipso nomine legitur in Isaia. Carhet quoque quartus est, a quo Casadei, id est Chaldæi vocati sunt. Batuel, de quo Rebecca, et Laban, pater Liæ et Rachel. A

CAPUT XXIII.

Vers. 1. — *Vixit autem Saraa centum viginti septem annis et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron, ipsa est Mambre.* Quæritur cur una civitas tribus appellata est nominibus; Hebron proprium et antiquum est nomen, et a gigantibus quondam condita est. Sed nonnulli Chebron per *e* et *h* apirationem, sicut cherubin legendum putant, non per solum *e*. Lege interpretationes Hebraicorum nominum beati Hieronymi, et ita reperies quia per *chi* Græcam scribuntur. Est autem hæc B civitatis in campo latitudinis sito ab Ælia, id est Hierosolymis, viginti duobus millibus separata. Arbee vero, quod in quibusdam codicibus Arboc, sive Arbec corrupte legitur, a numero, id est quatuor, nomen habet, videlicet quia ibi quatuor patriarchæ sepulti sunt. Adam magnus, et humani generis pater, ut in Jesu libro apertius demonstratur, et Abraham, Isaac et Jacob. Unde, sicut quidam nostris temporibus Hierosolymis veniens, prodente Beda, moderno doctore, retulit speluncam duplicem, quam emit Abraham, uno ad orientem stadio in valle habens, ubi sepulturæ prædictorum patriarcharum quadrato muro circumdantur, versis capitibus ad aquilonem, et singula singulis tecta lapidibus, instar basilicæ, dolatis; trium C patriarcharum candidis, Adam obscurioris et viliolis operis, qui aud longe ab illis ad borealem extremamque muri illius partem pausat. Trium quoque feminarum minores et viliores memoriæ cernuntur. Mambre namque collis, mille passibus a monumentis his ad boream partem, herbosus valde et floribus, campestrem habens in vertice planitiem, in cujus aquilonari parte quercus Abrahæ duorum hominum altitudinis truncus, æde circumdata est. Sed Mambre civitas ex quodam amicorum Abrahæ sic vocata est. Et hæc est ratio quare tribus vocabulis nominatur.

Deinde legitur qualiter Abraham emit speluncam duplicem ab Ephron Hethæo quadragintis siclis argenti probati et monetæ publicæ, et ibi sepulta est D Saraa. Apud Hebræos enim primum nomen Efron scribitur, secundum Efran, postquam pretio victus est, ut sepulcrum venderet, et accepit argentum, licet cogente Abraham, *vau* littera, quæ apud illos pro *au* [f. o] legitur, ablata de ejus nomine est, et pro Efron appellatus est Efran: significante Scriptura non eum fuisse consummatæ perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Sciant igitur qui sepulcra venditant, et non coguntur ut accipiant pretium sed a nolentibus quoque extorquent, immutare nomen suum, et perire quid de merito eorum, cum etiam ille reprehenditur occulte ex hoc quod invitus acceperit

Sed sciendum est quia spelunca duplex potest significare activam vitam et contemplativam. Abraham vero figuram gessit doctoris. Sicli namque argentei scientiam ostendunt divinorum eloquiorum, videlicet utrorumque Testamentorum Scriptum namque est: *eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* XI, 7). Unde et centenarius quater ductus plenitudinem potest designare utriusque vitæ, quæ per scientiam divina eloquia [Z., divini eloquii] adimplendo emitur. Quæ non immerito probatæ monetæ publicæ dicitur. In moneta publica et imago regis et nomen invenitur, et significat decalogum legis, ubi et cognitio Dei et nomen divinæ majestatis invenitur. Sepelivit itaque Abraham Saraam in sepulcro duplici, quia anima quæ sæculo moritur ut Deo vivat, geminæ vitæ requie suscipitur, id est actione boni operis et contemplatione Divinitatis.

Dicamus et manifestius non nostra inserendo, sed beati papæ Gregorii dicta propalando. Ait enim idem prædicator egregius: Quid nobis per Abrahæ duplex sepulcrum innuitur, nisi quod perfectus quisque prædicator exstinctam a præsentis vitæ desideriis animam suam sub bonæ operationis tegmine et contemplationis abscondit, ut a carnali concupiscentia sub activa contemplativaque vita quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens mortaliter vivebat. Unde et per egregium prædicatorem dicitur: *Mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* III, 3). Activa quippe vita sepulcrum est, quia pravis operibus mortuos tegit. Sed contemplativa perfectius sepelit, quia a cunctis mundi actionibus funditus dividit. Quisquis ergo jam in se contumelias carnis edomuit, superest ut mentem per studia sanctæ operationis exerceat. Et quisquis jam mentem per sancta opera dilatat, superest ut hanc usque ad secreta intimæ contemplationis extendat. Neque enim perfectus prædicator est qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit.

CAPUT XXIV.

Vers. 1. — *Erat autem Abraham senex dierumque multorum.* Ut Salomon ait: *Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV, 8). Et illud: Coram cano capite surge.

Vers. 2 *seq.* — *Dixitque ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Ponam manum tuam sub femore meo, ut adjurem te per Deum cœli et terræ*, et reliqua. Quid vult Deus cœli ad femur Abrahæ, nisi ut cognoscatur sacramentum? Per femur enim genus intelligitur. Ergo quæ fuit illa conjuratio, nisi quia significabatur de genere Abrahæ venturum Christum in carne? Tradunt Hebræi quod in sanctificatione ejus, hoc est circumcisione, juraverit. Sed melius intelligendum est jurare eum in semine Abrahæ, hoc est Christo, quia ipse Dominus Deus cœli in carne venturus est, quæ de illo femore propagata est.

Quomodo servus Abrahæ in petitione signi augurationis vitio culpandus non est? Aliud est enim mirum aliquid petere, quod ipsum miraculum [Z., ipso miraculo] significat; aliud est etiam humanos errores superstitiosa vanitate in auspiciis, augurationibus et divinationibus observare, quæ quædam pacta sunt diabolicæ familiaritatis, et non sine grandi peccato fiunt quando fiunt. Illud igitur superius petitionis genus comprobatio et computatio fidei est ad Deum, hoc posterius infidelitatis conjunctio ad diabolum.

Quod proficiscente Rebecca [a]: *Soror nostra es, crescas in millia millium, et hæreditate obtineat semen tuum portas inimicorum suorum*, num prophetæ fuerunt, quia hoc dixerunt, quod in futuro factum fuerat? Non prophetæ fuerunt, aut vanitate tam magna optaverunt; sed eos [*Suppl.* benedictio] quam promiserat Deus Abrahæ, latere non potuit.

Deinde sequitur qualiter *Isaac egressus fuerat ad meditandum in agrum*. Quæ est exercitatio Isaac, qua se exercere dicitur in campo ad vesperam? Significat autem ista exercitatio orationem secundum illud quod Dominus *orabat in monte*. Etiam Isaac in typo Domini fuit.

Quæ est illa terra Austri, ubi habitabat Isaac revertente servo patris sui cum Rebecca? Terra Austri Gerara significat, unde a patre ad immolandum fuerat adductus.

Quid est theristrum quo se operuit Rebecca? Theristrum autem pallii dicitur genus etiam nunc Arabici vestimenti, quo mulieres provinciæ illius velantur.

Spiritualiter, per Abraham Deus pater significatur: non ut Deus senescat, sed ipsa prophetia de Christo et Ecclesia quasi jam per ætates senuerat. Per Isaac vero Dominus Christus, per servum autem sermo propheticus vel apostolicus. De quo etiam dicitur: *Qui præerat omnibus bonis Domini tui*. Quia apostoli, qui præsules fuerunt omni Ecclesiæ Dei, omnibus virtutibus exstiterunt ditati. Per camelos autem significantur hi qui ex circumcisione crediderunt et doctores et adjutores apostolorum fuerunt. Qui bene decem dicuntur propter Decalogum legis, quanquam prædicatores electi ex gentibus velint quidam intelligi. Sive per camelos motus carnis intelliguntur, ut Paulus ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, etc. (*Rom.* VII, 23). Seu etiam senior servus imaginem habuit legis, per quam sponsa Christi Ecclesia despondebatur, quam ipsa Rebecca significabat. De qua ei dicitur: *Non accipies eam de filiabus Chananæorum*. Chananæi enim interpretantur *commotio eorum*, corda videlicet instabilium. Unde Psalmista: *Non des in commotionem pedes meos* (*Psal.* CXX, 3). De qua etiam subjungitur: *Sin autem noluerit sequi te, non teneberis juramento*. Hoc est quod Dominus ait: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X, 23). Quæ mulier *vespere*, hoc est in sexta ætate, A juxta fontem (subintellige: baptismatis) inventa est ab apostolis, *et deposuit hydriam super ulnam suam*, elatam scilicet facundiam, et inclinavit se ad humilitatem; suscepitque fidei ornamenta: accepit videlicet inaures aureas, Scripturarum quoque sensus, et clarum eloquium argenti. Secuta est servum, id est sanctos prædicatores. Ecce stylo currente prælibavimus. Sed plenius beato papa Gregorio exponente, ut legentibus elucescat, inserere nisi sumus.

Ait enim Abraham: *Pone manum tuam sub femore meo*, et reliqua. Quid est quod Abraham puerum jubet sub femore suo manum ponere, et per cœli Dominum jurare, nisi quod illius caro per illud membrum descensura erat, qui et Abrahæ B filius esset ex humanitate, et Dominus ex divinitate? Sic itaque dicitur puero: Pone manum sub femore meo, et jura per Deum cœli: ac si aperte diceretur: Tange filium meum, et jura per Dominum meum. Unde nec super femur, sed sub femore manum ponere jubetur, quia ex illo femore ille descensurus erat qui homo quidem, sed super omnes homines veniret. Unde dignum non fuit ut manum super femur poneret, quia nulla caro super illam carnem est quam in redemptione nostra sibi Patris Unigenitus univit.

Quid est quod Isaac dilecto filio uxor de filiabus Chananæorum duci prohibetur, nisi quod illi de quo scriptum est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 17), nullæ reprobæ C animæ conjunguntur? De cognatione autem uxorem filio deducere servus præcipitur, quia sola sancta electorum Ecclesiæ unigenito Filio copulanda erat, quam ipse Unigenitus ex prædestinatione jam et præscientia extraneam non habebit.

Quis vero est puer qui ad deducendam uxorem mittitur, nisi prophetarum ordo atque apostolorum, omniumque doctorum, qui dum verbum prædicationis bonis mentibus faciunt, ad unamquamque animam unigenito Filio conjungendam quasi provisores fiunt? Qui *pergens secum de bonis omnibus domini sui* detulit; quia in his quæ de Domino loquuntur, in semetipsis virtutum divitias ostendunt, ut tanto citius ad sequendum Deum pertrahant, quanto auditoribus suis in semetipsis monstrant quæ narrant. Atque isdem D puer juxta fontem stetit, atque ex præfixa sententia quæ puella eligenda esset, proposuit: qui prædicatores sancti sacri eloqui fluenta considerant, atque ex ipsis colligunt quæ vel quibus prædicationis suæ verba committant, et ex quibus auditoribus fiduciam certitudinis assumant. Potum vero petiit, quia prædicator omnis animam sui auditoris sitit. Sed Rebecca potum præbuit, quia sancta electorum Ecclesia prædicatorum suorum desiderio ex virtutis suæ fide satisfecit. Quia enim Deum, quem audivit, confessa est, prædicatori suo aquam refectionis obtulit ejusque animum refrigeravit.

Et notandum quod hydriam ab humero in ulnas posuit, quia illa est placita confessio quæ a bono opere procedit. Vel certe aquam præbuit, quia in eo

[a] Deest hic aliquid in utroque codice.

quod credidit, vacua non remansit. Nam mox prædicare studuit quod audivit, et docendo multos ex se prædicatores protulit. Aqua quippe in hydria est scientia prædicationis in mensura, quia sancta Ecclesia studet non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et hydria aquæ in ulnis est doctrina prædicationis in opere, quæ non solum ejus comitibus, sed potum etiam camelis præbet, quia verbum vitæ non solum prudentibus, sed etiam stultis prædicat, juxta Pauli vocem dicentis : *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I, 14). Vel certe aqua etiam jumentis datur quando cura carnis quomodo sit habenda, disponitur ; ut ex voluptate impendi non debeat, et tamen in necessitatibus non negetur, sicut scriptum est : *Carnis curam ne feceritis in desideriis vestris* (*Rom.* XIII, 14). Qui enim hanc in desideriis fieri prohibet, procul dubio in necessitate concedit, juxta hoc quod rursum dicitur : *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (*Ephes.* II, 30).

Puer autem Rebeccæ inaures et armillas dedit, quia prædicator quisque et auditum sanctæ Ecclesiæ per obedientiam et manus per bonæ operationis meritum exornat. Sed inaures duorum siclorum sunt, armillæ autem siclorum decem, quia prima virtus obedientiæ in charitate est ; quæ videlicet charitas in duobus præceptis distinguitur, ut Deus et proximus diligatur, et recta operatio ex Decalogi completione perficitur, ut cum bona agi cœperint, mala jam nulla perpetrentur. Rebecca autem esse in domo patris sui locum spatiosum ad manendum perhibuit, quia a priori jam populo naturæ legem sancta Ecclesia se scisse monstravit, et prædicatoris verba in amplo charitatis gremio suscepit. Doctori enim spatiosus ad manendum locus est in auditoris corde latitudo bonitatis. Unde et quibusdam dicitur : *Capite nos : neminem læsimus, neminem corrupimus ; non angustiamini in nobis ; angustiamini autem in visceribus vestris* (*II Cor.* VII, 12). Ac si eis aperte diceretur : ad suscipiendam doctrinam spatiosum locum mentis facite, sed ad cogitanda carnalia angusti remanete. Quod palearum ac feni plurimum haberet, indicavit, quia sancta Ecclesia verba vitæ audiens, terrena stipendia prædicatoribus reddidit, quæ dum Paulus quasi pro nihilo acciperet, dixit *Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est si a vobis carnalia metamus ?* (*I Cor.* IX, 11)

Frater autem Rebeccæ erat Laban, qui concite egressus inaures et armillas sororis aspiciens, intus puerum vocavit. Quia sunt carnales qui fidelibus conjuncti, qui dum spiritualium dona aspiciunt in admiratione suspensi, etsi non usque ad opera, tamen in animam usque ad suscipiendam fidem verbum prædicationis admittunt. Quia enim bonos sæpe miraculis fulgere considerant, ea quæ de æternitate audiunt, non recusant, quamvis sanctam electorum Ecclesiam moribus on sequentes in carnali oratione remaneant. Qui Laban paleas, A fenum, aquam, panem obtulit ; sed puer, nisi causam prius conjugii obtineret, accepturum se esse recusavit. Quia sunt plerique qui doctores suos ex temporalibus stipendiis continere parati sunt, sed prædicatores sancti percipere nolunt temporalia nisi prius obtineant æterna. Si enim in manibus factum non inveniunt, sumere stipendia corporibus contemnunt. Nec pedes aqua lavant, quia laborem sui desiderii nulla consolatione levant. Mox vero causam conjugii domini sui puer obtinuit, vasa aurea atque argentea, ac vestes protulit, quas Rebeccæ dedit ; quia doctores sanctæ Ecclesiæ suis tot ornamenta præbent quot virtutum dona docuerunt. Quæ etenim prius inaures et armillas acceperat, jam nunc vasa aurea atque B argentea, ac vestes accipit ; quia sancta Ecclesia, quæ ante per fidem, obedientiam et operationem percepit, excrescens postmodum etiam ad spiritalia dona convalescit, ut prophetiæ spiritu et virtutum gratia repleta, ampliatis jam muneribus discat. Puer vero matri ejus ac fratri dona obtulit ; quia gentilitas, ex quo Ecclesia ad fidem venit, post conversationem ejus in gloria temporali convaluit, sicut et nunc cernimus, quia ubique Christiani afflictionem sentiunt, et gentiles quique in terrena virtute gloriantur. Sed et fratres ejus dona percipiunt, quia hi qui in ea fidem verbotenus tenent, sed tamen professionem suam moribus non sequentes carnaliter vivunt, benigne a fidelibus honorari solent pro eo quod esse fideles videntur. C Mater ergo et fratres dona percipiunt, a sorte tamen hæreditatis alieni;quia sive infideles,seu carnales, qui intra fidei professionem tenentur, ad hæreditatis æternæ sortem nonveniunt,sed tamen supernæ largitatis gloriam temporaliter consequuntur.

Rebecca autem cum puellis suis virum secuta est, quia sancta Ecclesia habet secum minoris meriti animas sodales suas. Nam etsi in quibusdam per ascensum mentis in thoro contemplationis non habitet, quæ videlicet tales animæ quasi puellæ Rebeccæ sunt, quia sequuntur moribus, sed tamen ad contemplationis thorum minime ascendunt. Nam et isdem puer quosdam habuit in comitatu ; quia et cum sanctis prophetis fuerunt quidam qui bene viverent, et prophetiæ spiritum non haberent, et cum beatis apostolis atque doctoribus fuere plerique qui vitam moribus tenerent, at prædicationis verba non promerent. Festinus autem puer ad dominum redit, quia prædicatores sancti cum prædicando vitam audientium obtinent, illi mox gratias reddunt de cujus hoc munere perceperunt, ut sibi in ea operatione nil tribuant, sed Auctori.

Eo autem tempore Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomen est Viventis et Videntis. Quis est vivens et videns, nisi omnipotens Deus, de quo scriptum est : *Vivo ego in æternum, dicit Dominus* ? De quo rursum scriptum est : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV, 13). Puteus vero viventis est sacræ Scripturæ profunditas, quam nobis ad irrigationem mentis

præbuit omnipotens Deus. Quæ est autem via quæ ducit ad puteum viventis et videntis, nisi humilitas passionis Unigeniti, per quam nobis apertum est hoc quod prius latenter Scripturæ sacræ fluenta loquebantur? Nisi enim Unigenitus Dei Filius incarnatus, tentatus, apprehensus, colaphis cæsus, sputis illitus, crucifixus ac mortuus fuisset, nobis hujus putei, id est Scripturæ sacræ, profunditas non pateret. Quid ergo fidelibus humilitas passionis ejus facta est, nisi clavis apertionis per quam mysterium Dei potum invenimus, ut aquam scientiæ de profundo libaremus? Incarnationem quippe, passionem, mortem, resurrectionem atque ascensionem illius sacri eloquii paginæ loquuntur; quæ quia facta cognovimus, jam nunc intelligimus audita. Hæc autem prius legi poterant, sed quia necdum venerat, intelligi non valebant. Unde et per Joannem dicitur: *Vicit leo de tribu Juda aperire librum, et solvere signacula ejus* (*Apoc.* v, 9). Ipse enim librum aperuit et signacula illius solvit, qui nascendo, moriendo, resurgendo atque ad cœlos ascendendo Scripturæ sacræ nobis arcana patefecit. Et notandum quod non dicitur: Ambulabat per viam quæ ducit ad puteum, sed *deambulabat*. Deambulat quippe qui viam per quam ambulat, eundo et redeundo conculcat. In humilitate autem passionis Dominus deambulavit, quia modo a Judæis verborum contumelias, modo contra se falsum testimonium, modo alapas, modo sputa, modo spineam coronam, modo crucem tolerando sustinuit. Deambulasse ergo in humilitate passionis est, tot adversitates et probra diversis modis iterando pertulisse.

Qui Isaac, Rebecca veniente, *in terra australi habitat*; quia unigenitus Dominus ac Redemptor noster, veniente ad se Ecclesia, in illorum mentibus mansit quos ex Judæa editos non torporis frigus, sed fervor charitatis tenuit. Ex illo quippe populo Anna prophetissa, ex illo Simeon exstitit, qui in ulnas Dominum accepit. *Egressus* autem *fuerat ad meditandum in agro*. Quia ager mundus accipitur, ipse per se Dominus exponit dicens: *Ager autem est mundus* (*Matth.* vi, 38). Qui in hoc expressus est, quod visibilis apparere dignatus est, sicut scriptum est: *Existi in salutem populi tui, ut salvos facias christos tuos* (*Habac.* iii, 13). Solent autem exerti juvenes in armorum usum meditari. Isaac ergo ad meditandum in agro exiit, quia Redemptor se sequentibus formam humilitatis præbens per exercitium longanimitatis suæ passionis in se et patientiæ exempla monstravit. Meditatio quippe armorum est frequentia passionum. Qui enim verbera manuum, lanceam, crucem pertulit, passionem suam usque ad mortem in se frequentare permisit. Passiones vero arma dicimus, quia per ipsas ab adversario occulto liberamur, sicut per se ipsum Dominus dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* xxi, 19). Qui ad meditandum in agro inclinata jam die exiit, quia passionum exercitia juxta finem mundi suscepit, sicut per Psalmistam de crucifi-

A xionis, suæ expressione loquitur dicens: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* cxl, 2). Quid est autem quod Rebecca ad Isaac dorso cameli deducitur, nisi quod per Rebeccam, sicut præfati sumus, Ecclesia, et per camelum cui præsedit, tortus moribus atque onustus idolorum cultibus gentilium populus designatur? Qui enim ex semetipsis sibi invenerunt deos quos colerent, quasi a semetipsis eis onus in dorso excreverat quod portarent. Rebecca ergo ad Isaac veniens dorso cameli deducitur, quia ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans in tortis vitiosisque vitæ veteris conversationibus invenitur. Quæ ut Isaac vidit, de camelo descendit, quia sancta Ecclesia quanto Redemptorem suum subtilius agno-
B scit, tanto carnalis vitæ studia humilius deserit, atque in semetipsam tortitudini vitiosæ contradicit. Isaac igitur viso descendit, quia Domino cognito vitia sua gentilitas deseruit, et ab elatione celsitudinis ima humilitatis petiit.

Quid est autem quod Isaac in camelum sedens Rebecca conspexit, nisi quod ad Redemptorem suum Ecclesia ex gentibus veniens, dum adhuc vitiis esset innixa, et necdum spiritalibus sed animalibus motibus inhæreret, accessit? Nec movere debet quod puer quoque cum camelis venerat, in quibus sui domini divitias ferebat. Quia ipsi quoque prædicatores sancti, quamvis jam ad superiora intelligenda atque proferenda et intellectu et vita emicent, adhuc tamen in semetipsis contra-
C dictionem carnis sentiunt. Nam vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivitantem in lege peccati. Et divitias in camelis portant, quia ne magnitudo revelationum extollat eos, datur eis stimulus carnis suæ. Habent enim thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non eis. Qui ergo per carnem cœlestia loquuntur, et tamen adhuc in carne contradictionem de vitio sentiunt, qui aliud quam super tortuosa camelorum dorsa divitias ferunt?

Rebecca vero Isaac viso, quis ille homo sit, requisito puero, cognoscit, quia quotidie sancta Ecclesia adhuc per prophetarum atque apostolorum dicta quid de Redemptore suo credere debeat, intelligit. Quæ sese mox pallio operuit, quia quanto subtilius Salvatoris sui mysteria penetrat, tanto altius de anteacta vita confunditur, et quia perverse egerit verecundatur. Pallio se operire curavit, quia viso Domino infirmitatem suæ actionis erubuit, et illa quæ prius in camelo libere gestabatur, descendens, postea verecundia tegitur. Unde eidem Ecclesiæ a priori elatione conversæ per apostolicam vocem, quasi Rebeccæ de camelo descendenti, sibique pallium superducenti dicitur: *Quem enim fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* (*Rom.* vi, 21.

Quam Isaac in tabernaculo suæ matris introduxit atque uxorem accepit, quia loco Synagogæ Dominus, ex qua per carnem natus est, sanctam Ecclesiam diligit, eamque sibi in amore et contemplatione

conjungit; ut quæ prius proxima ex cognatione, id est cognita per prædestinationem fuerat, postmodum jam conjuncta in amore continuo uxor fiat. Quam in tantum dilexit, ut dolorem qui ex morte matris accesserat, temperaret. Quia ex lucro sanctæ Ecclesiæ Redemptor noster eam quæ ex perditione Synagogæ accidere potuit, tristitiam detersit: dum enim Rebecca conjungitur, dolor de matris morte amputatur. Quia dum sancta Ecclesia ex gentilitate veniens usque ad thorum contemplationis perducitur, Judæa pro nihilo habetur.

Interpretari quoque ipsa eorum nomina curamus. Isaac *risus*, Rebecca autem *patientia* dicitur. Risus vero ex lætitia est, patientia autem de tribulatione. Et quamvis sancta Ecclesia jam cœlestis sit gaudii contemplatione suspensa, habet tamen adhuc quod tristis [*Petr.*, triste] de mortalis carnis pondere toleret. Isaac vero et Rebecca jungitur, id est, risus et patientia permiscetur [Z., miscetur], quia fit in sancta Ecclesia hoc quod scriptum est: *Spe autem gaudentes, in tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12); ut hanc et prospera de contemplatione lætificent, et adhuc adversa de tribulatione perturbent.

CAPUT XXV

VERS. 1-5.— Deinde sequitur qualiter Abraham, mortua Saraa, aliam, videlicet Cethuram, duxerit, uxorem. Cur Abraham post promissum sibi et natum Isaac, in quo ei multiplicatio prolis et benedictio gentium promissa est a Deo, aliam voluit ducere uxorem? Non propter incontinentiam, cum etiam esset grandævus; sed sicut Agar et Ismael significant carnales Veteris Testamenti, sic et Cetura et filii ejus significant hæreticos, qui se existimant pertinere ad Novum Testamentum. Sed utræque concubinæ dicuntur. Sic enim dicitur:

VERS. 6, 7.— *Filiis autem concubinarum largitus est munera.* Sola Saraa semper *uxor* vocatur. Quæ est ista Cethura, aut unde genus duxit? Cethura interpretatur *copulata*, aut *vita*, quam ob causam suspicantur Hebræi eamdem esse Agar, quæ, Saraa mortua, de concubina transiret in uxorem. Et videtur depositi jam Abrahæ excusari ætas, ne senex post mortem uxoris vetulæ novis arguatur nuptiis lascivisse. Fertur quoque quia filii Abrahæ, qui ei de Cethura nati sunt, occupaverunt Arabiam usque ad maris Rubri littora. Dicitur autem unus ex posteris Abrahæ, qui appellabatur Asser, duxisse adversus Libyam exercitum, et ibi victis hostibus consedisse, ejusque posteros ex nomine atavi Africam nuncupasse. Alios quoque filios Abrahæ ex Cethura occupasse Indiæ regiones æstimatur [Z., æstimant].

VERS. 8-25.— Hinc sequitur qualiter Abraham deficiens mortuus est. Quomodo convenit Abrahæ, tam sancto viro, *et deficiens mortuus* est? In Hebræo non habetur, *deficiens*, sed a LXX Interpretibus additum est. Quid est quod *plenus dierum* dicitur? Id est, lucis et diei operibus plenus occubuit.

Quid est quod dicit Scriptura de filiis Ismael: *Habitaverunt ab Evila usque Sur, quæ est contra faciem Ægypti?* Evila est regio quam circuit Phison de paradiso fluens, dicta de quodam Evila, nepote Noe, et est solitudo contra faciem Ægypti. Sur quoque est solitudo inter Cades et Barad, extendens desertum usque ad mare Rubrum et Ægypti confinia.

Quid est quod dicitur de Ismaele quod duodecim generasset principes? Vel duces regionibus, vel tribubus nomina dederunt. Significat quod singuli filiorum Ismaelis e quibus primogenitus ejus fuit Nabejoth, a quo omnis regio ab Euphrate
B usque ad mare Rubrum Nabathena usque hodie dicitur, quæ pars Arabiæ est. Nam et familiæ eorum, oppidaque, et pagi, ac munita castella, et tribus horum appellatione celebrantur. Ab una ex his Cedar in deserto Eoduma, alia regio, et Hemana ad austrum, et Cedema ad orientalem plagam dicitur.

Quid est quod dicitur de Ismaele, *coram omnibus fratribus suis obiit*, vel qui sunt *fratris* nomine censiti? id est, in manibus omnium filiorum suorum mortuus est, superstitibus omnium liberis, et nullo prius morte prærepto. Fratres autem pro filiis appellari, Jacob quoque ad Laban demonstrat dicens: *Ponatur coram fratribus nostris, ut judicent inter nos.* Nec enim legimus alios fratres Jacob ibi habere, exceptis liberis suis.

C Quæritur quo ierit Rebecca *interrogare Dominum, cum parvuli in utero ejus collidebantur?* Forte ad locum ubi aram constituerat Abraham, orare venit, vel etiam erant aliqui tales etiam illo tempore homines Dei, in quibus posset Deus interrogari.

An secundum historiam vel etiam allegoriam intelligendum est, quod Dominus respondit Rebeccæ: *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi ex ventre duo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori?* Secundum utrumque modum. Spiritaliter vero sic solet intelligi quod dictum est, ut Esau figuratus sit major populus Dei, hoc est Israeliticus secundum carnem. Per Jacob autem figuratur Christus in populo Christiano se-
D cundum spiritualem progeniem propagatus. Sed etiam historica proprietate hoc responsum invenitur esse completum, ubi populus Israel, hoc est Jacob minor filius, superavit Idumæos, id est gentem quam propagavit Esau, eosque fecerunt tributarios per David. Sed postea Idumæi rebellaverunt, et jugum Israeliticum a cervice sua deposuerunt.

Sed requirendum est, quid est quod superius dicitur, *Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis*, et reliqua? Ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ab hoc electi ex labore orationis perveniant [*Petr. om.* orationis], quatenus postulando mereantur accipere quod eis omnipotens Deus ante

sæcula disposuit donare. Quod vero ita sit concite valet probari. Certe etenim novimus quia ab Abraham Dominus dixit: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Cui etiam dixerat: *Patrem multarum gentium constitui te.* Cui rursum promisit dicens: *Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris.* Ex qua re aperte constat quia omnipotens Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinaverat. Et tamen scriptum est: *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis. Qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ.* Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur conjugem sterilem accepit? Sed nimirum constat quia prædestinatio precibus impletur, quando is in quo Deus multiplicari semen Abrahæ prædestinaverat, oratione obtinuit ut filios habere potuisset.

Vers. 24.— *Factus est Esau vir gnarus venandi et homo agricola; Jacob autem vir simplex habitavit in tabernaculis.* Vel sicut in alia translatione dicitur, *habitabat domi.* Quid per venationem Esau nisi eorum vita figuratur qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur? Qui etiam agricola esse describitur, quia amatores hujus sæculi tanto magis exteriora incolunt quanto interiora sua inculta derelinquunt. Jacob vero simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur. Quia nimirum omnes qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cognitione atque in conscientiæ suæ habitatione consistunt. In tabernaculis enim aut in domo habitare est se intra mentis secreta restringere, et nequaquam exterius per desideria dissipare; ne, dum ad multa foras inhiant, a seipsis alienati cogitationibus recedant.

Vers. 31-33. — Denique sequitur qualiter Esau primogenita sua propter lentis edulium Jacob vendidit. Quæ sunt primogenita quæ Esau vendidit Jacob fratri suo? Tradunt Hebræi omnes primogenitos fungi officio sacerdotum, antequam Aaron in sacerdotium eligeretur, et habuisse vestimentum sacerdotale, quibus induti victimas offerebant, et hæc esse vestimenta Esau quibus Rebecca induit Jacob filium suum, quorum odore pater delectatus benedictionis initium astruit. Et hæc sunt primogenita quæ propter vitium gulæ perdidit. Sed sciendum est quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit, aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit. Aliquando quælibet sumenda sint, præparari accuratius expetit. Aliquando autem et qualitati ciborum et tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit. Nonnunquam vero et abjectius est quod desiderat, et tamen ipso æstu immensi desiderii deterius peccat. Quæ vitiorum tempora melius ostendimus, si hæc exemplis evidentioribus approbemus. Mortis quippe sententiam patris ore Jonathan meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit, quia despecto manna cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. Et prima filiorum Heli culpa suborta est quod ex eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet. Et cum ad Hierusalem dicitur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ, superbia, saturitas panis et abundantia aquæ* (*Ezech.* XVI, 49), aperte ostenditur quod idcirco salutem perdidit quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Hinc primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno æstu desiderabilem cibum, id est lenticulam concupivit, quam, dum venditis etiam primogenitis prætulit, quo in illa appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde
B et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe, quem diximus, primatum per lenticulam perdidit, et Elias in eremo virtutem corporis carnes edendo servavit. Unde et antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, et primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, et secundum non carne, sed pane tentavit: hinc est quod plerumque Adam culpa committitur, etiam cum abjecta et vilia sumuntur. Neque enim Adam solus, ut a vetito se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit.

CAPUT XXVI.

C Hic interposita [*Petr.*, Hic item posita] est historia. Si viri justi voluntas bona est, quid est quod Isaac non Esau, quem voluit sed Jacob, quem noluit, benedixit?

Justi hominis, quantum ad conscientiam pertinet, voluntas bona est; quantum autem ad præscientiam, immunis est ab adversis: Deus enim solus est qui de futuris judicat. Ac per hoc Isaac justus, quantum ad præsentem humanitatem dignum est, majorem filium a se benedicendum magis putabat. Sed Deus, qui occultorum cognitor est, minorem benedictionem mereri ostendit, ut in benedictione non hominis ostenderet esse benedictionem, sed Dei. Ideo dictum est in Numeris
D ad Moysen et Aaron sacerdotes: *Ponite nomen meum super filios Israel: ego Dominus benedicam eos (Num.* VI, 27). Sacerdotis est benedicere; Dei est effectum tribuere benedictionis. Unde intellexit Isaac per spiritum prophetiæ, a Deo benedictionem super minorem filium prædestinatam.

Dixit: *Benedixi ei, et erit benedictus.* Spiritaliter vero Isaac Judaicum populum designavit, qui caligans oculis et prophetans in præsenti filium non vidit, cui tamen multa in posterum prævidit. Quia nimirum Judaicus populus, prophetiæ spiritu plenus, et cæcus, eum de quo multa in futuro prædixit, in præsenti positum non agnovit. Qui etiam ad damnationis suæ cumulum cum quem natum despiciunt, nasciturum longe ante præsciverunt, sed etiam ubi nasceretur. Nam ab Herode requisiti lo-

cum nativitatis ejus exprimunt, videlicet Bethlehem, ut ipsa eorum scientia et illis fieret ad testimonium damnationis, et nobis ad adjutorium credulitatis.

VERS. 12-16. — *Sevit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.* Licet in aliena terra seminaverit, non puto quod tanta ei fertilitas frugum fuerit. Unde melius puto illud esse quod habetur in Hebræo, et Aquila quoque transtulit : *Et invenit in anno illo centuplum æstimatum.* Tacens enim Scriptura genus frugum quod centuplicaverat, videtur mihi cunctarum in illo virtutum ostendisse multiplicationem. Denique sesequitur : *Et benedixit ei Dominus, et magnificatus est vir, et ambulabat videns, et magnificatus est, donec magnus fieret vehementer.* Fertilitas B autem et multiplicatio hordei, ignoro, si quem possit facere gloriosum. Verum in quibusdam codicibus invenitur : *Seminavit post hæc hordeum, et invenit centuplum.* Quod hordeum seminat, et non frumentum, et tamen benedicitur in eo, et magnus efficitur, apparet quod nondum erat magnus ; sed posteaquam seminavit, et collegit centuplum, tunc factus est magnus valde. Hordeum quippe jumentorum maxime cibus est et servorum. Nam Isaac significat sermonem Dei. Qui sermo in lege hordeum seminat, in Evangeliis triticum. Ille enim cibus perfectioribus et spiritalibus, hic imperitioribus et animalibus paratus est; quia scriptum est : *Homines et jumenta salvos facias, Domine* (*Psal.* XXXV, 7). Et tamen in ipso hordeo C invenit centesimum fructum. Invenis enim in lege martyres, quorum est centesimus fructus. Seminavit hordeum, legem videlicet exponendo, et manifestavit, quod lex spiritalis est. Tunc seminavit triticum, evangelicam videlicet prædicationem. Inde est quod prius quinque millia hominum de quinque panibus, deinde quod quatuor millia de septem panibus saturavit.

VERS. 17-22. — Deinde *venit in valle Geraris, et habitavit ibi.* Pro valle *torrentem* habet in Hebræo. Neque enim Isaac habitare poterat in valle. Habitavit autem in torrente, postquam magnus factus est. De quo scriptum est *De torrente in via bibet* (*Psal.* CIX, 7). De quo etiam Elias bibit. Sed quia Elias non erat perfectus D ut Christus, ideo torrens ille aruit. Dominus vero noster etiam in torrente traditus est, dedicans regenerationem nostram et baptismi sacramentum.

VERS. 23-25. — Porro quibusdam interpositis sequitur historia, quod *ascendit ab illo loco in Bersabee, ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte*, et reliqua usquequo ait : *Ad quem locum cum venissent Abimelech, et Ochoza, amici illius, et Ficol, dux militum*, etc. Et ait: *Ego sum Deus Abraham patris tui.* Ac si diceret : Dum patris tui Deus sum, misericors ero tui sicut et illorum. Cæterum Isaac spiritaliter, Dominus scilicet noster, *extendit tabernaculum*, id est Ecclesiam. *Præcepitque servis suis*, id est apostolis, *ut foderent puteum*, id A est doctrinam apostolicam ; *propriis manibus*, videlicet propriis scriptionibus. Sed quid diversi putei Isaac, quos foderunt pueri ejus, significent, jam sæpe præfati viri liber indicat, si quis nosse gestierit. Sequitur :

VERS. 26-29. — *Ad quem locum cum venisset Abimelech, et Ochoza amici illius, et Ficol, dux militum, locutus est eis Isaac*, et reliqua. Sciendum est autem quod Abimelech iste, quem diximus significare superius philosophos, et studiosos quosque qui per eruditionem philosophiæ multa etiam ex veritate comprehenderunt, non semper habuit pacem cum Isaac, sed aliquando dissidet, aliquando pacem requirit. Neque enim philosophi semper cum verbo Dei consentiunt, nec semper contrarii sunt. Multi enim philosophi unum Deum esse, qui cuncta creaverit, scribunt. Nonnulli etiam hoc addiderunt quod cuncta per Verbum suum fecerit, et Verbum Dei sit quod cuncta moderetur. In hoc cum lege et Evangelio consentiunt. Dissident vero a nobis cum dicunt Deo coæternam materiam esse, cum negant Deum curare mortalia, sed providentiam illius supra lunaris globi spatium cohiberi, cum nascentes stellarum cursibus pendunt. Dissident, cum perpetuum dicunt hunc mundum et nulla fine claudendum. Sunt et alia in quibus dissident et concordant. Et ideo Abimelech secundum hanc figuram aliquando in pace esse cum Isaac, aliquando dissidere describitur. Sed non otiose scribitur quod duo alii cum Abimelech venerint, id est Ochoza, gener ejus et Ficol, dux militum. Interpretatur autem Ochoza *tenens*, et Ficol *os omnium.* Ipse autem Abimelech *pater meus rex.* Qui tres, sicut longe superius ostendimus, imaginem totius philosophiæ tenent, quæ apud eos in tres partes dividitur, logicam, physicam, ethicam, id est rationalem, naturalem et moralem. Rationalis est, quæ Deum Patrem omnium confitetur, ut est Abimelech. Naturalis est illa quæ fixa est, et tenet omnia velut naturæ illius viribus nitens, quam profitetur Ochoza, qui dicitur *tenens.* Moralis est, quæ in ore est omnium, et ad omnes pertinet, et pro communium similitudine præceptorum in omnium ore versatur, quam designat iste Ficol, qui *os omnium* interpretatur. Hi ergo omnes in hujuscemodi institutionibus instituti veniunt ad legem, et dicunt : *Vidimus tecum esse Dominum, et idcirco diximus* : *Sit juramentum inter nos*, et reliqua usque, *sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.*

Possunt quidem isti tres, qui pacem requirunt a verbo Dei, et pervenire cupiunt pacto et societati ejus, figuram tenere trium Magorum, qui ex Orientis partibus veniunt, eruditi paternis libris, et institutione majorum, et dicunt: quia videntes vidimus natum regem, et vidimus, quia Deus est cum illo, et venimus adorare eum. Istiusmodi accedens ad legem Dei necessario dicit : *Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII, 106). Sed dum petunt *ut non facias nobis quidquam mali*, et reliqua, remissionem peccatorum per hæc

[Z., hoc] deposcere videntur, et ne recipiant mala, benedictionem postulant, non retributionem.

Vers. 30. — *Et fecit illis convivium.* Certum est enim quia qui ministrat verbum, sapientibus et insipientibus debitor est.

CAPUT XXVII.

Vers. 42. — *Dixitque Rebecca ad Jacob : Audivi, quod frater tuus Esau minatur occidere te.* Quæritur quomodo annuntiata sunt verba Esau Rebeccæ, quibus comminatus est occidere fratrem suum ; cum Scriptura dicat hoc eum in sua cogitatione dixisse? Nisi quia hic nobis datur intelligere quod divinitus ei [Z., eis] revelabantur omnia.

CAPUT XXVIII.

Vers. 11-19 *passim.* — Inde sequitur qualiter Jacob in itinere dormiens, lapidem capiti suo supposuit, et obdormivit, et vidit scalam a terra cœlo inhærentem, innixum scalæ Dominum, ascendentes quoque et descendentes angelos conspexit. In itinere quippe dormire est in hoc præsentis vitæ transitu a rerum temporalium amore quiescere, et ab appetitu visibilium mentis oculos claudere. Angelos vero ascendentes et descendentes cernere et cives cœlestis patriæ contemplari, vel quanto amore conditori suo super semetipsos inhæreant, vel quanta compassione charitatis nostri infirmitatibus condescendant. Et notandum valde est quod ille dormiens angelos videt et in lapide caput ponit. Quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans, interna penetrat, qui intenta mente, quod principale est hominis, imitationem sui Redemptoris observat. Caput quippe in lapide ponere est mente Christo inhærere.

Quid est quod Jacob dixit : *Terribilis est locus iste. Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli?* Hæc verba ad prophetiam pertinent, quod futurum erat in terra repromissionis Deum verum timere, et colere, tabernaculumque ei fieri, eumque, qui est semper omnia benedictus Deus, pedibus suis ambulare in ea. Portam cœli autem sic intelligere debemus tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum cœlorum.

Cur Jacob oleum fudit super lapidem quem erexit in titulum? Non idololatriæ fecit simile. Non enim vel tunc vel postea frequentavit lapidem adorando aut ei sacrificando ; sed signum fuit in prophetia evidentissima constitutum quæ pertinet ad unctionem. Unde Christi nomen a chrismate est. Prodamus manifestius per singula.

Viditque Dominum Jacob innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac. Terram in qua dormis tibi dabo. Subauditur, in spe, *et semini tuo,* in re. Id est Christo, juxta illud : *Postula a me et dabo tibi gentes* (*Psal.* II, 8). Vel semen illius, apostoli designantur. *Eritque germen tuum,* id est fideles, *sicut pulvis terræ,* præ multitudine [Z., magnitudine] subauditur, *dilataberis ad occidentem, et orientem, et septentrionem, et meridiem.* Quod

A impletum videmus quia in quatuor partibus mundi Ecclesia Christi est dilatata. *Et benedicentur in te,* id est in Christo, quem tu præfiguras ; *et in semine tuo,* hoc est in apostolis *cunctæ tribus terræ,* id est omnes nationes terræ.

Et ero custos tuus, quocunque perrexeris. Quia Deus Pater custodivit eum, vel corpus ipsius, quod est Ecclesia. *Et reducam te in terram hanc*; juxta quod Paulus ait : *Cæcitas ex parte contigit in Israel. Cum autem plenitudo temporis introierit tunc omnis Israel salvus fiet* (*Rom.* XI, 25).

Cumque evigilasset Jacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto. Prophetando dixit, sicut jam manifeste demonstravimus. Quia futurm erat ut Dominus in eadem terra visibiliter appareret.
B *Et ego nesciebam.* Hoc ex persona Judaici populi dixit, qui nescierunt Christum pro salute mundi in terris advenisse. Sequitur :

Appellavitque nomen urbis Bethel. Quæ interpretatur *domus Dei.* Significat Ecclesiam, quæ domus Dei est. *Quæ prius Luza vocabatur,* quæ interpretatur *amygdalum.* Significat Judæam. Sicut amygdalus enim ante omnes arbores folia emittit, ita et Judæa ante omnes gentes notitiam Dei et legis habuit, et quasi fide floruit ; et sicut quidem poma amygdali tria continent in se, hoc est corium, testam et nucleum ; ita sacra Scriptura, quam Judæa plebs percepit, trinam continet in se intelligentiam, id est physicam, ethicam, et logicam, hoc est historialem, allegoricam, et moralem significationem.
C

CAPUT XXIX.

Vers. 1. — *Profectus ergo Jacob,* id est Dominus Jesus Christus, cujus typum tenuit in hoc loco, *ad terram orientalem,* hoc est ad populum Judæorum, qui videbantur notitiam legis et Dei habere, de quo Propheta ait : *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12).

Vers. 2.— *Et vidit puteum in agro.* Profunditatem videlicet Scripturarum in populo Judaico, seu gratiam baptismi, in libris legis et prophetarum præfiguratam. *Tresque greges ovium accubantes juxta eum.* Quia Judaicus populus tripliciter divisus erat, id est in Pharisæis, et Sadducæis, et populo vulgari. *Nam ex illo pecora* adaquabantur.
D Id est Judæi in bonis terræ sperantes, qui dictis Veteris Testamenti instruebantur ; vel patres antiqui, baptismum in libris legis et prophetarum intelligentes [Z., non intel.]. *Et os ejus grandi lapide claudebatur.* Lapis enim Christum, qui occultabatur incredulis, vel duritiam legis, qua spiritalis intelligentia vel gratia Baptismi celabatur, significat.

Vers. 3-6. — *Morisque erat ut cunctis ovibus congregati devolverent lapidem.* Quia cum plenitudo temporis advenit, ut per Unigenitum genus humanum salvaretur, ipse revelare dignatus est, et tunc duritia legis manifestata est. Scriptum namque est : *Tunc aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* XXIV, 45).— *Et refectis gregibus,* hoc est cre-

dentibus fidelibus. *Rursum super os putei ponerent.* Quia gentibus credentibus Judæi in sua infidelitate permanserunt, et neque Christum, neque profunditatem Scripturarum intelligunt.

Vers. 7. — *Dixitque Jacob pastoribus : Adhuc multum tempus diei superest.* Quomodo Dominus ista loquitur prædicatoribus, videlicet, quia multum spatium est amodo usque ad futuram resurrectionem, quod spatium diei non immerito comparatur ; quia modo licet in claritate fidei consistentes bona usque ad finem sæculi operari. Nec tempus est ut ad caulas greges, id est ad mansiones cœlestes, quia prius perfecte fideles instruendi sunt cognitione fidei. Unde et subditur : *Date ante potum ovibus.* Scilicet ac si dicatur : Instruite simpliciter simplices, et sic ad pastum, hoc est ad meditationem Scripturarum, reducite.

Vers. 8. — *Qui responderunt : Non possumus, donec omnia pecora congregentur, et amoveamus lapidem de ore putei ut adaquemus greges.* Bene quidem aiunt : *Non possumus, donec omnia pecora congregentur.* Quia antiqui prædicatores nec profunditatem Scripturarum, nec gratiam baptismi aliis pandere potuerunt, donec adveniret tempus quo omnes gentes per Christum ad profunditatem Scripturarum et ad fontem baptismi aggregarentur.

Vers. 9. — *Adhuc loquebantur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui. Nam gregem ipsa pascebat.* Potest enim per Rachel, quæ *ovis* interpretatur, Ecclesia significari, quæ pavit olim et pascit modo populum catholicum, quæ cum fidelibus venit ad Christum.

Vers. 10. — *Quam cum vidisset Jacob.* Dominus scilicet, verus *supplantator*; *et sciret consobrinam suam.* Ecclesiam videlicet de gentibus collectam, quæ filia exstitit Synagogæ, quæ est soror unici Filii Dei Patris, cujus filia dicitur esse per gratiam. *Oves Laban, avunculi sui*, id est gentilis populi, ex quo processit prius Synagoga Judæorum de qua Dominus carnem assumere dignatus est. Quanquam Laban divinam significet gratiam, cujus oves sunt omnes electi. *Amovit lapidem quo puteus claudebatur*, id est duritiam legis, qua spiritalis intelligentia claudebatur.

Vers. 11. — *Et adaquato grege.* Refecto videlicet populo fideli ex profunditate Scripturarum, seu renato fonte baptismatis. *Osculatus est eam.* Quia postea reconciliatus est Ecclesiam suam. *Elevataque voce flevit*, Flevit, quia misertus est generis humani.

Vers. 12. — *Et indicavit ei quod frater esset patris ejus et filius Rebeccæ.* Bene ait, *et indicavit quod frater esset patris ejus et filius Rebeccæ.* Quia ex stirpe patriarcharum et ex Synagoga Judæorum Dominus incarnari dignatus est : *At illa festinans nuntiavit patri suo.* Quia Ecclesia non exstitit contenta solummodo propria salute, sed gentibus atque sapientibus hujus mundi prædicare studuit.

Vers. 13. — *Qui cum audisset venisse Jacob, fi-*
A *lium sororis suæ cucurrit*, gressibus fidei, et amplexatus est eum brachiis dilectionis, et fidei ; *et inosculatus ens*, videlicet societatem reconciliationis, promeruit et charitatis. *Duxit in domum suam.* Quia hospitium mentis ei præparavit per fidem, ut in ipso habitare dignaretur, juxta quod ipse ait per Prophetam : *Et inhabitabo, inambulabo in eis, eroque eis pater, et ipsi erunt mihi in filios, dicit Dominus* (*II Cor.* VI, 16, 18).

Deinde jam sequitur quatenus Jacob serviendo apud Laban duas accepit uxores, hoc est, primo Liam, secundo Rachel, pro qua servivit septem annis aliis. Sed animadvertendum est quia nunc quidam male æstimant post septem annos alios eam accepit uxorem, sed post septem dies nuptiarum
B primæ uxoris. Nam sequitur : *Et ingressus est ad Rachel, et dilexit Rachel magis quam Liam, et servivit ei septem annis aliis.* Inde sibi accepit Liæ ancillam, nomine Zelfam, et ancillam Rachelis Balam, ex quibus quatuor genuit duodecim filios et unam filiam. De Lia scilicet genuit Ruben, Simeon, Levi, Judam, Isachar, Zabulon ; de Rachel autem Joseph et Benjamin ; de Bala, ancilla Rachelis, Dan et Nepthalim ; de Zelfa, ancilla Liæ, Gad et Aser. Hi sunt duodecim filii Israel patriarchæ.

Sed antequam inde [*Petr.*, in] longius stylum vertamus, libet istorum propter compendium lectionis etymologias nominum pariter dicere, ut compendioso sermone ostendamus legentibus quid in suis vocabulis resonant. Nam ex causis propriis
C nomina propria acceperunt, ut aut futuris quibusdam aut præcedentibus eorum causis conveniant. Verum manente in eis spritali sacramento, nunc prius tantum ad litteran interpretationes historiæ prosequimur, ut postea valeamus manifestius spiritales eorum significationes depromere. Jacob quippe interpretatur *supplantator*, sive quod in ortu plantam nascentis fratris apprehenderit, sive quod postea fratrem arte deceperit. Unde et Esau dixit : *Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me en altera vice.* Lia interpretatur *laboriosa*, utique generando. Plures enim dolores quam Rachel fecunditate pariendi experta est. Rachel interpretatur *ovis*. Pro ea enim Jacob pavit primum oves Laban.

D Vers. 20. — *Et videbantur ei pauci dies.* Quid est hoc, cum magis breve tempus longum esse soleat amantibus ? Sed dictum est propter laborem servitutis, quem facilem et levem amor faciebat.

Ruben, *videns filium*, vel *filius visionis*. Sic enim, quando eum peperit Lia, vocavit nomen ejus Ruben dicens : *Vidit Deus humilitatem meam.* Simeon *auditio* vel *exauditus*. Sic enim dixit Lia quando eum peperit : *Quia exaudivit me Deus.* Nonnulli enim interpretantur *audivit tristitiam*, vel nomen habitaculi quod spiritaliter congruit. Levi *additus*, vel *assumptus*. Dixit enim Lia quando eum genuit non ambigens de amore viri : *Nunc mecum erit vir meus, quia peperi ei tres filios.* Juda *confessio* dicitur : quando enim peperit eum Lia, laudem, Domino re-

tulit, dicens : *Nunc super hoc confitebor Domino.* Et ob id vocatus est Juda. A confessione itaque nomen ejus est dictum, quod est gratiarum actio. Isachar interpretatus est *merces. Is* quippe dicitur : *est merces.* Hoc autem ideo, quia mandragoris filii Ruben introitum viri, qui Racheli debebatur, ad se emerat Lia. Unde et dum natus est, Lia dixit : *Dedit Deus mercedam meam.* Zabulon interpretatur *habitaculum.* Sextum enim hunc filium genuerat Lia. Propterea jam secura dixit : *Habitabit mecum vir meus. Unde et filius ejus vocatus est* habitaculum. Nephthalim *e conversione,* sive *comparatione* causa nominis ejus est. Unde et dixit Rachel, cum eum peperisset ancilla ejus Bala : *Habitare me facit Deus habitatione cum sorore mea.* Dan interpretatur *judicium.* Bala enim, dum eum peperisset, dixit Rachel, domina ejus *Judicavit Dominus et exaudiens dedit mihi filium,* causam nominis ejus expressit, ut ab eo quod judicasset Dominus, filio ancillæ judicii nomen imponeret. Gad ab eventu sive procinctu vocatus est. Quando enim peperit eum Zelfa, dixit domina ejus Lia : In fortuna, id est quod dicitur in procinctu, vel eventu, et ut apertius dicatur, interpretatur *tentatio* vel *accinctus.* Aser *beatus* dicitur. Dum enim peperisset eum Zelfa, dixit Lia : Beata ego et beatificant me mulieres, et ab eo quod beata dicatur, ex etymologia nominis *beatum* vocavit. Joseph ab eo quod sibi alium addi mater optaverat, vocavit *augmentum.* Hinc Pharao Saphaneth Ægyptio sermone appellavit, quod Hebraice *absconditorum repertorem* sonat, pro eo quod obscura somnia revelavit et sterilitatem prædixit. Tamen quia hoc nomen ab Ægyptio ponitur, ipsius linguæ debet habere rationem. Interpretatur enim Saphaneth Ægyptio sermone *salvator mundi,* eo quod orbem terræ ab imminenti famis excidio liberavit. Benjamin interpretatur *filius dexteræ,* quod est virtutis. Dextera enim appellatur *Iamin.* Mater quippe ejus moriens vocavit nomen ejus *Benoni,* id est *filius doloris mei.* Pater hoc mutavit, filium dexteræ nominans. Dina transfertur in *causam.* Jurgii enim in Sicimis causa exstitit.

Verumtatam Jacob spiritaliter significat Dominum ac Redemptorem nostrum, vel perfectos viros qui, omnia desiderantes, volunt quieti vevere in vita contemplationis. Rachel vero, vitam contemplativam ; Lia autem, activam. Laban quippe qui interpretatur *dealbatio,* gratia Dei omnipotentis, per quam fit remissio peccatorum, cui serviunt perfecti viri ob vitam contemplativam. Quod si libitum tibi fuerit, lector, plenius nosse, beati papæ Gregorii summi prædicatoris, et Isidori strenui doctoris dicta vigilanti cura perlustra, quæ præ angustia nos temporis inserere non libuit. Quanquam victorinus martyr aliique doctores, super Synagoga, et Ecclesia intelligi velint has duas uxores Jacob. Lia, inquiunt, major natu, typum tenuit Synagogæ, quia prior Dei [Z., pridie] genuit populum. Et quid est quod oculis legitur gravida [F., gravata], nisi quia lex per

A Moysen data cooperta est atque signata? Quod autem in nocte conjungitur Jacob, significat ipsam Synagogam Deo conjunctam in tenebris litteræ [Z., latere]. Turba vero amicorum ipsius designat turbam patriarcharum et prophetarum, ut quibusdam videtur. Rachel autem, junior et pulchra, prius sterilis est, postmodum fecunda, similitudo est Ecclesiæ. *Junior,* quia tempore posterior. *Pulchra,* quia corpore et spiritu sancta. Oculi ejus decori, quia Evangelium perspicere meruerunt. Quæ etiam tandiu sterilis fuit, quousque Synagoga populum generabat. Quæ in die copulata est Jacob, quia Ecclesia gentium in die Novi Testamenti sociatur Christo. Ad cujus etiam nuptias turhæ amicorum conveniunt, quia per sanctos B apostolos, qui sunt amici ipsius, Ecclesia incorporatur Domino. Habuit etiam ancillas earum Jacob, et ex eis genuit filios, quia sunt in utroque populo docentes carnales, atque in vita veteris hominis permanentes, quorum prædicatione filii Domino generantur. Unde Bala interpretatur *inveterata,* illos demonstrans qui carnalibus sensibus dediti, tamen spiritalia etiam de ipsa incommutabilis substantia Divinitatis annuntiant. Zelfa vero, quæ interpretatur *os hians,* illos figurat quorum prædicatione os aperitur et cor non sequitur ; de qualibus scriptum est : *Populus hic labiis me honorat ; cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* xv, 8). Et alibi : *Quæ dicunt, facite : quæ autem faciunt facere nolite* (*Matth.* xxiii, 2).

C Cur autem Jacob pro Rachel servit, et supponitur Lia, nisi quia Dominus, ut Ecclesiam assumeret prius Synagogam sibi conjunxit ? Sed videamus quales fili nascuntur. Ex Lia namque nascuntur Ruben, Simeon et Levi, et reliqua. Ruben, qui interpretatur *videns filium,* significat perfectum doctorem ex synagoga Judæorum in fide nascentem. Qui bene *videns filium* [dicitur]. In filiis opera designari Psalmista testatur, qui in beati viri benedictionibus inter cætera dicit : *Filii tui sicut novellæ olivarum* (*Psal.* cxxvii, 4). Et infra : *Et videas filios filiorum tuorum* (*Ibid., vers.* 7). Non enim qui timet Dominum, nisi genuerit filios nepotesque susceperit, beatus esse non potest, cum virgini fideli potior merces exspectat. Sed in filiis, D ut diximus, opera, in filiis vero filiorum fructus operum, id est mercedem designat æternam. Denique iste Ruben egressus tempore messis triticeæ in agrum reperit mandragoras, quas matri Liæ attulit, et reliqua. Significat sanctos apostolos cæterosque prædicatores, qui possunt in agrum prædicationis exire, et ad publicum procedere, verbumque annuntiare, operibusque adimplere, et prolem spiritalem gignere. Possumus per agrum etiam libros legis prophetarumque præconia ; per mandragoras vero, quæ bonum habent odorem, sed insipidum saporem, Dominum Jesum Christum intelligere, habentem bonum odorem apud eos qui crediderunt in eum, insipidum apud illos qui in infidelitate permanserunt et qui prave de illo senserunt, juxta quod scriptum est : *Altii dice-*

bant: Bonus est; alii vero, Non, sed seducit turbas (*Joan.* VII, 12). Sed bene tempore messis triticeæ exiit, quia eo tempore destinati fuerunt ad prædicandum, quando jam tempus erat ut populus colligeretur ad fidem, secundum quod de eis dicitur: *Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad metendum* (*Joan.* IV, 35). Ipse attulit Liæ matri, quia Dominum prius prædicaverunt Synagogæ matri. Sed per Liam pervenit ad Rachel, quia per primitivam Ecclesiam pervenit ad Ecclesiam gentium Christus.

Deinde sequitur Simeon. Simeon vero, qui interpretatur *audivit tristitiam* vel *nomen habitaculi*, ut quibusdam videtur, illos significat qui hic studiose laborant, et tristantur pro suis aliorumque delictis, audiuntque quidquid eis pœnitendo prædicatur. Unde bene *audivit tristitiam* vel nomen *habitaculi* dicitur, ut etiam hujus qualitate vocabuli evidentius inculcaret et quid hic habendum et quid sit salubriter exspectandum. Illis enim cœlestis habitaculi gaudium dabitur, quorum hic animus fructuosa pœnitentia contristatur, quibus et dicitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* XVI, 20).

Levi proinde Simeoni succedit, id est *additus*. In quo intelligimus sive eos qui temporalibus æterna mercantur, sicut Salomon dicit: *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ ejus* (*Prov.* XIII, 8); seu illos qui Dei sequendo consilium percipiunt in hoc sæculo centuplicia cum tribulationibus, in futuro autem sæculo vitam æternam. His etiam quod scriptum est convenit: *Qui addit scientiam, addit laborem* (*Eccl.* I, 18). Nam et sancto Jacob ad hoc tribulationum acerbitas addebatur ut probato præmiorum merces amplior redderetur.

Judas. Judas enim, qui interpretatur *confessio* vel *laudatio*, illos significat qui in vera confessione fidei perseverant, et laudes gratiarum Domino rependunt. Sive illos qui delicta sua veraciter confitentur, quia sine confessione malorum, culmen bonorum nullus apprehendit, et nisi per confessionem renuntiemus actibus malis, non informamur rectis.

Isachar. Isachar interpretatur *merces*. Significat illos qui tentationes præsentis vitæ, patientia fulti, solummodo pro superna mercede libentissime tolerant, et futuræ mercedis contemplatione firmantur, quia sciunt juxta Apostolum, *Quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in eis* (*Rom.* VIII, 18). Fructuosius quippe pugnatur, ubi merces speratur.

Dan. Dan interpretatur *judicium*. Eximios videtur atque summos sui interpretatione nominis significat, qui spiritualiter conversantes sciunt judicare omnia, juxta quod Paulus ait: *Spiritalis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II, 15).

Zabulon. Zabulon interpretatur *habitaculum fortitudinis*. Illos designat qui pro Christo animas suas ponunt, in quibus Dominus hæc, quæ superius diximus, operatur et perficit; videlicet quando virtus in infirmitate perficitur, ut corpus quod ab inimicis putatur infirmum, et per cujus materiam animo quoque inferre nituntur interitum, Deo confortante experiatur invictum.

Nephthalim, qui interpretatur *latitudo*, illos signat qui dilatati sunt largis operibus misericordiæ, atque dilatato corde ad cœlestia tendunt, et carnis curam non in desideriis, sed sola necessitate requirunt, sicut Apostolus ait: *Et carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14).

Gad. Gad interpretatur *tentatio* vel *accinctus*. Significat eos qui in exercitio tentationum sunt fortes; qui postquam bona inchoant, majoribus tentationibus necesse est ut probentur, atque ab bella graviora accingantur, ut fide illorum fortitudo comprobetur, dicente Salomone: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Itemque Psalmista: *Præcinxisti me*, inquit, *ad bellum* (*Psal.* XVII, 40).

Et quoniam beatificamus eos qui sustinuerunt sufferentiam. Aser: Aser interpretatur *beatus*, illos præfigurat qui tentationes patienter sufferunt, securi de promissione cœlestis præmii ac felices de victoria certaminum. Unde post Gad Aser, id est *beatus*, congruo satis ordine ponitur. *Beatus vir qui suffert tentationes, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* (*Jac.* I, 3). Quia hujus beatitudinis fida promissione patientes non angustatur; sed spe gaudentes, in tribulatione patientes cum Psalmographo decantant: *In tribulatione dilatasti me* (*Psal.* IV, 1). Et item: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum* (*Psal.* CXVIII, 32).

Joseph. Joseph interpretatur *augmentum* vel *addens*. Significat illos qui pro augmento spiritualis substantiæ virtutumque student. Unde et augmento felici succedente gratiarum dona tribuuntur eis, et insuper additur gloria cœlestis muneris, quia super præcepta Dei aliquid amplius vel in virginitate vel ex facultatum suarum quantitate offerunt.

Benjamin. Benjamin interpretatur *filius dexteræ* illos demonstrans qui omnia sua ideo faciunt ut ad dexteram judicis statuantur. Et bene extremo Benjamin ponitur loco; quia cum novissima inimica mors destructur, felicitas hæreditatis æternæ donabitur electis; sive unusquisque fidelium filius dexteræ jure dicatur, seu omnis cœtus Ecclesiæ, de qua canimus: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate* (*Psal.* XLIV, 10). Et hæc videlicet Ecclesia, ex utroque populo collecta, tanquam duæ uxores Jacob parit hos filios, et pro his deservit Jacob septem annis. Servitus itaque Jacob septem annorum pro duabus uxoribus, hujus vitæ præsentis tempus significat, qui per septem dies volvitur, in quo Dominus formam servi accepit, factus obediens paternæ voluntati usque ad mortem. Ille enim pro ovibus servit; et Dominus noster ait: *Non venit Filius hominis ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX, 28). Ille oves pavit [Z., pascit]; et Dominus in Evangelio dicit: *Ego sum pastor bo-*

nus (*Joan.* XI, 14). Ille mercedis lucro varium sibi pecus abstulit Christus diversarum gentium varietatem sibimet congregavit. Ille tres virgas amputatis corticibus in alveis aquarum apposuit, ut earum contemplatione multiplicarentur ejus oves; et Dominus noster in aqua baptismatis trium personarum nomina, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, populo fideli proposuit, ut quisque hoc pleno corde perspexerit, efficiatur opus Dei.

Aliter. Quid est enim virgas virides amygdalinas atque ex platanis ante gregum oculos ponere, nisi per Scripturæ seriem antiquorum patrum vitas atque sententias in exemplum populis præbere? Quæ nimirum, quia juxta rationis examen rectæ sunt, virgæ nominantur. Quibus ex parte corticem subtrahit, ut in his quæ exspoliantur intimus candor appareat. Et ex parte corticem servat, ut sicut fuerant exterius, in viriditate permaneant. Variusque virgarum color efficitur, dum cortex ex parte substrahitur, ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostræ oculos præcedentium patrum sententiæ quasi virgæ variæ ponuntur. In quibus, dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus; et dum plerumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem reservamus. Dumque ab ipsis cortex litteræ subducitur, allegoriæ candor interior demonstratur; et dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia exempla monstrantur. Quas bene Jacob in aquæ canalibus posuit, quia et Redemptor noster in libris eas sacræ scientiæ, quibus nos intrinsecus infundimur, fixit. Has aspicientes arietes cum ovibus coeunt, quia rationales nostri spiritus, dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscentur, ut tales fetus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident, et diversum colorem prolis boni operis habeat; quia et nonnunquam subtracta litteræ cortice acutius interna considerat, ut reservato nonnunquam historiæ tegmine, bene se in exterioribus format.

Verumtamen requirendum est juxta historiam quomodo pro aspectu virgarum variarum varii pecorum fetus nascebantur. Observabat ergo Jacob tempore quo ascendebantur et pecora, post calorem diei ad potandum avida pergebant. Discolores virgas ponebat in canalibus, et admissis arietibus et hircis et ipsa potandi aviditate, oves et capras faciebat ascendi, et ex duplici desiderio dum avide bibunt et ascenduntur a maribus, tales fetus conciperent quales umbras arietum et hircorum desuper ascendentium in aquarum specula contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis varius erat etiam imaginum color. Nec mirum hanc in conceptu feminarum esse naturam, ut, quales perrexerint [*F.*, perspexerint], sive mente conceperint in extremo voluptatis æstu, quo concipiunt, talem sobolem procreent, cum hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri; et Quintilianus in ea controversia in qua accusabatur matrona quod Æthiopem peperit, pro defensione illius argumentetur hanc conceptus esse naturam quam supra diximus. Et multa dicuntur similiter fieri in animalium fetibus. Sed et mulieri accidisse traditur, et scriptum reperitur in libris antiquissimi et peritissimi medici Hippocratis quod suspicione adulterii fuerat punienda, cum pulcherrimum peperisset utrique parenti generique dissimilem, nisi memoratus medicus solvisset quæstionem, illis admonitis quærere ne forte aliqua talis pictura esset in cubiculo, qua inventa mulier a suspicione liberata est.

VERS. 42.— Quare Jacob primi temporis sua esse voluit, et serotina Laban? Vel cur hac arte sua non magis omnia esse fecisset? Jacob, prudens et callidus, justitiam et æquitatem etiam in nova arte servabat. Si enim omnes agnos et hædos varios pecora procreassent, erat aliqua suspicio doli, et aperte huic rei Laban invidus contraisset. Ergo ita omnia temperavit ut ipse fructum sui laboris acciperet, et Laban non penitus spoliaretur; si quando oves et capræ primo tempore ascendebantur: quia melior vernus est fetus, ante ipsas ponebat virgas, ut varia soboles nasceretur. Quæcunque oves et capræ sero quærebant marem, ante harum oculos non ponebat, ut unius coloris pecora nascerentur, et quidquid primum nascebatur, suum erat, quia discolor et varium erat, et quidquid postea, Laban; unius enim tam in nigro quam in albo coloris pecus oriebatur.

Cur nec Jacob fraudis in hoc facto arguendus est? Per hoc cogit inquiri prophetiam et aliquam figuratam significationem res ista, quanquam sine dubio ut propheta fecit Jacob. Non enim tale aliquid nisi revelatione spiritali eum fecisse credendum est.

Quomodo sexdecim vicibus dicit Jacob socero suo mutasse eum mercedem suam? Hic est enim sensus quod per singulos fetus semper Laban conditionem mutaverit. Si videbat varium nasci pecus, post fetum dicebat: Volo ut in futurum mihi varia nascantur. Rursum cum vidisset unius coloris nasci pecora (Jacob quippe hoc audito virgas in canalibus non ponebat), dicebat, ut futuros fetus unius coloris sibi pecora procrearent. Et quid plura? Usque ad vices decem semper a Laban pecoris sui Jacob mutata conditio, et quodcunque sibi proposuerat ut nasceretur, in colorem contrarium vertebatur. Ne quis autem in sex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege Virgilium, in quo dicitur: *Bis gravidæ pecudes.* Naturam autem Italicarum ovium et Mesopotamiæ una esse perhibetur.

Spiritaliter vero Laban, qui separavit, sicut superius legitur, capras et oves, hircos et arietes varios atque maculosos, cunctum autem gregem tradidit in manus filiorum suorum, significat Judaicum populum. Unde et Laban *dealbatio* interpretatur; quia idem populus dealbatus siquidem est apud semetipsum per hypocrisin et simulationem. Laban accepit alba et nigra, quia populus Judæorum albus quidem est apud semetipsum, ut diximus, hypocrisi, sed niger multitudine peccatorum. Filii vel pastores

Laban significant Pharisæos et Sadducæos, qui videbantur præesse populo Judæorum, quasi ovibus. Jacob quippe typum tenuit Salvatoris. Spatium vero trium dierum inter eos significat, quia fide sanctæ Trinitatis, seu in cogitione, locutione, et opere peccaverunt contra Dominum. Sequitur :

CAPUT XXXI.

Vers. 19. — *Eodem tempore Laban ierat ad tondendas oves, et Rachel furata est idola patris sui.* Ubi nunc *idola* legimus, in Hebræo *theraphim* scriptum est, quæ Aquila *figuras*, vel *imagines* interpretatur. Hoc autem ideo ut sciamus quid in Judicum libro (*Jud.* xvii et xviii) *theraphim* sonet, diximus.

Vers. 25. — *Jamque Jacob extenderat in monte Galaad tabernaculum.* Non quod eo tempore Galaad mons diceretur, sed per anticipationem, ut frequenter diximus, illo vocatur nomine quo postea nuncupatus est.

Vers. 45, 46. — *Tulit itaque Jacob lapidem, et erexit illum in titulum, dixitque fratribus suis : Afferte lapides*, et reliqua. Quæritur quare constituit Jacob lapidem super titulum? Sed diligenter advertendum [*Z.*, animadvertendum] est quod istos titulos in rei cujusque testimonio constituebant, non ut eos pro diis colerent, sed ut eis aliquid significarent.

Vers. 47. — *Quem vocavit Laban : Tumulus testis, et Jacob, Acervum testimonii, uterque juxta proprietatem linguæ suæ.* Acervus lingua Hebræa *gal* dicitur, *aad* vero testimonium. Rursum lingua Syra acervus *igar* appellatur, testimonii, *sedutha*. Jacob igitur acervum testimonii, hoc est *Galaad* lingua Hebræa appellavit ; Laban vero idipsum, hoc est acervum testimonii, *igar sedutha* gentis suæ sermone vocavit. Erat enim Syrus, et antiquam linguam parentum provinciæ in qua habitabat, sermone non mutaverat.

Vers. 53. — *Juravit Jacob per timorem patris sui Isaac.* Quid est quod juravit per timorem patris sui Isaac ? Per Deum utique, quem timebat Isaac pater ejus jurare intelligitur, quem timorem etiam superius commendavit cum diceret : *Deus patris mei Abrahæ, et timor patris mei Isaac.*

CAPUT XXXII.

Vers. 1-10. — *Fueruntque ei obviam angeli Dei : quos cum vidisset, ait : Castra Dei sunt hæc.* Nulla dubitatio est quod angelorum fuerat multitudo ; ea quippe in Scripturis *militia cœli* nominari solet.

Vers. 11. — *Dixitque Jacob ad Dominum : Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* Quæri solet quomodo fidem habuerit Jacob, quandoquidem tantum timuit Esau fratrem suum? Satis enim in verbis ejusdem Jacob, quæ sequuntur, et humana infirmitas et fides pietatis apparet ; ut et Deus liberaret eum, et quæ promisit impleret. Admonendi tamen fuimus hoc exemplo ut, quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt

A ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur.

Vers. 22. — *Et transivit vadum Jaboc.* Non enim legendum est, ut falso in quibusdam codicibus invenitur : *Et transivit vadum Jacob*, sed *Jaboc*, quod est proprium nomen ipsius vadi. Itaque.

Vers. 23-29. — *Transductisque omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane*, et reliqua usquequo ait, *nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Quomodo ergo Jacob ab eo postulabat [*Petr.*, postulat] benedici, cui luctando prævaluit ? Magna hæc est de Christo prophetia. Duplex enim hic Jacob intelligitur, id est carnalis et spiritalis. Prævaluit enim Jacob Christo, vel potius prævalere visus est. Per eos enim Israeliticos, B a quibus crucifixus Christus, et ab eo benedicitur in eis Israeliticis, qui crediderunt in Christum, ex quibus erat qui dicebat : *Nam et ego Israelita sum ex genere Abraham, de tribu Benjamin* (*Rom.* xi, 1). Unus ergo atque idem Jacob et claudus et benedictus ; claudus in latitudine femoris tanquam in multitudine [*Z.*, magnitudine] generis, de quibus dictum est : *Claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* xvii, 46). Benedictus autem in eis de quibus dictum est : *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* xi, 5).

Quæ est causa immutati nominis Jacob, ut Israel vocaretur ? Varia hujus nominis interpretatio æstimatur. Sed beatus Hieronymus taliter de ejus interpretatione dixit : Sensus itaque hic est : non vo- C cabitur nomen tuum supplantator, hoc est Jacob, sed vocabitur princeps cum Deo, hoc est Israel. Quomodo enim ego princeps sum, sic tu, qui mecum luctari potuisti, princeps vocaberis. Si autem mecum, Deo, sive angelo, quoniam plerique varie interpretantur, pugnare potuisti, quanto magis eum hominibus, hoc est cum Esau pugnare formidare non debes. Illud autem quod in libro Nominum interpretantur Israel *vir videns Deum*, sive *mens videns Deum*, omnium pene sermone detritum, non tam vere quam violenter mihi interpretatum videtur.

Moraliter vero designat angelus Deum et Jacob, qui cum angelo contendit uniuscujusque perfecti viri et in contemplatione positi animam exprimit. Is D enim qui certat in luctamine, aliquando superiorem se, aliquando vero eum cum quo contendit inferiorem invenit. Quia videlicet anima quæ contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine posita, modo quasi exsuperat, quia intelligendo et sentiendo de incircumscripto nomine aliquid degustat ; modo vero succumbit, quia et de gustando iterum deficit. Quasi ergo vincitur angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus Sed notandum quod isdem victus angelus nervum femoris Jacob tenuit, eumque marcessere statim fecit atque ab eo Jacob tempore uno claudicavit pede. Quia scilicet omnipotens Deus, cum jam per desiderium et intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit, et qui prius quasi duobus pedibus inniten-

tes et Deum videbamur quærere, et sæculum tenere, post agnitionem suavitatis Dei unus in nobis pes sanus remanet atque alius claudicat. Quia necesse est ut debilitatio amore sæculi solus in nobis amor convalescat Dei. Si enim tenemus angelum, uno claudicamus pede ; quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur quem sanum habet, quia hic cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet. Et in ipso stat, quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueverat, jam a terra suspensum portat. Et nos ergo, si ad parentes proprios, id est ad spiritales patres, redimus, teneamus in via angelum, ut suavitate intima apprehendamus Deum. Contemplativæ etenim vitæ amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsum animum rapit, cœlestia aperit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, spiritalia mentis oculis patefacit, corporalia abscondit. Unde bene Ecclesia in Canticis canticorum dicit: *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v, 2). Vigilanti etenim corde dormit, qui per hoc quod interius contemplando proficit, ab inquieto foris opere quiescit. Sequitur :

CAPUT XXXIII.

VERS. 1-9. — *Divisitque Jacob filios Liæ et Rachel, ambarumque famularum, et posuit utramque ancillam et liberos earum in principio ; Liam vero et filios ejus in secundo loco ; Rachel autem et Joseph novissimos. Et ipse progrediens adoravit pronus in terram*, et reliqua. Non, ut plerique æstimant, tres turmas fecit, sed duas. Denique ubi nos habemus, *divisit*, Aquila posuit, *dimidiavit* ; ut unum cuneum faceret ancillarum cum parvulis suis; et alium Liæ et Rachel, quæ liberæ erant cum filiis earum ; primasque ire faceret ancillas, secundas liberas, ipse autem ante utrumque gregem, fratrem adoraturus occurreret.

VERS. 10-16. — *Dixitque Jacob : Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderem vultum Dei*, et reliqua usque *præcedat Dominus meus ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia ejus*. Quid sibi vult quod Jacob ait fratri suo : *Vidi faciem tuam quasi viderem faciem Dei?* Utrum paventis et perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt? Hæc verba fraterna sunt et benigno animo dicta. Quoniam post benignam susceptionem metus ipse transierat. Et fortassis *Dei* nomen, et angelorum, vel aliquem sanctum hoc loco intelligere debemus, secundum Apostolum, qui dixit : *Etsi sunt qui dicuntur dii sive in cœlo, sive in terra, quemadmodum sunt dii multi et domini multi* (*I Cor.* VIII, 5).

Quomodo promisit Jacob fratri suo ut sequeretur vestigia ejus, cum alio itinere tenderet? Forte ad horam sequebatur, vel primo veraci animo promiserat, sed aliud postea cogitando delegit.

VERS. 17. — *Et Jacob venit in Socoth, et ædificata domo, et fixis tentoriis, appellavit nomen loci illius Socoth, id est Tabernacula.* Quia enim pecoribus suis

A ædificavit tabernacula, ideo vocavit nomen loci illius *Tabernacula*. Ubi nos *Tabernacula* habemus, in Hebræo legitur *Sotheoth*. Est autem usque hodie civitas trans Jordanem hoc vocabulo inter partes Scythopoleos.

VERS. 18. — *Transivitque in Salem, urbem Sicimorum, quæ est in terra Chanaan*, et reliqua. Error oboritur : quomodo Salem civitas appellatur, cum Hierusalem, in qua regnavit Melchisedech, Salem ante sit dicta? Aut igitur unius nominis urbs utraque est, quod etiam de pluribus Judææ locis possumus invenire, ut idem urbis et loci nomen in alia atque alia tribu, ita ut aut certe istam Salem, quæ nunc pro Sichima nominatur, dicimus hic interpretari *consummatam*, atque *perfectam* ;
B et illam quæ postea Hierusalem dicta est *pacifica* nostro sermone transferre. Utrumque enim accentu [*Petr.*, acceptu] paululum declinato hoc vocabulum sonat. Tradunt Hebræi quod claudicantis femur Jacob ibi convaluerit et sanatum sit, propterea eamdem civitatem curati atque perfecti vocabulum consecutam.

CAPUT XXXIV.

VERS. 1-4. — *Egressa est Dina ut videret mulieres regionis illius*, et reliqua usque *tristemque blanditiis delinivit*. Dina quippe ut mulieres videat extraneæ regionis egreditur, quando unaquæque mens, sua studia ngligens, actiones alienas curans, extra habitum atque extra ordinem
C positum evagatur. Quam Sichem princeps terræ opprimit, quia videlicet inventam in curis exterioribus diabolus corrumpit. *Et agglutinata est anima ejus cum ea*, quia unitam sibi per iniquitatem respicit, et quia cum mens a culpa resipiscit, atque admissum flere conatur, corruptor autem spes ac securitates vacuas ante oculos vocat, quatenus utilitatem tristitiæ subtrahat, recte illic adjungitur, *tristemque blanditiis delinivit*. Modo enim aliorum facta graviora, modo nihil esse quod perpetratum est, modo misericordem Deum loquitur; modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur, ut dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur : quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant : et tunc plenius obruatur suppliciis,
D quæ nunc gaudent etiam in delictis.

VERS. 7. — Deinde sequitur quomodo duo filii Jacob, Simeon et Levi, Emmor et Sichem pariter interfecerunt, et reliqua.

Quomodo duo filii Jacob tantam cædem et deprædationem per se in terra aliena facere potuerunt? Multitudo enim non parva erat cum Jacob, qui plurimum ditatus fuit. Sed filii ejus in hoc facto nominantur, quia ejusdem facti principes atque auctores fuerunt.

CAPUT XXXV.

VERS. 1-29. — *Dixit Jacob : Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt. Et dederunt ei postea omnes deos alienos quos habebant, et inaures quæ erant*

in auribus eorum. Deinde etiam sequitur quemad- A modum apparuit iterum Deus Jacob, et benedixit ei, et ipse postmodum egressus inde venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam, et reliqua usque *hæ sunt autem generationes Esau.*

Quomodo [Z., Quid est, quod Jac.] Jacob dixit domui suæ : *Projicite deos alienos qui in medio sunt vestri?* Et iterum : *Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, et inaures quæ in auribus eorum erant?* Quæ si ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant. Intelligendum est has inaures phylacteria fuisse deorum alienorum. Nam Rebeccam a servo Abrahæ inaures accepisse Scriptura testatur, quod non fieret si eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illæ inaures quæ cum idolis datæ sunt, ut dictum est, B idolorum phylacteria fuerant.

Quare secundo dicitur ad Jacob : *Non vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum, et appellavit eum Israel?*

Dudum nequaquam ei ab angelo nomen imponitur; sed quod imponendum a Deo sit, prædicatur. Quod igitur futurum promittitur, hic dicitur expletum. Nimirum ergo nomen hoc ad illam recte intelligitur pertinere promissionem, ubi sic videbitur Deus, quomodo non est antea a patribus visus.

Quæ est Ephrata, ubi Jacob Rachel uxorem suam condidisse dicitur, quærendum videtur. Ephrata vero et Bethlehem unius urbis vocabulum est sub interpretatione consimili; siquidem in *frugiferam domum* et *domum panis* vertitur, propter eum pa- C nem qui de cœlo descendisse dicitur.

Sed movet ubi est *turris gregis*, juxta quam dicitur Jacob habitasse? Juxta Bethlehem, ubi vel angelorum grex Domini in ortu cecinit; vel Jacob pecora sua pavit, loco nomen imponens; vel, quod verius est, quod vaticinatio [*F.*, vaticinio] futurorum jam tunc mysterium monstrabatur.

Quid est quod de Isaac dicitur : *Et consumptus ætate mortuus est, et appositus populo suo?* Quomodo consumptus, vel a quo populo oppositus? consumptus ætate, id est perfectus ætate. Verum angelorum populo, vel sanctarum animorum apponuntur, qui hanc vitam placentes Deo finiunt. Tunc dicuntur apponi, quando nulla jam remanet sollicitudo tentationum et periculum peccatorum. Quod intuens ait Scriptura : *Ante mortem ne lau-* D *des hominem quemquam* (*Eccli.* XI, 30).

CAPUT XXXVI.

VERS. 7, 8. — Quomodo Scriptura dicit post mortem Isaac patris sui Esau abscessisse de terra Chanaam, et habitasse in monte Seir, cum veniente de Mesopotamia Jacob, legitur misisse eum nuntios ad fratrem suum in terra Seir regionis, Idumæumque ibi habitasse tum temporis? In promptu est cogitare quod scilicet Esau posteaquam in Mesopotamiam frater ejus abscessit, noluit habitare cum parentibus suis, sive ex illa commotione qua dolebat, benedictione se fraudatum, sive causa uxorum suarum, quas odio videbat esse parentibus, et cœperat habitare in monte Seir. Deinde post reditum Jacob fratris sui, facta inter eos concordia, reversus est et ipse ad parentes, et cum mortuum patrem simul sepelissent quia eos plurimum ditatos terra illa, sicut scriptum est, minime capiebat, abscessit rursus in Seir, et ibi propagavit gentem Idumæorum.

Erant autem filii Jacob duodecim, et computatis omnibus, Benjamin, quod et addidit, *hi filii Jacob qui nati sunt ei in Mesopotamia Syria* [Z., Syriæ]. Dum constat Benjamin natum esse in Chananæa, quomodo tunc duodecim nasci dicuntur in Mesopotamia?

Nulla enim est facilior solutio hujus quæstionis, quam ut per synecdochen accipiatur. Ubi enim major pars est, aut fortior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet.

VERS. 8-21. — *Habitavitque Esau in monte Seir; ipse est Edon, et hæc nomina filiorum ejus : Eliphaz filius Ada; uxoris Esau*, et reliqua usquequo ait, *hi duces eorum, ipse est Edon, et isti filii Seir Horræi habitatores terræ : Lotha, et Sobal, et Sebeon, et Ana.* Eliphaz, filius Esau, ipse est qui in libro beati Job legitur. Edom vero, et Seir, et Esau unius nomen est hominis : trinomius enim fuit, et ex propriis causis varie nuncupatus. Dicitur enim Esau, id est *rufus*, ob coctionem scilicet rufæ lentis ita appellatur, cujus edulio primogenita perdidit. Edom autem ob ruborem corporis dictus est, quod Latine *sanguineus* dicitur. Seir vero, quod fuerit hispidus et pilosus : quando enim natus est, totus sicut pellis pilosus erat et non habebat lenitatem. Quod autem sequitur :

Et Horræi habitantes, seu, sicut in quibusdam codicibus invenitur, *Corræi*, et reliqua. Postquam numeravit filios Esau, altius repetit, et exponit quanti Esau in Edom terra principes fuerint ex genere Horræorum, qui in lingua nostra interpretantur *liberi*. Legamus diligenter Deuteronomium, ubi manifestius scribitur quomodo venerint filii Esau, et interfecerunt Corræos, ac terram eorum in hæreditatem possederunt [Z., eor. hæreditate possed.].

VERS. 22, 23. — *Et fuerunt filii Lothan Bosri, et Emman, et soror Lothan Tamna.* Hæc est autem Tamna, de qua supra dictum est : et Tamna concubina erat Eliphaz, filii primogeniti Esau, et ex ipsa natus est Amalech. Idcirco autem Corræorum recordatus est, quia primogenitus filiorum Esau ex filiabus eorum acceperat concubinam. Quod autem dicitur : *Theman, et Cenef, et Amalech*, et reliqua, sciamus postea regionibus Idumæorum ex his vocabula imposita.

VERS. 24. — *Iste est Ana, qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui.* Judæi asserunt quod iste Ana nepos Esau equarum greges in deserto ab asinis fecerit primus ascendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur. Onagros quoque ad hoc admissos esse ad asinas, et ipsum istiusmodi reperisse

concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur. Industria quippe humana diversum animal in coitu coegit, sicque adulterina commistione genus aliud reperit, sicut et Jacob contra naturam colorum similitudines procuravit.

CAPUT XXXVII.

VERS. 2. — *Joseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis, adhuc puer, et erat cum filiis Balæ et Zelfæ uxorum patris sui. Accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Quærunt enim quale sit hoc crimen? Nonnuli volunt intelligi idololatriam [*f.* idololatricam] superstitionem, quasi idolum adorassent. Alii vero super crimine Sodomorum et Gomorrhæorum interpretantur. Verumtamen movere potest qui est quod hic ancillæ *uxores* appellantur, cum superius *concubinæ* dicantur, nisi quia more Scripturarum forte omnis concubina uxor, non autem uxor concubina. Nam Saraa, et Rebecca, et Lia, et Rachel concubinæ dici non possunt: Agar vero, et Cethura, et Bala, et Zelfa, et uxores et concubinæ dicuntur.

VERS. 3. — *Fecitque Jacob tunicam Joseph polymitam.* Pro polymita *variam* nonnulli interpretati sunt, quod Aquila interpretatus est tunicam *astragalon*, id est talarem.

VERS. 9-24. — *Aliud quoque Joseph vidit somnium, quod narrans fratribus suis, ait: Vidi somnium, quasi solem, et lunam, et stellas undecim adorare me.* Quomodo impletur somnium Joseph, quod dicit se vidisse solem, et lunam, et undecim stellas adorasse se; dum constat eo regnante in Ægypto matrem ejus Rachel multo ante esse defunctam; imo nec patrem eum legimus adorasse? Ergo in Christo facile [*uterque cod.*, facilis] est somnii perfectionem intelligere, *cui donatum est nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, et reliqua (*Philipp.* II, 10).

VERS. 25-34. — *Viderunt viatores Ismaelitas venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata, et resinam, et stacten in Ægyptum*, et reliqua usque *et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus vendiderunt viginti* [*Z.*, *triginta*] *argenteis.* Quæritur quare Ismaelitas Scriptura, quibus a fratribus venditus est Joseph, etiam Madianitas vocet cum Ismael sit de Agar filius Abrahæ, Madianitæ vero de Cethura? Quia Scriptura dixerat de Abraham quod munera dederit filiis concubinarum suarum, Agar scilicet et Cethura, et dimisit eos ab Isaac filio suo, in terra Orientis unam gentem fecisse intelligendi sunt. Spiritaliter vero aromata quæ in camelis portantur, duas leges significant: per resinam autem legem librorum, per stacten quippe legem prophetarum. Per camelos namque doctores designantur. Quod autem Joseph non est liberatus per consilium Judæ, significat Christum non liberatum ex parte carnis per seram pœnitentiam Judæ Scarioth.

VERS. 35. — *Dixitque Jacob: Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Quomodo intelligitur quod Jacob dicit: *Quoniam descendam ad filium meum lugens in infernum?* Perturbati et dolentis verba sunt, mala sua etiam hinc exaggerantis. Vel etiam inferni nomine sepulcrum significavit: quasi dixisset: In luctu maneo donec me terræ suscipiat [*Z.*, suscipiet] sepulcrum sicut illum.

CAPUT XXXVIII.

VERS. 1-30. — *Eodem tempore descendens Judas, a fratribus suis divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram*, et cætera usque *postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum, quem appellavit Zaram.* Qualiter historia de Juda, et tribus filiis ejus, et uxore Thamar intra tam paucos annos compleri potuit? cum ergo ipse Joseph anno septimo decimo ætatis suæ venditus fuisse credatur, tredecim annos peregerat in Ægypto ignotus Pharaoni. Ad hos enim tredecim annos accesserunt septem anni ubertatis, et facti sunt anni viginti; his adduntur duo, quia secundo anno famis intravit Jacob in Ægyptum cum filiis suis, et inveniuntur viginti duo anni quibus abfuit Joseph a patre et a fratribus suis: quo medio tempore quomodo fieri potuerunt?

Solet enim Scriptura sancta pro capitulatione multa præferre. Aliquot annos ante venditum Joseph hæc fieri cœpisse intelligi datur. Etiam mox, ut adolescet Judas, cœperit incidisse in amorem ejus quam duxit uxorem, nondum vendito Joseph in Ægyptum. Cur dixit de Thamar, *depositis vestimentis viduitatis suæ?* Quatenus intelligeres ex temporibus patriarcharum certa et sua fuisse vestimenta viduarum, non utique talia qualia conjugatarum.

Quare dixit Judas: *Justior est Thamar quam ego?* Thamar vero in bivio sive in compito sedens, ubi diligentius debet viator aspicere quod iter gradiendi capiat, non ut vagans turpitudinis libidinem impleret, sed ut liberos a socero acciperet, justior est causa quam socer. Ille libidinis, illa liberorum. Et ideo in comparatione ejus minus male fecerat.

Si enim Phares inde sortitus est nomen *divisionis*, quia diviserat membranam secundarum, unde Zara sic nomen accepit? Zara interpretatur *Oriens*. Sive igitur quia primus apparuit, sive quia plurimi ex eo nati sunt justi, sicuti in Paralipomenon legimus.

CAPUT XXXIX.

VERS. 1. — *Igitur Joseph ductus in Egyptum, emitque eum Putiphar, eunuchus Pharaonis.* Ubi quæritur quomodo postea uxorem habere dicatur? Tradunt Hebræi emptum ab hoc Joseph ob nimiam pulchritudinem in turpe ministerium, et a Domino viribus ejus arefactis, postea electum esse juxta morem Hierophantarum in pontificatum Heliopoleos, et hujus filiam esse Asenec [*Z.*, Asanez], quam postea Joseph uxorem acceperit.

CAPUT XL.

VERS. 6. — *His itaque gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægyptii et pistor, domino suo. Iratusque est Pharao contra eos, et misit*

cos in carcerem in quo erat vinctus et Joseph, et cætera usquequo ait fratribus suis: *Ego sum Joseph, quem vendidistis in Ægyptum*. Hic enim spiritalem intelligentiam prætermittimus, sicut in præfatione prædiximus, et historialem intellectum prosequi nitimur, ne modum libelli excedamus. Denique quæritur, salvo spirituali intellectu, cur gentiles homines fuerunt in carcere cum Joseph, et præsagia futurorum viderunt? Non pro suis meritis, sed ut magnificaretur Joseph, et manifestaretur qui latebat.

Quæ sunt tres propagines? Tres propagines sunt tres rami.

Cur Pharao vel Herodes dies nativitatis suæ honoribus festivos habuerunt? Eo quod putaverunt quod hora nativitatis eorum se ordinasset in regnum, similem rem facientes adorationis, ut dicitur, quorum erat par impietas, esset et una solemnitas.

Quid est quod Pharao dixit: *Putabam me super fluvium stare?* Id est quod et in alio loco dicitur in Genesi: *Ecce ego super fontem sto*. Atque hoc genere locutionis et in psalmo dicitur: *Qui fundavit terram super aquam* (*Psal.* XXIII, 2). Non cogantur homines putare: Fundavit terram super aquam. Secundum hanc enim locutionem recte intelligitur quod altior sit terra quam aqua; ab his quippe aquis sustollitur, ubi habitent terrena animalia.

Quomodo multitudo frugum arenæ multitudini comparatur? Quia sicut arena innumerabilis est, ita multitudo frugum usitato numero comprehendi non poterat.

Quomodo de viro sancto Joseph intelligere debemus quod fratres suos inebriasset? Ebrietas autem secundum idioma Hebraicæ linguæ pro satietate ponitur, sicut ibi: *Visitasti terram, et inebriasti eam* (*Psal.* LXIV, 10). Et iterum: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* (*Psal.* XXXV, 9).

Quid sibi vult quod Joseph fratres suos toties ludificavit, et tanta exspectatione suspendit antequam manifestare se voluisset? Tribulabat eos non ut se vindicaret in eis, sed ut illos purgaret a crimine transacti sceleris in eum. Vel magis, ut hac dilatione accumularetur gaudium eorum, dum ostenderetur, et tantam gloriam ejus vidissent quem a se exstinctum esse arbitrabantur.

CAPUT XLVI.

VERS. 5. — *Surrexit autem Jacob a puteo Juramenti et descendit in Ægyptum, et filii ejus, et nepotes, filiæ, et cuncta simul progenies*, usquequo ait: *omnes animæ domus Jacob quæ ingressæ sunt Ægyptum fuerunt septuaginta*. Quomodo dicitur: Filii ejus et filiæ ejus descenderunt cum eo in Ægyptum, cum Jacob pluriores non habuit filias quam Dinam tantummodo? Aut etiam nepotas filiarum nomine significatas intelligere debemus; aut pluralis numerus pro singulari positus est, sicut ibi: *Misit in eis muscam caninam*.

Quod dicit Scriptura: *Omnes animæ quæ egressæ sunt de femoribus Jacob*: quid respondendum est eis qui hoc testimonio confirmare nituntur a parentibus simul animas cum corporibus propagari? Animas enim dictas pro hominibus, a parte totum significante locutione, nullus debet dubitare.

VERS. 15. — *Hi filii Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syriæ cum Dina; animæ filiorum et filiarum triginta tres*. Numquid istæ omnes triginta et tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt, dum ibi Jacob non plus viginti annis cum socero suo moratus est, et septem anni transierunt antequam Liam uxorem duxisset? Ideo etiam Scriptura sancta hos omnes in Mesopotamia ortos esse dixit, quoniam eorum patres ibi orti sunt.

VERS. 26-27. — Si sexaginta et sex sunt quæ ingressæ sunt animæ cum Jacob in Ægyptum, et ibi Joseph cum duobus filiis suis inventus est, quomodo septuaginta postea dicuntur esse animæ domus Jacob? Ipso vero patre Jacob quasi radice annumerato septuaginta esse noscuntur.

Dum enim in Genesi legimus septuaginta animas esse domus Jacob, quomodo in Actibus apostolorum dicitur in animabus septuaginta quinque descendisse Jacob in Ægyptum? Non enim aliquid poterat Lucas contrarium scribere adversum eam Scripturam quæ jam fuerat gentibus divulgata; ut utique majoris opinionis illo duntaxat tempore septuaginta Interpretum habeatur auctoritas quam Lucas, qui ignotus, et vilis, et malæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod, ubicunque sancti apostoli aut apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur quæ jam fuerant in gentibus divulgata. Licet plerique tradunt evangelistam, ut proselytum, Hebræas litteras ignorasse.

CAPUT XLVII.

VERS. 3-31. — Filii Jacob, interrogati *quid operis haberent? responderunt*: *Pastores ovium sumus, sicut et patres nostri*, et reliqua, usquequo ait, *vocavit autem Jacob filios suos, et ait eis*: *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis diebus novissimis*. Filii Jacob, interrogati quid operis haberent, responderunt: *Pastores ovium sumus, sicut et patres nostri*. Quare patriarchas primos pastores ovium, et non reges gentium legimus esse? Quia sine ulla dubitatione justa servitus et justa dominatio, cum pecora homini serviunt, et homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum est cum crearetur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et habeat potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium quæ sunt super terram*. Ubi insinuatur rationem [Z., rationalem] debere dominare irrationali vitæ. Servum autem hominem homini vel iniquitas vel adversitas fecit. Iniquitas quidem, sicut dictum est: *Maledictus Chanaan, erit servus fratribus suis*. Adversitas vero, sicut accidit ipsi Joseph, ut venditus a fratribus servus alienigenæ fieret. Itaque primos servos quibus hoc nomen in Latina lingua inductum est, bella fecerunt. Qui enim homo

ab homine superatus jure belli potest occidi, quia servatus est, appellatus inde servus; et mancipia, quia manu capta sunt.

Quæ est terra Gessen vel Ramesses? Ut Judæi autumant, quæ nunc Thebaida vocatur. Ramesses igitur pagum Arsenoiten sic olim vocatum putant.

Quæritur quomodo in terra Ægypti pascua pecoribus invenire potuissent, dum terra Ægypti pluviis non irrigatur, dum fratres Joseph ideo terram Chanaan reliquisse se dicunt quod herbam gregibus suis non invenissent? Perhibetur ab eis, qui loca sciunt, in multis Ægypti paludibus potuisse pascua non deesse, etiam cum fames esset frumentorum, quæ solent Nili fluminis inundatione provenire. Magis enim dicuntur paludes illæ feraces pascua gignere, quando aqua Nili minus excresceret [Z. excrevisset].. Unde Gessen vertitur in *imbrem*.

Quid sibi vult a tanto viro et tali patriarcha tam sollicita corporis commendantia, ut non in terra Ægypti sepeliatur, sed in terra Chanaan juxta patres suos? In his ergo sacramenta tibi quærenda sunt et admirationis gaudium invenies. Cadaveribus quippe mortuorum peccata significari in lege non dubium est. Hinc illa sententia dicta est: *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit* [Z., *prodest*] *lavatio ejus?* (*Eccli.* XXXIV, 30). Sic et qui jejunat super peccato suo, et iterum ambulans hæc eadem facit. Sepultura ergo mortuorum remissionem significat peccatorum. Eo pertinet quod dictum est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 25). Ubi ergo sepelienda erant hæc significantia cadavera patriarcharum, nisi in ea terra ubi ille crucifixus est, cujus sanguine facta est remissio peccatorum?

Quid est quod Jacob conversus ad caput lectuli sui oravit Deum? Scilicet postquam juraverat ei filius de petititione quam rogaverat, adorare Deum contra caput lectuli sui voluit. Sanctus quippe et Deo deditus vir, oppressus senectute, habebat lectulum positum, ut ipse jacens habitus absque difficultate ulla ad orationem esset paratus.

CAPUT XLVIII.

VERS. 5-22. — Quid est quod Jacob dicit: *Duo filii tui, Ephrem et Manasses, sicut Ruben et Simeon duæ tribus, erunt, et suis vocabulis vocabuntur?* Sicut Ephraim et Manasses duæ tribus erunt, duosque populos procreabunt, et sic hæreditabunt repromissionis terram sicut et filii mei [Z., duo filii tui Ephr. et Ma. sicut Rub. et Simeon erunt mei? Significat, sicut Rub. et Sim. duæ tribus erunt, et suis vocabulis vocabuntur, sic Ephr. et Ma. duæ tribus erunt, duosque pop. procreabunt, et sic h. r. t. s. et f. m. [a]]. *Reliquos autem filios quos post mortem meam genueris, tui erunt. In nomine patrum suorum vocabuntur in hæreditate sua.* Qui non accipient separatim terram, nec funiculos habebunt proprios, ut reliquæ tribus: in tribu Ephraim et Manasse quasi appendices populi commiscebuntur.

[a] Hic desinet codex Zwetlensis.

Cur Jacob Joseph filio suo, quasi nescienti, indicare voluit ubi et quando sepelierit matrem ejus? Forte prophetice commemorare voluit ibi sepultam matrem Joseph ubi Christus fuerat nasciturus.

Quæ est pars una quam Jacob dedit Joseph filio suo extra fratres suos, quam tulisse se de manu Amorrhæorum dicit *in gladio et arcu suo*? Significavit urbem, quæ Hebraice Sichem dicitur, et secundum Græcam et Latinam declinationem Sicma appellatur, et corrupte a plurimis Sychar nominatur: quæ et nunc Neapolis dicitur, urbs Samaritanorum. Sichem Hebræa lingua transfertur in *humerum*. Unde Septuaginta ita interpretati sunt Quod autem dicit se eam *in arcu et in gladio possedisse*, arcum hic et gladium justitiam vocat, per quam
B meruit peregrinus et advena, interfecto Sichem et Emor, de periculo liberari. Timuit enim, quod supra legimus, ne vicina oppida atque castella ob eversionem fœderatæ urbis adversum se consurgerent: Et Dominus non dedit eis ut nocerent illi. Vel certe sic intelligendum: *Dabo tibi Sichimam, quam emi in fortitudine mea*, hoc est, in pecunia. quam multo labore et sudore quæsivi. Quod autem ait, *super fratres suos*,, ostendit absque sorte dedisse eam tribui Joseph, et mausoleæm ejus ibi hodieque cernitur. Sequitur

CAPUT XLIX.

VERS. 2, 3. — *Congregamini et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea*, et reliqua, usquequo ait,
C *benedixitque singulis benedictionibus propriis.* Quid intelligendum est de benedictionibus quibus Jacob patriarcha benedixit filios suos? An historice vel allegorice intelligendæ sint, dum dixit: *Congregamini, filii Jacob, ut annuntiem vobis quæ ventura sunt in novissimis diebus?* Et videtur ex his verbis magis allegoriam sonare quam historiam. Utrumque et historiam et allegoriam. Historiam in divisione terræ repromissionis, quæ divisiones dividendæ erant nepotibus illorum. Igitur allegoriam de Christo et Ecclesia in novissimis temporibus futuram. Sed prius historiæ fundamenta ponenda sunt, ut aptius allegoriæ culmen priori structuræ superponatur.

VERS. 3, 4. — *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei, prior in donis,*
D *major imperio, effusus es sicut aqua, non crescas: ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus.* Est autem sensus hic: tu es primogenitus, major in liberis, et debebas ordine nativitatis tuæ hæreditatem, quæ primogenitis jure debebatur, sacerdotium accipere et regnum: hoc quippe importat honorem, prævalidum robur quod monstrat. Dicamus per singula manifestius; patet litteræ sensus. Quia beatus Jacob primum filium Ruben ex Lia uxore sua susceperit, qui se digne tanto patre tractaret, ad eum primogenito regnumque pertineret. Unde dicit eum sibi primogenitum, quasi cui deberentur dona primogeniti. Sed et fortitudinem suam cum nominat, eo quod robur imperii ad eum debuerit declinare.

Hæc autem non ideo indicative protulit quod ita A futura esse prævideril vel voluerit, sed ut per hæc dicta ad pœnitentiam cohortaretur, cum recoleret a quanta dignitate peccando decidisset. Unde et dicit, *principium doloris*, et reliqua. Principium namque doloris illius fuit qui, ruptis castimoniæ habenis, infrenis ruit in constuprandam conjugem patris, quæ res non mediocri dolore eum stimulasse credenda est. Verum quia peccasti, et quasi vasculo aqua quæ quolibet non tenetur, voluntatis effusus es impetu, idcirco præcipio tibi ut ultra non pecces, sisque in fratrum numero pœnas peccati lugens, quod primogeniti ordinem perdidisti. Principium autem doloris est omnis primogenitus; quia pro eo commoventur primum viscera parentum. B

VERS. 5-7. — *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia : in consilium eorum non veniat anima mea, et in cætu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax ; et indignatio illorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, et dispergam illos in Israel.* Significat autem non sui fuisse consilii quod Sichem et Hemor, fœdoratos viros, interfecerint contra jus pacis, et amicitiarum tempore sanguinem fuderunt innocentem, et quasi quodam furore, sic crudelitate raptati murum hospitæ urbis everterent. Unde dicit : *Maledictus furor eorum, quia pertinax*, et reliqua. Et *Dispergam eos in Israel.* Levi enim hæreditatem propriam non accepit, C sed in omnibus sceptris paucas urbes ad inhabitandum [*Cod.*, ad inhabitandas] habuit. De Simeone vero in libro Jesu scriptum est quod et ipse proprium funiculum non acceperit, sed de tribu Juda quiddam acceperit. In Paralipomenon autem manifestius scribitur quod, cum multiplicatus fuisset et non haberet possessionis locum, exierit in desertum.

VERS. 8-10. — *Juda, te laudabunt fratres tui ; manus tuæ in servicibus inimicorum tuorum ; adorabunt te filii patris tui, Catulus leonis Juda : ad prædam, fili mi, ascendisti* [sive, ut in Hebræo scriptum est *de captivitate, fili mi, ascendisti*] *: requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna : quis suscitabit eam ?* Quia Juda *confessio* sive *laus* interpretatur, recte scribitur : Juda, confitebuntur D tibi fratres, vel laudabunt te. Et licet de Christo grande mysterium sit, sed tamen secundum litteram significat quod per David stirpem generentur reges, et quod adorarent eum omnes tribus. Non enim ait, Filii matris tuæ ; sed, *filii patris tui.* Et quod sequitur, *ad prædam, fili mi, ascendisti*, ostendit eum captivos populos esse ducturum, et juxta intelligentiam sacrationem, ascendisti in altum, captivam duxisse captivitatem, sive, quod melius puto, captivitas passionem, ascensus resurrectionem significat.

VERS. 11-13.—*Alligans ad vineam pullum suum et ad vitem asinam suam.* Quod videlicet pullum asinæ, cui supersedit Jesus, hoc est, gentium populum vineæ apostolorum, qui ab Judæis sunt, copulaverit. *Et ad vitem*, sive, ut in Hebræo habetur *ad Sorech*, id est, *electam vitem*, alligaverit asinam cui supersedit, Ecclesiam ex nationibus congregatam. Quod autem dicit, *fili mi*, conversionem ad ipsum Judam facit, quod Christus hæc sit universa facturus. Quod autem dicitur : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de* femoribus *ejus, donec veniat ille qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* ; significat quod non deficerent principes de tribu Juda usque ad tempus quo natus est Christus, qui missus a Patre exspectatio est gentium.

VERS. 14, 15.—*Isachar, asinus fortis, accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.* Quia de Zabulon dixerat quod maris magni littora esset possessurus, Sidonem quoque et reliquas Phœnicis urbes contingeret, nunc ad mediterraneam provinciam redit, et Isachar, qui juxta Nephthalim pulcherrimam in Galilæa regionem possessurus est, benedictione sua habitatorem facit. Asinum autem osseum vel fortem vocat, et humerum ad portandum, quia in labore terræ et vehendis ad mare, quæ in finibus suis nascebantur, plurimum laboraret, regibus quoque tributa comportans. Aiunt Hebræi per metaphoram significari, quod Scripturas sanctas die ac nocte meditans, studium suum dederit ad laborandum, et idcirco ei omnes serviunt, quasi magistro dona portantes.

VERS. 16-18.—*Dan judicabit populum suum sicut et alia tribus Israel. Fiat Dan coluber in via, et cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Salutare tuum exspectabo, Domine.* Samson judex Israel, de tribu Dan fuit. Hoc ergo dicit nunc videns in spiritu comam nutrire Samsonem: Nazaræum tuum cæsis hostibus triumphare, quod similitudinem colubri regulique obsidentis vias, nullum per terram Israel transire permittat : sed etiam, si quis temerarius virtute sua, quasi velocitate equi confisus eam voluerit prædonis more populari, non effugere valebit. Totum autem per metaphoram serpentis et equitis loquitur. Nidens ergo tam fortem Nazaræum tuum, quod ipse propter meretricem mortuus est, et moriens nostros occidit inimicos, putavi, o Deus, ipsum esse Christum Filium tuum. Verum quia mortuus est, et non resurrexit, et rursum captivus ductus est Israel, alius mihi salvator mundi, et mei generis præstolandus est, ut veniat cui repositum est. Ipse erit exspectatio gentium.

VERS. 19. — *Gad accinctus præliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum.* Significat quod ante Ruben, et dimidiam tribum Manasse, et filios quos trans Jordanem in possessione dimiserat, post quatuordecim annos revertens, prælium adversum eos gentium vicinarum grande reperiret, et victis hostibus fortiter dimicaret. Lege librum Jesu Nave et Paralipomenon.

VERS. 21.—*Nephthalim cervus emissus, dans elo-*

quia pulchritudinis. Sive Nephthalim *ager irriguus*; utrumque enim significat Hebræum verbum *natasylva.* Significat autem quod aquæ calidæ in ipsa nascuntur tribu. Sive quod super lacum Genesareth fluenta Jordanis irrigua sint. Hebræi autem volunt propter Tiberiadem, quæ legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum et eloquia pulchritudinis prophetari. *Cervus* autem *emissus* propter temporaneas fruges, et velocitatem terræ uberioris ostendit. Sed melius, si ad doctrinam Salvatoris cuncta referamus; quod ibi vel maxime docuerit Salvator, ut in Evangelio quoque scriptum est.

VERS. 22-26. — *Filius meus Joseph accressens, filius meus accressens et decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murum; sed expectaverunt* B *eum, et jurgati sunt, invidentesque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, et desolata* [dissoluta] *sunt vincula brachiorum et manuum ejus per manus potentis Jacob. Inde pastor egressus est, lapis Israel.* O fili Joseph, qui tam pulcher es, ut te tota die de muris et turribus ac fenestris puellarum Ægypti turba prospectant. Inviderunt tibi, et ad iracundiam provocaverunt fratres tui, habentes livoris sagittas et zeli jaculis vulnerati. Verum arcum tuum et arma pugnandi posuisti in Deo, qui fortis est propugnator, et vincula tua quibus te fratres ligaverunt absoluta sunt et disrupta, ut ex tuo semine tribus nascatur Ephraim fortis, et stabilis, et instar lapidis durioris invicta, imperans quoque decem tribubus Israel. C

VERS. 27.—*Benjamin lupus rapax, mane comedit prædam, et vespere dividet spolia.* Quia de Paulo apostolo manifestissima sit prophetia, omnibus patet quod in adolescentia persecutus Ecclesiam, in senectute prædicator Evangelii fuerit. Hebræi autem ita dixerunt, altare, in quo immolobantur hostiæ, et victimarum sanguis ad basem ipsius fundebatur, in parte tribus Benjamin fuit. Hoc, inquiunt, ergo significans quod sacerdotes immolent mane hostias, ad vesperam dividant ea quæ sibi a populo ex lege collecta sunt, lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris interpretatione ponentes, et spoliorum divisionem super sacerdotibus, qui servientes altari vivunt de altari. Hæc autem historice.

Spiritaliter autem in Rubeu prioris populi Judæorum ostendisse personam, cui a Domino per prophetam dicitur: *Israel primogenitus meus.* Etenim juxta quod primogenitis debebatur, ipsius erat accipere sacerdotium et regnum. Additur *tu virtus mea*, utique quia ex ipso virtus Dei, qui est Christus, advenit. Quomodo autem ipse sit principium dolorum, nisi dum Patri Deo semper irrogaret injuriam, dum convertat ad eum dorsum et non faciem? *Iste prior in donis*, quia primum ipsis credita sunt eloquia Dei, et legislatio, et testamentum, sive promissio. Iste *major imperio*, utique pro magnitudine virium, quia copiosis cæteris in hoc sæculo populus idem regnavit. *Effusus est autem sicut aqua*, peccando in Christo. Quæ vasculo non tenetur, volutatis effusus est impetu; et idcirco addit *ultra non crescas*,

A quia ipse populus, postquam universo orbe dispersus est, valde imminutus est. Sed quare talia meruit, ita subjecit, *quia ascendisti cubile patris tui.* Primogenitæ autem plebis audaciam prædicat, quæ ascendit cubile patris sui, et maculavit stratum ejus, quando corpus Dominicum, in quo plenitudo divinitatis requiescebat, raptum in cruce suspendit et ferro commaculavit.

Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. Per Simeonem et Levi scribæ et Pharisæi, et sacerdotes Judaici populi intelliguntur. De Simeone enim Scribæ Judæorum erant. Et de tribu vero Levi principes sacerdotum, qui concilium fecerunt, *ut Jesum dolo tenerent et occiderent.* De quo consilio dicit: *In consilium eorum non veniat anima mea.* Horrebat enim tanta scelera jam videre, quæ novissimis temporibus facturi erant Judæi; *quia in furore suo occiderunt virum*, id est Christum, de quo dicitur: *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12). Et alibi: *Femina circumdabit virum* (*Jer.* XXXI, 22).—*Suffoderunt murum*, id est illum spiritalem fortissimum murum qui custodit Israel, lancea confoderunt. *Maledictus furor eorum, quia pertinax;* utique quando, furore accensi et ira, obtulerunt Christum Pontio Pilato, dicentes: *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 21).—*Et indignatio eorum, quia dura;* dum Barabbam latronem peterent, et principem vitæ crucifigendum postularent. *Dividam eos in Jacob, et dispergam illos in Israel*, quia nonnulli ex ipsis crediderunt, quidam in infidelitate permanserunt. Dicuntur enim divisi hi qui ab eis separantur et veniunt ad fidem. Dispersi autem, quorum patria temploque subverso, per orbem terræ incredulum genus spargitur.

Juda, te laudabunt fratres tui. Per hunc Judam verus confessor exprimitur Christus, qui ex ejus tribu secundum carnem est genitus. Ipsum laudabunt fratres sui, apostoli scilicet et omnes cohæredes ejus, qui per adoptionem filii Deo Patri effecti sunt, et Christi fratres effecti per gratiam, quorum ipse est Dominus per naturam. *Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum.* Isdem enim manibus, id est crucis tropæo, et suos texit et inimicos, et adversarias potestates curvavit, juxta quod et Pater promisit ei dicens: *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1, 2). — D *Adorabunt te filii patris tui*; quoniam multi ex filiis Jacob adorent eum, per electionem gratiæ salvi facti. *Catulus leonis Juda*, quando nascendo parvulus factus est nobis. *Ad prædam, fili mi, ascendisti*, id est ascendens in crucem, captivos populos redemisti, et quos ille contrarius invaserat, tu moriens eripuisti. Denique rediens ab inferis ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem. *Requiescens accubuisti ut leo.* Manifestissime in passione Christus recubuit, quando *inclinato capite tradidit spiritum*: sive quando in sepulcro securus, velut quodam corporis somno quievit. Sed quare *ut leo* et velut *catulus leonis?* In somno enim suo leo fuit, quia non necessitate, sed potestate hoc ipsum implevit, sicu

ipse dicit : *Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam* (*Joan.* x, 18). Quod vero addidit, *et ut catulus leonis.* Inde enim mortuus est unde et natus. Bene Christus ut leo requievit, qui non solum mortis acerbitatem non timuit, sed etiam in ipsa morte mortis imperium vicit. Quod autem dicit, *Quis suscitabit eum ?* quia nullus nisi ipse dicit : *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud.* —*Non deficiat dux de Juda*, et reliqua. Hic manifestissime ad Judam refertur. Diu enim fuit ex semine illius intemerata apud Judæos successio regni, donec Christus nasceretur. Et hoc supra diximus. *Alligans ad vineam pullum suum.* Pullus suus populus est ex gentibus, cui adhuc nunquam fuerat legis onus impositum. Hunc copulavit ad vineam apostolorum, qui ex Judæis sunt. *Nam vinea Domini Sabaoth domus Israel est* (*Isa.* v, 7). —*Et ad vitem asinam suam.* Ipse dixit : *Ego sum vitis vera* (*Joan.* xv, 1). Ad hanc ergo vitem alligat asinam suam, Synagogam tardigradam scilicet, et gravi legis pondere depressam. *Lavabit in vino stolam suam,* sive carnem suam, in sanguine passionis ; sive sanctam Ecclesiam, illo vino *quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* —*Et in sanguine uvæ pallium suum.* Pallium gentes sunt, quas corpori suo junxit, sicut scribitur : *Vivo ego, dixit Dominus,* nisi hoc omnes induam sicut vestimentum. *Pulchriores oculi ejus vino.* Oculi Christi apostoli sunt et evangelistæ, qui lumen scientiæ Ecclesiæ præstant : quorum præcepta austeritatem vini priscæ legis superant, quia longe clariora sunt quam Veteris Testamenti mandata. *Et dentes lacte candidiores.* Dentes præceptores sunt sancti, qui præcidunt ab erroribus homines, et eos quasi comedendo in Christi corpus transmutant [*Cod.*, transmittunt]. Nomine autem *lactis* doctrina legis significatur, quæ carnalem populum tanquam parvulos poculo lactis alebat. Cujus quidem candidiores effecti sunt prædicatores Ecclesiæ, quia fortem et validum verbi cibum mandunt atque distribuunt ; de quibus dicit Apostolus in Epistola ad Hebræos : *Perfectorum autem est solidus cibus* (*Hebr.* v, 1, 4). Et bene candidiores lacte dentes ejus dicit. Omnes enim qui perfecti sunt, et qui Scripturarum cibos explanantes, subtilem et minutum intellectum, qui spiritalis dicitur, Ecclesiæ corpori subministrant, candidi esse debent et puri, atque ab omni macula liberi.

Isachar asinus fortis. Isachar, qui interpretatur *merces*, ad populum gentium, quem Dominus sanguinis sui pretio mercatus [est, refertur]. Hic Isachar asinus fortis scribitur, quia prius gentilis populus, quasi brutum animal et luxuriosum erat, nullaque ratione subsistens ; nunc vero fortis est, Redemptoris dominio colla subjiciens, et jugum disciplinæ evangelicæ perferens. Hic *accubans inter terminos vidit requiem, quod esset bona, et terra, quod optima.* Inter terminos namque accubare est præstolato mundi fine requiescere, nihilque de his quæ nunc versantur in medio, quærere, sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem

A videt, et terram optimam, cum simplex gentilitas idcirco ad robur boni operis se erigit, quia ad æternæ vitæ patriam tendit. Unde etiam et *ponit humerum suum ad portandum*, quia dum ad promissam requiem pervenire desiderat cuncta mandatorum onera libenter portat. Unde et *factus est tributis serviens*, hoc est, Regi et Christo suo fidei dona, operumque bonorum munera offerens.

Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium. Zabulon, qui interpretatur *habitaculum fortitudinis*, Ecclesiam significat, fortissimam ad omnem tolerantiam passionis. Hæc in littore maris habitat, et in statione navium ; ut credentibus sit refugium et periclitantibus demonstret fidei portum. Hæc contra omnes turbines sæculi im-

B mobili et inconcussa firmitate solidata exspectat naufragium Judæorum, et hæreticorum procellas, qui circumferuntur omni vento : quorum etsi tunditur fluctibus, frangit tamen ipsius fluctus, non frangitur, nec illius hæreseos tempestatibus cedit, nec ulli vento schismatum commota succumbit. *Pertendit autem usque ad Sidonem*, hoc est usque ad gentes pervenit. Legitur etiam in Evangelio inde assumptos aliquos apostolorum, et in ipsis locis Dominum sæpe docuisse, sicut scriptum est : *Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam* (*Isa.* IX, 1, 2).

Dan judicabit populum suum, sicut et alia tribus

C *Israel. Fiat Dan coluber in via, et cerastes in semita,* etc. Alii dicunt Antichristum per hæc verba prædici de ista tribu futurum ; alii de Juda, a quo traditus est Christus, hæc scripta pronuntiant, et equitem atque equum Dominum cum carne suscepta designare volunt. Retrorsum autem cadere, ut in terram reverteretur unde sumptus est. Sed quoniam die tertia resurrexit, ideoque ait *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Sicut et per David dicit : *Non derelinques animam meam in inferno* (*Psal.* xv, 10). Hæc quidam ita exponunt. Alii vero hanc prophetiam ad Antichristum transferunt. De tribu enim Dan venire Antichristum ferunt pro eo quod hoc loco Dan et *coluber* asseritur et *mordens.* Unde et non immerito, dum Israeliticus populus terram in castrorum partitione susciperet, primus

D Dan ad aquilonem castra metatus est illum scilicet significans qui in corde suo dixerat : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13) De quo et per Prophetam dicitur : *A Dan auditus fremitus equorum ejus* (*Jer.* VIII, 16). Qui non solum coluber, sed etiam *cerastes* vocatur. Cerastæ enim Græce *cornua* dicuntur, serpensque hic cornutus esse perhibetur. Per quem digne adventus Antichristi asseritur, qui contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armabitur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quam viam ? Fit ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudinem eos ambulare

provocat, quibus quasi parcendo blanditur. Sed in via mordet, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit iterum cerastes in semita, quia quos fideles reperit et sese ad cœpta angusta itinera constringentes, non solum nequitia callidæ persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit, et in persecutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. Quo in loco *equus* hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste *ungulas* mordere perhibetur. Ungulam quippe mordere est extrema sæculi feriendo contingere. *Ut cadat ascensor ejus retro.* Ascensor equi est quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur, et non in faciem, sicut Saulus cecidisse memoratur. In faciem enim cadere, est in hac vita quas unumquemque culpas agnoscere easque pænitendo deflere. Retro vero, quod non videtur, cadere est ex hac vita repente decidere, et ad quæ supplicia ducatur, ignorare. Et quia Judæa, erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum exspectat, bene Jacob eodem loco repente in electorum voce conversus est dicens : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Id est, non sicut infidelis Antichristum, sed eum qui redemptione nostra venturus est, verum credo fideliter Christum.

Gad accinctus præliabitur ante eum. Iste Gad accinctus personam Domini exprimit, qui in primo adventu humilitatis suæ ante adventum Antichristi præliaturus occurrit, accinctus gladio verbi sui circa femur potentissime, quo inimicos divisit, id est filium a patre, filiam a matre, nurum a socru, juxta quod legitur in Evangelio : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* x, 34). Quod autem ait, *et ipse accingetur retrorsum*, claritas Domini nostri in secundo regno ejus ostenditur. Quia cum venerit Antichristus, occurret retrorsum, id est post ejus vestigia Christus celeri adventu progrediens, ut interficiat eum gladio oris sui. Unde et bene Gad *latrunculus* interpretatur, eo quod posterior, id est secus pedes, quasi latrunculus rapido atque improviso adventu exsiliat contra apertam Antichristi oppugnationem. Hinc est quod Evangelista proclamat dicens : *Quia dies Domini sicut fur in nocte, ita venit* (*I Thess.* v, 2). Christus ergo et ante, et retro præliari contra Antichristum scribitur. Ante eum namque in occulto adventu humilitatis, post eum manifestus in gloria majestatis. Demonstrat aperte Moyses prophetiam patriarchæ hujus specialiter pertinere ad Christum. Sic enim ait : *Benedictus*, inquit, *in latitudine Gad ; quasi leo requievit, cœpitque brachium et verticem, et vidit principatum suum.* Agnoscant itaque, quis requieverit sicut leo, nisi Christus in sepulcro suo : qui confregerit verticem brachiaque potentum, nisi Redemptor noster, qui humiliavit virtutem et superbiam excelsorum. Quis vidit principatum suum, nisi ille cui datus est principatus, et honor, et regnum ?

Aser pinguis panis ejus, et præbet delicias regibus. Aser, cujus nomen significat divitias, idem Christus est, cujus est altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ. Qui propter nos pauper factus est, cum dives esset. Cujus panis pinguis factus est, caro scilicet ejus, quæ est esca sanctorum, *quam si quis manducaverit, non morietur in æternum* (*Joan.* IV, 52). Ita etiam præbet delicias sapientiæ regibus, id est qui sensus proprios bene regunt, qui dominantur vitiorum suorum, qui castigant corpora sua et in servitutem subjiciunt.

Nephthalim, quod interpretatur *dilatatio*, apostolos et prædicatores sanctos significat, quorum doctrina in latitudine totius mundi effusa est. Ex
B hac enim tribu fuerunt apostoli, qui sunt principes Ecclesiarum et duces, *principes Zabulon, et principes Nephthalim* (*Psal.* LXVII, 28), qui sine dubio ad personam referuntur apostolorum. Ipsi sunt, *filii excussorum* (*Psal.* CXXVI, 4), id est filii prophetarum, qui in manu potentis Dei positi, tanquam sagittæ excussæ pervenerunt usque ad fines terræ. Unde et bene hinc Nephthalim *cervus emissus* scribitur, quia nimirum apostoli sive prædicatores veloci saltu exsilientes in morem cervorum transcendunt implicamenta sæculi hujus, sicque excelsa ac sublimia meditantes, *dant eloquia pulchritudinis*, id est, prædicant cunctis gentibus doctrinam Domini Salvatoris.

Filius accrescens Joseph. Hæc prophetia post
C patratam ascensionem paternæ vocis imaginem prætulit, qua redeuntem in cœlum post victoriam Christum Pater alloquitur dicens : *Joseph filius accrescens*, utique in gentibus, quia cum ob incredulitatem Synagogæ populum reliquisset, innumeram sibi plebem Ecclesiæ ex omnibus gentibus ampliavit. Quod et David cecinit dicens : *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ* (*Psal.* XXI 28). Filius accrescens, *et decorus aspectu* : omnes enim superat illius pulchritudo, juxta quod et de ipso in Psalmis canitur : *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3). *Filiæ decurrerunt super murum.* Id est gentes vel Ecclesiæ, quæ crediderunt in Christum, hæ super soliditatem fidei quasi super murum, pulchritu-
D dinis Christi accensæ, discurrunt, ut verum sponsum per contemplationem aspiciant, et osculo charitatis illi copulentur atque adhæreant. Sed *objurgati sunt eum*, quando falsis testimoniis calumniantes sanctum Domini opprimere Synagogæ populi tentaverunt. *Inviderunt que illi habentes jacula.* Neque enim quisquam in Joseph conjecit sagittas, vel aliquod vulneris telum, sed hoc specialiter evenit in Christo. *Sedit in forti arcus ejus.* Christus enim arcum suum et arma pugnandi posuit in Deo, qui fortis est propugnator ; cujus virtute conciditur omnis nequitia perfidorum. *Et dissoluta sunt vincula brachiorum ejus*, quibus fratres eum vinctum ad Pilatum duxerunt, vel quibus eum suspensum ligno crucifixerunt. Recisa sunt enim *per manus potentis Jacob*, hoc est, per manus om-

nipotentis Dei Jacob, ex cujus ore ipse Dominus, A bonus pastor, egressus est lapis et firmitas credentium in Israel. *Deus patris tui erit adjutor tuus.* Quis adjuvit Filium nisi Deus Pater, qui dixit. Jacob puer meus, suscipiet eum anima mea? *Et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum.* Universa enim subjecit ei, cœlestia per benedictionem, cœli, et terrena per benedictionem abyssi jacentis deorsum, ut omnibus angelis et hominibus dominaretur. Benedictionibus uberum, id est sive duorum Testamentorum, quorum altero nuntiatus est, altero demonstratus. Sive benedictionibus uberum Mariæ, quæ vere benedicta erat; quia eadem sancta virgo de se Domino potum lactis immulsit. Unde illa mulier in Evangelio ait: *Benedictus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti* (*Luc.* XI, 27). — *Benedictionibus uberum et vulvæ.* Etiam benedicitur vulva ejusdem matris, illa utique virginalis, quæ nobis Christum Dominum edidit, de qua Pater per Jeremiam prophetam dicit: *Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te* (*Jer.* I, 5). *Benedictiones patris tuis confortatæ sunt benedictionibus patrum tuorum. Benedictiones*, inquit, *Patris tui* cœlestis, quæ datæ sunt tibi a summo cæli et abyssi, *confortatæ sunt*, id est prævaluerunt, benedictionibus patrum tuorum. Ultra omne enim sanctorum meritum patriarcharum sive prophetarum convaluit benedictio omnipotentis Patris in Filio, ita ut ei nullus sanctorum æquetur. *Donec veniret desiderium collium æternorum.* Colles isti sancti sunt qui, Christi adventum prophetantes, magno cum desiderio incarnationem ejus exspectaverunt; de quibus Dominus dicit: *Quia multi justi et prophetæ cupierunt videre quæ videtis* (*Matth.* XIII, 17). Hi ergo sancti dicti sunt colles propter excellentiam sanctitatis. Qui etiam æterni vocantur, quia vitam consequuntur æternam, nec intereunt cum mundo, sed esse creduntur æterni. *Fiant in capite Joseph*, omnes scilicet benedictiones istæ super Christo ponuntur, quas incarnatus accepit, *et super verticem Nazaræi*, de quo scriptum est: *Quoniam Nazaræus vocabitur* (*Matth.* II, 23), id est sanctus Dei inter fratres suos, quia ipse caput omnium eminens universorum sanctorum, quos etiam et fratres vocat in Psalmis.

Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam et vespere dividet spolia. Quibus dictis apostolus Paulus designatur, de Benjamin stirpe progenitus, qui mane rapuit prædam, id est in primordiis fideles, quos potuit, devastavit. Vespere autem spolia divisit: quia, fidelis postmodum factus, sacra eloquia audientibus descriptione mirifica dispensavit. Legimus quemdam ex doctoribus, ad urbem Hierusalem ea quæ de Benjamin scripta sunt, referentem. Benjamin, inquit, *filius doloris* interpretatur. Hic sorte hæreditatis eum locum accepit, in quo terrena est Hierusalem, quæ nunc propter incredulitatem abjecta est atque repulsa. Hæc enim in filiis suis sub persona Benjamin designatur. Nam sicut Benjamin ultimam consequitur benedictionem, ita et idem populus ultimus est salvandus, posteaquam plenitudo gentium introierit. Dixit enim: *Benjamin lupus rapax*, lupus scilicet, quia ipse populus effudit sanguinem prophetarum atque justorum. *Rapax* autem propter aviditatem dicitur. Ex multa enim fame verbi Dei et inedia venit rapax, quia et ipse violenter diripuit regnum Dei. Hic autem *mane comedit prædam.* Mane illud tempus creditur quo legem accepit. Tunc mundo prima quidem illuminatio scientiæ data est. Comedit autem mane, quia legem, quam mane accepit, comedit adhuc, et meditatur; licet sequens legem justitiæ in legem fidei non pervenit. *Ad vesperam autem dividet spolia.* Vespere est illud tempus novissimum quo convertetur. Tunc ergo dividet escam, tunc intelliget dividendam esse litteram ab spiritu, et tunc cognoscet quia *littera occidit, spiritus autem vivificat.* Quia ergo jam per gratiam Domini illuminatus incipit in lege spiritalia a corporalibus dividere et separare, ideo dicitur, *ad vesperam dividet escam*, quod tota die in lege meditans ante non fecit.

Quæritur autem de Jacob cur omnes quos de liberis et ancillis genuit, æquales honore filios et hæredes constituerit? Nisi ut ostenderet quod Christus Dominus omnibus gentibus, qui per fidem corpori ejus conciliantur, cunctis pari honore et gloria habitis cœlestia præmia largiatur. Non est enim discretio: *Judæus an Græcus, barbarus an Scytha,* C *servus an liber sit; quia per omnia et in omnibus Christus est* (*Col.* III, 11). Propterea enim figuram servi Salvator noster et Dominus induit, et pro libero et pro servo servivit, ut omnibus credentibus in se æquale donum bonorum cœlestium largiatur. Nec præfertur apud illum qui secundum carnem nobilior sit. Quicunque enim fidem promeretur, nullis maculis carnalis nativitatis offuscatur. Nam hoc ita futurum etiam per prophetam significatur, dicente Domino: *Erit in diebus novissimis, effundam de spiritu meo super omnem carnem* (*Joel.* II, 28). Sequitur.

CAPUT L.

VERS. 23.— *Vocavit autem Joseph fratres suos, dixitque eis: Post mortem meam visitabit vos Deus, et ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam* D *juravit Abraham, Isaac et Jacob. Asportate vobiscum ossa mea de loco isto.* Quid est quod tantus vir ossa sua ab Ægypto asportari præcepit? Non enim otiose mandasse credendus est. Qui prophetare potuit, non improvide ista præcepit. Cum enim esset in Dei creatoris devotione propensior, sciens ab ipso percepisse quod Ægyptum in tanta majestate gubernaret, noluit ut sibi honor, sed debitus Creatori deferretur: et ideo errorem post mortem suam expetiit auferri, perpendens, ab Ægyptiis causa vanitatis illicitum honorem impendi sibi post mortem, certus vanitatem vulgi mortuos magis ut deos venerari quam vivos. Et ideo ut esset alienus a vana superstitione Ægyptiorum, ne aliquando ad Dei injuriam ista fierent, præ-

cepit ossa sua asportari ab Ægypto; quod quidem A et apostolos invenimus secutos, Paulum scilicet et Barnabam. Nam cum sacrificari sibi vidissent, scientes exosum esse Deo, sciderunt vestimenta sua dicentes : Quid facitis? *Nam et nos homines sumus vobis similes* (*Act.* XIV, 14). Et sic compescuerunt turbas. Verum si cui spiritaliter interpretari placuerit, videlicet ut Joseph significet Dominum ac Redemptorem nostrum. Ægyptus, qui interpretatur *tenebræ*, Judæam propter obscuritatem suæ perfidiæ; ossa ejus, virtutes fidei, quam Judæa retinere indigna, suis exigentibus tenebris ignorantiæ, fuit; et fratres Joseph, sanctos apostolos, quorum figuram multis in locis obtinent; terram ipsorum, Ecclesiam ex gentibus, ubi fidem Salvatoris prædicarunt; nos contradicere nolumus; sed suo B judicio sine contentione delinquere decrevimus.

Liber enim jam finem exposcit clausula terminum petit. Unde et in calce lectorem humiliter precamur ut si hoc opusculum lectione dignum duxerit, et utile si quid invenerit, auctorem quidem scriptionis Domino commendare non abnuerit, quia ejus est donum quod aliquid utilitatis edide-rim. Nam si aliqua digna reprehensione reperit, nostræ stultitiæ ac infirmitati deputet, quoniam non grata nec præsumptuosa, sed imperata potius describere conati sumus: et si de artificiosa compositione causatus fuerit, sciat quia prudentes viri non compta sed utilia in Scripturis requirunt, et eis non verba artificiosa, sed dicta proficua placent; quia sciunt quod non res pro verbis, sed verba pro rebus describendis sunt instituta.

ANGELOMI

LUXOVIENSIS MONACHI

ENARRATIONES IN LIBROS REGUM

DE ANGELOMO PRÆFATIO APOLOGETICA

Cum a quampluribus fratribus, et etiam nonnullis prudentibus et nobilibus viris, rogarer ut secundum solertiam doctorum et traditionem magistri viri dissertissimi, aliquod opusculum in volumina Regum digererem, ego quod a nullo doctorum per omnia expositum apud nos haberetur antiquorum, ob memoriam videlicet frequentata lectione recreandam, et præsertim propter illos qui aiunt, sicut in exordio hujusce voluminis notando tetigi, non alia contineri nisi prælia regum actusque multorum: quod ego diu multumque delitescendo facere distuli, maxime cum parva forem scientia præditus, nec elucubratione artis sæcularis sapientia fretus, et, ut ita dicam, indoctus eloquio, parvus ingenio, nec dicere poteram illud Psalmistæ: « A mandatis tuis intellexi. » Nec dignus eram, in- D quam, ut angelus carbone torrente de altari spurca purgaret labella, ut valerem Christi digne enucleare mysteria. Sed rursus his excusationibus reluctantem cœperunt me suasoris affaminibus, imo objurationibus, compellere ut aliquid juxta frugalitatem sensus, et ingenioli mei capacitatem, secundum quod a didascalo inculcata fuerant, describere nullatenus abnuerem. Sed cum negare non valerem, tandem assensum præbere decrevi, et ad aliqua, licet temere et formidolose, digerenda sum aggressus, eo videlicet jure ut intra domesticos parietes secretius retinerent, nec alieni ad legendum traderent, et [ne] mea imperitia, verum et temeritas, C legentibus detecta, manifesta foret, et oblocutionibus occasio panderetur reprehendentium. Nam stylum cum ad primum librum describendo appulissem, ut abdite abdita auctore Deo congererem, exemplo mea impudentia est detecta, et sacris auribus magnifici Drogonis, egregii scilicet pontificis, quo nihil nobilius nihilque prudentius, est revelata nugacitas. Quo comperto, cœpit ingenue libera auctoritate imperare ut darem operam, et cœptum opus non finirem, sed sagaciter ad calcem tenus perducerem. Cujus quoque preconiis nullatenus resistere valui, verum nec tantæ auctoritati renuere præsumpsi, non solum quidem quia filius erat præstantissimi Caroli Cæsaris, imo frater mitissimi Ludovici principis, verum etiam quia erat præclarus pontifex et abbas meus egregius. His enim necessitatibus adactus, præconiisque multimodis compulsus, sed potius, ut ita dicam, Christi auxiliis fretus, qui præstat mutuis confidentiam et mutis locutionem, tentatum opus enucleare præsumpsi. Sed sciendum est quia quibusdam in locis totam sententiam, prout a doctoribus est exposita, digessi; quibusdam enim [vero] eorum sensum sequens, compendioso sermone multa inserui, et ex multis ad unum perduxi: quibusdam quoque quod in libris tractatorum non reperi, sicut a magistro aure accommodante didici, propriis intuli verbis. Nonnulla quippe, licet pauca, quæ legenti pateni stipulata exemplis propria inserere præsumpsi, et in libelli

modum Christo duce finire decrevi. In quo non A persona est attendenda scribentis, sed qualitas consideranda est dictionis. In quam multos strenuos etiam doctorum modernos, qui multa quoque posteris dereliquerunt, ex dictis colligendo monumenta sanctorum. Non ideo dico ut eorum gressibus me coæquare valeam, præsertim cum illi rore cœlestis nectaris campos maduerunt divinarum Scripturarum multimodos, et futuris sæculis dimisere proficua legentibus: ego vix ægreque saltem possum ex eorum dictis decerpere permodica et tandem intelligere vel minima: sed ne viderer ingratus largitori, licet compulsus, contuli mediocriter qui potui præcipientibus. Simul etiam notandum est illis qui in hoc libro parum spiritale contineri contendant, quod hic Scriptura B (sicut in multis divinis voluminibus) non solum tribus modis dignoscitur, juxta illud Salomonis: Ecce descripsi eam tripliciter: verumetiam multipliciter contineri, secundum quod in libro beati Job inscribitur. Atque utinam, inquit, Deus loqueretur tecum, et ostenderet tibi secreta sapientiæ, et quod multiplex ejus esset lex. Quod doctorum solertia attestante septemforme dignoscuntur. Ipsi sunt enim septem sigilli, quibus iste liber, secundum Apocalypsim Joannis, signatus esse proclamatur, quem nemo potuit solvere, et aperire signacula ejus, nisi leo de tribu Juda, qui habet clavem David, qui hunc et signacula ejus aperuit. Sunt enim primus historialis, secundus allegorialis, tertius utriusque rei modus; quartus, de incom- C mutabili divinæ Trinitatis essentia: quando videlicet proprie, quando tropice sacris insinuetur oraculis. Quintus parabolaris, videlicet quando aliud dicitur, et aliud invenitur scriptum. Sextus de gemino Salvatoris adventu, ne aut primus pro secundo, aut secundus pro primo intelligatur. Septimus quo sic divinis præceptis instruimur, ut certa vitæ agendæ forma, alius vero vitæ significandæ figura regulariter innotescat. Sed jam exemplis ex hoc volumine convenit edocere, ut his primum edocti sciant multa mysteria in eo contegi. Primus historicus ille est, ubi nihil spiritale continetur, sicut ait Samuel: « Melior est obedientia quam victimæ, » et mille talia. Secundus allegorialis, ubi ait quod in omnibus finibus Israel puella speciosa regi D David requiritur, in cujus sinu dormiat et calefiat: tam casta, ut calefactum ad libidinem non provocet; quæ sapientiam figurat, quæ etiam in senibus non senescit, sed frigescentibus membris dilectores suos igne ampliore succendit. Tertius, uterque modis sicut in David ostenditur, ubi Betsabee uxorem Uriæ incaute respexisse dicitur, et peccasse: ut demonstretur quod nullus debeat juxta historiam mulierem incaute respicere. In quo facto allegorica etiam significatio continetur, sicut in suo loco abunde descripsimus. Quartus modus, ubi nobis aliquando proprie, aliquando tropice Divinitas sacris eloquiis intimatur: Proprie, sicut Elias ait: « Vivit Dominus in cujus conspectu sto. » Et illud: « Tu es enim Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum. » Et: « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. » Tropice, juxta quod Michæas: « Vidi Dominum sedentem, et omnem militiam cœli assistentem ei, » et cætera talia, quæ de Deo translate non proprie accipi solent. Quintus parabolaris, quo cum aliud dicitur, aliud in sacris paginis invenitur. Hoc est quod in titulo psalmi XXXIV dicitur: « Psalmus ipsi David, quando commutavit vultum suum coram Abimelech et dimisit eum, » cum in hoc libro coram Achis rege hoc fecisse narratur. Cum ergo pro Achis Abimelech posuit, legentem monuit, ex ipsius interpretatione nominis, latens altius penetrare mysterium, de quo inferius suo in loco digessimus. Cui etiam convenit illud: « Carduus qui est in Libano misit ad cedrum, quæ est in Libano, ut daret ei filiam suam, » et reliqua. De sexto vero, ubi geminus adventus Christi continetur, cunctis patet qui sit primus, quis erit futurus, qui uterque hic præfiguratur. Septimus proinde modus, qui geminam præceptorum retinet qualitatem, ille est vitæ agendæ, ut exempli gratia: « Diliges proximum tuum tanquam teipsum: Qui enim diligit proximum, legem adimplevit: » Quod David non solum in Jonatha implevit, verum et in Saul, quem inimicum dilexit: de quo Scriptura ait: « Planxit autem David super Saul et filium ejus, » et reliqua. Ipse est et figurandæ vitæ, carnalium videlicet victimarum et vasorum compositione. Victimæ enim hoc præfigurabant quod hortatur Apostolus, ut « exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. » Vasa vero similiter electos designabant, divinis officiis occupatos. Qui modus cum secundo similis videatur, illa tamen ratione discernitur quod hic ad mores tantum, ille etiam redigendus est ad fidem. Verum licet isti modi multipliciter istic inveniantur, tamen juxta jugitatem triplicis divisionis, studuimus primum historicam, quæ gesta depromit, tangere: deinde allegoricam significationem, quæ fidem ædificat pandere, ad extremum quoque moralitatem, quæ vitam honestam componit subnectere, ne pondere solius et unius intelligentiæ pressus, aut historiæ et allegoriæ mole gravatus desidiosus lector occasionem possit invenire excusationis, sed potius cum hac paupertate discurrere valeat provocatus per campos ovans latissimos doctorum.

PROLOGUS

Si mavis, lector, typicos dignoscere sensus,
Quæ tenet, ingredere, floridus iste liber.

Bis retinet bina en sacrata volumina Regum,
Quæ patuere prius ore tonante sopho.

Hunc studuit calamus noster conjungere fretus,
Et voluit tandem texere nostra manus.
Scilicet ingrediens campos et prata piorum,
Carperet ut flores Celsitonautis ope.
Ex quibus accipias divinæ stirpis odores,
Et valeas fructus tollere rite bonos.
Fercula fert animis nimium pulcherrima claris,
Unde fames animæ pellitur acta procul.
Lilia cum violis redolent percandida rubris,
Et pariter fragrant cinnama, rosa, ruta.
Continet hic Christi nimium charismata sacra,
Quæ latuere prius cortice tecta diu.
Hicque prophetarum pangit sanctissima gesta,
Plurima multorum mystica verba canit.
Quæ David gessit, cecinit quoque et inclyta proles,
Hoc typice, lector, iste libellus habet.
A Hic evangelicam quadriga concrepat aulam,
Sic et apostolicum lumen habere probat.
Istic invenies thesaura recondita Patrum,
Horum et multiplices hic retinentur opes.
Abdita nam raserat, et tandem mystica pandit,
In medium profert intima quidquid habent.
Grandia cœlestis promittit præmia vitæ,
Vivere cum Domino regna tenendo poli.
Istius ergo celer calles discurre libenter,
Discute paginulas, mel tibi portat apis.
Has cape divitias, mundi contemne caducas,
Quod canit iste liber semper in ore tene,
Lurida linque libens spurcæ contagia carnis,
In mentem veniat quod moriturus eris,
Sis memor auctoris versus cum legeris istos,
B ANGE, Deus, LOMI dic miserere tui.

IN LIBRUM PRIMUM

PRÆFATIO.

Viginti et duas esse litteras apud Hebræos in auctoribus divinarum Scripturarum reperimus, quod nullus qui eos legerit, ignorat. Secundum quarum numerum apud eos viginti et duo volumina supputantur: inter quæ etiam hic liber Regum, de quo tractaturi sumus, comprehenditur. Qui in supputationibus eorum post Judicum in ordine tertius habetur. In quo quidem volumine (quanquam nonnulli, scientiæ spiritalis C intelligentiæ ignari, aut humanæ solummodo sapientiæ dediti, aiunt nihil aliud posse intelligi nisi superficies historiæ, et prælia Regum, ac casus multorum), multa tamen sacramenta Christi et Ecclesiæ variis scilicet modis continere videntur. Nam ab ipso exordio Regum, commutatum sacerdotium in Samuelem, reprobato Heli; et commutatum regnum in David, reprobato Saule: exclamavit prænuntiare novum sacerdotium novumque regnum, reprobato veteri, quod umbra erat futuri, in Domino Jesu Christo venturum. Nonne ipse David cum panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus, in una persona utrumque futurum, idem in uno Jesu Christo regnum et sacerdotium figuravit? D Ipsa itaque Samuelis sacerdotis successio, novum, ut prædictum est, et sempiternum sacerdotium præfigurabat, qui est Jesus Christus, Heli sacerdote reprobato, id est Judaico sacerdotio abjecto, mater quoque ipsa Samuelis, quæ prius fuit sterilis et posteriori fecunditate lætata cujus etiam nomen, id est Anna, quod *gratia ejus* interpretatur, ipsam religionem Christianam, ipsam postremo Dei gratiam significat, quia nobis Christus oritur: ipsam quoque Ecclesiam, quæ olim sterilis, nunc fecunda, in Dei laudibus lætatur. Sunt enim hujusmodi innumerabilia, quibus comprobatur quod liber iste spiritalibus floribus redolet et allegoricis significationibus pollet. De quibus (si Dominus dederit) describemus suis in locis per singula quæ congruere rationi videbimus in posterum. Hæc scientibus pauca prælibata sufficiant: tandem, Domino favente, ad historiæ seriem venire decrevimus. In qua quidem prius fundamenta ipsius historiæ, ubi libuerit, imo ubi congruerit, et postmodum culmen spiritalis intelligentiæ, verum etiam quibusdam in locis, moralis suavitatis harmoniam inserere nitimur, ut lector non solum contentus sit dictis historiæ, verum allegoriarum ac moralium melos decerpere possit salubriter. Sed prius notandum est quod bene post Judicum, ut diximus, ponitur Regum, videlicet quoniam nunc sunt præsules Ecclesiæ, sed postmodum regnum: seu quia prius erit judicium, deinde sequetur sempiternum imperium. Ait enim sacra descriptio.

CAPUT PRIMUM.

« Fuit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte « Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroham, « filii Eliu, filii Thau, filii Suph, Ephratæus. » Quia enim in prolegomena, imo in isagoge polliciti sumus prius fundamenta historiæ ponere, et postmodum culmen allegoriæ, atque ubi gratum fuerit, moralitatis harmoniam inserere, ideoque primum dignum fore arbitramur de generatione sancti Samuelis prophetæ historiam prædicere, ut postmodum continuatim allegoriam ejus valeamus, Domino favente, dirigere. Elcana namque pater ipsius de stirpe Levi fuit, sed non de generatione Aaron sacerdotis: quod enim pater ejus de tribu Levi fuerit, Verba dierum manifestissime comprobant, ubi series generationis usque ad Levi perducitur. Dicitur enim filius fuisse « Jeroham, filii Eliu, filii Thau, filii Sophoniæ, filii Elcana, filii Maath, filii Amasai, filii Elcanæ, filii Joel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, filii Thaath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core, filii Isaar, filii Levi » (*I. Par.* VI), et reliqui. Cujus generatio hic concordare comprobatur. Quam generationem in sequentibus spiritali intellectui concinnere conabimur.

Matrem quoque ejus de tribu Juda fuisse monstratur, in eo quod Ephratæus vocatur. Ephratæus ab Ephrata uxore Chaleb, quam constat fuisse de tribu Juda, dictus est. Ephratæus ab Ephrata civitate, id est Bethlehem, quia Bethlehem prius Ephrata vocata est. Et si quem movet quod ab Ephraim, non ab Ephrata, Ephrateus vocatur, unde in subsequentibus legitur (*I Reg.* XVII) quod David filius Ephratæi vocetur, cum liquido pateat eumdem Isai patrem David, non de Ephraim, sed de tribu Juda exstitisse: et probet eumdem Elcanam Ephrateum ab Ephrata, non ab Ephraim dici. Hic inter medios cives Ephrem sortis exsistens, Ramathaim Sophim civitatem inhabitabat, inde Scriptura de monte fuisse Ephraim commemorat. Intra cunctas namque tribus habitationem Levitarum fuisse non dubium est Ramathaim, ipsa est quæ in Evangeliis Arimathia legitur, de qua fuisse Joseph eadem Evangelia comprobant (*Matth.* XXVII; *Marc.* XV; *Luc.* XXIII; *Joan.* XIX). Est enim civitas in regione Tamnitica, juxta Diospolim. De qua notandum est, quod juxta Hebraicam veritatem non Ramathaim, sed Armatha sive Aramathaim (sicut in libris locorum legimus) habetur. Similiter etiam interpretationibus Hebraicorum nominum Aramathaim reperitur, quod nos ita legendum non dubitamus, unde et Armathia nuncupatur, et interpretatur excelsa duo vel eorum. Bene excelsa duo. Juxta historiam, ut quæ intelligantur tribus, regalis, videlicet et sacerdotalis, id est Juda et Levi, ex quibus exstitit pater ejus et mater. Sophim, *Speculator* dicitur: speculatores hic fortassis prophetæ intelliguntur, quorum filius Elcana fuerit.

« Et habuit duas uxores: nomen uni Anna, et « nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenen- « næ filii, Annæ autem non erant liberi. » Convenienter igitur Annæ sterilitas commemoratur, cujus partus celebrior futurus erat instar priorum patrum, ut majus gaudium post longum mœrorem de percepta fecunditate parentum insinuetur. Sicut enim Abraham patriarchæ legitima uxor, quam primitus duxit, Sara videlicet, primum sterilis fuit, Agar Ægyptia generante filium: et sicut Jacob serviente socero suo pro Rachel uxore, ipsa Rachel sterilis fuit, sorore ejus Lia liberos gignente (*Gen.* II; *Gen.* XVI; *Gen.* XXIX, XXX): ita et Elcanæ melior uxor quæ prophetam genuit, sterilis primum fuit, postea autem per Domini gratiam fecunda, ut tali ortu magnus futurus propheta etiam monstraretur.

« Et ascendebat vir de ille de civitate sua statutis « diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino exer- « cituum in Silo, » etc. Silo civitas est in tribu Ephraim, in quo loco arca testamenti mansit et tabernaculum Domini, a temporibus Josue filii Nun (*Jos.* XIII, XIV, XV). Postquam vicerat gentes quæ terram repromissionis possederaut, usque ad tempora Samuelis. Narratur enim in libro Jesu Nave, quod prædictus dux sorte ibi missa coram Domino, terram repromissionis singulis tribubus distribuerit. Est autem Silo in nonagesimo milliario, Neapoleos in regione Arabithena. Sed et Judæ patriarchæ filium Sela appellatum legimus (*Gen.* XXXVIII). Ad hanc ergo ascendit Elcana cum domo sua, statutis diebus secundum legem, ut adoraret, et sacrificaret Domino exercituum. Quod autem dicit statutis diebus, hoc est tribus festivitatibus, Pascha videlicet et Pentecoste, et solemnitate tabernaculorum, unde Dominus in Exodo præcepit, dicens: « Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis (*Exod.* XXIV). Et item: « Ter, inquit, in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus (*Exod.* XXIII). » Ergo in Silo cum esset eo tempore arca Domini ibi hic Elcana cum esset ipse Levita, post oblatas victimas, cum uxoribus et filiis atque filiabus pariter vescebatur.

« Deditque Phenennæ uxori suæ et cunctis filiis « ejus et filiabus partes. Annæ autem dedit par- « tem unam tristis quia Annam diligebat. Domi- « nus autem concluserat vulvam ejus. Affligebat « quoque eam æmula ejus, et vehementer ange- « bat, in tantum, ut exprobraret quod conclusis- « set Dominus vulvam ejus, » et reliqua. Nam quod ait, « deditque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis et filiabus, partes: » hæ partes, partes sacrificiorum, quas de immolatis dedit intelliguntur secundum consuetudinem legis. Quanquam opinio Judæorum, vestes intelligi velit, « Annæ autem dedit partem unam, inquit, « tristis. » Tristis videlicet erat, quia Dominus concluserat vulvam ejus. In hoc vero quod subjunxit: » Affligebat quoque eam æmula ejus, » etc., demonstratur quod sicut Saram sterilem Agar concipiens despexit: ita et Annam sterilem Phenenna prole fecunda æmulabatur. Malorum enim est solatium, vitam bonorum carpere. Porro illa flebat, et non capiebat cibum læta corporeum, sed secundum prophetam, « Fuerunt illi lacrymæ panes die ac nocte, et potum suum cum fletu temperabat (*Psal.* 41). »

« Surrexit autem Anna postquam comederat in « Silo et biberat, et Heli sacerdote sedente super « sellam ante postes templi Domini. » Heli iste summus sacerdos erat, et post Samson populum Israel regebat (ut in Hebræorum libro invenitur) annis quadraginta: secundum Septuaginta autem interpretes annis viginti.

« Cum esset amaro animo, oravit Dominum « flens largiter, et votum vovit dicens: Domine « exercituum, si repiciens videris afflictionem fa- « mulæ tuæ, et recordatus mei fueris nec oblitus « ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum viri- « lem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ « ejus, » et reliqua. Recordabatur forsan verborum beati Job, quibus dixit: « Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Dominum et exaudiet eum, quia ipse laborem et dolorem suorum considerat (*Job.* XII). » De quo scriptum est: « Tibi, Do-

mine, derelictus est pauper pupillo tu eris adjutor (*Psal.* xix). A Cui vota justorum sunt placabilia et oculi ejus ad preces eorum.

« Factum est ergo cum illa multiplicaret preces « coram Domino, ut Heli observaret os ejus. Porro » Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia « illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. « tur. Æstimavit igitur eam Heli temulentam, dixit« que ei: Usquequo ebria eris? Digere paulisper « vinum quo mades. Respondens Anna, Nequa« quam (inquit), domine mi. Nam mulier infelix « Nimis ego sum, vinumque et omne quod ine« briare potest non bibi, sed effudi animam meam « in conspectu Domini. Ne reputes ancillam tuam « quasi unam de filiabus Belial, quia ex multitu« dine doloris et mœroris mei locuta sum usque B « in præsens. » Belial interpretatur *absque jugo.* Nota quod hi qui ebrietatem sectantur, filii Belial vocitentur: hoc loco impletur illud quod scriptum est, « Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor (*I Reg.* xvi), » quia Heli tantum os deprecantis Annæ intuebatur, et vocem ejus penitus non audiebat, sed motum labiorum cernebat, æstimabat ebriam esse. Illa autem, quia sursum elevabat cor et confitebatur Domino in toto corde suo, respexit Dominus ad orationem ejus, et non sprevit preces illius. Nobisque optimus modus orandi ad exemplum datus est (sicut in sequentibus plenius dicturi sumus), ut non in multiloquio formemus preces nostras ad Dominum, sed in compunctione cordis et effusione lacrymarum, nos exaudiri ab eo cre- C dimus: quia « sacrificium Deo est, spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* l). » Quod tunc digne fit, si, oratione completa, nos in eodem tenore justitiæ permanebimus. Unde et sequitur.

« Et abiit mulier in viam suam et comedit, vul« tusque illius non sunt amplius in diversa mutati. « Et factum est post circulum dierum, concepit « Anna et peperit filium, vocavitque nomen ejus « Samuel, eo quod a Domino postulasset eum. » Post circulum ergo dierum, id est post anni reditum, peperit Anna puerum, vocavitque nomen ejus Samuel. Samuel qui interpretatur *postulatio Dei*, sive *nomen ejus Deus*, quia auctor nativitatis ejus Deus erat, qui ab sterili exoratus concessit D habere filium, qui dignus haberetur in templo Dei cunctis diebus assistere ad servitium ejus. Qui superius non solum vir, sed vir unus appellatur, quia videlicet non in diversa vagabundus, vel mobilis atque instabilis, sed firmus atque inconcussus persistens vir unus erat. Et non solum vir unus dicitur, ille qui firmus perseverat, sed omnes competentes unus dicuntur, unam sapientiam omnes habentes, qui unum Christum Jesum confitentur, in uno Spiritu Dei replentur. Unusquisque insipientium non est unus, sed multi. Unde Scriptura: « Stultus ut luna mutatur (*Eccl.* xxvii). » Luna cum videtur una esse per substantiam, per mutationem dierum semper ipsa alia est et diversa. Sic et peccatores, qui mutantur a sapientia et scientia, et diversa concupiscunt, instabiles efficiuntur in omnibus viis suis. Ecce historiam prælibavimus, sed spiritualem intellectum necesse est ut breviter tandem tangamus: Vir enim iste Elcana, qui interpretatur *Dei possessio*, figuram gestavit unici Filii Dei, qui vera et specialis est Dei Patris possessio. De ipso namque per Salomonem dicitur: « Dominus possedit me initio viarum suarum *Prov.* viii). » Et Pater de ipso: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* iii et xvii). Et idem Filius in Evangelio: « Pater in me manens, ipse facit opera: qui bene vir unus dicitur (*Joan.* xiv). » Unus autem appellatur Deus, non de numero, sed quia nunquam a semetipso alter efficitur, ideo nunquam mutatur. Unde Psalmista: « Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient (*Psal.* civ). » Arimathaim Sophim, quæ interpretatur *excelsa* vel *specula*, cœlestem significat Jerusalem. De qua ad nos veniens, camdem speculationem et docuit, imo et ad camdem possidendam sua morte reparavit. In qua ipse sedens ad dexteram Patris, interpellat pro nobis secundum quod Apostolus ait: « Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum (*I Joan.* ii), » etc. Qui bene filius dicitur, filii Jeroham, filii Heliu, filii Suph Ephratæus. Jeroham quippe *misericors* interpretatur. Eliu vero *Deus meus:* Suph, *effundens*: quæ nomina, sicut nobis videtur, jure ad Deum Patrem referuntur. Ipse est misericordia nostra, quia sua miseratione actum est, ut unigenitus Filius ad nos veniens, suo cruore nos redimeret, juxta quod Apostolus ait: « Sic enim dilexit Deus mundum, ut Unigenitum suum daret pro nobis (*Joan.* iii). » Qui in passione, pro nobis laborans, aiebat: « Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? (*Psal.* xxi). » Unde Suph effundens *dicitur*, quia ad nos sinus suæ pietatis cum de cœlestibus effudit, ut semetipsum exinaniret, atque quodammodo effunderet, et genus humanum liberaret. Unde per Salomonem in Canticis canticorum dicitur: « Unguentum effusum est nomen tuum (*Cant.* i). » Nomen ergo Dei unguentum effusum est, quando ab immensitate divinitatis suæ, ad naturam nostram se exterius effudit, et ab eo quod erat invisibilis, visibilem se reddidit. Si enim se non effunderet, nequaquam nobis se innotesceret. De qua effusione Paulus ait: « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit (*Philip.* ii), » et reliqua. Quod Paulus ait *exinanivit*, hoc Salomon dixit, *effudit*. Qui jure Ephratæus dicitur, Ephratæus *frugifer* interpretatur. Quod bene eidem unigenito Dei Filio convenit: ipse enim omnibus donis Spiritus sancti et virtutibus abundans habetur. Hinc Isaias ait: « Requievit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis (*Isa.* xi), » et reliqua. Sequitur: « Habuitque uxores duas, nomen uni Phenenna, et nomen secundæ Anna. Fueruntque Phenennæ filii. Annæ autem non erant liberi, » et reliqua. Istæ duæ uxores,

Anna videlicet, quæ interpretatur *gratia*, et Phenenna, quæ dicitur *conversio*, geminæ plebis, hoc est Ecclesiæ gentium et Synagogæ, prætenderunt imaginem. Phenenna namque Synagogæ typum prælibabat quæ fecunda primum in filiis exstitit, quos Deo per prædicationem legis generare videbatur. Sed quia conversa est a fide patriarcharum et prophetarum ad infidelitatem, infecunda permanet. Anna vero sterilis, quæ interpretatur *gratia*, Ecclesiam significabat gentium, quæ gratia sancti Salvatoris cognoscitur esse redempta. Juxta quod Apostolus ait: « Gratia enim Dei salvi facti estis per fidem, et non ex vobis, donum Dei est (*Ephes.* II). » Et iterum: « Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non misericordiam consecutam misericordiam consecutam (*Rom.* IX), » etc. Quæ sterilis dicitur, juxta quod scriptum est: « Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpere et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Isa.* LIV). » De qua etiam Psalmista ait: « Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem (*Psal.* CXII). » Quæ olim sterilis a fecunditate prolis spiritualis, nunc Deo spirituales filios per fontem baptismatis, et gratiam Spiritus sancti gignere non desistit. De qua in Canticis canticorum Apostoli dicunt: » Soror nostra parvula est, et ubera non habet (*Cant.* VIII). » Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est: Parvula, inquiunt, est quia mysterium prædicationis nondum sufficit subire, ut filios generans ab intimis mysteriis, vel ut ex uberibus nutrire possit. Quid ergo tibi videtur, o Synagoga, de sorore nostra faciendum, quando alloquenda, est, id est per verbi mysterium ducenda ad fidem, ut quæ modo sterilis videtur possit fecunda spiritualiter filios generare? Synagoga tacente, ipse sponsus sive Apostoli quid fieri debeat, respondent: Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, id est scientiam divinarum Scripturarum, ut possit non solum protegere infirmos, sed etiam docere indoctos, ne semper sterilis permaneat. Ista enim quanquam tunc uxor esset in prædestinatione divinæ gratiæ, juxta quod sponsus loquitur de ea: « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea (*Cant.* I), » id est, tu adhuc in curribus Pharaonis subintus serviebas, subintus currebas in gentilitate, sed ego attendi quid de te per prædestinationem fecit: « Equitatui meo te assimilavi, » id est electis meis te similem attendi. Tamen quia nondum sponsus eam proprio sanguine redemerat, nec desponsaverat, sterilis habebatur, quia ei per fidem conjuncta non erat, sed Synagoga ei quodammodo filios per legem, ut diximus, parere videbatur. Hæc enim breviter tangendo, ut diximus, sed in consequentibus post aliqua quæ interpolata videntur, in historia prolata plenius describere conabimur. Erant alibi duo filii Heli, Hophni et Phinees, sacerdotes Domini. Quia historia luce clarius patet, ad spiritalem intellectum transducimur. Hophni namque, qui interpre-

A tatur *discalceatus* sine *insania conversionis*: et Phinees quoque, qui dicitur *os mutum*, scribas et Pharisæos significant Judæorum. Qui bene filii Heli dicuntur, qui typum tenebat sacerdotii Judæorum propter sacrificia carnalia legis et sacerdotii ipsorum. Ipsi enim scribæ et Pharisæi dum suam, juxta Apostolum (*Rom.* X), voluerunt statuere justitiam, et justitiæ Dei contemnentes, noluerunt esse subjecti, nec ipsum recipere quem lex et prophetæ prædixerunt esse venturum, degenerantes a fide patriarcharum et prophetarum, ad insaniam infidelitatis conversi, os mutum meruerunt habere, a vero sacerdotio Christi et confessione veri sacerdotis, de quo scriptum est: « Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » B Et quia Ecclesiam sibi, proprie quæ Christo debebatur, qui erat verus sponsus, tanquam propriam vindicare voluerunt, et noluerunt suscitare semen fidei in nomine defuncti fratris, id est Christi, juxta quod in lege scriptum erat, non meruerunt esse in sorte eorum. De quibus ait Apostolus: « Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis (*Ephes.* VI). » Et de quibus per prophetam dicitur: « Quam speciosi pedes eorum qui annuntiant bona (*Rom.* X). » Et ideo nudi et discalceati a vera fide et dignitate sacerdotii remanserunt. Quod pertimescebat agere Joannes quando dicebat eis, « Non sum ego Christus: venit enim fortior me post me, cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus (*Joan.* I). » C Ac si diceret: Ego redemptoris vestigia denudare non valeo, quia nomen sponsi mihi immeritus non usurpo. Quod quia scribæ et Pharisæi indebite usurpare conati sunt videlicet nomen sponsi sibi et non Christo tribuere, et insuper e contrario contempserunt, imo in faciem conspuere non dubitaverunt: jure nomen illorum dicitur *domus discalceati*, sicut in lege scriptum est (*Deut.* XXV). Ac per hoc nudi remanserunt ab omni dignitate, et discalceati ab exemplis patriarcharum et prophetarum. Unde Silo quidem eis congruit, ubi sacerdotes fuisse leguntur. Silo namque *dimissio ejus*, vel *petitio* interpretatur: quia enim ipsi expetierunt Pilatum, ut dimitteret Barabbam, et Jesum traderet eis (*Matth.* XXVII). Unde ad in- D saniam crudelitatis conversi, clamabant dicentes: « Si dimittis eum, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX). » Et item: « Crucifige, crucifige eum (*Luc.* XXIII). » Merito dimissi fuerunt, et derelicti a Deo, exuti ab omni bonitate, traditi sunt gentibus, et amiserunt sacerdotium et regnum, et torpore infidelitatis nudi, frigescunt inter gentes. Sequitur: « Dedit ergo Elcana Phenennæ et filiis ejus et filiabus partes. Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. » Jam enim superius inculcavimus quod Phenenna typum tenuit Synagogæ, quæ a Deo quidem partes cum filiis et filiabus (quantum juxta anagogen pertinet) percepit, videlicet temporalia bona terræ promissionis. Juxta quod per Psalmistam dicitur: « Dedit eis regiones gentium et labores populorum possederunt, ut custo-

diant justificationes ejus, et legem ejus requirant (*Psal.* CIV): » et quia primum credita sunt illis eloquia Dei, et legislatio, et testamentum, et repromissio, et reliqua. Quanquam ingrata fuisset, Annæ autem dedit partem unam tristis. Pars enim ista quam conditor rerum Annæ, hoc est Ecclesiæ gentium contulit, naturale ingenium possumus accipere, per quod Deum agnoscere poterat. De quo prædicator egregius ad Romanos describens ait: « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I). » Sempiterna quoque ejus virtus ac divinitas: unde de sapientibus hujus mundi præmisit, dicens: « Quia quod notum est Dei, manifestum est illis (*Ibid.*) » Deus enim illis manifestavit, sed bene ait, *tristis*, quia Dominus concluserat vulvam ejus. Denique quia spiritualiter Deo generare filios non poterat anxie ferebat, scilicet quia nondum advenerat tempus miserendi ejus, ut a sua sterilitate aperiretur, et spirituali gratia fecundaretur. Cujus fecunditatem longe considerans Isaias, clamabat; Lætare, sterilis, quæ non paris (*Isa.* LIV), » et reliqua. Post hanc sterilitatem, tristis erat Ecclesia, quia non solum non pariebat alios, verum etiam a gratia Dominicæ incarnationis, et ab amissione legis sterilem se videbat. Sed ut hoc perpendere potuisset, per naturale ingenium intellexit. Quia ipsam Dominus diligebat, scilicet non qualis tunc erat, sed qualis in prædestinatione futura erat. Sed quia hanc prædestinationem et futuram gratiam Synagoga ignorabat, gentilitatem despiciebat, et insuper etiam odio insequebatur. Nam sequitur: « Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat, intantum, ut exprobraret quod conclusisset Dominus vulvam ejus. » Nulli igitur legenti dubium est, quod Synagoga Judæorum Ecclesiam gentium persecuta est, et propter idololatriæ cultum contemnebat et exprobrabat. Denique etiam ipsa primitiva Ecclesia ignorans mysterium salvationis ipsius, Petrum redarguere volebat, quare ingressus esset ad Cornelium et manducaret cum gentilibus. Sed Petrus cum divinam gratiam eis retulisset, glorificaverunt Deum (*Act.* II). De qua etiam despectione idololatriæ, Ecclesia ex gentibus Synagogæ respondit, dicens: « Noli me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol (*Cant.* I) » Ac si aperte dixisset: Inde fusca sum, unde peccatrix, quia me sol decoloravit, id est creator meus in errore positam me deseruit, et radios suæ districtionis subtraxit. Ego in errorem lapsa sum, unde et subjungit: » Filii matris meæ pugnaverunt contra me (*Ibid*). » Filii matris, immundi intelliguntur spiritus, quia ab una gratia benignitatis et potentiæ Dei, nos et angeli conditi sumus. Et ex eo quod rationales sumus, quasi quamdam societatem fraternitatis habemus: quia tamen cadentes angeli, et ante adventum Salvatoris, et quotidie contra Ecclesiam gentium bellum gerunt, dicat: « Filii matris meæ pugnaverunt contra me. » Ac si dicat, quia creator meus in gentilitate me deseruit, « filii matris meæ pugnaverunt contra me. »

A Noli me despicere, o Synagoga, quia si nigra sum per meritum, formosa sum per divinæ prædestinationis gratiam. Sed ideo Synagoga contemnit Ecclesiam, quia attendebat qualis erat, sed ignorabat, ut diximus, qualis futura erat. Verum postea considerans Ecclesiam per naturale ingenium ortam, divina scilicet illustratam gratia venire ad Christum, ait: « Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? » (*Cant.* CXI.) Nam admiratur quomodo gentium populus, nullo circumcisionis mysterio emundatus, nullis prophetarum admonitionibus instructus, subito ab intimis voluptatibus per desertum gentilitatis et idololatriæ, ad alta virtutum culmina, et ad B amplexus sponsi ascendisset. Et bene ait: « Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii, » id est igne amoris accensa, vel omni nisu virtutum ad cœlestia tendit. Per myrrham, mortificatio carnalium voluptatum. Per thus, puritas orationum: et in diversis pulveribus pigmentarii omnium virtutum odor accipitur. Unde alibi stupens Synagoga dicit, « Nescivi, anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab (*Cant.* VI).» Ac si dixisset, Nescivi, o Ecclesia gentium, dona gratiæ spiritualis in te esse, sed anima mea conturbavit me propter inductionem Novi Testamenti, et evangelicæ quadrigæ. Aminadab quippe interpretatur *populus meus spontaneus*, id est Christus qui sponte gratiam suam C contulit Ecclesiæ, qui per totum jam vehitur orbem. Sed quia eamdem gratiam nondum adhuc perceperat Ecclesia, sed sterilis permanebat et tristabatur, recte subinfertur: « Porro illa flebat, et non capiebat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? et quare non comedis? et quamobrem affligitur cor tuum: Nunquid non ego melior sum tibi quam decem filii? » Ait enim: « Porro illa flebat et non capiebat cibum. » Hoc est quod beatus Job ex eadem Ecclesia gentium, quæ adventum sui Redemptoris desiderabat loquitur, dicens: « Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? » (*Job.* VI.) Quid per onagrum, id est agrestem asinum, nisi gentilis populus designatur? quem sicut natura extra stabula disciplinæ edidit, ita vaD gus in voluptatum suarum campo permansit. Vita namque beati Job attestante, cognoscimus expectasse Redemptoris adventum multos etiam ex gentibus. Herba ergo onagri est hæc ipsa mediatoris incarnatio, per quam ipsa gentilitas jam satiatur. Quia enim per prophetam dicitur: « Omnis caro fenum, universitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens fenum fieri voluit, ne nostra in perpetuum fenum caro remaneret (*Isa.* XL). » Tunc ergo herbam onager, invenit, cum gentilis populus gratiam divinæ incarnationis accepit. Sed quia diu vota electorum gentilium dilata sunt, longo tempore redemptionem suam exspectando gemuerunt, et non meruerunt eamdem gratiam percipere, qua fecundarentur et saturarentur illo cibo de quo Dominus ait: « Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem

meum, in me manet, et ego in eo (*Joan.* VI). » Benedictum est : « Porro Anna flebat, et non capiebat cibum. » Et quia Ecclesia perseveravit in prece pro eadem Redemptoris gratia, tandem ipse per mysterium suæ incarnationis consolationem adhibuit. Unde et dicitur : « Anna, cur fles ? nunquid non ego melior tibi quam decem filii ? » Verum est, inquam, verum quod loquitur sermo divinæ consolationis : melior est Ecclesiæ vir suus, Dominus scilicet Christus, quam decem filii. Decem namque filii illi significantur, quos per legem Synagoga Deo edere videbatur, sed multoties plus cum diligit, imo gratiam Evangelicæ prædicationis, quæ per ipsum data est, quam illos quos carnaliter pariebat. Diligit ipse Ecclesiam, et diligitur. Scriptum namque est : » Dilectus meus mihi, et ego illi (*Cant.* II). » Adeo diligit Ecclesia Christum, ut non solum omnia contemnat pro ipso, adversa scilicet et prospera mundi, verumetiam mori non formidet pro dilectione ejus. De cujus dilectione (quanquam aliter intelligatur) in Canticis canticorum dicitur, « Fortis est ut mors dilectio (*Cant.* VIII), » sed quia Ecclesia in eadem gratia atque dilectione quam percepit, perseveravit, recte quibusdam interpositis de ipsa dicitur, vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati. Nequaquam enim Ecclesia a cognitione fidei, et dilectione sui Redemptoris immutata est, neque evelli in diversa declinando potuit, ab ipsa devotionis gratia quam percepit. Cæterum quantum ad historiæ fidem pertinet, bene ait : « Vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati. » Videlicet quia quod ad Deum postulavit, ex fide credens, adipisci se non dubitavit : sive quia in vero affectu compunctionis permansit, usque dum adepta esset quod postulavit. Hic enim datur exemplum orandi, quia videlicet quisquis exaudiri desiderat, talis debet perseverare, qualis in oratione inveniri se exoptat. Et si semel compunctionis gratiam percipit per puritatem mentis, debet in eadem munditia mentis persistere, et a nullo deviare per lasciviam, donec affectum voluntatis, quod petit, perveniat. Imo donec prolem divinæ contemplationis consequatur. Et si hoc voluerit non sufficit semel compungi, sed sedulo per compunctionis gratiam emundari, juxta quod per Psalmistam dicitur : « Constituite diem solemnem in confrequentatione, usque ad cornu altaris (*Psal.* CXVII). » Dies solemnis est Domino, compunctio cordis nostri. Sed tunc in confrequentatione dies constituitur, cum ad lacrymas pro amore Domini assidue mens movetur. Cui velut si diceremus, quandiu ? subjungit, dicens « usque ad cornu altaris. » Cornu altaris est exaltatio sacrifici interioris, hoc est contemplatio divinæ visionis. Inde est quod anima quæ jam per amorem compungi desiderat, in Canticis canticorum, ait : « Osculetur me osculo oris sui *Cant.* I). » Toties enim anima osculatur Deum, quoties in ejus amore compungitur. Ait enim, Osculetur me osculo oris sui. » Ac si aperte dicat : « Tangat me gratia compunctionis suæ, vel certe, osculum oris ejus est »

A perfectio pacis intimæ, ad quam cum pervenerimus, nihil remanebit amplius quod quæramus. Et ideo debemus in eadem gratia compunctionis tanquam Anna permanere, et non vultum in diversa mutare, donec perveniamus ad prolem divinæ contemplationis. Nos hactenus ista de Elcana, et duabus uxoribus ejus, ac partibus earum, et cætera quæ inseruimus, prout intelligere potuimus, et a traditore didicimus, describere conati sumus. Quæ si cui displicuerint, et melius invenire potuerit : nos sequenda judicavimus, quia magis decrevimus alterius sensum sequi, quam pertinaciæ deservire. Cæterum, his descriptis, ad ea quæ sequuntur, Domino favente, stylum vertere conabimur : sed prius notandum quia nonnulli juxta ethicam disciplinam, id est moralem quam aliter tropologiam B nominant, Elcanam, qui interpretatur *Domini possessio*, sanctum quemlibet et perfectum prædicatorem intelligi volunt, cujus mentem Dominus possidet Per duas vero uxores, Phenennam videlicet et Annam, activam et contemplativam vitam designant, Phenenna namque fecunda in filiis, quæ dicitur *conversio*, activam Anna vero sterilis, quæ interpretatur *gratia ejus*, contemplativam designat vitam. Activa enim vita est, panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant, dispensare. Quæ non immerito significatur per Phenennam fecundam, quæ interpretatur *conversio*, quia activa C multas habet actiones quibus subvenire potest proximis. Ad quas necesse est, ut sollicite convertatur. Est enim fecunda in filiis et filiabus, quia fortia licet infirma videantur, in comparatione contemplationis gignit opera pariter infirma, quæ significantur per filios et filias. Contemplativa vita est vero, charitatem Dei quidem et proximi, tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, ut nihil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui conditoris animus inardescat. Hæc enim significatur per Annam, quæ interpretatur *gratia*, sed sterilem. Bene itaque sterilis dicitur, quia contemplativa vita prout est nullus penetrare valet. D Sive quia nullus eam perfecte prædicare sufficit quod sentit, ut eam prædicando plures filios gignere possit. Unde non immerito per Annam, quæ interpretatur *gratia*, figuratur : quia nemo ad ipsam pervenire sufficit, nisi per divinam gratiam. Sed bene duas uxores habuisse describitur, quia perfectus quilibet prædicator non est, nisi utramque vitam exercere noverit. Debet ex amplexibus Phenennæ, transire ad complexus Annæ : quia debet se prius exercere in activa, ut dum multos filios generaverit, possit postmodum ad contemplativam vitam arctius accingi, et toto desiderio in ejus contemplatione immorari, et perfecta opera gignere. Quibus uxoribus et filiis et filiabus partes tribuet : quia summus vir sive infirma, seu creaverit fortia opera semper studet et in activa et in contemplativa vita desu-

dans amplius laborando, virtutibus virtutes sub- A necterc ut perfectus inveniatur quandoque in contemplatione. Et ideo qui vult effici possessio Dei, has duas ducat uxores : activam scilicet primum, ac deinceps transeat ad contemplativam. Seu, ut aliter dicamus, conjungat sibi eam, quæ nobilior est, Annam, hoc est gratiam. Hæc enim prima conjungitur homini per fidem, ubi Apostolus ait : « Gratia enim Dei salvi facti estis per fidem (*Ephes.* II). » Secundo conjungatur Phenennæ, id est conversioni, quia post gratiam credulitatis, sequi debet emendatio morum. Prima filios generat Phenenna, quia primi fructus proferuntur per conversionem. Nisi enim convertamur a malo, non poterimus effici patres de Anna, et generare Samuelem, qui hic interpretari potest, *ubi ipse* B *Deus*. Ubi enim spiritus gratiæ est, ibi dicitur Deus. Unde Paulus ait : « Et cadens in faciem, adorabit Deum, dicens : Vere, Deus in vobis est (*I Cor.* XIV). » Et ideo nisi præcedant opera conversionis, non possumus dona divini Spiritus generare. Et hoc orandum est sed sciendum est quia Deus non voce tantum invenitur, sed corde. Unde Beatus Job loquitur, dicens : « Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum Omnipotens audiat? » (*Job.* XXXI). Non ait, preces, sed « desiderium meum. » Vere quippe postulatio non in voce oris est, sed in cogitationibus cordis. Hinc est quod ad Moysen dicitur : « Quid clamas ad me ? (*Exod.* IV) » cum penitus nihil loqueretur. Hinc est quod Anna superius ore quidem tacuit, et tamen tot sui desiderii voces emisit. Sicut scriptum est : « Porro Anna loquebatur C in corde suo, tantumque labia illius movebantur. » Hinc Dominus in Evangelio dicit : « Intra in cubiculum tuum et, clauso ostio, ora Patrem tuum, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (*Matth.* VI). » Clauso quippe ostio, petit in cubiculo, qui tacenti ore in conspectu supernæ pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter exauditur. Unde dicitur : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus. » Et quia Anna ita Dominum postulavit, exaudiri pro filio promeruit. « Quæ concepit et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum (*Psal.* IX). » Sic nimirum sancta Ecclesia orans per naturalem intellectum, D gratiam fidei et mysterium incarnationis, corde concepit, et ore confessionis gignere promeruit. Nam, juxta Apostolum : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X). » Hinc est quod ad Cornelium angelus ait : « Corneli, exauditæ sunt orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ in conspectu Dei (*Act.* X), » etc. — « Quem filium « vocavit (inquit) Samuelem. » Samuel, qui interpretatur *nomen ejus Deus*, Annæ videlicet primogenitus et prophetiæ gratia decoratus, quis alius intelligendus est, nisi Dominicus homo, Dominus scilicet ac Redemptor noster? De ipso enim scriptum est : « Omnipotens ipse veniet et salvabit nos (*Isa.* XXXV). » Ipse etiam propheta dictus est, juxta quod Moyses ait : « Prophetam suscitabit Dominus Deus, tanquam meipsum audietis (*Deut.* XVIII ; *Act.* III, 7), et reliquis denique ipse de semetipso dicit : « Non est propheta sine honore, nisi in patria sua (*Matth.* XIII). » Cui itaque Samuelis valde congruit interpretatio nominis, quia ipsum Deum et hominem confitetur omnis Ecclesia. De qua subnectitur :

« Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, et « amphora vini, et adduxit eum in domum Domini in Silo. » Bene ait : « Postquam ablactaverat, » quia videlicet Anna, id est sancta Ecclesia ex nationibus. De quibus Dominus ait : « Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere. et vocem meam audient (*Joan.* X). » Prius lacte enutrivit filium, quem corde concepit per fidem, id est simplici intellectu in suis auditoribus. De quo Paulus apostolus ait : « Lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III). » Scilicet quia mysterium incarnationis et crucis et præcepit et prædicavit. Unde idem egregius prædicator iterum dicit : « Nihil me judicavi scire inter vos, nisi Christum Dominum Jesum, et hunc crucifixum : Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* II). » Et recte « in vitulis tribus. » Tres enim vituli, tria, ut nobis traditum est, tempora significant. Ante legem videlicet, sub exemplis patriarcharum, et sub lege, sub dictis prophetarum scilicet, quibus præfiguratus est Dominus, et eum exspectabat Ecclesia et ideo tristabatur, quia gratiam incarnationis nondum habebat. In tertio tempore gratiæ, eo apparente, jam et fidem percepit credendo, et prædicationem quodammodo præsentavit, quia manifeste se credidit. Unde et sequitur, « et in tribus modiis farinæ. » Per tres modios farinæ, tres virtutes in unitate fidei compactas accipere debemus, fidem videlicet, et spem, et charitatem, quas perfectas obtulit Ecclesia ; seu tres modii farinæ, tres accipiuntur filii Noe, quos plures credens Ecclesia perduxit ad fidem, atque Deo obtulit confitendo. Nonnulli etiam in farina modiorum, corpus Domini accipiunt : et in amphora vini, sanguinis mysterium ipsius, quæ mysteria quotidie celebrat Ecclesia offerendo, et sumit ore ad imitandum. Hæc sunt enim dona quæ pro puero offert Ecclesia gentium, ut ostendat se puerum genuisse, id est, percepisse se veraciter perfectam fidem Christi, et eam se operibus demonstrare velle. « Et adduxit eum in Silo in domum Domini. Quia cum eadem perfecta fide mysterii incarnationis Christi, et crucis trophæi, junxit se primitivæ Ecclesiæ ex Synagoga Judæorum, quæ domus Dei dicta fuerat. De qua dictum est : « Domum tuam decet sanctitudo (*Psal.* XCII). » Dicamus et aliter secundum opiniones aliquorum. Nam quod ait : « Adduxit eum secum postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, » in Hebræo, ut aiunt, non *tribus modiis*, sed modio farinæ haberi dicunt, et apud Latinos scriptorum vitio putant depravatum, et non contra legis præceptum tres modios obtulisse: quia ibi præcipitur, ut mense primo offerrent similæ oleo conspersæ tres decimas

per singulos vitulos, duas decimas per arietem, A unam decimam per agnum. Hæc vero decima, decima pars erat ephi : unde datur intelligi, quod non potuerit tres modios farinæ cum tribus vitulis offerre, sed novem decimas, quibus secundum Hebraicam mensuram unus efficitur ephi. Cæterum allegorice, quod noluit illum ducere ad domum Domini antequam ablactaretur, significat matrem Ecclesiam quemlibet filiorum suorum non ante ad sacerdotium provehere, quam illum a lacte infantiæ et parvitate sensus educatum, effecerit capacem spiritalis doctrinæ. « Omnis enim, ut ait Apostolus, qui lactis est particeps, expers est justitiæ sermonum (*Hebr.* v). » Offert eum in tribus vitulis, et modio farinæ, et amphora vini, hoc est in sacrificio piæ confessionis, in exercitio B bonæ operationis, et gratia sacræ eruditionis, et fide sanctæ Trinitatis pleniter instructum. Qui potest dicere cum propheta : « Reddemus Domino vitulos labiorum nostrorum (*Osee*, xiv), » et jugiter in domo Dei permanens, offerat digne sacramentum corporis et sanguinis Domini. Sequitur

« Oravit Anna, et ait : »

CAPUT II.

« Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum « est cornu meum in Deo meo. » Hinc enim jam manifestissime Anna in cantico suo mutationem, sicut superius prædiximus, Veteris Testamenti, vel sacerdotii, in Novum Testamentum vel sacerdotium, qui est Christus, prophetare videtur : quanquam C nonnulli non prophetasse dicant, sed tantummodo propter filium impetratum, Deum exsultanti prædicatione laudasse. Qui ergo sibi vult quod ait, « arcus fortium superatus est, et infirmi accincti « sunt fortitudine, et repleti prius pro panibus se « locaverunt, et famelici saturati sunt. Donec steri- « lis peperit septem, et quæ multos habebat filios, « infirmata est. » Numquid ipsa peperit septem quamvis sterilis fuerit unicum habebat quando ista dicebat, sed nec postea septem peperit, sive sex, quibus septimus esset Samuel sed tres mares et duos feminas. Deinde in illo populo cum adhuc nemo regnaret, quod extremo posuit, dat virtutem regibus, et exaltabit cornu Christi sui. Unde dicebat, si non prophetabat? Conticescant ergo Judæi, D taceant multi, qui hoc juxta historiam pro accepto filio dictum putant. Dicat Anna prophetando, prospiciens in se fecunditatem Ecclesia dicat. Dicat etiam Ecclesia Christi, civitas regis magni gratia plena, prole fecunda, dicat: « Exsultavit cor meum in Domino. » Cor enim sanctæ Ecclesiæ non in rebus transitoriis exsultat: quia potest quis gaudere in carnalibus, non gloriatur ex jucunditate terrenarum rerum, sed in Domino; juxta quod Paulus commonet dicens : « Qui gloriatur, in Domino glorietur (*I Cor.* i). » Hinc enim in Canticis canticorum, ex voce electorum dicitur : « Exsultabimus et lætabimur in te (*Cant.* i). » Ac si aperte dicatur : Non in nobis sed in te exsultabimus et lætabimur, quia dum fortiores ad contemplanda sublimia pervenisse cognoscimus, spem nos infirmi in te, de venia peccatorum, sumimus. Unde recte subinfertur. « Et exaltatum est cornu meum in Deo meo. » Quid igitur per cornu Ecclesiæ nisi regnum ipsius accipere debemus? Sicut enim cornu carnem excedit, ita regnum sanctæ Ecclesiæ adversa hujus mundi et desideria carnis transcendit. Sed hoc regnum in Domino exaltatum dicitur, quo ab ipso ubique sublimatur. Quod regnum primitiva Ecclesia intra fines Judææ angustatum habuit, sed jam dilatatum per gentes atque sublimatum habetur. Unde per prophetam ei dicitur : « Dilata locum tentorii tui, longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida, et pelles tabernaculorum tuorum extende (*Isa.* liv). » Ad dexteram enim et ad sinistram penetrabis, et locum tuum gentes hæreditabunt. Quod per Apostolum dilatatum atque extensum est. Sed regnum Synagogæ Ecclesia gentium percepit, quæ de suis prædicatoribus gratulabunda in sequentibus loquitur, dicens : « Dilatatum est os meum super inimicos ejus. » Itaque Ecclesiæ prædicatores sancti intelliguntur, quorum prædicatio vel fides dilatata est super inimicos ejus, quia videlicet excessit scientiam scribarum et hæreticorum, et maxime persecutorum, juxta quod per prophetam (*Isa.* liv) ei repromissum fuerat : « Et lingua resistentium tibi in judicio superabis. » Non enim in angustiis præssurarum, juxta Apostolum (*II Tim.* ii), sermo Dei est alligatus, videlicet, quia lætata est Ecclesia in salutare Dei. Salutare Dei, Filium Dei dicit, de quo Simeon, suscipiens in ulnas, ovans, aiebat: « Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, secundum verbum tuum : Quia viderunt oculi mei salutare tuum : Quod parasti, ante faciem omnium populorum (*Luc.* ii). » Et de quo patriarcha Jacob loquebatur, dicens : « Salutare tuum exspectabo Domine (*Gen.* xlix). » Cujus magnificentiam ac potentiam considerans, ait :

« Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim « est alius extra te, et non est fortis sicut Deus « noster, » et reliqua. Bene dictum est : « Non est sanctus, ut est Dominus, » quia nullus ejus sanctitati se comparare valet. Distinctione utitur, ut dixit Dominus, sed nullus est sicut Dominus, sanctus et sanctificans, justus et justificans. Nam hoc considerabat Psalmista quando dicebat : « Quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis Deo inter filios Dei (*Psal.* lxxxviii)? » Unde et merito subinfertur : « Neque enim est alius extra te et non est fortis sicut Deus noster. » Quia nemo fit sanctus, nisi ab ipso sanctificatus fuerit. Et non solum sanctus, sed nec consistere valet, nec aliquam fortitudinem habere, nisi ab ipso perceperit. Hinc Paulus apostolus ait : « Quoniam in ipso vivimus, movemur, et sumus (*Act.* xvii). » Hinc suis discipulis ipsa Veritas ait : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv). » Et si sunt qui dicuntur dii multi et domini multi, nullus tamen eorum est, naturaliter id quod Deus est. Quid est enim umbra ad comparationem corporis, et fumus ad comparationem ignis? Hoc perpendens

Abraham, quando cum Domino loquebatur, dicit: « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis? (*Gen.* XVIII.) » In comparatione tantæ majestatis, cum dives esset, nihil aliud nisi cinerem et pulverem se esse cognovit. Quod scribæ et Pharisæi, cæterique reproborum humana sapientes considerare contemnunt. Unde de eis subjungitur :

« Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes. « Recedant vetera de ore vestro, » etc. Redarguit sancta Ecclesia Judæos et sapientes hujus sæculi, extollentes se contra scientiam Dei, ne superbe sapiant, nec prave de Deo sentiant, sed humilia et sapiant et loquantur. Scriptum namque est : « Dominus i cœlo, et tu super terram (*II Mach.* XV). » Ideo pauci sint sermones tui. Recedant, inquam, vetera legis de ore ipsorum, et cætera quæ ad veterem hominem pertinent, id est ad carnalem conversationem. Sed scientiam quæ ex Deo est, inquirere satagant, non sint humana et carnali scientia legis gloriantes, et non exeat vaniloquium de ore ipsorum, et sciant quia nemo potest habere nisi ab ipso perceperit, scientiam veritatis : « quia « ipse est scientiarum Dominus, et ipsi necesse « est, ut præparentur bonæ cogitationes. » Quia scriptum est : « Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* I). » Et spiritus scrutatur etiam profunda Dei (*I. Cor.* II). Verum quia Judæi gloriantes in lege, altiora se quærentes, et nescientes quia Deus est scientiarum, et arbiter conscientiarum, et carnaliter sapientes, ita agere despexerunt, a fastu suæ superbiæ corruentes, humiliati sunt. Nam sequitur :

« Arcus fortium superatus est, et infirmi accin- « cti sunt robore. » Arcus enim nomine, in sacro eloquio, aliquando dies judicii, juxta quod per Psalmistam dicitur : « Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus (*Psal.* LIX). » Aliquando vero sacra eloquia designantur, sicut per eumdem Prophetam dicitur : « Arcum suum tetendit et paravit illum, et in ipso paravit vasa mortis (*Psal.* VII), » etc. Aliquando autem malorum insidiæ, et intentiones figurantur perversorum, sicut in Psalmo legimus : « Intenderunt arcum suum, rem amaram (*Psal.* XXXVI). » Unde et in hoc loco dicitur : « Arcus fortium superatus est. » Denique quia Judæi duritiam legis, velut cornua arcus corda Novi Testamenti, flectere noluerunt, sed carnaliter sapere, et prædicationem Salvatoris conati sunt suis perversis intentionibus superare, et prave de ipso sentire, atque Ecclesiam ipsius contemnere, et parare arcum suum rem amaram, et propterea dejecti sunt atque humiliati. Bene dictum est : « Arcus fortium superatus est. » Id est intentio Judæorum perversa, quia prave senserunt, ex Veteri Testamento prolata, in Novo infirmata est. Quia ex hoc quod carnaliter in lege gloriati sunt, et ea quodammodo defendere superbe voluerunt, infirmati sunt, et malum quod de pharetra sui livoris intendere voluerunt, in ipsos conversum est, justa quod alibi scriptum est: Conversi sunt in arcum pravum (*Psal.* LXVII). » Arcus enim a quo intenditur, ad ipsum convertitur : quia pravitas malignæ intentionis, quam de pharetra sui livoris exercere Judaica perfidia voluit, in eam conversa est, quia sua malitia infidelitatis damnata exstitit, et gratiam fortitudinis qua gloriabatur posse sine adjutorio divino humana sufficientia legem implere, amisit, et eamdem gratiam valetudinis credentes, ex gentibus qui prius infirmi videbantur esse, Domino largiente, perceperunt, sicut subnectitur : « Et infirmi accincti sunt robore. » Videlicet populi gentium, qui de suis virtutibus nihil præsumentes, in Domini sunt justitia roborati. Ex quorum voce Psalmista loquitur dicens : « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum (*Psal.* VI). » Et iterum : « Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea (*Psal.* LVI). » Infirmus erat populus gentilis, quando alienus a testamento Dei fuerat. Hinc Salomon de eadem gentium infirmitate ait : « Lepusculus plebs invalida, quæ collocat in petra cubile suum (*Prov.* XXX). » Plebs est invalida natio gentium fidelis, quæ in suis viribus nil fidens, sed in auxilio sui Redemptoris sperare didicit. Et hoc est illi in petra collocare cubile. « Petra autem, inquit Apostolus, erat Christus (*I Cor.* X). » Cujus præsidio ut aversos vitet incursus, Domino dicere novit cum Psalmista : Esto mihi in lapidem fortissimum, et in domum munitam, ut salves me (*Psal.* LXX). » Unde bene de abjectione Judæorum et salute gentium subinfertur :

« Repleti prius pro panibus se locaverunt, et fa- « melici saturati sunt. » In Græco ita habetur : « Pleni panibus minorati sunt, et esurientes transierunt terram. » Repleti prius, seu pleni panibus Judæi intelliguntur, qui minorati sunt : quia videlicet credita sunt illis eloquia Dei, quæ per panes designantur, quibus satiari videbantur prius. Sed quia spiritaliter intelligere, nec etiam ipsum, qui de semetipso ait : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI), » recipere noluerunt qui multa beneficia signorum atque miraculorum eis contulit, et ingratus apparuit. Ideoque dum hi superbirent, et terrena saperent, de majoribus minores effecti, pro eisdem panibus elocati, a propriis sedibus sunt evulsi. Quia dum carnaliter legem voluerunt defendere, et se subtraxerunt ne crederent in Salvatorem, et in ipsis panibus, id est divinis eloquiis, terrena tantum sapere voluerunt, et locum, et gentem, et ipsa eloquia Dei perdiderunt juxta quod Dominus eis comminatus est dicens : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). » Hinc Apostoli aiunt : « Vobis quidem oportebat primum loqui Verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ex hoc ibimus ad gentes (*Act.* XIII). » De

quibus subjungitur, « et famelici saturati sunt. » Famelici enim gentiles intelliguntur, qui prius esuriebant panem verbi Dei. Sed quia Judæi a propriis sedibus elocati sunt, et esuriem sustinuere, juxta quod per prophetam olim dictum fuerat: Mittam in vobis famem, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei (*Amos* VIII), » ex eodem cibo spiritaliter saturari cœperunt. Unde et in Græco ita habetur: « Et esurientes transierunt terram: » quia gentes, ad quas ipsa eloquia Dei transierunt, multum, esuriendo, non terrena, ut Judæi, sed cœlestia sapuerunt. Hinc in libro beati Job scriptum est: « Cujus messem famelicus comedet, et ipsum rapiet armatus, et bibent sitientes divitias ejus (*Job.* V). » Judaici enim populi messis, fuerant sacræ legis eloquia, ex quibus sapienter satiari debuerat, non comedit: quia legem quidem verbotenus tenuit, sed per fatuitatis fastidium, ab ejus intellectu jejunavit. Hujus ergo messem famelicus comedit, quia nimirum gentilis populus verba legis intelligendo edidit, a quibus Judaica plebs sine intellectu laboravit. Hos famelicos fidei Dominus prævidit, cum per Evangelium dixit: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V). » Sed quia Judaicus populus messem perdidit, recte subjungitur qualiter ipse periit, dum dicitur: « Et ipsum rapiet armatus. » Antiquus hostis Judaicum populum armatus rapuit, quia in eum vitam fidei, fraudulentæ suggestionis jaculis exstinxit, ut unde se inhærere Deo crederet, inde ejus ordinatione repugnaret. De quo et dicitur: « Et bibent sitientes divitias ejus. » Hujus enim sitientes divitias bibunt, quia fluentis sacræ locutionis, quæ Judaicus populus in superbiæ ostentatione possederat, conversæ gentilium mentes irrigantur. De quibus benedicitur: « Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est. » In Hebræo et Septuaginta non *plurimi*, sed *septem* leguntur: unde Judæi deliramenta fingunt, videlicet quod nato Samuele inquiunt mortuus sit filius primogenitus Phenennæ, et singulis Annæ filiis nascentibus, singuli filii Phenennæ mortui sint. Sed quia stare non potest, prætermittimus, et ad intellectum altiorem properabimus. Nam et in Græco, ut aiunt, ita legitur: « Sterilis peperit septem, et multa in filiis infirmata est. » Sterilis enim quæ plurimos, sive septem peperit. Ecclesia ex gentibus intelligitur, quæ multos filios per fontem baptismatis, et donum Spiritus sancti, qui septiformis dicitur propter septenariam operationem sui, id est sapientiæ et intellectus, consilii, et fortitudinis, scientiæ, et pietatis, et timoris Dei gignere non cessat. Quæ prius sterilis erat in gentibus, sed nunc fecunda gratulatur in Domino, juxta quod olim Isaias prædixerat: « Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium (*Isa.* XXXV). » Ista enim prius deserta ac solitudo peperit suptem. Septenario quippe numero unitas ac universitas perfectionis solet demonstrari, eo quod primo impari, et primo pari, id est ternario et quaternario numero tanquam ex diverso, unitas tota conficitur. Et ideo per ipsum figurantur universi, quos in unitate fidei sancta Ecclesia per quatuor partes mundi Domino genuit. De ipsa iterum per eumdem prophetam dicitur: « Lætare, sterilis, quæ non paris: erumpe et clama, quæ non parturis, quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Galat.* IV). » Deserta diu fuit a sancto Spiritu gentium mater Ecclesia. Nec habuit filios ante gratiam regenerationis, quæ postea gentes et populos. Deo in se, ut diximus, operante, generavit: unde subjungitur, « magis quam ejus quæ habet virum. » Hoc est Synagoga quæ velut jugo viri, ita legis onere premebatur. Aut certe referendum est, quæ antequam ejiceretur virum se habere credebat, sed postquam abjecta est et virum perdidit, Ecclesia fecunda fuit. Hinc per Salomonem dicitur: « Florebit amygdalum, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis (*Eccl.* XII). » Amygdalum quippe florem prius cunctis arboribus ostendit; et quid in flore amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia designantur? quæ in prædicatoribus suis, primitivos virtutum flores aperuit, et ad inferenda poma bonorum operum venturos sanctos, quasi arbusta sequentia prævenit, in qua mox et locusta impinguata, gratia cœlesti infusa: sed statim capparis dissipatur, quia dum gratia gentilitatem attingit, Judæa in sua sterilitate remanens, bene vivendi ordinem amisit. De qua adhuc subditur: « Et quæ multos habebat filios, infirmata est. » Scilicet Synagoga Judæorum, et terrena Jerusalem, quæ multos filios carnaliter per legem edere videbatur, quæ quia vivificantem Spiritum recipere noluit, in occidente littera infirmata est de qua Paulus apostolus ait: « Litterra occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III). » Et quia superficiem litteræ sequi voluit, spiritalem intelligentiam in incredulis amisit, et infirma permansit: quod in Evangelio præfiguratum est, ubi Petrus auriculam servi principis sacerdotum amputavit (*Luc.* XXII). Quia videlicet populus Judæorum principis sacerdotum indebito mancipantus obsequio, adeo ut suasu illorum Barrabam dimitti, Jesum vero poterent crucifigi (*Matth.* XXVII). In Domini passione dexteram auriculam, id est spiritalem legis intelligentiam perdidit, ut totam litteræ intelligentiam audiat in sinistra. Hinc in Canticis canticorum sponsus Ecclesiæ, quam mysterio Crucis redemit, ex infidelitate Synagogæ loquitur, dicens: « Sub arbore malo suscitavi te (*Cant.* VIII), » et reliqua; ac si dixisset: Sub arbore crucis a perpetua morte liberavi te. Sed « ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua, » id est major pars plebis, me negando et Barrabam eligendo, a me reprobata est atque infirmata. De qua recte subinfertur.

« Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. » Mortificat multam in filius Synagogam scilicet, vivificat sterilem, Ecclesiam gentium. Quamvis possit commoduis intelligi eosdem vivificare, quos mortificaverit, idem repetit dicen-

do: « Deducit ad inferos et reducit. » Hoc est quod Apostolus ait: « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Col.* v). » Et iterum: « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite (*Ibid.*), » et reliqua. Sed nunquid eosdem deduxit ad inferos et reduxit? Sed hoc in capite Ecclesiæ, id est Christo, cujus membra sunt fideles, absque ulla controversia potest accipi, cum quo vitam nostram Apostolus dixit absconditam. Ipse descendit ad inferos, et non est anima ejus in inferno derelicta, sed cito resurrexit a mortuis et reduxit eo Pater ad semetipsum (*Psal.* xv). De quo inferendo dicitur.

« Dominus pauperem facit et dicat, humiliat et « sublimat, » Manifesta est historia cum hoc nobis certissimum est, videlicet quia humiliat superbos, et exaltat humiles (*Luc.* I). Sed altiori intelligentia de Domino potest accipi, qui propter nos pauper factus est voluntate Patris: quia sic Deus dilexit mundum, ut ipsum Unigenitum daret pro nobis (*Joan.* III). Sicut Paulus ait: « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII). » Imo etiam et sua voluntate, ut nos sua paupertate, et hic divites faceret in fide, et illic hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Ipse enim ditatus est magnificentia majestatis, « quia in ipso habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II). » De ipso etiam Isaias ait: « Requievit super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, replevit eum Spiritus timoris Domini (*Isa.* II). » Ipse etiam humiliatus est propter nos atque sublimatus, sicut Apostolus ait: « Christus factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* II).» Ecce audivimus ejus humilitatem, audiamus et sublimitatem. « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Ibid.*). » De cujus etiam sublimitate subjungitur:

« Suscitans de pulvere egenum et de stercore « erigens pauperem. » Pater videlicet de terræ pulvere Filium tam cito suscitavit, juxta quod ipse per Psalmistam postulat, dicens: « Resuscita me et retribuam eis, ut caro ejus non videret corruptionem (*Psal.* XL), » secundum quod per eumdem Psalmistam dicitur: « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* IV). » Ipse etiam, sicut supra dictum est, cum pauper apparuisset, atque egenus in carne ut supra paupertate atque humilitate superaret diabolum superbum, qui rex dicitur super omnes filios superbiæ, tamen majestas Dei Patris, de stercore eum sublimavit ineffabiliter, et hoc quare? Quæris quare? Audi quare: » Ut sedeat, » inquit, « cum principibus et solium gloriæ teneat (*Matth.* XIX). » Principes, sancti apostoli intelliguntur, qui sedebunt cum Christo super duodecim sedes. Sed Dominus solium gloriæ retinet non solum videlicet in æqualitate Patris, sedendo ad dexteram majestatis: juxta quod Apostolus dicit: « Sedet ad dexteram majestatis in excelsis (*Hebr.* I); » Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit, verumetiam solium gloriæ tenebit secundum quod ipse ait: « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v). » « Ipse enim in gloria Patris sui venturus est ad judicium, cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, et sedebit in sede gloriæ majestatis suæ, judicans orbem in æquitate (*Marc.* VIII).» « Sedebunt etiam et principes super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). » Hinc Isaias dicit: « Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui (*Isa.* III). » Hinc Salomon ait: « Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus (*Prov.* XXXI). » Nobilis ergo erit Dominus, vir sanctæ Ecclesiæ, in portis suæ civitatis, qui videbatur ignobilis, ante tribunal præsidis. Quia etiam nunc a multis contemnendus putatur, quia ubi sæculi finis advenerit, ubi patriæ cœlestis ingressum aperuerit electis, jam cunctis parebit sublimis. Et solium gloriæ tenebit sine fine, quia regni ejus non erit finis (*Luc.* I). Nam sequitur: Quia ipse dominabitur a mari usque ad mare (*Psal.* LXXI), » etc. « Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem. » Cardines terræ quatuor climata mundi intelliguntur, videlicet oriens, occidens, septentrio, atque meridies, super quæ posuit orbem, quia videlicet ubique dilatavit Ecclesiam suam. Hinc Psalmista ait: « Ab ortu solis usque ad occasum, laudabile nomen Domini (*Psal.* CXII). » Hinc iterum scriptum est: « A finibus terræ audivimus laudes justi (*Isa.* XXIV). » Et iterum de sanctis prædicatoribus: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Quanquam cardines terræ, ut quibusdam placet, ipsi prædicatores intelligantur, super quorum fidem stabilita est Ecclesia. De quibus scriptum est: « Sub quo curvantur, qui portant orbem (*Job.* XIX)» Ipsi quidem sunt qui alibi columnæ dicuntur, sicut scriptum est: « Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus (*Job.* XXVI), » videlicet sancti Ecclesiæ prædicatores, super quos fabricæ Ecclesiæ structura consurgit, sicut alia Scriptura testatur, dicens: « Qui vicerit, faciam illum columna in templo Dei mei (*Apoc.* III). » Nam quisquis in Dei opere, recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritalis erigitur, ut in hoc templo, quod est Ecclesia positus, et utilitate prosit, et decore. Unde de sanctorum prædicatione subinfertur:

« Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in « tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua « roborabitur vir.» Licet pedes ipsi doctores designentur, sicut per Moysem dicitur: « Qui appropinquant pedibus suis accipiunt de doctrina illius quos Dominus inter scandala persecutorum servavit (*Deut.* XXXII). » Verumtamen pedes sanctorum in-

cessus actionis et ipsum opus prædicationis, accipere possumus, quo Dominus in viam justitiæ dirigit. De quibus Dominus ipsis prædicatoribus ait: « In quamcunque domum vel civitatem intraveritis, et non receperint vos, exeuntes de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris (*Matth.* x; *Marc.* vi). » Pulvis enim levitas est terrenæ cogitationis, a quo ipsi etiam summi prædicatores immunes esse nequeunt, cum pro auditoribus suis solliciti salubribus curis incessanter intendunt, et quasi per itinera mundi imo vix calcaneo terræ pulverem lingant, sed hunc pulverem levitatis quotidie per effusionem doctores abluere festinant lacrymarum. Hinc est quod in Canticis canticorum cum Ecclesia ad officium prædicationis surgere præciperetur, sponso respondit, dicens: « Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos (*Cant* vi)? » Ac si aperte dicat: Deserui negotia sæcularia tui causa, quomodo repetam illa? Etiam secreta compunctionibus, fletibus ablui, quidquid in incessu prædicationis, et in cogitationibus terrenis reliqui, quomodo immundis sordibus iterum polluar? Sed licet hoc pertimescant electi, pedes eorum a Deo servantur, ut in nulla fæce hæreticæ pravitatis fœdentur neque ad pravum aliquod opus dilabantur unde sanctis animabus per Ezechielem dicitur: Pedes eorum pedes recti (*Ezech* i). » Pedes sanctorum pedes recti dicuntur, quia eorum opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta; quia inter fluctus hujus sæculi servantur a Domino. Sed dum illi servantur, impii e contrario qui eorum prædicationibus contrarii fuerunt, in tenebris conticescent, scilicet: Judæi, qui tenebris infidelitati et ignorantiæ involvuntur, et lumen veritatis contemplari non merentur, dum sine divino adjutorio sibi posse sufficere crediderunt, unde et sequitur. » Quia non in fortitudine sua roborabitur vir. » Videlicet propria, sed virtute divina potens est vir, id est gentilis populus; vel potest generaliter intelligi, quia nullus suis viribus bona operari valet, nec diabolo resistere, imo si se contra Dominum erigere tentaverit, bonum si quod habere videtur amittit, quod in ipso primo angelo, postea in homine demonstratum est. Scriptum namque est: « Non glorietur prudens in prudentia sua, nec sapiens in sapientia sua, nec dives in divitiis suis: sed qui gloriatur, in Domino glorietur (*Jer* ix). » Hinc iterum alibi dicitur: « Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo (*I Cor.* i). » Quod evidentissime ostensum est in Judæis, de quibus subditur:

« Dominum formidabunt adversarii ejus, et « super ipsos in cœlis tonabit. » Domini namque adversarii, idem Judæi intelligentur, qui dixerunt « Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius (*Isa.* xi). » Inde est quod postea clamaverunt, dicentes: « Crucifige, crucifige eum (*Joan* xix). » Super hos enim (ut quibusdam videtur) adversarios, de cœlis

A Dominus tonavit, quando per apostolos perfida eorum corda terruit. Cœlorum igitur nomine, ipsi apostoli intelliguntur, de quibus per Psalmistam dicitur: « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* xviii). » Per tonitrua vero, comminationes miraculorum, et terrores signorum accipiuntur, quæ expleta sunt quando apostoli cœperunt in die Pentecostes variis linguis loqui magnalia Dei, quando Spiritus sanctus in ignis visione super eos apparuit. Et Petro prædicante, Judæi tanquam tonitru perculsi, compuncti dixerunt: « Viri fratres, quid faciemus? » Tunc Petrus apostolus ait: « Pœnitemini igitur, et baptizetur unusquisque vestrum, et deleantur vestra peccata (*Act.* ii). » Hinc in Apocalypsi scriptum est: « Et de throno procedebant fulgura et voces B et tonitrua (*Apoc.* iv); » hoc est quod Marcus ait: « Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis. » Quibus scilicet tonantibus exterriti sunt inimici, ex quibus multi conversi sunt ad fidem: juxta quod Lucas ait: « Et multa turba sacerdotum obediebat fidei; » per hos etenim cœlos imo per nubes, quas Spiritu sancto replevit, cum ascendisset in cœlum, super adversarios intonuit: quanquam de futuro judicio nonnulli velint intelligi, ubi infideles Judæi qui suam hic voluerunt statuere justitiam, gloriantes de observantia legis, sine fide Christi, justitiæ ejus noluerunt esse subjecti: judicandi sunt, non solum a Domino quem contempserunt, verum etiem ab Apos- C tolis qui cœli nomine intelliguntur, damnandi sunt sicut Dominus ait: « Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* xix). » Hinc ad eosdem Judæos Dominus dicit « Si ego in principe dæmoniorum ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? ideo judices vestri erunt (*Matth.* xii). » Hinc etiam per prophetam dicitur: « Vocabit Dominus judicium ad ignem et devorabit abyssum multam, et comedet partem domus (*Amos.* vii). » Judicium quippe ad ignem vocabitur, cum in judicio justitiæ sententia ad pœnam jam æternæ concremationis ostenditur; et abyssum devorabit quia iniquas atque incomprehensibiles hominum mentes concremabit, quæ nunc se hominibus etiam sub signo- D rum miraculis occultant, qui in judicio dicturi sunt: « Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetavimus (*Matth.* vii)? » et reliqua. Sed audient a Domino: « Discedite a me, operarii iniquitatis, nescio qui estis. » Cum his etiam pars domus comedetur, quia Judæos gloriantes de suæ cæremoniis legis atque de lectorum numero se esse jactantes, unde et dixerunt. « Nos patrem habemus Abraham (*Joan.* viii), » qui olim domus Dei dicti sunt, tunc gehennæ flamma concremabit. Unde non immerito de utrisque sequitur: « Dominus judicabit fines terræ. » Quod quamvis juxta historiam possit intelligi, quia ipse judicat omnes fines terræ. Juxta quod per Psalmistam dicitur: « Quia in manu ejus omnes fines terræ (*Psal.* xciv), videlicet sua potestate cuncta decernens, tamen de futuro, ut

diximus, accipitur judicio ubi juxta retributio futura est a Domino super filios Adæ, ubi juxta Apostolum : « Omnes oportet præsentari ante tribunal ipsius, ut reddat unusquisque rationem prout gessit se (*Cor.* v.) » Unde et Psalmista : « Reddet unicuique secundum opera sua (*Psal* LXI). » Tunc scilicet quando congregabuntur ante eum omnes gentes et segregabit omnes ab invicem, tanquam segregat pastor oves ab hædis (*Matth.* xxv). Hinc per Prophetam dicitur : « Paravit in judicio thronum suum, et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia (*Psal.* IX). » Ipse utique Dominus Christus qui adversarios suos, ac eorum injustitia, hic patiendo pertulit, ibi impiis veraciter dicitur demonstrare justitiam. Orbem terræ, sanctos viros debemus accipere, qui de universali Ecclesia quasi de coronæ circulo congregantur. Isti in æquitate judicandi sunt, quibus propter fidei et humilitatis suæ bonum, misericordia copiosa præstabitur, qui audituri sunt : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum (*Matth.* xxv), etc. » Populi autem debent accipi peccatores, qui operibus diabolicis non videntur exuti ; isti cum justitia judicandi sunt, quia pro factorum suorum scelere damnabuntur, quibus dicendum est : « Ite, maledicti, in ignem æternum. » Sic duobus nominibus æquitatis et justitiæ, qualitatem illam judicii, mirabili brevitate descripsit. In quo judicio, ut diximus, iniqui Judæi acrius damnabuntur, quia Dominus judicabit fines terræ. Cæterum quantum ad moralem pertinet intelligentiam, fines terræ extrema hominum atque intentiones designantur, quæ Dominus judicare dicitur. Ipse quidem pius Conditor noster, facturam suam non deserens, mala hominum et per suam patientiam tolerat, et per eorum quandoque conversionem relaxat. Cum duras atque insensibiles mentes respicit, modo eas minis, modo verberibus, modo revelationibus terret, ut quæ pessima securitate duruerant, salubri timore mollescant. Scit enim Dominus, quia extrema vitæ nostræ, plus judicat et idcirco electos suos in fine sollicitius purgat. Hinc est quod hic scriptum est : « Dominus judicabit fines terræ, » quia tanto ultimis nostris invigilat, quanto in ipsis initia sequentis pensat. Et quia nostra opera atque intentiones diversis modis, sicut dictum est, in extremitate examinat, bene dictum est, « Dominus judicabit fines terræ ; » id est extrema hominis, quoniam non inde judicabuntur, quæ in melius vel in deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inventus fuerit qui judicabitur. Sequitur : « Et dabit imperium regi suo. Dominus dat imperium regi suo, quia Deus Pater ubique potestatem dedit unigenito Filio suo : juxta quod Daniel in visione sua loquitur, dicens : » Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis venit, et usque ad Antiquum dierum pervenit et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ, ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus regnum sempiternum, quod non corrumpetur (*Dan.* VII). » Hoc est quod Apostolus ait : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo humiliavit semetipsum, factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur (*Philip.* II.» et reliqua. Hinc Isaias ait : « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis (*Isa.* IX). » « Super solium David, et super regnum ejus sedebit (*Luc.* I). » Hinc Angelus ad Mariam ait : Dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*Mich.* IV). » De quo etiam bene ait « et dabit imperium regi suo, » ipsi videlicet Christo, cui tradidit Pater omnia in manus ; seu dabit regi suo imperium, hoc est populo Christiano. Dat eis virtutem, quia super carnem, sicut reges, regnant : et in illo, qui propter eos fudit sanguinem suum, mundum vincunt « Et sublimabit cornu Christi sui. » Quid per cornu Christi, nisi firmissimam ac celsam potentiam suam debemus intelligere, quæ cuncta supereminet de ipso : namque Zacharias loquitur, dicens : Erexit cornu salutis nobis (*Luc.* I). » Ossa siquidem omnia, carne involuta sunt ; cornu excedit carnem, et ideo cornu salutis regnum Salvatoris Christi vocatur, quod cuncta gaudia hujus sæculi superat, in cujus significatione, David vel Salomon, cornu olei sunt in regli gloriam consecrati. Verum ut quibusdam placet, per imperium quod a Patre Filius accepit, specialites Ecclesia tantummodo designatur . De quo per Psalmistam Pater loquitur, dicens : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ (*Psal* II). » Cujus terminos indicat, sicut, superius dictum est : Dominus judicabit fines terræ. » — « Pater non judicat quemquam, inquit in Evangelio, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). » Et illud : « Potestatem dedit ei facere judicium, quia Filius hominis est (*Psal.* II). » De quo, etiam alibi ipse Filius dicit : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Ibid.*). » De quo etiam imperio annectit, dicens : « Et sublimabit cornu Christi sui. » Hoc ad corpus ejus, quod est Ecclesia, referri volunt. Omnes quippe unctos ejus chrismate recte christos possumus dicere quod tamen totum cum suo capite, corpus, unus est Christus. Cujus Christi regnum, id est corporis sui, ipse Filius sublimavit, quantum ubique dilatavit, et in fide firmiter stabilivit, et regna mundi confregit, et superari ea fecit. Juxta quid per Psalmistam ait : « Et omnia cornua peccatorum confringam, » id est regna, « et exaltabuntur cornua justi (*Psal.* LXXIV). » Cornua justi, regnum est populi electi. His (quanquam impolite, ut intelligere potuimus, et mihi tra-

dita fuerant, inculcavimus qualiter Anna de Christo, atque de Ecclesia gentium, et repulsione Synagogæ prophetaverat) expletis, Domino favente, ad alia tandem stylum vertere conamur.

« Interea Samuel erat ministrans in templo Do« mini accinctus ephod, » hoc est superhumerali lineo, quod distat ab illo ephod, quo induebatur pontifex; ex quatuor coloribus et concessum minoribus gradibus erat, ad utendum.

« Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, » et reliqua. Tunica enim parva, quam faciebat ei mater, significat doctrinam facilem, quam induendi sunt rudes animi credentium; qualibus Paulus dicit: « Lac vobis potum dedi (*I Cor.* v), » et reliqua. Superhumerale vero lineum significat castitatem et continentiam cum bonis operibus. Quia quisquis divino ministerio fungi appetit, necesse est ut primum caste continenterque vivat, ac sic in bonis operibus semetipsum exerceat.

« Porro filii Heli, et filii Belial, nescientes Do« minum neque officium sacerdotum ad popu« lum, sed quicunque immolasset victimam, ve« niebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes, « et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, « et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, » et reliqua, usquequo ait, « Erat ergo peccatum « puerorum grande nimis coram Domino, qui de« trahebant omnes sacrificio Domini. » Hic enim nihil aliud juxta anagogen dicere possumus nisi secundum moralem intelligentiam, quam solers sapientium doctrina ethicam vocat, qualiter multi per appetitum gulæ, et mucrone concupiscentiæ pereunt. Quorum qualitates, ut liquidus lector cognoscere possit, quinque modos, divinarum Scripturarum auctoritate freti, describere conabimur, sicut Papa Gregorius etiam suis dictis asseruit. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit, aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit. Aliquando quælibet, quæ sumenda sunt, præparari accuratius expetit. Aliquando autem qualitatem ciborum, tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi. mensuram refectionis excedit. Nonnunquam vero abjectum est quod desiderat, et tamen ipso æstu immensi desiderii deterius peccat. Mortis quippe sententiam patris ore Jonathan meruit, qui in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et Ægypto populus eductus in eremo occubuit, quia despecto manna, cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. Et prima (sicut hic textus historiæ edocet) filiorum Heli culpa suborta est, quod ex eorum voto sacerdotis puer, non antiquo more coctas, vellet de sacrificio et carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet. Et cum ad Jerusalem dicitur: « Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia aquæ (*Ezech.* xvi), » aperte ostenditur, quod idcirco salutem perdidit, quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno æstu desiderii, vilem cibum, id est lenticulam, concupivit. Quam cum venditis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe (quem diximus) Esau, primatum per lenticulam perdidit, et Elias in eremo virtutem corporis carnes edendo servavit. Unde et antiquus hostis quia non cibum, sed sibi concupiscentiam esse causam damnationis intellexit, et primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, et secundum non carne, sed pane tentavit. Hinc est quod plerumque Adæ culpa committitur etiam cum abjecta et vilia sumuntur. Neque enim Adam solus, ut a vetito se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit: nam cum alimenta quædam saluti nostræ Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sententiam vetat. Et cum concupiscentur noxia, attingimus profecto quod aliud quam vetita degustamus? Ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quærit, et non quæ edendi libido suggerit. Nam si quis voluptatibus gulæ ineffrenate deservire studuerit, ad foveam vitiorum gravius prolabitur. Et etiam ab statu rectitudinis cadens, ad mortem animæ pertrahitur, et bonum quod videtur habere amittit. Quod de his filiis Heli in sequentibus demonstratur, qui propter libidinem gulæ ad majus peccatum sui cumulandum pervenerunt, ut dormirent cum mulieribus et transgredi facerent populum Domini. Unde non solum a sacerdotio ejecti sunt, sed etiam morte mulctati. Nam sequitur:

« Heli autem senex erat valde, et audivit omnia « quæ faciebant filii sui universo Israeli, et quo« modo dormiebant cum mulieribus. » etc. Quanquam simpliciter nonnulli super adulterio intelligi velint, ut Josephus quoque dicit, mulieribus religionis causa convenientibus contumelias inferebant, aliis quidem violentias facientes, aliis vero persuadentes donis. Nihilque eorum vita a tyrannide pessima differebat, quod et nostri doctores asserunt: tamen dormisse eos dicunt Hebræi cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi eo quod post menstrui tempus aut partus, non impleto secundum legis præceptum sacrificio, suadebant eis ad viros suos redire eisque adcommisceri. Et dormire ideo dicuntur, quia eas dormire cum viris suis contra legis præceptum faciebant. Unde idem Heli post paulum ait:

« Non est enim bona fama quam ego audio, ut « transgredi faciatis populum Domini. » Transgressionem ergo populus faciebat, quia sacrificio non rite peracto uxoribus suis jungebatur. Sicut enim extorquebant carnes ab immolante, ita etiam extorquebant sacrificium ab offerente. Et idcirco sicut in offerendis carnibus faciebant homines detrahere sacrificio Domini, ita quoque nihilominus in conjungendis uxoribus transgredi faciebant populum. Quam intelligentiam si quis sequi voluerit,

suo judicio derelinquimus : nos priorem magis sequi decernimus.

« Si peccaverit vir in virum, placari ei potest « Deus ; si autem in Deum peccaverit vir, quis « orabit pro eo ? » Non igitur eo modo in virum, quo in Deum peccatur : quia in virum peccare peccatum qualecunque est, leviorque remissio. In Deum vero peccare, id est, ab ejus cultu recedere, impietatis peccatum est, difficiliorque remissio. Et quoniam cum in virum quis peccat, placato sibi viro, facit sibi Deum placabilem ; in Deum autem cum quis peccat, quis orabit pro eo ? Ac si dicatur : Per quem, Deum sibi in quem peccavit propitium facere potuerunt. Tamen non ita intelligendum est, quod nulla venia speranda sit iis qui in divino officio aliquid deliquerint, etiamsi digne pœnitentiam gerant, sed quod difficilior sit venia et major agenda pœnitentia iis qui in rebus Deo sacratis offendunt, quam qui proximum suum in verbo vel in facto aliquid læserit. Quia quanto major gloria, tanto gravior sit offensa. Hic notandum est siquidem quia præsulibus ac omnibus qui præsunt populo Christiano, considerandum est subtilius, qualiter filii Heli divina sacrificia temerantes peccabant coram Domino, et deridebant per eos multi sacrificium Domini, unde et Heli sacerdos per eorum iniquitatem damnatus est, quod eos peccantes minus severa animadversione flectebat. Et quidem coercuit, et quidem corripuit, sed lenitate et mansuetudine patris, non severitate et auctoritate pontificis : qua sententia discant sacerdotes (ut dicere cœpimus) quod non debeant propter ullos humanos favores, aut commoda terrena iis quibus præsunt, in peccatis quibus peccant in Deum, non solum assentire et blandiri, sed nec lenitate, aut mansuetudine, imo dura ac severa increpatione corrigere et emendare : ne si tacuerint peccata filiorum, id est scelera populorum, ipsi pereant qui correcti non fuerant, et qui præsunt pariter cum eis puniantur. Quod quamvis sancti sunt, culpa tamen subditorum propter silentium et mollitiem invectionis, si non coerceant, eis reputabitur. E regione namque si juxta modum culpæ, dura invectione increpare studuerint, et antidoto suæ prædicationis, vulnera peccatorum curare non neglexerint, coronam æternæ mercedis sciant se esse percepturos. Scriptum namque est : « Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum (*Jac.* v). » Denique in Veteri Testamento legimus, quod Phinees sacerdos zelatus, ut furorem Domini placaret, peccantes coram populo pugione transfixit, et propterea et nomen et sacerdotium æternum sibi promeruit. Quod quia Heli animadversione in filios peccatum vindicare noluit, non solum sacerdotium perdidit, sed etiam morte mulctatus est, sicut diximus, et sacra historia in sequentibus manifestissime ostendit. Nam sequitur :

« Venit enim quidam propheta Domini ad Heli « sacerdotem, et dixit ei : Hæc dicit Dominus : « Nunquid non aperte revelatus sum domui patris « tui, cum esset in Ægypto ? » Domum principis sui Aaron dicit de cujus stirpe successit in sacerdotium. Cui se revelatum Dominus dicit quando ait in Ægypto : « Vade in occursum Moysi in desertum (*Exod.* iv). » Hic primum revelatus fuit ei Dominus, atque ad obedientiam destinavit, et postea non solum ipse, sed etiam omnes tribus in sacerdotem elegerunt. Unde dicitur :

« Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi « in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum : « et adoleret mihi incensum, et portaret ephod « coram me. Et dedi domui patris tui omnia de « sacrificiis filiorum Israel. Quare calce abjecistis « victimam meam et munera mea quæ præcepi « ut offerrentur in templo et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias « omnis sacrificii populi mei Israel ? Propterea, « ait Dominus Deus Israel, loquens locutus sum, « ut domus tua et domus patris tui ministraret « in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc « autem dicit Dominus : Absit hoc a me. Sed « quicunque glorificaverit me, glorificabo eum. « Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. « Ecce dies veniunt et præcidam brachium tuum « domus patris tui, » id est dignitatem et robur sacerdotii et summum sacerdotem. Unde et dicitur : « Ut non sit senex in domo tua, » id est, sacerdos magnus.

« Et videbis brachium æmulum tuum. » Æmulus domus Heli Sadoch exstitit, qui ejecto Abiathar a Salomone sacerdotium suscepit : quanquam de Samuel velint intelligi, sicut in Malachim legitur : « Projecitque Salomon Abiathar ne esset sacerdos Domini, ut impleretur verbum Domini quod locutus est super domum Heli (*III Reg.* II). »

« Verumtamen non auferam penitus virum ex « te ab altari meo, sed ut deficiant oculi tui, et « tabescat anima tua. » Ideo Dominus non penitus ablaturum virum ex domo Heli ab altari suo, dicit ut semper de domo Heli esset in domo Domini vir qui in dignitate sacerdotii alium substitutum et se eadem dignitate privatum videns, ejus oculi deficerent et anima tabesceret præ nimietate mœroris. Mystice hæc prophetia de mutatione sacerdotii, non est in Samuele completa, sed in Domino Jesu Christo exstitit adumbrata. Nam post Samuelem prophetam, postea sacerdotes fuerunt de genere Aaron, sicut Sadoch et Abiathar, regnante David, et alii deinceps : antequam tempus veniret ex quo ista de sacerdotio mutando, per Christum effici oportebat. Nam cum diceret : « Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui, » id est, Aaron, qui primus sacerdos est institutus, de cujus progenie cæteri sequerentur, « ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus : Absit hoc a me. Sed quicunque glorificaverit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles ; » ecce isti sunt dies qui prænuntiati sunt ;

jam enim venerunt : nullus enim sacerdos est secundum ordinem Aaron. Et quicunque ex ejus genere est homo, cum videt sacerdotium, imo sacrificium Christianorum toto orbe pollere et se abjectum, deficiunt oculi ejus, et anima ejus defluit, præ nimietate mœroris. Unde et sequitur :

« Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem secundum cor meum. » Quod ait Propheta ad Heli loquens ex persona Dei. « Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet, et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus ; » sub figura Samuelis de Domino Salvatore, summo videlicet ac vero pontifice, debet intelligi. Quia nimirum sicut Samuel defuncto Heli successit in sacerdotium, non de stirpe Aaron sed de alia Levi familia electus : fuit enim filius Elcana, filii Jeroham, filii Eliu, filii Thau, filii Suph, filii Elcana, filii Joel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, filii Taath, filii Aser, filii Asaph, filii Core, filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel, ut verba dierum narrant ; ita Mediator Dei et hominum, ut esset nobis pontifex non de Levi, sed alia utique tribu, id est Juda, carnem sumpits. Aliamque legaliter hostiam ipsam suam carnem obtulit Patri pro nobis. Aliosque de genere Aaron pontificatus sui reliquit hæredes filios, videlicet gratiæ Novi Testamenti ; non tantum ex Judæis, sed de universa gentium natione collectos. Quod vere quasi humano more loquens Deus dicit : Qui juxta cor meum et animam meam faciet, de Samuele quidem recte potest intelligi quod in omnibus ejus voluntati sicut homo Dei, Deo paruerit. De Domino autem Salvatore potest etiam accipi altius : quia sicut Filius unigenitus paternorum in omnibus sit conscius arcanorum, juxta quod de seipso manifeste testatur, dicens : « Et a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor (*Joan.* VI). » Et : « Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum : quia quæ placita sunt ei, facio semper (*Joan.* VIII). » Cui domum fidelem ædificat Pater, quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque in finem, firmam retineamus. Et hæc domus ambulabit coram Christo ejus, ipso videlicet summo pontifice, cunctis diebus, quia nimirum usque ad finem sæculi, suorum augmentatione membrorum Ecclesia sancta proficere nunquam cessabit : alioquin quomodo de Samuele potest accipi, quod ædificata sit ei domus fidelis quæ coram Christo Domini, id est, ipso Samuele cunctis incederet diebus ; cum legamus in sequentibus quod filii illius aversi de viis ejus post avaritiam declinaverunt et perverterint judicium, nisi forte domus ejus hoc loco plebem Israeliticam intelligamus, quæ cunctis diebus sacerdotii ejus Domino servierit ? De qua scriptum est (*I Reg.* VII) : « Et requievit omnis Israel post Dominum. » Et paulo post : « Abstulerunt ergo filii Israel Baalin et Astaroth, et servierunt Domino soli. » Quod vero subditur :

« Futurum est autem ut quicunque remanserit in domo tua, ut oretur pro eo et offerat nummum argenteum et tortam panis. » Non proprie de domo dicitur hujus Heli, sed illius Aaron, de quo genere etiam hucusque non desunt, qui veniant et convertantur. De quibus dicitur : « Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt (*Rom.* XI). » De talibus enim reliquiis bene intelligitur quod dicitur « Qui remanserit in domo tua, veniet ut oretur pro eo ; » profecto qui credit in Christum sicut et temporibus apostolorum, et in præsenti tempore aliquantum solet impleri, et in fine mundi perfecte complebitur. Nam etsi pauci, tamen aliqui, quotidie ex Judæorum non tantum ex plebe sed ex sacerdotali stirpe ad Ecclesiam confugiunt. « Et cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet (*Ibid.*). » Quicunque autem ex his salvandus est, ipse enim qui remansurus esse dicitur, in domo pereunte sacerdotis Heli necesse est ad Ecclesiam confugiat, et offerat pro se sacerdoti Christiano nummum confessionis Dei devote quæ in symbolo continetur : brevem quidem verbo, sed virtute præcipuam. Constat argento claritatem verbi cœlestis, sicut splendorem sapientiæ spiritualis auro sæpe designari. Offerat et panem sacrificii salutaris abjectis carnibus legalium victimarum, *dicatque* : « Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, » id est, ad ipsam plebem Christo sacerdote præclaram. Cui Petrus ait : « Vos enim genus electum, regale sacerdotium (*I Petr.* II). » Quod autem addit, « ut comedam buccellam panis, » etiam ipsum sacrificii genus eleganter expressit. De quo dicit sacerdos ipse : « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita (*Joan.* VI). » Quia enim dixerat superius dedisse cibos domui Aaron de victimis Veteris Testamenti, qui fuerant sacrificia Judæorum, ideo hic dixit postulandum ad comedendum buccellam panis, quod est de Novo Testamento sacrificium Christianorum.

CAPUT III.

« Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus. » Bene ait, « et sermo Domini erat pretiosus. » Pretiosus namque dicitur, quia perrarus erat, et per prophetam raro fiebat. Omne enim quod rarum est, pretiosum est, quia amplius desideratur. Unde et subjungitur : « In diebus illis non erat visio manifesta. » Quia videlicet prophetia non plena manifestabatur. Propter peccata enim populi, et eorum qui præfuerunt populo, jam non manifestabantur visiones, sicut patribus eorum. Ecce juxta historiam. Cæterum juxta spiritualem intelligentiam bene dicitur. « Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli. » Quia unigenitus Filius Dei Patris, quem per Samuelem significari diximus, qui interpretatur *nomen ejus Deus*, in omnibus voluntatem Patris apparens in carne exhibuit. Sicut ipse ait : « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me (*Joan.* IV). » Unde bene agitur, « coram Heli, » quia sacerdotium Ju-

dæorum mox noluit destruere, antequam verum sacerdotium appareret ; unde et subjungitur, « et sermo ejus erat pretiosus, » quia prædicatio ejus fidelibus amabilis atque pretiosa erat, infidelibus vero despecta. De quibus per significationem subjungitur :

« Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in « loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat « videre lucernam Dei antequam exstingueretur.» Præ nimia senectute oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, cum aderet in tabernaculo antequam lux diurna fieret, quando eadem exstinguenda erat lucerna, sicut per Moysen præcipitur, ut eadem lucerna luceret usque mane, legibus Exodi (*Exod.* xxvii). Sive hoc significat, quod in cæcitate sua ipse Heli permaneret, donec funditus cum prole sua exstingueretur, hoc est, vita careret corporali. Mystice autem cæcitas Heli significat cæcitatem cordis Judæorum. Lucerna quippe Dei, Dominus noster intelligendus est. Scimus enim quia in lucerna testa exterius, et lumen interius est. Ipse namque per Prophetam dicit : « Exaruit velut testa virtus mea (*Psal.* xxi). » Quid per testam, nisi corpus ipsius accipitur? in qua testa lumen Divinitatis exstitit, et flamma virtutum atque miraculorum effulsit. Cujus utique virtutes atque miracula, principes seu sacerdotes Judæorum, dum credere contempserunt, veritatis lumen in eis exstinctum est. Et bene ait, « antequam exstingueretur, » quia nec fulgore miraculorum, quæ ab eo fulgebant, intelligere, nec doctrinam ejus corde intento capere potuerunt, donec ipsum sacerdotium simul cum templo et populo funditus everteretur. De quibus etiam adhuc in persona Heli dicitur : « Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus, usque in æternum, » quia peccatum sacerdotum Judæorum quod in Christo admiserunt, videlicet quia non solum contempserunt, sed etiam crucifixerunt, victimis atque sacrificiis legalibus usque in sempiternum expiari non potest.

« Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi « erat arca Dei. Et vocavit Dominus Samuel. Qui « respondens, ait : Ecce ego, » et reliqua usquequo ait, « porro Samuel necdum sciebat Dominum, ne- « que revelatus fuerat ei sermo Domini.» Quod ter Dominus Samuelem vocavit, præfigurabatur quod ipse puer futurus erat propheta, dux, et sacerdos. Nescire Dominum dicitur Samuel, quia prophetiæ mysterium necdum ei, vel sermo Domini revelatus fuerat. Nam communiter ut cæteri sciebat.

« Dixitque Dominus ad Samuel : Ecce ego facio « verbum in Israel : quod quicunque audierit, tin- « nient ambæ aures ejus. » Hoc in loco comminatio Dei est super Heli, et super domum ejus : eo quod in peccato filiorum Heli arca Dei caperetur, et Israel rueret, et ejus filii interirent, et domus Heli sacerdotio domus Domini privaretur ; et ob id factum, audientium aures tinnirent stupore vehementi.

« Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, « et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.» Quod dictum est de Samuele, postquam verba divini oraculi, quæ nocte acceperat, mane Heli retulit : « Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in « terram, » significat, quia nihil ex his quæ locutus est irritum fuit, sed omnia sunt rebus completa quæ dixit. Cadunt namque in terram verba supervacua, quæ pro nihilo habenda, et universorum sunt calcanda despectu. Sic et beatus Job dixit : « Et lux vultus mei non cadebat in terram (*Job.* xxix). » Quia nimirum in tanta gravitate vultum tenere consueverat, ut nunquam contemptibili lætitia solveretur. Sed quotiescunque hilariorem se præsentibus exhibere certa semper hoc causa utilitatis eorum faceret. De quo et annectitur :

« Et cognovit universus Israel, a Dan usque Ber- « sabee, quod fidelis Samuel propheta esset Do- « mini. » Per terminos terræ Judææ descriptos, universitatem plebis pariter comprehendit. Dan viculus est in quarto milliario a Paneade euntibus Tyrum, qui usque hodie terminus est Judææ provinciæ contra septentrionem. De quo et Jordanis flumen erumpens a loco sortitus est nomen. Bersabee similiter vicus est in tribu Judæ in tricesimo ab Hebron milliario, vergens ad austrum. « Et evenit sermo Samuelis universo Israeli. » Sermo enim ejus fuit ad universum Israel, quod percutiendi essent a Philisthæis propter peccata filiorum Heli. Et hoc ex divina revelatione clarescebat sibi fuisse revelatum, sicut rei probavit eventus, et ideo verus propheta prædicabatur.

CAPUT IV.

« Egressus est namque Israel obviam Philisthiim « in prælium, et castrametatus est juxta lapidem « adjutorii. Porro Philisthiim venerunt in Aphec, « et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem « certamine, terga vertit Israel Philisthæis, et cæsa « sunt in illo certamine passim per agros, quasi « quatuor millia virorum. » Patet juxta litteram sensus, quia ista propter peccata filiorum Heli perpessi sunt filii Israel. Unde bene Aphec *furor novus*, sive *apprehendens* interpretatur, quod merito convenit rebus gestis. Qui enim iram Domini meruerunt ab hostibus apprehensi sunt. Verum juxta anagogen quid significet, breviter enucleandum est. Porro Israel, qui interpretatur *vir videns Deum* sive *fortis cum Deo*, significat credentes in Deum, Philisthiim vero, qui interpretantur *cadentes poculo*, immundos significant spiritus, qui poculo superbiæ inebriati, et ipsi de cœlestibus ceciderunt, et multos quotidie hominum pervertere festinant, poculo suo malitiæ. Contra quos Israel, fideles scilicet, ne victi immundis spiritibus cedant, sed ut superare possint, juxta lapidem adjutorii castrametantur. Lapis enim adjutorii legem significat Christi, ubi lapis verus Christus invenitur, de quo scriptum est : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes (*Psal.* cxvii; *Matth.* xxi), etc. Juxta quem morantur fideles, ut Christum invenire possint, ac dicere, « Et nobis in lapidem adjutorii ; et in petram refugii. » Et illud,

« Adjutorium nostrum in nomine Domini (*Psal.* cxxiii).» Sed dum ipsi juxta lapidem versantur, id est, meditantur in lege Domini die ac nocte, ut salvatorem amplius invenire valeant adjutorem, Philisthiim in Aphec veniunt, et aciem contra Israel instruunt. Aphec quippe *furor novus* interpretatur. Et bene furor novus interpretatur, quia quo amplius fideles immundi spiritus divini legibus insistere conspiciunt, et spem suam in Christum collocare, eo acriora ac nova certamina felle suæ malitiæ abacti construere non cessant. Unde multos qui in suis virtutibus confidunt, et in humana sapientia gloriantur, aut legem (prout Judæi sentiunt) carnaliter accipere cupiunt, et gratiam Evangelii contemnere non metuunt, immundi spiritus facile prosternunt. Nam sequitur : « Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis, et cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. » Quatuor enim ista millia virorum in certamine Philistinorum quo congressi sunt filii Israel, videlicet credentes ex primitiva Ecclesia, perierunt, illi intelliguntur qui quatuor Evangelia recipere noluerunt.

« Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum, sedentis super Cherubim. Et cognoverunt Philisthiim quod arca Domini venisset in castra. » Timueruntque, dicentes : « Venit Deus in castra. » Arca enim quam filii Israel de Silo in prælium tulerunt, duo Testamenta significat, quæ fideles ex Judaico populo ad gentes transtulerunt. Quæ bene dicitur « Domini exercituum sedentis super Cherubim. » Cherubim namque *plenitudo scientiæ* interpretatur, quæ in duobus Testamentis invenitur, quanquam ad Christum referri possit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ reconditi (*Col.* ii). Quæ Philistiim audientes, videlicet sapientes istius sæculi, seu ipsi immundi spiritus (de quibus superius diximus) extremuerunt, scilicet quia cœperunt Apostoli verbis pluere, ex scientia utriusque Testamenti miraculis coruscare, et quasi tonitrua intonare, « clamore grandi, et personuit terra » a voce prædicationis (*Act.* ii), et crediderunt se superandos.

« Ingemueruntque dicentes : Væ nobis ! Non enim fuit tanta exsultatio heri et nudiustertius. Væ nobis ? Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum ? Pugnaverunt ergo Philisthiim, et cæsus est Israel, et fugit unusquisque in tabernaculum suum. » Et hic enim in hoc quod ab alienigenis arca capta dicitur, præfigurabat a gentibus duo Testamenta accipienda esse, quæ per arcam significari diximus.

« Duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees.» Per Ophni enim, qui *discalceatus* ; et per Phinees, qui dicitur *os mutum*, per quos significari diximus longe superius sacerdotium Judæorum, qui modo mortui referuntur, ipsius sacerdotii finis intelligitur. Qui bene postquam arca capta est, mortui referuntur : quia postquam duo Testamenta ad sapientes istius sæculi et gentiles pervenerunt, sacerdotium Judæorum funditus finem accepit, et exigentibus peccatis exterminatum est, et ipsi sacerdotes a gentibus interfecti sunt. Hinc ad Ezechielem Dominus ait : « Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos, et assumas eum et duces per caput tuum et barbam tuam (*Ezech.* v), » etc. Quid per gladium acutum, nisi vastationem significat Judæorum, quæ sub Vespasiano et Tito facta est ? Quid vero per cæsariem capitis et barbam, nisi omnem pulchritudinem et virilitatem ejusdem populi demonstrat ? Quæ omnia Judæi amittentes, quique ex ipsis fame ac pestilentia et gladio remanserunt, sub figura capillorum in cunctis gentibus quasi in omnem ventum dispersi sunt. Et ut manifestius juxta superiorem intelligentiam intelligatur, dicamus aliter. Ait enim : « Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos, » etc. In hoc namque facto judicium Redemptoris exprimitur, qui in carne apparens caput rasit, quia Judaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit. Unde per decisos capillos, sacramentorum subtilitas ; per caput vero, summa sacerdotii designatur. Barbam rasit, quia regnum Israeliticum deserens, decorem virtutis amputavit.

« Currens autem vir de Benjamin, ait ad Heli : Fugit Israel coram Philisthiim, et ruina magna facta est in populo. Insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees ; et arca Dei capta est. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et, fractis cervicibus, mortuus est.» Sicut superius mors filiorum finem significat sacerdotii Judæorum, ita in hoc loco mors patris designat pontificatum Judæorum irreparabiliter prostratum, sedemque habere vacuam, et gloriam sacerdotii regnique exstinctam, sicut superius paulo plenius exemplo inculcavimus. Et hoc est de sella retrorsum cecidisse et mortuum esse. Denique post exstinctum sacerdotium ac sedem vastatam pontificatus Judæorum carnalis etiam Synagoga, carnaliter illi adhærens, mox interiit. De cujus significatione subjungitur :

« Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat vicinaque partui. Et audito nuntio quod capta esset arca Dei, et mortuus esset socer suus et vir suus, incurvavit se et peperit. Irruerant enim in eam dolores subiti, in ipso autem momento mortis ejus dixerunt ei qui stabant circa eam : Ne timeas, quia filium peperisti,» etc. Omnia enim ad superiora tendunt. Nam, sicut diximus, nurus Heli, uxor Phinees, carnalem plebem Judaicam designabat, quæ carnali sacerdotio copulata, cum ipso finem accepit, atque divinitus interiit. Sed notandum est, quia non antea interiit antequam vivum parturiret. Ita et synagoga Judæorum ex toto non interiit, antequam vivi ex ipsa nascerentur, id est ipsa primitiva Ecclesia, quæ ex ipsa plebe credidit. Unde et merito consolationem non recipiens ab his quæ consolabatur, id est Synagoga desperans ab humilibus credentibus ait :

« Translata est gloria de Israel, quia capta est « arca Dei. » Hoc est quod Dominus ait : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). » Unde notandum est, quia puerum vocavit Ichabod. Chabod enim *gloria*, Ichabod vero *cecidit gloria* ad illos refertur qui ex Synagoga non credentes prodierunt, qui in decorem et gloriam esse poterant ipsi Synagogæ, si credere in Deum, et eorum prædicationibus voluissent. Et quia hoc agere contempserunt, gloriam eamdem amiserunt : quia prædicatores sancti, eis contemptis, ad gentes pervenerunt. Unde et iisdem apostoli dicunt : « Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quia repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ex hoc ibimus ad gentes (*Act.* XIII). »

CAPUT V.

« Philisthiim autem tulerunt arcam Dei, et as« portaverunt eam a Lapide adjutorii in Azotum. « Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, et intulerunt « eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta « Dagon. » Lapis adjutorii dicitur locus ille, in quo posuit Samuel lapidem unum, inter Masphat et inter Sem. Azotusque et Azot dicitur, est una de quinque civitatibus Allophylorum, interpretatur autem *incendium patris*. Et bene incendium patris dicitur, ubi idolum Dagon consistebat, quia adventus arcæ Dei in Azotum incendium erat diaboli patris omnium inimicorum. Dagon interpretatur *piscis tristitiæ*, significat hostem antiquum, qui in mari istius mundi positus, devorat peccatores.

« Cumque surrexissent diluculo Azoti altera die, « ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam « Domini, » et reliqua. Jam superius diximus quod arca duo significat Testamenta. Philisthiim vero in hoc loco gentiles præfigurantur. Sed dum arcam ad templum suum deferunt, Dagon illorum deus corruit, atque duæ palmæ et caput absciduntur. Quid est enim hoc, quod dum arca juxta Dagon constituitur, mox in terram prosternitur, nisi statim ut testamenta Dei ad gentes pervenerunt, confestim idola quæ deceptum possidebant orbem destructa sunt, omnisque error simulacrorum corruit, præsentiam Dei ferre non sustinens. Sed notandum est, quia hi qui arcam constituunt juxta Dagon, ut arca Dei subdita illi fuisset, figuram gesserunt sapientium hujus mundi, qui testamenta Dei subdere voluerunt sub suorum scientia. Illi vero qui Dagon restituerunt in locum suum, figuram gesserunt eorum qui defensores fuerunt idololatriæ cultus. Nam in manibus Dagon præcisis opus idololatriæ amputatum, in capite vero ejus superbia diaboli abscisa significabatur, a quo initium peccati fuit. Quod vero in limine inveniuntur, gestum est, ut scilicet prælinitum suæ idololatriæ finem agnoscerent. Limen enim finem itineris significat, id est consummationem idoli. Seu limen significat fidem, per quam idololatriæ cultus destructus est. Etiam illud pertinet ad magnam significationem, in ipsa ruina Dagon sui, atque fractura illius, solum invenerunt fractis ejus omnibus membris dorsum. Dorsum quippe fugam significat, id est abolitionem idolorum. Quicunque enim fugiunt, persequentibus dorsum dant. Unde et de hostibus scriptum est : « Qui pones eos dorsum (*Psal.* XXVI). » Ubi enim sunt idola ? perierunt, et si aliqua sunt remanentia ab aliquibus absconduntur, fugiunt. Nam sequitur :

« Aggravata est autem manus Domini super Azo« tos, et demolitus est eos, et percussit in secre« tiori parte natium Azotum et fines ejus ; » et quatuor reliquas civitates. Hic etiam figura prætenditur. Quod autem percussi sunt in posteriora hi qui arcam Dei captivaverunt, hac pœna significari videtur, quia si qui susceperint testamentum Dei, et posteriorem vitam dilexerint, ex ipsis et pro ipsis, justissime justo judicio Dei in posteriora cruciabuntur, quæ, sicut ait Apostolus, existimari debent sicut stercora (*Phil.* III). Qui enim sic assumunt testamentum divinum, ut in posteriora respicientes veteri se vanitate non exuant, similes sunt hostibus illis qui arcam testamenti captivam juxta idola sua posuerunt. Et illa quidem vetera etiam nolentibus cadunt : quia « omnis caro fenum, et, » *claritas* « hominis, ut flos feni. Aruit fenum, flos cecidit. » *Arca* autem Domini manet in æternum (*Isa.* XL). » Secretum scilicet testamentum regnumque cœlorum, ubi est æternum Dei verbum.

CAPUT VI.

« Fuit ergo arca Domini in regione Philisthino« rum septem mensibus. » Hoc enim tempus propter universitatem temporum quæ septenario numero discurrit significat Testamentum Domini usque ad consummationem sæculi in gentibus permansurum. Deinde sequitur qualiter inito consilio, quinque anos aureos, juxta numerum civitatum suarum, obtulerunt arcæ. Patet enim litteræ sensus, tamen aliquid significationis habet : quia quosdam significat qui post idola pœnitentiam gerunt. Illi enim aureos anos atque mures aureos, ad arcam Domini offerunt, qui per flagella agnita virtute ejus, pro transactis peccatis, et idolorum cultura pœnitudinem gerentes, per veram confessionem Deo gloriam reddunt. Et licet coacti studium vitæ suæ ad meliora convertunt, cognoscentes se flagella Domini atque plagas juste perpeti a Domino. Unde quinque civitates Philisthinorum, quinque corporis sensus, id est visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum, figuram habuisse non dubium est. Per hos enim homo, aut bene operando præcepta Dei adimplet, aut prave vivendo diabolo satisfacit. Sequitur :

« Nunc ergo arripite et facite plaustrum novum unum et duas vaccas fetas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro et recludite vitulos earum domi. Tolletisque arcam Domini et ponetis in plastro. » et reliqua. Hæc igitur, quanquam historiæ seriem prætermittamus enucleandam, quia luce cla-

rius patet, tamen ne alicui ludus esse videatur, quid A significationis gerebat moraliter, ex sanctorum dictis, non nostra ponentes, pandamus. Quid igitur vaccæ Allophylorum arcam Dei gestantes, nisi figuram sanctorum ac fidelium renuntiantium sæculo præfigurabant? qui nullum delicti jugum traxerunt, neque ullo parentelæ studio a proposito religionis præpediuntur, neque opere, sicut per Moysen de talibus dicitur: « Qui dicunt patri suo et matri, Nescio vos, et nescierunt (*Deut.* XXXIII).» Quid ab eisdem vaccis vehebatur: sacræ Scripturæ prætendebat sacramentum, cui omnes sancti obedientes, dum obtemperant quasi superimpositam arcam Domini portant. Plaustrum vero illud, in quo arca gestabatur, crucis Christi innuebat mysterium. Unde et Veritas ait: « Si quis vult post me venire, B abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me (*Matth.* XVI; *Marc.* VIII). » Sed notandum est quod eædem vaccæ fetæ fuisse memorantur, quia sunt qui plerique in via Dei intrinsecus positi foris carnalibus affectibus ligantur, sed non declinant a recto itinere, quia arcam Dei portant in mente. Ecce venim vaccæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe dicitur *domus solis*, et Propheta ait: « Vobis autem qui timetis Deum orietur sol justitiæ (*Mal.* IV). » Si igitur ad æterni solis habitationem tendimus, dignum profecto est, ut de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute pensandum est, quod vaccæ Dei plaustro suppositæ pergunt et gemunt, dant ab intimis mugitus, et tamen de itinere non deflectunt C gressus. Sic nimirum prædicatores sancti, sic fideles quique intra sanctam Ecclesiam debent ut compatiantur proximis per charitatem, et tamen de via Dei non exorbitent per confessionem.

« Sed et satrapæ Philistinorum sequebantur us- « que ad terminos Bethsames. Porro Bethsamitæ « metebant triticum in valle. Et elevantes oculos « suos, viderunt arcam, et gavisi sunt cum vidis- « sent. Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsa- « mitæ, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus. « Et conciderunt ligna plaustri, » et reliqua. Jam enim superius dictum est, quod Bethsamis *domus solis* interpretaretur. Sed nunc quæ alia potest in hoc loco esse domus solis, nisi sancta Ecclesia, a Sole justitiæ illustrata? Et quid est Bethsamitas D in valle frumenta metere, nisi doctores Ecclesiæ annonam verbi Dei in humilitate tractare? Quis est lapis in agro Josue, nisi Christus Dominus in Ecclesia sua? Ligna vero illa plaustri, ipsius Christi præfigurasse crucis mysterium non dubium est. Vaccas vero super lapidem immolare, est conversos sanctos a sæculo in Christi imitatione mortificare.

« Hi sunt autem ani aurei quos reddiderunt Phi- « listhiim pro delicto, Domino: Azotus unum, Gaza « unum, Ascalon unum, Beth unum, Accaron « unum.» Azotus enim interpretatur *ignis*, Gaza vero *fortitudo ejus*, sive *divitiæ*. Ascalon quippe *pondera* vel *ignis homicida*. Geth *torcular*, Accaron vero *sterilitas* vel *eradicatio* dicitur. Quinque enim civitates Palæstinorum quinque corporis sensus a quibusdam intelliguntur. Ex quibus bene Azotus interpretatur *ignis*, illum scilicet significans, quo corda miserorum succenduntur. De quibus scriptum est: « Omnes adulterantes velut clibanus corda eorum (*Ose.* VII).» Et Gaza, quæ dicitur *fortitudo ejus*, quia fortes sunt adulterantes in malum; sive *divitiæ*, de quibus Dominus dicit: « Sollicitudines divitiarum suffocant verbum (*Matth.* I),» accipiuntur in quibus confidunt iniqui. Et Ascalon, quæ *ponderata* sonat, vel *ignis homicida*, malitiæ pondus, quo deprimuntur reprobi. De qua dicitur: Iniquitas in talento plumbi sedet, quia iniquitate succensi, ut divitiis abundare possint, homicidia perpetrant. Unde Geth jure sequitur, quæ *torcular* interpretatur: Significat autem tribulationes præsentis vitæ, ubi torquentur electi ac reprobi. Et Accaron vero, quæ *sterilitas* vel *eradicatio* dicitur, reproborum significat sterilitatem, qui his vitiis insistunt; et si in his perseveraverint, eradicabuntur a terra viventium. Sed hæ quinque civitates munera aurea offerunt, quando auro spiritalis intelligentiæ instructi, ab his vitiis per pœnitentiam declinantes, quæ in quinque sensibus corporis admittuntur divinis Testamentis se subdunt. Unde necesse est ut attendant ad mortem, ubi est tristitia vera et sterilitas perpetua et sic se cohibebunt ab iniquitatibus. Sed quod ait juxta historiam:

« Ab urbe murata usque ad villam quæ erat abs- « que muro et usque ad Abel magnum super quem « posuerunt arcam Domini. » Abel magnum civitas est in termino Israel. Abel *magnum* idcirco vocatur, cum antea Bethsamis vocata sit, sive propter luctum super viris Bethsamitis ita factum, sive propter distinctionem civitatis Abel Betmacha, de qua exclamavit mulier sapiens ad Joab, dicens: « Qui interrogant, interrogent in Abela (*II Reg.* XVI).» Sic itaque intelligendum est, quod ab urbe murata usque ad villam quæ est absque muro, et usque ad Abel magnum dederunt mures. « Super quem, » id est, super luctum « posuerunt arcam « Domini, quæ erat usque in illam diem in agro « Josue Bethsamitis, et fuit ibi donec in Cariathia- « rim ducta est. Et percussit de populo septuaginta « viros, et quinquaginta millia plebis, » et reliqua usquequo ait:

CAPUT VII.

« Et factum est ex qua die mansit arca Domini in « Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe « annus vicesimus, et requievit omnis Israel domus « post Dominum.» Quod enim dictum est, quia percussit de populo qui non erant de stirpe Levitica, septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis, pro una eademque re indifferenter accipitur. Nam et ex uno Græco quod est λαός solet utrumque transferri. Sed in hoc videtur esse distantia, quia in priore commate versiculi, additum est viri septuaginta sunt percussi. De ipsa autem turba vulgari homines quinquaginta millia, quod ne pateretur (*Exod.* XX) populus a longe stabat et orabat, solus Moyses as-

cendit ad Dominum. Unde in Hebræo ita habetur: « Et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia viros; » hos septuaginta viros judices, septuaginta Hebræi intelliguntur, quorum merita et gloria quinquaginta millia viris comparantur: sicut et de David dicitur (*I Reg.* XVIII). « Quia tu unus pro decem millibus computaris. » Quod dictum est: « Quia ex qua die mansit arca Domini Cariathiarim, multiplicati sunt dies: erat quippe annus vicesimus, » et reliqua, jam ad octavum usque annum regni David, quando eam, congregata populi frequentia, in Jerusalem adduxit, sint [anni] computandi. Invenitur namque in sequentibus quia temporibus Saulis fuerat ablata de hac civitate, et allata in castra pugnante eo adversum Philisthæos. Sic etenim scriptum est: « Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei (*I Reg.* IV). » Erat enim ibi arca Dei in die illa, cum filiis Israel. Et quia constat (*II Reg.* VI), quod David eam in Jerusalem adduxerit cultam de domo Aminadab, in quam non illata esse perhibetur, restat intelligi, quia in diebus Saulis relata de castris, et in præfata remansit illata civitate, unde denuo, regnante David, afferetur in Jerusalem. Est ergo sensus memoratæ sententiæ, quia ex qua die mansit arca in Cariathiarim, erat annus vicesimus, cum eam inde transferri temporibus Saul causa belli contingeret. Denique, vicesimo peracto anno, translata est a Samuele in Masphat. Et de Masphat transtulerunt eam, Samuel et Saul, in Galgala. Inde translata est a Saul in Nobee, de Nobee in Gabaa, de Gabaa ad Aiud domum Obededon. Inde transtulit in Sion. De Sion transtulit eam Salomon in Sancta sanctorum, vel certe vicesimus erat annus, cum adhuc omnis domus Israel quievisset post Dominum, abjectis idolis videlicet, illi soli serviens. Quod in sequentibus dicitur: « Abstulerunt filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli. » Quod ea facta sit toto tempore præsulatus Samuelis, qui, Josepho teste, duodecim annis completus est, et primo tempore regni Saul, qui, eodem historico affirmante, viginti annis tenuit, nullus sanctæ historiæ curiosus ignorat. Namque postmodum cum recessisset Spiritus Domini a Saule, et agitaret eum spiritus nequam, maxime ad persequendum David innoxium et justum, necesse erat partem militiæ vel plebis ejus nullam, malitiæ illius exstitisse complicem. His juxta historiam prælibatis, quid mystice significet, quod arca venit in Cariathiarim, et intulerunt eam in domum Aminadab in Gabaa, et ex qua die mansit ibi multiplicati sunt dies, enucleare conabimur. Aminadab enim, in cujus domum venit arca, *pater meus spontaneus* interpretatur. Significat populum gentium, cui Dominus Pater gratiam Testamenti contulit. Qui cum Psalmista dicere potest: « Voluntarie sacrificabo tibi et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est (*Psal.* LIII). » Gabaa vero *collis* dicitur, et animas significat humilium de quibus dicitur: « Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam (*Psal.* LXXI). » Montes enim, Augustino teste, majores animæ sunt; colles vero minores. Seu etiam Gabaa, ubi Eleazar filius Aminadab sacerdos constituitur, ut custodiat arcam Domini, interpretatur *collis*, vel *sublimitas*. Eleazar *adjutorium* dicitur: et bene qui custodit arcam Domini, adjutorium interpretatur, quia sancti viri quidquid boni habent, non ad se, sed ad Dominum referuntur. Unde Apostolus: « Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (*I Cor.* III), » et reliqua. Verum Cariathiarim, quæ interpretatur *villa silvarum*, significat sanctam Ecclesiam, ex multitudine gentium collectam. In qua postquam Testamentum mansit, multiplicati sunt justi, qui ab ipso velut dies illuminati sunt. Baalim *habentes*, sive *ascendentes*, aut *superiores* interpretatur, quem filii Israel projecerunt; pariter cum Astaroth, idola gentium significat, quæ projecerunt credentes ex gentibus, post susceptionem arcæ Testamenti. Seu qui vetus Israel est, id est *vir videns Deum*, aufert a se omnem facturam malignorum spirituum, hoc enim interpretatur Astaroth. Aufert jactantiam atque superbiam et sic servit Deo soli, quia « nulla societas est lucis ad tenebras, nec ulla conventio Christi ad Belial (*I Cor.* VI). »

« Dixit autem Samuel: Congregate universum « Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum. « Et convenerunt in Masphath, hauseruntque aquam, « et effuderunt in conspectu Domini, » et reliqua. Hic enim, si præsumptio non videatur (quia non plenius intelligimus) quid est, quod aquam hauserunt et effuderunt in conspectu Domini, quid Hebræorum traditio sentiat, sicut in quibusdam codicibus legimus, inserere nisi sumus. Tradunt enim quod coram Domino in eadem aqua maledicta congesta sint, et sicut in lege mulier zelotipa hausta aqua probabatur, ita et hic idololatræ hac aqua probati sunt. Hi videlicet, qui se idola coluisse penitus denegabant. Tradunt etiam, quod quicunque idololatra hanc aquam gustasset, labia ejus ita sibi adhærerent, ut nequaquam ea ab invicem separare posset. Hoc indicio idololatria deprehendebatur, et interficiebatur. Quod et sequentia demonstrant, in eo quod ait: « Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath. » Judicare hoc in loco, idololatras secundum legem morti tradere dicit. Dicunt etiam quod hoc modo Moyses idololatras, qui vitulum fecerant, probaverit, quando arripuit vitulum et combussit, contrivitque usque ad pulverem, et sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel. Nos jam illorum deliramenta omittentes, quia utrum verum sit ignoramus, simpliciter intelligimus, quod tam sancto viro conveniebat ut plebem sibi commissam, in justitia et veritate, et summa prudentia gubernaret. Cæterum quid figura significet, intimare breviter aggredimur. Masphath enim quo congregatus est Israel, ubi et aquam hausit, in conspectu Domini, interpretatur *intentio*, sanctam significans Ecclesiam, ubi vera est intentio, quæ melius potest per ipsum Masphath intelligi, in unitate fi-

dei, sub novo sacerdotio, collectam : aquas lacrymarum hauriens, et per satisfactionem pœnitentiæ, eas in conspectu Domini effundens. Quod autem Samuel propheta in eodem loco, hoc est in Masphat, populum Israeliticum judicabat, hoc indicasse videtur, quod omnis prædicator spiritualis, eos fideles maxime docere studet, quos in intentionem contemplationis atque ad amorem patriæ cœlestis intentos esse perspexerit.

« Et ascenderunt satrapæ Philisthinorum ad Is-« rael. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a « facie Philisthinorum, dixeruntque ad Samuelem : « Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum « nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum. « Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et « obtulit illum holocaustum integrum Domino. » Agnus hic in typo oblatus populo Dei victoriam præstitit, quia videlicet per passionem Christi immundis spiritibus superatis, pax reddita est fidelibus. Unde et in sacra historia subjungitur :

» Factum est ergo cum offerret holocaustum Do-« mino, Philisthiim iniere prælium contra Israel. « Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa « super Philisthiim, et exterruit eos, » et reliqua. Tunc enim Dominus fragore magno intonuit, quando per sanctos apostolos sonum prædicationis emisit. Juxta quod scriptum est : « Intonuit de cœlis Dominus, et Altissimus dedit vocem suam (*Psal.* XVII). » Sed dum ista intonuit Dominus, exterruit Philisthiim, et cæsi sunt a filiis Israel. Quia videlicet immundi spiritus, prædicationibus sanctorum cedentes, a facie eorum discesserunt, quod plenius in ecclesiastica historia declaratur. Unde Bethchar, ubi cæsi sunt, interpretatur *domus agnitionis*, sive *domus agni*, Ecclesiam præfiguravit illius de quo Joannes ait : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » In qua, et a qua Ecclesia, Domino favente, immundi spiritus superati sunt. Et bene ait : « Persecuti sunt eos usque ad locum qui erat super Bethchar, » quæ interpretatur *domus agnitionis*, quia tandiu prædicatores persecuti sunt, quousque omnis error expurgaretur, et vere Deus agnosceretur. Sequitur :

« Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit « eum inter Masphath et inter Sen ; et vocavit no-« men ejus : Lapis adjutorii, » et reliqua. Lapis enim iste, quem Samuel inter Masphath, quæ interpretatur *intentio* : et Sen, quod dicitur *dentium*, ob signum victoriæ posuit, quem alium nisi Dominum nostrum Jesum Christum præfiguravit ? qui secundum dicta prophetarum inter inventionem Veteris Testamenti, et Evangelii prædicationem positus, fidelibus suis contra adversarias potestates dimicantibus auxilium præstat. Ipse enim præfigurabatur in lapide, propter firmitatem : ipse significabatur in agno, propter innocentiam : sive, quia pro nobis est immolatus. Quod autem ait : « Hucusque auxiliatus est nobis « Dominus, » ostendit quia quicunque hos terminos transcendunt, sicut hæretici, auxilium Dei non merentur. Quod

A autem ait : « Erat pax inter Israel et Amorrhæum, » hoc in futuro intelligere dabatur, quia postquam per passionem Domini aereæ potestates victæ eesserunt, usque populus ex circumcisione videlicet et præputio credens, in civitate fidei sibi concordavit. Amorrhæus interpretatur *amarus*, vel *loquens*. Et Apostolus ait : « Vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum (*Eph.* II), » et reliqua. Iste est Samuel qui invocavit Deum, sicut in sequentibus legitur, exaudivit eum Deus, et in tempore messis pluviam impetravit. Pluvia enim in sanctis Scripturis verba sunt Evangelii, sive legis. Sicut et Moyses dicit : « Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros

B verba mea (*Deut.* XXXII). » Hanc igitur pluviam dedit mundo Christus in tempore messis, id est quando gentes colligi oportebat, ut sicut frumentum horreis, sic intra Ecclesiæ sinum congregarentur.

« Judicabat Samuel Israel cunctis diebus vitæ « suæ, et ibat per singulos annos circumveniens « Bethel, et Galgala, et Masphath, et judicabat Is-« rael in supradictis locis. » Non enim vacat a mysterio quod Samuel in supradictis locis conveniens judicabat Israel. In hoc enim typum tenuit doctorum sanctæ Ecclesiæ, et ut hoc manifestius pateat, manifestemus clarius : Bethel enim, quæ interpretatur *domus Dei*, sanctam significat Ecclesiam quæ domus Dei dicitur, in qua Dominus sua gratia vi-

C delicet in mentibus electorum habitare dignatus est. Juxta quod ait : « Et inambulabo et inhabitabo in eis (*II Cor.* VI, *Lev.* 26). » Unde et Galgala, quæ interpretatur *revelatio*, eamdem significat Ecclesiam, de qua Dominus dicit. « Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*Matth.* XVIII), » videlicet per gratiam suæ revelationis ac præsentiæ suæ Divinitatis. Et Masphath, quæ interpretatur *intentio*, bene sequitur : quia videlicet in supradicta Ecclesia sancta Dei, est pura in mentibus electorum intentio, qua semper esurit, et anhelat ad Deum. In qua Samuel propheta judicat filios Israel, videlicet ut doctor fidelis fideles in Ecclesia decernit. Unde bene dicitur, quod revertens habitat in Rama Samuel, ubi

D erat domus ejus, quia videlicet hoc indicasse videtur, quod omnis ecclesiasticus doctor, vir spiritalis in Ecclesia, licet semper in altitudine contemplationis (hoc enim significat Rama, quæ interpretatur *excelsa mente*), habitare delectetur, per actiones tamen compassionum, ad infirma membra Ecclesiæ condescendere non renuit, et quasi populum Israel judicat, dum creditam sibi plebem, ad tenendam unitatem fidei, et cæteras virtutes operandas, sua exhortatione instituit et docet : seu qui judex alieni delicti efficitur, et judicium exercet in domo Dei : non propterea et malevola mente, sed secundum quod sacra Scriptura revelat, agere debet : ad domum proprii pectoris et conscientiæ tandem redire, et hostias bonæ voluntatis Deo immolare.

CAPUT VIII.

« Congregati ergo universi majores natu Israel, « venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque « ei : Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in « viis tuis, constitue nobis regem, ut judicet nos, » etc. Quid enim significabat quod seniores Israel, reprobato Samuele propheta, regem sibi petierunt, nisi hoc quod in adventu Salvatoris impletum esse cognoscimus : quando scribæ et Pharisæi, repulso Domino Jesu Christo vero sacerdote, regem sibi elegerunt, clamant : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX). » Unde Samuel, qui interpretatur *nomen ejus* Deus, reprobatus a senioribus Israel, Dominum ac Redemptorem significat. Saul vero, qui dicitur *petitus* seu *petitio*, suo quod a populo postulatus legitur, Barrabas intelligitur, quem dimitti sibi petierunt : qui Saul filius Cis, filius Abiel, fuisse legitur. Cis enim interpretatur *durus* vel *vomens*. Abiel vero , *ater meus* dicitur, quorum nominum interpretationes ad duritiem, et ad vomitum malitiæ Judæorum pertinent, qui, Deum Patrem confitentes, Filium in passione negaverunt, dicentes : Tolle hunc, et dimitte nobis Barrabam : non intelligentes, quia qui negat Filium negat et Patrem, qui misit illum.

CAPP. IX et X.

« Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit « super caput ejus, et deosculatus est eum, et ait : « Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam « in principem. » Sciendum est quod Saul non unius semper personæ gestavit figuram, sed aliquando Judæorum typum, ob superbiam, et adversus Deum invidentiam, sicut superius tetigimus, et in futuro demonstrabimus : aliquando Domini nostri Jesu Christi, propter unctionem regni, atque altitudinem staturæ, et propter principatum. De quo Isaias ait : « Factus est principatus ejus super humerum ejus (*Isa.* IX). » Aliquando vero principem sæculi hujus, propter elationem cordis et humilium oppressionem, sicut in sequentibus declarabitur ; sed in hoc loco, ubi a Samuele unctus legitur, ipsum Christum Dominum scilicet Salvatorem designat. Sicut enim Saul, cum asinas patris sui quæ deerant quæreret, in regno assumptus est : simili quoque modo Dominus et Salvator noster, postquam a Patre suo missus, ad oves quæ perierant domus Israel venire dignatus est, super cunctum populum suum ab eo in regem tantum constitutus est. Sic ipse ait : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psal.* II, *Marc.* XXIII) : » hoc enim præfigurabatur per asinas propter simplicitatem, quod et per oves propter innocentiam. Armus quem Saul accepit, sicut superius legitur, principatum significat Domini nostri quem accepit. Qui a Samuele unctus dicitur, quia a Deo Patre unigenitus Filius spiritali unctione delibutus legitur : de quo Psalmista : « Propterea unxit te Deus, Deus tuus (*Psal.* XLIV), » et reliqua. Omnes enim retro olim reges Israel, ob A unctionis sacramentum, in typo Salvatoris christi sunt appellati. Unde et David ait ad eum qui se finxerat Saul occidisse : « Quomodo non timuisti manum tuam mittere in christum Domini (*II Reg.* I)? » Sed bene ait, quod ab humero sursum Saul supereminebat omnibus, juxta spiritalem intelligentiam, quia caput nostrum sursum est supra nos, quod est Christus. Et bene dictum : « Non erat melior illo », et Psalmista : « Quis in nubibus æquabitur, aut quis similis erit Deo Filio Dei ? « (*Psal.* LXXXVIII.) Hic enim non seriem historiæ secuti, sed spiritalis intelligentiæ sensum continuatim describere conati sumus. Cæterum quia parum historiam prætermisimus, ad eam insinuandam apostrophen facere decrevimus. Ait enim sacra historia :

B « Dixitque Saul ad puerum suum ; Ecce ibimus : « quid feremus ad virum Dei ? » et reliqua. Non enim putabat Saul sibi asinas a Samuele aliter indicari, nisi pretio divinationis, de quo puer ait, cum a Saule audisset : Panis defecit in sitarciis nostris :

« Ecce inventa est in manu mea quarta pars sta« teris argenti, demus homini Dei. » Ideo ait : Quid feremus ad virum Dei ? Quod autem Sauli inquirenti de Vidente, responderunt dicentes :

« Festina nunc, hodie enim venit in civitatem, « quia sacrificium est hodie populi in excelso. » Sacrificium in hoc loco, prout aliqui intelligi volunt, prandium intelligitur, quod præparaverat Samuel populo in Kalendis, quia sequitur :

C « Neque enim comesturus est populus, donec « ille veniat, quia ipse benedicet hostiæ, et dein» ceps comedent qui vocati sunt. » Cæterum si quis simpliciter de hostiis immolatis. ac sacrificiis intelligere voluerit, nos non inhibemus. Dixitque Samuel ad Saul :

« Ascende ante me in excelsum, ut comedas me« cum et dimittam te mane, et omnia quæ sunt in « corde tuo indicabo tibi. » Hic enim si non displicuerit, sicuti scriptum invenimus, traditionem Judæorum inserere præsumimus. Erat enim in corde Saul (sicut ipsi tradunt) quod rex futurus esset, quia viderat per visum se in vertice arboris collocari ; quæ visio signum regale erat. Denique non tantummodo de asinis quas perdiderat in corde tractabat, quia cum dictum sit : Et omnia quæ sunt D in corde tuo indicabo tibi, statim per partem conjunctionis copulativam, et distinguendo copulavit dicens :

« Et de asinis quas perdidisti nudiustertius ne « sollicitus sis, quia inventi sunt. » Et illud : « Et « cujus erunt optima quæque Israel ? nonne tibi et « omni domui patris tui. » Tales enim et hujusmodi traditiones Judæorum, de apocryphis libris eorum prolatæ sunt, quos secum reconditos habent, quæ in nostris non habentur. Et ideo a quibusdam recipiuntur, non propterea ut illos approbent, sed ea quæ necessaria sunt, ad confirmandum recipiunt. Quod et Paulus Apostolus in Epistolis suis (*Tit.* I, *I Cor.* XV), non solum de Hebræorum libris apocryphis, verumetiam ex poetarum ac comicorum gentilium

ubi opportunum vidit, exempla protulit. Non ut omnia eorum commenta approbaret, sed opportuna ubi necessarium vidit, inseruit. Hinc est quod Judas apostolus in Epistola sua ex iisdem libris exemplum intulit, dicens: « Prophetavit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes (*Jud.* II).» Quod ex prædictis libris sumptum est, sed quia verum est, non est rejiciendum. Non tamen omnia approbanda sunt, sed necessaria accipienda. Sic etiam traditiones nonnullæ opportuno assumendæ sunt.

« Cumque abieris inde, et ultra transieris, » et reliqua usquequo ait, « invenient te tres viri ascen« dentes ad Deum in Bethel.» Hi viri causa orationis ibant in Bethel; ubi Jacob lapidem erexerat.

« Post hæc veniens ad collem Dei, ubi est statio « Philisthinorum. » Collis Dei locus erat ubi prophetæ habitabant. « Et cum ingressus fueris in ur« bem, obviam habebis gregem prophetarum des« cendentium de excelso, ipsosque prophetantes, « et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis « cum eis, et mutaberis in virum alium. Quando « ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæ« cunque invenerit manus tua, quia Dominus te« cum est: et insiliet in te Spiritus Domini, et pro« phetabis cum eis.» Prophetasse eum ibi Judæi dicunt de futuro sæculo, et de Gog et Magog, et de præmiis justorum, et pœna impiorum. Nam quia Spiritu Domini impulsus prophetavit, de adventu Christi et salute hominum prophetasse non dubium est.

« Quando ergo venerint signa hæc omnia tibi, « fac quæcunque invenerit manus tua, quia Deus « tecum est. » Ac si diceret: His signis nosse poteris quia Deus te regem fieri voluit, et idcirco ad omnia quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Deus tecum est.

« Videntes autem omnes qui noverant eum heri « et nudiustertius, quod esset cum prophetis et « prophetaret, dixerunt ad invicem : Quænam res « accidit filio Cis? Num et Saul inter prophetas? « Responditque alius ad alterum, dicens: Et quis « pater eorum? » et reliqua. Bene ait, Saule prophetante cum cæteris, « Et quis pater eorum?» Acsi diceret: Et quis major illi in dignitate et sapientia? optime enim potest inter prophetas versari et pater eorum, id est magister vocari, qui tam doctus et sapiens est. Pater magister vocatur, sicut Eliseus Eliam patrem, id est magistrum vocat, Pater mi, Pater mi; currus Israel et auriga ejus. Et in libro Job: Eliu, Eliphaz patrem, id est magistrum vocat, hoc modo, « Pater mi, probetur Job usque ad finem (*Job.* XXXIV). » Quod autem Saul ita invenit, sicut videns prædixerat, significat, quia omnia ita evenerunt Christo, sicut libri legis et prophetarum olim prædixerunt, licet de Judæis velint intelligi, quibus prospera seu adversa ita evenerunt, sicut prædixerat.

CAPUT XI

Ascendit autem Naas Ammonites, et pugnare A « cœpit adversum Jabes Galaad. Dixeruntque om« nes viri Jabes ad Naas : Habeto nos fœderatos, « et serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Am« monites : In hoc faciam vobiscum fœdus, ut « eruam omnium vestrum oculos dextros. » Verum quia historia est, spiritalem intelligentiam brevissima insinuatione enucleare aggredimur. Naas enim, qui interpretatur *serpens*, significat diabolum : non solum quia lubricus et tortuosus est, sed quia primum hominem per serpentem decepit. Ipse ascendit ad præliandum contra Jabes, qui interpretatur *sensus*, quia diabolus semper sensum divinæ cognationis et bonitatis auferre ab hominibus conatur. Galaad vero, qui dicitur *acervus testimonii*, illos significat qui eruditi sunt in Eccle- B sia testimoniis divinarum Scripturarum. Quorum oculos dexteros eruere cupit, videlicet illuminationem fidei, et prædicationis auferre satagit. Sed hos Saul, videlicet Dominus ac Redemptor noster, liberat cum exercitu suo : id est auxilio angelorum seu prædicatorum suorum qui in Besech populum enumerat. Besech enim *egestas* interpretatur, quia in egestate præsentis vitæ novit Dominus qui sunt ejus. Et apud ipsum est certus numerus electorum, quos ad prælium contra diabolum excitat. Nam possumus ad hæreticos referre, qui populus est mæroris, quoniam gaudium Spiritus sancti non habent. Disponit eorum perversitas in hoc fœdus cum populo Ecclesiæ, ut eruat oculos dextros, id est sensum vel visum sanæ orthodoxæ fidei aufe- C rat. Et vult ut sinistrum habeant, id est perversum sensum, et prava sentiant. Sed populus fidelis acervum testimonium divinarum Scripturarum congerit, unde suis hostibus resistat, emittit in universos terminos Israel, hoc est ad doctores Ecclesiæ, quatenus sibi opem ferant, et scutum fidei contra hostes ex adverso opponant.

CAPUT XII.

« Dixit autem Samuel ad populum : Venite et « eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum, » et reliqua usquequo ait, « Misit Dominus Jerobaal « et Bedan et Barac et Jephte et Samuel, et eruit « vos de manu inimicorum vestrorum. » Prius enim antequam superiora pandamus, dicendum est quis fuerit iste Jerobaal et Badan. Jerobaal D ipse est Gedeon, qui cum trecentis viris superavit Madianitas. Badan vero, ut quibusdam placet, ipse est Samson. Cæterum juxta altiorem intelligentiam, Galgala ubi Samuel innovavit regnum ac redarguit filios Israel, quæ interpretatur *revelatio* significat revelationem et illuminationem fidei in Novo Testamento, ubi vetus regnum in novum commutatum est. De qua mutatione superius jam diximus, ubi de Eli et Filiis ejus reprobatis, et electione Samuelis descripsimus. De abjectione Saul et constitutione David, Domino favente, in posterum dicturi sumus. Verum in hoc quod Samuel filios redarguit, juxta moralem intelligentiam typum tenuit spiritalium doctorum : qui in semetipsis delicta gravia non habent, quæ redarguant : sed aliorum peccata absque detrectatione fe-

riunt. De his enim talibus per Salomonem dicitur: « Verba sapientium quasi stimuli et quasi clavi in altum defixi (*Eccl.* XII). » Bene ait : « Verba sapientium sicut stimuli et quasi clavi in altum defixi, » quia peccata hominum nesciunt palpare, nec molli manu attrectare lascivia ; sed asperæ invectionis increpatione corrigere, et inerrantes pœnitentiæ dolorem et vulnus infigere. Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationi est audientium iste non est sermo sapientis. Hinc est quod Joannes Judæos gloriantes redarguit dura invectione. dicens : « Genimina viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira (*Matth.* III)? » Denique possumus et aliter hanc sententiam brevi indagatione innuere, quo ait dicens : « Verba sapientium sicut stimuli, » etc., quia et ad conversionem provocant et firma sunt, et inn ullo oberrant, quia sancto Spiritu prophetis et apostolis inspirata, ad eos usque pervenerunt, et ideo solida radice fundata sunt. Unde et in eodem versu subjungitur: Quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno, videlicet a prophetis per quorum consilium sunt prolata, et pastore uno, id est Spiritu sancto, inspirata Quisquis enim his est instructus, et Spiritu divino illustratus, potest corrigere, si, inquantum humana fragilitas non obsistat, se a peccatis continuerit, aliorum peccata. Quia ille juste redarguit in cæteris malum eorum, qui spiritualiter vivens, de proprio delicto reprehendi a quoquam non potest. Scriptum namque est : « Spiritalis omnia judicat et ipse a nemine judicatur (*I Cor.* II). » Innocens enim esse debet ab omni delicto, qui cæteros judicat pro scelere ipsorum, sicut et Samuel fecisse legitur ; qui etiam tales pluviam de cœlis, id est scientiam prædicationis ex libris prophetarum, de quibus scriptum est: « Judicium positum est et libri aperti sunt (*Dan.* III,) » proferunt et corda hominum, ut fructus fidei, ac bonorum operum gignere possint, diffundunt: ut eos, quia malum se egisse cognoscunt. terreant. Deinde sequitur qualiter Samuel, dum quereretur de principatu, et populus deprecaretur, dicens: « Ne cesses orare pro nobis,» respondens ait: « Absit a me hoc peccatum in Domino ut cessem orare pro vobis.» Hic namque perfecta benignitas sanctorum, olim in Samuele demonstrata est: illa videlicet de qua Dominus ait : « Diligite inimicos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Matth.* v). »

CAPUT XIII

« Filius unius anni erat Saul cum regnare cœ« pisset; duobus autem annis regnavit super Israel.» Non de Isboseth filio Saul tantum, sed de eodem Saule hoc dictum est. Sic enim erat innocens Saul quando regnare cœperat, sicut filius unius anni est, et in innocentia perseveraret. Et quia in eadem innocentia duobus annis regnavit et humilitate, bene dicitur tanquam filius unius anni fuisse. Cæteri vero quibus regnavit indigne calculo non hic comprehenduntur. Sed si voluerit quis intelligere per anticipationem de Isboseth, eo quod in sequentibus legatur, Quadraginta annorum erat Isboseth cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit, et a morte Heli usque ad Saul omne tempus quadraginta annorum est, non prohibemus quia et intelligi valet.

A

« Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum « quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philis« thiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: « Audiant Hebræi et universus Israel, » et reliqua. Quod enim ait : « Quod cum audissent Philisthiim, « Saul cecinit buccina » etc., sic intelligendum est : Quod cum audissent Philistbiim, subauditur conturbati sunt, Saul cecinit buccina. Hæc buccina signum victoriæ, et exhortationis fuit, ut audirent,

B

et noscerent Hebræi conturbati superatos esse Philisthæos. Propterea sequitur :

« Et universus Israel audivit hujuscemodi famam. « Percussit Saul stationem Philisthinorum.» His rebus compertis, confortatus est Israel: propter hoc et equitur: «Et erexit se Israel adversus Phi« listhæos.» Id est, viriliter cœpit agere contra eos.

« Quod cum vidissent viri Israel se in arcto po« sitos (afflictus est enim populus), absconderunt « se in speluncis, et in abditis, in petris quoque et « in antris, et in cisternis, » et reliqua. Si enim se abscondit Israel in præfatis locis, animum pulsat, quid est quod historia subjungit :

« Hebræi autem transierunt Jordanem. » Quod nos aliter intelligere non possumus, nisi illos sen-

C

tiamus qui se substraxerant a Saule timore perterriti, et ad Philisthiim transierant. Sed postea audientes quod Philisthiim fugissent, sociavarunt se cum suis in prælio, Quid enim hoc significet quod reversi fugitivi sociaverunt se cum suis in prælio, dicemus in posterum : « Cumque adhuc esset Saul « in Galgala, universus populus perterritus est, « qui sequebatur eum. Et exspectavit septem die« bus juxta placitum Samuelis, et non venit Sa« muel in Galgala. Dilapsusque est populus ab eo. « Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum et paci « fica,» et reliqua usquequo ait : « Dixitque Samuel « ad Saul: Stulte egisti, nec custodisti mandata Do« mini Dei tui, quæ præcepit tibi, » etc. Verum jam superius dixerat: « Et descendes ante me in Gal-

D

gala. Ego quippe descendi ad te, ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas. Septem diebus exspectabis donec veniam ad te, et ostendam tibi quæ facias.» Videtur quibusdam, inculpabiliter Saul obtulisse holocaustum, cum Samuel ab eo exspectatus, juxta placitum septem dierum non venerit. Quod qui hunc locum bene distinxerit, inveniet eum non immerito culpatum fuisse et inobedientem redargutum. Locus autem hic apud quosdam ita distinguitur : «Et descendes ante me in Galgala. Ego quippe descendam ad te. » Et postea subinfertur « ad offerendas oblationes, et immolandas victimas pacificas septem diebus exspectabis donec veniam ad te, et ostendam tibi quæ facias. » Non ergo Samuel suum præstolari adventum Sauli septem dierum tempore præcepit, sed ad offerendas

oblationes et immolandas victimas pacificas, se ab eo eisdem septem diebus voluit exspectari; quod ille nequaquam fecit, et ideo merito culpatur, et stultitiæ elogio denotatur indiscreta Saulis oblatio; ob hoc quod obedientiæ præceptum prævaricatus est, a Deo accepta non est. Quia enim prophetæ præceptum parum perpendit, Deum qui loquebatur in propheta contempsit, dicente Domino : « Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. (*Luc.* x). » Unde audivit:

« Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor « suum, et præcepit ei Dominus ut esset dux super « populum suum, eo quod non servaveris quæ « præcepit Dominus. » Reprobatio Saulis futuram præfiguravit ablationem regni Judæorum. Quod autem David superstes ei factus, hoc indicat, quod Dominus Jesus christus per Novum Testamentum in Ecclesia regnaturus populo Judæorum successurus erat.

« Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni « terra Israel. Caverant enim Philistim, ne forte « facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descen« debat ergo omnis Israel ad Philistim, ut acueret « unusquisque vomerem suum et ligonem et se« curim et sarculum. Retusæ itaque erant acies « vomerum, et ligonum, et tridentum, et secu« rium, » et reliqua. Philistim qui et Allophyli, licet plurimis in locis sanctarum Scripturarum, aliud atque aliud, multis modis allegorice significent, hoc in loco omnium hæreticorum præfigurant catervas; quæ pari consensu impietatis, adversus Ecclesiam Dei conspirantes, propter multitudinem populi sibi consentientis, et mundi hujus potestatibus fidentes, eamdem Ecclesiam Dei a suis fidelibus depopulari conantur; quorum multitudinem infirma membra Ecclesiæ pertimescentes, plerique ex ipsis abjurata fide ab Ecclesiæ unitate discedentes, eisdem hæreticis sociantur. Alii vero sub silentio sese occultantes, dum fidem suam palam confiteri metuunt, quasi in speluncis et cavernis terræ latitant. Philistim, quorum ingens numerus esse perhibetur, omnium hæreticorum magistros figurasse non dubium est. Qui propter varias sectas, quasi discolores equi, uno impietatis vinculo colligati, in hujus mundi campos dissolutis habenis ad decipiendos et opprimendos quos possunt, discurrunt. Sex millia equites, elatos exprimunt mundi, qui de carnali potentia tumidi, hæreticorum adjutores existunt. Reliqua vulgi multitudo ingentem innuit vulgi plebem, quam hæretici callidis persuasionibus deceptam sibi aggregant. Sexcenti viri, qui cum Saul remansisse narrantur, catholicorum virorum formam prætendisse possunt, qui per unitatem fidei Christo Domino velut Saul, adhærentes, nullis malorum persuasionibus, seu terroribus, ab eo recedunt. Fabri ferrarii allegorice viros significant spiritales in Ecclesia, qui tempore pacis (cum desint qui inquietent) per securitatem mentis, seu incuriam, ab spiritali inquisitione torpentes, quasi non sint, dum inexercitate ad respondendum hostibus fidei parati nequaquam sunt. Vomeres vero atque ligones, seu cætera ferramenta, spiritaliter testimonia, seu sententias indicant sacræ legis; quibus testimoniis sacerdotes Ecclesiæ, in pace ejusdem Ecclesiæ, ad eruditionem tantummodo populi fidelis, quasi ad agriculturam, juxta historiæ simplicitatem, utuntur. Quæ testimonia, asci ferramenta sint (si quando, permittente Deo, hæreticorum bella adversus Ecclesiam consurrexerint), ad exercendos videlicet atque probanbos fideles suos, viri ecclesiastici, subtili inquisitione ea perscrutando, et spiritali acumine acuendo, velut in gladios vertunt; per quos et hostes fidei prosternunt, et tam se quam cæteros fideles ab eorum persecutione, sive persuasione defendunt. Præcepta quippe divinæ legis atque testimonia, et ferramenta sunt in pace Ecclesiæ, et arma in tempore belli. Et ut manifestius fiat quod profertur : In pace Ecclesiæ præsules ejus seu sacerdotes, simplici prædicatione populum sibi creditum fide informantes, non alta de Deo, neque incapabilia illis proponunt, sed ut simpliciter credant in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, essentialiter unum et verum Deum, trinum vero personaliter. Si autem quicunque hæreticus sabellianæ partis assertor dicat, quia in Deum sicut una deitas, ita et una persona credenda est, non tres, id est, ut ipse credatur Pater, qui et Filius; et ipse Filius, qui Pater, sicut Sabellius impie prædicabat; quid tunc agendum erit viris ecclesiasticis, nisi ut et ipsa sacra Scriptura contra hujusmodi assertorem probare queant, quomodo Deus omnipotens unus sit in natura, trinus vero in personis. Rursum tempore quieto, nil amplius doctoribus Ecclesiæ catholicæ plebibus qui præsunt prædicare convenit, quam ut credant Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius substantiæ atque deitatis; Filium vero non aliunde quam de Patris substantia genitum, sine initio. ac per omnia Patri similem et coæqualem; Spiritum vero sanctum, ex Patre et Filio procedentem, unius substantiæ cum iis a quibus procedit. Si vero contra hujusmodi veridicam prædicationem provenerit ut quispiam arianæ partis assertor dicat: Non ita est ut prædicatis; sed sicut tres personas in Deum confitemini, ita et tres substantias in eum vobis credere oportet. Filium quoque non de substantia Patris substitisse, sed ex nihilo creatum; similiter et Spiritum sanctum non Deum, sed creaturam credere oportet. Quid contra hujusmodi impium prædicatorem vir ecclesiasticus facturus erit? nisi ut ex utroque Testamento proferat documenta, atque velut ferramenta acuat divina testimonia, per quæ et illa quæ prædicat, defendere valeat, et contradicentes refutare. Rursum tempore tranquillo, nil amplius de Dei Filio sacerdotibus Ecclesiæ prædicare convenit, quam ut credatur verus Deus ex substantia Patris sine tempore ineffabiliter natus, et verus homo pro nostra redemptione de substantia matris tempo-

raliter creatus et natus, gemina substantia, singulari vero persona; consubstantialem Patri secundum Divinitatem, consubstantialem vero matri juxta humanitatem; unum eumdemque in singularitate personæ. Contra quam fidem si e contrario diversi occurrant: unus videlicet qui ita duas naturas in Filio Dei confundat atque permisceat, ut inter Deum et hominem nullam esse differentiam astruat, sed hoc esse Deitatem, quod et humanitatem in eo, sicut et Euthitiani, et eorum similes hæretici impie defendere contendunt. Rursum alius ex adverso prosiliat, qui sicut duas in eo naturas, ita et duas personas affirmare velit, sicut Nestoriani. Iterum tertius vel quartus occurrat, unus videlicet qui eumdem Filium Dei dicat in veritate Deum esse, hominem vero in phantasia fuisse, quemadmodum Manichæi et Priscillianistæ dicere ausi sunt. Alius autem qui illum purum hominem fuisse, absque Deo, contendat, sicut Photiniani. Rursum alii atque alii existant, qui eum, hoc est Filium Dei, nihil de matre assumpsisse, nec ejusdem naturæ fuisse, ex qua et nos sumus, sed nescio quam imaginariam carnem in mundo gestasse; et cæteri plurimi, quos omnes memorare nimis prolixum est, et non necessarium: contra quos omnes hostes fidei, quid ecclesiasticis viris agendum est? nisi ut ex utroque Testamento diversas sententias atque testimonia, quasi varia ferramenta liment, exacuant, atque elucident, per quæ et ea quæ credunt ac prædicant defendere queant, et adversarios suos, aut confodiendo sibi substernere, aut certe terrendo in fugam convertere. Hoc quippe modo, et contra diversas quæstiones, quæ in Ecclesia per contentionis vitium oriuntur, Dei sacerdotibus omni circumspectione agendum est. Et adversus varias hæreticorum novitates omni studio vigilandum, ne fides Ecclesiæ, velut ædificii fundamentum, per eorumdem hæreticorum impetum, quasi impulsu ventorum labatur atque subruatur. Quod autem ait Scriptura de Israeliticis viris: « Descendebat ergo omnis Israel ad Philistim, ut acueret unusquisque vomerem suum et ligonem et securim, » etc.; hoc non absurde intelligi datur, quia controversia hæreticorum exercitia sunt catholicorum; et malorum contentio bonorum acuit sensum; et adversitas impiorum sinistra sunt arma justorum. Quod tamen hæretici, velut Philistim, omnibus modis cavent, ne pro eorum occasione, viri catholici arma possint habere spiritalia.

CAPUT XIV.

« Et accidit quadam die, ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: « Veni, et transeamus ad stationem Philistim, quæ « est trans locum illum, etc.». Pendet enim hæc sententia ex superioribus. Jonathas vero, cujus nomen sonat *columbæ donum*, sanctorum virorum spiritalium, qui in Ecclesia dono Spiritus sancti repleti sunt, gestavit figuram; per quos Dominus A hæreticorum conventus disturbat, dissipat atque in fugam vertit. Armiger autem ejus eorum sanctorum virorum præfiguravit discipulos, qui illorum exempla atque doctrinam sectantes, et individue illis adhærentes, quasi eorum arma portant. Quod autem idem Jonathas et armiger ejus adversus Philistim, non per planiora leniaque loca, sed per saxosa et ardua iter arripiunt, illud allegorice signat quod non illi sacerdotes, qui intra Ecclesiam, latam et spatiosam viam, per dissolutam vitam, ambulant, hostibus fidei contraire queunt, neque cum illis spiritaliter dimicare, sed illi potius qui per arctam et angustam viam gradientes inter utrumque Testamentum, atque inter prospera et adversa, quasi inter duos scopulos dextra B lævaque incedunt; qui armis sanctarum Scripturarum muniti, non proclivius ad ima, sed mentis alacritate, ad altitudinem contemplationis toto adnisu conscendere nituntur. Illud vero iter quod Jonathas armigero suo proposuit, ut nisi ipsi prius ad hostibus provocati forent, nequaquam ad eos transirent, sed quieti subsisterent, hoc nobis per hujusmodi iter signum sacra Scriptura typice innuit: ut ne quis ex catholicis adversus hæreticos prior contentionis arma commoveat, nisi ab ipsis prius ad certamen provocatus fuerit; quia non per catholicos, sed potius per hæreticos, contentionis bella in Ecclesia exordium sumunt. Quod autem Jonathas et armiger ejus prima congressione adversus Philistim, non alio in loco, quam C in agro culturæ dedito confligentes, viginti numero prima fronte ex hostibus prosternunt, illud figuraliter significare videtur, quod his doctoribus hæretici cedunt atque succumbunt, qui intra limites Ecclesiæ positi, a meditatione legis, velut ab agricultura non recedunt. Sequitur:

« Sed et Hebræi, qui fuerant cum Philistim heri « et nudiustertius, ascenderantque cum eis in ca« stris, reversi sunt ut essent cum Israel, » et reliqua usquequo ait: « Nuntiaverunt autem Sauli, « dicentes, quod populus peccasset Domino come« dens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis. « Volvite ad me jam nunc saxum grande. » Nam antequam spiritalem figuram aggrediamur enucleandam, manifestandum est quid est quod Scri- D ptura dicit de Jonatha: Illuminati sunt oculi ejus et quid significet juxta historiam quod dicit, comedisse populum cum sanguine. Quid est quod sacra Scriptura ait: «Illuminati sunt oculi Jonathæ, propter gustum mellis?» nunquid ante cæcus erat? Minime. Sed illuminati sunt utique, non ad videndum, quia ante videbat, sed ad discernendum, quia vetita tetigerat. Sicut de primis hominibus legitur, qui mox ut prohibita gustaverunt, apertos habuisse oculos referentur, ad discernendum videlicet inter bonum quod amiserant, et malum ad quod ceciderant. Cæterum aliqui aliter intelligi volunt: Aiunt enim quod ex nimio calore oculi, et exercitio prælii ac itineris, reverberati erant, et nimio jejunio fatigatus, non solum corpore, sed et mente fortassis defecerat, ubi

sunt oculi interioris hominis. Et ideo cum gustasset gustum mellis, illuminatus dicitur: quia non solum oculi ex refectione corporis, inquiunt, clarius videre cœperant, sed et interius mens clarior confortata dulcedine mellis, ac promptior resumptis viribus ad persequendum adversarios exstitit. Unde et ipse ait: « Turbavit pater meus terram. Vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto: quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum quam ceperat? » Nam quod ait, « Turbavit pater meus terram, » de patrata victoria intumuit, et ideo de indicto jejunio patrem suum reprehendit. Denique quod sequitur: « Et versus ad prædam defatigatus populus, tulit oves et boves, et vitulos, et mactaverunt in terra. Comeditque populus cum sanguine, » Non fecit populus irritum juramentum. Quod enim Saul adjuraverat, dicens: « Maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. » Ideo dixit, quia victoria jam potiti erant; sed peccasse Domino, et cum sanguine comedisse dicitur, quia contra legis præceptum, antequam sacrificium vespertinum peragеretur, comederunt. Sic itaque usus erat, ut quando homicidium ab eis, aut in suis, aut in exteris fiebat, non comederent antequam sacrificium vespertinum pro eis fieret. Aliter, peccasse Domino et comedisse cum sanguine dicuntur, quia mactatis victimis, non obtulerunt ad sanctuarium sacerdotibus, juxta legis præceptum, adipem et sanguinem, cum videlicet sanctuarium secum haberent. Quando locus sanctuarii procul erat, jubetur sanguis victimarum in terram fundi de his videlicet victimis, quas ad suos esus præparabant, quando vero sanctuarium præsens erat, sanguis hostiarum super altare Domini jubetur fundi. Sicut est illud in libro Deuteronomii: « Sanguinem hostiarum tuarum fundes in altari, carnibus autem ipse vesceris (*Deut.* XII). » Quod quia prælatus populus non fecit, peccasse dicitur Domino, et idcirco dicitur cum sanguine comedisse. Sive quia retro olim per legem mystice præceptum fuerat, ut ne quis de filiis Israel ovem vel bovem aut capram, vel quodlibet animal quod Domino offerebatur, in castris immolarent, sed ad ostium tabernaculi universa ducerent, et ibi omnia occiderent. Quod quia non fecerant, comedisse passim occidendo referuntur cum sanguine. Licet iste sensus posterior quibusdam placere videatur, superiores vero, quos posuimus, magis (ut nobis videtur) historiæ congruunt. Non ideo dicimus, ut istum refragemus, aut inhibeamus sensum, cum maxime spiritali sensui, de quo in sequentibus Domino duce dicturi sumus, convenit; sed prudenti lectori derelinquimus sensum nostrum insinuando, ut si placuerit, mihi consentiendo faveat; quia hic, ut annui, ad radicem historiæ pertinet. Ecce fundamentum historiæ innuimus, nunc spiritalem significationem pandamus. Sed prius quid significat quod Jonathas filius Saul pergentis ad prælium, et

A jejunium indicentis, videns super faciem agri mel, extendit summitatem virgæ, et intinxit in favum mellis, et gustavit, et illuminati sunt oculi ejus, propalabimus, ut postmodum cætera conjunctim insinuare valeamus. Verum quod ad gustum mellis oculi Jonathæ illuminati sunt, sicut diximus, non ad videndum, quia antea videbat, sed ad discernendum, quia vetita tetigerat. Tunc enim casus ille, sicut Adam, fecit illum attentum, redditque confusum: quid aliud exprimitur, nisi hoc facto admonetur, omnes illecebras voluptatum in sæculo debere contemnere is qui Deo nititur militare? Non enim potest contra Allophylos spiritales, id est adversus principes tenebrarum viribus animi concurrere, qui adhuc hujusmodi negligit dul-
B cedinem declinare. Mel enim distillans, inquit Scriptura (*Prov.* V), labia meretricis, quod est delectatio voluptatis carnalis. De quo putatur, juxta mysticos intellectus, hunc gustasse Jonathan, et sorte deprehensum, vix precibus populi liberatum. Illud vero quod superius descripsimus, quia postquam Domini opitulante auxilio. Philistim conturbati dispersique et in fugam versi sunt, quicunque de filiis Israel adhæserant, rursum ad suos Israeliticos reversi sunt, etc., hanc intelligentiam mystice habere dignoscitur: quod postquam hæreticorum conventus, Domino cooperante, per ecclesiasticos viros victus atque dispersus et in fugam versus catholicis cesserit; eos vero qui de Ecclesia ab ipsis hæreticis vi vel perversione subtracti fue-
C rant, rursum ad Ecclesiam a qua discesserant redeuntes, plerique sacerdotes, adhuc diversa sentientes et in variis sectis seducti, aut illos quos de ipsis hæreticis, quasi oves aut boves, ad Ecclesiam reducere potuerint, baptizandos denuo decernunt; sic quibusdam sacerdotibus olim visum fuerat, ut de hæresi ad Ecclesiam conversi, iterum baptizarentur, sicut faciunt Donatistæ hæretici: quod utique illicitum est, eos qui semel abluti sunt, denuo baptizare, aut certe conversis ex gentilitate, nequaquam secundum ecclesiasticam regulam, rectum baptismum tradere. Quos tamen Christus Dominus, velut Saul, per ecclesiasticos viros ad unitatem fidei revocat in fide sua, cujus figuram lapis ille grandis prætendebat, qui omnes credentes
D baptizari præcepit. Nam quod præceptum erat, ut ovem vel bovem vel quodlibet animal, quod Domino offerebatur, non in castris immolarent, sed ad ostium tabernaculi universa adducerent, prout superius ostendimus, et ibi omnia occiderent, typos adumbrabat futuros. Quod enim in lege ostium, hoc hic ingens saxum, hoc unitas fidei in Christo significat. Nam sicut per oves et boves et vitulos et arietes, diversos homines ad fidem venientes significat, ita per occisionem animalium, lavacrum regenerationis insinuat. In quo baptismo, velut quodlibet animal, vetus homo moritur, et novus resurgit. Illi enim eosdem credentes quasi diversa animalia, ut dictum est, occidentes, super terram cum sanguine comedunt, qui in varias sectas divisi, in unitate fidei, sicut oportet, ne-

quaquam baptizant. Quos utique quasi cum sanguine comedunt, dum illos absque perfecta purificatione peccatorum sibi aggregant. Quos velut comedunt, dum se cum illis unum corpus efficiunt. Sequitur :

« Ædificavit autem Saul altare Domino. Tunc« que primum cœpit ædificare altare Domino. » Hebræus non habet, *primum*, sicut in quibusdam codicibus legimus. Unde quærendum, cum ante legatur ædificasse altare, quando a Samuele increpatus est, cur hic dicitur, Tunc cœpit ædificare primum altare Domino ? Sed sciendum est ædificasse illum altare, sed quia inobedienter illud ædificavit, non Domino ædificasse intelligitur. Hic autem quia obedienter et recte illud ædificavit, Domino ædificasse perhibetur.

« Dixitque Saul ad populum : Applicare huc « universos angulos populi. » Angulos populi, principes populi vocat, quibus idem populus, tanquam lapidibus hinc inde parietes inhærerent, adhærebat. Deinde sequitur : Qualiter sortem mittendo deprehensus est Jonathas. Unde et ait Saul :

« Hæc faciat mihi Deus et hæc addat, quia mor« te morieris, Jonatha. Dixitque populus ad Saul : « Ergone Jonathas morietur qui fecit salutem hanc « magnam in Israel ; hoc nefas est. Liberavit ergo « populus Jonatham ut non moreretur. » Nota quantum prosint transacta bona contra quælibet minima offensa. Nisi enim Jonatham præterita adjuvissent, imminentia mala nequaquam evadere potuisset. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur bonorum cujuspiam operum.

CAPUT XV.

« Dixitque Samuel ad Saul : Me misit Dominus « ut ungerem te in regem super populum ejus Is« rael. Nunc autem audi vocem Domini : Hæc di« cit Dominus exercituum : Recensui quæcunque « fecit Amalec Israeli, etc., » usquequo ait : « Non « parcas ei et non concupiscas ex rebus ipsius ali« quid, sed interfice a viro usque ad mulierem, et « parvulum atque lactentem bovem, et camelum « et asinum. » Recensere dicitur Deus mala Amalecitarum, sicut per Moysen olim in lege prænuntiatum fuerat. Unde ideo jumenta Amalec Israel Dominus demoliri jubet, ut nec in jumentis memoria fieret. Dominus enim dixerat se deleturum memoriam Amalec de sub cœlo : idcirco præcipitur Sauli, ut eam penitus ab homine usque ad jumenta deleret. Et quia ejus memoria penitus deleta non fuit, Saulis peccatum et inobedientia in causa exstitit, sicut sequens historia ostendit. De quo Amalecita in libro Deuteronomii dicitur : « Memento quod fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit (*Deut.* XXV). » Lassos hic Hebræi immundos secundum legem, extra castra manentes intelligunt. Quos cecidisse Amalecitæ dicuntur, quia, sicut ipsi tradunt, eorum circumcisionem amputaverunt, et in subsannationem Dei in cœlum projecerunt.

A « Dixitque Saul Cinæo : Abite, recedite, atque « descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum « eo, » et reliqua. Cinæus ipse est Jethro cognatus Moysi, de cujus genere erant Cinæi, qui descenderant ad Amalec, et habitabant cum eo, qui utique eorum consanguineus erat, et hæreditatem in ejus terra habebant. Misericordiam vero Cinæus cum filiis Israel fecisse dicitur, sive quia Moysen fovit in terra Madian, sive quia concilium dedit Moysi, qualiter multitudinem populi gubernaret (*Exod.* XVIII).

« Nuntiatum est Samueli eo quod venisset Saul « in Carmelum, et erexisset sibi fornicem trium« phalem » Consuetudo erat regum, ut quando victoria potiebantur, facerent arcum, hoc est, forni-
B cem de myrtetis et palmis et olivis, ob signum victoriæ, prout quibusdam videtur. Cæterum si quis arcum ex lapidibus intelligere voluerit, in quo victoriam suam more regum depinxerat, non inhibemus, sed potissimum consentimus, quia in Salomone legimus : « Dissipabit impios rex sapiens, et curvabit super eos fornicem (*Prov.* XX). » Quod alia translatio « rotam molarem » dicit ; in quo ad æternam memoriam laudes ac victorias suas reges describebant.

« Ait autem Samuel ad Saul : Sine me, et indi« cabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. « Dixitque ei : Loquere. Et ait Samuel : Nonne « cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tri« bubus Israel factus es ? » Quid per increpatio-
C nem hanc, nisi superbia elati regis objicitur? Quod ad correctionem suam poterit quisque qui prælatus est convertere. Parvulum se Saul in suis prius oculis viderat, sed fultus temporali potentia, jam se parvulum non videbat. Cæterorum namque comparationi se præferens, quia plus cunctis poterat, magnum se præ omnibus æstimabat. Miro autem modo, cum apud se parvulus, apud Dominum magnus : cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Plerumque ergo dum ex subjectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur. Quod Sauli contigisse dicitur, cui et dicitur : « Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es ? »
D Acsi diceretur : Cum tu te parvulum conspiceres, ego te præ cæteris magnum feci. Quia vero tu te magnum conspicis, a me parvulus æstimaris. Unde cum a Samuele increparetur, quare vocem Domini non audierit, ex ipso fastu superbiæ respondit, dicens : « Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus. » Malum enim supra malum adjecit, quia culpam suam non solum agnoscere dignatus est, sed etiam superbiendo defendere studuit, ac per hoc defendendo accumulavit. Denique in hoc quod subjungit :

« Tulit autem populus de præda oves et boves, « primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Do« mino Deo suo in Galgalis. » Primitiæ hic ea quæ potiora et meliora erant, intelligendæ sunt. Sequitur.

« Et ait Samuel : Nunquid vult Dominus holo« causta et victimas, et non potius ut obediatur « voci Domini ? Melior est enim obedientia quam « victimæ ; et auscultare magis quam auferre adi« pem arietum. Quoniam quasi peccatum hario« landi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ « nolle acquescere. » Hic enim non aliud dicere possumus, nisi sententiam summi tractatoris papæ Gregorii, quam in libris Moralium moraliter exponens, dum de bono obedientiæ tractaretur, inseruit. Ait enim : Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque citius Deum placat, quando ante ejus oculos, repressa arbitrii superbia, gladio præcepti se immolat. Quo contrario, hariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quando sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adverso ergo melius ostenditur quid de ejus laude sentiatur. Si enim quasi peccatum hariolandi, est repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere; sola est obedientia quæ fidei meritum possidet, qua sine quisque infidelis videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur : « Vir obediens loquitur victorias (*Prov.* XXI). » Vir quippe obediens victorias loquitur : quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Quid enim prodest indiscrete Deo aliquid offerre velle, et ejus contraire præceptis? Quia nequaquam quis valet de oblatis muneribus Dominum sibi placare, qui negligit obtemperare jussis. Quia enim bonorum nostrorum non indiget, nostra datione minime pascitur: et ob hoc melior est obedientia quam victimæ. De qua plenius in libris Moralium legere quis poterit :

« Dixitque Saul ad Samuel : Peccavi, quia præ« varicatus sum sermonem Domini, » et reliqua usquequo ait, « et projecit te Dominus ne sis rex « super Israel. » Corripit propheta regem pro inobedientia, quia mandatum explere non curavit, prædixitque ei regnum dimissurum, quia rectitudinem mandatorum Dei sequi noluit. Et merito ille de potestatis culmine abjicitur, qui rite regimen tenere nescit. Ipse enim regimen rite tenet, qui se superiori per humilitatem ad obediendum subjicit, et inferiori per auctoritatem ad docendum anteponit. Si enim Saul Dei mandatis obediret, rite populo præesset.

« Et conversus est Samuel ut abiret ; ille autem « apprehendit summitatem pallii ejus, quæ et « scissa est, et ait ad eum Samuel : Scidit Domi« nus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud « proximo tuo, meliori te. » Nota mysterium, quod sicut in passione Domini, pontifex vestimentum suum scidit (*Matth.* XXVI), ita rex Saul vestem prophetæ nunc scindere describitur. Per utramque enim potestatem, et regalem videlicet et sacerdotalem, scissio vestimentorum facta est, ut demonstretur stabilitatem regni et sacerdotii in populo Judæorum fieri non posse, qui verum regem et sacerdotem ad se venientem, Dominum videlicet Christum, recipere noluerunt.

« Porro triumphator in Israel non parcet et pœ« nitudine non flectetur : neque enim homo est, « ut agat pœnitentiam. » In Hebræo legitur : « Porro triumphator Israel non mentietur. » Triumphator iste Deus est, cui omnis victoria recte ascribitur. Non mentietur, quia ea quæ promittit sibi famulantibus largitur. Pœnitudine non flectitur, quia non pœnitet eum de bonis quæ largitus est, quia mutabilis non est, sed secundum justitiam et veritatem universa dijudicat.

« Dixitque Saul : Peccavi, sed nunc honora « me coram senioribus populi mei, et coram « Israel. » Acsi dixisset : Honora me sicut regem ut ego præcedam sicut rex, et tu sequaris, ut adorem Dominum Deum tuum. Senes autem populi sui, suam tribum ; et coram Israel, cæteras tribus Israel, dicit. Sed in hoc quod ait : « Honora me coram senioribus « populi mei, » verecundiam passus ac superbia detentus locutus est, quia timebat honores amittere, et ideo non obtinuit quod petiit, dicens : « Peccavi, » et reliqua. Quisquis enim sub specie confessionis humanos adhuc honores amittere timet, iste indulgentiam, quam ficta humilitate postulat, a Deo adipisci non valet. Neque enim potest in confessione pœnitentiæ assequi veniam, ubi præit elatio mentis. Nam quid aliud est, de reatu facinoris in conspectu hominum reprehendi refugere, nisi superbia cordis, per quam peccator, dum displicere hominibus refugit, veniam quam a Deo accipere poterat a semetipso excludit? Ficta enim humilitas veniam a Deo consequi non valet. Sed notandum quod alia editio habet : « Non revertar tecum, inquit Samuel, quia sprevisti verbum Domini, et spernit te Dominus ne sis rex super Israel. Et convertit Samuel faciem suam ut abiret. Et tenuit Saul penulam diploidis, et disrupit eam. Et dixit ad eum Samuel : Disrupit Dominus regnum Israel de manu tua hodie, et dabit proximo tuo bono super te; et dividetur Israel in duo, et non avertetur neque pœnitebit eum, quoniam non est sicut homo ut pœniteat eum. Ipse minatur et non permanet. » Iste cui dicitur : « spernit te Dominus ne sis rex super Israel, » quadraginta regnavit annis super Israel, tanto scilicet temporis spatio quando et ipse David, et audivit hoc primo tempore regni sui. Intelligamus ideo dictum, quia nullus de ejus stirpe fuerat regnaturus, et recipiamus ad stirpem David, unde exortus est secundum carnem Dominus, « mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (*Tim.* I) : « prout beatus Augustinus ait, et in Græcis exemplaribus legitur : « Disrupit Dominus regnum Israel de manu tua, » ut hoc intelligatur « de manu tua « quod est ab Israel. Ipsius namque populi gerebat personam figurate homo iste, qui populus regnum fuerat amissurus, Christo Domino nostro spiritaliter regnaturo. De quo cum dicitur, » et dabitur illud proximo tuo, » ad carnis agnationem id refertur. Ex Israel

Christus secundum carnem, unde et Saul. Quod A vero additum est, « bono super te, » potest quidem intelligi « meliori te ; » ac si dicatur : ut quia ille bonus est, ideo sit super te. Juxta illud aliud propheticum ; « Donec ponam omnes inimicos tuos sub pedibus tuis (*Psal.* CIX). » In quibus est et Israel, cui suo persecutori regnum abstulit Christus. Unde et dicitur, « et dividetur Israel in duo. » In Israel scilicet inimicum Christo, et Israel adhærentem Christo. In Israel ad ancillam, et Israel ad liberam pertinentem (*I Cor.* XV). Nam ista duo genera primum simul erant, donec sterilis per gratiam Christi fecunda, ejiceret ancillam et filium ejus (*Gen.* XXI). Propter peccatum quidem Salomonis, regnante filio ejus Roboam, scimus Israel in duo fuisse divisum, et ita perseverasse donec a Chal- B deis captivaretur. Sed hoc quid ad Saulem ? Cum si tale aliquid comminandum esset, ipsi David fuerit potius comminandum, cui erat filius Salomon. Postremo inter se Hebræa divisa non est, sed indifferenter in ejusdem erroris societate dispersa per terras. Divisio vero illa, quam Deus sub persona Saulis, illius regni et populi figuram gerentis, eidem regno populoque minatus est, « Quoniam non est sicut homo ut pœniteat eum. Ipse minatur et non permanet. » Id est homo minatur et non permanet. Non est autem Deus, quem pœnitet sicut hominem. Ubi enim legitur quod pœniteat eum, mutatio rerum intelligitur, immutabili præscientia manente divina. Ubi ergo non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur. Prorsus insolubi- C lem videmus per hæc verba prolatam divinitus fuisse sententiam de ista divisione populi Israel : et omnino perpetua quæcunque transierunt, aut transibunt ad Christum, nunquam erunt cum Israeliticis, qui ejus inimici usque in finem vitæ hujus esse persistent. Sed in divisione, quæ hic prænuntiata est, perpetuo permanebunt.

« Dixitque Samuel : Adducite ad me Agag regem « Amalec. Et oblatus est ei. Et in frusta concidit « Samuel Agag coram Domino in Galgalis. » Quando legitur quidem in Scripturis, quod sancti nulli hostium parcunt, efficiunt ut humanum sanguinem sitientes dicuntur, quia et justi ita percusserunt hostes, ut non relinqueretur ab his qui salvus fieret. Et non intelligunt sub his verbis adum- D brari mysteria, et hoc magis nobis indicari, quod impugnantes adversus vitia, nullum penitus relinquere debeamus, sed omnia interimere, ne si pepercerimus, reputetur nobis in culpam, sicut scriptum est de Saul, qui vivum servaverat regem Amalec. Quomodo enim quisque justus manebit, si adhuc aliquid peccati in semetipso servaverit sicut Saul ? At vero sancti, in figura Samuelis ita sæviunt super hostes suos, id est super vitia peccatorum, ut non permittant relinqui aliquod peccatum impunitum.

« Verumtamen lugebat Samuel Saul. Quoniam « Dominum pœnitebat, quod constituisset regem « Saul super Israel. » Hic enim benignitas perfecta sanctorum in Samuele propheta erga Saul præostensa est, qui dum sciret Saul peccasse, ex affectu benignitatis lugebat eum. Sic etiam Paulus lugebat illos, qui post fornicationem et immunditiam non egerunt pœnitentiam (*II Cor.* II).

CAPUT XVI.

« Dixitque Dominus ad Samuel : Imple cornu « tuum oleo, et veni ut mittam te ad Isai Bethlehe- « mitem ; providi enim in filiis ejus regem mihi. « Fecit Samuel prout Dominus imperavit, et unxit « David oves patris sui in medio fratrum suorum, « qui erat rufus et pulcher aspectu, decoraque fa- « cie. » Sed videamus eumdem David, quomodo Christum prophetice significaverit. David enim interpretatur *manu fortis*, sive *desiderabilis*. Et quid fortius leone illo de tribu Juda, qui vicit mundum? Et quid desiderabilius illo ? de quo dicitur : « Veniet Desideratus cunctis gentibus (*Agg.* II). Ungitur iste David in regem futurum, denuntians per unctionem illam Christum. Christus enim a Chrismate appellatur. Reprobatis septem filiis Isai majoribus, minimus ætate electus est ad regnum ; quia spreto Judaico sacerdotio, et regno prioris populi, qui sabbatismum secundum legem servabant, Christus Dominus noster, caput minoris populi, sacerdotio perpetuo functus est : et in regem unctus, cujus regnum non habet finem, et qui omnes gentes, tribus et linguæ, servient. Quod autem in medio fratrum suorum unctus esse dicitur, hoc est quod Propheta de Domino ait : « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » David ab officio pastorali pecorum, ab hominum regnum transfertur : noster autem David ipse Jesus, ab ovibus Judaicæ plebis ablatus, in regnum gentium translatus est ; in Judæa enim plebe non est modo Christus, ablatus est inde, nunc gentium greges pascit.

« Surgensque Samuel, abiit in Ramatha. Spiritus « autem Domini recessit a Saule, et exagitabat eum « spiritus nequam a Domino. » Quæritur de hoc spiritu nequam : Si Domini, cur malus ? si malus cur Domini ? Sed duobus verbis comprehensa est hæc sententia. Et in Domino potestas justa, et in diabolo potestas injusta. Nam idem spiritus, malus, per nequissimam voluntatem, et idem spiritus, Domini, per acceptam justissimam potestatem. Inde ergo spiritus Domini appellatus est diabolus, propter ministerium, quia omnibus etiam spiritalibus malis bene uti dicitur, vel ad damnationem quorumdam, vel emendationem, vel ad probationem. Et licet afflictionem semper appetat, tamen si ab auctore nostro potestatem non accipit, idem malignus spiritus ad tentationis articulum nullatenus convalescit. Unde et omnis voluntas diaboli injusta est ; et tamen, permittente Deo, omnis potestas justa. Bene ergo dicitur, spiritus Domini malus exagitabat eum, Domini, videlicet per licentiam potestatis justæ, malus autem, per desiderium voluntatis injustæ. Et quamvis malignitas a Domino non sit, potestas nisi a Deo non est. Sic et alibi dictum est etiam de sopore Domini qui occupaverat milites

ejusdem Saul, cum David hastam et scyphum abstulisset a capite dormientis. Non quia sopor tunc in Domino erat, ut ipse dormiret, sed quia ille sopor (*I Reg.* XXVI), qui tunc homines apprehenderat, nutu Dei erat infusus, ne David a servis ejus in eo loco præsentia sentiretur. Dicitur ergo spiritus malus Domini, hoc est minister Dei, ad faciendum in Saul quod eum pati debere Omnipotentissimus judicabat. Quoniam spiritus ille, ut dictum est, voluntate qua malus erat, non erat Dei; creatura vero qua conditus erat, et potestate quam non suam, sed Domini omnium æquitate acceperat, Domini erat. Hoc secundum historiam dictum est. Tropologice vero per Saul, populus præfigurabatur Judæorum qui in adventu Salvatoris, ob impietatem suam a Deo derelictus est. Spiritum sanctum quem olim acceperat, amisit; atque ab spiritu nequam, hoc est, diaboli mendacio usque nunc agitatur.

« Igitur quandocunque Spiritus Domini arripiebat Saul, tollebat David citharam et percutiebat « manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. Reccedebat enim ab eo spiritus malus. » Pendet enim ex superioribus. Hic etiam prout supra, typum tenuit Salvatoris. David in canticis musicis eruditus erat, et Dominus Jesus Christus in Ecclesiæ unitate variis concentibus in expositione sanctorum Scripturarum quotidie resonat, et suavitate mystica modulatur: David in cithara canens malignum spiritum fugabat, et Christus per virtutem crucis suæ dæmones oppressit atque de corde credentium fugavit. Non enim in cithara illius tanta virtus erat, sed mysterium crucis Christi, per lignum extensione nervorum, mystice gerebatur: in qua etiam passio Christi cantabatur. David octavus et minimus frater in regno eligitur, et Dominus Jesus Christus semetipsum exinanivit, formamque servi accipiens, per gloriam resurrectionis suæ, et Evangelicam prædicationem (hoc enim sacramenti octavi numeri obtinet arcanum), regnum in gentibus adeptus est. David pulchra facie esse describitur, quia et Dominus Jesus Christus speciosus forma est præ filiis hominum. David rufus esse narratur, et de Salvatore nostro Propheta canit: « Quis est iste qui venit de Edom (*Isa.* LXIII)? » et reliqua, quod interpretatur *rubeus*, sive *sanguineus*. Cæterum moraliter nos instruit, quod cum Saulem spiritus immundus invaderet, apprehensa David cithara ejus, vesaniam sedabat. Plerumque superbus, dives, exhortationis blandimento placandus est, quia et plerumque dura vulnera, per lenia fomenta mollescunt, et furor insanorum sæpe ad salutem, medio blandiente, reducitur. Cumque ab eis in dulcedinem condescenditur, languor insaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est, quod cum Saulem spiritus adversus invaderet, apprehensa David cithara, ejus vesaniam sedabat. Quid enim per Saulem nisi elatio potentium? Et quid per David innuitur, nisi humilis vita sanctorum? Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, David canente, ejus vesania temperatur, quia cum sensus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum est ut ad salutem mentis, quasi dulcedine citharæ, locutionis nostræ tranquillitate revocetur.

CAPUT XVII.

« Congregantes vero Philistim agmina sua in « prælium convenerunt in Sochoth, » et reliqua. Sochoth est oppidum in tribu Juda, ut in libris Locorum legitur. Sunt autem usque hodie viculi duo pergentibus Æliam de Eleutheropoli in nono milliario viæ publicæ: unus in monte, et alter in campo situs, qui Sochoth nuncupantur. Interpretatur vero *ramus* vel *humilitas* Azeca, civitas Chananæorum in parte tribus Judæ, ad quam usque persecutus est Jesus quinque reges. Sed et hodie vocatur villa Azeca, inter Eleutheropolim et Æliam, et interpretatur *fortitudo*, sive *decipula*. Domu sive Domim in tribu Juda vicus grandis est, in Daromam, hoc est ad australem plagam in finibus Eleutheropoleos, decem et septem ab ea milliaribus distans, et interpretatatur *silentium* sive *gaudium*.

« Porro Saul et viri Israel congregati sunt in « valle Terebinthi. » Terebinthus et in Sichimis, sub qua abscondit Jacob idola juxta Neapolim. Hinc refert Josephus quod Palæstini castrametati sunt inter Sochoth et Azeca. Contra quos denuo Saul perduxit exercitum, et super quendam montem castra ponens, coegit Palæstinos priora quidem castra relinquere, et ex adverso montis, quem Saul apprehenderat, advenire. Divisitque eorum exercitus medius mons, qui erat positus inter eos.

« Et egressus est vir spurius de castris Philis- « thinorum nomine Goliath, » et reliqua. Igitur quemadmodum in exordio polliciti sumus, paulatim historiam tangere cupimus ut postmodum culmen spiritalis intelligentiæ deponamus. Spurius dicitur, quia ex patre gigante, matre vero Gethæa, natus erat. David autem erat filius viri Ephratæi de Bethlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios. Quæritur cur hic octo filios habere dicatur, cum in Paralipomenon non amplius quam septem leguntur? Quod ita solvitur: Nathan itaque prophetam, filium Samaa filii sui, quem in loco filii educaverat et nutrierat, inter filios numerat. Nam et coram Samuele septem ejus filii leguntur adducti, et octavus esse in pascuis: inter quos Nathan adductum fuisse manifestum est, qui et Jonathan vocatur. De quo in extrema parte Samuelis dicitur: Percussit autem eum Jonathan filius Samaa, fratris David. Et notandum quod ubicunque propheta vocatur, Nathan scribitur, non Jonathan.

« Dixitque ad David pater suus: Vade ad fratres « tuos, visitabis si recte agant, et cum quibus ordi- « nati sunt, disce. » In Hebræo ita habetur: « Et « fratres tuos visitabis si recte agant, et pignora « eorum tollentes. » *Pignora* in hoc loco. Hebræi *libellum repudii* intelligunt. Secundum usum gentis illius fecerunt, ut quando ibatur ab eis in pugnam libellos repudii uxoribus suis darent, ut si

contigisset virum in prælio capi et in captivitatem duci, mulier ejus, exspectatis tribus annis, si vir ejus non rediisset, alium duxisset virum. Eligat prudens lector quid sibi placuerit, nos simplicitatem historiæ nostræ tenere decrevimus.

« Dixitque ei frater suus : Quare venisti et quare « dereliquisti pauculas oves illas in deserto ; ego « novi superbiam tuam, » et reliqua. Nosse se dicit illius superbiam et nequitiam cordis, quiputabat cum tumore cordis elevari, eo quod Samuel illum unxisset in regem.

« Assumens autem David caput Philisthæi at« tulit illud in Jerusalem. Arma vero posuit in « tabernaculo. » Quod dicit attulisse David caput Philisthæi in Jerusalem, anticipatio est, quod postea fecit. Arma vero ejus, id est Philisthæi, non est intelligendum quod in suo posuerit tabernaculo, sed in tabernaculo Domini, de quo tabernaculo postea ab Abimelech sacerdote accepit, ideoque superfluo additum est, *suo*.

« Dixitque Abner : Vivit anima tua, rex, si no« vi. » Secundum illud locutionis genus hoc dictum est quod alibi legimus, Benedixit Nabath Deo et regi ; acsi diceret : Non vivat anima tua, rex, si novi. Aliter : Videam mortem tuam si novi. Seu etiam, ut quidam volunt, *si* positum est pro *non* adverbio, ut est illud Psalmistæ : « Si introibunt « in requiem meam. » Id est non introibunt. *Si novi* dicit acsi diceret, *non novi*. Utitur enim modo jurandi per vitam regis, et affirmat se non nosse unde sit David. Hoc etiam modo usus est Joseph, quando ait fratribus suis. « Per salutem Pharaonis, non regrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. » Ecce historiam, sicut spopondimus, summatim tetigimus, nunc figuras spiritalium rerum subjungamus. Ait enim sacra descriptio : « Congregantes vero Philistim agmina, sua,» et reliqua. Quid per Philisthæos nisi adversarias potestates ? Et quid per Goliath Gethæum, nisi caput omnium malorum diabolus præfiguratus est ? qui adversus populum Dei, cum satellitibus suis ab origine mundi dimicavit, sed ante adventum veri David, hoc est humani generis Redemptoris, a nullo superari poterat. Geth vero civitas est ejusdem Goliath, quæ interpretatur *torcular*, et præsentis mundi seu inferni prætendebat similitudinem, in quo mundo atque inferno diabolus humanum genus peccatis obnoxium, velut in torculari conculcabat. Enormitas, sive altitudo ipsius Goliath, diaboli designabat superbiam. Septenarius namque numerus supernæ quietis obtinet sacramentum, ex qua idem diabolus ob superbiæ suæ meritum exclusus, in hunc mundum, qui sex diebus factus esse narratur, lapsus est. Et quia super derelinquentem creaturam propter peccati meritum, in hoc mundo principatum obtinuit, palmam super ipsius mundi creaturam superbiendo extulit. Arma vero Goliath, et operimentum ejus totius, diaboli impietatem atque nequitiam demonstrabant, per quæ humanum genus debellando gravi pondere peccatorum depresserat : quæ arma impietatis, Dominus Jesus Christus igne Spiritus sui sancti, sicut Psalmographus canit, « combussit et ad nihilum usque redegit (*Psal.* CVI). » — « Procedebat vero Philisthæus mane et vespere per quadringinta dies,» et reliqua. Quadraginta dies quibus Goliath adversus populum Israel stetisse narratur, omne tempus vitæ præsentis, propter denarii numeri perfectionem, atque mundi quatuor partes sive quatuor elementa, et quibus visibilis creatura constat, figuram habuisse non dubium est. David a patre suo ad visitandum fratres missus est : similiter et Christus Dominus a Deo Patre ad oves quæ perierant domus Israel, se destinatum dicit (*Matth.* XV). David ephi polentæ, hoc est trium mediorum mensuram fratribus suis detulit, et Christus per novam doctrinam quam Ecclesiæ suæ tradidit, mysterium sanctæ Trinitatis cunctis credentibus commendavit. David decem formellas casei tribuno detulit, et Dominus Jesus Christus decalogum legis populo Judæorum tradidit. Goliath Gethæus personam diaboli gestabat, qui de altitudine superbiæ suæ se jactans, per omne tempus quod ante adventum Salvatoris decursum est, adversus populum Dei dimicans, in imo hujus mundi, velut in valle, a nullo poterat superari. Eliab, frater David major, qui interpretatur *Deus meus pater*, typum gestasse Judæorum non dubium est, qui licet falsa opinione, se Domini patrem habere mentiuntur, per hoc vero quod Dominum Jesum Christum filium ejus æmulati sunt, ab hæreditate filiorum Dei degeneraverunt, et primogenita, quæ illis jure debebantur, ob culpæ meritum perdiderunt. David leonem pariter et ursum necavit, et Dominus Jesus Christus diabolum hominibus latenter insidiantem, et ante Christum in posterum manifestissime sævientem, in judicio puniturus est. David arma Saulis deposuit, quia et Christus corporalia sacramenta legis, atque carnalia bella, quæ non sunt imposita gentibus, repulit. Onera namque legis legimus, sed carnaliter non observamus. Quinque limpidissimos lapides de torrente elegit, et in peram pastoralem misit, et Christus Dominus quinque libros Mosaicæ legis de fluvio sæculi hujus assumpsit. Labitur enim mortale sæculum et præterfluit quidquid venit in mundum. Erat enim in flumine tanquam in populo illo. « Et in peram pastoralem misit. » Nam ipse est Deus verus pastor animarum. Vas quoque pastorale quo lac, ut nonnulli dicunt, mulgere consueverat, divinam significat gratiam quæ legi conjungitur, quæ intelligitur in quinque lapidibus, sine qua non impletur. David rufus et pulcher fuisse narratur, quia de Domino Jesu Christo in Canticis canticorum Ecclesia dicit : « Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus (*Cant.* V). » De cujus pulchritudine superius prælibavimus. Goliath David ad pugnam provocavit, similiter et elatio diaboli Christi humilitatem parvipendens, ab ipso prostratus est. Baculus David a diabolo despectus, mysterium gestavit Dominicæ crucis. David ex quinque lapidibus unum jecit, quia

et Christus qui ex lege nuntiabatur, singulari potentia, per unitatem fidei et gratiam suam, diaboli superbiam prostravit : funda vero Ecclesiam præfiguravit, quæ per volumina temporum, velut in circuitu volvitur. David Goliath in fronte percussum prostravit, similiter et Christus, devicto diabolo, qui ei hæserant se infigens, ab ejus societate secernens, fidei suæ subdidit : hoc enim indicabat quod idem Goliath percussus in faciem ruit. David, Goliath percusso, gladium ejus tulit, hoc fecit noster David, qui ejectum diabolum de suis, quando credunt magnitudinem ejus, quos ille in potestate habebat, et de quibus tetras animas trucidabat, convertunt linguas suas contra diabolum, et sic Goliath de gladio suo caput inciditur. David gladium Goliath in Jerusalem detulit, similiter et Christus eos quos de potestate diaboli rapuit, ad defensionem altaris fidei in Ecclesiam suam transtulit. Saul de David Abner velut pro incognito requirit, de qua stirpe descenderit, vel cujus esset filius, cum jam dudum ipse David ei ministrasset, atque in conspectu ejus ad repellendum nequam spiritum assisteret. Sic nimirum cæcitas Judæorum, Dominum Jesum Christum per legem et prophetas venturum esse noverunt : et quem in præsentia corporali per administrationem virtutum, Filium Dei esse approbare poterant, tanquam ignorantes dicunt ei : « Tu qui es ? et ubi est pater tuus (*Joan*, VIII) ? » Moraliter vero David typum tenuit Domini, quia videlicet *manu fortis* interpretatur. Goliath quidem hæreticorum superbiam signans, qui cum gladio ratione dominica fidei superati sunt. David vero cum pera pastorali venit ad prælium, sed eumdem Goliath David superans suo gladio occidit : quod sancti quoque agunt, qui præmissi David membra, ex ejus fieri dignatione meruerunt, nam cum superbientes hæreticos et sacræ Scripturæ sententias deferentes, eisdem verbis atque sententiis quas proferunt, vincunt, quasi elatum Goliath gladio suo detruncant.

CAPUT XVIII.

« Et factum est cum complesset loqui ad Saul, « anima Jonathæ colligata est animæ David, et « dilexit eum Jonathas quasi animam suam, » et reliqua. Jonathas filius Saul, cujus anima David colligata est, illos sanctos significasse videtur, qui Domino Jesu Christo ex populo Judæorum per fidem adhæserunt, qui accepta Spiritus sancti gratia, pro Christi amore relictis omnibus, ipsum secuti sunt, sicut fuerunt apostoli et illi qui in Actibus apostolorum vendebant omnia, et pretia afferebant ad pedes apostolorum (*Act.* II). Quod autem idem Jonathas vestimentis suis atque armis se nudavit, et David vestivit, hoc indicasse videtur : quod cuncta sacramenta spoliata, hoc est sacerdotium atque prædicatio, quæ populo Judæorum olim collata fuerat, ad Christi Ecclesiam transferenda essent. Sive secundum superiorem sensum, bene a tunica usque ad baltheum omnia dedit : quia credentes quique, quid-

A quid habere poterant in hoc mundo, omnia in lucrum Christi conferre satagebant.

« Porro cum reverteretur, percusso Philisthæo, « David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel cantantes, chorosque ducentes in « occursum regis Saul in tympanis lætitiæ et in « sistris, et præcinebant mulieres ludentes atque « dicentes : Percussit Saul mille, et David decem millia. Iratus est autem Saul nimis, et « displicuit in oculis ejus iste sermo, dixitque : « Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt. Quid ei superest nisi solum regnum ? « Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David « ex die illa et deinceps. » Sic enim accipitur : Saul adversus David invidia exarsit, similiter et B populus Judæorum adversus Christum Dominum æmulationes suo malo pariter conspirati sunt. Et dum audiebant Christum prædicari in Ecclesiis, quem ipsi neci tradiderunt : et de victoria ejus qui hostem antiquum triumphavit, credentes in laudibus ipsius congratulari : graviter inde offensi sunt.

« Post diem autem alteram invasit spiritus Dei « malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ. « David autem psallebat manu sua sicut per singulos dies, et reliqua. Quod autem dicit, « invasit « spiritus Dei malus Saul » more arreptitiorum agebat, « Et prophetabat. » Prophetare enim in hoc loco non est aliud intelligendum, nisi aliena retulisse. Quod vero sequitur de David.

C « Et egrediebatur et ingrediebatur in conspectu « populi. » Sic accipiendum est : Quando egrediebantur in pugnam, ipse primus, more regio, egrediebatur in conspectu eorum, et regrediebatur.

« Dilexit autem Michol filia Saul altera David. « Et nuntiatum est Saul, et placuit ei. Dixitque « Saul : Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum et « sit super eum manus Philisthinorum, » et reliqua. Denique his duobus periculis Saul David putabat interimi posse, scilicet aut insidiis filiæ suæ, a qua se videbat multum amari, aut causa præputiorum Philisthinorum, propter quæ adipiscenda Philisthæos bello erat aggressurus. Unde et ait :

D « In duabus rebus gener meus erit hodie. Et « mandavit Saul servis suis : Loquimini ad David clam me, dicentes : Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te, » etc. In duabus ergo rebus generum suum sibi futurum dicit, quia jam attulerat præputia Philisthinorum pro Merob, quam Saul dedit Hadrieli Molathitæ, et postea pro Michol ducenta. Et quamvis non aperte dicatur pro Merob Sauli Philisthinorum David dedisse, tamen qui præcedentia et subsequentia perlegerit et scrutatus fuerit, inveniet eum bis Sauli præputia Philisthinorum dedisse. Nam superius dixerat Saul : « Non sit manus mea in eo, sed sit super illum manus Philisthinorum. » In sequentibus vero ait :

« Non habet necesse rex sponsalia, nisi tantum

« centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio « de inimicis regis. » Et subjungit Scriptura : « Porro cogitabat David tradere in manus Philis-« thinorum. Cumque renuntiassent servi ejus Da-« vid verba quæ dixerat Saul, » et reliqua. Ecce hanc sententiam ita digessimus, prout opinio aliquorum commentatur : quam si quis recipere noluerit, non contra dicimus, sed si melius intellexerit, sequi gaudenter gratulabundi decrevimus. Cæterum dicamus prout nobis videtur. Bene ait : « In duabus rebus gener meus eris hodie, » videlicet quia tam ingentem gigantem prostraverit, et in hoc dignus erat tantæ virtutis, ut gener regis efficeretur ; et hæc est una res. Altera vero quam ei proposuit, scilicet si centum præputia Allophylorum deferret, qui non solum centum, verum etiam ducenta attulit. Et unde creditur regio perire voto, inde actus est gloriosiori trophæo : ecce historia. Cæterum tropice, quod Saul callide simulat David offerre discrimini, et unde creditus est regio perire voto, inde actus gloriosiori trophæo, intelligitur quod Judæi, dum contra voluntatem Dei Christum interficere nisi sunt, per id salutem gentium egerunt, per quod crediderunt exstinguere. Quod enim David alienigenarum præputia attulit, et sic denuo filiæ Saul nuptiis hæsit, significabat quod Christus non prius Synagogam connubio suo sponderet, nisi gloriosus in gentibus fieret. Prius enim in nationibus resecavit carnis pollutionem in utroque sexu, et postea copulatus est Synagogæ. Postquam enim, sicut scriptum est, introierit plenitudo, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI). Dupla autem, id est ducenta præputia attulit, sive pro Judæis et gentibus acquisitis, sive quia major est numerus acquisitionis populi gentium, quam credentium Judæorum. Deinde odium Saul adversus David in tantum auxit, ut rex ob medelam sui spiritus, David more psallentem jaculo conaretur conficere. Quid est quod dum Saulem spiritus adversus invaderet, apprehensa David cithara, ejus vesaniam mitigabat ? Per Saulem enim, Judæorum elatio : per David autem, humilitas Christi significatur. Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, David canente, ejus vesania temperatur : quia cum sensus Judæorum per blasphemiam in furorem vertitur, dignum est ut ad salutem mentes eorum, quasi dulcedine citharæ, locutionis evangelicæ tranquillitate revocentur. Nam quod nisus est Saul configere David lancea in pariete, et David declinavit, et lancea casso vulnere perlata est in parietem, possumus juxta quosdam ita intelligere quod, prædicante Christo Evangelium, Judæi meditati sunt ei mortem inferre, sed dum ille ab eis ad salutem gentium vivus secessit, solam duritiam mentis illorum malitia sua læsit.

CAPUT XIX.

« Dixitque Jonathas ad David. Ego autem « egrediens stabo juxta patrem meum in agro « ubicunque fuerit, et ego loquar de te ad patrem « meum, et quodcunque videro, nuntiabo tibi, » et reliqua. In hoc agro consiliandi causa, Saul venire consueverat, ubi etiam condictum fuerat, ut occideretur David, quod et Jonathas David indicaverat.

« Mittit Saul custodes ad domum David, ut « custodirent eum, et interficeretur mane. Quod « cum annuntiasset David Michol uxor sua, di-« cens : Nisi salvaveris te nocte hac, cras morie-« ris : deposuit eum per fenestram. Porro ille abiit « et fugit, atque salvatus est. Cumque venissent « nuntii Saul, invenerunt statuam in lecto David « positam, et pellem pilosam caprarum ad caput « ejus. » Audiamus ergo quid hoc significet, quod miserit Saul ad custodiendam domum David ut eum interficerent. Hoc non ad crucem Domini, sed tamen ad passionem ejus pertinet. Crucifixus enim Christus, et mortuus et sepultus est. Erat ergo illa sepultura tanquam domus, ad quam custodiendam, misit regnum Judæorum, quando custodes adhibuit sepulcro Christi. Quomodo custodita est domus, si David figurabat Christum, ut Christus interficeretur dum non in sepultura Christus, sed in cruce sit interfectus ? Refertur ergo hoc ad corpus Christi : quia interficere Christum, erat tollere nomen Christi. Neque enim crederetur in Christum, si mendacium prævaleret custodum, qui corrupti sunt ut dicerent : quia « dormientibus nobis, venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum (*Matth.* XXVIII). » Hoc itaque velle Christum interficere, nomen resurrectionis ejus extinguere, ut mendacium Evangelio præferretur. Sed sicut illud non valuit Saul, ut interficeret David, sic nec hoc potuit regnum Judæorum efficere, ut memoriam Christi deleret. Isti autem qui de virtute Saul, id est de regno Judæorum in Christo præsumere voluerunt, offenderunt in lapidem offensionis, tanquam in statuam, et hædus eis visus est agnus : quia in quem peccatum non invenerunt quasi peccatorem persecuti sunt.

« Nuntiatum est Sauli a dicentibus : Ecce David « in Naioth in Rama. » Naioth locus est in Rama, ubi sedit David. Rama vero in tribu Benjamin civitas est Saulis, in sexto milliaro, ab Helia ad septentrionalem plagam contra Bethel. Alia est autem in tribu Aser. Naioth interpretatur *pulchritudo*, et Rama *excelsum*. Bene ergo conveniunt hæc nomina locorum, rebus in his expletis, qui prophetarum dicta et celsitudinem habent scientiæ ac venustatem locutionis.

« Et exspoliavit se etiam ipse vestimentis suis, et « prophetavit cum cæteris coram Samuel, et ceci-« nit nudus tota die illa et nocte. Unde exivit pro-« verbium : Num et Saul inter prophetas ? » Quæstio magna hic oritur, cum in præcedentibus legatur : Et non vidit Samuel Saulem, usque in diem mortis suæ, et hic prophetasse coram Samuele dicatur. Quam quæstionem duobus modis Hebræi solvunt : Aut non vidit eum, quia quando junctus est Saul cuneo prophetarum, abscondit se Samuel ne videretur ab eo : aut non vidit indutus habitu regio, quo

indutus erat, ideoque dictum est : Non vidit eum usque in diem mortis suæ, subauditur, indutus habitu regio. Exspoliasse vero se non omnibus vestimentis, sed regalibus tantum intelligendum est. Idem quæritur quomodo et illi qui missi essent ad tenendum hominem et ad necem ducendum, tales Dei Spiritu effici digni meruerunt. Et Saul ipse cui miserat, veniens et ipse sanguinem innocentem quærens effundere, accipere meruit spiritum illum et prophetare. Quantum enim ad litteram attinet, non est mirum hominem reprobum ad momenta transitoria prophetasse, dum etiam multi similes prophetiæ donum legantur habuisse : sicut Balaam ille reprobus, quem non tacet scriptura judicio divino esse damnatum, sed tamen prophetiam habebat. Nec illa verba parum attestantur huic sententiæ, quæ in Evangelio scripta sunt multos dicturos in illa die, Domine, Domine, in tuo nomine manducavimus, et bibimus, et in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus. Quibus dicturus est : « Non novi vos, discedite a me, operarii iniquitatis (*Luc.* XIII). » Mystice autem exemplum hujus Saul nuntiorumque ejus, in hac sententia qui prophetare cœperunt, qui ad persequendum David missi sunt, quid aliud significabunt, nisi quosdam hæreticos, qui aliquid boni de munere Spiritus sancti habent, sicut testamenta legis et Evangelii, sicut baptismi sacramentum, sed Christum in membris suis persequuntur? Qui enim ad Ecclesiam catholicam veniunt, non est in eis ullo modo violandum, aut quasi non habeant tradendum, sed tamen eos non ideo debere salutem confidere, quia non improbamus quod illos accepisse credimus, sed oportet nos cognoscere unitatem et societatem vinculo charitatis, sine qua omnino quidquid habuerint, quamvis sanctum atque venerandum, ipsi tamen nihil sunt. Qui tanto indigniores effecti præmio vitæ æternæ, quanto illis donis non bene usi sunt, quæ in vita quæ transitoria est, acceperunt. Possunt etiam in hoc loco Judæorum non incongrue gestare personam, qui dum adversa cupiunt Christo, habent in ore sacramenta legis, et prophetarum ad testimonium Christi, et cum Ecclesia, quasi cum prophetis de Scripturis disputant, sicut illi cum prophetis vaticinabantur. Quem, Saul persequens et prophetans, præfiguravit, nisi Scribas et Pharisæos Judæorum, qui sacramenta legis et prophetarum, quæ de Christo sunt pronuntiata, ad testimonium ejus in ore portantes, cum ecclesiasticis viris de Scripturis sanctis disputant ? Quod autem Saul se spolians, nudus vaticinatus esse dicitur, hoc præfigurasse non est ambiguum, quod populus Judæorum, cujus personam idem Saul gestavit, ab indumento fidei atque sacerdotii dignitate nudatus, et gloria regni spoliatus, verba legis et prophetarum, quæ de Christo testimonium perhibent, in ore portans, eumdem Christum Dominum, de quo non intelligens prophetat, malitiæ suæ livore excæcatus persequitur.

CAPUT XX.

« Et ait Jonathan ad David : Sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini. » Quod enim ait, « sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. » mihi videtur ita posse intelligi, ac si aperte diceret : Permaneat Spiritus Domini tecum, sicut fuit prius in patre meo, et sic sublime faciat regnum tuum sicut sublime fecit patris mei regnum. « Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini, » ut scilicet secundus sim in regno tuo. « Sin vero mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum. » Quod vero subjungitur : « quando eradicaverit Dominus inimicos David unumquemque de terra.» Et post pauca subjunxit : « et requirat Dominus de manu inimicorum David, » per anticipationem utique fecit, prius historiam interserendo, quia multo post tempore factum est, cum interfecto Saule, regnum ad domum David translatum est. Et qui innocentem eum injuste persequebautur, justa sunt divinitus ultione multati. Tunc enim requisivit Dominus de manu inimicorum, quare virum sanctum afflixerint : tunc cogebatur rationem reddere odiorum, quibus contra illum tanto tempore sævierant, quæ et de Absalon et de Siba filio Bochri, et de cæteris hostibus David potest intelligi. Aliter : Si scire vis quod de manu inimicorum David requisierit Dominus, potest (nisi fallor) a superiori sententia, qua dictum est, quia fœdus pepigerit Jonathas cum domo David, intelligi, quia hoc de manu inimicorum David requisierit. Id est quare non et ipsi fœdus cum eo pacis inire voluerint, cum quo esse Dominum viderunt. Idcirco autem Scriptura hic sententiam hanc præoccupando interponere videtur, ut testimonium Jonathæ, quod dixerat (quando eredicaverit inimicos David unumquemque de terra) verum esse comprobaret, quia videlicet eradicati sunt inimici David de terra, non ipso David se de adversariis ulciscente, sed judicante Domino pro illo. Bene autem subjungitur :

« Et addidit Jonathas dejerare David eo quod diligeret illum. Sicut enim animam suam, ita diligebat eum. » Ut ille nimirum qui tam perfecto juxta legem Dei amore complectebatur David, a perditione inimicorum ejus ostenderetur immunis. Qui et si ista morte præventus, regnum cum eo, ut sperabat, terrenum habere nequivit commune, absque ulla tamen contradictione regni cœlestis consortium cum eo (quem gloria virtutum tantisper dilexit, cum esset et ipse virtutum amator) accepit.

« Venit Jonathas in agrum juxta placitum David,» et reliqua. Quid est quod Jonathas David servare volens, cum ille lateret in agro, juxta lapidem ad signum duas jecit sagittas, quas puer parvulus, ignorans quid fecerit, collegit, et in civitatem retulit, nisi quod Deus Pater Filium suum unigenitum, quem ad salutem humani generis mittendum decreverat, in littera legis, Judæis nescientibus,

absconditum habuerat? David ergo absconditus A est in agro, Christus celatus est in mundo. « In mundo, » inquit Joannes, « erat, et mundus non cognovit (*Joan.* I). » Juxta lapidem sedebat quia in tabulis legis scriptus erat. Nam Saul odio habens, et inter epulas sedens, filium mortis eum judicabat: et judaica plebs in Paschæ epulis convivans, de nece Christi tractabat.

« Cum ergo illuxisset mane, venit Jonathas in « agrum juxta placitum David, et puer parvulus « cum eo. » Jecit unam sagittam, jecit et aliam: et Deus Pater illucescente mane credulitatis, primum testimonium legis de Christo protulit, deinde prophetas misit, qui de adventu ejus testificarentur. Unde Habacuc ait: « In nomine jacula tua ibunt (*Habac.* III), » et reliqua. Collegit autem B puer Jonathæ sagittas, et attulit ad Dominum suum: et quid ageretur penitus ignorabat. Sic et Judaicus populus libros legis et prophetarum portans, quasi divinitus conscriptos ignorabat, sed eum, quem Moyses et prophetæ figuraverat, præsentialiter inter se manentem non cognoverat.

CAPUT XXI.

« Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem, et obstupuit Achimelech eo quod venisset David solus, » et reliqua. Achimelech ipse est Aia filius Achitob, filii Phinees, filii Heli. Achimelech interrogat, utrum David, num pueri sui, quos in illum et illum locum condixisse dixerat, mundi essent? David vero ænigmatice pluraliter de seipso respondit dicens: « Et fuerunt vasa puerorum C sancta, » scilicet a concubitu conjugali. Quod vero ait: « Porro via hæc polluta est, et in Hebræo legitur, « Porro via laica est, » sic intelligendum est ac si diceret: In lege præceptum est ut extraneus non comedat ex eis, et tu interrogas utrum mundi sint pueri? Qui, etiamsi mundi essent, nequaquam eis vesci deberent. Idcirco via est laica, quia tu laicaliter interrogas. « Sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis. » Ipsa utique in vasis, id est mente sua sanctificari dicit, quia nisi necessitate corporis et periculo vitæ urgente, nequaquam vesceretur eis. Non tamen aperte eosdem legitur David panes comedisse, sicut Hebræi tradunt. Sed lege Evangelium, ubi Dominus de hac sententia Judæis loquitur, dicens: « Nunquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse et D qui cum eo erant, quomodo introiit domum Domini sub Abiathar principe sacerdotum et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus, et dedit eis qui cum eo erant? (*Marc.* II). » Sed requirendum quid est quod hic Achimelech sacerdos legitur, a quo David panes accepit, et Dominus in Evangelio Abiathar nominat? Quod enim Dominus Abiathar principem sacerdotum pro Achimelech appellat, nihil habet dissonantiæ: Ambo etenim fuerunt illic, cum veniens David panes petiit et accepit, Achimelech videlicet princeps sacerdotum et Abiathar filius ejus. Occiso autem Achimelech a Saule cum viris domus suæ generis sacerdotalis octoginta quinque, fugit Abiathar ad David; et comes factus totius exsilii ejus. Postea regnante eo, summi sacerdotii et ipse gradum accepit. ac toto tempore regni illius in pontificatu perseverans, multo majoris excellentiæ quam pater suus effectus est. Ideoque dignus fuit cujus memoriam Dominus, etiam vivente patre, quasi summi sacerdotis faceret. Sed hoc quod ait superius: Via, hæc polluta est, sed sanctificabitur in vasis, ita nonnulli edisserunt. Mentiendo enim iter polluitur, dum a rege missum me fingo, et hoc necessitate mortis, sed sanctificabitur in illis, quorum causa etiam fugio, quia illorum non solum mei periculi causa mentior: nam ipsi hujus rei causa salvabuntur. Hactenus historiam nunc spiritalem intelligentiam tangamus: David fugiens Saul ad Achimelech sacerdotem, qui interpretatur *frater meus rex venit*: similiter Christus Judæorum persecutionem declinans, quorum typum Saul tenuit, ad Apostolos transiens, quibus interpretatio nominis Achimelech congruit, quos Dominus, Rex regum, fratres vocare dignatus est, dicens: « Ite, nuntiate fratribus meis (*Matth.* XXVIII), » cum quibus et desideratum cibum sumpsit: « Desiderio enim desideravi hoc pascha manducare (*Luc.* XXII). » David ad Achimelech solus venit, et Christus in passione sua solus relictus est. Quod autem ait David: « Illum et illum in locum condixi pueris meis, » hoc indicabat, quod Dominus apostolos suos ante passionem suam informans ait: « Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. » David ad Achimelech quinque panes quæsivit, sed unum accepit: quia in quinque libris Mosaicæ legis unitas retinetur. David Goliath gladium sustulit, quia et Christus Dominus diaboli arma abstulit: « Fortis enim spolia ipse diripuit (*Matth.* XII). » David per viam pollutam se venisse ad Achimelech professus est, quia et Christus Dominus inter immundas Judæorum actiones, impollutus pertransivit. Quod autem ait: « Sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis meis, » hoc indicabat quod sancti apostoli, qui Domini vasa erant, a contagione Judæorum, fide purgante, corda sanctificarentur.

Interea David cum fugeret Saul, latere voluit apud regem quemdam Geth nomine Achis. Sed cum gloria ejus fuisset commemorata, ne per livorem, ad quem confugerat, aliquid ad eum machinaretur, finxit insaniam: et quasi furore correptus, mutavit os suum, defluebantque salivæ in barbam ejus, collabebaturque in manibus eorum, et procidebat ad ostia portæ. Et dixit Achis rex: Quid huc mihi adduxistis istum? Nunquid deerant nobis furiosi? Et sic eum dimisit. Achis interpretantur *quomodo est*, per quod significatur ignorantia, et verbum mirantis et non agnoscentis, quod in gente Judæorum impletum est. Qui dum viderunt Christum, non agnoverunt, coram quibus mutavit os suum et abiit. Erant enim ibi præcepta legis carnalis, erat et sacrificium secundum ordinem Aaron: et postea ipse de corpore et sanguine suo instituit sacrificium, secundum ordinem Melchise-

dech. Mutavit ergo os suum in sacerdotio. mutavit in præceptis, dans aliud testamentum, evacuata carnali operatione, atque inde collapsus est in manibus eorum, quando eum comprehendentes crucifixerunt. Et procidebat ad ostium portæ, hoc est, humiliavit se : hoc est, procidere usque ad ostium fidei nostræ : ostium enim portæ, initium fidei, inde incipit Ecclesia, et pervenit usque ad speciem. Ut cum credit ea quæ non videt, mereatur perfrui, cum eum videre facie ad faciem cœperit. Quod enim in illo quasi furore salivæ decurrebant super barbam ejus, Apostolus hæc aperit, dicens : « Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam : ipsis vero vocatis Judæis et Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus : et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* I). » Non tanquam salivam attende, sed attende, quia super barbam decurrunt. Quomodo enim in salivis infirmitas, sic in barba virtus ostenditur. Texit ergo virtutem suam, corpore infirmitatis suæ : et quod forinsecus infirmabatur, tanquam saliva apparebat. Intus autem divina virtus, tanquam barba tegebatur.

CAPUT XXII.

« Fugit David in speluncam Odollam, ubi eum omnes fratres ejus, et omnis domus patris ejus visitaverunt et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo, et factus est eorum princeps. » Quid est quod manente David in spelunca, venerunt ad eum omnes fratres ejus et omnis domus patris ejus, nisi quod Redemptor noster, peracta passione sua ac redemptione humani generis, de plebe Israelitica in Judæa primum Ecclesiam collocavit, de gente in qua carnem assumere dignatus est? Ubi fratres ejus, id est apostoli, et domum patris ejus, id est illi qui ex Synagoga in eum crediderant, venerunt ad illum, et convenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti et oppressi ære alieno, hoc est quod ipse ad se venire invitans dixit : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI). » Cæterum omnes qui se agnoscunt in angustia constitutos vitiorum, nec habent latitudinem charitatis, et oppressi sunt ære alieno, hoc est, censu peccatorum, quem exsolvebant diabolo quando exhibuerunt membra sua servire iniquitati ad iniquitatem : necesse est ut amaro sint animo, hoc est, ut digne pœnitentiam gerant a delictis suis præteritis, et venient ad David, ad desideratum videlicet nostrum, quatenus fiat eorum princeps, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. « Deus fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis, cujus regni non erit finis, et dominabitur a mari usque ad mare potestas ejus, potestas æterna, et regnum ejus alteri non dabitur (*Isa.* IX). »

« Dixitque Gad propheta ad David : Ne moreris in præsidio : sed vade in terram Juda. » Miro modo hic introducitur Gad propheta, cum in præcedentibus ejus nulla facta fuerit mentio. Sic itaque hic introducitur, sicut Elias propheta in loco ubi dicitur : Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad. Ex ore itaque Domini Gad propheta David dixit, ut non moraretur inter gentes, et in terra polluta, sed in terram Judam rediret, et ibi juxta voluntatem Domini, persecutionem inimicorum ferret.

« Dixitque Doeg Idumæus ad Saul : Vidi David filium Isai in Noba, » et reliqua. Quantum ad spiritalem intelligentiam pertinet, in Doeg Idumæo, qui voto se obligaverat, sicut in Hebræo legitur, prout Judæi tradunt, ut antiquantisper in tabernaculo Domini immoraretur, et orationi vacaret, Judæ proditoris persona consistit, per quem ista operatus est Zabulus, ut ejus proditione facta in Christo, postea persecutionem Ecclesia pateretur, et occiderentur quamplurimi discipuli Christi et sacerdotes, et pro nomine ejus persecutiones gravissimas perferrent. His ergo quibus receptus est Christus, tribulationes induxit diabolus et mortem. « Omnes enim, » ut ait Apostolus, « qui in Christo pie volunt vivere, persecutionem patiuntur (*II Tim.* III). » Et Dominus ait : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur (*Joan.* XV). » Potest enim Doeg, qui interpretatur *motus* et Idumæus *terrenus*, sive *sanguineus*, quod nomen in præfiguratione futurorum accipiens, eorum videlicet personam significare, qui terrena sapientes atque carnaliter viventes, Christum in suis membris persequuntur.

CAPUT XXIII.

« Porro eo tempore quo fugerat Abiathar, filius Abimelech, ad David, in die illa ephod secum habens descenderat, » etc. Ephod illud erat quod Moyses, jubente Domino, fecerat sicut et rationale, in quo erat doctrina et veritas, in quo etiam consuluit David Dominum, et ait :

« Si tradent me viri Ceilæ in manus Saul, et si descendet ipse sicut audivit servus tuus? Et ait Dominus : Descendet. » Ac si diceret : Si hic sterilis, descendet Saul, et tradent te viri Ceilæ in manus ejus, eorum voluntatem ei indicabat. Et merito viri Ceilæ, sicut qui ingrati beneficiis David exstiterant, cum eos ipse de manibus Philistim eruerit, significabant infidelitatem seu inconstantiam Judæorum, qui Redemptoris nostri semper pietati ingrati existentes, apud sæculi potestates contra eum insidiando meditantur. Interpretatur autem Ceila, *ad fundam jacta*, sive *excellens sibimet*. Et in psalmo scriptum est : « In circuitu impii ambulant (*Psal.* XI). » Et alibi : « Stultus ut luna mutatur (*Eccli.* XXVII). » Unde et sequitur de Ziphæis :

« Porro David erat in deserto Ziph in silva, » etc., usque, « et venerunt Ziphæi ad Saul, dicentes : Ecce David latitat apud nos. » Ziph mons squalidus vel caligans, sive nebulosus, in quo sedit David prope Charmelum, qui in Scripturis Carmelus appellatur. Sic enim appellatur vicus hodie Judæorum : unde fuit Nabal Carmelius. Sed

et unus de posteris Caleb dictus est Ziph. Lege Paralipomenon (*I Par.* XI). Ergo, ut dictum est superius de viris Ceilæ, sic et Ziphæi, qui David prodiderunt Saul, et cum eo mortem ejus meditati sunt, qui interpretatur *gemmantes* seu *florescentes*. Significant Judæos, qui cum in regno terreno germinare appetebant, apud principes suos tractabant de nece Salvatoris: qualiter eum per discipulum suum proditum apprehenderent, et præsidi ad interficiendum traderent (*Matth.* XXVI). Significant etiam et perfidos quosque, qui dum prospera requirunt, et prosperatur eis præsens sæculum. Unde bene interpretatur florescentes, quando Dominum Christum in membris suis degentem, apud potestates sæculi hujus produnt.

CAPUT XXIV

Dehinc sequitur quod in eremo Engaddi cum persequendum David Saul appeteret, ingressus est David in speluncam, et ibi latebat. Sed rex, improvisis exceptus insidiis, in hoc quid innocuo moliebatur inciderat. Scriptum est enim: « Qui fodit foveam proximo suo, ipse incidet in eam (*Prov.* XXVI). « David autem bona pro malis retribuens, inimicum non occidens, sed pro testimonio facti, oram chlamidis regiæ abstulit: cum facilius esset exceptum insidiis adversarium perdere magis, quam fallere. Quid ergo est quod iste fugiens a facie Saul, in spelunca latuit? Quare autem latuit? nisi ut occultaretur et non inveniretur. Quid est contegi spelunca, nisi contegi terra? Qui enim in spelunca est, a terra tegitur, ne videatur. Portabat autem terram Jesus, carnem scilicet quam acceperat de terra: et in ea se occultabat, ne a Judæis inveniretur Deus. « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* VIII).» Quare ergo Dominum gloriæ non invenerunt? Quia spelunca se texerat, id est carnis infirmitatem oculis objiciebat: et majestatem divinitatis, corporis in tegmine tanquam speluncæ abdito, contegebat. Illi ergo non cognoscentes Deum persecuti sunt hominem; nec mori potuit, nisi in homine: nec crucifigi potuit nisi in homine: quia nec teneri potuit, nisi in homine. Opposuit ergo male quærentibus terram, servavit male quærentibus Deum. Fugit ergo secundum carnem in speluncam a facie Saul, quia passus est: usque adeo se occultans Judæis ut moreretur. Sed quare usque ad mortem voluit esse patiens ut fugeret a facie Saul in speluncam? Etenim spelunca inferior pars terræ potest accipi, et certe quod manifestum et notum est omnibus, corpus ejus in monumento positum est, quod erat excisum in petra. Hoc autem monumentum spelunca erat, quo fugit noster David a facie Saul: tandiu enim persecuti sunt illum Judæi, quoadusque poneretur in speluncam. Sed quid est quod Saul persecutor ad purgandum ventrem speluncam ingreditur? nisi quod Judæi in Christum conceptam mentis malitiam, quasi odorem fetidum emiserunt: et cogitata apud se noxia, factis deterioribus, dum Christum perimunt, ostende-

A runt. Sed tamen David Saulem occidere noluit, et cum in abdito occultatus antro haberet in potestatem, servare potius quam occidere maluit. Ita et Christus dum esset in spelunca, carni persecutorem populum in potestate habuit, et non occidit. Scriptum enim erat de eis per prophetam: « Ne occideris eos (*Ezech.* IX). » Tantum denique David summitatem chlamidis silenter abscidit: ut ostenderet, per prophetiam Christum Judæos non occidisse, sed eis tantum regni gloriam abstulisse. Chlamidis enim abscisio regni est amputatio. Hoc etiam alio loco idem Saul cum per inobedientiam peccasset ostendit. Nam cum veniam precaretur, et rogaret Samuelem ut reverteretur cum illo ad placandum Deum, et noluisset, atque convertens B faciem suam abiret, tenuit Saul penulam vestimenti ejus, et disrupit eam. Et dixit ad eum Samuel: Disrupit Dominus regnum Israel de manu tua hodie, et dabit illud proximo tuo, et dividetur Israel in duos populos. Ergo Israelis personam figuratim gerebat rex iste, quia populus amissurus erat regnum, dum persequitur Christum: sed quia hanc sententiam diffuse superius prout doctores exposuerunt, digessimus, nunc breviter replicabimus. David persecutionem Saulis declinans in spelunca latuit: similiter et Christus Dominus divinitatem suam sub spelunca carnis celans, a Judæorum cordibus recessit. Saul cum ventrem purgaret, abscissa chlamide dehonestatus est: similiter et populus Judæorum, postquam nequi- C tiam quam mente conceperunt, in Christum Dominum effuderunt clamantes: «Crucifige, crucifige!» ab indumento fidei et regali dignitate atque sacerdotio exspoliati sunt, et tamen occisi non sunt: sed reservati pro eis, qui de illo populo in fine mundi credituri sunt Christo. Aliter juxta moralem significantiam: quid per Saulem, nisi mali rectores? quid vero per David, nisi boni subditi designantur? Sauli enim ventrem purgare est pravos præpositos conceptam in corde malitiam, usque ad operam miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia, factis exterioribus exsequendo monstrare. Quorum facta, licet sint teterrima, ab humilibus subditis, oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Unde D David ferire metuit, quia ipsæ subditorum mentes, ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt: etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui et si quando propter infirmitatem se abstinere vix possunt, ut extrema quædam atque exteriora præpositorum mala reprehendant: sed tamen humiliter colloquuntur, quasi oram chlamidis similiter incidunt: qui videlicet, dum prælatæ dignitati saltem innoxiæ et latenter derogant quasi regis superpositi vestem fœdant. Sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime, vel de tenuissima verbi laceratione, reprehendunt. Unde et bene illic scriptum est:

« Post hæc David percussit cor suum,» etc. Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt,

etiam enim reprehendenda recte judicantur. Si quid vero contra eos vel in minimis lingua labitur necesse est ut per afflictionem pœnitentiæ comprimatur, quatenus ad semetipsum redeat. Et cum præpositæ potestati detraxerit, contra se judicium ejus qui illi prælatus est, perhorrescat : nam cum in præpositis delinquimus ejus ordinationi, qui eos nobis prætulerit, obviamus. Unde Moyses quoque, cum contra se et Aaron conqueri populum cognovisset, ait : *Nos enim quid sumus ?* (*Exod.* XVI.) Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.

CAPUT XXV.

« Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, « et possessio ejus in Carmelo, » etc. Historia hæc mysticum, ut quibusdam videtur, potest habere intellectum. Nabal enim vir durus, et pessimus, et malitiosus, potest tenere figuram populi Judæorum quorum nonnulli uva fellis atque amaritudinis botro inebriati, « Cervice duri atque incircumcisi cordibus, » ut beatus Stephanus ait : Semper Spiritui sancto resistentes, durum et carnalem sensum in lege sequentes, stolidi facti sunt » : quibus bene interpretatio nominis Nabal convenit, qui interpretatur *demens* vel *insipiens*, ut Abigail ait ad David : Quia nimirum Christum venientem, et per apostolos ab eis refectionem fidei et bonæ operationis expetentem, respuerunt, dicentes : Hinc autem nescimus unde sit. Nos autem discipuli Moysi sumus (*Joan.* XI). » Abigail vero mulier prudentissima et speciosa typum habuit plebis illius, qui ex Judæis ad fidem conversi, Deo placere meruerunt. interpretatur namque, *patris mei exsultatio*. Unde et Dominus : « Confitebor tibi, Pater cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI)? Et illud : « Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV), » et reliqua. Hæc sæpius in prophetis et in apostolis pro salute populi Judæorum deprecans David, videlicet Dominus noster, acceptabilem bonorum operum oblationem et piæ devotionis obtulit : quam ille post mortem viri sui, qui demens in stultitia sua periit, ascivit in conjugium : et exhibuit sibi sponsam non habentem maculam aut rugam. Quod autem idem Nabal stultus transactis diebus decem, ex quo David exprobratus fuerat mortuus narratur : hoc intelligi datur, quia populus Judæorum, cui dictum est : « Audi, popule stulte, postquam Dominum a se repulit, decalogum legis transgrediendo, in Evangelio lapsus est, atque in peccato suo mortuus est (*Jerem.* V). » Sequitur :

« Ait Abigail ad David : Si enim surrexit homo aliquando persequens te, » etc. Pulcherrima comparatione, statum justorum ac reproborum sorte discernit. Horum quippe animas, id est justorum appellat viventes, ut reproborum e contrario spiritali morte præoccupatas insinuet. Hos fasciculo, illos lapide fundæ assimilat. Fasciculus enim constringitur, ut integer maneat et conservetur. Lapis

A in funda expeditus ponitur, ut adjiciatur : sic etenim, sic in hoc sæculo electi pressuris tribulationum coangustantur, ut his admoniti, arctius ad invicem mutua charitate connectantur, et coadunati ad invicem manu sui Redemptoris in perpetuum conserventur. At vero reprobi, quanto latius in hac vita voluptatibus propriis, velut liberi dimittuntur : tanto longius in futuro a divinæ visionis gloria projiciuntur, ut de eis merito dicatur : et quidem ipsi de manu tua expulsi sunt. Mire autem omnipotentem providentiam describit superni pectoris, cum dicit : Animam viri sancti quasi in fasciculo viventium apud Deum esse custoditam. Sicut enim facillimum est cuilibet fasciculum herbæ, vel feni sua manu retentum conservare : ita

B virtus Domini et Salvatoris nostri, omnes per orbem electos, ab initio usque ad finem sæculi, ne quis ex eis ulla ratione pereat, sine labore conservat. Juxta quod ipse in Evangelio, sub figura ovium, de eis loquens : « Et sequuntur me, inquit, et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum. Non rapiet eas quisquam de manu mea (*Joan.* X). » Sic ut fasciculus unus, quibuslibet vinculis alligatur : ita omnis sanctorum cœtus, una eademque fine, spe et charitate ad invicem constringitur, uno divinæ protectionis munimine circumdatur. Patet sane sensus : quia anima David a persequentibus licet hostibus custodita semper fuit in sorte viventium. Porro inimici ejus insistentibus sibi adversitatibus, sicut

C lapis funda circumactus, sic instabili motu perturbandi, et suis essent expellendi de finibus, vel etiam ab humanis rebus auferendi. Moraliter vero quid nobis Abigail renuntiationis suæ dispensatione innuit, nisi quod iracundos melius corrigimus, si in ipsa iræ suæ commotione declinamus ? Perturbati quippe quid audiant, ignorant : sed ad se reducti, tanto libentius exsultationis verba recipiunt, quanto se tranquillius tolerati erubescunt. Menti autem furore ebriæ, omne rectum quod dicitur, perversum videtur. Unde et recte Nabal ebrio, culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit. Idcirco enim malum quod fecerat cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audivit. Porro juxta historiam quod ait

D Abigail ad David :

« Cum ergo fecerit tibi Dominus domino meo « omnia quæ locutus est bona de te, et constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in « singultum et in scrupulum cordis. » Ita intelligitur : non erit tibi hoc in singultum, id est ut modo effundas sanguinem Nabal, et propter hoc flendum tibi sit, et pœnitendum.

« Saul autem dedit Michol filiam suam uxorem « David, Palthi filio Lais, qui erat de Gallim. » Ut Hebræi tradunt, non cognovit eam Phalti : quoniam s cognovisset, nunquam David sibi eam postea sociasset, quia in lege penitus hujuscemodi prohibetur coitus : Phalti, inquit, de Gallim, id est *inundatione* : Inundatio lex intelligitur. Legis enim doctor erat de Baurim, id est de electis. Quando enim a Saule Mi-

chol ei datur, Phalti *evadens* interpretatur : quando vero ipsi aufertur, *Phaltihel*, id est evadens a Deo dicitur : videlicet quia custodivit eum ne tangeret eam, ne fieret transgressor legis. Unde licet in sequentibus legatur, quod ibat Phalti, cum reduceretur ipsa ad David, plorans : postea tamen, inquiunt, præ gaudio, eo quod liberasset eum Deus ne tangeret eam, exsultavit. Quod quia assertio Judæorum videtur, non in omnibus approbamus eam, sed judicio lectoris relinquimus.

CAPUT XXVI.

« Venerunt Ziphæi ad Saul dicentes : Ecce David « latet apud nos. » Sed quid significent, abunde superius dictum est. Nam iter demonstratum est, quando idem David fugiens a facie Saul ingressus est in castra regis, cum dormientem invenisset, non percussit, non occidit, sed solam lanceam, quæ erat ad caput ejus et scyphum sustulit dormientibus cunctis.

« Egressus de castris transivit in cacumen mon- « tis. » Quid ergo est hoc? Sequebantur namque Christum Judæi, sed persequendo dormiebant : quia non vigilabant corde : duritia enim cordis obdormitio est. Dormiunt in vita veteri, non evigilant in nova. Venit Christus, non eos occidit, sed tulit ab eis scyphum aquæ, id est gratiam legis. Tulit sceptum regale, regni scilicet potestatem, quam pro magno habebant, et unde se protegebant temporaliter, et quam adversus Deum per incredulitatem gerebant. Deinde ingressus victor David noster, in castris eorum. Et regressus transcendit in altitudinem montis cœlorum.

CAPUT XXVII.

« Et ascendit David et viri ejus, et agebant præ- « das de Gessuri, et de Gezi, et de Amalechitis. Hi « enim pagi habitabantur in terra antiquitus. » Hi non erant sub potestate Achis. Habitati in terra dicuntur antiquitus, quia quieti et securi habitati fuerant, et nullius hostis depredationes perpessi.

CAPP. XXVIII, XXIX et XXX.

« Interea fugiens David, dum pergeret cum « Achis rege Philisthinorum in prælium adversus « Israel, insurgentes Amalechitæ irruerunt in Si- « celeg. Et succendentes eam, captivaverunt om- « nia quæ erant David et puerorum ejus. Rever- « sus ergo David ad persequendos Amalechitas « invenit Ægyptium puerum lassescentem, quem « Amalechitæ ægrotum in itinere reliquerant. « Hunc autem David inventum cibo refecit, du- « cemque sui itineris fecit. Sicque Amalechitas « persequitur epulantesque reperit, et funditus « exstinxit. » Amalechitæ quippe *populus lambens* vocantur, quibus mentes sæcularium designantur, quæ terrena cuncta ambiendo quasi lambunt, dum solis temporalibus delectantur. Quasi enim populus lambens prædam fecit, dum terrena diligentes, lucra de alienis damnis exaggerant. Sed quid est quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere assatur? nisi quod amator præsentis sæculi,

A peccati sui nigredine opertus, sæpe ab eodem sæculo infirmus despectusque relinquitur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat. Sed hunc David invenit, quia Redemptor noster veraciter manu fortis nonnunquam quos despectos a mundi gloria reperit, suo amore convertit, cibo pascit, quia verbi scientia reficit : ducem itineris eligit, quia suum etiam prædicatorem facit. Et quia Amalechitas sequi non valuit, dux David efficitur ; quia is quem indignum mundus deseruit, non solum conversus in sua Deum mente recipit, sed prædicando hunc etiam usque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce David Amalechitam convivantem invenit et exstinguit : quia ipsis Christum prædicantibus, mundi

B lætitiam destruit, eorum scilicet quos comites habere despexit. Ducenti illi viri qui ad torrentem lassi cum sarcinis sunt relicti, significant quosdam infirmos Ecclesiæ, qui cum cæteris spiritalibus viris, in via Dei currere nequeunt : sed veram fidem retinendo, atque per activam vitam opus bonum servando, a clementissimo David, hoc est Christo Domino, beatitudinis præmium cum reliquis perfectis præcipiunt.

« Samuel mortuus est, flevitque eum omnis « Israel, et sepelierunt eum in Rama urbe sua. » Superius namque dicitur sepultus fuisse in domo sua in Rama. In domo sua, in familia videlicet et cognatione sua. Quod enim hic mortuus iterum dicitur, ut Hebræi volunt, resuscitationis suæ causa

C repetitur, ut et damnatio Saulis, qui peccatis mortuus erat, et relicto Deo contra legem pythonem consulebat, justa esse manifestaretur. Sequitur :

« Post mortem autem Samuelis, congregati Phi- « listim contra Israel, consuluntque Dominum et « non respondit ei, neque per somnia, neque per « sacerdotes. » Hebræus habet, neque per doctrinam neque per prophetas. Respondebat Dominus per somnia, sicut Hebræi asserunt, eoque jejunando et orando poscebant oraculum sibi fieri divinum, et Deus illis per somnia revelabat ea quæ futura erant : quod in hoc loco minime Saul fecisse legitur. Per doctrinam, per ephod scilicet, quod sacerdos in pectore portabat. Neque per et prophetas, quia illis consulentibus, dominus nequaquam respondebat. Hi prophetæ dicuntur fuisse

D discipuli Samuelis, quibus prophetantibus junxit se Saul et prophetavit.

« Quæsivit autem Saul pythonissam, quæ susci- « taret illi Samuelem : statimque suscitatus, ait ad « eum : Quare inquietasti me ut suscitarer, etc. » Quæritur secundum historiam utrum pythonissa ipsum prophetam de inferno evocaverit, an aliquam imaginariam illusionem fallacia dæmonum factam Sauli exhibuerit. De qua quæstione, beatæ memoriæ Augustinus episcopus Simpliciano Mediolanensi episcopo ita scribit : Inquiris, inquam, utrum potuerit malignus spiritus excitare animam justi, et tanquam de abditis mortuorum receptaculis revocare, et ut videretur et loqueretur cum Saul. Nonne majus mirandum sit, quod satanas ipsum Dominum assum-

psit, et constituit super pinnam templi? Quolibet A enim modo fecerit, factum est: ita ut Samuel excitaretur, similiter latet. Nisi forte quis dixerit faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum, unde voluit assumendum, et ubi voluit constituendum, quam ad Samuelis defuncti spiritum e suis sedibus excitatum. Quod si illud in Evangelio nos ideo conturbat, quia Deus voluit atque permisit, nulla diminutione suæ potestatis et divinitatis id fieri sicut ab ipsis Judæis (quanquam perversis atque immundis et facta diaboli faventibus) et teneri se et vinciri, et illudi et crucifigi atque interfici passus est. Et non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse ut non invitus nec dominante magica potentia, sed volens atque obtemperans occulta dispensatione Dei, quæ pythonissam illam Saulemque latebant, spiritus proferret sancti Samuelis, seque ostenderet aspectibus regis divina sententia perituri. Quanquam in hoc facto potest adesse alius facilior intellectus, ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed aliquod phantasma et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur, earum rerum quarum imagines sunt, nominibus appellantur. Sicut hominis pictura cum cernitur, proprium quodque nomen incunctanter adhibetur. Et dicitur, ille Cicero est, ille Sallustius, ille Achilles, iste Hector, hoc flumen Simois, illa Roma: cum aliud nihil sunt, quam pictæ imagines. Unde et Cherubim cum sint cœlestes virtutes, ficti tamen ex metallo, quo imperavit Deus poni super arcam testamenti, magnæ rei significandæ gratia, non aliud quam Cherubim, illa quoque figmenta, vocabantur. Iterumque dum quisque videt somnium non dicit: vidi imaginem Augustini, sed vidi Augustinum, cum eo tempore quo aliquid tale aliquis vidit ignoraret hoc Augustinus. Usque adeo manifestum est non ipsos homines, sed imagines eorum videri. Et Pharao spicas se dixit vidisse in somniis et boves, non spicarum aut boum imagines (*Gen.* XLI). Si igitur constat liquido, nominibus earum rerum quarum imagines sunt easdem imagines appellari, non mirum est quod Scriptura dicit Samuelem visum: etiam si forte imago Samuelis apparuit per ficta machinamenta, ejus qui transfigurans se velut angelum lucis, et ministros suos subornat velut ministros justitiæ. Jam vero si illud, inquit, vos movet, quomodo, a maligno spiritu Sauli prædicta sunt potest et illud mirum videri, quomodo dæmones agnoverunt Christum quem Judæi non agnoscebant. Cum enim vult Deus etiam infirmos spiritus aliqua vera cognoscere, temporalia duntaxat, ad istam mortalitatem pertinentia, facile est et non incongruum, ut omnipotens et justus ad eorum pœnam quibus ista prædicantur, (ut malum quod eis imminet, antequam veniat, prænoscendo patiantur) occultu apparatu mysteriorum suorum, etiam spiritibus talibus aliquid divinationis impertiat, et quod audiunt ab angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator jubet vel sinit. Unde etiam pythonissa in Actibus apostolorum (*cap.* XVI) attestante Paulo apostolo, et evangelista conatur esse. Miscent tamen isti fallacias, et verum quod nosse potuerunt, non docendi magis, quam decipiendi fine pronuntiant: et forte hoc est quod cum illa imago Samuelis Saulem prædicaret moriturum, dixit etiam secum esse futurum. Quod utique falsum est. Magno quippe intervallo post mortem separari bonos in Evangelio legimus (*Luc.* XVI): cum inter superbum illum divitem cum jam apud inferos tormenta pateretur, et illum qui ad ejus januam ulcero- B sus jacebat, jam in requiem constitutum, magnum chaos interjectum esse testatur. Aut si propterea Samuel ei dixit, mecum eris, ut non ad qualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur: quod uterque homo fuerit et uterque mori potuerit, jamque mortuum, mortem vivo prænuntiabat. Secundum utrumque igitur intellectum habere exitum hæc lectio potest, qui non sit contra fidem. Nisi forte profundiori inquisitione inveniatur ad liquidum, vel posse vel non posse, animam humanam, cum ex hac vita migraverit, magicis carminibus evocari, et vivorum apparere conspectibus, etiam corporis lineamenta gestantem, ut non solum videri valeat, sed etiam agnosci, et si potest, utrum etiam justi anima non quidem cogatur ma- C gicis sacris, sed dignetur ostendi, occultioribus mysteriis summæ legis obtemperans: ut si fieri non posse claruerit, ut non uterque sensus hujus Scripturæ tractatione admittatur, sed illo excluso, imaginaria similitudo Samuelis, diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam sive illud fieri possit, sive non possit, tamen fallacia Satanæ atque imaginum simulandarum callida operatio, decipiendis sensibus humanis multiformis invigilat. Tacendum nunc quidem ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, sed potius existimemus tale aliquid factum maligno spiritu pythonissæ illius ministerio. quam diu nobis aliquid amplius excogitare, atque explicare non datur. Hæc sunt quæ tunc de pythonissa et Samuele scripsit beatissi- D mus Augustinus. Sed quia hoc genus magicæ phantasiæ crebro in hoc libro ligitur, dicendum est unde nomen acceperit: nonnulli enim ab Appolline Pythio repertum atque ab ejus cognomine sic dicunt esse vocatum. Sed et Hebræum nomen, inquiunt, congruit: Pythona abissi (*sic*) dicunt, unde et pythonissam et pythones legendum putant. Quod et nos diligenter investigantes sic in antiquis, imo et modernis voluminibus scriptum reperimus. Alii vero a serpente qui python dictus est, de cujus pelle divinabant, dictum asserunt, unde et pythonissam et pythones legunt. Quod nos arbitrio prudentis lectoris derelinquimus, quid magis eligere placuerit. Hæc enim sententia juxta historiam superiori sententiæ postposita est. Quod nos ideo facimus, ut totum

de Saule et pythonissa pariter negotium comprehendamus.

CAPUT XXXI.

« Igitur exorto prœlio, percusserunt Philisthiim « Israel plaga magna, corrueruntque in prœlio « Saul et Jonathas. » etc., usquequo ait, « et armi-« ger ejus ipse corruit super gladium suum, et mor-« tuus est cum eo. » Armigerum istum Hebræi Doeg Idumæum dicunt fuisse, qui cernens Saul mortuum, scipsum ob metum David interemit.

« Mortuus est Saul et tres filii ejus et armiger « illius et universi viri ejus. » Viri isti, pueri domestici ejus intelligendi sunt. Hi tres filii Saul cum eo interfecti sunt, Jonathas, Abinadab, qui et Jesui et Melchisua. Isboseth autem domi erat, qui anno quo Saul rex constitutus est, natus fuisse dicitur, qui etiam quadraginta annorum fuisse legitur cum regnare cœpisset. Unde colligitur Saul quadraginta annis regnasse. Quærendum cur alibi legatur Jesui, et alibi Abinadab : Jesui enim interpretatur *æqualis*. Æqualis ideo dicitur, quia æqualis meriti fuisse cum patre filii memorantur. Abinadab interpretatur *pater meus sponte*. Sponte etenim sua pater ejus Saul male agendo acquisivit, ut taliter una cum filiis perimeretur.

IN LIBRUM SECUNDUM.

PRÆFATIO.

Verum, quoniam favente divina gratia, quanquam fortassis indocte, primum librum hujus historiæ digessimus, et quasi unionem spiritalis intelligentiæ quodammodo in conchulis maris, hujus videlicet voluminis latitantem, velut alta pelagi, lintre nostræ investigationis, immergendo, ad lucem produximus. In quo quidem evidentissime, utpote prælibavimus, immutatio sacerdotii Judæorum, ac repulsio Synagogæ in verum Christi sacerdotium, et collectio sanctæ Ecclesiæ ex gentibus, aliaque plurima sacramenta quæ sub allegoriarum figuris contineri probavimus. Nunc ipso aspirante, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ reconditi, secundum librum præfata historiæ aggredimur, et limpida Christi Ecclesiæque pandere sacramenta conabimur. Et si ex tanta profunditate aurum producere ad lucem non possumus optimum, aut carbunculum ex Phison fluvio non quimus abstrahere, lapidem magnificum, saltem quoque margaritum fulgens possimus exhaurire de gurgite. Aut si etiam ex gemmis renitentibus non valemus optimam fabricare coronam, quodammodo ex floribus amœnitatis divinarum Scripturarum tentabimus componere serta, ne ex paupertate ingenii ingratus videar a Domino, sed potius sua clementia, dum cernit studium, adaugeat vires in pondere, ne fractus inveniar pressusque mole tantæ magnitudinis. Nam sequitur :

CAPUT PRIMUM.

« Factum est autem postquam mortuus est « Saul, ut David reverteretur a cæde Amelec, et « maneret in Siceleg duos dies. In die autem ter-« tio, apparuit homo Amelechites, veniens de « castris Saul, » et reliqua. Homo iste qui ad David veniens, mortem Saulis nuntiaverat, qui etiam mentiens, Saul interfecisse se dixerat : præsertim cum superius legatur irruisse Saul super gladium suum, et mortuus esse, ipse et armiger ejus, in monte Gelboe. Qui propterea a David interfici jussus est, eo quod dixerit se interfecisse, et non timuissse mittere manum suam in Christum Domini, qui et Amalechites dictus est. Hebræi, prout in quodam volumine legi, filium Doeg Idumæi tradunt fuisse. Amalechites enim et Idumæus unum sunt, sicut reperi, quia filius primogenitus Esau qui et Edom, Eliphax fuit, et hujus filius Amalec exstitit. Unde diadema et armilla quæ David detulit, a patre Doeg commendata filio fuisse, nonnulli Hebræorum perhibent. Unde, inquint, non esse credendum ut Saul eam in prælium detulisset, sed Doeg amico suo commendaverat, a quo ipse acceperat. At vero, si cui credibile videtur, quod Saul in prœlium detulisset, et a capite ejus, eo mortuo, et a brachiis abstulisset, et David causa adulationis et gratiæ detulisset, non refragamus ac inhibemus sed potius suo arbitrio derelinquimus. Sed altiori intellectu reputamus quod est quod ille Amalechites, qui finxit coram David Saul regem interfecisse, ab eo ultionis pœnam multatus accepit. nisi quod omnis qui proximo suo machinatur malum, vel de ejus gaudet interitu, justæ retributionis pœnam a superno judice recipiet ? Juxta illud quod scriptum est : « Omnis enim qui fodit foveam incidet in illam (*Prov.* XXVI ; *Eccli.* X). Et qui percusserit gladio peribit (*Matth.* VI). » Et iterum : « Os quod mentitur occidit animam (*Sap* I). » His expletis, sequitur historia quid David egerit. Ait enim :

« Planxit autem David planctum hujuscemodi su-« per Saul et super Jonatham filium ejus. Et præ-« cepit ut docerent filios Juda carmen, sicut scrip-« tum est in libro justorum. » etc. In Hebræo et in veris exemplaribus non habetur *carmen* sed *arcum*, quod nostris doctoribus item melius videtur. Nam quod scriptum est, quoniam plangebat interfectos Saul et Jonatham « et præcepit ut docerent filios Juda arcum, » hoc ideo fecit quia Philisthæos sagittariis abundare jam noverat. Aliter : « Præcepit David ut docerent filios Juda arcum, » hoc est ut reges Juda docerent fortitudinem, scilicet ut fortes et intenti essent in timore Domini, et in præceptis Dei : ne per inobedientiam a fortitudine et timore Domini

sicut Saul recederunt: et eo modo quo ille perierat, perirent, et unde Saul maxime horum ictibus perierat eamdem bellandi artem, et sui milites ad revincendos eos, discerent. Quod vero sequitur « sicut scriptum est in libro justorum, » ipsum librum hodie nusquam, neque apud ipsos Hebræos inveniri posse, asseverant: sicut nec librum bellorum Domini, cujus in libro Numerorum mentio est, neque carmina Salomonis, neque disputationes ejus sapientissimas de lignorum natura, herbarumque omnium, totorumque jumentorum, volucrum, reptilium, et piscium. Vel quod in libro Verborum dicitur. Reliqua vero operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Abiæ Silonitis, in visione quoque Jaddo videntis contra Jeroboam filium Nabat, et multa hujusmodi volumina, quæ Scriptura quidem fuisse probat, sed hodie constat non esse. Vastata namque a Chaldæis Judæa, etiam bibliotheca quæ est antiquitus congregata, inter alias provinciæ opes, hostili igne consumpta est, ex qua pauci qui nunc in sancta Scriptura continentur libri, postmodum Ezræ pontificis et prophetæ sunt industria restaurati. Unde scriptum est de eo: « Ascendit Ezras de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi (*I Esdr.* VII). » Velox videlicet, quia promptiores litterarum figuras, quam catenus Hebræi habebant, reperit. Et in epistola regis Persarum legitur: « Artaxerxes rex regum Ezræ sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo salutem. » Sunt tamen qui dicunt, hunc librum justorum intelligi debere ipsum librum Regum, ubi continentur prophetæ justi, Samuel videlicet, Gad et Nathan, in quo scriptum est, qualiter Saul recedens a timore Dei per inobedientiam suam periit.

« Inclyti tui, Israel, super montes tuos interfecti « sunt. » In Hebræo habetur, super excelsa tua, et est sensus: O Saul, super excelsa tua, gloriosi Israel interfecti sunt: quia in peccato inobedientiæ tuæ, una tecum perierunt. Inobedientia namque pro idolis, id est excelsis, reputata est, sicut est illud in libro Samuelis: « melior est enim obedientia quam victimæ: et auscultare magis, quam offerre adipem arietum (*I Reg.* XV). » Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Sed quod ait:

« Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis « in compitis Ascalonis, » etc., obstupescens propheta ingemuit subitaneum casum principum populi sui, et prohibet ne ullus lætetur in tali casu, neque fama hoc divulget in civitates inimicorum. Geth enim et Ascalon, urbes sunt Allophylorum. Hactenus historiam, nunc quid allegorice significet, subjungamus. Ait namque: « Et præcepit David ut docerent filios Juda, » et reliqua. Filii Juda intelliguntur *fideles in Ecclesia, Christum Dominum confitentes*: de quibus verus David, id est manu fortis Dominus, præcepit, ut arcu divinæ intelligentiæ sint muniti: ne aut ignorantiæ cæcitate decepti, in impietate ruant, aut certe ignavi ac dissoluti in conspectu hostium suo-

A rum, hoc est immundorum spirituum per quodlibet vitium decepti, succumbant: et in perpetuo in mortem animæ irreparabiliter cadant: « Nolite annuntiare in Geth, » etc. Geth, quæ interpretatur *torcular*, significat terrenam Hierusalem civitatem, quæ occidit prophetas, et lapidavit eos qui ad ipsam missi fuerant (*Matth.* XXIII). Cujus civibus, id est Judæis incredulis, mors Domini atque sanctorum apostolorum in derisum fuit: et ob hoc præcipitur a vero David, Christo videlicet Domino, ut passio ejus per evangelicos prædicatores, eis minime debeat annuntiari: qui insultatores crucis Christi maluerunt esse quam veneratores. Sequitur:

« Et ait David: Montes Gelboe, nec ros, nec plu« via veniat super vos, » et reliqua. Propter casum
B fortium, et ruinam populi sui, quasi indignans loquitur ad ipsum locum interfectionis, abominans factum quod in eo fuerat gestum, sicut cuidam videtur, tamen non sine mysterio præsagandi, sicut paulo post ostendetur, beato papa Gregorio propalante.

« Sagitta Jonathæ nunquam abiit retrorsum, et « gladius Saul non est reversus inanis. » Hoc vult insinuare, quod Jonathas et Saul temporibus suis bellicosissimi et fortissimi fuerint in præliis.

« Saul et Jonathas amabiles et decori in vita « sua, in morte quoque non sunt divisi. Aquilis « velociores, leonibus fortiores. » Laudat decorem formæ, laudat et constantiam animi: adjungens per hyperbolem tropum, similitudinem aquilæ at-
C que leonis.

« Filiæ Israel, super Saul flete, qui vestiebat vos « coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta au« rea cultui vestro. » Videlicet et de prædis hostium quas agebat.

« Quomodo ceciderunt fortes in prælio? » Subauditur in peccato suo. « Jonathas et Saul, in excelsis tuis occisus es. » sicut superius diximus. Ideo, o Saul et Jonathan, « in excelsis tuis, » hoc est in peccato inobedientiæ tuæ occisus, subauditur *es*. Ecce historiam. Cæterum spiritualiter quid est, quod David qui retribuentibus mala non reddidit, cum Saul et Jonathan bello occumberent, Gelboe montibus maledicit, dicens: « Montes Gelboe, inquit, nec ros, nec pluvia, veniant super
D vos. Neque sint agri primitiarum quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. » Quid ergo montes Gelboe, Saul moriente, deliquerunt, quatenus in eis nec ros nec pluvia caderet, et ab omni eos viriditatis germine, sententiæ sermo, siccaret? Sed quia Gelboe interpretatur *decursus*, per Saul autem unctum et mortuum, mors nostri Mediatoris exprimitur, non immerito per Gelboe montes, superba Judæorum corda signantur, quæ dum in hujus mundi desideriis defluunt in Christi, id est uncti, se morte miscuerunt. Et quia in eis unctus rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiæ rore siccantur. De quibus et bene dicitur: « Agri primitiarum esse non possunt. » Superbæ quippe Hebræorum mentes, primitivos fructus non ferunt, quia in Redemptoris

adventu, ex parte maxima, in perfidia remanentes primordia fidei sequi noluerunt. Sancta namque Ecclesia in primitiis suis, multitudine gentium fecundata, vix in mundi fine, Judæos quos invenerit suscipit, et extrema colligens, eos quasi pro reliquiis fruges ponit. De quibus nimirum reliquiis Isaias dicit: « Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient (*Isa.* x; *Rom.* ix).» Possunt namque idcirco Gelboe montes ore prophetæ maledici, ut dum fructus exarescente terra moritur, possessores terræ, sterilitatis damno feriantur, quatenus ipsi meledictionis sententiam acciperent, qui apud se mortem regis suscipere, iniquitate sua exigente, meruissent. Aliter vero David in persona sanctorum deplorat quosdam de Ecclesia, qui per superbiam ruentes, atque cum labentibus, vitæ præsentis stadium decurrentes, ab spiritali luce seclusi, lubricati, id est excæcati sunt: qui repugnantes dæmonibus, labuntur in sæculo: quod est lubricum (Gelboe enim montes, *lubrici* interpretantur, secundum hanc intelligentiam), et spem recuperationis suæ omittentes, proprio mucrone, desperatione videlicet perniciosa evadendi hostem antiquum, semetipsos interficiunt: sicut Saul irruens super gladium suum mortuus est. Cujus rei Philisthæi, hoc est maligni spiritus, de interfectis spolia virtutum auferentes, propriæ fortitudini ascribunt victoriam, quæ justa permissione Dei, in talibus evenit. Sed David noster, in membris, hoc est in electis et sanctis viris, corruentium casum gemit: nec lætatur in perditione morientium, sed contradicit, ut urbibus Allophylorum, talis fama prædicetur, hoc est præcipit fidelibus, ut caute se custodiant, et scuto fidei undique se muniant, induti lorica justitiæ, habentes galeam salutis, et gladium spiritus, hoc est verbum Dei, adversariis suis resistant, ne forte ulterius ignominiose superati, gaudium inimicis suis faciant.

CAPUT II.

« Ascendit ergo David et duæ uxores ejus Achi-« noam Jezraelites, et Abigail uxor Nabal Carmeli, « sed et viros qui erant cum eo, duxit David sin-« gulos cum domo sua et manserunt in oppidis « Hebron. » Ascensus iste David cum duabus uxoribus suis in Hebron significat convocationes duarum plebium in Ecclesiam catholicam. Hebron enim interpretatur *conjugium*, et bene sola sancta Ecclesia conjugium nominatur. Sola et una est sponsa videlicet cœlestis regis, de qua in Canticis canticorum dicitur: « Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum quarum non est numerus. » Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Illuc duxit David singulos viros cum domo sua: quia unusquisque fidelium, in illam societatem per prædicationem Evangelii, convocatur. « Non est ibi distinctio Judæi, et Græci, barbari et Scythæ, servi et liberi, sed omnia et in omnibus Christus. »

« Veneruntque viri Juda et unxerunt ibi David, « ut regnaret super domum Juda. » Ungunt viri Juda David in regem, ut regnet super domum Juda, quia superbis ac contemptoribus spernentibusque gratiam Dei abolitis, electi quique bona fama sacræ prædicationis, et virtutum studio, rite confitentur Christum esse regem in universo populo. Ac ipsum esse, cui « omnis potestas a Patre data est in cœlo et in terra, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, (*Philipp.* II). » Aliter: Post mortem Saulis ungitur David, et regnat, transfertque arcam Testamenti in civitatem suam: sicut in sequentibus legitur, de qua in suo loco dicturi sumus. Simili quoque modo post abolitionem regni Judæorum, et sacerdotii cessationem, verus David, id est Christus in Ecclesia sua, quam ex gentibus elegit, regnum accepit: et arcam Testamenti, hoc est sacram Scripturam, in Ecclesiam, quæ ejus est domus, transtulit.

« Et nuntiatum est David quod viri Jabes Galaad « sepelissent Saul, » et reliqua. Hoc plenius in Paralipomenon libro quomodo gestum sit narratur. « Cum audissent, inquit, viri Jabes Galaad, omnia scilicet quæ Philisthiim fecerant super Saul, consurrexerunt singuli virorum fortium, et tulerunt cadavera Saul et filiorum ejus, attuleruntque ea in Jabes, et sepelierunt ossa eorum subter quercum quæ erat in Jabes, et jejunaverunt septem diebus (*I Paral.* IV). » Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas eo quod prævaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, et non custodierit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec speraverat in Domino: propter quod et interfecit eum, et transtulit regnum ejus ad David filium Isai. Quid est quod viris Jabes Galaad David gratia refert, eo quod sepelierunt ossa Saul et filiorum ejus? nisi quod Redemptori nostro multum placet, quando quis prava opera malorum qui in peccatis suis mortui sunt, oblivioni, damnando tradit, nec ea actione imitatur, quæ scit Deo displicuisse; sed magis ea elegit facienda, quæ recordatur Dominum in mandatis dedisse.

« Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul, « tulit Isboseth filium Saul, et circumduxit eum « per castra, regemque constituit super Galaad, et « super Gessuri, et super Jezrael, et super Ephram, « et super Benjamin, et super Israel universum. » In Hebræo habetur, « transduxit eum in Manaim,» quæ interpretatur *castra*. Transduxit eum, intelligendum est, ultra Jordanem: et in Manaim regem eum constituisse, super Galaad, et super Gessuri. Hebræis Assuri, id est super tribum Aser.

« Sola autem domus Juda sequebatur David. » Quid autem est quod filius Saul Isboseth, qui interpretatur *vir confusionis*: Abner auxiliante, qui interpretatur *patris lucerna*, rex constituitur super Israel universum: et domus Juda sola sequebatur David? nisi quod solis credentibus, et vere Deum confitentibus, ex priori populo, David nostrum Dominum videlicet et Salvatorem sequentibus, in cæteris adhuc error confusionis regnat, diabolo insti-

gante, qui sæpe se transfigurat in angelum lucis.

« Et fuit numerus dierum quos commoratus est « David, imperans in Hebron super domus Juda, « septem annorum et sex mensium. » Et bene David septem annis et sex mensibus regnavit in Hebron qui interpretatur *conjugium*, ut supra diximus, aut *visio sempiterna:* quia Salvator noster in Ecclesia catholica, quæ et sponsa ejus est, per omne tempus istius vitæ, quod senario dierum numero decurrit, regnat: secundum illud, « Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII), » et post expletionem senarii numeri, hoc est perfectionem boni operis, omnes electos suos ad sabbatum verum, id est ad requiem sempiternam, perducet, ubi et perfruentur Dei visione perpetua. Est autem Hebron civitas in tribu Juda, quæ quondam vocabatur Arbae, licet male in Græcis codicibus habetur Arboe. Corrupte igitur in nostris codicibus Arboe scribitur, cum in Hebræis legatur Arbae, id est quatuor, ex eo quod ibi tres patriarchæ, Abraham, Isaac, et Jacob sepulti sunt, et Adam magnus, ut in Genesi libro scriptum est. Licet eum quidam conditum in loco Calvariæ suspicentur, quod falsum est. Hæc est autem eadem Hebron olim metropolis Philisthinorum, et habitaculum gigantum, regnumque postea David in tribu Juda, civitas sacerdotalis, et fugitivorum. Distat ad meridianam plagam ab Elia millibus circiter viginti duobus, ubi et quercus Abraham, quæ et Mambre, usque ad Constantii regis imperium monstrabatur, et mausoleum ejus in præsentiarum cernitur. Cumque a nostris ibidem Ecclesia jam exstructa sit, in circuitu a cunctis gentibus, Terebenthi locus superstitione colitur, eo quod sub ea Abraham angelos quondam hospitio susceperit. Hæc ergo primum Arbae, postea Hebron ab uno filiorum Caleb sortita vocabulum est. Lege Verba dierum. Condita est autem ante septem annos, quam Tamnes urbs Ægypti conderetur.

« Egressus est Abner filius Ner, et pueri Joseph « filii Saul, de castris in Gabaon. Porro Joab filius « Sarviæ, et pueri David egressi sunt, et occurre- « runt eis juxta piscinam Gabaon. Et cum in « unum convenissent, e regione sederunt: hi ex « una parte piscinæ, et illi ex altera. Dixitque « Abner ad Joab: Surgant pueri, et ludant coram « nobis. Et respondit Joab: Surgant. Surrexerunt « ergo, et transierunt numero duodecim de Ben- « jamin, ex parte Isboseth filii Saul: et duodecim « de pueris David. Apprehensoque unusquisque « capite comparis sui, difixit gladium in latus « contrarii, et ceciderunt simul. Vocatumque est « nomen loci illius, ager robustorum in Gabaon. « Et ortum est bellum durum satis in die illa, » et reliqua. Hunc locum Josephus ita exponit: Abner autem promovit electum nimis exercitum, ut congrederetur cum tribu Juda. Irascebatur enim adversus eos, a quibus rex David fuerat ordinatus. Huic autem occurrit missus a David Joab, filius Sarviæ sororis ejus, de patre Sarnatus.

A Hic autem erat contra Abner, constitutus militiæ princeps. Cum quo etiam fuerunt sui fratres, Abisai, Asael, et omnes armati David. Itaque veniens ad quemdam fontem in civitate Gabaa, aciem constituit ad pugnandum. Dicente vero Abner ad eum, velle se probare quis eorum robustiorem exercitum haberet, convenit inter utrosque, ut duodecim viros pugnatores mitterent, et procedentes inter medias acies, qui ex utraque parte procul fuerant a certamine, relictisque gladiis viri David et tenentes capita hostium, eorum lumbos et latera, suis gladiis perforarunt, donec omnes quasi ex uno constituto perirent. His autem cadentibus, etiam reliquus direptus est exercitus dimicatione fortissima procedente, Abner populus B victus in fugam vertitur: fugientes autem Joab persequi non cessabat, præcipiens armatis, ut post eorum vestigia festinarent, et nequaquam occidendo deficerent cujus etiam fratres detestati sunt pronissime. Inter quos clarior fuit præcipue junior Asael, qui tantam gloriam habuit in pedum velocitate, ut non solum homines, sed etiam equos ad currendum superaret. Is igitur persequebatur Abner recto gressu, in neutramque partem declinans. Cumque respexisset Abner et considerasset impetum sequentis et dixisset, ut unius militis arma sumens ab ejus persecutione quiesceret, et rursus ille nequaquam a suo conanime penitus abstineret, monente illo denuo ut recederet, ne coactus eum perculeret, et ante ejus fratrem ulterius fi- C duciam non haberet. Verba ejus illo despiciente, fugiens post tergum lanceam emisit coactus, eumque repente mortali vulnere penetravit. Mystice, Abner de tribu Benjamin, princeps exercitus regis Saulis, pueros David qui erant cum Joab principe exercitus Juda, ad prælium scribitur provocasse, et Asaelem fratrem Joab percussum in inguine interfecisse, sic quidem intelligi volunt, Saulus, inquiunt, necdum adhuc apostolus, de tribu Benjamin, priusquam fuisset correptus a Domino, apostolos ad certamen legitur provocasse, ac neci interfuisse Stephani (*Act.* VI). Cæterum quod locutus est Abner ad Asael, dicens:

« Recede, noli me sequi, ne forte compellar « confodere te in terram, levare non potero « faciem meam ad Joab fratrem tuum. Qui au- D « dire cotempsit, et noluit declinare. Percussit « ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et « transfodit, et mortuus est in eodem loco, om- « nesque qui transibant per locum illum, in quo « ceciderat Asael et mortuus erat, subsistebant. » Moraliter, cujus idem Asael typum tenuit, nisi eorum quos vehementer arripit furor, et in præceps ducit? Qui in eodem furoris impetu, tanto cautius declinantur, quanto et insanius rapiuntur. Unde et Abner qui, sermone nostro, *patris lucerna* dicitur, fugit, quia doctorum lingua, quæ supernum Dei lumen indicat, cum per abrupta furoris mentem cujuspiam ferri conspicit, cumque contra irascentum, dissimulat verborum jacula reddere, quasi persequentem non vult ferire. Sed

cum iracundi nulla consideratione se mitigant, et quasi Asael, persequi et insanire, non cessant, necesse est ut qui furentes reprimere conantur, nequaquam se in furorem erigant, sed quidquid est tranquillitatis ostendant, quædam vero subtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animam purgent. Unde et Abner, cum contra persequentem substitit, non eum recta, sed aversa hasta transforavit. Ex mucrone quippe percutere, est impetu apertæ increpationis obviare. Aversa vero hasta persequentem ferire, est furentem intranquille, ex quibusdam angere, et quasi parcendo superare. Asael autem protinus occumbit, quia commotæ mentes, dum et parci sibi sentiunt, et tunc responsorum ratione in intimis, sub tranquillitate tanguntur, ab eo quo se erexerant, statim cadunt. Qui ergo a fervoris sui impetu, sub lenitatis percussione resiliunt, quasi sine ferro, moriuntur.

« Et exclamavit Abner ad Joab, et ait ; Num « usque ad internecionem tuus mucro desæviet.» Hebræus, ut legi in cujusdam disputatione, non habet *tuus*. « An ignoras quod periculosa sit desperatio? » In Hebræo ita habetur: « An ignoras quod amarus erit finis ? » Et est sensus : Nunquid ignoras quod ad amaritudinem tibi proveniat, eo quod populum hunc delere niteris ?

CAPUT III.

« Facta est ergo longa concertatio inter domum « Saul, et domum David. David proficiens, et semper in seipso robustior, domus autem Saul de« crescens quotidie. » Domus ergo David, quæ est alia quam civitas Dei? Hierusalem videlicet cœlestis, quæ partim adhuc peregrinatur in terris, partim jam cum Domino règnat in cœlis. Et quæ est domus Saul superbi et impii regis, nisi Babylon illa confusionis plena, quæ seducit et fornicari facit omnes gentes in prostitutione sua ? Longa ergo concertatio inter domum Saul, et domum David est, quia persequitur illa quæ secundum carnem est, eam quæ secundum spiritum. Sed domus David, eo magis profectu filiorum gaudebit suorum, quo magis domus Saul persecutionibus contra eam sævit. Illa autem quotidie deficiens, in iniquitate sua tabescet : et ad extremum secundum merita sua, simul cum capite suo, in profundum abyssi mergetur.

« Nati quoque sunt filii David in Hebron. Fuitque « primogenitus ejus Amnon, de Achinoen Jezraeli« tide, et post eum Chelea, de Abigail uxore Nabal « Carmeli. Porro tertius Absalon, filius Maacha « filiæ Tholomi regis Gessur. Quartus autem Ado« nias, filius Aggith, et quintus Saphatia, filius « Abital. Sextus quoque Jetram, de Egla uxore « David. Hi nati sunt David in Hebron. » Quæritur cum aliæ uxores David supra notatæ sint, et non dicantur uxores David, cur hic sola Egla uxor dicatur David ? Egla enim ipsa est Michol, quæ ideo uxor ejus hic sola vocatur, eo quod in adolescentia primum ipsam sortitus fuerat in uxorem, quæ etiam partu occubuisse dicitur. Unde et in sequentibus scriptum est : Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius, usque ad diem mortis suæ, quia in ipso partu occubuit. Et quid septem filii David qui ei nati sunt in Hebron, nisi perfectionem sanctorum in fide, sermone, et opere significant ? quæ ab Ecclesia matre, sponso Salvatori videlicet nostro quotidie generantur, et conjugio spiritali, per Spiritus sancti gratiam, in æternam vitam quotidie filii lucis oriuntur.

« Respondit Abner iratus ad Isboseth : Nunquid « caput canis ego sum adversum Juda hodie, qui « fecerim misericordiam super domum Saul patris « tui et super fratres et proximos ejus ? et non tra« didi te in manu David, et tu requisisti in me « quod argueres pro muliere hodie ? » et reliqua. Ac si diceret ; Propter te, et propter domum patris tui, dicor caput canis esse contra Judam, eo quod non reduco domum Israel ad David, quem scio unctum esse regem et regnaturum fore super universum regnum Israel. Caput canis se dicit esse, id est vilem, eo quod a domo Juda sic haberetur, sicut latratus canis, et eo quod princeps esset canum, id est stultorum hominum.

« Et dixit Abner ad David: Surgam ut congregem « ad te dominum meum, regem omnis Israel, et « ineam tecum fœdus, ut imperes omnibus sicut « desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset David « Abner et ille esset in pace. » Abner veniens ad David ut universum Israel, regno ipsius sociaret ab Joab ignorante David, in dolo occisus est. De quibus latius in sequentibus, et aliter dicturus sum. Sic intelligunt : Abner, inquiunt, veniens ad David, ut universum Israel regno ipsius sociaret, sed a Joab in dolo occisus est. Et Paulus egrediens ad gentes, ut prædicatione sua ad fidem eas Christi converteret, gravissimas Judeorum pertulisse legitur persecutiones. Sicut enim Joab filius Sarviæ, æmulus Abner, usque ad necem mortis insidiatus est, sic nimirum Judæi filii videlicet Synagogæ Paulo apostolo ex eadem tribu Benjamin genito, tandiu insidiati sunt, donec cum de Judæa expellentes, ad gentes transire compulerunt (*Act.* XIII).

« Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Is« rael dicens: Tam heri quam nudiustertius quære« bitas David ut regnaret super vos. Nunc ergo facite « quoniam Dominus locutus est ad David dicens : In « manu servi mei David, salvabo populum meum Is« rael de manu Philistiim et omnium inimicorum « ejus,» etc. Quid est ergo quod Abner populum universum Israel exhortatur, ut, relicto Isboseth filio Saul, ad David, prompto ac devoto animo, conveniat? nisi quod doctores sancti, qui patris lucerna merito dicuntur, lumine fidei, et scientiæ plenissimi, in universis gentibus nomen Domini prædicant, et exhortantur, quatenus, spreta idolorum cultura, et relicto errore confusionis, cum auctore suo diabolo, ad David nostrum, qui vero manu fortis, et desiderabilis est, qui desideratus cunctis gentibus esse, a propheta describitur, sine mora festinent venire, et

sub ejus imperio, perpetuo studeant permanere. A Nam et Joab, qui Abner dolo loquens, et percutiens in inguine, interfecit, non alium quam hostem antiquum significat, qui fictis suasionibus quotidie fideles subvertere satagit, et per libidinis noxiæ cogitationes, interficere molitur. Job enim *inimicus*, vel idem *frater* interpretatur. Omnium inimicorum diabolus est caput, unde et Salvator talibus in Evangelio dicit: « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere (*Joan.* VIII).» Ab hac ergo persecutione David noster immunis est, quia « Deus neminem tentat. Ipse autem intentator malorum est (*Jac.* I),» qui vult omnes homines salvos esse, et ad agnitionem veritatis pervenire (*I Tim.* II). « Per invidiam enim diaboli, mors intravit in totum orbem terrarum (*Sap.* II).» B Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ejus. Potest nomen et persona Joab non inconvenienter ad populum Judaicum per significationem transferri, qui inimici semper prædicatorum Evangelii exstiterunt, et fidem Christi ubicunque potuerunt persequebantur. De quibus Paulus Thessalonicensibus scribens : « Vos enim, ait, imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis qui et Dominum occiderunt Jesum, et prophetas, et nos persecuti sunt : et Deo non placuerunt, et omnibus hominibus adversantur : prohibentes nos gentibus loqui, ut salvæ fiant : ut impleant peccata sua semper. Pervenit enim ira Dei super illos, usque in C finem (*I Thess.* II). »

Aliter : « Et percussit Joab Abner in ultionem « sanguinis Asael fratris ejus, » etc. Quid per Joab, qui *inimicus* vel *frater* interpretatur, nisi elatio Judæorum, atque hæretici designantur ? Quid vero per Abner, qui in Latinum vertitur *patris lucerna*, nisi spiritales viri, et humiles Ecclesiæ doctores exprimuntur ? Joab, Abner in porta dolo occidit ? quia et inimici fidei, hoc est Judæi et hæretici, quosdam præsules Ecclesiæ ob defensionem fidei, usque ad necem mortis persecuti sunt. Pro qua re de domo patris Joab, per quam signatur impia plebs, non deficit fluxum seminis sustinens, hoc est, immundis cogitationibus atque sordidis actibus pollutus. Similiter quoque et leprosus sustinens fusum ; per quod designantur hæretici, mendacii sui cogitatione corrupti. Qui hæretici, dum fallaciam suam defendere nituntur, per ambitum verborum rotantur : et velut in confuso locutionis suæ mendacia involvendo concluduntur. Et dum litigiosa lingua, infirma Ecclesiæ membra velut gladio oris sui confodiunt, ipsi prius in eodem gladio impietatis suæ moriuntur. Et quia se ex mendacio suo pascunt, a pane verbi Dei vacui jejunant. Unde in sequentibus dicemus, quid mystice signetur ; et jam aliter :

« Plangensque rex Israel Abner, ait : Nequaquam, « ut morri solent ignavi, mortuus es, Abner. » Id est, non periisti in tua stultitia, sicut ignavi perire solent : quia fraude deceptus es.

« Manus tuæ non sunt ligatæ, et pedes tui non « sunt compedibus aggravati, » sicut eorum manus solent ligari et pedes vinciri, qui in prælio capi solent, dolo igitur non viribus peremptus es. Quod autem David se excusans de nece insontis, dixit : « Mundus ego sum, et regnum meum apud « Deum, usque in sempiternum, a sanguine Ab- « ner filii Ner, et veniat super caput Joab fluxum « seminis sustinens, et leprosus tenens fusum, et « cadens gladio, et indigens pane. » Judæorum denotat perfidiam atque miseriam. Super caput enim Joab, id est, super principes et sacerdotes ipsius populi, et super omnem domum patris ejus, synagogam videlicet Satanæ, atque conventum malignantium, veniet iniquitas impiorum, ut requiratur ab eis omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ (*Matth.* XXIII). Nec deficiet de domo istius Joab, fluxum seminis sustinens, id est, variis desideriis diffluens, quia in voluptatibus istius vitæ, tales totam spem suam ponunt, ubi et leprosi sunt tenentes fusum, id est variis erroribus maculati, instabilitatem hæresum ac mundani luxus sequentes, qui juxta desideria cordis sui, coacervabunt sibi magistros prurientes quidem auribus, et a veritate auditum avertentes. « Ibi etiam non de- « ficiet cadens gladio, et indigens pane, » qui, cum pane illo qui de cœlo descendit semper egent, et non refici ab eo merentur, futuræ ultionis gladium non evadent (*II Tim.* IX).

CAPUT IV.

« Venientes filii Remmon Berothitæ Rechab et « Baana, ingressi sunt fervente die domum Is- « boseth, qui dormiebat super stratum suum me- « ridie. Ingressi sunt autem domum, et ostiaria « domus purgans triticum obdormivit. Assumen- « tes spicas tritici latenter ingressi sunt, et percus- « serent eum in inguine, » et reliqua. Duo viri isti principes erant super expeditiones Isboseth. Mortuo vero Abner ut Hebræi tradunt consiliati sunt cum Miphiboseth ut una interficerent Isboseth, et eumdem Miphiboseth constituerent regem, et ejusdem consilii delatorem, eumdem Miphiboseth exstitisse, et idcirco hic idem Miphiboseth subintroducitur modo.

D « Erat autem Jonathæ, filii Saul, filius debilis pe- « dibus ; quinquennis enim fuit, quando venit nun- « tius de Saul et Jonathan ex Jezrael, » etc. Videntes vero Banaa et Rechab a Miphiboseth suum proditum esse consilium, timore perterriti, fuga lapsi sunt in Gethaim, fueruntque ibi advenæ usque ad tempus illud. Tempus illud, intelligendum est quando inde reversi domum Isboseth, fervente die ingressi sunt, assumentes spicam tritici et percutientes eum in inguine. Spicas tritici quasi causam primitiarum tulerunt, ut honorem regi deferre viderentur et eorum dolus nequaquam deprehenderetur. Mystice autem ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo virtutes a vitiis separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprii domini sui insidiatores admittet, quia cum discretionis sollicitudo ces-

saverit, ad interficiendum animum, malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum germina auferunt. Atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectationes carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitam mentis carnis delectatione perforare. Nequaquam vero Isboseth iste inopinata morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est ad mentis aditum mollem custodiam deputasset. Fortis namque vigilque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Unde bene et Isboseth appellatus est, qui custode femina hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe *vir confusionis* dicitur : vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est, quia dum virtutes se agere æstimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute muniendus est aditus mentis : nequando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis. Hinc Salomon ait : « Omni custodia serva cor tuum quia ex ipso vita procedit (*Prov.* IV).» Virtutes ergo quas agimus, dignum est, ut summopere ab intentionis origine pensemus : ne ex malo ortu prodeant, etiam recta quæ ostentant.

CAPUT V.

« Et venerunt universæ tribus Israel ad David « in Hebron, dicentes : Ecce nos os tuum et caro « tua sumus, » et reliqua. Quid conventus iste tribuum Israel ad David significat, nisi conventum omnium gentium ad Christum? Quæ illi quasi blandiendo dicunt : Ecce nos os tuum et caro tua sumus, cum in illo incarnationem, quam ex nostra natura in virginis utero suscipit, diligunt atque venerantur, ejusque ditioni subdere se appetunt, eique servire omni tempore desiderant. Unde Psalmista dicit : « Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium (*Psal.* XXI).» Venerunt quoque et senes de Israel ad regem in Hebron, cum prophetæ et apostoli, una fide, et pari devotione, ad Mediatorem nostrum concurrunt. De quibus scriptum est: «Principes populi concurrunt in unum cum Deo Abraham (*Psal.* XLVI). » Et alibi : « In conspectu senum suorum gloriabitur (*Isa.* XXIV).»

« Filius triginta annorum erat David, cum regnare « cœpisset, et quadraginta annis regnavit. » In Hebron regnavit super Judam septem annis et sex mensibus : in Hierusalem autem regnavit triginta tribus annis, super omnem Israel et Judam. Quæritur cur non in summa quadraginta anni et sex menses annumerentur ? quod ab Hebræis duobus solvitur modis. Dicunt enim quod David sex mensibus Absalom filium suum fugerit ; merito igitur eosdem sex menses a summa regni illius esse exclusos. Dicunt etiam aliter quod sex a mensibus in Hebron David quadam infirmitate corporis laboraverit, et idcirco eosdem sex menses non supputari in regno ejus. Ex

A eo namque tempore illum regnasse dicunt in Hebron, ex quo devictis Amalecitis, de spoliis eorum misit dona senioribus Juda, his qui erant in Hebron, et his qui erant in Bethel, et reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David ipse et viri ejus. Mystice autem quod David triginta annorum regnare cœpit, præfigurabat quod Dominus noster triginta annorum venit ad baptismum, et incipiebat Evangelium regni prædicare, cujus regnum sempiternum, et potestas ejus alteri non dabitur. Quadragenarius enim numerus, qui ex quaterdenis constat, plenitudinem temporum et rerum perfectionem significat. « Unxeruntque David super « omnem Israel regem, » et reliqua. David bis esse unctus dicitur, similiter et Dominus Jesus Christus

B prius in populo Judæorum, post hæc in populo gentium principatum sumpsit. David cum triginta esset annorum, regno potitus est, et Dominus Jesus Christus eadem ætate, in Jordane fluvio a Joanne baptizatus, discipulos habere cœpit.

« Et abiit rex et omnes viri qui erant cum eo in « Hierusalem ad Jebusæum habitatorem terræ. Di« ctumque est David ab eis : Non ingredieris huc, « nisi abstuleris cæcos et claudos, dicentes : non « egredietur David huc. Cepit autem arcem Sion, « hæc est civitas David. Proposuerat enim David in « die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, « et tetigisset domatum fistulas, et claudos et cæ« cos odientes animam David. Idcirco dicitur in « proverbio. Cæcus et claudus non intrabunt in

C « templum. Habitavit autem David in arce, et vo« cavit eam civitatem David. Et ædificavit per gy« rum a Mello et intrinsecus, » et reliqua. Ait enim : « Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos, » etc. Ac si dicatur ab eis : Non ingredietur huc David, donec nos hinc auferat, quos inermes et imbecilles sicut cæcos et claudos esse arbitratur, et quos bello aggressurus, sicut claudos et cæcos se triumphaturum putat.

« Idcirco dicitur in proverbio : Cæcus et clau« dus non intrabunt templum, » id est, non intrabit quilibet domum claudorum et cæcorum, quandiu cæcus et claudus intro fuerit. « Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, tetigisset domatum fistulas ; et cæcos

D et claudos odientes animam David. » In Hebræo ita habetur : « Et dixit David in die illa. Qui percusserit Jebusæum, et tetigerit fistulas domus, erit primus. » Et in Paralipomenon : « Omnis qui percusserit Jebusæum in primis erit princeps et dux, » id est, qui tantæ fuerit audaciæ, et fortitudinis, ut ad murum civitatis usque veniat, et hasta sua fistulam quæ in muro est tangat, ipse princeps. Ascendit igitur primus Joab filius Sarviæ, et factus est princeps. Hinc Josephus aperte describit : Exurgens, inquit, David cum omnibus, venit in Hierosolymam, Jebusæis habitantibus civitatem (qui erant ex genere Chananæorum), et claudentibus eis portas et cæcos aspectu et claudos, omnesque leprosos, ad derisionem regis constituentibus super murum dicentibus, quia prohibe-

eum cæci ingredi in civitatem, quæ tamen agebant A despicientes eum pro maxima munitione murorum. Iratus rex Hierosolymam obsidere cœpit, et multo studio et labore conari ut eam caperet, quatenus in ipso principatus initio suam fortitudinem demonstraret. Interminatus itaque et ipsis et alii (si qui forte haberent adversus eum resistendi conamen) inferiorem civitatem, magna virtute cœpit. Cumque adhuc arcem obtinere non posset, cœpit, honores et munera promittendo, rex pronus ad opus belli commilitones provocare, ut quicunque per subtus colles in arcem conscenderet, eamque caperet, principatum militiæ totius populi possideret. Cunctis itaque conscendere festinantibus, et nullo labore pro muneris retributione tardantibus, Sarviæ filius Joab prævenit universos. Et ascendens B in cacumine, clamavit ad regem, exigens militiæ principatum. Expulsis itaque rex de summa arce Jebusæis, et reædificans civitatem Hierosolymam nuncupavit, et omni tempore in ea sui habitavit imperii. Sed quia in hoc volumine, hic primum Hierusalem civitas Jebusæorum legitur, quæ in Genesi Salem (ut tradunt Hebræi) et in volumine Judicum Jebus legitur, et in multis scripturis, maxime in Novo Testamento, Hierosolyman appellatur, requirendum est quare Hierusalem legatur. Sed dicamus quid in dictis doctorum invenimus. Judæi, inquiunt, asserunt Sem filium Noe (quem dicunt Melchisedech) primum ipsam civitatem inhabitasse, dictamque in temporis Salem, quam postea tenuerunt Jebusæi, e quibus et sortita est vocabulum Jebus. Sicque duobus nominibus copulatis Jebus et Salem, vocata est Hierusalem, quæ postea a Salomone Hierosolyma quasi Hierosalomonis, hoc est ædes Salomonis dicta est. Hæc et corrupte a poetis Solyma nuncupatur. Unde per tropum qui a grammaticis tmesis appellatur, disjunctim a poeta in poemate ponitur. Hiero, quem genuit Solymis Davidica proles, hoc est Hierosolymis. Qui postea ab Ælio Hadriano vocata est Ælia. Sed nobis videtur quod binis nominibus vocata sit sicut nonnullæ civitates quod in libro Judicum ostenditur, ubi legitur: Qui pergebat in montem Ephraim, venitque, inquit Scriptura, contra Jebus quæ alio nomine dicebatur Hierusalem. De cujus nomine, plenius in libello quem nuper in Genesim edidimus, disputavimus. His enim prælibatis, ad allegoricam significationem stylum vertamus. David arcem Sion cepit, ablatis prius cæcis et claudis odientibus animam David. Sic nimirum Dominus Jesus Christus post reprobationem Scribarum atque Pharisæorum, qui vere cæci et claudi sunt appellati, odientes animam ejusdem Domini Jesu Christi, id est vitam ejus auferre conantes, principatum in Ecclesia, quam ex gentibus acquisivit, obtinuit. Domatum vero fistulæ falsam scientiam hujus mundi, seu hæreticorum dogmata figurasse non dubium est. Quæ omnia Dominus Jesus Christus, per prædicatores suos, velut per Joab percussit atque destruxit, et destruere in Ecclesia sua non desinit. Jebusæus vero, qui interpretatur *conculcans*, populum significat gentium, qui priusquam crederet, divina præcepta parvipendens conculcabat. Dicamus et aliter: In hoc quod David Jebusæum habitatorem terræ de Hierusalem ejecit, et suam civitatem fecit, significabatur Dominum venturum verum David, qui contrarias potestates de cordibus fidelium expelleret, et sic in eis suam mansionem constitueret. Unde per prophetam dicit: « Et inhabitabo et inambulabo in illis, et ero eorum Deus, et ipsi erunt mihi populus (*Lev.* XXVI; *II Cor.* VI). » Jebusæus enim, juxta hanc intelligentiam, non immerito potest interpretari calcatus. Etenim David etiam Joab qui arcem cepit, principem et ducem constituit, quia Dominus redemptor noster, non solum per mysterium crucis omnem principatum diaboli destruxit, et sibimet victoriam gloriæ acquisivit; verum etiam fidelibus suis, super omnem diaboli potestatem virtutem tribuit, sicut ipse in Evangelio discipulis suis ait: « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super scorpiones, et omnem virtutem inimici (*Luc.* X) » Bene ergo dictum est quod David, ejectis cæcis et claudis, qui odiebant animam David, ceperit arcem Sion, suamque civitatem eam vocaverit, quia Salvator noster malignos spiritus cum turba vitiorum de anima qualibet expulerit, sibique eam per illuminationem sapientiæ usurpaverit, merito arx Sion, id est speculatio et visio pacis, ipsa vocabitur. Atque de ea recte per Psalmistam dicitur: « Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Et factus est in pace locus ejus, et habitatio C ejus in Sion. Ibi confregit cornua, arcum, scutum, gladium, et bellum (*Psal.* LXXV). »

« Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes, et ædificaverunt domum David. » Hiram, qui interpretatur *vivens excelso*, prædicatores præfiguravit ex populo gentium, qui David ex lignis cedrinis (Domino videlicet ac redemptori nostro), id est, ex mentibus incorruptis ac fortibus, et lapidibus, id est, sanctis perfectis, quatuor videlicet virtutibus, quadratis, id est prudentia, justitia, fortitudine, temperantia perfectis, non solum per se, verum etiam per solertiam discipulorum, tanquam artificibus suis, quibus dicitur: « Et vos tanquam lapides vivi superædificamini, domus D spiritales (*I Petr.* II), » domum, id est sanctam Ecclesiam, ædificaverunt. Unde etiam cognovit tunc David, id est Dominus, quoniam confirmasset eum Deus Pater regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israel, id est, super cunctos credentes, ac mente videntes Deum, non solum Judæorum, maxime etiam et gentium de quibus repromiserat ei Pater dicens: « Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » Unde et jure sequitur:

« Accepit ergo adhuc David concubinas et uxores de Hierusalem. » Sed forte quærit aliquis, Si ipse David imaginem Christi gerebat, quomodo multas uxores et concubinas habuisse dicatur, cum has rex

Christus et horrescat et damnet ? Sed figurat gestum est. Quod vero David uxores plurimas habuisse dicitur, hoc sine dubio præfigurabatur, quo Christus Jesus ex multarum gentium nationibus per fidem Ecclesiæ, sub septenario numero sacramenti copulaturus erat. Concubinæ vero ejus Judæorum seu hæreticorum significant conventiones : quæ in servitutem et non in libertatem generant, et sub titulo nominis Christi se manere gloriantur, sed quia propter carnalia lucra Christum sectantur, non immerito non conjuges, sed concubinæ vocantur. Denique nunc reges si plures habeant uxores vel concubinas, in crimine reputantur, quia jam transierunt figuræ, pro quibus uxorum vel concubinarum venia concedebatur. At nunc quia figura transierunt, venia nulla datur. B

« Natique sunt David et alii filii et filiæ, et hæc « nomina eorum qui nati sunt ei in Hierusalem : « Samua et Sobab, et Nathan et Salomon et Ibaar « et Elisua et Nepheg et Japhia et Elisama et Eli- « da et Eliphelet. » Verum quia hæc nomina subjunximus, ratum diximus interpretationes Judæorum ponere, ut superiori intellectui spiritales intelligentiæ (juxta prudentiam prudentis lectoris) conveniant. Si enim aliquid spiritaliter sermo historicus innuere noluisset, nequaquam addere curasset qui essent filii, qui nati essent David in Hierusalem. Nam si idem David significat *salvatorem* ergo non immerito filii ejus *credentes* significant, ex utraque Ecclesia, Judæorum scilicet et nationum. Unde et in Paralipomenon libro quatuor fuisse ex Bethsabee uxoris Uriæ Hethæi : Samua C videlicet et Sobab, Nathan et Salomon, quæ typum gessit Ecclesiæ gentium, sicut in sequentibus, Christo duce, latius dicturi sumus. Porro Samua interpretatur *audacia* : Sobab, *convertens* : Ibaar, *elegit* : Elisua, *Dei mei salus* : Nepheg, *applicans ori* : Japhia, *illuminat* vel *ostendit* : Elisama, *Deus meus audiens* : Elida, *Deus meus scit* : Eliphelet, *Deus meus salvans* : quæ interpretationes aptæ, ut diximus, fidelibus congruunt, qui divina præcepta libenter audiunt, et ad operationem fidei convertuntur. His igitur tactis, ad ea quæ sequuntur sermonem convertamus.

« Et addiderunt iterum Philisthiim ut ascende- « rent et pugnarent contra David. Consuluit au- « tem David Dominum. Qui respondit: Non ascen- D « das, sed gyra post tergum eorum, et venies ad « eos ex adverso pyrorum, » et reliqua. Quanquam nonnulli, ut in cujusdam volumine legi, contendant non habere in Hebraica veritate, « ex adverso pyrorum, » sed « flentium, » hoc est, ut tradunt, ex adverso idolorum suorum, ubi scilicet idola erant in quibus confidebant: quæ (ut inquiunt, prout ex traditione Hebræorum didicerunt) idcirco flentium vocantur, quia fletu digna eunt : et eos, quia ea colunt, ad fletum miseriarum perducunt. Unde et subjungunt :

« Et cum audieris sonitum gradientis in cacumi- « ne flentium. » Hoc est, ut ferunt : Cum audieris a potestatibus angelicis, eorum idola, in quibus omnis A eorum fortitudo est, conteri et conculcari. « Tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, » et reliqua. Ergo quia nostram interpretationem veram credo, sicut in præfatione noster interpres in tribus linguis peritus galeatum ponit exemplum, de arboribus simpliciter intelligit Allophylorum. Sed quia historiam didascalo consentiente propalavimus, deinceps compendioso sermone strictim tangere aggredimur, quid allegorice significet. In hoc enim quod ait : « Cum audieritis sonitum gradientis in cacumine pyrorum, » etc. Adventum Domini significat super celsitudinem prophetarum et apostolorum, virtute divinitatis suæ supergradientem, sicut in Canticis canticorum scriptum est : « Ecce iste veniet saliens in montibus, transiliens colles (*Cant.* II.) » Pyrorum autem cacumina arborum significant summitates. Quid per arbores, nisi sublimes patres intelliguntur ? In quorum cacuminibus dum sonitus auditur, id est, dum in sublimitate vitæ sonus (flante Spiritu sancto) prædicationis intonuit, David noster virtute suæ divinitatis, qua celsitudinem sanctorum transcendit, Philisthæos, id est immundos spiritus, superavit.

CAPUT VI.

« Congregavit autem rursum David omnes « electos Israel triginta millia, ut adducerent ar- « cam Dei, » etc., usque ait, « iratusque est indi- « gnatione Dominus, « quod extendit Oza manum ad « arcam et tenuit eam, quoniam calcitrabant bo- « ves contra Ozam, et percussit eum et mortuus « est. » In hac historia beati reges et prophetæ David, qui arcam Domini adduxisse narrantur, humilitas approbata, superbia damnata, et temeritas vindicata monstratur: quia et ipse David, qui coram arca Domini humiliter saltare non erubuit, mox promissionem Filii Dei ex sua stirpe nascituri suscipere promeruit : et conjux, quæ eamdem illius humilitatem despexit, ejus semine fecundari non meruit, sed perpetuæ sterilitatis pœnas luit. Sacerdos quoque, qui arcam inconsiderata temeritate tetigit, ausus sui reatum immatura morte purgavit. Ubi intueri necesse est quantum delinquat, qui ad corpus Domini reus accesserit, si devotus ille sacerdos morte mulctatur, qui arcam illam, Domini videlicet corporis figuram, minori quam debuit veneratione corripuit. Verum juxta allegoriam David Christum, arca Ecclesiam significat, vel sacram Scripturam. Quæsivit autem David arcam in civitatem suam adducere, sed causa interveniente contraria, ad tempus eam alibi divertit. Ac sic deinceps quod multum delectaverat explicuit. Quia Dominus in carne apparens, Evangelium filiis Israel, suæ videlicet genti, prædicavit ; sed cæcitas ex parte contigit in Israel donec plenitudo gentium subintraret (*Rom.* XI). Sed ut hæc pateant manifestius, per singula videamus. Congregavit David omnes electos in Israel triginta millia, quia Dominus Ecclesiam primitivam ex Israel instituit, non quidem omnem Israel, sed electos quosque sibi

consocians. Non enim omnes qui ex Israel hi sunt A israelitæ, sed filii promissionis deputantur in semine, qui triginta millia referuntur, id est, fidei operibus, et spei firmitate perfecti. Tria enim, propter confessionem sanctæ Trinitatis, ad fidem pertinent : decem propter Decalogum legis, ad opera : mille, propter qui perfectionem, ad spem vitæ æternæ, quia superius aliquid non est, sicut numerus millenario major nullus est. Etsi enim millia, sive triginta millia, sive etiam mille millia dixeris, non ipsum mille numerando transcendis, sed vel per se, vel per minores numeros sæpius dicendo multiplicas. Tria ergo per decem multiplica, ne fides sine operibus mortua sit. Item triginta millia per mille multiplica : ut fides quæ per dilectionem operatur, non alibi quam in cœlis B retributionem speret. Electi igitur ex Israel, populus recte credentes, operantes, sperantes insinuat. Viri autem Juda qui erant cum David, ipsos apostolos et doctores, qui lateri Christi quasi familiaribus adhærebant, indicant : qui utroque stipatus exercitu Dominus, arcam adducere, id est Ecclesiam dilatare, et in eorum qui non crediderunt cordibus fidem inserere gaudet. Imponitur autem arca plaustro novo, ut Novi Testamenti gratia renovatis in baptismo mentibus infundatur : unumque novum, novis viribus conservandum mandatur. Erat quidem prius arca in domo Abinadab, qui erat in Gabaa, quia eadem quæ nunc prædicatur Ecclesiæ fides, et ante incarnationis dominicæ tempus florebat, in his qui patriarcharum pro- C phetarumque sunt devotionem secuti. Abinadab enim, qui interpretatur *pater meus spontaneus*, vel Abraham patrem fidei, vel Moysen legislatorem significat : qui uterque in Gabaa custodit arcam : quia sublimi virtutis exemplo, credentium pectore munit. Unde et Gabaa *collis* interpretatur, qui est locus in civitate Cariathiarim.

« Elata ergo foris arca, ludebat David et omnis « Israel coram Domino diversis musicorum gene- « ribus. » Quia mox inchoante novæ gratiæ præconio, Dominus ad exhibendas Deo Patri laudes humilitatis, omnes invitat, dicens : « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). » « Alii sermonem scientiæ : alii dando per spiritum sermonem sapientiæ : alii genera linguarum : alii gratiam cu- D rationum (*I Cor.* XII), » etc. Sed his atque hujusmodi charismatum generibus, progrediente arca, id est, crescente Ecclesia primitiva, ventum est ad aream Nachon, id est, aream præparatam, gentium videlicet Ecclesiam fidei veritate consecrandam. De qua Joannes ait : « *Et permundabit aream suam* (*Matth.* III). » Ubi sacerdos qui arcam incautius quasi corrigendo tetigit, mox a Domino percussus occubuit : quia Judæorum populus dum gentibus invidet, salutis se munere privat : dum legem vult Evangelio misceri, utriusque sibi gratiam tollit.

« Et tenuit, inquit, arcam, quoniam calcitrabant « boves. » Boves quippe calcitrare est prædicatores Evangelii liberius circa fidem agere, neque secundum consuetudinem legis ingredi : sed sabbata, neomenias, circumcisionem, victimasque, spiritaliter interpretati : quos velut errantes corrigere tentabant, qui descendentes de Judæa docebant fratres : « Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvi fieri (*Act.* XV) : » et quibus Jacobus ad Paulum : « Vides, inquit, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis (*Act.* XXI). »

« Ob causam ergo sacerdotis occisi, David no- « luit divertere ad se arcam Domini, in civitatem « David : sed tulerunt eam in Domum Obededon « Gethæi. » Quia respuentibus verbum Judæis, ne amplius audita, et non suscepta prædicatio noceret, apostoli ab eis ablati, et ad gentes Evangelio imbuendos sunt missi. Videlicet locus areæ *Nachon*, quæ gentium fidei Domini gratiæ præparatam demonstrat *percussio* Oza nuncupatur : videlicet quia illorum delictum salus est gentibus. Obededon namque interpretatur *serviens homo :* ille est utique de quo Dominus ad Patrem : « Constitues, inquit, me in caput gentium, populus quem non cognovit servivit mihi (*Psal.* XVII). » Ubi et Judæorum actionem quasi Ozæ mortem præmittens, ait : « Eripies me de contradictionibus populi (*Ibid.*). » Nomen quoque urbis congruit, Geth enim interpretatur *torcular* : significans crucem, in qua Christus vitis veri calcari et exprimi dignatus est. A qua cunctus gentium populus merito Gethæus appellari potest, cum dicitur : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (*Galat.* VI). » Tres autem menses quibus ibidem arca demoratur, fides, spes, et charitas est. Sicut enim diebus adimpletur mensis, ita singulæ virtutes suis quæque passibus ad perfectionem perveniunt : menses quousque plenitudo gentium intret, currere non cessant. Tandem rediens David arcam in civitatem inducit, quia Dominus, Enoch et Elia prædicantibus, convertet corda patrum in filios, boves et arietes immolans, hoc est, eos qui aream Domini triturant, et ovium ejus ducatum gerunt, martyrii sanguine coronans, et ipse quoque suæ incarnationis et passionis exemplum eo usque Judæis non creditum, palam manifestans : hoc enim significat quod et ipse David accinctus erat ephod lineo. Nam linum, quod de terra procreatum, multiplici labore ad candorem vestis pervenit, veritatem humanæ carnis inter flagella triumphantis ostendit. Verum cunctis exsultantibus et ad arcem cœlestis introitus hymnos resonantibus sola Michol filia Saul ad arcam ducentibus abest, quinetiam spectaculis David humiliatum despicit : quia credentibus in mundi fine Judæis, erunt nonnulli qui Christum tantum professione, sed opere sequentur Antichristum, quibus merito congruit, quod eadem Michol quæ ob figurandam instabilitatem carnalium a qua omnis viri iniquitas procedit, præter morem non uxor David, sed filia Saul appellatur : quia qui Christo fidetenus tantum serviunt, non illius regno coronandi, sed

persecutorum ejus, quos imitati sunt, anathemate damnandi. Verum licet pravi succenseant, humilitatem Ecclesiæ contemnant, nihilominus arca Domini suum locum ingreditur : ponitur in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David, id est, fides Ecclesiæ prædicatur, proficit, inseritur cordibus omnium quos Dominus ad vitam præordinaverat æternam. Offert David holocausta et pacifica coram Domino, et fidem devotionemque Ecclesiæ commendat Patri Christus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Qui in exemplum David, fideles humilesque benedicens, salutaris mysterii pascit alimentis.

« Partitus singulis collyridam panis unam, » illius utique qui de cœlo descendit et dat vitam huic mundo : Et assaturam bubulæ carnis unam, B illius scilicet vituli saginati, qui pro revertente ad patrem filio juniore mactatus et igne passionis assatus est, dicens : « Exaruit velut testa virtus mea (*Psal.* xxi). » « Et similam frixam oleo, » carnem videlicet a peccati labe mundissimam, sed ob humanæ salutis causam uberrimam delectationibus crucis sartagine coctam. Et merito una panis collyrida, una carnis assatura datur, quia « unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Dominus et pater omnium (*Ephes.* iv). » Aliter hæc munera fideles accipiunt : quoniam unus panis et unum corpus multi sumus in Christo, suæ carnis singuli lasciviam castigantes, ac servituti subjicientes, sancti Spiritus igne decoquunt, nec non et fructus operum bonorum, oleo misericor- C diæ pinguissimos, compassione proximi fervere faciunt. At contra filia Saul, frustra cubiculum regis ingressa, nullos concepti seminis fructus dat : quia verbum Dei auretenus tantum percipiunt, absque boni operis prole, diem perpetuæ mortis exspectant. Cæterum beatus papa Gregorius, dum de audacia subditorum contra rectores suos tractaret moraliter, ita loquitur : Sæpe, inquit, quia intelligi non volent, deterioribus displicent vel facta vel dicta meliorum, sed ab eis non temere reprehendenda sunt, quia apprehendere veraciter nequaquam possunt. Sæpe aliquid a majoribus dissimulatorie agitur, quod a minoribus error putatur; sæpe multa a fortibus dicuntur, quæ idcirco infirmi dijudicant, quia ignorant. Quod bene bo- D bus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca signavit, quanquam casuram credens, Levites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit. Quid est namque mens justi, nisi arca testamenti? Quæ gestata bobus calcitrantibus inclinatur, quia nonnunquam etiam qui bene præest, dum subjectorum populorum confusione concutitur ad dispensationis condescensionem, ex sola dilectione permovetur. Sed hoc quod dispensatorio agitur, inclinatio ipse fortitudinis, casus putatur imperitis. Unde et nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt, sed a vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Levites ergo quasi adjuvans manum extendit, sed deliquens vitam perdidit, quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt A ipsa viventium sorte reprobantur. Aliquando etiam sancti viri quædam in imis descendentes dicunt, quædam vero summa contemplantes proferunt : dumque vim vel condescensionis vel altitudinis nesciunt, audacter hæc stulti reprehendunt. Et quid est justum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatam arcam superba reprehensionis manu relevare? Quid est justum de incognita locutione reprehendere, nisi motum ejus fortitudinis erroris lapsum putare? Sed perdit vitam qui Dei tumide sublevat : quia nequaquam quis sanctorum corrigere arcam recte factam præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Unde et Levites idem recte Oza dicitur, quod videlicet *robustus Domini* interpretatur ; quia præsumptores quique audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta, velut infirma judicarent. « Habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus et benedixit Dominus Obededom et omnem domum ejus. » Obededom Gethæus ideo vocatur, eo quod in Jeth, pater ejus habitaverit. Quod vero subjungitur : « Benedixit eum Dominus et omnem domum ejus, » sic nonnulli intelligi volunt, eo quod omnes uxores ejus et concubinæ, et nurus, et ancillæ, masculos pepererint filios, necnon et pecora et quadrupedes geminos ei ediderint fetus. Deinde sequitur qualiter David et omnis domus Israel in Hierusalem reduxerunt arcam Domini. Cumque ille saltasset coram arca Domini, et Michol filia Saul despexisset eum, et reliqua. David cum arcam Domini in Hierusalem transferret, atque ante eam luderet, a Michol filia Saul, uxore sua, hostili irrisione subsannatus est; sic nimirum Dominus Jesus Christus, cum Testamentum Dei in Ecclesiam suam transferre voluit, hoc est, ex Veteri Testamento evangelica præcepta, velut qui nova conderet, a plebe Judaica comprehensus, atque in cruce suspensus, ludibrium eis fuerit. In qua cruce velut nudus eis apparuit, dum potentiam divinitatis suæ illis abscondens, infirmitatem tantum carnis ostendit. Ancillas vero servorum David de quibus ei Michol improperata est, personam gestasse sanctorum non dubium est. De quibus verus David, hoc est manu fortis Dominus, post ascensionem suam in cœlis, per evangelicam prædicationem, per virtutum miracula, et ad extremum per martyrii triumphum gloriosior effectus est in gentibus multo magis quam in passione sua Judæis visus fuerat.

« Michol non est natus filius. » Michol in type Synagogæ sterilis permansit : ecce allegorice. Deinceps moraliter intueri libet quantum virtutum munera David perceperat : atque in his omnibus qui forte se humilitate servabat. Quem enim non extolleret? ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege, ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliath sternere, a rege proposita exstinctis Allophylis, numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israeli-

ticum populum sine ulla contradictione possidere? A Ecce tamen cum arcam Dei in Hierusalem revocat, quasi oblitus prælatum se esse, omnibus admistus populis, ante arcam saltabat. Et quia coram arca saltare (ut creditur) vulgi mos fuerat, rex se in divino obsequio per saltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese subdidit Domino, et exæquando minimis, abjecta exhibendo contemnitur. Non potestas regni ad memoriam reducitur, nec subjectorum oculis saltando vilescere metuit, non se honore prælatum cæteris (ante ejus arcam qui honorem desiderat) recognoscit. Coram Deo egit debilia vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de ejus factis ab aliis sentiatur ignoro : ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem. B Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum ; quem Michol Saul filia, adhuc ex timore regii generis insana, eum humiliatum despiceret, dicens : « Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris. » Protinus audivit : « Ante Dominum qui elegit me potius quam patrem tuum. » Ac paulo post ait : « Et ludam et vilior fiam plus quam factus sum, eroque humilis in oculis meis. » Ac si aperte dicat : Vilescere coram hominibus appeto, quia servare mihi coram Deo ingenium per humilitatem quæro. Sunt vero nonnulli qui de semetipsis humilia sentiunt, quia, in honoribus positi, nihil se esse, nisi pulverem favillamque perpendunt; sed tamen coram hominibus viles C apparere refugiunt, et contra hoc, quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli, qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt, se dejectos exhibendo, contemnunt ; sed tamen apud se introrsus, quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in specie elationem premunt. Quæ utraque unius elationis bella, magna David circumscriptione deprehendit, mira virtute superavit, quia enim de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non quærens, insinuat, dicens : « Ludam et vilior fiam. » Et quia per hoc quod vilem se exterius prius præbuit, nequaquam interius intumescit, adjungit : Eroque humilis in oculis meis. Ac si dicat : Qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me interius attendo. Quid ergo acturi sunt quos doctrina elevat ? si David ex carne sua venturum Redemptorem noverat, ejusque gaudia prophetando nuntiabat, et tamen, in semetipso cervicem cordis, valida discretionis calce deprimebat, dicens : « Eroque humilis in oculis meis. »

CAPUT VII.

« Factum est autem cum sedisset rex in domo « sua, et Dominus dedisset ei requiem, dixit ad « Nathan prophetam : Videsne quod ego habitem in « domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium ? Dixitque Nathan ad regem : Omne quod « est in corde tuo, vade fac, quia Dominus tecum « est, » etc. Hoc enim Nathan ex se, non ex sermone Domini dixit ; et ideo erravit de sensu suo præsumens : prius enim Deum interrogare debuit. Hic itaque demonstratur, quod spiritus prophetiæ, prophetarum mentes non semper irradiat : quia sicut de Spiritu sancto scriptum est, « ubi vult spirat (*Joan.* III). » Hinc est etiam quod Elisæus, cum flentem mulierem cerneret, causamque nesciret, ad prohibentem hanc puerum dicit : « Dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine est : et Dominus celavit me, et non indicavit mihi (*IV Reg.* IV). » Quod omnipotens Deus ex magna pietatis dispensatione disponit, quia dum prophetiæ spiritum aliquando dat, et aliquando subtrahit, prophetantium mentes et elevat in celsitudine, et custodit in humilitate : ut accipientes spiritum, inveniant quid de Deo sint, et rursum prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant quid de semetipsis sint. Unde propheta quod ex se dixit, propter usum prophetiæ, et spiritu dixisse credebat. Ideoque illud quod sequitur ex sermone Domini dixit.

« Nunquid tu ædificabis mihi domum ? » et reliqua. Ac si diceret : Non poteris ædificare mihi domum, quia vir sanguinum es, et multum sanguinem effudisti. Inde est quod in tentorio et tabernaculo se dicit habitasse, quia nec Moyses nec Josue potuerunt ædificare domum, quia viri sanguinum fuerunt. Unde et in sequentibus ait :

« Nunquid loquens locutus sum alicui judi- « ci de tribubus Israel, cui præcepi ut pasce- « ret populum Israel, dicens : Quare non ædi- « ficasti mihi domum cedrinam ? » Idcirco a nullo judicum sibi ædificari domum cedrinam jussit, quia ab omnibus contra hostes pugnatum fuit, et omnes effusores sanguinum fuerunt. Filius tamen tuus cui non instabunt bella hostium, et quia non erit vir sanguinum, ipse ædificabit mihi domum : nam quod sequitur : « per cuncta loca quæ transivi cum omnibus filiis Israel, » intelliguntur Silo et Galgala et Nobee, et cætera loca ubi tabernaculum et arca collocata sit. Porro quod superius ait : « Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum, » etc., potest etiam altius intelligi. D Omnipotens enim Deus qui incircumscriptus spiritus est, in domibus manufactis itaque non habitat. Unde et dicit : « Neque enim habitavi in domo, ex qua die eduxi filios Israel de terra Ægypti, sed ambulabam in tabernaculo et in tentorio. » Tabernacula enim sive tentoria, corda sanctorum figuraliter exprimunt, in quibus Dominus habitare dignatur. Sed quid est quod volente David ædificare templum, a Domino prohibitus est ? nisi quia hoc, Scriptura præfigurante, demonstratur, ut qui vir sanguinum est, hoc est qui adhuc carnalibus actibus incubat, templum Deo, sanctam scilicet Ecclesiam, per prædicationis officium construere non debet, seu etiam moraliter innuitur, quod mundus in se esse a vitiis debet, qui curat aliena corrigere : in

terrena non cogitet, ut desideriis infimis non succumbat, quatenus tanto perspicacius aliis fugienda prævideat, quanto hæc ipse per scientiam et vitam verius declinat. Nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat, et superjectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. Unde et David, qui juxta exteriora bella laboravit, dicitur :

« Non tu ædificabis mihi domum, quia vir sanguinum es. » Dei templum ædificat, qui corrigendis institutis proximorum mentibus vacat. Sed vir sanguinum templum Dei ædificare prohibetur, quia qui adhuc actibus carnalibus incubat, necesse est ut instituere spiritaliter proximorum mentes erubescat. « Fecique tibi nomen grande. » Videlicet ut dicatur Deus David, sicut Abraham, Isaac et Jacob : sicut feci Moysi et Josue, quorum nomina famosissima sunt in terra, sic feci tibi. « Et ponam locum populo meo Israel. » Locum quem Dominus populo suo præparaturum se pollicitus est, non de situ terrarum, neque de quolibet loco, sed de cœlesti Hierusalem intelligitur, quanquam de templo videatur intelligi, et de temporibus Salomonis, quoniam filii Israel quodammodo sub pace essent quieturi, et ipse Salomon si quid deliquisset in virga virorum, et in plagis filiorum hominum, hoc est, non in gladio inimicorum et incommoditatibus corporum humanorum esset arguendus. Quod postea expletum legimus in cœlesti Hierusalem, ubi omnes electi post diem judicii translati, absque ulla perturbatione sub ipso Domino usque in æternum manebunt. « Prædicitque tibi « Dominus quod domum faciet tibi Dominus, » etc. Domus David Ecclesia est Christi. Hoc de Salomone credere absurdum est : ille enim vivente patre suo regnare cœpit. Hic autem dicit :

« Cum completi fuerint dies tui, et dormieris « cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post « te. » Quod de Christo Domino (qui ex semine ejusdem David secundum carnem nasci dignatus est) intelligere et credere pium est : cujus regnum in sempiternum jugiter perseverat ; cujus domus, hoc est Ecclesia catholica, fidelis coram eo usque in æternum permanet.

« Qui si inique aliquid gesserit, » etc. Non hoc de Domino Jesu Christo accipiendum est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*Isa.* LIII), sed de electis ejus, qui membra sunt ipsius, ex quibus sine peccato nullus esse potuit. « Et fidelis erit domus tua. » Domum Salomonis plenam fuisse mulieribus alienis, nullus qui sacras litteras novit, ignorat. Domus igitur fidelis, sancta Ecclesia accipitur, quæ coram Domino usque in æternum permanet. Hanc enim domum et nos ædificabimus bene vivendo, et Deus, ut bene vivamus, opitulando : quia « nisi dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam (*Psal.* CXXVI). » Cujus domus cum venerit ultima dedicatio, tunc fiet illud quod Deus hic per Nathan locutus est dicens : « Et « ponam locum populo meo Israel, et plantabo illum

A « et inhabitabit seorsum, et non erit sollicitus ultra, et non apponet filius iniquitatis humiliare « eum sicut ab initio, a diebus quibus constitui « judices super populum suum Israel. » Hoc tam magnum bonum, quisquis in hoc sæculo et in hac terra sperat insipienter sapit, aut quispiam putavit in pace Salomonis id esse completum, aut alicujus alterius regno. Nam temporibus judicum humiliavit eum filius iniquitatis, hoc est hostis alienigena, per intervalla temporum, et inveniuntur illic pacis tempora prolixiora, quam Salomon habuit, qui quadraginta annos regnavit. Nam sub eo judice, qui est appellatus Aod, octoginta anni pacis fuerunt. Absit ergo ut Salomoni hæc tempora, in hac promissione, promissa esse credentur. Locus B ergo qui promittitur, tam pacatæ ac securæ habitationis, æternus est, æternisque debetur, in matre Hierusalem libera : ubi erit veraciter populus Israel, et ubi habitabit in æternum cum Deo et in Deo suo, et Deus cum populo atque in populo suo, ita ut Deus sit implens populum suum, et populus plenus Deo suo, et Deus erit omnia in omnibus. Ipse in pace tribuit præmium, qui est virtus in bello.

« Ingressus est autem rex David, et sedit coram « Domino, » etc. Sedere coram Domino, est beneficia ejus in humilitate cordis confiteri.

« Ita est enim lex Adam, Domine Deus. » Hoc est : Ita enim lex hominis, Domine Deus ut tibi in simplicitate cordis et puritate serviat : et tu facias C ei misericordiam tuam, sicut mihi dignatus es facere servo tuo.

« Tu enim scis servum tuum, Domine Deus. « Propter verbum tuum et secundum cor tuum fe- « cisti omnia magnalia hæc, ita ut notum faceres « servo tuo. » Ac si diceret : Propter verbum tuum quod promisisti Abraham, Isaac et Jacob, fecisti omnia mihi servo tuo. Sed etiam Verbum Patris unigenitus Filius est, qui est benedictus in sæcula. Propter mysterium enim incarnationis ipsius ex semine David, gesta sunt multa in David. Quod dicit secundum cor tuum, intelligitur secundum misericordiam tuam.

« Quod non est similis tui, neque enim est Deus « extra te in omnibus quæ audivimus auribus no- D « stris. » Non est, inquit, Deus similis tui, qui fecerit magnalia hæc, quæ audivimus auribus nostris, etc., usquequo ait :

« Quia tu, Domine exercituum Deus Israel, reve- « lasti aurem servi tui, dicens : Dominum ædificabo « tibi. » Aurem sibi revelare, quia per prophetam prædicatum est, domum sibi ædificandam a Domino « Quæ est autem ut populus tuus Israel gens in « terra? » Quæ est gens in terra alia præter populum electum, propter quem venire dignatus est Deus Dei Filius in hunc mundum, velut in Ægyptum, ut assumpta forma servi, commercio sanguinis sui, redimeret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum? Deum autem ejusdem populi electi, dominicum hominem accipere oportet, quem

de Ægypto, hoc est ex hoc mundo per uterum virginis assumpsit. « Et domus servi tui David erit « stabilita coram Domino. » Domus David, ecclesia Christi sine dubio est, de quo satis jam dictum est superius. « Propterea invenit servus tuus cor suum, « ut oraret te. » Cum ergo cogitatio per discretionis custodiam restringitur, cor quod fugere consuevit, invenitur. Nihil quippe in nobis est corde fugacius, quod a nobis toties recedit, quoties per pravas cogitationes defluit. Sed David cor suum invenisse dicit, id est, audaciam in corde ut oraret Dominum oratione hac.

CAPUT VIII.

« Factum est autem post hæc, percussit David « Philisthiim, et humiliavit eos : et tulit David frenum tributi de manu Philisthiim, et percussit « Moab, mensus est eos funiculo coæquans terræ. « Mensus est autem duos funiculos, unum ad occi« dendum, et unum ad vivificandum, » etc. Frenum tributi, quinque erant civitates Philisthinorum, quæ frequenter Israel sibi tributarium faciebant: quas eis tulit David et humiliavit eas, fecitque sibi tributarias. Unde et in Paralipomenon legitur : « Humiliavit eos, et tulit Geth et filias ejus « de manu eorum, et percussit Moab, et mensus « est eos funiculo coæquans terræ (*I Par.* XVIII). » Quod vero scriptum est de David: et percussit Moab et mensus est eos funiculo, coæquans terræ, hyperbolice debet accipi : non enim fieri poterat ut homines in terra degentes, in tantum humiliarentur, donec ipsius terræ dorso, funiculo superextenso comprobante, apparerent æquales : sed immensam humiliationem captæ et oppressæ gentis voluit Scriptura hoc verbo accumulare, ut diceret ideo æquatos eos terræ, eo quod essent ejurati atque contempti, ita ut in nullo amplius homines in terra degentes, possent eis nequitia coæquari. Hujusmodi locutionis plura habes exempla in Scripturis : quale est illud Evangelii : « Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus, quæ « si scribantur per singula, nec ipsum arbitror « mundum capere eos qui scribendi sunt libros « (*Joan.* XXI). » Quomodo enim non caperet mundus libros, qui scribi potuissent in mundo? Sed ad insinuandam magnitudinem, ac multitudinem operum Domini, tali verbo voluit uti Scriptura. Et in planctu David super Saul et Jonathan, aquilis velociores, leonibus fortiores. Cui simillimum est illud etiam sæcularium litterarum. Qui candore nives anteirent cursibus auras. Quod autem mensus eos funiculo dixit, funiculum allegorice, pro sorte posuit, eo quod funiculo soleant agrorum spatia metiri. Unde scriptum est: « Et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis. » Significat autem, quia tam libera dispositione David regiones Moabitarum hæredibus quibus vellet, divisit quasi possessor quilibet agros proprios ad nutum suum, ducto huc atque inde funiculo, dirimit. « Mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum et unum ad vivificandum, » et hoc allegorice dictum est, significans quod in sua potestate habuerit, nullo utique contradicente, quos eorum neci daret contumaces, et quibus parceret subjectis. Nam quod ait: « Percussit David Philisthiim, et humiliavit eos, tulitque frenum tributi, » etc., potest allegorice intelligi : David Philisthiim percussit, quia Christus Dominus de aereis potestatibus triumphans, frenum erroris quod humano generi imposuerat, confregit. Quod autem ait : « Percussit Moab et mensus est duos funiculos, unum ad occidendum et unum ad vivificandum. » Occultam ipsius Domini nostri Jesu Christi dispensationem significat, qui quam ex populo infideli, alios gratuita miseratione vivificans, ad æternam libertatem prædestinavit, alios vero occulto judicio in sua impietate derelinquendo, in perpetua morte damnavit. Quod autem David Moab, qui interpretatur *de patre*, et Syriam Damasi, et cæteras regiones ditioni suæ subjugans, fecit esse tributarias : mystice significant quod Christus omnes gentes sub sua dominatione tenens, facit pensum servitutis sibi reddere, dum singulæ quæque nationes in nominis ejus confessione adunatæ, devote censum bonorum operum illi exsolvunt. Damascus enim nobilis est urbs Phœniciæ, eodem vocabulo quo et Meseth ancillæ Abraham filius appellatus est : et Damascus interpretatur *sublimis*, sive *humecta*. Et bene quæ prius humecta libidine, superba spiritu, sanguinem humanum inexplebiliter sitiebat : nunc mandata baptismate Christi, sublimis profectu virtutum, sanguinis ejus poculum desiderat percipere. Quid autem significat quod David vasa aurea et argentea atque ærea, quæ tulerat de universis gentibus, sanctificavit Domino, nisi quod Christus omnes quos de universis gentibus convocat ad fidem suam : alios aurei loco, hoc est sensu spiritali præclaros: alios argenti, hoc est eloquentiæ nitore splendentes : alios vero prædicatione divini honoris sanctificat Domino, ut in ejus tabernaculo fideliter deservientes, ipsius ministerio in æternum decentissime perfungantur ?

« Fecit quoque sibi David nomen cum reverte« tur, capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem « et octo millibus. » Fecisse sibi nomen dicitur, quia in valle Salinarum cæsis decem et octo millibus, erexit sibi fornicem triumphalem. Fecit etiam sibi nomen, quia victa Syria Damasci, et Syria Sobal, erexisse sibi dicitur alteram fornicem triumphalem. Et si quem movet, quod in plerisque Latinorum codicibus invenitur, David non decem et octo millia in valle Salinarum, sed duodecim cecidisse, noverit hoc vitium scriptorum in eisdem codicibus molitum esse. Veraciter tunc David in eadem valle Salinarum decem et octo millia cecidit, et Joab vero duodecim millia, sicut in titulo. Quinquagesimi Octavi psalmi scribitur. Cæterum allegorice quid in percussa multitudine a David in Salinarum valle signatur, nisi quia Redemptor noster suæ videlicet districtionis examine, in his qui de illo prave sentiunt, stultitiam immoderati saporis exstinguit ? Unde et per quem-

dam sapientem dicitur: « Cor durum male habebit in novissimo; et qui amat periculum in illo peribit. »

CAPUT IX.

« Et dixit David: Putasne est aliquis de domo « Saul, ut faciam cum eo misericordiam Domini? « Dixitque Siba regi: Superest filius Jonatham de« bilis pedibus. » David non immemor erat fœderis quod habuerat cum Jonatham et olim pepigerat, sed misericordiam quam ei promiserat implere curavit, filiumque ejus requirit, et misericordiam cum eo fecit. Non enim erat David ex eorum societate, de quibus alias scriptum est: Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. Quæ res et fidelitatem probavit secundum historiam in viro, et sacramentum juxta allegoriam ostendit in facto. Sæpe enim dictum est David personam Christi figurare, necnon et in superioribus commemoratum est: Jonathan qui interpretatur *columbæ donum*, typum tenere gratiæ Spiritus sancti. Habuit ergo Jonathas filium parvulum nomine Miphiboseth, utroque pede claudum, ut Scriptura testatur, quem David ad se accersiri jussit: cum prædestinatio et præscientia Dei, eum quem ad sæculi ministeria et mundana negotia exercenda, sermone et actione debilem conspicit, ad divinum ministerium eligit: quia quem mundus per fastum elationis spernit, hunc Deus propter devotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Miphiboseth *decor ignominiæ*: is ergo cujus loquelam et præscientiam superbia mundi despicit, Dei dono utilis ad spiritale mysterium in Ecclesia apparebit. Quid est ergo quod David Sibam servum Saul de stirpe Saul quærens, eo revelante, Miphiboseth invenit, nisi quia Redemptor noster electorum numerum discutiendo inter eos qui contempti mundum reliquerunt, ad se venire fecit? Siba enim egressus, venit in tempore. Interrogatus ergo Siba a rege, Miphiboseth filium Jonathæ, in domo Machir filii Amiel in Lodobar esse respondit. Quæ res præsenti expositioni bene convenit: Interpretatur enim Machir, *vendens* vel *de infirmitate*: Amiel, *populus ejus* dicitur: Lodobor ipse *verbum*. Denique David noster contemptibiles hujus mundi, et ea quæ non sunt eligens, ut ea quæ sunt destruat, eos vendibiles mundo, et in infirmitate constitutos reperiendo, populo suo dignos verbo prædicationis ascivit, eisque regium honorem inter filios habere concessit. Unde et David agros Saul servituti Miphiboseth donans, ipsum Miphiboseth convivam suum super mensam suam simul cum filiis esse præcepit: quia mediatoris nostri gratia, quæ secundum Mariæ vocem: « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (*Luc.* I). » Et juxta prophetiam Annæ: « Suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem: ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat (*I Reg.* II). » Contemptibiles personas de mundo auferens, possessores virtutum efficit, et scientia spiritali super mensam Scripturarum sanctarum quotidie secum reficit. Unde evenit ut tales sobolem gignant, qui vocetur Micha. Micha enim *quis est* Latine resonat, quia frequenter et in admirationem populi tales veniunt: qui nuper e despectu mundi ablati, gloriosi in Ecclesia Dei dono apparebunt.

CAPUT X.

« Factum est autem post hæc ut moreretur rex « filiorum Ammon, et regnaret Hanon filius pro « eo. Dixitque David: Faciam misericordiam cum « Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum « misericordiam, » et reliqua. Quando fugit David a facie Achis regis Geth, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit cum eo misericordiam, multa impertiendo bona. De domo Naas itaque venit in speluncam Odollam, ubi venerunt ad eum pater et mater et omnis domus ejus. Inde venit ab Moab, et dimisit apud eum patrem et matrem, et omnem domum suam, et rediit ad Achis regem. Quo viso, dixit Achis rex Geth: Hiccine ingredietur domum meam? Abiit inde et fugit in speluncam Odollam. Abiit inde, inquit, subauditur de domo Naas, et fugit ad eamdem speluncam. Si vero quæritur, prout longe superius legitur, cur ad Achis David requierit, ante cujus faciem fugerat, intelligendum est quod iste Achis filius fuerit illius. Unde et Achis cum quo David in prælium contra Saul descendebat, filius fuisse dicitur Maoch. Non enim a patre, hoc nomen patronymi cum, sed a matre sumpsit quæ Maacha vocabatur, et idcirco non a patre hoc sumpsit nomen, eo quod David a se abjecerit. His enim enucleatis, ad spiritalem intelligentiam apostrophen faciamus. Ait enim:

« Dixitque David: Faciam misericordiam cum « Hanon, » etc., usquequo ait: « Tulit itaque Ha« non servos David, rasitque dimidiam partem « barbæ eorum, » et reliqua. Hanon, qui interpretatur, *dolor eorum*, quis melius intelligi potest quam diabolus, qui Ammonitarum spiritualium, id est malignorum spirituum rector videtur esse? Idem est et princeps hujus mundi, populum videlicet mœroris et semper in angustia constituti, qui comprimere vel coangustare homines desiderat. Sicut enim Hanon rex Moab servos David, ad se missos, deturpavit, atque lubriciter fœdatos ad eumdem David remisit: ita et diabolus princeps hujus mundi, plerosque religiosos et prædicantes Verbi Dei conversationem, per subrepentia vitia deturpare consuevit. Qui dum eorum latentia mala, in aperta flagitiosa perpetrataque luxuria detegit, quasi eorum indumenta usque ad nates abscisa, nudosa dignitate castitatis derelinqui: et in oculis hominum turpia facta, quæ ipsi persuaserat, revelat. Et dum pristinam eorum fortitudinem eripit, velut barbam radit. Quos tamen verus David, Dominus scilicet et Salvator clementi respectu, per pœnitentiam, ab indulgentia non excludit: quos et in Jericho, hoc est sub anathemate pœnitentiæ et opprobrio meliorum residere jubet:

donec sacramenta spiritualia et fortitudinem mentis, quam peccando perdiderant, satisfaciendo recipiant, et sic demum in conspectu ejus stare valeant. Nec credendum est utique, quod David noster milites suos inultos esse patiatur, qui in hostes suos exercitu congregato procedit, ac vindicat suorum injuriam : cum non solum adversarios suos, nunc per sanctorum victoriam confundit, sed etiam in extremo judicio, per justam sententiam, perpetuis ignibus cruciandos tradet.

CAPUT XI.

« Factum est autem, vertente anno, eo tempore « quo solent reges ad bella procedere, misit David Joab et servos suos cum eo, » etc. In Hebræo ita legitur : « Eo tempore quo reges ad bella processerant, misit David Joab, » etc. Hos reges dici, qui processerunt contra David in pugnam, scilicet regem Rohob, et Istob, et Soba, et Maacha. Qui utique reges Syriæ fuerunt, et pugnare voluerunt (conducti mercede a rege Moab) contra David, a quo triumphati esse leguntur. « Et ait « Joab Abisai fratri suo : Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium : si autem » filii Ammon prævaluerint adversum te, auxi« liabor tibi. » Hoc est quod in Proverbiis Salomon ait : « Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas munita, et judicia quasi vectes urbium (*Prov.* XVIII). »

« Quadam die accidit ut surgeret David de stra« tu suo post meridiem, et deambularet in solario « domus regiæ. Viditque mulierem ex adverso se « lavantem super solarium suum. » Atque post pauca subjungitur :

« Misit itaque David nuntios, et tulit eam. Quæ « cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea,» et reliqua. In hac sententia non ex nostra aliquid ponimus, sed sanctorum doctorum dicta inserere nitimur. Plerumque res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa. Sicut aliquando res gesta in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis. Quod verum esse citius ostendimus, si istud sacræ Scripturæ testimonium ad utraque probanda proferamus. Quis namque audiens, non solum fidelium, sed ipsorum quoque infidelium, non statim damnabit, quod David in solario deambulans, Bethsabee Uriæ concupiscit uxorem? Quod tamen a prælio revertentem, ire ad domum admonet, ac pedes lavare. Qui protinus respondit dicens : Arca Domini sub pellibus est, et ego in domo mea requiescam? Quem David ad mensam propriam suscipit, eique epistolas, per quas mori debeat, tradit. Cujus autem David in solario deambulans typum tenet, nisi ejus de quo scriptum est : « In sole posuit tarbernaculum suum? » (*Psal.* XVIII.) Et quid est Bethsabee ad se perducere, nisi legem litteræ, carnali populo conjunctam, spiritali sibi intellectu sociare? Bethsabee enim puteus septimus dicitur, quia nimirum per cognitionem legis infusio spiritalis gratiæ, perfectaque nobis sapientia ministratur. Quem vero Urias nisi Judaicum populum significat? cujus nomen interpretatum dicitur *lux mea Dominus* : Judaicus autem populus, quia de accepta legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Uriæ David uxorem abstulit sibique conjunxit, quia videlicet manu fortis, quod David dicitur, in carne Redemptor apparens, dum de se spiritaliter loqui legem innotuit, per hoc quod juxta litteram tenebratur, hanc a Judicio populo extraneam demonstravit sibique conjugem, quia semper illam prædicari declaravit. Uriam tamen ad domum ire David admonet, pedesque lavare : quia incarnatus Dominus veniens, Judaico populo præcepit ut ad conscientiam redeat, et sordes operum tergat fletibus ut spiritaliter mandata legis intelligat : et post tantam duritiam præceptorum, fontem baptismatis inveniens, ad aquam post laborem recurrat. Sed Urias arcam Domini esse sub pellibus meminit, responditque quod domum suam intrare non posset; ac si Judaicus populus dicat : Ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus videbo, et redire ad conscientiam. per spiritalem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam esse sub pellibus dicit, qui præcepta Dei non nisi ad exhibendum ministerium sacrificii carnalis intelligit. Hunc tamen etiam redire ad domum nolentem, David ad mensam vocat : quia, quamvis Judaicus populus ad conscientiam redire contemnat, ei tamen Redemptor veniens mandata spiritalia prædicat dicens : « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi de me enim ille scripsit (*Joan.* V). » Legem itaque Judaicus populus tenet, quæ divinitatem loquitur, cui idem populus credere dedignatur. Unde et Urias et Joab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur : quia idem ipse Judaicus populus legem portat, qua convincente morietur. Dum enim mandata legis retinens implere renititur, ipse nimirum refert judicium unde damnabitur. Quid ergo per factum istud David scelestius? Quid Uria mundius dici potest? Sed rursus per mysterium, quid David sanctius, quid Uria infidelius invenitur? quando et ille per vitæ culpam prophetiæ signat innocentiam : et iste per vitæ innocentiam, in prophetia exprimit culpam. Virtus namque sacri eloquii sic transacta narrat, ut ventura exprimat; sic factorem approbat, ut ei mysterio contradicat, sic gesta damnat, ut hæc mystice gerendo persuadeat. Aliter, David interpretatur *manu fortis*, sive *desiderabilis*. In figura Christi post meridiem in solario deambulans, vidit mulierem se lavantem, atque concupivit. Sic nimirum Dominus, declinante jam mundo, velut in solario deambulans, corpus quod assumere dignatus est, in sole posuit, quia cunctis patefecit. Vidit mulierem, hoc est Ecclesiam ex gentibus, super tectum, in altitudine videlicet contemplationis, per lavacrum regenerationis a sordibus sæculi se mundantem, domum luteam spiritali contemplatione transcendentem atque calcantem respexit : atque interfecto diabolo, eam per fidem indissolubili conjugio sibi copulavit. Bethsa-

bee quippe interpretatur *puteus septimus*, seu *puteus satietatis*, sanctam videlicet præfigurans Ecclesiam : in qua est septiformis gratia Spiritus sancti, cujus dono omnes electi satiantur. Urias vero *lux mea Dominus* dicitur. Hethæus *abscisus* interpretatur, personam in se exprimens diaboli : qui cum sit tenebrosus, et de terra viventium abscisus, transfert se in angelum lucis, et fingit se esse quod non est, audens de Deo dicere, lux mea, Dei est. Oderimus ergo peccatum, sed prophetiam non exstinguamus. Amemus illud David quantum amandus est, qui nos a diabolo per misericordiam liberavit. Amemus et istum pœnitentem David, qui tam grave in se vulnus iniquitatis pœnitentiæ et humilitatis confessione sanavit. Ad hoc ergo in Scriptura sacra virorum talium, id est David et Petri, peccata sunt indicata, ut cautela sit minorum, ruina majorum. Ad hoc vero utrorumque illic et pœnitentia insinuatur, et venia, ut spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu suo David cadente, nemo superbiat : de lapsu etiam suo David surgente, nemo desperet. Sed fortasse quis dicat, si David imaginem Christi gerebat, quomodo multas uxores et concubinas habuisse scribitur, cum has res Christus exhorrescat et damnet ? Hoc enim per figuram fiebat. Multæ enim uxores David multarum gentium et nationum imaginem indicabant : quæ per fidem Christi consortio jungerentur. Concubinæ vero ejus significant hæreticorum ecclesias, quæ sub Christi nominis titulo manere se gloriantur : sed quia propter carnalia lucra sectantur Christum non conjuges sed concubinæ vocantur. Denique nec reges si plures habeant uxores vel concubinas, crimen est, quia jam transierunt figuræ pro quibus uxorum vel concubinarum venia concedebatur : at nunc, quia figuræ transierunt, venia nulla datur.

CAPUT XII.

« Misit ergo Dominus Nathan ad David, qui cum « venisset ad eum, dixit ei : Duo viri erant in « civitate una, etc. » Sciendum est quod Nathan propheta ad David regem, non statim quando in Bethsabee ipse David peccavit, a Domino missus est, sed postquam eamdem mulierem in domum suam introduxit, atque filius ex ea natus est, ut obstinatio peccati occasionem non haberet defensionis. Cum autem a præpositis Ecclesiæ hujus sæculi potentes arguuntur, prius per quasdam similitudines velut de alieno negotio requirendi sunt. Et cum rectam sententiam quasi in alterum contra se ipsi protulerint, tunc modis congruentibus de proprio reatu feriendi sunt, et ut mentes temporali potentia tumidæ, contra corripientem nequaquam se erigant, quæ sibi suo judicio proprii oris ligant.

« Quamobrem non recedet gladius de domo tua « usque in sempiternum. » Nota quomodo de domo David, hoc est populi Judæorum, ultionis gladius usque in æternum non recedet.

« Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino.

A « Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque « transtulit peccatum tuum; non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos « nomen Domini propter verbum hoc, filius qui « natus est tibi morte morietur. » Hic considerare possumus quantum valet apud Deum humilis et vera pœnitentia, si ex corde fuerit. Nam David nihil aliud dixit, postquam peccatum suum increpatus a propheta cognovit, nisi uno verbo confessus est dicens : « Peccavi Domino, » et statim veniam consecutus est, teste propheta qui ait : « Dominus quo« que transtulit peccatum tuum, non morieris. » Hoc est quod scriptum est : « Si confessus ingemueris, salvus eris. » Et illud : « Nolo mortem peccatoris, sed potius ut convertatur et vivat (*Ezech.* B XVIII). » Hinc iterum scriptum est : « Peccator, in quacunque die conversus fuerit, omnia peccata ejus in oblivione erunt coram me (*Ezech.* XXXIII).» Sic nimirum Petrus respectus a Domino flevit et peccatum negationis flendo delevit. Sic latro in momento, in extremitate vitæ confidendo Deum, et peccatum suum cognoscendo, dicens : « Nos digna factis recipimus (*Joan.* XIII), » paradisum promeruit. Sed quia exigente causa David ad medium deducto in ordine historiæ, tanti facinoris memoriam fecimus, lectoris fortasse animus movetur : cur omnipotens Deus eos quos in perpetuum elegit, quos ad bonorum quoque spiritalium culmen assumit, illæsos a corporalibus vitiis non custodit? Unde quia satisfieri citius credimus, breC viter respondemus : Nonnulli enim per accepta dona virtutum, per impensam gratiam bonorum operum, in superbiæ vitium cadunt, sed tamen quo ceciderant non agnoscunt. Proinde contra eos hostis antiquus, qui jam interius dominatur, etiam exterius sævire permittitur : ut qui in cogitatione elati sunt, per carnis luxuriam prosternantur. Scimus autem quia aliquando minus est, in corporis corruptionem cadere, quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. Sed cum minus turpis superbia creditur, minus vitatur : luxuriam vero eo magis erubescunt homines, qui simul omnes turpem noverunt. Unde fit plerumque, ut nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu, malum culpæ latentis erubescant, et tunc etiam majora corrigunt, cum prostrati in miniD mis gravius confunduntur. Reos enim se inter minora conspiciunt, qui liberos inter graviora crediderunt. Pia ergo Domini dispensatione laxatos, nonnunquam malignus spiritus de culpa ad culpam trahit, et dum plus percutit, inde eum quem ceperat, amittit : atque unde prius vicisse cernitur, inde superatur. Considerare libet inter munitum gratiæ sinum, quando Deus misericordiæ favore nos continet. Ecce qui de virtute se extulit, per vitium ad humilitatem redit. Qui vero acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed, ut ita dixerim, medicamento vulneratur. Quid enim est virtus, nisi medicamentum ? Et quid est vitium, nisi vulnus? quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere

medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio cu- A remur. Sed inter hæc sciendum quod plerique hominum, qui in multis corruunt, arctius ligantur. Cumque eos antiquus hostis ex uno vitio percutit ut concidant, ex alio quoque ligat ne surgant. Consideret itaque homo cum quo adversario bellum gerat, et si jam se aliquo deliquisse perpendit, saltem ad culpam protrahi ex culpa pertimescat, ut studiose vitentur vulnera, quibus frequenter interficit : quia valde rarum est, quod hostis noster electorum saluti, etiam vulneribus servit. Erudiendos enim, sicut diximus, electos suos Dominus sæpe tentatori subjicit, sicut post paradisi claustra, post tertii cœli secreta, ne revelationum magnitudine Paulus extolli potuisset, ei Satanæ angelus datus (*II Cor.* XII). Sed, ut præfati sumus, ipsa hac B tentatione disponitur, ut qui elati perire poterant, humiliati a perditione serventur. Secreto ergo dispensationis ordine, unde sævire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei : quia adversarius noster ideo obtemperat nutibus supernæ gratiæ, unde exercet iram nequissimæ voluntatis suæ. Sed notandum est, quia ad hoc in Scriptura sacra virorum talium, id est David et Petri, peccata sunt indita, ut cautela minorum sit ruina majorum. Ad hoc vero utrorumque illico et pœnitentia insinuatur et venia, ut spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo, David cadente, nempe superbiat : de lapsu etiam suo, David cadente, nemo desperet. Ecce quam mirabiliter Scriptura sacra eodem modo verbo su- C perbos premit, quo verbo humiles levat, unamque rem gestam retulit, et diverso modo superbos quidem ad humilitatis fortitudinem, humiles vero ad spei fiduciam revocavit. O inæstimabile novi generis medicamentum, quod uno eodemque ordine positum, premendo tumentia exsiccat, et sublevando arentia infundit. De majorum nos lapsu terruit, sed de reparatione roboravit. Sic quippe semper sic nos divina misericordia superbientes reprimit, et ne ad desperationem corruamus fulcit. Sed requirendum est, si peccatum David tam detestabile Dominus transtulit, quid est quod omnia quæ eodem peccato per prophetam ei a Domino dicta sunt, postmodum toleravit ? Sed procul dubio Dominus delet illud, sed sine ultione non deserit : aut enim ipse hoc homo in pœnitentem pu- D nit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccatum parcitur, quod nullatenus sine vindicta laxatur. Sic enim David audire post conversionem meruit : « Dominus transtulit peccatum tuum, et tamen multis post cruciatibus afflictus aufugiens, reatum culpæ quam perpetraverat exsolvit. Sic nos salutis vindicta, a culpa primi parentis exsolvimur, sed tamen reatum ejusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus : quia delicta nostra, sive per nos seu per semetipsum resecat etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis perpetuum non vult videre.

« Et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum jacuit super terram, » etc. David septem diebus recubans pro facinore suo, donec infans moreretur, perfectam gessit pœnitudinem, cunctis videlicet delinquentibus, formam relinquens pœnitentiæ : ut quoties quispiam nostrorum in quolibet labitur facinore, tandiu fletu insistere debeat, donec peccati desiderium in voluntate nostra funditus aboleatur. Septem vero diebus, septiformem sancti Spiritus gratiam significasse non dubium est, sine cujus dono, nullus pœnitens indulgentiam peccatorum consequi potest.

« Et consolatus est David Bethsabee uxorem « suam, ingressusque ad eam dormivit cum ea, quæ « genuit filium, et vocavit nomen ejus Salomon, et « Dominus dilexit eum. Misitque eum in manu Na« than prophetæ, et vocavit nomen ejus Amabilis « Domino, eo quod diligeret, » et reliqua. In Hebræo habetur, et vocavit nomen ejus Dida, » est *dilectus Domini.* Propter Dominum dicitur dilectus, propter suam scilicet misericordiam gratuitam, qua eum diligere dignatus est. Cum utique ejus dilectione et misericordia indignus existeret quem constabat manzer esse.

« Igitur pugnabat Joab contra Rabath filiorum « Ammon, » et reliqua. Notandum quod in Hebræo, quando cum adjectione ponitur nominum. *Rabath* scribitur, sicut est hic. Quando vero sine adjectione nominum non Rabath, sed *Raba* scribitur.

« Congregavit itaque David omnem populum, et « profectus est adversum Rabath. Cumque dimi« casset, cepit eam et tulit diadema regis eorum « de capite ejus pondo auri talentum, » etc. Paralipomenon libro ita habetur : « Tulit, inquit, David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiossisimas gemmas, fecitque diadema inde.) Melchom quippe non est nomen proprium regis, sed idolum fuit : et intepretatur *rex eorum.* Cujus diadematis aurum et gemmas conflasse et purgasse dicitur David secundum legem, fecisse sibi diadema quod hic positum super caput ejus dicitur : « Sed et prædam « civitatis asportavit multam valde. Populum « quoque ejus adducens servavit, et circumegit su« per eos ferrata carpenta. Divisitque cultris et « transduxit in typo laterum. » Id est serravit ferratis carpentis corpora hominum, et divisit cultris ferreis, sicut lateres dividi solent, qui ex paleis et luto conficiuntur. Victoria autem hæc David in Ammonitis, quam dux suus bellando inchoavit, sed rex ipse perfecit, quid significat nisi regis nostri victoriam in cunctis gentibus ? Dux enim David contra hostes bellum agit, cum ordo sanctorum prædicatorum, contra mundi potentes, scutum fidei opponit. Sed finis certaminis et triumphus belli ad regem Christum solummodo defertur - quia ipsis omnis potestas, et potentia regni ascribitur. « Deus est enim, secundum Apostolum, qui operatur in nobis et velle et perficere, et ipse triumphat nos semper in

Christo Jesu. » Coronam ergo regis populi hostilis David de capite tulit, et sibi diadema inde formavit, cum Redemptor noster ex contraria potestate regnum auferens, sibimet insigne decorum paravit. Quæ autem melius corona David intelligitur, quam conventus populi catholici ? quæ caput nostrum, regem videlicet Christum, corde credulo nobiliter ambit et digne conversans decenter coronat? omnis enim sanctorum labor, et certamen atque victoria, ad honorem cœlestis regis refertur, « quia ipse est cui omne genu flectitur, cœlestium et terrestrium, atque infernorum : et omnis lingua confitetur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris *(Phil.* II). » Rabath ergo civitas est regni Ammon, quæ nunc Philadelphia vocatur, cujus meminit et Jeremias propheta (*Jer.* XLIX), interpretatur ergo Rabath *multi* : et Salvator in Evangelio dicit : « Quia multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Marc.* IX). » Verum juxta historiam hinc Verba dierum ita narrant : « Manubias quoque urbis plurimas tulit : populum autem qui erat in ea eduxit, et fecit super eos tribulas et trahas, et ferrata carpenta transire : ita ut dissecarentur et contererentur. » Sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon, et reversus est cum omni populo in Jerusalem. Idcirco ista subnectere curavi, ut historiam lucidius proparalem.

CAPUT XIII.

Deinde sequitur qualiter exosam habuit Amnon sororem suam Thamar post peccatum, magno odio nimis, etc. Amnon Thamar sororem suam causa offensionis David patris sui, incestavit : hoc enim fuit initium scandali domui ejus. Quod autem post perpetrato scelere exosam eam habuisse legitur, eorum personam expressit, qui post admissum quodlibet facinus majus odio habent quam ante perpetrationem illud dilexerant, et ob hoc citius veniam consequuntur, quam illi qui faciunt et diligunt, si tamen in aliud malum denuo non offendunt. Sicut Amnon, qui post admissum stuprum in sorore sua, ob hoc mortem non evasit, quia ebrietatem, quæ fomes est luxuriæ, non vitavit. Moraliter vero monemur hoc facto, ut semper caute ac prudenter agamus, ne forte dominentur in nobis vitia et princeps peccati, qui falsam pacem periclitantibus spondet, nos imparatos inveniens, atque improvisos trucidet : sicut Absalom Amnon fratrem suum, semper stuprum Thamar incautum necavit. Absolum *pater pacis* sive *patris pax* interpretatur : Amnon *donans*, et Thamar *amaritudo* ; qui enim membra sua donat libidini, semetipsum tradidit servire iniquitati ad iniquitatem, in peccati amaritudinem cadit : licet inimicus se quasi patrem pacis ostentet; et prospera pro talibus factis provenire falso promittat. Necesse est enim ut cito ad pœnitentiam post scelus redeamus, ne forte diabolus, si adhuc ebrietati inservierimus, et in luxum sæculi resolvamur, per obtemperantes sibi malignos spiritus, in necem nostram conspiret, ac morti perpetuæ tradat.

« Porro Absalom fugiens abiit ad Tholomai filium Ammiud, regem Gessur. » etc., usquequo ait : « Cessavitque David rex persequi Absalom, eo » quod consolatus super Amnon interitu. Tradunt enim Hebræi, sicut a quibusdam didici, quod Tholomai pater fuit Maacha matris Absalom, quam David in prælio cepit, et Cæsareæ, ut inquiunt, unguibus præcisis secundum legem, accepit uxorem, et ex ea genuit Thamar et Absalom ; et ideo ad eum fugisse perhibent. Nam quod sequitur : « Cessavitque David persequi Absalom, » in Hebræo, ut iidem Hebræi ferunt, legitur : Cessavit itaque rex exire, » id est voluisse idem David exire ut reduceret Absalom, sed pertractans in corde suo, quod quoties eum videret, toties dolorem mortis Amnon ei ad memoriam reduceret : idcirco cessasse dicitur exire post Absalom, subauditur ut eum ad propria revocaret. Illud etiam quod subinfertur : Consolatus est David super Amnon interitu, » ita intelligi volunt, videlicet postquam noluit exire post Absalom, ut reduceret eum et videretur a ab eo cœpit consolari super morte Amnon. Quandiu enim putabatur reduci Absalom, ut videretur a David, semper mors Amnon filii sui animo ejus occurrebat : sive consolatus est super ejus interitu, sicut nobis videtur, eo quod noverit eum flagitiosum et dignum morte, meritoque perisse.

CAPUT XIV et XV.

« Intelligens autem Joab filius Sarviæ, quod cor « regis versum esset ad Absalom, misit Thecuam, « et tulit inde mulierem sapientem, dixitque ad « eam : Lugere te simula, at induere veste lugu- « bri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier plu- « rimo jam tempore lugens mortuum. » Cor regis versum esse ad Absalom vidisse dicitur Joab, eo quod viderit eum pro Absalom suspirare, et in eo intellexit quod cor ejus versum esset ad Absalom.

« Misit Thecuam et tulit inde mulierem sapien- « tem. » Thecua civitas est, de qua fuit Amos propheta. Putatur autem eadem vidua avia fuisse ejusdem Amos prophetæ. Quæ respondit :

« Heu mulier vidua ego sum. Mortuus est autem « vir meus, et ancillæ tuæ erant duo filii, qui ri- « xati sunt adversus se in agro, nullusque erat « qui eos prohibere possit, et percussit alter alte- « rum et interfecit. Et ecce consurgens uni- « versa cognatio adversus ancillam tuam, dicit : « Trade eum qui percussit fratrem suum. » In veritate autem, ut Hebræi tradunt, hæc mulier vidua, duos filios habere poterat, qui rixati sunt in agro super hæreditate patris sui, et alterum ab altero interemptum : sed seipsa tamen eadem vidua in persona David posuit, et duos filios suos in persona Amnon et Absalom. Cognationem vero quæ consurrexit adversus filium suum, in persona cæterorum filiorum David. Dixitque mulier :

« In me, Domine mi rex, iniquitas et in domo « patris mei, rex autem et domus ejus sit inno« cens. » Ac si diceret : Pro eo quod alter filius in alterum consurrexerit, in me sit iniquitas, quia absque culpa es in eo quod illi duo fratres inter se conflixerant. Et sicut ego absque culpa sum, pro eo quod duo filii mei consurrexerunt adversum se, et interfectus est alter ab altero, ita et tu absque culpa es, pro eo quod Absalom Amnon, dignum morte, interfecit.

« Quæ ait : Recordetur rex Domini Dei sui, ut « non multiplicentur proximi sanguinis ad ulcis« cendum, et nequaquam interficiant filium me« um. » Recordatio hic pro juramento posita est, ac si aperte diceretur : Recordetur rex promissionis suæ, imo juramenti, quo mihi per Dominum Deum suum pollicitus est, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum.

« Dixitque mulier : Quare cogitasti istiusmodi « rem contra populum Dei, et locutus est rex ver« bum istud ut peccet, et non reducat ejectum su« um. » Ex hoc loco demonstratur illud quod superius dictum est : « Cessavit David rex exire post Absalom, » id est, cessavit ut non exiretur ab aliquo et non reduceret Absalom.

Inde ait mulier : et locutus est rex verbum illud « ut peccet, et non reducat ejectum suum. » Quod vero ait : « Quare cogitasti istiusmodi rem contra populum Dei ? » Populum Dei vocat eumdem Absalom, sive eos qui cum illo erant : qui quasi captivi et ejecti erant, et quod non reducerentur ad hæreditatem Dei, ne forte coacti diis alienis in terra aliena servirent.

« Nec vult perire Deus animam, sed retractat co« gitans ne pereat penitus qui abjectus est. » Ac si diceret : Deus peccatores qui a diabolo captivi detinentur, ut ad se convertantur, vocat : et tu qui eum imitari debes, cur non eo modo agis ?

« Et quando tondebat capillum (semel autem in « anno tondebatur). » In Hebræo igitur ita legitur: « Et quando tondebatur caput ejus, statuto tempore tondebatur, » et reliqua. Non enim semel in anno, ut Latini codices habent, tondebatur, sed statuto tempore, id est in triginta diebus. Sed nos hanc opinionem aliquorum omittentes, simpliciter sicut apud nos legitur, videlicet quando tondebat caput (semel autem in anno tondebatur) legere decrevimus : quia hanc translationem ex Hebraico fonte haustam credimus. Porro autem quod ait :

« Nam sicut Absalom vir non erat pulcher in « omni Israel et decorus nimis. A vestigio pedis « usque ad verticem, non erat in eo ulla macula. « Qui etiam postea facit sibi currus et equites, qui « et judicium patris stans in porta reprehendebat.» Potest figuraliter intelligi Absalom ipse filius David (qui interpretatur *patris pax*, de qua interpretatione dicturi sumus in sequentibus) figuram gestavit populi Judæorum : qui bene decorus esse dicitur, quod ad eumdem populum figuraliter refertur, propter regnum et sacerdotium, atque cætera dona quæ olim a Deo collata fuerant. Qui pacem cum nostro David Domino scilicet Salvatore habere noluit. Ait enim idem Absalom.

« Quis me constituat judicem super terram ? » etc. Simulata humilitas in Absalom demonstrata est : nihil enim est deterius, quam per hypocrisim falsas virtutes quempiam exaggerare, et per elationem cordis majorum acta et fortia reprehendendo diffamare. Sicut et Absalom patris sui justa judicia ausu temerario coram omni populo reprehendere non timuit.

« Post quadraginta autem annos dixit Absalom « ad regem : Vadam, et reddam vota mea, quæ « vovi Domino in Hebron. » Quadragesimus agebatur annus ex eo tempore quo Saul Nobe civitatem cum sacerdotibus octoginta quinque propter David interemit, et idcirco hic idem quadragesimus annus ponitur, ut monstretur divinam ultionem suscitari super David, eo quod Abimelech sacerdotem fefellerit, et propter eum sacerdotum cædes facta fuerit. Cave, lector, plerosque mendosos codices, in quibus scriptum invenitur, post quatuor, non post quadraginta annos : in vetustioribus vero codicibus, et in Hebraica veritate, non quatuor, sed quadraginta scribuntur anni. Si vero quis contentiosus eosdem quatuor annos astruere voluerit, ab eo tempore quo Absalom Amnon fratrem suum interfecit, usque ad illud tempus quo patri dixit : « Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron, » perspicue se errare, si diligenter perscrutatus fuerit, inveniet : cum utique Amnon interfecto, Absalom ingressus apud Tholomai regem tribus annis, et in Hierusalem inde revocatos, non viso patre duobus moratus annis fuerit, et sexto anno faciem patris viderit, et contra eum perduellionem præparavit. Votum namque se vovisse mentiendo dixit, id est, orationem facturus in loco quo requiescunt Abraham, Isaac et Jacob.

« Venit autem et Zadoc, et universi Levitæ cum « eo, portantes arcam fœderis Domini, et deposue« runt arcam Dei. Et ascendit Abiathar donec ex« pletus esset omnis populus qui egressus fuerat « de civitate. » Ideo arcam Dei deposuisse dicuntur, ut Dominus ab Abiathar sacerdote consuleretur, quo versus David ire deberet. Ascendisse autem Abiathar dicitur, id est orasse, et quia oraculum divinum non ei responsum est, idcirco in subsequentibus dixit David, ut reportaretur arca Dei in urbem.

CAPUT XVI.

« Et venit David usque Bahurim. Et ecce egre« diebatur inde vir de cognatione Saul nomine Se« mei, filius Gera, et maledicebat David. Abisai « autem dixit : Vadam et amputabo caput ejus, » et reliqua, usquequo ait : Quid mihi et vobis, filii Sarviæ ? « dimittite ut maledicat. » Hebræus non habet, « dimittite ut maledicat, » sed tantum « maledicat. » Abisai solus dixerat : « Vadam et amputabo caput ejus ; » et David ad Abisai et Joab respondit, dicens : « Quid mihi et vobis, filii Sarviæ ? » Ac si diceret : Nunquid vultis interficere istum, sicut interfecistis Abner ? Domi-

nus enim præcepit ei ut malediceret David. Et A quis est qui dicat, quare sic fecerit? Subauditur: Quare sic fecerit, non Dominus, sed Semei. Semei qui maledixit David, ipse est, ut Hebræi dicunt, Nabath, pater Jeroboam, qui filius Jemini dicitur, et in zelo domus Saul maledicebat David. Nomen vero avi ejus Semei fuit, et ipse Semei ex tribu Ephraim filii Joseph exstitit. Unde et idem Semei ad David dixit: « Primus quoque veni hodie de omni tribu Joseph. »

« Cum autem venisset Chusai Arachites amicus « David ad Absalom, locutus est ad eum: Salve « rex, salve rex. Ad quem Absalom: Hæc est, in- « quit, gratia ad amicum tuum? » In Hebræo legitur: « Hæc est, inquit, misericordia ad amicum « tuum, » quod non affirmando, sed negando pro- B nuntiandum est; et est sensus: Misericordia est aut dici debet, quod David amicum tuum dimisisti, et cum eo non isti.

CAPUT XVII.

« Dixit igitur Achitophel ad Absalom: Eligam « mihi duodecim millia virorum, et consurgens « persequar David hac nocte: et irruam super « eum, quippe qui lassus est et resolutis mani- « bus, percutiam eum. Cumque fugerit omnis po- « pulus qui cum eo est, percutiam regem desola- « tum, et reducam universum populum quomodo « omnes reverti solent. » Scilicet, sicut reverti solent hi qui amisso in prælio rege revertuntur, sic universus populus Israel revertetur ad te.

« Et cum ceciderit unus quilibet in principio,au- C « diat quicunque audierit, et dicet: Facta est plaga « in populo qui sequebatur Absalom. Et fortissi- « mus quisque, cujus cor est quasi leonis, pavore « solvetur. » In Hebræo ita habetur: Et fortissimus ipse cujus cor ejus quasi leonis, pavore solvetur. » Quod non affirmando, sed negando pronuntiandum est. Fortissimus iste David intelligendus est, quod et sequentia declarant.

« Scit enim omnis Israel fortem esse patrem tu- « um et robustos omnes qui cum eo sunt. » Sed quid iste Achitopel significet, dicemus in posterum.

« Jonathas autem et Achimaas stabant juxta fon- « tem Rogel. Abiit ancilla et nuntiavit eis, et illi « profecti sunt. » Hæc ancilla quasi lavandi gratia cum pannis ad fontem Rogel ierat, ut penitus res D non deprehendetur: puer autem qui rem indicat Absalom, filius ejusdem ancillæ parvulus dicitur fuisse. Prius enim paulatim historiam continuando hic tangere decrevimus, ut postmodum quid mystice continuat, indagando propalemus. Sed quia de Absalom historia prætergreditur, secundum allegoriam considerare libet, quid illud significet, quod parricida filius patrem insequitur. Primo, pater ejus declinans fugit ante faciem ejus, securus de victoria: quia sciebat impium perire, quem etiam flevit magno luctu, et deflevit exitum parricidæ. Scribitur enim fugisse David a facie bellantis adversum se filii. Et alibi scriptum est de populo Hierusalem, Domino dicente: « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me (*Isa.* I). » Filius ergo ejus impius tropice accipi potest populus Judaicus, qui eum tradidit. Absalom autem, sicut ante jam dictum est, intelligitur *patris pax*. Quod mirum videtur in historia, patris pax quemadmodum possit intelligi, qui patrem bello est persecutus. Sed qui diligenter allegoriam intendunt, inspiciunt Absalom esse Hierusalem: quæ etiam et *ipsa pax* interpretatur. A cujus facie in Galilæam fugit, Christus videlicet, qui eam patiendo deserens, in gentibus per fidem secessit. Alii Absalom, Judam traditorem accipiunt, quem non bonum tanta etiam miranda patientia Christus pertulit tanquam bonum, cum ejus cogitationes non ignoraret.Cum adhibuit convivium, in quo corporis et sanguinis sui figuram, discipulis commendavit et tradidit: quod denique in ipsa traditione et osculum accepit. Bene intelligitur pacem Christum exhibuisse traditori suo, quamvis ille sceleratæ cogitationis interno bello vastaretur. Et ideo Absalom *patris pax* dicitur, quia pater habuit pacem quam ille non habuit. Hanc enim posteriorem sententiam non commentando protulimus, sed de dictis beati Augustini ex titulo videlicet tertii psalmi in quibus tanquam clarissima tuba disputando resonans edisserit, decerpsimus. Achitophel igitur qui, recedens a David, ad Absalom transmigraverat, hæreticos significat qui, recedentes a tramite veritatis, se sociant hosti antiquo, et subsequuntur errorem: interpretatur autem *frater meus cadens*: Gilonites vero *transmigratio*. Contra quos propheta increpans, dicit: « In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer (*Psal.* X)? » Et merito tales laqueo diaboli atque malitiæ suæ vitam propriam finiunt, qui alienam pravis suasionibus corrumpere satagunt. Sicut ipse in propria domo suspendio interiit, qui alienæ vitæ, hoc est David insidiatus est. Unde scriptum est: « Qui fodit foveam, incidet in illam (*Prov.* XXVI; *Eccl.* X). » Sed quid aliter significet, dicemus in posterum.

« Venit autem et Sadoc et universi levitæ cum « eo, portantes arcam fœderis Dei, et deposuerunt « arcam Dei. Et ascendit Abiathar, donec expletus « est omnis populus, qui egressus fuerat de civita- « te. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in « urbem. Si invenero gratiam in oculis Domini, « reducet me et ostendet mihi eam et tabernacu- « lum suum. Si autem dixerit, Non places », et reliqua. Jam enim quod secundum historiam ista significent inculcavimus. Cæterum quantum ad altiorem intelligentiam pertinet, Sadoc sacerdos, qui interpretatur *justus*, qui arcam Domini reportavit in urbem, personam gestavit sanctorum, et eorum videlicet qui tempore passionis Domini, licet corpore in brevi ab eo discesserunt, fide tamen et dilectione minime separati sunt.

« Et dixit David ad Chusai Arachitem: Si veneris « mecum, eris mihi oneri, » etc. Nam et iste etiam Chusai amicus David, qui interpretatur *festinans* qui et ab eo in Hierusalem revertens, consilium Achito

phel dissipavit, personam gestavit eorum qui occulte erant ex populo Judæorum discipuli Domini, sicut fuit Nicodemus et Joseph ab Arimathæa, vel cæteri hujusmodi. Potest etiam credi significare credentes ex gentibus, qui licet cum Absalom aliquando fuisse visi sunt, tamen pravis ejus operibus non erant communicantes, nec Achitophel iniquis suggestionibus uuquam consentientes : sed cum David fideliter permanserunt. Interpretatur autem Chusai *Æthiops*, Arachites *longitudo mea*. Hinc quoque in propheta scriptum est : « Mutavit Æthiops pellem suam (*Jer.* XIII); » et illud: « Æthiopia, inquit, festinet manus dare Deo. » Quia gentilis populus postquam se nigredine peccatorum exuit, nunquam a tergo Domini recessit : et qui erat longe, factus est prope in sanguine Christi.

[a] Deinde sequitur qualiter occurrit David Siba puer Miphiboseth, cum duobus asinis oneratis, et mentitus est de domino suo, et propterea ait ei David : « Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth. » Hinc enim demonstratur, quia spiritus prophetiæ (sicut superius diximus), prophetis non semper adest, nec e proximo tanguntur. Nam David servum Miphiboseth, Siba videlicet, sibi contra dominum suum mentientem non intellexit, et ideo omnia domini sui ei concessit. Cui si spiritus prophetiæ adesset, mentientem deprehenderet. Verum e proximo tactus non fuerat. cum superius Amasæ promiserat, dicens : Hæc faciat mihi et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab, videlicet quid sequeretur ignorans. Quia Amasa idem non solum principatum militiæ pro Joab non susciperet, sed etiam post Joab paululum vitam finiret. Et cum templum Deo construere voluit, quid e vicino sequeretur nesciens, prophetam alterum requisivit. « Venit ergo rex David usque Bahurim. Ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Bera, et maledicebat, » David, etc., usque quo ait : « Quid mihi et vobis, filii Sarviæ, cur efficiamini mihi hodie in Satan ? Dimitte eum. » Perfecta patientia illa est eum libenter sustinere, cui facile quis reddere talionem potest : sicut in David ostensa est, qui blasphemantem se Semei magis studuit patienter ferre quam ulcisci : cum eum tot vitiis urgeret, et armati proceres ulcisci contenderent, ait : « Quid mihi et vobis filii Sarviæ ? Dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus ad afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. » Quibus profecto verbis indicat, quia pro perpetrato Bethsabee scelere, exsurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetravit, et æquanimiter pertulit quod audivit, et contumeliosa verba non tam convicia quam adjutoria credidit, quibus se purgari sibique misereri posse indicavit. Tunc enim illata convicia bene toleramus, cum in secreto

A mentis ad male perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est quod meremur. Sicque fit ut contumeliis, gratiæ potius quam iræ reddi jubeantur, quarum interventu Deo judice pœna gravior declinari posse confiditur. « Et ait David : Cur efficimini mihi hodie in Satan ? » Huic simile Petrus apostolus, licet infirmitate mentis, non tumore cordis, sicut Abisai : audita futura passione Domini ipse respondisse iu Evangelio legitur, dicens : « Absit a te, Domine, non fiet istud (*Marc.* VIII). » Cur Dominus e contrario, sicut et David Abisai, increpando respondit : « Vade post me Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum (*Ibid*). » — « Et ait Achitophel

B ad Absalom : Inngredere ad concubinas patris tui. » etc. Concubinas David quas Absalom filius ejus nefarie polluit, figuram habuisse Judaicæ plebis non dubium est, quas magistri erroris, Scribæ videlicet et Pharisæi, vanis superstitionibus suis, atque per pravam doctrinam corrumpentes, a Domino Jesu Christo eam alienam fecerunt, sicut et hæretici crebro facere non verentur : dum apostata Angelus quosdam qui videntur regere et custodire populum Dei, tanquam concubinas domum David, hæretica pravitate seducendo, decipit per eos. Ad quas tamen David ultra non ingreditur, sed in custodia positis alimenta præbet ; ipsæque in viduitate viventes, clausæ sunt usque ad diem mortis suæ, quia dum decepti ab hæreti-

C cis a via veritatis oberrantes, denuo ad eam redire dissimulant, non sunt digni cohabitatione Christi, sed clausi, id est separati et a consortio ejus alieni, permanent. Sed clemens ille, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, non renuit beneficiis suis pastum talibus in hoc mundo præbere, ut per collata beneficia occasionem tribuat convertendi.

[b] « Dixit igitur Achitophel ad Absalom : Eligam « mihi, duodecim millia virorum, et consurgens « persequar David hac nocte. » Achitophel, qui adversus David pessimum dedit consilium, Judæ proditoris gestavit personam, qui Judæis adversus Christum dedit consilium proditionis. Achitophel quippe interpretatur *ruina fratris*, quod ipsi

D Judæ proditori procul dubio congruit: qui ruina exstitit illius qui dignatus est dicere : Narrabo nomen tuum fratribus meis (*Psal.* XXI). » Qui et disposita domo sua, postea suspendio interiit. Hoc et Judas in Evangelio similiter, ut Achitophel fecisse legitur. Hinc sequitur qualiter Jonathas et Achimaas ad explorandum consilium Absalom, et David renuntiandum, derelicti sunt, et fugientes declinaverunt in « domum cujusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, et descenderunt in eum. Tulit autem mulier, et expandit velamen super os putei quasi siccans ptisanas, et sic res latuit. » Significant autem isti duo juvenes, Jonathas videlicet, qui

[a] Hic, in exemplari nostro, rursum ponitur CAPUT XVI. Expositio enim ante dicta retractat.

[b] Iterum quoque hic CAPUT XVII.

interpretatur *columbæ domum*, et Achimaas, *frater meus*, eos qui per gratiam sancti Spiritus renati, et in numero fratrum sunt ascripti. Qui recedentes ab Absalom fugiunt, cum malignos spiritus evadere quærunt. Hi ergo stabant juxta fontem Rogel, qui interpretatur *tristis* vel *deorsum* cum tristitiam et despectum in hoc mundo appetunt habere, propter cœlestis regni desiderium. Declinant ergo concito gradu fugientes in domum cujusdam viri in Bahurim, qui *locus* interpretatur *electus* sive *juvenis*, cum adolescentiæ tempora in memoriam reducunt. Descendunt in puteum qui erat in vestibulo, cum patientiæ se humiliter subjiciunt quæ cunctis necessaria est, ante finem scilicet præsentis vitæ. Expandit mulier velamen super os putei cum Ecclesia precum assiduitate delicta juventutis et ignorantiæ suorum filiorum abscondere certat quasi siccans ptisanas, cum carnis lasciviam per continentiæ rigorem constringit. Sic et res latet transgressionis videlicet humanæ vitæ, quia per assiduitatem precum in compunctione lacrymarum, et per castigationem corporis omnia delicta absconduntur, ac homines a persecussione antiqui hostis protecti liberantur. « Cumque venisset David in castra Sochi filius Naahas de Rabath filiorum Ammon, et Machir filius Amihel de Lodabar, et Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei stratoria et tapetia. » etc. Castra ubi venit David Hebraice *Manaim* leguntur, sicut supra innuimus, hic est locus ubi obvii fuerunt Jacob angeli Dei, sicut in Genesi legitur. Unde scriptum est: « Vocavit Jacob nomen loci Manaim (*Gen.* XXXII), » id est castra. Sobi namque quievit ibi cum muneribus, ad David, filius fuit Nahas regis, cum quo pugnavit Saul : quo mortuo, dixit David : Faciam misericordiam cum Ammon sicut fecit pater ejus Nahas mecum. Interempto vero a David Ammon, qui ei inde calvandis servis suis injurias fecerat, constitutus est ab eodem David, in loco fratris sui Sobi. Cæterum spiritaliter obsequium ejus, vel cæterorum Galilæorum David, delatum, fidem prætendebat populi gentium in Dominum Jesum Christum. Nam sicut David persecutionem declinans filii sui ab Hierusalem recessit, atque a Galilæis benigne susceptus est : sic nimirum Dominus Jesus Christus ob impietatem Judæos deserens, a populo gentium susceptus est : qui multos fidelium varietate virtutum et doctrinarum ornatos contulit Domino.

CAPUT XVIII.

« Et præcepit rex Joab et Abisai et Ethæi dicens: « Servate mihi puerum Absalom. » Quod autem Absalom pater ejus David puerum appellat, non utique ætate carnis, sed parvitate sensus, hoc est stultitia, non mole corporis dicit.

« Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, et multo plures erant quos « saltus consumpserat de populo, quam hi quos « voraverat gladius in bello. » Saltus hic qui plures consumpsisse dicitur quam gladius vorasse : bestias ferocissimas, quæ in saltu erant, Hebræi autumant, a quibus plures consumpti quam gladio vorati fuerunt.

« Accidit autem ut occurret Absalom servis David, sedens mulo, » etc. Absalom mulo cui insederat pertranseunte, ipse quercui inhærens, inter cœlum et terram suspensus est. Sic nimirum Scribæ et Pharisæi, principes Judæorum, in ligno crucis in quo Dominum Jesum Christum affigentes supenderunt, occulto judicio in eodem ligno damnati sunt, atque eumdem populum Judæorum qui carnali sensui, velut irrationabili mulo præsidere videbantur, in dispersionem gentium pertranseuntes, ipsi principatum pariter et populum amiserunt. Dicamus et manifestius, quod Absalom mulo fugiens in quercu per cæsariem capitis sui suspensus est, hoc significabat quod Judæis stultitiæ carnalis sensu incumbentes, propter superstitiositatem pharisaicam legem corrumpent, per ipsam quam ad correctionem vitæ perceperant, mortis occasionem habuerant. Unde et Salvator in Evangelio dixit ad eos : « Nolite arbitrari quod ego accusaturus sim vos apud Patrem meum. Moyses enim in quem vos confiditis, ille vos accusat (*Joan.* V). » Joab vero in cor Absalom tres lanceas infigit, cum antiquus hostis superbiam, avaritiam et invidiam seu perfidiam in cor Judaici populi immisit, quæ illis maxime perditionis causa erant. Superbi fuerunt, qui in contemptu Dei idola fabricaverunt. Cupidi fuerunt, qui per transitorias virtutum deliciis præponebant : perfidi vero et invidi, qui non solum dictis legis et prophetarum repugnabant, sed etiam ipsius Salvatoris præsentiam spernebant, et beneficiis ejus ingrati exstiterant. Hinc et in passione sua blasphema voce ad Pilatum dicebant : « Non habemus regem nisi Cæsarem. » Ingrati exstiterant dicentes : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX). » Absalom quoque post interitum in foveam grandem missus est cum iniquus quisque post obitum carnis in lacum inferni mergitur. Super quem acervus lapidum congeritur : cum duritia mentis suæ illi exprobratur. David exstinctum quidem ploravit cum interitum populi Judaici Dominus flevit, sicut in Evangelio legitur : « Videns civitatem Hierusalem, flevit super illam (*Luc.* IX). » Cujus miseriæ in tantum compassus est, ut etiam usque ad mortem crucis, in eruditione et cura salutis suæ permanserit.

« Currens ergo Achimaas per viam compendii, transivit Chusi. » Achimaas filius Sadoch, qui posterior cœpit et prior ipse præcucurrit, alacritatem quorumdam sanctorum præfigurasse non dubium est. Qui cum sint conversione novissimi, plurimos tamen ex eis qui illos præire videbantur, fide et dilectione atque fervore spiritus antecedunt.

CAPUT XIX.

« Venitque universus populus coram rege. » Ille videlicet qui cum David permanserat. Quod vero ait, « Israel fugit in tabernacula sua, » hi intelligendi sunt qui cum Absalom perduellionem rebelles exstiterant.

« Miphiboseth quoque, filius Jonathæ, descendit A « in occursum regis illotis pedibus. » In Hebræo non *lotis*, sed *infectis* legitur pedibus. Fecerat namque sibi, ut Hebræi tradunt, ligneos pedes, quibus uti quasi pro naturalibus solebat, sicut solent facere claudi, quemadmodum et ille erat.

« Ait autem rex ad Miphiboseth : Quid ultra « loqueris ? Fixum est quod locutus sum. Tu et « Siba dividite possessiones. » In Hebræo *agrum* legitur. Quia in hoc loco David immemor amicitiæ fuit et fœderis, imo juramenti quod habuit cum Jonathan, et tam crudele dedit judicium, dicens : « Tu et Siba dividite agrum. » Idcirco Roboam et Jeroboam, ut aiunt, diviserunt ejus regnum. Miphiboseth enim in Samuelis libro legitur, id est, Miphiboseth interpretatur *litigans cum Al-* B *tissimo*. Litigans enim cum Altissimo, id est Deo fuisse dicitur, eo quod reduxisset David cum pace. Unde quod ait regi : « Etiam cuncta accipiat post- « quam reversus est dominus meus rex in domum « suam pacifice, » non hoc dixisse suspicatur gratulanti animo, sed insultanti, et quasi contra Deum murmuranti, eo quod Dominus David in pace reduxisset.

« Et ait Berzellai ad regem : Est autem Cha- « maam servus tuus, ipse ascendat tecum. » Chamaam interpretatur *suspirans*, quandiu enim cum patre permansit, suspirans vocatus est. Postquam vero in doctrinam David transiit, non Chamaam, sed Chama, quod interpretatur *fidelis*, appellatus est. C

CAPUT XX.

« Accidit autem ut ibi esset vir Belial, nomine « Seba, filius Bochri, vir Jemineus, » etc. Seba vir Belial, qui Israeliticum populum a domo David dividere conatus est, figuram gestavit hæreticorum, qui plebem Dei scindere volentes, in ipsa sua prava intentione prius damnati ab Ecclesia, moriuntur, quam hoc quod cœperant, implere possint. De quo plenius dicemus in posterum.

« Dixit itaque Joab ad Amasam : Salve, mi fra- « ter. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ « quasi osculans eum. Porro Amasa non observa- « vit gladium quem habebat Joab, qui percussit « eum in latere, et effudit intestina ejus in terram. » Quid est quod Joab Amasæ mentum dextera tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens, D ejus viscera effudit, nisi hoc quod patenter datur intelligi ? Dextera namque mentum tenere est, quasi ex benignitate blandiri. Sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit. Sic Joab quoque blande et benigne locutus est, sed ex malitia in dolo occidit.

« Et exclamavit mulier sapiens de civitate ad « Joab, dicens : Sermo, inquit, dicebatur in veteri « proverbio : Qui interrogant, interrogent Abela, « et sic proficiebant. Nonne ego sum quæ respon- « debo veritatem Israel, et tu quæris subvertere ci- « vitatem ? et reliqua. » Ait enim : « Sermo, inquit, dicebatur in antiquo proverbio, qui interrogant, interrogent, » etc. Ac si aperte diceretur : Hæc civitas urbs consilii exstitit, et qui aliquod consilium requirebant, hic interrogabant. Et tu quæris tantam destruere civitatem, et matrem consilii evertere in Israel ? Dicamus convenientius. Ait enim : « Sermo dicitur in veteri proverbio, » etc. In Hebræo non habetur « proverbio, » Iste sermo, sermo legis est in qua jubetur a Domino per Moysen, ut quando ingressuri essent terram Chanaan et gentes deleturi, primum pacem offerrent : et si pax ab eis reciperetur, pacem recipientes tributarii eorum efficerentur : et si pacem non reciperent, tunc a filiis Israel delerentur. Idcirco exclamasse mulier sapiens de civitate fertur :

« Nonne ego sum quæ respondebo veritatem in « Israel, et tu quæris subvertere civitatem ? Quare « præcipitas hæreditatem Domini ? » Ac si diceret : Cur vis destruere civitatem hanc antequam pacem interrogando offeras, sicut in lege jubetur ? Cur etiam non legem in nobis Israelitis servas, quæ in alienigenis olim servata est ?

« Fuit autem Joab super omnem Israel. » Reditus itaque Israelitici populi ad David post interfectionem Absalom, reditum prioris populis ad Christum post interitum pravorum magistrorum significabat. Seba ergo filius Bochri, qui populum seducendo ad David, avertebat, errorem significat qui in Synagoga Judæorum diutius dominabatur, et a veritatis auditu populum subvertebat. Interpretatur autem Seba *secta*, a secando, non a sectando. Bochri autem interpretatur *primogenitus meus*. Israel ergo de quo scriptum est : « Filius primogenitus Israel quem eduxi de Ægypto (*Mich.* VI), » Sebam, id est *errorem secutus*, resequestrabat a domo David, Ecclesiam semetipsam separabat, cum ejus conventum exsecrando negabat. Hi ergo postquam per mulieris sapientis suggestionem, et spiritalis doctrinæ eruditionem caput Seba absciderant, id est diabolum a corde suo abjecerant, mox ad David revertuntur, cum Christum Filium Dei corde credulo venerantur.

CAPUT XXI.

Hic sequitur qualiter fames facta est in diebus David tribus annis. Et cum consuluisset Dominum, responsum est : Quod propter Saul et domum ejus et sanguinem, quia occidit Gabaonitas, et reliqua. Filii Saul qui cum Doeg Idumæo, dum adhuc pueri essent, sacerdotes et Gabaonitas in Nobe occiderant, hi sunt Armoni et Miphiboseth, quos peperit ei Respha filia Ahia, et quinque filii Michol filiæ Saul, quos genuit Adrieli filio Berzellai, qui fuit de domo Lathi. Quæritur cur filii Michol dicuntur, cum non Michol, sed ejus soror Merod uxor fuerit Adrieli filio Bercellai ? Quod ita solvitur : Merob quippe eos naturaliter genuit, et Michol uxor David, quæ et Egla dicitur, eos in loco filiorum nutrivit, et sibi in filios adoptavit, idcirco ejus filii dicuntur : « Filii enim Israel, ut Scriptura refert, juraverunt Gabaonitis, sed Saul voluit percutere eos zelo quasi pro filiis Israel et Juda. » eo quod eosdem vivere Josue gratis quodammodo

permiserit, et abstulerit a filiis Israel prædam eorum injuste. A Hujus ultionis causa in Gabaonitas Abimelech sacerdos exstitit, et ideo fames exorta est. Fames itaque hæc significat sterilitatem bonorum operum in plebibus, propter negligentiam doctorum dum inserviunt cupiditatibus terrenis, et non procurant pastum impendere prædicationis. Necantur ergo Gabaonitæ, cum studium rectæ conversationis, et restauratio penitentiæ, post lapsum ab incautis per hæreticos seu per malignos spiritus subtrahitur. Gabaon enim *collis mœroris* interpretatur. Et bene Gabaonitæ interfecti dicuntur, cum desidiosi quique post perpetrata scelera, vana spe securitatis a diabolo deluduntur, qui dicunt : «Faciamus mala, ut veniant nobis bona (*Rom.* III) : » quorum damnatio justa est. Sed Respha quæ inter- B pretatur *cursus*, filia Ahiæ, qui interpretatur *frater ejus*, *tollens cilicium*, substravit sibi super petram, et donec stillaret aqua super eos de cœlo, et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem, cum pia sollicitudo sanctorum talibus succurrens rigore jejunii atque instantiæ precum incumbit, donec misericordiam Dei impetret super eos de cœlo : compescens videlicet pravos homines, necnon et malignos spiritus, pravis suggestionibus eorum vitam ulterius corrumpere.

« Factum est autem rursum prælium Philisti« norum adversus Israel, » et reliqua, usquequo ait, « tertium quoque bellum fuit in Gob contra « Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius C « saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Ge« thæum. » Multi igitur requirunt quis fuerit iste Adeodatus, filius saltus, polymitarius, Betlehemites. Sed Hebræus sæpe dictus ita exponit. Adeodatus, inquit, ipse est David. Idcirco dicitur Adeodatus, quia a Deo electus est in regnum. Filius saltus, quia de saltu ubi oves pascebat, eductus est. Polymitarius vero, quia de genere Beseleel mater ejus fuit Bethlehemites, quia de Bethlehem civitate exstitit. Nam Noemi et Ruth tempore ubertatis, ex quibus David ortus est, reversæ sunt in Bethlehem. Et quia causa panis Ruth Booz nota est : idcirco idem locus domus panis vocatus est. Unde Gob in quo fuit bellum, ut idem Hebræus transtulit, *lacus* interpretatur : idcirco quia sicut in lacum D leonum quis nutritur et præceps labitur, ita David semetipsum contra Goliath fortiter ad pugnandum opposuit. Quem etiam sensum videlicet quod ab eo datus David intelligitur, sequentia declarant, ubi, expletis præliis, subjungitur :

« Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, et ce« ciderunt in manu David et servorum ejus. » Judæi quoque hanc Arapham, matrem gigantum : Orphan, nurum Noemi esse arbitrantur. Nam et taliter nos etiam in cujusdam volumine scriptum reperimus. Josephus in duobus præliis concordat cum Scriptura Regum. De tertio prælio ait : quod apparuit fortis, mittente David exercitum nomine Ephan, cognatus ejus. Sed utrum ipsum Adeodatum Ephan appellaverit, vel alium quemlibet hoc nomine notaverit, incertum est.

« Quartum bellum fuit in Geth, » et reliqua, usquequo ait, « Hi quatuor nati sunt de Arapha in « Geth, et ceciderunt in manu David et servorum « ejus. » Quatuor ista bella contra Palæstinos bellum significant Christi quod omni tempore istius vitæ in membris suis contra perfidos quosque istius sæculi, et contra spiritales nequitias incessanter agit. Licet enim fastus mundanus, vel propter vitas malignorum spirituum, se erigat contra Ecclesiam Christi, omnis tamen principatus adversariorum, vero David, hoc est rege Christo imperante ac prælia servorum suorum disponente, cedit, et omnes adversarii vincuntur. Unde Psalmista ex persona Ecclesiæ confidenter dicit : « In Deo faciemus virtutem, » etc.

CAPUT XXII.

« Locutus est autem David Domino verba car« minis hujus, in die qua liberavit eum Dominus « de manu omnium inimicorum suorum, et de « manu Saul. Et ait : Dominus petra mea, » etc. Quæritur cur solus septimus decimus psalmus tantummodo in libro Regum reperiatur conscriptus ? Nec immerito psalmus iste in Regnorum libris solus invenitur, quia regnum illud significat, ubi adversarium nullum habebimus. Et hoc est, quod in prætitulatione psalmi hujus scribitur ; In die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul. »

«Et ait : Dominus petra mea et refugium meum.» Quis enim figuratur in David nisi ille qui venit secundum carnem ex semine David? Qui utique in corpore suo quod est Ecclesia, adhuc patitur inimicos, quod corpus non eripitur de manu inimicorum, nisi cum et « illa novissima inimica destruetur mors (*I Cor.* XV), » ut perveniatur ad regnum Dei. Nam psalmus hic uni tantum non potest convenire personæ, sed quatuor divisionibus subjacebit. Id est primo ordine propheta loquitur, qui gratias agit quod eum de gravibus periculis divina pietas liberare dignata est. Secundo, Ecclesia, eo quod per multas calamitates Christianum populum ad baptismum de orbis universitate collegit. Tertio, vox Salvatoris illabitur, ubi pulcherrimis allusionibus virtus ejus et potestas describitur. Quarto iterum Ecclesiæ dicta proferuntur, et concessa munera Christi laudantur.

« Et exaudiet de templo sancto suo. » Templum Dei, Filius Dei.

« Et contremuit terra. » Terra peccato. « Funda« menta montium, » spes superborum. « Quoniam « iratus est eis, » quia recognoverunt iram Dei.

« Fumus, » compunctio pœnitentium. « Carbones « succensi sunt ab eo. » Corda hominum inflammata à Spiritu sancto.

« Inclinavit cœlos. » Quia ipsos, de quibus dictum est : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII), » de ad-

ventu suo nuntios misit, et descendit, formam A servi suscipiendo.

« Cherubim, » scientiæ plenitudo. « Pennas ventorum, » scientiæ sanctorum.

« Tonabit de cœlis Dominus, » id est, de apostolis.

« Misit sagittas suas. » Sagittæ, evangelistæ. « Fulgura, » miracula sanctorum.

« Fundamenta terræ, » fides Ecclesiæ manifestata.

« Misit de cœlo et assumpsit me. » Id est, Filium suum Pater misit, et assumpsit Ecclesiam suam.

« Liberavit me de inimico meo potentissimo, » id est, ex diabolo.

« Et eduxit me in latitudine, » hoc est, in charitate.

« Retribuet mihi secundum justitiam meam. » B Id est, secundum innocentiam fidei et bonorum operum et actuum.

« Cum sancto sanctus eris. » Ad Dominum dicitur, qui cum sancto utique sanctus.

« Cum electo electus eris, et cum perverso per« verteris. » Ob hoc quod eis non favet, perversus esse videtur : quia « superbis resistit, humilibus dat gratiam (*Jac.* IV). »

« In Deo meo transiliam murum. » Murum itaque illum, quem humano generi inter Deum et hominem erexerant peccata.

« Coæquans pedes meos cervis. » Cervos spirituales viros appellat, propter alacritatem velocis cursus. « Spinas et vepres. » Hoc est, implicamenta sæculi hujus transilientes. C

« Persequar inimicos meos et conteram, et non « revertar donec consumam eos. » Christus Judæos atque omnes infideles consumit, similiter et anima electa vitia sua per augmenta virtutum consummat.

« Inimicos meos dedisti mihi dorsum. » Hoc quod alibi scriptum est : « Sede a dextris meis, « donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*Psal.* CIX). »

« Salvabis me a contradicentibus populi mei. » Vox Christi a contradictione Judæorum, per Patris sui potentiam salvatus atque in caput gentium constitutus.

« Filii alieni resistent mihi. » Filii alieni Judæi sunt, quibus dictum est : « Vos ex patre diabolo D estis (*Joan.* VIII). »

« Deus qui das vindictas mihi. » Hoc est, in futuro judicio, cum eis cœperit reddere quod merentur.

« A viro iniquo liberabis me. » Hoc est, Ecclesiam suam de potestate diaboli erepturus est.

« Et faciens misericordiam Christo suo David. » David Christum significat, semen ejus omnes electos

CAPUT XXIII.

« Hæc sunt verba novissima David filii Isai. » Verba novissima David non finienda dicit, sed perficienda : non consumenda, sed quæ cunctis fidelibus perfectionis plenitudinem conferant : et ideo ultimam confessionem laudis significant, quam superato hoste, et peracta victoria mortis, laudem sancti in æternum Deo cantabunt. « Dixit vir cui « constitutum est de Christo Dei Jacob : egregius « psaltes Israel. » Id est, nobilis psalmista, qui videlicet et propheta luculento sermone et manifestissime de Christo Filio Dei Jacob, et de incarnatione ejus, ac redemptione humani generis prophetavit.

« Spiritus Domini locutus est per me, et sermo « ejus per linguam meam. Deus Israel mihi locu« tus est, fortis Israel, dominator hominum ju« stus. » Spiritus enim Domini, qui est Spiritus sanctus : et sermo Domini, qui est Filius Dei : ea quæ propheta vaticinaverat, per gratiam suam veraciter proferre donaverat.

« Ipse enim spiritus Dei Jacob dominatur in ti« more Domini, sicut lux auroræ oriente sole, « mane absque nubibus rutilat. » Aurora, Ecclesia, oriente sole, Christo resurgente a mortuis, absque nubibus rutilat, id est, absque peccato infidelitatis resplendet in miraculis. Pluvia, Evangelica prædicatio : herba credentem significat populum : terra vero Ecclesiam. Potest moraliter intelligi aptius : Qui enim in timore Domini dominationem in subditis exercet, lucis opera per solem justitiæ illuminata profert : nec in eis aliquid remanebit obscurum, sed imbre cœlestis gratiæ irrigatus, germina virtutum in carne vivens, fructificat.

« Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pa« ctum æternum iniret mecum firmum in omnibus « atque munitum. Cuncta enim salus mea et om« nis voluntas, nec est quidquam ex ea quod non « germinet. » Hinc idem propheta in Psalmis dicit, quod beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte, sit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur (*Psal.* I).

« Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur « universi, qui non tolluntur manibus : Et si quis « tangere voluerit eas, armabitur ferro lanceato, « igneque succensæ conburentur usque ad nihi« lum. » Quod potest et juxta superiorem sensum de Judæis et de hæreticis, qui velut spinæ, de Ecclesia, quæ est terra viventium, evulsi, atque æterno incendio traditi, specialiter intelligi. Potest et generaliter de omnibus reprobis intelligi, juxta quod in Evangelio dicitur : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur (*Matth.* III), » etc. Et iterum : « Filius, inquit, hominis mittet angelos suos et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittet eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* XIII). » Ille scilicet quasi tangens spinas armabitur ferro et ligno lanceato, qui communicans peccatis alienis propter duritiam cordis sui, iniquitatum pondere premitur, et jaculis peccatorum confodietur : cujusque opera æternis gehennæ ignibus digna ad nihilum redigentur.

« Hæc nomina fortium David sedens in cathedra « sapientissimus princeps inter tres : ipse est quasi

« tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos in« terfecit impetu uno. » Quod dicitur de sapientissimo principe fortium David, cujus quidem nomen in Regum libro tacetur, at vero in libro Paralipomenon Jesbaam nominatur. « Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. » Virtus in hoc bellica, simul et modesta viri designatur civilitas : quia videlicet sicut vermiculus ligni, tener quidem et fragilis toto suo corpore, nec non et permodicus apparet, nihilominus tamen fortissimum ligni robur exedens consumit, et scabrosum et cariosum reddit. Unde et a terendo ligna teredonis nomen habet. Sic ille affabilis omnibus domi, et quietus atque humilis videbatur : at in certamine publico robustum se atque intolerabilem hostibus exhibebat. Sed hunc principem. Hebræus ipsum suspicatur esse David. Ecce historiam tetigimus, sed quid spiritaliter significet, breviter indagemus. Ait enim : « Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. » David ligni vermiculus fuisse scribitur, quod utique Dominico homini specialiter congruit : ex cujus persona Psalmographus cecinit : « Ego autem sum vermis et non homo (*Psal.* XI). » Quemadmodum enim lignum ex se vermiculum procreat, ita quoque beata Maria virgo, videlicet de radice Jesse, absque opere nuptiali, florem protulit Dominum et Salvatorem : qui octingentos interfecisse impetu uno dicitur quia ut Evangelista pronuntiat de homine uno, qui universarum gentium typum præferebat, « uno impetu, » id est sermonis imperio, legionem expulit dæmonum.

« Post hunc Semma filius Age de Arari. Et con« gregati sunt Philisthiim in statione, » etc. Semma *audiens*, Age *meditans* sive *loquens*, Ararites *montanus*. Semma, filius Age, personam gestavit Domini et Salvatoris nostri, sive sanctorum prædicatorum ejus : qui in agro Ecclesiæ stans, infirma membra illius de adversariis potestatibus, velut hordeum tuetur : vel certe verecundiam castitatis in continentibus, quasi lentes gladio oris sui, contra luxuriam defendit.

« Necnon et ante descenderant tres, qui erant « principes in triginta, et venerunt tempore messis « ad David in speluncam Odollam. » Tres isti fuerunt, Abisai filius Sarviæ et sub hoc Hai Usitates, et Jonathan filius Sammaa fratris David.

« Hi etiam tres irruperunt castra Philisthino« rum, et hauserunt aquam de cisterna Bethle« hem. Et de tribus istis Abisai quoque frater Joab, « filius Sarviæ, princeps erat de tribus istis nomi« natis, in tribus illis et inter tres nobilior. Desi« deravit igitur David et ait : Si quis mihi daret « potum de cisterna quæ est in Bethlehem juxta « portam. Irruperunt ergo tres fortes castra Phi« listhinorum, et hauserunt aquam. At ille noluit « bibere, sed libavit illam Domino. » Qui fuerint hi tres fortissimi, jam superius inculcavimus. Cæterum spiritaliter quem in hoc desiderio ipse David præfiguravit, nisi omnes sanctos Patres, qui ante legem, vel sub lege fuerunt, adventum Salvatoris præstolantes, ad ejus præsentiam pervenire

A nequiverunt? Illum videlicet fontem sitientes in quo est remissio peccatorum : non qui periculis quæreretur alienis, sed qui aliena pericula deleret. Verum moraliter ex hoc facto cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat : ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam commissa, et se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse. Nimia sunt quæ loquor, si hæc ex sacri eloquii testimonio non affirmo. Lex certe Veteris Testamenti alienam uxorem concupisci prohibet : at regem vero fortia jubere militibus, vel desiderare aquam, non pœnaliter vetat. Et cuncti novimus quod David, concu-B piscentiæ mucrone transfixus, alienam conjugem appetivit et abstulit, cujus culpam digna verbera sunt secuta : et malum quod perpetravit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum, longe post, contra ostium sederet, aquam bibere ex eorum cisterna ex desiderio voluit. Cujus electi milites, inter catervas adversantium medias erumpentes, aquam quam rex desiderabat illæsi detulerant. Sed vir flagellis eruditus, semetipsum protinus cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit, eamque Domino fundens libavit, sicut illic scriptum est : « Libavit eam Domino. » In sacrificium quippe Domini effusa aqua consensa est, quia culpam concupiscentiæ mactavit, per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupi-C scere alienam conjugem nequaquam timuit, post etiam quia concupiverat expavit. Quia enim illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum jam rigidus, etiam a licitis abstinebat. Sic agamus pœnitentiam, ut ea quæ commisimus perfecte defleamus. Verum juxta historiam quod oblatam aquam bibere noluit, sed eam Domino libavit, exemplum præbuit militibus suis fortitudinis et constantiæ. Vicit ergo naturam, ut sitiens non liberet, ut suo exemplo omnis exercitus sitim disceret.

« Abisai quoque frater Joab, filius Sarviæ, prin« ceps erat de tribus. Ipse levavit hastam suam « contra trecentos quos interfecit, nominatus in « tribus, et inter tres nobilior, eratque eorum prin« ceps, sed usque ad tres primos non pervenerat. » Sciendum est quod isti tres primi (ad quos Abisai, D qui erat inter tres nobilior et princeps, non pervenisse dicitur) neque in hoc volumine, neque in Paralipomenon libro qui fuerint leguntur : necnon etiam ferventi æstu, libros Antiquitatum Josephi perlustrantes, minime invenire potuimus, nisi forte illi intelliguntur (sicut Hebræi tradunt) quos superius jam nominavimus : aut illi, quos Josephus narrat aquam David de cisterna Bethlehem attulisse, quos nominat Jesbaam filium Accamoni, quem alibi Eusebius filium Achimei nuncupat, et Eleazarum filium Ochoi, quem dicit esse filium Dodim, atque Semma filium Age, quem appellat alibi filium Heli, de quibus sacra Scriptura nil loquitur. Unde nonnulli non solum Hebræorum, verum etiam Latinorum, tropice tres primos, tres vir-

tutes David, intelligi volunt, sapientiam videlicet, humilitatem, et fortitudinem, sicut in præcedentibus dicitur, « sedens in cathedra sapientissimus,» ecce sapientiam. « Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, » ecce humilitatem. « Qui octingentos interfecit impetu uno, » ecce fortitudinem. Ad has tres virtutes nemo fortium David pervenit, ideoque ipse est princeps fortium suorum. Verum si quis aliam expositionem invenerit, promulgare studeat et nos libenter ei obsequium dabimus, qui profecto aliam invenire non potuimus; his enim expletis, quid spiritualiter significet, innuamus. Iste enim Abisai, qui levavit manum suam contra trecentos, figuram prætendisse Salvatoris sive sanctorum prædicatorum non dubium est: qui vexillo crucis atque hasta prædicationis, inimicos fidei, velut trecentos viros, convincunt atque prosternunt.

« Et Banaias, filius Joiadæ, viri fortissimi magnorum operum de Capseel, ipse percussit duos « leones Moab, et ipse descendit et percussit leonem « in medio cisternæ diebus nivis. Ipse quoque in- « terfecit virum Ægyptium, virum dignum specta- « culo, habentem in manu hastam. Itaque cum des- « cendisset ad eum in virga, vir extorsit hastam de « manu Ægyptii, et interfecit eum hasta sua. » Notandum quod in Hebræo non habetur, (sicut in cujusdam volumine reperitur) magnorum operum, sed magister operum. Capseel enim interpretatur *congregatio Dei*: magister enim erat de congregatione et legione Dei, id est Cerethi et Pherethi, qui interpretantur *occidentas* et *vivificantes*. Ipse enim percussit duos leones Moab, quos nonnulli intelligi volunt, duos potentes ac fortissimos viros in regno Moab. In quo etiam intellectu, vir quidam doctus in Scripturis, et solers in amore sapientiæ, qui me in sacris litteris erudire consuevit, consentire videtur. Quos Paralipomenon, duos Ariel Moab nominat. Unde et Ariel vel viri potentes Moab vel leones nuncupatur. Ariel enim interpretantur *leo Dei*. Quos Banaias, dum provocatus esset ab illis, superatos interfecit. Quando enim David eosdem Moabitas bello aggressus est, et fecit tres funiculos duos ad mortificandum, et unum ad vivificandum, isti potentes Moabitas tuebantur. Quod dicitur de Banaia : « et ipse decendit et percussit in media cisterna diebus nivis leonem », quomodo sit factum, Josephus narrat apertius: quia videlicet cisterna fuerit nimium profunda, quæ tempore hiemis cum essent omnia nivibus plena, ipsa quoque nimio nivium aggere, fuerit coæquata. In quam cum leo superveniens periculi nescius incidisset, ibidemque conclusus grandi rugitu clamaret, accurrebant homines videre quid esset. Et dum cum aliis ad tale spectaculum adveniret Banaias, desiliit statim in cisternam: et aggressum mediis in nivibus percussit et interfecit leonem. Spiritualiter Banaias, qui interpretatur *ædificator Dominus*, personam in se expressit Salvatoris, de quo Propheta vaticinaverat, quia per eum ædificanda Ecclesia esset, dicens: « Ædificans Hierusalem Dominus (*Psal.* CXLI). » Et iterum: « Dominus ædificabit Sion (*Psal.* CI), » quam Paulus construi videns aiebat: « Dei ædificatio estis (*I Cor.* III): » Qui de cœlis descendit in lacum sæculi istius: qui calentes aquas, hoc est mentes hominum, in malitia ferventes, nive et frigore infidelitatis, in aqua prædicationis suæ, sive fluento baptismatis, refrigeravit: « et interfecit leonem,» hoc est diabolum, gladio verbi sui. « Ipse enim est auricularius David, Dei scilicet Patris: cui vera divinitas omnem scientiam atque intelligentiam contulit.

« Hæc fecit Banais, filius Joiadæ, et ipse nomi- « natur inter tres robustissimos qui erant inter tri- « ginta nobiliores. Verumtamen usque ad tres non « pervenerat, » Intelligitur, quia ipse nominari dignus esset inter robustos, id est Abisai et Subochai et Jonathan, quippe qui viribus eis æquari posset, qui etiam erant inter triginta. Notandum quod quidam Hebræorum leonem hunc quem Banaias interfecit, Joab intelligi volunt: qui in media cisterna, id est, in domo Domini, ubi cornua altaris tenebat, occisus est. Et puta altare cisternam significare: videlicet quia, inquit, sicut aqua cisternæ munditiem affert, ita nihilominus sanctuarium Domini peccata expiabat. « In diebus nivis, » quia per mortem expiavit peccatum, juxta illud Psalmistæ: « Lavabis me, » quod impletum est in media cisterna: « et super nivem dealbabor (*Psal.* L): » quod impletum est in eo quod ait, « diebus nivis. » De eo autem quod subsequenter narratur: « Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo. » Virum istum Ægyptium Semei filium Jera esse arbitrantur, qui malexit David. Sciendum est quod idem Semei de Bahurim fuerit ideo Ægyptius dictus, quia opera illius Ægyptii, Deum blasphemantis (quem Moyses, jubente Domino, interfecit in eremo) imitatus fuit. Ille enim blasphemavit Deum, et iste maledixit prophetam et regem. « Virum dignum spectaculo. » Spectabatur enim, ut si egrederetur Jerusalem, interficeretur. « Habentem in manu hastam,» id est legem Dei, quam si meditatus fuisset permanendo in Hierusalem, non perimeretur. Quia ergo præceptum regis irritum fecit, exeundo foras Hierusalem, idcirco in eum a Bannia, « in virga, » id est rectitudine justitiæ, descensum est: et hasta, quam jam non rectam tenebat, vi ab eo extorta est: quem sensum non refragamus, sed diligenti lectori relinquimus. Descriptus enim ex parte catalogus virorum fortium in figuram sanctorum, qui quamvis virtutum sublimitate proficiant, tamen usque ad excellentiam divinæ Trinitatis nequaquam attingant. Inde est quod ibi scriptum est de Joab, usque ad tres non pervenit. Quis enim æquabitur Domino, aut quis similis erit inter filios Dei? Ac per hoc vera potest illa solutio esse, quam superius de tribus primis fortissimis, videlicet tribus virtutibus David, descripsimus: ad quas nemo fortium pervenire potuit. Et ideo tropice sermo divinus in figuram Salvatoris ita protulit dicens, sed usque ad tres primos non pervenerat.

« Asael frater Joab inter triginta. Eleanan filius « patrui ejus de Bethlehem. Semma de Arari. Elica « de Harodi. Heles de Phalti. Hiri filius Acces de « Thecua. Abiezer de Anathoth. Mobonnai de Hu« sati. Selmon Ahohites. Macharai Netophatites. « Heleb filius Baama, et ipse Netophatites. Itai filius « Ribai, de Gebeeth filiorum Benjamin, Banaian « Pharathonites. Hedai de torrente Gaas. Albialbon « Arbathites. Azmavet de Berhomi, Elihaba de « Saalboni, Pilii Jasen, Jonathan, Semma de He« rodi. Ahiam filius Saar Ararites. Eliphalet filius « Ahasbai. Filii Maachati. Etiaam filius Achitophel « Gilonites, Hesraï de Carmelo, Pharai de Arbi, « Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gaddi, Se« lee de Ammoni, Naharai Berothites, armiger Jo« ab filii Sarviæ Hira Jethrithes, » et reliqua, usque- B quo ait, « omnes triginta septem. » Notandum est, quia cum his triginta, etiam septem fortiores, et nominati in hoc calculo comprehenduntur, David videlicet, qui appellatus est Adeodatus, Abisai et Subochai. Jonathan, Eleazar, et Semma et Banaias: ecce septem. Triginta hi sunt: Asael, Eleanan, Semma de Arari, Elica, Heles, Hira, Abiezer, Mobonnai, Selmon, Macharai, Heleb, Itai, Banaian Pharathonites, Hebai, Abialbon, Azmavet, Elihaba Semma de Horodi, Aiam, Eliphelech, Etiam, Hesrai, Pharai, Igaal, Bonni, Selech, Naharat, Hira, Gareb, Urias Hethæus. Ideo ergo Urias Hethæus ultimus ponitur, propter id quod sequitur in sequentibus.

« Et addidit furor Domini irasci contra Israel. » C Jam enim ultio facta fuerat in David et in domo ejus. In populo vero qui noluit resistere David in pereundo Uria, et hæc nundum ultio divina facta fuerat; idcirco hic ultimus ponitur, ut ultio magni ejus peccati monstraretur. Cæterum in hoc numero omnis perfectio sanctorum designatur. Denarius numerus ad decalogum legis pertinet; ternarius vero ad fidem sanctæ Trinitatis; septenarius autem ad septiformem gratiam Spiritus sancti: ter deni triginta fiunt.

CAPUT XXIV

« Et addidit furor Domini irasci contra Israel, « commovitque David in eis, dicentem: Vade, nu« mera Israel et Judam. Dixitque rex ad Joab D « principem exercitus sui: Perambula omnes tri« bus Israel a Dan usque Bersabee, et numera po« pulum, » et reliqua. Fastu enim superbiæ tactus, et repentino tumore elationis inflatus pro culpa populi, maxime qui eum in proditione Uriæ non redarguit, occulto judicio Dei contra voluntatem Domini eumdem populum numerare compulit: culpa enim illius punita fuerat, sed peccatum populi (ut dictum est) inultum manebat.

« Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi « regi, et inventa sunt de Israel octingenta millia « virorum fortium, qui educerent gladium. Et de « Juda quingenta millia pugnatorum. » Notandum autem quod in Paralipomenon legitur mille millia et centum millia de Israel; de Juda quadringenta A septuaginta millia, quos quidem ab Joab numeratos esse, sed summam eorum noluisse ostendere David, nisi tantum quantum in Samuelis libro scribitur.

« Percussit autem cor David postquam numera« tus est populus, et dixit David ad Dominum: Pec« cavi valde in hoc facto; sed precor, Domine, ut « transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi « nimis, » et reliqua. In libro quoque Exodi, præcepit Dominus Moysi, dicens: « Quando tuleritis summam filiorum Israel, juxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis cum fuerint recensiti (*Exod.* xxx).» Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen dimidium sicli, juxta mensuram templi. Siclus viginti habet obolos. Media pars sicli offeretur Domino, qui habetur in numero, a viginti annis et supra dabit pretium. Dives non addet ad medium sicli, pauper nihil minuet. Susceptamque pecuniam quæ collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, et propitietur animabus eorum. Hoc ergo oblitus est David facere, idcirco offendit Deum, et ob hoc plaga venit in Israel. « Cumque ve« nisset Gad ad David, nuntiavit ei dicens: Aut « septem annis veniet tibi fames in terra tua, » etc. Sed mystice hic intelligi potest fames septem annorum, etc., si cui placuerit. Septem annis infideles Judæi famem sustinent, quia septiformis gratia Spiritus sancti, pane verbi Dei eos nequaquam pascit. Ipsi enim tribus mensibus inimicis suis se persequentibus cedunt, quia ob hoc in nomine sanctæ Trinitatis, per lavacrum regenerationis innovati non sunt: hostibus, hoc est immundis spiritibus resistere non valentes, terga dant. Ipsos denique angelus percutiens, quasi tribus diebus flagellat: quia negantes Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ex cujus fide vivere poterant, in impietate sua increduli moriuntur.

« Immisitque Deus pestilentiam in Israel, de « mane usque ad tempus constitutum, et mortui « sunt ex populo, a Dan usque Bersabee, septua« ginta millia virorum. » Et hoc qualiter gestum sit, Josephus refert verbis plurimis dicens: Prophetis itaque declarantibus David quod ei Deus irasceretur, supplicare cœpit eumque rogare, ut propitius esset, et veniam peccati concederet. Tunc ergo Gad prophetam misit ad eum Deus, tres supplicii conditiones portantem, ut earum quam probaret, eligeret, utrum vellet famem in provincia generari septem annis, aut tribus mensibus pugnando vinceretur hostibus, aut certe morbus et languor accideret tribus diebus Hebræis. Cumque ille esset in anxietate et vehementer animo confusus, et propheta diceret hoc omnimodo imminere et responsum velociter exigeret, ut electam ab eo conditionem renuntiaret Deo, cogitans rex, quia si famem eligeret, contra alios hoc facere videretur, quando ipse quidem habens multa frumenta, non pateretur inopiam, reliquis vero esset angustia; item si eligeret trium

mensium victoriam hostium, ipse quidem habens circa se viros fortissimos et custodes, nihil omnino metueret, neci vero ejus exercitus subjaceret; inter hæc autem communem potius passionem et regnum et subjectorum elegit, in qua timor omnibus est æqualis, dicens : Quia multo melius in manus Dei, quam in hostium manus incidere. Hæc audiens propheta renuntiabat Deo : qui morbum et interitum misit in exercitum Hebræorum. Moriebantur enim (ut idem historiographus ait) non uno modo, ut facile languor potuisset agnosci, facile peribant. Alius enim super alium moriebatur. Alii super mortuos quos sepeliebant, ipsi quoque moriebantur. Sic diversis morbis (sicut ille refert) interibant. Incipiente itaque pestifero languore eos ab hora matutina perimere usque ad horam prandii, consumpta sunt septuaginta millia. Hic enim nihil aliud dicere valemus, nisi quod papa Gregorius moraliter, egregius tractator, in hoc facto David protulit. Ait enim : Pro qualitatibus subditorum, disponuntur acta regentium : ut sæpe pro malo grege, etiam vere boni delinquat vita pastoris. Ille enim, Deo attestante, laudatur; ille supernorum mysteriorum conscius David propheta tumore repentinæ elationis elatus populum numerando peccavit : Dei tamen vindictam populus, David peccante, suscepit. Cur hoc : quia videlicet secundum meritum plebium, disponuntur corda rectorum. Justus vero judex peccantis vitium, ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit. Sed quia ipse sua scilicet voluntate superbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam suscepit. Nam ira sæviens quæ corporaliter perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. Certum vero est, quod ista sibi invicem et rectorum merita connectantur et plebium, ut sæpe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, ut sæpe ex merito plebium mutetur vita pastorum. Sed quia rectores habent judicem suum, magna cautela subditorum est non temere vitam judicare regentium. Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, et cathedras vendentium columbas evertit (*Luc.* XIX) : nimirum significans quia per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum. Quamvis etiam subditorum vitia, quæ a magistris modo vel dissimulantur judicari, vel nequeunt : ejus proculdubio judicio reservantur. Igitur dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si quidquid prioris est, toleratur: debet tantummodo humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displiceat emendari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam transeat justitiæ inordinata defensio : dum enim rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittitur : ne eum sibi præesse quis despiciat, quem fortasse contingit ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ subditorum, mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. Has vires nostras veraciter examinare negli-

A gimus, et quia nobis fortiora credimus, idcirco eos qui nobis prælati sunt, districte judicamus. Quos enim nosmetipsos minus agnoscimus, eo illos quos reprehendere nitimur, plus videmus : singula hæc mala sunt, quæ a subditis sæpe in prælatos, sæpe a prælatis in subditos committuntur : quia et omnes subditos hi qui præsunt sapientes minime arbitrantur. Et rursum, qui subjecti sunt, rectorum suorum actiones judicant : et si ipsos regimen tenere contingeret, se potius agere putant melius. Unde plerumque sicut et rectores minus prudenter ea quæ agenda sunt vident, quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat : et nonnunquam is qui subjectus est, hoc cum prælatus fuerit facit, quod dudum fieri subjectus arguebat : et

B pro eo quod illa quæ judicaverat, perpetrat, saltem quæ judicavit erubescat. Igitur sicut prælatis curandum est, ne eorum corda æstimatione singularis sapientiæ locus superior extollat, ita subjectis providendum est, ne sibi rectorum facta displiceant. Si autem magistrorum vita vere reprehenditur, oportet utique subditi, etiam cum displicet, magistrum venerentur. Sed et hoc solerter intuendum est, ne aut quem imitari despicis, venerari contemnas. Subtilis etenim via tenenda est rectitudinis et humilitatis, ut sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens a servanda magisterii reverentia non recedat.

« Erat autem angelus Domini juxta aream « Areuna Jebusæi. Dixitque David ad Dominum,

C « cum vidisset angelum cædentem populum : Ego « sum qui peccavi et ego inique egi : isti qui oves « sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus « tua contra me, » etc. In Paralipomenon ita scriptum est (*I Paral.* XXI) : « Porro angelus Domini stabat juxta aream Ornan Jebusæi. Levansque David oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter cœlum et terram, et evaginatum gladium in manu ejus, et versum contra Hierusalem, et reliqua. Area Areuna, vel area Ornan, ipsa est videlicet Hierusalem.

« Venit autem Gad ad David, et dixit ei : Ascen« de, constitue Domino altare in area Areuna « Jebusæi. Et ascendit David juxta sermonem Gad, « quem præceperat ei Dominus. Conspiciensque

D « Areuna, animadvertit, regem et servos ejus « transire ad se, et egressus adoravit regem « prono vultu in terram, et ait : Quid causæ est, « ut veniat Dominus meus rex ad servum suum? « Cui David ait : Ut emam a te aream, et ædifi« cem altare Domino, et cesset interfectio quæ « grassatur in populo. Et ait Areuna ad David, » etc. Areuna namque interpretatur *area*, et Ornan Latine resonat *lumen nobis*. Bene ergo cum Deum pro offenso quo peccavit placare vellet, altare jubetur in area Areuna vel Ornan construere, ut inde unusquisque conjiciat quia aliter divinitas ab homine placari non potest, nisi in area cordis, per lumen rectæ fidei et veræ dilectionis, altare illi devotæ humilitatis constituat, in quo sacrificium piæ confessionis ac laudis Deo acceptabile

offerat. Quod recte per eumdem prophetam in Psalmis manifestatur, ubi dicitur ex persona Domini: « Sacrificium laudis honorificabit me (*Psal.* XLIX) » Et iterum: « Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L). »

« Emit ergo David aream et boves argenti siclis « quinquaginta. » Quod in Paralipomenon ita legitur: « Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos.» Intelligendum namque est boves argenti siclis quinquaginta, aream vero sexcentis aureis emisse.

« Et ædificavit ibi David altare Domino, et obtu« lit holocausta et pacifica. Et repropitiatus est « Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israel.» Hinc quoque Verba dierum ita narrant: « Tabernaculum autem Domini quod fecerat Moyses in deserto et altare holocaustorum et tempestate erat in excelso Gabaon, et non prævaluit David ire ad altare, ut ubi obsecraret Dominum. Nemo timore fuerat perterritus, videns gladium angeli Domini. Dixitque David: Hæc domus Domini, et hoc altare in holocaustum Israel. Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de terra Israel, et constituit ex eis latomos ad cædendos lapides et poliendos, ut ædificaretur domus Domini. » In illo siquidem loco, ut Hebræi autumant, aliquando contigerat Abraham offerre filium suum Isaac, quando cum jam paratus esset occidere filium, et in holocaustum exhibere, improviso aries apparuit, et altare circumstetit, quem Abraham pro filio immolavit. Potest vero area Areuna ubi David altare construxit altius intelligi. Quid per aream Areuna Jebusæi, nisi Ecclesiam ex gentibus collectam significat? In qua Ecclesia postquam altare fidei verus David, hoc est, Salvator noster erexit, confestim mors impietatis, quæ in populo Dei grassabatur, cessit. Hanc aream David quinquaginta argenti siclis emit: quia et Dominus Jesus Christus Ecclesiam suam pretioso sanguine suo emptam, ac per septiformis gratiam Spiritus sancti a cunctis suis delictis purgatam, in domum sibi sempiternam sanctificavit.

IN LIBRUM TERTIUM.

PRÆFATIO.

Expletis duobus libellis Regum voluminis, divina videlicet immeriti auxiliati clementia, tanquam quodammodo ex thesauris divitum, sanctorum scilicet doctorum, duo minuta abstrahentes, quæ, ut potuimus, in gazophylacium Domini contulimus, ne ingrati ex nostræ paupertatis ingenio fortassis videremur a Domino, ne talentum etiam idipsum frugalitatis collatum, rure defossum inveniretur absconditum, et damnationis pœna mulctaremur acerrime. Ubi admodum vastum transivimus æquor, auxiliati videlicet Cunctipotentis ope, qui imperat ventis ne noceant rati. Nunc siquidem, quanquam pavidi, tertium aggredi conabimur librum: in quo maxime flatu indigemus quidem divini Spiramis, ne nostra carina tandem fracta veniat in scopulis, et syrtim illisa demersa remaneat in reumate gurgitum: Sed ipso afflante ac dignanter opitulante, portum quietudinis ovans obtineat, ut Dominica quodammodo commercia illæsa permaneant, et ex tanta profunditate voluminis, ac thesauro divini gazophylacii, saltem valeamus cum Magis auri et thuris et myrrhæ Domino conferre donaria. Quoniam si in omnibus egemus Spiritus sancti juvamine, nunc quoque in hoc sacro volumine permaxime indigemus divino suffragio, quia multis obscuritatibus abditus videtur in allegoriarum sententiis, præsertim in templi ædificiis et prophetarum mysteriis, ut, ipso adminiculante, qui dedit Salomoni sapientiam plurimam, valeamus cœptum opus explere sagaciter. Unde jam ejus freti auxilio, ad eum describendum vertamus articulos.

CAPUT PRIMUM.

« Et Rex David senuerat, habebatque ætatis plu« rimos annos,» et reliqua. Senectus David humani generis figuravit Vetus Testamentum, in quo quia fides defecerat velut in David, dilectio Dei friguerat. Vestimenta ejus, quibus adopertus calefieri non poterat, typum habuisse Judaicæ plebis non dubium est. Quæ ante adventum Salvatoris per cognitionem legis, velut vestimenta Domino adhæserant. Sed quia eamdem plebs, ut Apostolus dicit, « servitutis spiritum, et non libertatis habuit (*II Cor.* XXXIX), » in amore divino minime caruit. Virgo vero speciosa quæ in cunctis finibus Israel quæsita est, ac per servos David ad eum perducta, quæ in sinu ejus dormiens eum calefecit, et virgo permansit, haud dubium qui sanctæ Ecclesiæ personam gestavit, quæ de cunctis gentibus per apostolos ad Christum pervenit: et tanto ardore fidei in ejus dilectione caluit, ut propter illius amorem variis periculis se ultro committeret, et ad ultimum pro ejus nomine mori non recusaret. De qua plenius dicemus in subditis.

« Adonias autem, filius Haggith, elevabatur, di« cens: Ego regnabo, » et reliqua. Adonias enim iste qui superbia elatus gratis regnare voluit, qui a Salomone interfectus est, figuram gestavit superbiæ Judæorum: qui propterea quod regnum terrenum obtinere voluit a Salomone, videlicet Christo, et regnum amisit, et vitam perdidit. De quo hic prælibando prædiximus, sed in sequentibus uberius indagabimus.

« Rex autem senuerat nimis et Abisag Sunamitis « ministrabat ei. » Quæritur itaque quid in hoc fa-

cto significet quod David annos natus septuaginta A bellicosus quondam vir, senectute frigescente, non poterat calefieri. Et propterea quæritur ista puella speciosa, quæ cum rege dormiret, et senile corpus calefaceret, et ministraret regi. Si enim occidentem sequimur litteram, videtur quasi figmentum esse de mimo, eo quod frigidus senex obvolvitur vestibus et nisi complexu adolescentulæ non tepescit. Vivebat adhuc Bethsabee, et supererat Abigail, et reliquæ uxores et concubinæ, quæ a Scriptura omnes quasi frigidæ repudiantur : et in unius tantum adolescentulæ grandævus caletit amplexibus. Abraham multo David senior fuit, et tamen vivente Sara aliam non quæsivit uxorem. Isaac duplices David annos habuit, et cum Rebecca vetula nunquam refrixit. Taceo de prioribus ante diluvium B viris, qui post annos quingentos, non dico senilibus, sed pene jam cariosis artubus, nequaquam puellares quæsivere complexus. Certe Moyses dux Israelitici populi centum viginti annos habebat, et Sephoram non mutavit. Quæ est igitur ista Sunamitis uxor et virgo, tam fervens ut frigidum calefaceret, et tam sancta ut calentem ad libidinem non provocaret, nisi sapientia (ut beatus Hieronymus ait) quæ in senibus fervere solet, licet, sicut superius innuimus, sanctæ Ecclesiæ linias-set personam ? Hanc exponat sapientissimus Salomon : patris sui delicias et pacificos bellatoris viri narret amplexus, « Posside sapientiam, posside intelligentiam ; ne obliviscaris eam, et ne declinaveris ab ipsa. Ne derelinquas eam, et apprehendet te ; ama illam, et servabit te. Principium C sapientiæ, posside sapientiam ; et in omni possessione tua, acquire intelligentiam (*Prov.* IV), » et reliqua. Ista quidem sapientia, licet frigescentibus membris, tamen senis ferventi dilectione et summo studio charitatis amplectitur, et spirituales etiam delicias administrat. Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus et crescente sola sapientia, decrescunt cætera, jejunia, chameuniæ et eleemosynæ, huc illucque discursus, peregrinorum susceptio, defensio pauperum, instantia orationum et perseverantia, visitatio languentium, labor manuum unde præbeantur eleemosynæ. Et ne sermonem longius traham, cuncta quæ per corpus exercentur facta, corpore senili minora fiunt ; sola D sapientia non dico in juvenibus, sed etiam in senibus (qui in lege Domini meditati sunt die ac nocte) permanet ; et dulcessimos fructus studiorum metit. Unde Abisac merito interpretatur *patris mei gaudium*, vel *patris mei rugitus*. Quod in præsenti loco virtutem sonat, quod amplior in senibus et redundans est, ac larga sapientia. Et fit bene rugitus, quod maris fluctus resonat, et (ut ita dicam) de pelago veniens fremitus auditur, ex quo ostenditur abundantisssimum et ultra humanam vocem in senibus divini sermonis tonitruum commorari. Sumatis vero *coccinea* in lingua nostra sonat. Ut significet callere sapientiam, divinaque lectione fervere. Quod licet Domini sanguinis indicet sacramentum, tamen et fervorem ostendit sapientiæ. Hinc Dominus noster in evangelio ait « Ignem (inquit) veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? » (*Luc.* XII.) Qui discipulorum corda succendens, cogebat dicere : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas ? » (*Luc.* XXIV.) Hanc siquidem puellam amplecti ac diligere debemus, quæ sapientiam significat senum ampliorem ; non pueriles declamationes, et sapientium flosculos dialecticorum, ac verborum lenocinia, et cætera hujusmodi ex humana sapientia figmentisque poetarum : neque curas istius sæculi, aut honores hujus mundi ; sed sapientia tanquam Abisac cum David, quæ nunquam senescit, in nostro requiescat sinu. Impolluta enim est virginitatis perpetuæ, et in similitudinem Mariæ, cum quotidie generet semperque parturiat, incorrupta est. Si enim Cato Romani generis disertissimus, (ut quidam doctorum protulit) centenarius jam et senex Græcas litteras nec erubuerit, nec discere desperaverit : et si certe (ut aiunt) Homerus refert quod de lingua Nestoris, jam vetuli et pene decrepiti, « dulcior melle oratio fluxerit : » et sapiens quidam, Græciæ, cum completis centum et septem annis se cerneret mori, dixisse fertur, dolere quod tunc egrederetur e vita quando sapere cœpisset ; Plato etiam octogesimo anno, scribens mortuus est ; Socrates septuaginta et novem annos in docendi scribendique labore complevit, quando magis calescente corporis juvente inter bella corporis, et inter incentiva vitiorum sapientiam ediscere debemus, ut in senectute etiam frigescentibus membris, in sinu mentis nostræ requiescat et foveat dormiatque nobiscum, imo cibum spiritalis intelligentiæ nobis ministret. Potest nimirum etiam ista mulier contemplativæ vitæ gestare figuram, quam omnes perfecti incredibili amore complectentes, in ejus dilectione flammescunt. « Adonias autem filius Hagith elevebatur, dicens : Ego regnabo. Fecitque sibi currum et equites et quinquaginta viros qui ante eum currerent. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens : Quare hoc fecisti ? » et reliqua. Quod autem Adonias filius David major in regnum pro patre succedere voluit, per fastum superbiæ, non per virtutem disciplinæ, quid significat ? nisi quod Judaicus populus, qui quasi major natu filius videtur esse, cum prior legem suscepit, gentilem populum qui per gratiam Dei posterior vocatus est spernens, solum se cum Domino æstimabat regnaturum. Unde et bene nomen Adoniæ, qui *dominator dominus* interpretatur, typum expressit, qui solum se dominare cum domino arbitratus est ; sed Ecclesiæ populus cum vero Salomone, id est pacifico nostro, cujus ipse corpus est, per divinam ordinationem in regnum substituitur. De quo merito perfidiæ major filius, id est prior populus præcipitatus est. Hic ergo Adonias, Bethsabee interveniente, quæ interpretatur *filia saturitatis*, Abisac Sunamiten corrumpere gestivit : quia Judaicus populus per observantiam cæremoniarum legis, quia satus et plenissi-

mus erat, veram sapientiam spiritalis sensus, quæ David nostro conjuncta est, stuprare volens, non meruit ejus consortium, cujus violare appetivit immaculatum thronum. Quod autem David Salomoni filio suo præcepit de justa retributione eorum qui sibi solatio fuerunt, vel injuste nocuerunt, licet ipse patientissime eos regnans toleraret: quid melius significare potest, quam futuram retributionem judicii venturi, in qua impii pro mercede pœnam perpetuam, justi autem æternam beatitudinem percipient? In præsenti quoque tempore, patientia Dei sæpe bonos tribulari atque angustiari permittit, et econtrario reprobos deliciis temporalibus et prosperitate terrena uti concedit. Quibus tamen utrisque, per judicem vivorum et mortuorum præmia certa in futuro restituet, quando his qui ad dexteram ejus sunt, dicturus erit: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV). » Illis autem qui ad sinistram ejus erunt, dicet: » Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam (*Ibid.*).»

« Inclinavit se Bethsabee, et adoravit regem. » At vero Bethsabee, quæ in Latinum transfertur *filia juramenti,* antiquæ ecclesiæ quæ et sanctis patribus sub lege constitutæ fuerat, imaginem hoc in loco prætulit, de cujus stirpe verus Salomon, id est, pacificus noster, nasci promissus est.

« Et nuntiaverunt regi dicentes: Adest Nathan « propheta. » Nathan, qui interpretatur *donum*, figuram veteris prophetiæ gestasse manifestum est.

« Dixitque rex David: Vocate mihi Sadoc sacer« dotem. » Sadoc interpretatur *justus*, figuram in se gerens Domini et Salvatoris nostri, qui est ve« rus sacerdos in æternum secundum ordinem « Melchisedech (*Psal.* CIX). »

« Et imponite Salomonem filium meum super « mulam meam, » Mulam David, alii Ecclesiam, alii vero Synagogam propter infecunditatem, figurasse dixerunt.

CAPUT II.

« Dixitque David ad Salomonem. Tu quoque no« sti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ, quæ fece« rit duobus principibus Abner, filio Ner, et Amase « filio Jether, etc. » David qui præcepit Joab interfici seu Semei, figuram veteris prophetiæ gestabat, quæ judicavit atque præcepit, quid de inimicis Christi et sanctorum ejus, Scribis videlicet atque Pharisæis necnon et hæreticis, in futuro fieri oporteat. Sicut hoc quod David de Joab et Semei fieri præcepit, Salomon vero implevit.

« Salomon autem sedit super thronum Israel. » Salomon qui patri suo David successit, Christi figuram sine dubio gestavit: in eo scilicet quod templum ædificavit, sicut et Christus Ecclesiam: et in eo quod regnum in pace administravit, et pacem habuit secundum nomen suum, sic et Dominus Rex pacis est dictus, ac per hoc illius vocabulum illi verissime congruit, per quem Mediatorem, ex inimicis accepta remissione peccatorum, reconciliamur Deo: etenim « cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus (*Ephes.* II). » Idem ipse est ille pacificus qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua, legemque mandatorum decretis evacuans, ut duos conderet in se in unum novum hominem, faciens pacem his qui longe, et pacem his qui prope: ipse in Evangelio dicit: « Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis (*Joan.* XIV). » His et multis aliis testimoniis Dominus Jesus pacificus esse monstratur. In sapientia quoque et divitiis atque gloria ipsius Domini Salvatoris typum gestasse non dubium est.

« Et ait Adonias Bethsabee: Precor ut dicas Salo« moni regi, ut det mihi Abisac Sunamitem uxo« rem. » Adonias, dum in typo Judæorum Christi Ecclesiam, quæ est virgo incorrupta, temerare voluit, justo judicio mortem quam meruit incurrit.

« Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem ut « loqueretur pro Adonia. » Bethsabee, quæ apud Salomonem pro Adonia intervenire voluit, nec tamen quippiam profuit, figuram legis hoc in loco prætendisse non dubium est: quam Judæi sibi adjutricem apud Deum esse opinantur.

« Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in « Anathot in agrum tuum. » Abiathar qui sacerdotio expulsus, non tamen occisus est, significat populum Judæorum, quorum licet sacerdotium sit abolitum, ipsi tamen propter eos qui in fine mundi ex ipsis credituri sunt, deleti penitus non sunt.

« Fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, et « apprehendit cornu altaris. Nuntiatumque est « regi Salomoni quod fugisset Joab in tabernacu« lum Domini, et esset juxta altare. Misitque Salo« monem Banaiam filium Joiadæ, dicens: Vade, « interfice eum, » et reliqua. Joab qui ad altare fugiens, jubente Salomone, ibidem interfectus est, significat Scribas et Pharisæos, seu magistros perversi dogmatis hæreticos: qui ob hoc quod proximos suos, videlicet ecclesiasticos, per insidias perimunt, sicut et ipse Joab Abner atque Amasæ fecisse legitur: ab altario fidei expulsi, perpetua morte punientur.

« David autem et semini ejus et domui et throno, « illius sit pax usque in sempiternum a Domino. » Hoc est, abolitis Judæis, extirpatisque hæreticis, et omnibus Christi inimicis deletis, thoronus David, id est Ecclesia, æterna pace fruens maneat in æternum.

« Dixitque Salomon ad Semei: Nonne testificatus « sum tibi per Dominum, et prædixi tibi, quacun« que die egressus ieris huc, et illuc, scito te esse « moriturum? » Præcipitur nobis a vero Salomone, sicut et Semei a Salomone rege, ut habitemus in Jerusalem, nec unquam egrediamur ex ea. Quod si fugerit nos, in quod nobis fuerat ante subjectum, et ierit ad Allophylos, non egrediamur muros civitatis nostræ, nec sequamur fugitivorum vestigia: nedum volumus salvare fugientes, ipsi pereamus. Quin po-

tius dimittamus, ut mortui sepeliant mortuos A suos (*Matth.* VIII) : et scandalizantem oculum, manum, et pedem, dum licet, eruamus et abscindamus a nobis (*Marc.* IX).

CAPUT III.

« Accepit namque Salomon filiam Pharaonis « regis Ægypti. » Filia Pharaonis quam Salomon in conjugio copulavit, Ecclesiam ex gentibus figurasse non dubium est.

« Apparuit Dominus Salomoni per somnium « nocte, dicens : Postula quod vis ut dem tibi. Et « ait Salomon : Tu fecisti cum servo tuo David pa« tre meo misericordiam magnam, » et reliqua. Gratia Dei liberum hominis exquirit arbitrium.

« Et dixit Dominus Salomoni : Quia postulasti B « verbum hoc, et non petiisti dies multos, nec « divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed « postulasti tibi sapientiam ad discernendum « judicium. » Quicunque vult orationem suam ante Deum non frustrari, hoc ab eo postulet quod Salomon quæsivit, id est sapientiam et scientiam atque intelligentiam. Divitias vero et gloriam temporalem atque animas inimicorum, seu dies plurimos vitæ præsentis, reproborum est quærere, non electorum.

« Si autem ambulaveris in viis meis, et custo« dieris præcepta mea, longos faciam dies tuos. » Hic præcipue patet, quia sapientiam et divitias seu gloriam temporalem, etiam reprobi hic in præsenti vita habere possunt : longos vero dies, id C est æternam beatitudinem, absque observatione mandatorum Dei adipisci nemo potest.

« Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad re« gem Salomonem, steteruntque coram eo. Qua« rum una ait : Obsecro, mi Domine, ego et mulier « hæc habitamus in domo una, » etc. Duæ mulieres inter quas Salomon primum judicium suum exercuit, quarum una dilectione ardebat, in altera simulatio subripiebat, Ecclesiam atque hæreticam pravitatem figurasse non dubium est : inter quas Dominus Jesus Christus spiritu oris sui, dum id quod justum est dirimit, unicuique quod debetur restituit. Et bene per hanc mulierem hæreticorum vel Synagogæ etiam impietas generatur, quæ et suos nequiter nutriendo interimunt, et alienos D quousque perdant, illiciendo persuadent. Sed quia solent post virtutes vitia suboriri ut corda hominum tentando probentur, ne animus in culmine virtutum consistens tanquam Salomon in regno ex seipso glorietur : et hoc permittente Deo qui lucis suæ illustratione illustrare dignetur. Ut ergo ea firmitatis dona habeat, et infirmitatem suam humiliter agnoscat per accessum gratiæ ad alta sustollitur et per recessum quid ex seipso sit probatur. Quod in ipso demonstratur, qui divinitus accepit sapientiam, et tamen post acceptam eamdem sapientiam, duarum meretricum quæstione pulsatus est. Quia nimirum sæpe cum mentem nostram concessis virtutibus, respectus intimæ largitatis illuminat, hanc protinus etiam lubricæ cogitationes turbant : ut quæ sublevata immenso munere exsultat, etiam tentatione pulsata quid sit inveniat. Idcirco quid istæ duæ meretrices (quas prælibando tetigimus secundum quod in dictis doctorum invenimus) plenius significent, pandere decrevimus. Ait enim sacræ Historiæ contextus : « Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem Salomonem, steteruntque coram eo, » et reliqua. In illo ergo judicio Salomonis, Christi figura fuit ubi mulier illa improba, plebs scilicet Synagogæ vel hæreticorum, veræ matris, hoc est Ecclesiæ, filium appetebat, quem non ut servaret, sed revera ut interimeret, cupiebat. Sed sicut, gladio dirimente Salomonis, propriæ matris gemitu, verus repertus est partus, ita et spiritu Jesu Christi docente, plerumque hi qui a matre seducti et capti sunt errore hæreticorum, nonnunquam merentur pro semetipsis gementes, recognoscere Ecclesiam matrem. Unde et satis convenienterque apparet hanc mulierem Synagogæ vel hæreticorum figurasse impietatem : quæ suos nequiter nutriendo interimit, et alienos quousque perdat illiciendo persuadet. Item alio modo, quantum ad simplicem historiam pertinet, perspicuum est quod puer annorum duodecim contra ætatis suæ mensuram, de intimo humanæ naturæ judicaret affectu. Unde bene admiratus est et pertimuit illum omnis Israel, quod scilicet eum manifesta non fugerent, qui tam prudenter abscondita deprehendisset. Quantum ad typicos pertinet intellectus dicente Apostolo : « Hæc omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem de nobis, in quo fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X). » Quidam Græcorum autumant super Synagogam et Ecclesiam sentiendum, et ad illud tempus cuncta referenda, quando post crucem et resurrectionem, tam in Israel quam et in gentium populo verus Salomon, id est *pacificus*, regnare cœperit. Quod autem adulteræ et meretrices Synagoga et Ecclesia in Scripturis dicantur, nulla dubitatio est, et hoc prima fronte videtur esse blasphemum. Cæterum si recurramus ad prophetas, Osee videlicet (*cap.* I), qui accepit uxorem fornicariam, et generavit filios fornicarios, et deinde adulteram : et ad Ezechiel (*cap.* XVI), qui Hierusalem quasi meretricem arguit, quod secuta sit amatores suos, et divaricaverit omni transeunti pedes, lupanarque in loco celebri exstruxerit. Animadvertimus Christum idcirco venisse, ut meretrices donaret matrimonio, et duobus gregibus unum ovile faceret medioque pariete destructo in easdem caulas oves prius morbidas congregaret. Hæ sunt virgæ quæ junguntur in Ezechiel, et de quibus per Zachariam Dominus refert : « Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decoram, et alteram vocavi funiculum, et pavi gregem (*Zach.* XI). » Mulier quoque illa meretrix in Evangelio, quæ Jesu pedes lacrymis lavit, crine detergit, et cui peccata omnia dimittuntur, manifeste significat Ecclesiam de gentibus congregatam. Hæc idcirco in prima fronte replicavi, ne cui videatur incongruum

si meretrices dicantur, quarum una Salomonis judicio filii possessione donata est. Prudens quærat auditor, quomodo meretrix significet Ecclesiam, quæ non habet maculam neque rugam? Non dicimus Ecclesiam permansisse meretricem, sed fuisse. Nam et Simonis leprosi domo Salvator scribitur iniisse convivium. Utique non quia leprosus erat eo tempore quo habebat hospitem Salvatorem, sed quia leprosus ante fuerat. Matthæus quoque in Catalogo apostolorum publicanus dicitur, non quod permanserit publicanus post apostolicam dignitatem, sed quod prius fuerat publicanus: « ut ubi abundavit peccatum, suprabundaret gratia (*Rom.* VI). » Simulque considera quid dicat Ecclesia contra Synagogam calumniatricem.

«Ego et mulier hæc habitabamus in domo una.» Post resurrectionem enim Domini Salvatoris, una de utroque populo congregata est. Et quam eleganter Ecclesia: «peperi, inquit, apud eam in cubiculo. » Ecclesia enim de gentibus, quæ non habebat prius legem et prophetas, peperit in domo Synagogæ, nec egressa est de cubiculo, sed ingressa: Unde dicitur in Cantico canticorum: « Introduxit me rex in cubiculum suum (*Cant.* III). » Et iterum: « Equidem non spernentem assumens, introducam te in domum matris meæ et in cubiculum ejus quæ concepit me (*Cant.* VIII). »

«Tertia autem die postquam ego peperi, peperit « et hæc. » Si consideres Pilatum lavantem manus atque dicentem: « Mundus ego sum a sanguine justi hujus (*Math.* XXVII).» Si centurionem ante patibulum confitentem: « Vere hic erat Filius Dei (*Matth.* XXVII). » Si eos qui ante passionem per Philippum Dominum videre desiderat, haud ambigis primam peperisse Ecclesiam, et postea natum populum Judæorum, pro quo Dominus precabatur: « Pater, ignosce illis, quod enim faciunt nesciunt; » unaque die crediderunt tria millia, et alia quinque millia. « Multitudinis autem credentium erat anima una, et cor unum (*Act.* IV). » — « Era« mus simul, nullusque alius in domo nobiscum, exceptis nobis duabus. » Non blasphemantium Judæorum, non gentilium idolis servientium.

« Mortuus est enim filius mulieris hujus nocte. » Dum enim legis sequitur observantiam et gratiam Evangelii jugo Mosaicæ doctrinæ copulat, tenebrarum errore cooperta est. « Oppressitque eum dormiens mater sua. » Quæ non poterat dicere: « Ego dormio et cor meum vigilat (*Cant.* V). » Media nocte consurgens, tulit filium de latare Ecclesiæ dormientis, et in suo collocavit sinu. Relege totam Apostoli ad Galatas Epistolam et animadvertes quomodo filios Ecclesiæ suos facere festinet Synagoga. Et dicat Apostolus: « Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV). »

« Vivum tulit. » Non ut possideret, sed ut occideret: Non enim amore fecit hoc filii, sed æmulæ odio, et suum mortuum per legis cæremonias in sinu Ecclesiæ supposuit. Longum est si velim per singula currere, quomodo per apostolum Paulum et alios ecclesiasticos viros intellexerit Ecclesia non esse suum filium qui tenebatur in lege, et in luce cognoverit quem in tenebris non videbat. Inde jurgium ortum est, præsente rege, altera dicente:

« Filius tuus mortuus est; meus autem vivit. Al« tera respondente, mentiris: filius quippe meus « vivit, filius tuus mortuus est. » Atque in hunc modum contendebant coram rege: tunc rex Salomon (qui manifeste Salvator accipitur secundum psalmum septuagesimum primum, cujus titulus Salomoni inscribitur, ubi nulla dubitatio est quin cuncta quæ dicantur, non Salomoni mortuo, sed Christi conveniant majestati) simulat ignorantiam et humanos, pro dispensatione carnis, mentitur affectus. Sicuti et in alio loco. « Ubi posuistis Lazarum? » Et ad mulierem fluentem sanguine: « Quis me tetigit? » Gladium postulat de quo dixerat, nolite putare, quod venerim pacem mittere in terram: « Non veni mittere pacem sed gladium (*Matth.* X). » Veni enim dividere hominem contra patrem suum, et filiam contra matrem suam, et nurum contra socerum suum, et inimici hominis domestici ejus; et tentat naturam naturæ Dominus, vultque secundum utriusque voluntatem viventem filium in legem gratiamque dividere: non quo hoc probet, sed quo eam adarguat, et viventem non nisi per baptismum liberari ostendat. Libenter voluit dividi puerum non ut possideat, sed ut interficiat. Ecclesia quem scit suum esse libenter concedit æmulæ, dum vivat saltem apud adversarium, ne inter legem divisus et gratiam Salvatoris mucrone feriatur. Unde dicit et Apostolus: « Ecce ego Paulus dico vobis, quod si legem observatis, Christus vobis nihil prodest (*Gal.* V). » Item alio modo: Quid in hac sententia melius per matrum lactantium nomina, nisi doctorum ordo? Quid vero per earum filios, nisi discipulorum persona significatur? Nam magistri nimirum vigilantes quidem scientia sed vita dormientes, auditores suos quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnum temporis occidunt, et negligendo opprimunt quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque dum ipsi reprehensibiliter vivunt et habere discipulos vitæ laudabiles nequeunt, alienos sibi attrahere conantur, quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud judicia hominum excusent mala quæ agunt: et quasi subditorum vita mortiferam tegant negligentiam. Unde et illic mulier quæ filium exstinxit proprium, quæsivit alienum. Sed veram matrem Salomonis gladius invenit, quia videlicet, cujus fructus vivat, vel cujus intereat, extremo examine, ira districti judicis demonstrat. Ibi et illud est solerter intuendum quod filius vivens prius dividi præcipitur, ut soli postmodum matri reddatur. Quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnunquam alter apud Dominum meritum, alter apud homines laudem habere permittatur. Sed falsa mater eum quem non genuit occidi non metuit, quia

arrogantes magistri et charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidiæ enim facibus succensi, nolunt alios vivere quod se conspiciunt non posse possidere. Unde et illic perversa mulier clamat: « Nec meus sit nec istius. » Ut enim diximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit ut ejus filius saltem apud extraneam sit et vivat. Quia et concedunt veraces magistri discipulis ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera, hæc eadem mater vera agnoscitur omnino, quia magisterium in examine charitatis approbatur et sola totum recipere meruit, quæ quasi totum cessit. Quia fideles præpositi, pro eo quod ex bonis discipulis suis, non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant: ipsi et integros et viventes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vita perfectæ retributionis gaudia consequuntur.

CAPUT IV.

Enumeratis ergo principibus Salomonis, qui in regno ejus variis officiis deputati fuerant, seu diversis provinciis præerant, sequitur Scriptura dicens:

« Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna a flumine terræ Philistim, usque ad terminum Ægypti, offerentium sibi munera, et servientium ei, cunctis diebus vitæ ejus. » Et quis in hoc melius significatur quam Pacificus noster, quem præfigurabat idem Salomon? Ipse enim omnia regna terræ a solis ortu usque ad occasum, in ditione sua habet, et dominatur (Scriptura teste « a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ (*Eccli.* XLIX). » Ipsi serviunt omnes populi, et tribus et linguæ, offerentes ei scilicet munera rectæ fidei et bonorum operum. « Reges, inquit, Tharsis et insulæ munera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes terræ, omnes gentes servient ei (*Psal.* LXXI). » Quod autem subditur « cunctis diebus vitæ ejus, » hoc est in sæculum sæculi, quia ipse permanebit semper, et regni ejus non erit finis, ejusque potestas est æterna, cujus anni non deficient.

« Erat autem cibus Salomonis per singulos dies tringinta chori similæ, et sexaginta chori farinæ: decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, et caprearum, atque bubalorum, et avium altilium. Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, quasi a Thapsa usque, etc. » Quid ergo cibus iste Salomonis significat, nisi refectionem regis nostri Jesu Christi? qui bene pascitur recta fide et operibus bonis, quæ illi quotidie offeruntur ab Ecclesia catholica. Triginta ergo chori similæ possunt exprimere fidem sanctæ Trinitatis, juxta quod in lege Domini scriptum continetur: « et sexaginta chori farinæ, » profectionem bonorum operum; « decem boves pingues, » doctores decalogi; « et viginti boves pascuales, » prædicatores Novi Testamenti, qui quasi geminatum decalogum in se habent, cum Novum et Vetus Testamentum æqualiter prædicant, pleni dilectione Dei et proximi. « Centum arietes, » quos melius significant, quam eos qui in grege Domini bene dominantes, simul cum subditis æternæ beatitudinis gloriam consequi festinant? Venatio quoque diversorum animalium non inconvenienter accipi potest acquisitio hominum, qui ex diversis gentibus quotidie retibus Evangelii per spiritales venatores capiuntur, et in pastum Salvatoris nostri rediguntur.

« Habebatque pacem Salomon ex omni parte in circuitu. Habitavitque Juda et Israel absque timore ullo unusquisque sub vita sua et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. » Isaias quoque de Redemptore nostro ita dicit: *Multiplicabitur ejus imperium et pacis non erit finis* (*Isa.* IX), sub cujus defensione verus Juda et verus Israel absque timore ullo habitant: cum cordibus erectis ad Dominum, cuncta terrena despiciunt, nec hostium minas pertimescunt, sed in laudibus Dei jugiter perseverant, delectantes in gratia Dei et dulcedine charitatis, quam incessanter habent ad Dominum et ad proximum.

« Habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium, nutriebantque eos supradicti regis præfecti. » Quid per quadragenarum numerum, nisi tempora legis priscæ designantur? Quia et Moyses illam accepturus quadraginta diebus jejunavit, et populus Israeliticus, qui per eam instruebatur, quadraginta annis in eremo mansit. Duodenarius vero numerus præsens tempus significat in quo apostolica doctrina Novi Testamenti populum nutriit. Bene quoque per quadragenarium, sive duodenarium numerum, præsepia equorum Salomonis numerantur; quia in utroque populo legali videlicet et evangelico, illi qui minus intelligentes fuerunt, ad præsepia sanctarum Scripturarum invitantur, ut pabulum ibi sacræ doctrinæ acciperent, quatenus equitatui summi regis habiles fierent; « nutriebantque eos supradicti regis præfecti; cum unusquisque doctorum, sermone fidei et exemplo bonæ operationis, satagit pastum illis salubrem conferre, unde subsequens Scriptura de eis dicit:

« Sed et necessaria mensæ regis Salomonis, cum ingenti cura præbebant tempore suo. Hordeum quoque et paleas equorum et jumentorum deferebant in locum, ubi erat rex juxta constitutum sibi. « Quia ne quid desit his qui in domo regis manent, totus ordo sanctorum prædicatorum, scribendo scilicet et loquendo laborat, ut mensa Domini abundet in copia librorum, et decentem pastum inde habeant quique fidelium.

« Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et

« prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis, « quasi arenam quæ est in littore maris. Et præce- « debat sapientia Salomonis sapientiam omnium « Orientalium et Ægyptiorum, et erat sapientior « cunctis hominibus. Sapientior Ethan Ezraite, et « Heman et Chacal, et Dordá filiis Mahol. » Dedit itaque Deus Salomoni nostro sapientiam et prudentiam, ultra omnes homines et omnem creaturam rationabilem: de quo Joannes dicit: « Quem enim misit Deus, verbum Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus spiritum; Pater diligit Filium et omnia dedit in manu ejus (*Joan.* III). » Et alibi ipsa Veritas dicit: « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso: et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est (*Joan.* V). » Hinc Paulus apostolus ait de ipso Domino Christo: « Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quia in ipso condita sunt universa, in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant, et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis: ut sit ipse in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter, et in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Colos.* I, II). » Omnibus ergo sapientia veri Salomonis antecellit; quia multum distat inter eos qui participatione sapientiæ sapientes sunt, et illum qui est fons sapientiæ et origo virtutum. Hinc est illud quod sequitur:

« Et erat nominatus in universis gentibus per « circuitum. » Quia nomen ejus prædicatur in universo mundo: nec est nomen aliud sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri (*Act.* IV).

« Locutus est quoque Salomon tria millia para- « bolarum, et fuerunt carmina ejus quinque mil- « lia. » Quid enim per tria millia parabolarum, nisi plenitudo fidei in lege et in Evangeliis a Christo tradita designatur? Quia dum tota multipliciter per allegoriarum sensus sub mysterio Trinitatis disseritur, quasi tria milia parabolarum nuncupatur. Carmina autem ejus quinque millia per quinque sensus corporis intelliguntur, quos qui in diversis virtutibus bene regit, beatus est, et per eos quasi quinque millia Domino carminum canit.

« Disputavit autem Salomon a cedro usque ad « hyssopum. » Cedri nomine, celsitudo gloriæ in electis accipitur. Unde Propheta testatur, dicens: « Justus ut palma florebit, et sicut cedrus quæ est in Libano multiplicabitur (*Psal.* XLI). » Hyssopus autem herba est humilis saxo hærens, qua signatur humilitas Christi. Redemptor quippe noster a cedro usque ad hyssopum disputavit: quia ab alta excellentia gloriæ cœlestis usque ad carnis humilitatem descendendo pervenit. Siquidem et cedri nomine pravorum superba elatio designatur. Sicut et per David dicitur: « Vox Domini confringentis cedros (*Psal.* XXVIII). » A cedro itaque Christus usque ad hyssopum disputat, quia ipse superborum corda et humilium judicat. Super ligna autem disputavit, dum in cruce pependit. Tunc enim in cedro sæculi arrogantiam judicavit. Quam etiam usque ad hyssopi humilitatem, id est usque ad crucis stultitiam, ad contemptibilem sermonem deduxit fidei. Hinc Paulus ait: « Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est (*I Cor.* I). » Scriptum est enim: « Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo (*Isa.* XXIX). » Et paulo post: « Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (*I Cor.* I). »

« Et disseruit Salomon de jumentis et volucribus « et reptilibus et piscibus. » Disseruit Salomon noster de singulis speciebus animalium: quia omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, nec est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Ipse novit omnes cogitationes hominum. Ipse numerat multitudines stellarum, ipsi patet abyssus, et infernus non est absconditus coram eo. Quasi enim disputare ipsius est, cum singulorum rationem nobis proponit, et in Scripturis suis manifesta sacramenta quæ fuerunt abscondita a sæculis et generationibus, ut consideremus beatitudinem angelorum, utilitatem hominum, et calliditatem malignorum spirituum; sicque quod malum est reprobantes; quod bonum est eligamus, et ipsum sectemur semper invicem et in omnes.

« Et veniebant de cunctis populis ad audiendam « sapientiam Salomonis, et ab universis regibus « terræ, qui audiebant sapientiam ejus. » Hinc propheta Isaias ait: « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Hierusalem (*Isa.* II). »

CAPUT V.

« Ædificavit domum Domini. » Domus Domini quam ædificavit rex Salomon in Hierusalem, in figuram facta est sanctæ universalis Ecclesiæ, quæ a primo electo usque ad ultimum qui in fine mundi nasciturus est, quotidie per gratiam regis pacifici, sui videlicet Redemptoris, ædificatur: quæ partim adhuc peregrinatur ab illo in terris, partim evasis peregrinandi ærumnis, cum illo jam regnat in cœlis: ubi peracto ultimo judicio, tota est regnatura cum illo. Ad hanc domum pertinent electi angeli, quorum nobis similitudo in futura vita promittitur, dicente Domino: « Illi autem qui digni habebuntur sæculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent, ne-

que ducent uxores ; neque enim ultra mori poterunt, æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis (*Luc.* xx). » Ad hanc pertinet ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, ipso attestante, cum ait : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (*Joan.* II). » Quod exponens Evangelista, subjunxit : « Hoc autem dicebat de templo corporis sui. » Dicit Apostolus de nobis : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (*I Cor.* VI) ? » Si ergo ille templum Dei per assumptam humanitatem factus est, et nos templum Dei per inhabitantem Spiritum ejus in nobis efficimur, constat utique quia figuram omnium nostrum, et ipsius videlicet Domini, et membrorum ejus, quæ nos sumus, templum illud materiale tenuit ; sed B ipsius tanquam lapidis angularis singulariter electi et pretiosi, in fundamentum fundati : nostri autem tanquam lapidum vivorum superædificatorum, super fundamentum apostolorum et prophetarum, hoc est super ipsum Dominum. Designat eamdem Dei domum spiritualem, etiam tabernaculum quondam factum in eremo per Moysen. Verum quia illa domus in itinere quo ad terram repromissionis veniebatur, hæc autem ædificabatur in ipsa terra repromissionis et in civitate Jerusalem : illa ut de loco ad locum crebro Levitarum ministerio portata, tandem in terram promissæ hæreditatis induceretur ; hæc ut mox in patria ipsa et in civitate regia constructa, inviolabili semper fundamento consisteret : donec indicatum sibi futurum C cœleste munus impleretur. Potest in illa, præsentis Ecclesiæ labor et exsilium, in hoc futura quies et beatitudo figurari. Vel certe quia illa solis filiis Israel, hæc autem a proselytis etiam et gentibus facta est. Possunt in illa principaliter patres, et Veteris Testamenti antiquus ille Dei populus, in hac autem congregata de gentibus Ecclesia, figuraliter exprimi. Quamvis ædificium utriusque domus enucleatius spiritali sensu, excursum et labores præsentis Ecclesiæ quotidianos, et præmia in futuro perennia, gaudiaque regni cœlestis, et electionem primæ de Israel Ecclesiæ, et salutem omnium gentium, in Christo multis modis ostendatur insinuare figuris. Narrat autem historia, quia Salomon domum Domini ædificaturus, quæsierit auxilium ab Hiram rege Tyri, qui erat ami- D cus David omni tempore, et cum ipso quoque Salomone postquam regno potitus est, pacem habere jam cœperat, promptumque mox ad adjuvandum se in omnibus ejus invenerit amicum : ita ut artifices illi, et ligna et aurum, prout opus habebat, dederit. Cujus beneficii gratia Salomon ei per annos singulos plurimos tritici et olei choros in cibum domui ejus dabat. Nulli autem dubium quod Salomon, qui interpretatur *pacificus*, et ipso nomine et serenissimo regni sui statu, illum significet, de quo dixit Isaias : « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis, » Hiram vero, qui Latine dicitur *excelse vivens*, credentes ex gentibus et vita simul cum fide gloriosos, figuraliter exprimit. Neque aliquid prohibet, quin Hiram (qui rex erat, regalique potentia Solomonem in ædificio domus Domini juvabat), conversos ad fidem ipsos rerum dominos typice denuntiet, quorum opera constat Ecclesiam sæpius adjuvatam, ac nobiliter augmentatam, et contra hæreticos, schismaticos et paganos principalibus erectam esse decretis.

« Petiit ergo Salomon in opere templi auxilium « ab Hiram. » Quia cum veniens in carne Dominus, dilectam sibi domum videlicet Ecclesiam ædificare disponeret, non de Judæis tantummodo, verumetiam de gentibus adjutores elegit : Nam de utroque populo ministros sermonis assumpsit.

« Misit Hiram Salomoni præcisa de Libano ligna « cedrina et abiegna, quæ in domo Domini pone- « rentur. » Quia conversa gentilitas misit ad Dominum viros quondam et secundum sæculum claros, sed securi Dominicæ increpationis, de monte suæ superbiæ jam dejectos et humiliatos, qui ad normam Evangelicæ veritatis instituti in ædificatione Ecclesiæ pro suo quisque merito vel tempore, collocarentur.

« Misit etiam artifices. » Quia conversos ad veram sapientiam philosophos, qui gratia eruditionis populis quoque regendis jure præponerentur, Domino gentilitas obtulit : qualis fuit ipsis apostolorum temporibus Dionysius Areopagita, qualis deinceps doctor suavissimus et fortissimus martyr Cyprianus, aliique quamplurimi. Misit et aurum quod in eadem pene significatione accipitur, quia nimirum viros sapientia et ingenio præclaros ostendit : pro quibus cunctis oblationibus gentilitas a Domino dona exspectat gratiæ cœlestis. Convenit autem apte rebus Ecclesiæ, quod auxilium operis sancti flagitans ait ad Hiram Salomon :

« Præcipe igitur ut præcidant mihi cedros de « Libano, et servi mei sint cum servis tuis, merce- « dem autem servorum tuorum dabo tibi quam- « cunque petieris. Scis enim quomodo non est in « populo meo vir, qui noverit ligna cœdere sicut « Sidonii. Cum ergo audisset Hiram verba Salo- « monis, lætatus est valde, et ait : Benedictus Do- « minus Deus hodie, qui dedit David filium sapien- « tissimum, super populum hunc plurimum. Et « misit Hiram ad Salomonem dicens : Audivi quæ- « cunque mandasti mihi. Ego faciam omnem vo- « luntatem tuam in lignis cedrinis et abiegnis. Servi « mei deponent ea de Libano ad mare, et ego com- « ponam ea in ratibus in mari usque ad locum « quem significaveris mihi, et applicabo ea ibi, et « tu tolles ea : Præbebisque necessaria mihi, detur « cibus domui meæ. Itaque Hiram dabat Solomoni « ligna cedrina et ligna abiegna juxta omnem vo- « luntatem ejus. Salomon autem præbebat Hiram « viginti millia choros tritici in cibum domui ejus, « et viginti choros purissimi olei. Hæc tribuebat « Salomon Hiram per annos singulos. Dedit quo- « que Dominus sapientiam Salomoni sicut locu- « tus est ei, eratque pax inter Hiram et Salomo- « nem, et percusserunt ambo fœdus. » Servi quippe

Hiram, qui præeidebant Salomoni cedros de Libano, doctores sunt electi de gentibus, quorum officii est, eos qui in hoc mundo rebus et gloria lætabantur, et superbiæ fastu corrigendo sternere, atque ad obsequium sui Redemptoris, eorum vota tranferre. Cum quibus videlicet servis, erant et servi Salomonis, ac pariter memorato instabant operi; quia primi doctores ex gentibus necesse habebant ipsorum apostolorum, qui a Domino didicerant, eruditione in verbo fidei instituti : ne si absque magistris docere inciperent, magistri existerent erroris, idcirco etenim Salomon servos Hiram cædere sibi voluit ligna de Libano, quia doctiores erant servis suis ad cædendum. Sed idcirco etiam servos suos simul adesse voluit, ut ostenderent cædentibus cujus mensuræ ligna fieri deberent. Cujus rei figura in promptu est : quia nimirum apostoli certius verbum Evangelii, quod a Domino audiere, noverunt, sed gentiles ab errore conversi, atque ad veritatem Evangelii transformati, melius ipsos gentium errores noverant. Et quo certius noverunt, eo artificiosius hos expugnare atque evacuare didicerunt.

« Elegitque rex Salomon operarios de omni « Israel, et erat indictio triginta millia virorum. « Mittebatque eos in Libanum decem millia, per « menses singulos vicissim, ita ut duobus mensi-« bus essent in domibus suis. » Ubi primo notandum, quod non frustra Salomon operarios de omni Israel elegit, neque erat ulla portio populi, de qua non digni tanto opere viri assumerentur. Quia nimirum non nunc de una stirpe Aaron sacerdotes eligendi, sed de omni sunt Ecclesia quærendi, qui ædificare domum Domini vel exemplo suo vel dicto sufficiant : et ubicunque inventi fuerint, mox in officium doctorum absque ulla personarum acceptione promovendi. Tales qui cum ad erudiendos infideles in collegium Ecclesiæ vocandos ordinantur, quasi ad cædendas in Libano templi materias, viri strenui atque electi mittuntur. Et quidem numerus triginta millium, quo iidem lignorum cæsores recensebantur, potest ad eorum figuram apte referri, qui in fide sanctæ Trinitatis sunt perfecti, quod doctoribus maxime congruit. Verum quia triginta millia ita erant ordinata, ut dena millia per menses singulos operi instarent, magis denarii numeri sacramentum perpendere debemus. Dena namque millia virorum de Israel ad cædenda ligna in opus domus Domini mittuntur, quia quicunque doctores atque insipientium eruditores sunt ordinandi, decem præcepta legis per omnia et ipsi observare, et auditoribus suis debent observanda monstrare, sed et præmia in cœlis futura, quæ denario solent figurari, et ipsi sperare et auditoribus suis speranda debent semper intimare. Terni autem menses, quorum distantia singulis erat lignorum cæsoribus imposita, perfectionem trium virtutum Evangelicarum typice denuntiant : eleemosynæ videlicet, orationis et jejunii. Per eleemosynam namque comprehenduntur omnia quæ ad dilectionem proximi explendam benevole in fratres operamur. Per orationem, omnia quibus per internam compunctionem nostro Conditori conjungimur. Per jejunium, omnia quibus nos a contagione vitiorum, et illecebris sæculi observamus, ut libera mente, et corpore casto, dilectioni valeamus inhærere semper nostri Conditoris et proximi. Et isti sunt tres menses operariorum templi : Nam quia mensis plenitudine dierum lunaris circuli perficitur, recte per illum plenitudo virtutis cujusque spiritalis ostenditur, in qua mens fidelium a Domino quotidiana illustratione, quasi luna a sole respicitur. Unus vero mensis quo ligna ad opus templi cædebant, eleemosyna est, id est opus misericordiæ, qua erga salutem proximi, ut in unitatem sanctæ Ecclesiæ bene proficiendo perveniant, docendo, castigando, temporalia commoda impendendo, vitæ exempla monstrando laboramus. Duo autem reliqui menses quibus in domibus suis manere, ac suis necessitatibus sunt vacare permissi, oratio est et jejunium, quibus præterea quæ erga necessitatem fratrum foris operamur, nostræ salutis propriæ curam intus conversi ad Dominum mente gerimus. Et quomodo illi solum perfecte vel suæ vel fraternæ salutis curam gerunt, qui se in tuitione divinæ gratiæ humiliter subdunt recte sequitur :

« Et Adoniram erat super hujuscemodi indictionem. » Adoniram quippe qui Latine dicitur *Dominus meus excelsus*, quem melius quam ipsum quem nomine imitatur insinuat, Dominum videlicet Salvatorem. Et tunc Adoniram operariis templi præponitur, ut sua provisione rite ordinet, quibus mensibus singuli ad operandum exeant, quibus denuo ad curandam domum suam redeant, cum Dominus et Salvator noster mentes sanctorum prædicatorum sua familiarius illustratione informat ad discernendum, quando oporteat ædificandi Ecclesiam opus inire, prædicando vel alia pietatis officia præstando ; et quando rursum conveniat ad suam ipsorum conscientiam examinandam, quasi ad inspiciendam domum suam reverti, et hanc orationibus ac jejuniis superno inspectore ac visitatore dignam reddere.

« Fuerunt itaque Salomoni septuaginta millia « eorum qui onera portabant, et octoginta millia « latomorum in monte absque præpositis, qui præ-« erant singulis operibus, numero trium millium « trecentorum præcipientium populo et his qui fa-« ciebant opus. » Latomi dicuntur lapidum cæsores, idem autem lapidum cæsores quod et lignorum cæsores figurate designant, hoc est sanctos prædicatores, qui mentes insipientium dolabra verbi Dei exercent, eosque ab ea qua nati sunt fortitudine ac deformitate transmutare contendunt, ac regulariter institutos unitate fidelium, ædificationis videlicet domus Dei aptos reddere curant. Quod autem et ligna et lapides in monte cæduntur, et cæsa ac præparata, utraque materies ad montem domus Domini transfertur, patet sensus, quod omnes in monte superbiæ nati sumus, quicunque autem gratia Dei præordinati sumus ad vitam, excidimur cate-

chizando et sacramenta fidei percipiendo de monte superbiæ, et in montem domus Domini transferimur : quia, eruti de potestate tenebrarum, ad arcem virtutum quæ est in unitate sanctæ Ecclesiæ pervenimus. Notandum autem, quod iidem operarii ita erant distributi; ut pars in monte lapides cæderent, pars item onera portarent. Diversa namque sunt dona Spiritus, et quidam majorem dicendi ac protervos arguendi constantiam habent : quidam mitiores ad consolandos pusillanimes et infirmos sublevandos existunt : quidam utriusque virtutis munere præditi, ad opus domus Domini conveniunt. Quales fieri voluit eos quibus loquitur Apostolus, dicens : « Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes (*I Thess.* v). » Præpositi autem qui præerant singulis operibus, ipsi sunt sacræ conditores Scripturæ, quorum magisterio in omnibus erudimur, quomodo inscios docere et contemptores corripere, quomodo nos invicem onera nostra portare (*Gal.* vi), ut impleamus legem Christi, conveniat. Recte præfati operarii septuaginta millia, et octoginta millia esse perhibentur. Septuaginta millia videlicet propter sabbatismum animarum : septimus enim dies in sabbatum, id est requiem, consecratus est. Octoginta millia propter spem resurrectionis, quæ octava die, id est post sabbatum in Domino præcessit, et in nobis quoque octava die simul et octava ætate futura speratur. Præpositi autem erant tria millia trecenti, propter fidem nimirum sanctæ Trinitatis quam per sancta nobis eloquia prædicant. Quod vero pro tribus millibus trecentis præpositis, in libro Paralipomenon (*II Par* ii) tria millia sexcenti sunt scripti, ad eamdem prorsus sublimium vivorum perfectionem respicit. Nam quia in senario numero Dominus mundi ornatum complevit, recte in eo perfecta bonorum solent opera figurari. Et quia sancta Scriptura cum fide veritatis, opera justitiæ docet habenda, recte præpositi operum templi tria millia et sexcenti fuisse perhibentur. Nec prætereundum quod hæc septuaginta millia et octoginta millia portantium onera, et latomorum cum præpositis suis, non fuere de Israel, sed de proselytis, id est advenis, qui morabantur inter eos. Scriptum namque est in Paralipomenon : « Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem quam dinumeravit David pater ejus, et inventi sunt centum quinquaginta tria millia sexcenti. Fecitque ex eis septuaginta millia qui humeris onera portarent, et octoginta millia qui lapides de montibus cæderent : tria autem millia, et sexcentos præpositos operum populi, » etc. Proselyti autem vocabantur Græce qui ex aliis nationibus progeniti, in fidem et consortium populi Dei, accepta circumcisione, transierunt. Fuerunt itaque operarii domus Domini de filiis Isaael, fuerunt de proselytis, fuerunt de gentibus. De filiis videlicet Israel triginta millia eorum qui ad præcidendas de Libano

A cedros missi sunt. De proselytis istis, de quibus nunc locuti sumus, lapidum cæsores. De gentibus Hiram ipse et servi ejus, qui cum servis Salomonis ligna cædebant de Libano. Omne igitur hominum genus per quos ædificanda erat Ecclesia, in ædificatione templi præcessit. Judæi namque et proselyti, et gentiles conversi ad veritatem Evangelii, unam eamdemque Christi Ecclesiam, sive recte vivendo, sive etiam docendo, construunt.

« Præcepitque rex ut tollerent lapides grandes, « et lapides pretiosos in fundamentum templi, et « quadrarent eos. » Fundamentum templi nullum est aliud intelligendum mystice, quam illud quod ostendit Apostolus, dicens : « Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum

B est, qui est Christus Jesus (*Cor. I.* iii). » Qui propterea fundamentum domus Domini potest recte vocari, « quia (sicut ait Petrus) non est aliud sub cælo datum nomen hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (*Act.* iv). » In quod fundamentum lapides grandes et pretiosi tollentur, cum præcipui factis ac sanctitate viri, familiari mentis sanctitate suo adhærent Conditori, ut quo firmius in illo spem suam ponunt, eo fortius aliorum vitam dirigere (quod est latitudinem parietis portare) sufficiunt. Lapides ergo qui in fundamentum templi ad portandum ædificium omne ponebantur, proprie sunt prophetæ et apostoli, qui verbum et sacramenta veritatis, sive visibiliter sive invisibiliter ab ipsa Dei sapientia perceperunt. Qui bene lapi-

C des primo quadrati ac sic in fundamentum poni jubentur. Quadratum namque omne, quocunque vertitur, fixum stare consuevit. Cui nimirum figuræ corda assimilantur electorum, quæ ita in fidei firmitate consistere didicerunt, ut nulla occurentium rerum adversitate, nec ipsa etiam morte a sui rectitudine possint status inclinari.

« Quos dolaverunt cæmentarii Salomonis et cæ« mentarii Hiram. » Dolantur namque lapides pretiosi, cum electi quique præcedentium sanctorum instructione et instantia, quidquid in se habent noxium et inane relinquunt: atque ante conspectum sui Creatoris, solam insitæ sibi justitiæ regulam, quasi stabilem quadraturæ formam ostendunt. Do-

D laverunt autem hos lapides, non solum cæmentarii Salomonis, sed et cæmentarii Hiram, quia ex utroque populo doctores fuere sanctæ Ecclesiæ.

« Porro Giblii præparaverunt ligna et lapides « ad ædificandam domum. » Giblos est civitas Phœnicis, cujus meminit Ezechiel, dicens : « Sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui, senes Giblii et prudentes ejus (*Ezech.* xxvii), » etc. Pro qua in Hebæo continetur *Gebel* sive *Jabal,* quod interpretatur *definiens* sive *disterminans* : quod vocabulum apte convenit eis qui corda hominum ad ædificium spiritale, quod ex virtutibus animæ construitur, parant. Sic etenim solummodo suos auditores fidem et opera justitiæ docere sufficiunt, dum ipsi prius sacris paginis edocti diligenter quæ sit fides tenenda, quo vir-

tutum calle incedendum, certa definitione veritatis didicerint. Nam frustra officium sibi doctoris usurpat, qui discretionem catholicæ fidei ignorat. Neque sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicere, conantur. In ædificanda ergo domo Dei, primo sunt ligna et lapides cædendi de monte: quia eos quos in fide veritatis instituere quærimus, primo necesse est ut abrenuntiare diabolo ac de sorte primæ prævaricationis, in qua nati sunt, doceamus renascendo erui. Denique quærendi sunt lapides pretiosi et grandes, atque in fundamentum templi ponendi, ut meminerimus abdicata conversatione priori, eorum in omnibus vitam moresque inspicere, eos nostris auditoribus imitandos proponere, quos per virtutem humilitatis specialiter Domino adhærere noverimus. Addendus est in altum paries operum bonorum, et quasi superimpositis sibi invicem ordinibus lapidum, ambulandum est ac proficiendum de virtute in virtutem Vel certe lapides fundamento grandes, pretiosi et quadrati, primi sunt (ut supra diximus) Ecclesiarum magistri, qui ab ipso Domino verbum audiere salutis. Superpositi autem lapides ordinum sive lignorum, sequentes sunt, suo quique tempore sacerdotes ac doctores, quorum vel prædicatione ac ministerio, fabricatur Ecclesia vel ordinatur virtutibus. Quales autem colore fuerint lapides quibus factum est templum, in libro Paralipomenon aperte declaratum est, dicente David ad Salomonem, cum ei impensas templi quas præparaverat ostenderet: Omnem pretiosum lapidem et marmor Parium abundantissime præparavi (*I Par.* XXIX). » Marmor autem Parium marmor candidum dicitur: quale eadem insula gignere consuevit. Unde poeta de illa [a]:

Olearon niveamque Paron sparsasque per æquor
Cycladas, et crebris legimus freta concita terris.

Niveam ergo Paron dicitur, eo quod candidissimi marmor generis mittat. Est autem una de Cycladibus, quo videlicet lapide, templum fuisse factum, et Josephus insinuat, dicens: Elevavit itaque templum usque ad cameram, ex lapide albo constructum. Altitudo fuit sexaginta cubitorum, etc. Nec mysterii sensus in abdito est, cuivis etenim patet, quia marmor candidum, ex quo domus Domini constructa est, mundam electorum actionem simul et conscientiam ab omni nævo corruptionis castigatam designat. Quales esse voluit sapiens ille architectus, eos quos super fundamentum Christi locabat lapides pretiosos, auro argentoque redimitos: « Charissimi, inquit, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei (*II Cor.* VII). »

CAPUT VI

« Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, ipse est mensis secundus regis Salomonis super Israel, ædificare cœpit domum Domino. » Quod dicitur, in anno quarto, mense Zio, ipse est enim mensis secundus regis Salomonis super Israel. Ordo sensus est, in anno quarto regis Salomonis super Israel, mense Zio, ipse est mensis secundus. Mensem autem secundum Maium dicit: namque Aprilis quo Pascha celebrabatur principium mensium, apud Hebræos primus erat in mensibus anni. Ex quo manifeste patet, quia mox peracto pascha, cœpit ædificare domum Domino, et consecratus mystica solemnitate populus, manus ad mysticum opus misit. Fit autem commemoratio egressionis ex Ægypto, quando tabernaculum ædificari cœptum est: ut admoneatur lector, quod annorum tempus, inter ædificationem utriusque domus transierit, et hunc quoque summæ temporis, sacramentum inesse spiritale cognoscat. Quater namque centeni, et viceni, quadringentos et octoginta faciunt. Quatuor autem Evangelicæ perfectioni apte conveniunt, propter ipsum Evangelistarum numerum: centum viginti, legali doctrinæ, propter annos legislatoris totidem. In quo etiam numero virorum, gratiam sancti Spiritus primitiva suscepit Ecclesia: patenter ostendens quia qui lege legitime utuntur, id est qui Christi in ea gratiam cognoscentes amplectuntur, jure spiritus ejus gratia replentur, quia in charitate ejus amplius ignescunt. Diximus autem per tabernaculum quod fecit Moyses et filii Israel in deserto, Synagogam: per templum vero quod Salomon et filii Israel cum proselytorum et gentilium auxilio construxit, Ecclesiam gentium posse designari. Permansit autem cultus et religio tabernaculi annos quadringentos et octoginta, ac sic ab eo templum ædificari incipit. Quod autem quarto anno regis Salomonis ædificari cœpta est domus Domini, potest ad eos referri mystice, quod post expletam dispensationem Dominicæ incarnationis, quæ in quatuor Evangelii libris scripta est, misso de cœlis Spiritu sancto, Ecclesiæ structura cœperit. Et quod mense secundo cœpta est, potest ad electionem gentium, quæ secundo loco post Israel ædificationem in se sui suscepere Creatoris. Unde et secundus mensis in lege concessus est ad faciendum Pascha, quia immundi super animam hominis vel in via procul positi ad faciendum in primo mense pascha, occurrere nequirent. Ubi nos apertissime designati sumus, qui immundi super mortem animæ nostræ, et procul adhuc positi a populo Dei, non potuimus primum pascha facere, quod in carne et sanguine agni fiebat. Celebramus autem hodie pascha, secundum quod in corpore et sanguine Redemptoris nostri, a quo quæsiti et mundati sumus, actum est. In quo autem loco templum sit ædificatum manifestius in libro Paralipomenon ostenditur, ubi scriptum est: « Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem, in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus in loco quem paraverat David in Area Ornan Jebusæi (*II Par.* III). » Ædificatur ergo domus Domini in Jerusalem, hoc est, in visione pacis: qua dilatata per totum orbem

[a] Virg., *Æneid.* III.

Ecclesia in una eademque fide, et veritatis catholicæ societate consistit. Namque in scissura mentium Deus non est : sed « factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion (*Psal.* LXXV). » Ædificatur in monte, videlicet in ipso Domino Salvatore, de quo Isaias ait : « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium (*Isa.* II). » Et ipse de se in Evangelio : « Non potest, inquit, civitas abscondi super montem posita (*Matth.* V). » Ipse est enim mons montium, qui de terra quidem per originem assumptæ carnis ortus est, sed omnium terrigenarum potentiam ac sanctitatem singulari culmine dignitatis transcendit. In quo nimirum monte civitas, sive domus Domini, constructa est : quia nisi Sion in illo radicem figat, spes et fides nostra nulla est. Qui recte mons Moria, id est *visionis* vocatur : quia electos suos quos ad æternam suæ claritatis visionem conservat, in hac interim vita laborantes videre et adjuvare dignatur. Qui demonstratus fuerat David patri ejus. Ostensus namque erat David sicut et cæteris prophetis, venturus in carne Dominus. Bene idem locus area erat Ornan Jebusæi, quia et Ecclesia areæ solet vocabulo designari, dicente Joanne de Domino : « Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam (*Marc.* III.» Ornan qui interpretatur *illuminatus*, et erat natione Jebusæus, natione quidem gentiles significat. Hos autem eosdem illustrandos a Domino, atque in filios Ecclesiæ commutandos ostendit quibus merito dicit Apostolus : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V). » Jebus eadem est civitas quæ et Jerusalem. Et Jebus quidem interpretatur *conculcata*, Jerusalem autem *pacis visio*. In qua quandiu Ornan gentilis regnabat, Jebus dicta est, etiam cum in ea David locum holocausti emeret. Cum vero Salomon in ea templum Domino ædificaret, non jam Jebus, sed Jerusalem vocata est. Quia nimirum gentilitas quandiu divini cultus nescia perdurabat, conculcabatur et illudebatur ab immundis spiritibus : ad simulacra muta prout ducebatur, sequens. Cum vero illam gratiam sui Conditoris respexit, continuo pacis in se et locum invenit et nomen.

« Domus autem quam ædificabat rex Salomon « Domino, habebat sexaginta cubitos in longitu« dine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta « cubitos in altitudine. » Longitudo domus longanimitatem designat Ecclesiæ, quia in exsilio peregrinationis hujus patienter adversa quæque tolerat, donec ad patriam quam exspectat, perveniat. Latitudo insinuat charitatem, qua dilatatio sinu mentis non solum amicos in Deo, sed et inimicos diligere gaudet propter Deum : donec veniat tempus, quando sive ad pacem suam conversis, sive funditus omnibus exstinctis inimicis, cum solis gaudeat amicis in Deo. Altitudo spem denuntiat futuræ retributionis, cujus intuitu libenter infima quæque, sive quæ demulcent, sive quæ adversantur, contemnit : usque dum utrisque transcensis, sola mereatur videre bona Domini in terra viventium. Ubi notandum quod triginta cubiti altitudinis, non usque ad tectum templi, sed usque ad cœnaculum inferius pertingebant. Namque in libro Paralipomenon aperte scriptum est, quod altitudo centum viginti cubitorum erat. De quo post hæc dicturi sumus.

« Porticus erat ante templum viginti cubitorum « longitudinis juxta mensuram latitudinis templi, « et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem « templi. » Templum namque erat conversum ad orientem, sicut et tabernaculum. Habebatque ostium porticus ab oriente, contra ostium templi, juxta quod historicus Judæorum Josephus apertissime docet : ita ut sol æquinoctialis oriens, directis radiorum suorum lineis, per ostia tria porticus videlicet, et templi et oraculi, arcam testamenti perfundere posset. Quia vero templum sanctam Ecclesiam designat, porticus quæ erat ante templum, et propior lucem solis accipere solebat, quid apertius quam illam ejus partem, quæ Dominicæ incarnationis tempora præcessit, typice denuntiat ? In qua sunt patriarchæ et prophetæ, qui orientem huic mundo solem justitiæ primi susceperunt, et nascenti in carne Domino testimonium, sive vivendo, sive prædicando, sive nascendo, sive etiam moriendo, præbuerunt. Ostium vero templi Dominus est : quia « nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum (*Joan.* XIV). » Et sicut alibi dicitur : « Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X). » Ostium porticus sermo est propheticus, qui quasi recto calle ingredientes, in ostium templi perducebat : quia gratiam Domini Salvatoris qua mundum erat redempturus, aperte prædicabat. Factura ergo porticus tota fideles illius temporis significat. Ostium vero in porticus doctores qui cæteris lucem vitæ januamque intrandi ad Dominum pandebant, exprimit. Et bene unum ostium propter consonam in omnibus sanctis fidem, ac dilectionem veritatis. Quæ videlicet porticus, juxta latitudinem templi viginti cubitis longa erat, quia nimirum antiqui justi per longanimitatem devotæ mentis, desiderabant venire ad dilationem Ecclesiæ, in charitate Dei, quæ est in Christo Domino nostro.

« Fecitque in templo fenestras obliquas. » Fenestræ templi doctores sancti sunt et spiritales quique in Ecclesia, quibus mente excedentibus, Deo arcana secretorum cœlestium specialius cæteris videre conceditur. Qui, dum ea quæ in occulto vident, publice fidelibus pandunt : quasi suscepto lumine solis, fenestræ juncta templi penetralia replent. Unde bene eædem fenestræ obliquæ, id est intus latiores fuisse perhibentur : quia nimirum necesse est, ut quisquis jubar supernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox sinum cordis amplius castigando dilatet, atque ad majora capessenda solerti exercitatione se præparet.

« Et ædificavit super parietem templi tabulata « per gyrum, in parietibus domus per circuitum « templi et oraculi, et fecit latera in circuitu. Tabu-

« latum quod subter erat, quinque cubitos habebat « latitudinis : et medium tabulatum, sex cubitorum « latitudinis : et tertium tabulatum, septem habens « cubitos latitudinis. » Hæc tabulata in Evangelio ubi Dominus tentatur a diabolo, pinnacula templi vocantur. Sed et Jacobum fratrem Domini apostolum, in pinnaculum templi, unde ad populum concionaretur, levatum esse legimus. Utrum autem moris fuerit doctoribus, ut his sedentes tabulatis ad circumstantem inferius turbam fecerint sermonem, nusquam scriptum invenimus. Patet vero ratio sacramenti, quia tabulata hæc tria totidem fidelium gradus, conjugatorum videlicet, continentium et virginum designant, distinctos quidem altitudine professionis, sed societate fidei et veritatis ejusdem, omnes ad domum Domini pertinentes, eique fixa mente inhærentes. Ubi pulchre dicitur, quia tabulatum quod subter erat quinque cubitos habebat latitudinis, medium sex, tertium septem. Supernum ergo tabulatum erat cæteris angustius, medium superno latius, sed infirmo erat factum angustius. Quia nimirum altior professio virtutis arctiorem debet vitam tenere vivendi. Singula autem tabulata habebant in circuitu latera, id est turriculas, ne facile quis in eisdem tabulatis consistens sive residens, posset ad inferiora decidere : quod Ochoziæ regi contigisse in Samaria legimus. Quæ nimirum latera non incongrue quotidiana divinæ protectionis erganos munimina designant. De quibus Psalmista : « Immittet, inquit, angelum Dominus, in circuitu timentium eum, et eripiet eos (*Psal.* XXXIII). » Ascendit quidem in cœnaculum Ochozias rex Samariæ, qui se a domo David separaverat, sed per cancellos decidit. Quia et si hæretici, sive schismatici, aliquam bonæ actionis arcem conscendere videntur, quia tunc compagem Ecclesiasticæ unitatis non habent, quasi patentibus et non solitis laterum præsidiis, semper ad vitiorum intima relabuntur, dum divino destituti auxilio, suæ pertinaciæ fastu intereunt. Qua autem arte præfata tabulata parietibus templi sunt affixa, declaratur cum subditur.

« Trabes autem posuit in domo per circuitum fo« rinsecus, ut non hærerent muris templi. » Trabes ergo quæ intrinsecus domum muniebant et ornabant, tantæ erant longitudinis, ut capita eorum forinsecus prominerent : in infimo quidem ordine cubitorum septem, in medio sex, in supremo quinque, atque in eisdem capitibus, earum tribulata componerentur, nequaquam muris templi infixa, sed juxta muros trabibus, quæ de muris exiebant, superposita. Quid itaque per trabes domus, quæ tabulata portabant, nisi prædicatores sancti sunt typice designati ? Qui dum ipsi sublimem atque honorabilem in Ecclesia Dei locum tenent, infirmiores quosque ac fragiles, suis prædicationibus ab infimorum appetitu sustollunt, atque ad cœlestia desideranda ac speranda suspendunt: suis etiam intercessionibus, ut in cœptis persistant adjuvant. Legimus autem in libro Paralipomenon, quod trabes templi, sicut et cætera ejus inte- A riora, fuerint auro vestitæ. Quod ita factum esse non dubium est, ut illæ trabium partes, quæ intus in templo erant, aureis essent laminis tectæ. Quæ vero foris apparebant, hæ minimæ deauratæ ipsam cedri speciem formamque cunctis ostenderent, in qua tamen imposita sibimet tabulata, gestabant. Quod ergo extrinsecus eminebat trabium, vitam sanctorum quæ nobis in terris innotescere potuit designat. Quod intus in templo deauratum fulgebat, claritatem illam qua in cœlesti patria in aspectu sui gaudent Creatoris, figurate denuntiat.

« Domus autem cum ædificaretur, lapidibus de« dolatis atque perfectis, ædificata est, et malleus, « et securis, et omne ferramentum non sunt audita « in domo, cum ædificaretur. » Hæc ad illam Ec- B clesiæ partem, quæ post hujus sæculi labores et certamina, ad æterna præmia meruit introduci, proprie pertinent. Ibi etenim perfecti solummodo, et immaculati atque ob omni labe iniquitatis castigati, ingrediuntur. Non enim intrat in illam civitatem aliquid coinquinatum, faciens abominationem et mendacium, sicut in Apocalypsi scripsit Joannes, « ubi malleus et securis et omne ferramentum non auditur (*Apoc.* XXI), » quia hic tundimur adversitatibus, et disciplina veritatis exercemur, ut illic locis juxta meritum congruis disponamur, et castigatione cessante, solo amoris glutino (quo ad invicem copulemur) uno impleti spiritu perfundamur.

« Ostium lateris medii in pariete erat domus dex- C « træ, et per cochleas ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. » Quidam hunc locum male intelligentes, putant ostium templi a meridie fuisse, non attendentes, quia si hoc significare voluisset, Scriptura non ita diceret : « Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ ; » sed ita potius simpliciter : Et habebat domus ostium ad meridiem. Nunc autem longe aliud significat : Pars namque domus dextræ latus templi meridianum dicitur, in cujus parte orientale ostium erat in ipso angulo factum juxta terram, in quo introeuntes, statim ad altiora gradatim ascendebant, habentes viam ascensus per ipsa parietis interiora, donec ascenderent ad medium cœnaculum, et a medio pervenirent ad tertium. Nec du- D bitandum, quamvis hoc Scriptura non dicat quia sic ascendentes creberrimas habebant a meridie fenestras, quarum luce per omnia et sine offensione iter agerent : qui nimirum locus, proprie ad corpus Dominicum quod de virgine sumpsit, respicit. Ostium namque lateris medii in parte erat domus dextræ, quia defuncto in cruce Domino, unus militum lancea latus ejus aperuit. Et bene in parte domus dextræ, quia ad dextrum ejus, latus a milite apertum sancta credit Ecclesia. Ubi apto etiam verbo usus est Evangelista (*Joan.* XIX), ut non diceret, « percussit latus ejus, » aut « vulneravit, » sed « aperuit, » videlicet quasi ostium lateris medii, per quod nobis iter ad cœlestia panderetur. Denique ita subjunxit : « Et continuo exivit sanguis et aqua. » *Aqua* scilicet, qua ablui-

mur in baptismo, et *sanguis* quo consecramur in A calice sancto. Per hoc namque ostium nobis est ascensus in medium cœnaculum, et a medio in tertium, quia per fidem et mysteria nostri Redemptoris, de præsenti Ecclesiæ conversatione, ad requiem animarum post mortem ascendimus, rursumque de requie animarum (adveniente die judicii) ad immortalitatem quoque corporum, quasi in tertium cœnaculum, sublimiori profectu penetrabimus, ex quo in magna amborum, et corporis videlicet et animæ beatitudine, perpetuo vivamus. Quo quidem iter invisibiliter agebamur, ita ut soli hoc qui intraverant nossent, quamvis ipsum ostium etiam foris positi viderent : quia nimirum actus in hoc sæculo, et celebrationes sacramentorum, etiam reprobi possunt intueri, verum arcana fidei intimæ gratiam dilectionis, nullus (nisi per hæc Domino duce ad cœlestia scandit) agnoscit. « Qui enim dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* II). » Notandum sane quod triginta cubiti altitudinis, de quibus supra legitur, usque ad medium cœnaculum addebantur, quousque porticus quæ erat circa templum ab austro, et aquilone, et occasu, tectum perveniebat, ut Josepho narrante didicimus. Denique usque ad supremum templi tectum, alii sexaginta cubiti numerabantur, et sic tota altitudo domus juxta librum Paralipomenon (*II Par.* III) in centum viginti cubitos consummata est. Porticus quoque quæ erat ante frontem templi ad orientem, juxta fidem præfati voluminis C eamdem cubitorum summam in altitudine habebat : qui videlicet liber, illas de quibus prædiximus porticus circa templum, cellaria vocat et cubicula. « Dedit autem, inquit, David Salomoni filio suo descriptionem porticus templi, et cellariorum, et cœnaculi, cubiculorum in abditis, et domus propitiationis (*I Par.* XXVIII). » Ubi etiam exteriorum domorum, quæ erant extra atrium sacerdotum in circuitu templi, fecit mentionem, cum protinus adjunxit : Necnon et omnium quæ cogitaverat, atriorum et exedrarum per circuitum, in thesauris domus Domini, et in thesauris sanctorum. Quod autem omnis altitudo templi centum viginti fuit cubitorum, ad idem sacramentum respicit. Quod ex primitiva Hierosolymis Ecclesia, post passionem, D resurrectionem, et ascensionem Domini in cœlos, in hoc numero virorum, gratiam Spiritus sancti accepit. Quindecim namque, quæ ex septem et octo constant, solent nonnunquam ad significationem referri vitæ, quæ nunc in sacro baptismo geritur animarum fidelium : perficietur autem in fine sæculi, resurrectione corporum immortalium. Ipsa autem quindecim, in trigonum ducta, id est cum omnibus suis partibus annumerata, centum viginti efficiunt : qua propter apte numero e centenario et vicenario, magna electorum beatitudo in futura vita designatur. Apte etiam in hoc tertium domus Domini cœnaculum consummatur : quia post præsentes fidelium labores, post acceptam in futuro requiem animarum, plena totius Ecclesiæ felicitas in resurrectionis gloria complebitur.

« Et ædificavit domum et consummavit eam. Te« xit quoque domum laquearibus cedrinis. » Laquearia quid sunt ? Laquearia sunt tabulata, quæ magno decore composita et ornata, ab inferiore parte trabibus affiguntur : et quia ter geminæ altitudinis domus Domini facta erat, terna nimirum habebat laquearia. Quid autem aptius per laquearia quam sublimiores quosque in sancta Ecclesia justos significari credamus ? Quorum opus et doctrina cunctis in exemplo proposita, quasi longius in alto præeminent, quosque suis intercessionibus et exhortationibus animos infirmorum, ne in tentationibus deficiant, protegunt. Quæ nimirum laquearia recte cedrina esse describuntur. Cedrus namque B arbor est imputribilis omnino naturæ, odoris jucundi, aspectus nitidi, serpentes accensa nidore fugans ac perimens. Quæ universa perfectis quibusque conveniunt, quorum insuperabilis est patientia, fama virtutum eximia, præsentia cunctis gratissima, in bonis auctoritas, ad revincendos, confutandosque eos qui veritati resistunt, constantissima : qui et in hac vita et futura, singulari præ cæteris sanctis eminentia, fulgent.

« Et ædificavit tabulatum super omnem domum, « quinque cubitis altitudinis (*Deut.* XXII). » Loriculas significat, quæ in supremo domus tecto per circuitum erant factæ, ne quis ad altiora perveniens, repente laberetur ad ima : quod in omni domo, quam quisque ædificaret, Moyses fieri præcepit : « Cum ædificaveris, inquiens, domum novam, facies murum tecti per circuitum ; ne fundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio et in præceps ruente (*Deut.* XII, 8). » Hæc autem tabula sive loriculæ supra sunt latera vocata : ubi, cum dictum esset.

« Et ædificavit super parietem templi tabulata « per gyrum, in parietibus domus per circuitum « templi et oraculi. » Continuo subjunctum est, « Et fecit latera in circuitu, » in quibus nimirum lateribus intelligimus divina esse præsidia designata, quæ nos in hoc adhuc sæculo laborantes, ac pro captu nostro ad superiora nitentes, quotidie ne deficiamus adjuvant. Bene autem hoc supremum tabulatum in tecto domus Domini quinque cubitis altum esse memoratur, quia nimirum ita nos in illa patria divinæ præsentiæ claritas adimplet, ut nihil aliud visus noster, nihil auditus, nihil olfactus, nihil gustus, nihil tactus duce habeat, nisi diligere Dominum Deum nostrum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligere et proximum tanquam nosmetipsos (*Matth.* XXI ; *Deut.* VI). « Et operuit domum lignis cedrinis. » Supremum ipsum domus tectum dicitur, id est, tabulatum illud, quod supremis trabibus superpositum erat. Non enim habebat templum culmen in superioribus, sicut nec tabernaculum, sed erat æquale quomodo omnibus in Palæstina et Ægypto domus ædificantibus facere moris est. Idipsum autem hoc tabulatum, quo operta est domus, quod et laquearia designat, id est, eximios quosque

in resurrectionis gloria viros, et singulari sanctitate ad ipsum virtutis apicem pervenientes : de quorum uno dicitur : « Inter natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* XI) ; » cujus hic compar est magnitudinis si scire vis, audi quid Patri ipsius angelus ait : « Et ipse præcedet ante Dominum, in spiritu et virtute Eliæ (*Luc.* I). »

« Et ædificavit parietes domus, intrinsecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad « summitatem parietum, et usque ad laquearia « operuit lignis cedrinis intrinsecus. » Intrinsecus quidem domus cedro erat vestita : nam forinsecus tanto nitore lapis ipse, de quo facta fuerat, fulgebat, ac si calculo esset candido tecta. Juxta sensus vero mysticos, parietes templi sunt fidelium populi, ex quibus sancta universalis consistit Ecclesia, quorum dilatationem per orbem, latitudo designat parietum : spem vero et intentionem omnem ad cœlestia erectam, longitudo. Vel certe altitudo parietis quæ ex ordinibus lapidum super invicem positis constat præsentis statum Ecclesiæ significat, ubi electi super fundamentum Christum omnes ædificati, sibi invicem in ordine, per temporum curricula succedunt, seseque invicem portantes, legem Christi, quæ est charitas, adimplent. Dum enim qui nunc a præcedentibus erudiuntur magistris, rursum ipsi alios erudiunt, quasi super invicem positis ordinibus, quique lapidum vivorum in domo Dei, sic ab aliis fixa constantia portantur : ut ad portandos alios et ipsi sufficiant, usque ad ultimos qui in fine mundi nascituri sunt justos qui quasi in summo domus Dei cacumine locati, docentur quidem et portantur ab aliis. Sed quos doceant, quorumve fragilitatem tolerent, ipsi non habent. Qui videlicet parietes intresecus tabulatis cedrinis operiuntur, cum corda fidelium amore virtutum redundant. Sicut enim cedri natura perfectos homines (ut supra docuimus) typice denuntiat : ita etiam locis opportunis celsitudinem virtutum, quibus ad eamdem perfectionem venitur, non immerito designat. Teguntur autem omnia lignis a pavimento domus, usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia : cum electi a primis fidei rudimentis, usque ad perfectionem bonæ actionis, et usque ad ingressum patriæ cœlestis, a bonis insudare non desistunt operibus cum a primis justis usque ad ultimos in consummatione sæculi, omnes virtutibus student, quarum merito vere valeant protestari, quia « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II). » « Et texit pavimentum domus tabulis abiegnis (*II Par.* II). » Hoc quomodo factum sit, plenius in libro Paralipomenon explicatur, ubi scriptum est: « Stravit quoque pavimentum templi, pretiosissimo marmore decore multo (*II Par.* III, 6). » Unde patet quia tabulas abiegnas quibus pavimentum tegeret, nequaquam in terra posuit, sed primo illud marmore prætexit, ac deinde tabulas marmori superposuit, ac tertium his duobus auri vestitum superaddidit, ut in sequentibus legitur. Sicut autem latitudo parietis in altum exsurgens, atque A usque ad laquearia perveniens, profectus virtutum quibus electi ad regnum cœleste perveniunt, vel certe ipsos electorum choros, sibimet per tempora varia succedentes, significant : ita æqualitas pavimenti concorditer eorumdem humilitatem, quia in temporali vita adhuc positi, socialiter invicem charitate dictante conversantur, non immerito demonstrat. Quod videlicet pavimentum pretiosissimo erat marmore stratum decore multo. Idemque marmor in hoc tabulis tectum abiegnis, quia nimirum vita justorum primo fidei firmitate præmunienda in corde, ac deinde spiritualium virtutum latitudine adornanda est in opere : alioquin quid utilitatis habebat decus marmoris pretiosissimi lignorum tabulis obtectum, si non mysticum ali- B quid tacite signabat ? hoc est bonorum amplitudinem operum, fortitudine fidei intemeratæ suffulciendam docebat. Abies vero propter altitudinem sui, et robur diu durabile, mentem electorum infima quæque desideria spernentem, et cœlestium contemplationi semper intentam, virtute quoque patientiæ singulariter excellentem, non incongrue demonstrat. Auri autem laminæ marmori ac tabulis abiegnis superpositæ, ipsa est latitudo charitatis, *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I), quæ, sicut aurum aliis pretiosius est metallis, ita cæteris eximior virtutibus in templo Dei singulari luce refulget.

« Ædificavit quoque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, a pavi- C « mento usque ad superiora, et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. » Posteriorem partem templi occidentalem dicit: ab ortu enim solis ingressum habebat templum, et ab occasu domum interiorem, hoc est Sanctum sanctorum ingrediebatur. Quod autem tabulata quæ interiorem domum ab exteriore separabant, a pavimento usque ad superiora esse dicuntur ædificata, non usque ad laquearia (quæ triginta cubitis erant in sublime a pavimento suspensa, ut supra jam dictum est), sed tantum usque ad cubitos viginti altitudinis, ut in sequentibus aperte legitur, intelligendum est: reliquum vero erat super hæc tabulata apertum et inane usque ad laquearia, cubitorum decem altitudinis, et cubitorum viginti longitudinis, juxta latitudinem domus per quam nimirum januam fumus incensorum de al- D tari thymiamatis solebat in Sancta sanctorum ascendere atque ad arcam Domini operiendam penetrare. In qua distinctione domus Domini patet figura mysterii : et Apostolo exponente (*Hebr.* IX) luce clarior est, quia prior domus in quam semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes, præsens est Ecclesia, ubi quotidie piis insistentes operibus, Domino sacrificia laudis offerimus. Interior vero domus quæ ad posteriorem partem templi erat facta, ipsa est promissa nobis vita in cœlis. Exterior quidem hæc conversatio nostri exsilii : interior vero est quæ in præsentia Regis summi, ubi perpes beatorum et angelorum et hominum solemnitas agitur. Unde ea bene merito servo dicitur: « Intra in gaudium Domini (*Matth.* XXV). » Sed hæc posterior est tempore,

quia post hujus sæculi labores ad illius ingressum perducimur. Tabulata autem quæ utramque domum ab invicem dividunt, ipsa sunt claustra cœli, quorum nobis apertionem quotidie suspiramus : et quantum Dominus donaverit, pia semper instantia, donec aperiantur et intrare liceat, pulsamus. Ubi etsi necdum ante solutionem corporum intrare permittitur, apertam tamen habemus januam divinæ pietatis, qua orationum nostrarum, eleemosynarum, jejuniorum, cæterorumque operum bonorum thymiamata, præmittamus. Hinc est enim quod parietibus cedrinis domus interioris ædificata, januam habet in superioribus per totum, ubi fumus incensorum intraret, quia oculi Domini aperti sunt super domum ejus nocte ac die, et aures ejus in orationes servorum suorum intendentes, et hoc per totam latitudinem diffusæ per orbem. Ecclesiæ altare namque thymiamatis, quod in domo quidem exteriori, sed prope ostium stabat domus interioris, typus fuit perfectorum, qui carne quidem adhuc in mundo retenti, sed omni desiderio sunt ad cœlestia suspensi : et velut incenso thure, fumum ascendentem in Sancta sanctorum emittunt, quia superna amore flagrantes, crebris orationum vocibus, aures sui pulsant auctoris. Apertaque late janua fumus incensorum in superioribus venit : quia quanto mundiores quique in terris, et quasi viciniores cœlesti patriæ commorantur, tanto citius cuncta quæ poscunt, accipiunt. Bene autem interior domus viginti cubitis longa facta est, propter mysterium scilicet geminæ dilectionis (de quo et supra diximus), quæ in hac interim vita ex parte maxima electorum mentes illustrat, sed in illa patria cessantibus aliarum virtutum operibus sola perpetuo regnat.

« Porro quadraginta cubitorum erat ipsum tem-« plum pro foribus oraculi. » Diximus ipsum templum pro foribus oraculi præsentis Ecclesiæ typum gessisse. Unde recte quadraginta fuit cubitorum, qui numerus sæpe in significatione ponitur præsentis fidelium laboris, quomodo quinquagenarius, in significationem futuræ quietis et pacis. Denario namque numero continentur præcepta, quorum observatione ad vitam pervenitur. Denario æque significatur ipsa, quam desideramus et pro qua laboramus, vita perennis. Quadratus vero est mundus, in quo pro acquirenda eadem vita certamus. Unde Psalmista congregandam Ecclesiam de gentibus prævidens, aiebat : « De regionibus congregavit eos a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari (*Ps.* cvi, 2, 3). »

« Sed et cedro omnis domus intrinsecus vestieba-« tur, habens tornaturas suas, juncturas fabrefactas, « et cælatutras eminentes. » Diximus de cedro quod insuperabilem virtutum venustatem signaret : quo nimirum ligno omnis domus Domini intrinsecus vestiebatur, cum corda justorum solo bonorum operum amore nitescunt. Habetque domus in tabulis cedrinis tornaturas suas et juncturas fabrefactas, cum iidem electi sese ad invicem pulcherrima charitatis copula connectuntur : ita ut cum innumera sit A multitudo fidelium, unum tamen cor, unam habere animam, pro communis fidei ac dilectionis societate, merito dicantur. Namque tornaturæ, quæ juncturis tabularum apponebantur, ut unum ex omnibus fieret tabulatum, ipsa sunt officia charitatis, quibus adinvicem fraternitas sancta copulatur, atque in unam Christi domum toto terrarum orbe componitur. Quæ etiam domus habet cælaturas eminentes, cum opera virtutum sancti nequaquam occulto tegunt, sed manifesta expressione foris omnibus quales sint ipsi, quid agant, in exemplum vivendi proferunt. « Omnia cedrinis tabulis vestie-« bantur, nec omnino lapis apparere poterat in « pariete. » Et lapides parietis sive pavimenti, et tabulæ et aurum, sanctorum in Ecclesia vitam om- B nia designant. Sed ea utique distinctione, cum pariter ponuntur, ut lapides vivi sint sancti, fortitudine fidei in una eademque regula sibimet agglutinati. Tabulæ cedrinæ sive abiegnæ sunt sancti latitudine variarum virtutum secundum donationes Spiritus sancti, in una eademque fide sibimet alterutrum connexi. Auri laminæ sunt sancti supereminentem scientiæ charitatem habentes, hujusque fulgore gratissimo adinvicem congaudentes. Quæ tria beatus Apostolus una sententia complexus est, dicens : « Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium : sed fides quæ per dilectionem operatur (*Gal.* v). » Fidei namque invictæ lapis figuram tenuit : cedrus actionis odoriferæ : aurum, transcendentis omne dilectionis. Ve- C stiturque lapideus paries tabulis cedrinis, cum professio fidei bonis ornatur operibus, ne otiosa judicetur esse, aut mortua. Verum quia lex in lapide scripta, doctrina vera Evangelii per lignum est Dominicæ passionis confirmata : unde et populus ille lapide circumcidebatur in præputio, nos signo crucis consecramur in fronte. Possunt non incongrue parietes templi lapidei, sive pavimentum pretiosissimo marmore stratum, eorum qui in lege fideliter ac perfecte vixerunt, typum tenere ; tabulæ vero cedrinæ sive adiegnæ, Novi Testamenti justos indicare, qui volentes post Dominum venire, abnegant semetipsos, et sumpta cruce sua quotidie, sequuntur illum. Et quo utriusque temporis justos communis gloria supernæ manet retributionis, lapidibus ac lignis pretiosis tertia est spe- D cies aurearum adjuncta laminarum. Nec contrarium debet videri, quod supra diximus, porticum quæ erat ante templum, antiquorum figuram gestare fidelium : ipsum vero templum, eorum qui post incarnationis Dominicæ tempus in mundum venerunt. Porro domum interiorem, regni cœlestis gaudia, quæ utrisque justis dantur figurare. Nunc autem dicamus parietes lapides antiquum Dei populum, tabulata cedrina novum, aureas laminas utriusque in cœlis præmia designare : cum idem parietes templi et in porticu, et in ipso templo, et in Sanctis sanctorum pari fuerint modo, de lapidibus et lignis et auro compacti. Multiplex namque est in diversis rebus earumdem repetitio figurarum. Sed et hoc dicendum, quia fue-

runt et in lege et ante scriptam legem : plurimi qui legaliter Domino deservirent, non occidentes, non fornicantes, non furtum facientes, non falsum testimonium contra proximum loquentes, honorantes patrem et matrem, et diligentes proximos sicut seipsos, hi ad parietes porticus lapideos pertinebant. Fuerunt alii, qui majori perfectione relictis mundi negotiis, et assumpta cruce sua, sequebantur Dominum : quod Apostolus scribit : « Ludibria et verbera experti insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti quibus dignus non erat mundus (*Hebr.* XI). » Hi qui ante manifestata tempora Evangelii, vitam duxere evangelicam, non aliter atque ante B ingressum templi, tabulata cedrina in porticu fulgebant. Quos utrosque quia idem regnum cœleste communiter (quamvis in mansionibus discretis) recipit, quasi porticus templi, post lapides et cedrum, intrinsecus est auro cooperta. Sunt in hoc tempore perplures qui legalibus contenti præceptis (quæ supra commemoravimus) sufficere sibi credunt tantum, si ad vitam venire mereantur. Sunt alii, qui ad perfectionem non desides, venditis quæ habent omnibus sequuntur Dominum, memores promissi illius, quod talibus in resurrectione non solum vitam, sed et specialem prædixit honorem esse tribundum : « Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestis C suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicandes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). » Hi ad parietem templi albo de lapide factum, illi figuraliter ad cedrina pertinent tabulata : utrique præmia a Domino perpetuæ lucis, quasi auri laminas quibus decorentur exspectant. Sunt in aditis lapides pretiosi, sunt tabulæ ligni aromatici, utraque auro cooperta, quia et illi qui in lege Domini immaculati ambulaverant, et qui gratiam Evangelii perfecte susceperant, pariter æterna vita perfruuntur.

« Oraculum autem in medio domus in interiori « parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Do- « mini. » Hoc superius præoccupando expositum est, quia videlicet interior domus secreta patriæ D cœlestis, arca fœderis Dominum salvatorem, in quo solo fœdus pacis apud Patrem habemus, designaret, qui post resurrectionem suam ascendens in cœlum, carnem quam de virgine sumpserat, in Patris dextera collocavit.

« Porro oraculum habebat viginti cubitos longi- « tudinis, et triginta cubitos latitudinis, et viginti « cubitos altitudinis. » Quod dicitur viginti cubitos altitudinis parietem significat cedrinum, qui oraculum, id est, Sancta sanctorum ab æde exteriori segregabat, sicut et supra diximus. Oraculum vero ubi erat arca habebat vicenos cubitos in longitudine, et latitudine et altitudine, id est, per quadrum : quia in superna illa patria ubi regem in decore suo vident oculi sanctorum, sola charitatis divinæ ac A fraterna negotia per omnia fulgent : quod sequentibus quoque verbis astruitur, cum dicitur : « Et ope- « ruit illud atque vestivit auro purissimo. » Quod est aperte dicere, quia superna mœnia civitatis gratia charitatis implevit. « Sed et altare vestivit « cedro. » Altare dicit thymiamatis quod erat ante oraculum. De quo paulo post subinfertur : « Sed et « totum altare oraculi texit auro. » Unde intelligi datur, quod idem altare de lapide quidem fuerit factum, et cedro vestitum, ac deinde auro coopertum : significat autem typice perfectorum vitam justorum, qui quasi in vicinia oraculi sunt positi, quia desertis infimis delectationibus de solo regni cœlestis ingressu, curam omnem impendunt. Unde bene in hoc altari non carnes victimarum, sed sola incendebantur thymiamata, quia tales adhuc peccata carnis, et illecebras cogitationum in se mactare opus habent ; sed tantum orationum spiritualium et cœlestium desideriorum odoramenta per ignem interni amoris in conspectu sui Conditoris offerunt.

« Domum quoque ante oraculum vestivit auro « purissimo, et affixit laminas clavis aureis. » Domum ante oraculum, præsentis Ecclesiæ typum tenere diximus, ubi ita Redemptoris nostri amore flagramus, ut necdum ipsum videre facie valeamus ad faciem. Unde apte domus hæc auro quidem purissimo cooperta ; sed interposito erat medio pariete ab oraculo secreta. Oraculum namque vocatur, cum vel divina hominibus vel angelica allocutio cum secretorum quorumque revelatione conceditur. Unde bene oraculum in aditis, hoc est in interiori domo factum est, quia superna patria, et angelorum nobis visio atque allocutio, et ipsa Dei præsentia revelabitur. Domus ergo ante oraculum auro tecta est, quia perfecti quique justi in hac vita, ubi necdum palam de Patre audire, id est necdum palam Patrem videre queunt, fidem et opus justitiæ divino ornant amore : per quem plenam Dei cognitionem mereantur attingere. Laminæ auri quibus operta est domus, operationes sunt multifariæ pietatis, quas in obsequium vel sui Creatoris, vel fraternæ necessitatis, amor castus exhibet. Clavi aurei quibus erant affixæ laminæ ipsa sunt præcepta charitatis, per quæ in exercitio studioque virtutum ne deficiamus, donante Christi gratia, continemur. « Unde bene de eisdem clavis in libro Paralipomenon scriptum est : « Sed et clavos fecit aureos ita ut singuli clavi siclos quinquagenos appenderent (*II Par.* III). » Quinquagenario namque numero solet in Scripturis remissio peccatorum, et gratia Spiritus sancti, et requies æterna figurari. Et quinquagenorum erant siclorum clavi singuli, quibus laminæ auri affigebantur in parietibus domus Domini. Quia nimirum verba cœlestia, quibus in amore bonorum operum proficimus et conservamur, veniam nobis promittunt peccatorum, gratiam sancti Spiritus et sabbatismum in futuro pollicentur æternum. Et hi quidem sunt clavi dilectionis, Sunt vero alii clavi timoris, quibus incipientes quique et necdum ad perfectionem pervenientes, illece-

bras vitiorum carnaliumque voluptatem mortificant. Illi videlicet sermones veritatis, quorum institutione carnem nostram crucifigere cum vitiis et concupiscentiis docemur : quas habere desiderabat Propheta, cum ait : « Confige clavis a timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui (*Psal.* CXVIII). » Qui rursum ad perfectiora perveniens, dicit de clavis dilectionis : « Mihi autem adhærere Deo bonum est (*Psal.* LXXII). »

« Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur. Sed et totum altare oraculi texit auro. » Deaurata est quippe porticus ante templum, quia Patres Veteris Testamenti Deo per charitatem placuerunt. Deauratum est ipsum templum, quia eadem ipsa « charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V). » Deaurata est domus interior, quia in superna patria sola charitas regnat. Sed ibi eo verius et securius, quo præsens ipse Deus, qui est charitas, videtur. Ibi eo certius, ipse mediator Dei et hominum, qui solus paternorum est conscius secretorum, velut arca Testamenti semper aspicitur. Quod autem cœnacula quoque tecta sunt auro, ad eumdem sensum respicit. Sicut enim interior domus sancta sanctorum ubi erat arca, internam sanctorum vitam in conspectu sui Conditoris et Redemptoris significabat, juxta illud Psalmistæ : « Abscondes eos in abscondito vultus tui, a conturbatione hominum (*Psal.* XXX) : » ita cœnaculo in alto, eamdem vitam, hoc est in cœlis esse, et non in hoc mundo designat, dicente Apostolo : « Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram (*Col.* III). »

« Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis. » Cherubim, sicut propheta Ezechiel aperte declarat, angelicæ dignitatis vocabulum est, numeroque singulari cherub dicitur, plurali cherubim. Unde aperte in figuris, cherubim qui erant in oraculo facti angelica ministeria quæ Conditori suo in cœlis semper assistunt, possunt intelligi. Qui recte de lignis olivarum facti esse perhibentur, quia nimirum virtutes angelicæ gratia Spiritus sancti, ne unquam ab amore Dei arescant, unctæ sunt. Decem autem sunt cubitorum altitudinis : quia denario vitæ æternæ struuntur, habentes inviolatam in se sui Conditoris imaginem servatam, perpetuæ sanctitatis ex justitia et veritate, quam prima in conditione perceperunt. Denarius namque decem obolis constat, et continere in se nomen regis et imaginem consuevit. Quapropter et figuræ regni cœlestis aptissime congruit, ubi et angeli sancti ad imaginem sui Conditoris ad quam facti sunt semper manent, et electi homines imaginem quam peccando amiserant recipiunt.

« Quinque cubitorum ala cherub una et quinque cubitorum ala cherub altera, id est decem cubitos habentes a summitate alæ usque ad alæ alterius summitatem. » Alæ cum in sanctorum hominum figura ponuntur, virtutes significant eorum, quibus ad cœlestia semper volare, atque in his conversationem delectantur habere Cum vero in significationem angelorum ponuntur alæ, quid aptius quam gratiam demonstrant perpetuæ et indefectivæ felicitatis eorum, qui semper in cœlestibus in ministerio sui persistunt auctoris ? Vel certe quia levitate spiritalis naturæ sunt præditi : ita ut ubicunque voluerint statim quasi volando perveniant, et hic cum alis figurati, et prophetis sunt cum alis ostensi. Bene autem dicitur quia « quinque cubitorum fuerit ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera, » quoniam virtutes angelicæ legem Dei quæ in quinque libris descripta est, indefessa devotione custodiunt : diligendo videlicet Dominum Deum suum ex omnibus viribus suis, et proximos tanquam seipsos. « Plenitudo enim legis charitas est (*Rom.* XIII). » Proximi autem eorum, et ipsi adinvicem, sunt angelici spiritus, et homines electi eorum æqui concives. Cherub unus et utraque ala ejusdem mensuræ perhibetur : quia videlicet eadem ipsa devotione qua sese alterutrum in Deo diligunt, nostram quoque ad se ascendentium societatem desiderant. Sicque simul alæ decem cubitos complent, cum in geminæ charitatis exhibitione, angeli de Conditoris sui præsentia lætantur.

« Decem quoque cubitorum erat cherub secundus mensura pari, et opus unum erat in duobus cherubim, id est altitudinem habebat unus cherub decem cubitorum : et similiter cherub secundus. » Duo erant facti cherubim, propter consortium ejusdem de qua loquimur charitatis significandum, quia minus quam inter duos charitas stare non potest. Unde et Salvator binos ad prædicandum discipulos mittere curavit, ut tacite doceret eos qui verbum fidei prædicarent, virtutem dilectionis ante omnia esse tenendam. Uniusque mensuræ et operis erant duo cherubim, quia disparilitas voluntatum sive cogitatuum in superna patria nulla est : ubi una omnes eademque Dei præsentis visione et gloria illustrantur.

« Posuitque cherubim in medio templi interioris. Extendebant autem alas suas cherubim, et tangebat ala una parietem, et ala cherub secundi tangebat parietem alterum : alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant. » Manifestum est ex his quæ prædicta sunt, quare cherubim in medio templi interioris sint positi : quorum habitatio est semper in cœlis. Extendebant autem alas cherubim quasi ad volandum, quia spiritus angelici simper haben animum ad obsequium divinæ voluntatis paratum. Quod vero ala una tangebat parietem, et ala cherub secundi alterum parietem, ad illam charitatis administrationem quam nobis exhibent angeli pertinent. Quod alæ alteræ in medio templi se invicem contingebant, eam dilectionis gratiam qua se alterutrum complectuntur exprimit. Bene autem sequitur.

« Texit quoque cherubim auro, et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis

« et torno. Et fecit in eis cherubim, et palmas, et « picturas varias, quasi prominentes de pariete et « egredientes; sed et pavimentum domus texit auro « intrinsecus et extrinsecus. Et in ingressu oraculi « fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angu- « lorum quinque, et duo ostia de lignis olivarum. « Et sculpsit in eis picturam cherubim et palma- « rum species, et anaglypha valde prominentia, et « texit ea auro, et operuit tam cherubim quam « palmas et cætera auro. Fecitque in introitu tem- « pli postes de lignis olivarum quadrangulatos, et « duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, et utrum- « que ostium duplex erat, et se invicem tenens « aperiebatur. Et sculpsit cherubim, et palmas, et « cælaturas valde eminentes, operuitque omnia la- « minis aureis opere quadro ad regulam. » Et reliqua. « Texit, inquam, cherubim auro, » quia et naturam eorum Conditor immortali claritate sublimavit, et mentem vera dilectionis atque humilitatis luce replevit. Notandum sane quod Moyses, dum tabernaculum faceret, fecit et duos cherubim aureos quos posuit in propitiatorio quod erat super arcam. Salomon autem addidit alios duos multo majores quos in templo poneret, sub quorum alis arcam in medio poneret, cum propitiatorio et cherubim prioribus. Sicque factum est, ut in tabernaculo quidem essent cherubim duo, in templo autem quatuor : ad unam vero eamdemque significationem utrique pertinent. Sed repetitum est ut typice doceretur, quia multiplicata post incarnationem dominicam Ecclesia, latius esset de gentibus sublimitas cœli civium pandenda : qui sic Conditorem decollato sibi munere beatitudinis collaudant, ut de nostra quoque ereptione ad eamdem beatitudinem introductione congaudeant. Extendunt enim alas adinvicem super arcam, cum ad laudem Domini Salvatoris referunt bonum omne quod acceperunt. Extendunt alteras alas ad parietes oraculi, cum sanctos etiam homines secum videre lætantur, eosque quo volunt alarum suarum summitatibus tangunt, quos consortes atque imitatores fuisse in hac vita suæ puritatis exsultant. Duos autem æque parietes alis suis tangunt, quia fideles utriusque populi, Judæi scilicet et gentilis, possessores secum habent aulæ cœlestis : non quod in illa patria distinctio localis inter utrumque populum, sed quia major fiat festivitas internæ beatitudinis, de consortio adunatæ in Deo fraternitatis. Extendunt ergo cherubim ad utrumque parietem oraculi alas suas, quia lætantes in cœlesti patria justos utriusque plebis, visione quoque suæ gloriæ ad laudem sui Creatoris excitant. Non solum de illorum quos secum intus habent hominum justorum felicitate lætantur agmina cœlestia, verum etiam nostri qui foris adhuc positi de profundis ad Dominum clamamus, curam gerunt sedulam. Unde bene de eisdem cherubim in libro Paralipomenon scriptum est : « Ipsi autem stabant erectis pedibus et facies eorum versæ erant ad exteriorem domum. » Quia nos ab hujus ærumna peregrinationis ereptos, ad suum desiderant pervenire consortium. Sic ergo pedibus stant erectis : sic alas suas auro tectas ad oraculi parietes extendunt, ut facies habeant ad domum versas exteriorem, quia sicut angeli suam perpetuo innocentiam conservant, sic de animarum sanctarum in cœlis beatitudine congaudent, ut eis quoque quos in terris adhuc peregrinari conspiciunt electis opem ferre non desinant : donec et illos ad cœlestem patriam introducant. Omnes enim sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Possunt etiam per duo cherubim duo Testamenta figurari. Qui nimirum cherubim in oraculo sunt facti, quia in consilio divinæ provisionis nobis utique inaccessibili atque incomprehensibili, ante sæcula dispositum est quando et qualiter, quibusve auctoribus, sacræ Scripturæ conderentur. De lignis olivarum sunt facti, quia lucem nobis scientiæ tribuunt, juvante flamma charitatis Dei, qui per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. Decem cubitis sunt alti, quia per observantiam decalogi legis Deo serviendum prædicant, quia Deo fideliter servientes, denario remunerandos esse regni perpetuitate ostendunt. Geminas habent alas, quia Testamentis sui Conditoris per aspera æque ut prospera indefesso suis auditoribus animo gradiendum esse demonstrant. Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera, quia in omni labentium rerum varietate, sancti universos sui corporis sensus, in obsequium sui Conditoris extendunt. Et unum opus erat in duobus cherubim, quia utriusque Testamenti scriptores, una eademque castitate operis et charitatis devotione Domino serviebant, una et consona Domini voce ac fide prædicant. Alæ igitur cherubim interiores super arcam se invicem constringebant, quia Testamenta pari de Domino attestatione consentiunt. Item alis exterioribus iste unum parietem, ille alterum contingebant, quia Vetus Testamentum proprie antiquo Dei populo scriptum erat. Novum vero nobis, qui post incarnationem dominicam ad fidem venimus. Et secundo parieti, hoc est septentrionali recte comparamur, quibus post frigora ac tenebras idololatriæ, lucem veritatis agnoscere datum. Versas habent facies cherubim ad exteriorem domum, quia nostri gratia qui adhuc foris stamus, neque reipsa, sed spe salvi facti sumus (divini sunt libri conditi quia scriptores eorum jam regnantes cum Deo, illum caullaudant in cœlis, curam nostræ gerunt salutis, proque nostris erratibus apud ejus pietatem interpellant). « Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis et torno. » Omnes parietes templi per circuitum, omnes sanctæ Ecclesiæ populi sunt, quibus super fundamentum Christi locatis, totius ambitum orbis replevit. Cœptumque fidei ædificium, quotidie nova membrorum suorum progenie, quasi lapidum pretiosorum appositione, superaugmentare non desistit. Qui nimirum parietes variis cælaturis sculpuntur, cum alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ se

cundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem A spiritu, alii gratia curationum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum (*I Cor.* XII). Et ut ad illas veniamus, quas omnes habere valemus virtutes, « charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, benignitas, bonitas, fides, modestia, continentia (*Gal.* V) » et cæteri fructus spiritus, quid nisi cælaturæ sunt parietum templi ? quia ornatus sunt mentium populi Dei. Sculpuntur iidem parietes et ad patiendum, cunctaque promittunt, dicentes ex animo per singula quæ occurrunt : « Benedicam Dominum in omni tempore (*Psal.* XXXIII) ; » et : « Paratum cor nostrum, Deus, paratum cor meum, cantabo et psallam in gloria mea Domino (*Psal.* CVII). » Scul- B puntur torno, cum intantum virtutibus operam impendunt, ut ab harum tramite nullis circumstantium rerum contrarietatibus, nullis possint blandimentis averti. Quia enim tornatura cæteris, artibus velocitate præcellit, et ipsa sibi regulam qua sine errore opus perficiat servat : apte per hanc pia sanctorum vita signatur, quæ et parata est semper ad obsequium divinæ voluntatis et hoc absque diverticulo errandi complere, longo virtutum didicit usu exercitata. « Et fecit cherubim in eis et palmas, et picturas varias, quasi prominentes de pariete et egredientes. » Cherubim namque in parietibus templi fecit Salomon, cum electos suos Dominus ad regulam Scripturarum sanctarum (in quibus est multitudo scientiæ) vitam suam C dirigere donat. Cherubim facit, cum eos in hoc mundo castitatem angelicæ conversationis, pro modulo suo docet imitari : quod maxime vigiliis ac laudibus divinis, dilectione sincera Conditoris et proximi geritur. Palmas facit, cum memoriam æternæ retributionis eorum mentibus infigit : ut eo minus ab arcæ justitiæ labi queant, quo mercedem justitiæ semper ante oculos habeant. Facit picturas varias quasi prominentes de pariete et egredientes, cum multifarias virtutum operationes fidelibus tribuit. Verbi gratia, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam. « Sed et pavimentum domus texit auro intrinsecus et extrinsecus. » Intrinsecus et extrinsecus, in oraculo et in ipso templo significat. Texit D ergo Salomon pavimentum domus auro intrinsecus et extrinsecus, quia rex noster pacificus et angelos atque animas justorum in cœlis perfecte ac plenarie dono dilectionis, a cæterorum mortalium visione secrevit. « Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque, et duo ostia de lignis olivarum. » Quod primo dixerat, fecit ostiola de lignis olivarum, hoc ipsum videtur apertius explicare voluisse cum adjunxit : et duo ostia de lignis olivarum. Unus quippe erat ingressus oraculi, sed idem ingressus duobus ostiis claudebatur. Rursumque reseratis eisdem aperiebatur, sicut etiam templum. Sicut porticus ante templum, unum non amplius habebat introitum. Certi utique causa mysterii, quia « unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus (*Ephes.* IV). » Unus in sæculum præsens per baptisma, unus in regnum cœleste per opera fidei est sperandus introitus. Nam quod unus esset ingressus oraculi, testatur hoc inferius de arca scriptum : « Cumque eminerent vectes, et apparerent summitates eorum, foris sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui et fuerunt ibi usque in præsentem diem. In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel cum egrederentur de terra Ægypti (*III Reg.* VIII), etc. » Ubi patenter (ni fallor) ostenditur quod unus erat ingressus oraculi : et hic e regione factus arcæ, quæ in medio ejusdem stabat oraculi. Cujus ingressus ostiola per significationem multifarie possunt accipi. Nam et angelicos spiritus quorum ministerio inhabitationem patriæ cœlestis introducimur, aptissime designant. Et apostolorum æque, apostolicorumque virorum, quibus claves regni cœlorum sunt datæ, tenent figuram : qui accepta a Domino potestate ligandi atque solvendi, et dignos intra regni januam admittunt, et contumaces, impuros ac superbos, excommunicando, sive anathematizando, ab ingressu vitæ perennis eliminant. Sed et opera justitiæ, quorum merito ad regum cœleste pervenitur, recte per ostia (per quæ in Sancta sanctorum pontifex ingrediebatur) possunt typice designari : juxta hoc quod in libro Sapientiæ scriptum est : « Custoditio autem legum consummatio incorruptionis est : incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducet ad regnum perpetuum (*Sap.* VI). » Quibus omnibus apte congruit, quod eadem ostiola de lignis fiunt olivarum, quia nimirum et angeli et homines perfecti, fructu misericordiæ et operibus lucis, sese in domo Dei gloriosos exhibent : imo omnes electi per arma lucis et pietatis aditum sibi patriæ cœlestis aperiunt. Duo autem sunt ostiola, sive quia Deum ac proximos diligunt et angeli et omnes sancti, neque ullus januam vitæ, nisi per geminam hanc dilectionem poterit intrare : sed utriusque populi fidelibus, et Judæi scilicet et gentilis, eadem vitæ janua reseratur. Postes angelorum quinque, quia non solum animas electorum aula cœli recipit, sed et corporibus immortali gloria præditis, in judicio suas fores aperit. « Et sculpsit in eis picturam cherubim et palmarum species, et anaglypha valde prominentia, et texit ea auro, et operuit tam cherubim quam palmas et cætera auro. » Anaglypha Græce, quæ Latine dicuntur cælaturæ : quia virtutum operibus (quæ per totum orbem Ecclesia in sanctis suis ac perfectis exercet) illi præcipue, quibus fidelium cura commissa, et claves regni cœlorum sunt datæ, omni debeant solertia insistere, ut quantum gradu præeminent cæteris, tantum et merito præcellant bonæ actionis. Habent namque in se picturam cherubim sculptam, cum angelicam in terris vitam (quantum mortalibus possibile est) et mente imitantur et opere. Habent pal-

marum species, cum dona supernæ retributionis A fixa semper intensione meditantur. Palma namque manus victricis ornatus est. Habent anaglypha valde prominentia, cum certissima bonorum operum documenta, et quæ nemo in sinistram partem interpretari ullatenus valeat, cunctis sese intuentibus ostendunt. Et hæc omnia sunt auri laminis operta, cum (sicut sæpe dictum et semper dicendum est) cæteris virtutem floribus specialius in magnis Ecclesiæ membris, fulgor supereminet amoris. His ostiolis etiam velum fuisse additum Verba dierum narrant : « Fecit quoque velum, inquit, ex hyacintho, purpura, cocco et bysso, et intexuit ei cherubim (*II Par* III), » quod decoris quidem gratia factum est, ut inter parietes deauratos etiam holosericum fulgeret. Sed in ejusdem mysterii, cu- B jus et ostiola, congrua significatione, ante arcam atque ingressum oraculi appensum, ut sicut ostiola congruis horis aperiebantur, licet velum revelaretur quoties advenirent, quibus in Sancta sanctorum esset ingrediendum. Hujus ergo veli sedula revelatio, secundum legem apertionem significat regni cœlestis, quæ nobis per incarnationem Domini et Salvatoris nostri donata est. Unde et baptizato eo, cœli aperti sunt, ut ostenderetur quia per baptisma quod nobis ipse consecravit, januam patriæ cœlestis deberemus ingredi. Et moriente illo in cruce, idem velum scissum est medium, a summo usque deorsum, ut aperte doceretur, quia figuræ legales jam tunc ad fidem venissent, ac veritas Evangelii arcanaque cœlestia et C ipse cœli ingressus, non adhuc prophetandus ac figuraliter significandus : sed jamjamque esset proxime omnibus aperiendus, qui ab initio mundi usque ad id temporis in fide veritatis de mundo transierunt. Bene idem velum, sub quo in oraculum intrabatur, ex hyacintho, purpura, cocco et bysso factum esse, ei quoque Cherubim intexti esse memorantur. Hyacinthus quippe qui cœli colorem imitatur, supernorum desideriis apte comparatur. Purpura, quæ sanguine conchiliorum conficitur, et sanguineam ipsam præfert speciem non immerito sacramentum Dominicæ significat passionis : quod nos intueri crucem nostram portando debemus. Cocco, quod rubeo colore flammescit, congrue virtus exprimitur amoris. De quo mirantes dixere qui cum D Domino ambulaverant discipuli. « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis scripturas ? (*Luc.* XXIV.) » Byssus quæ de terra virenti germine nascitur, et longo artificum exercitio nativum exuit virorem, atque ad albentem perducitur speciem, congrue castigationem carnis nostræ insinuat : cujus quasi humorem ingentem exsiccari jubet Apostolus, dicens : « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus (*Colos.* III). » Ad quantam vero candoris gratiam hanc velit perduci, alias ostendit, dicens : « Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII). Intexuntur cherubim eidem, quod quatuor eximiis coloribus conficitur, cum universa quæ pie agimus, a venenatis dæmonum telis, per angelica præsidia, Domino donante, protegimus. Intexuntur vero cherubim, cum in bonis quæ agimus, multitudine scientiæ indesinenter utimur, respicientes semper ad eloquia divina : et ne forte a virtutum calle aberremus, horum intuitu continue vestigia nostra regimus. « Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulatos, et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur. » Sicut ingressus oraculi quo ad arcam Domini cherubimque perveniebatur, introitum significat regni cœlestis, quo ad visionem nostri Conditoris supernorumque civium nos introduci speramus ac desideramus : ita introitus in templum, primordia nostræ structuræ ad Deum conversionis quando in præsentem Ecclesiam ingredimur, typice demonstrat. Iste ingressum nostrum ad fidem, ille designat ad speciem. Unde apte postes hujus introitus quadrangulati sunt facti, sive propter quatuor sancti Evangelii libros, quorum doctrina in fide veritatis erudimur, seu propter totidem virtutes principales, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam, quarum veluti fundamine quodam firmissimo, omnis bonorum actuum structura innititur. Prudentia est namque qua discimus quid nos agere, qualiter vivere deceat. Fortitudo, per quam ea quæ agenda didicimus, implemus. Quas uno versiculo virtutes Propheta breviter complectitur, dicens : « Dominus illuminatio mea et salus mea (*Psal.* XXVI). » Illuminatio videlicet, ut quæ agere debeamus, doceat ; salus vero, ut ad hæc nos peragenda confirmet. Temperantia est qua discernimus, ne plus aut minus justo, prudentiæ sive fortitudini operam dare inveniamur ; et quia quisquis prudentia ad fortitudine temperanter utitur, absque ulla contractione justus esse probabitur. Virtus quarta post prudentiam, fortitudinem, et temperantiam, justitia sequitur. Duo ostia quæ in hoc ingressu facta sunt, dilectio est Dei et proximi. Quæ bene altrinsecus facta esse dicitur, quia ad invicem respiciunt, adeo ut una sine altera nequaquam possit haberi. « Omnis enim qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo (*I Joan.* V). » Et sicut iterum dicitur : « Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere ? (*I Joan.* IV.) » Unde recte ostium exterius dilectio fraterna, interius est dilectio intelligenda divina, quia illa prior tempore, hæc divinitate sublimior. Et per illam ad hanc intratur, quia in amore proximi dicitur, qualiter amari Conditor debeat. Notandum sane quod in ingressu oraculi, duo quidem fuisse ostia dicuntur ; sed hæc duplicia fuisse non dicuntur. In templi vero, id est domus prioris introitu, ita erant duo ostia, ut duplex esset utrumque. Quia nimirum in præsenti Ecclesia, talem nos ingredi ac ducere vitam necesse

est, in qua dilectionem Dei et proximi per fidem et operationem, per patientiam et benignitatem servemus. In futura autem vita ubi Deum et proximos in luce æternæ beatitudinis videbimus, eamdem utique dilectionem gemina, absque ullo prorsus labore, imo in magna multitudine divinæ dulcedinis fruemur. Unde apte introitus interioris domus, duo quidem ostia : sed hæc simplicia habebat. Non enim ibi fides necessaria est, ubi ea quæ nunc credimus ac speramus omnia manifesta luce videbimus. Non labor operum necessarius, ubi mercede perpetua eorum quæ hic laboramus donabimur. Non necessaria patientia, ubi nemo adversi aliquid irroget. Non munificentia benignitatis, ubi nemo indiget, opus est. Hæc de ostiorum figura pro modulo nostro, sequentes patrum vestigia disseruimus. Verum juxta formam ipsius operis, decori gratia provisum est, ut in uno eodemque templi ingressu, duo essent ostia. Necesse etenim erat parietes domus, quæ centum viginti cubitos habebant in altitudine, nonnullos etiam grossitudinis cubitos habere, in cujus nimirum grossitudinis extrema parte ostia erant affixa, ita ut æquale parieti esset ostium utrumque, et sive intus, sive foris templum quisque positus ostium inspiceret, unus ei per omnia paries esse videretur. Similiter et cedrinus paries cum vicenorum in longitudine et altitudine esset cubitorum, non parvam et ipse debuit habere grossitudinem. Quapropter et hujus ingressu duo facta sunt ostia, ut videlicet ab utroque latere, hoc est, et intus et foris æquale parieti ostium pateret : et quo per easdem picturas ostiorum quas et paries habebat, veraciter unus per omnia et continuatim extentus paries videretur : unum decoris gratia prætendens, aliud ministerii, dispensationem præfigurans. Quod vero de scriptis templi ostiis sequitur. « Et sculpsit cherubim et palmas et cælaturas valde eminentes, operuitque omnia laminis aureis, opere quadro ad regulam : » quia nimirum eadem arcana fidei, spei et charitatis, quæ sublimes quique ac perfecti sublimiter capiunt, quæque omnes electi plene divina visione percipiunt, etiam catechizandis rudibus pro suo cuique captu discenda et confitenda traduntur : quatenus sacris initiati mysteriis, quandoque etiam ad capienda ea quæ pie credidere, perveniant.

« Et ædificavit rex Salomon atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine « lignorum cedri. » De interiori atrio breviter loquitur, de exteriori prorsus tacere videtur. Verum in verbis dierum utriusque fit mentio, ubi ita scriptum est. « Fecit etiam atrium sacerdotum, et basilicam grandem, et ostia in basilica quæ texit ære (*II Par.* IV). » Atrium vero interius, quod vocatur sacerdotum, eo quod sacerdotes et levitæ in eo ministrarent, ex omni parte erat templo circumdatum. Sed ab oriente ejusdem templi, erat ingressus multo longius a templo, quam a cæteris tribus plagis secretus : quia nimirum in ea plaga, id est in facie templi, fiebant ministeria sanctorum, ibi altare æneum ad hostias Domino

A offerendas, ibi decem luteres ad lavandas easdem hostias, ibi mare æneum erat positum ad lavandas manus pedesque sacerdotum. Habebat autem hoc atrium trecentos cubitos altitudinis (ut Josephus narrat) quatenus ab ingressu templi cæteros prohiberet, et solis sacerdotibus hoc licere significaret. Eratque ei janua ad orientalem plagam, ad quam usque populus hostias suas et sacrificia inferebat, inde suscipienda a sacerdotibus atque ad altare proferenda. De exteriori vero atrio, quod Verba dierum basilicam grandem vocant, ita scribit Josephus : Extrinsecus autem hujus templi, aliam ædificavit aulam quadranguli schemate factam. Erigens maximas porticus atque latas, et portas excelsas et amplas per quatuor mundi partes in eo continens, quarum singulæ ad unumquemque ventum quatuor angulis attendebant, ubi aureas januas collocavit. Et paulo post : In hoc ergo sacrarium, omnes populi quibus purgatio et observatio legitimorum inerat introibant. Has vero porticus, Cassiodorus Senator, in pictura templi quam in Pandectis posuit (ut ipse in Psalmorum expositione commemorat) triplici ordine distinxit. Primum videlicet ordinem ponens extra atrium sacerdotum ex omni parte per quadrum. Secundum, eodem modo extra intimas porticus, undique versum in gyro. Extremum, similiter ex omni latere priorum porticuum in circuitu. Sicque templum triformi ædificiorum præsidio, ab omni erat parte munitum : facto pavimento sub divo, inter ædificia singula de marmore et parietibus domorum interioribus, hoc est, eis qui ad templum respiciebant factis in columnis, exterioribus vero solidis. Sicque fiebat ut omnis structura templi per graduum esset varietatem rationabiliter distincta. Namque in Sancta sanctorum ingrediebatur pontifex, in ipsum templum sacerdotes purificati : in atrium sacerdotum, sacerdotes purificati : et non purificati una cum levitis et cantoribus : in intimum atrum basilicæ majoris viri Judæi purificati stantes et orantes sub divo, si serenum esset : si tempestas, in porticus proximas sese recipientes. In exterius atrium mulieres viduæ purificatæ. In extremum atrium gentiles et Judæi, qui nuper venerant ex gentibus usque ac sextum purificationis diem, hæc ut in pictura Cassiodori distincta reperimus breviter annotare curavimus : rati eum ab antiquis hæc Judæis didicisse, neque virum tam eruditum voluisse exemplum legendi proponere, quæ non ipse prius vera esse cognovisset. Hæc sunt loca, quorum meminit supremus graduum psalmus, qui ita incipit : « Ecce nunc benedicite Domino omnes servi Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri (*Psal.* CXXXIII). » In his porticibus Jeremias et prophetæ alii ; in his Dominus et apostoli, verbum populo prædicabant. In horum aliqua Dominus sedebat docens, quando a tentantibus Pharisæis mulier illa adultera judicanda oblata est (*Joan.* VIII). In his invenit vendentes et ementes oves, boves et columbas : hosque cum suis mercimoniis eliminavit e templo (*Matth.* XXI). Et his

Petrus et Joannes claudum invenientes sanarunt, ac secum ingredientes interius adorandum duxerunt (*Act.* v). In his orabat omnis multitudo populi, quando incensum ponenti Zachariæ angelus ad altare thymiamatis apparuit, eumque de præcursoris Domini nativitate perdocuit (*Luc.* I). Non autem hæc atria cum porticibus suis aspectum templi de longe aspectantibus abscondere potuerunt : quia locus in quo templum erat situm, multum sublimior erat, quam ubi fundatæ porticus fuere. Nam sicut Josephus scribit, extremæ atriorum fabricæ, cum in quadringentis cubitis essent erectæ tantum ad verticem usque montis in quo templum ædificatum est, pervenerunt. Hæc quidem de structura templi studioso lectori credidimus intimanda, verum in eis quæcunque Scriptura sacra referre commodum duxit, figuras mysteriorum quæramus, cæteris pro historiæ cognitione simpliciter utamur. Ædificium ergo templi intra atrium sacerdotum, perfectorum in sancta Ecclesia et sublimium vitam exprimit virorum, eorum videlicet qui et excellentia virtutum Domino appropinquare, et aliis verbo atque opere ducatum solent ostendere salutis. Sacerdos namque ab eo Latine nomen accepit, quod sacrum præbere dicatum minoribus debeat : quo nomine in Scripturis mystice non solum altaris ministris, episcopi videlicet et presbyteri, sed et omnes utique censentur qui altitudine rectæ conversationis ac doctrinæ salutaris eminent, nec sibimetipsis tantummodo, sed et pluribus prosunt : qui dum corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibent (*Rom.* XII), sacerdotis tale profecto ministerium spiritualiter exercent. Neque enim episcopis solum et presbyteris ; verum omni Ecclesiæ loquebatur apostolus Petrus cum ait : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. » Cujus honore dignitatis, etiam antiquus populus Dei erat insignitus, dicente ipso ad Moysen (*Exod.* XIX) : « Hæc dices domui Jacob, et annuntiabis filiis Israel. » Et paulo post : « Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. » Basilica vero grandis quæ erat extra atrium sacerdotum, in quo omnis populi multitudo adorare, sive ad verbum audiendum confluere solebat, carnalium in sancta Ecclesia vitam moresque figuraliter insinuat. Qualibus dicit Apostolus : « Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus : tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. » Qui bene per basilicam grandem designantur, quia absque ulla dubietate multo major est in sancta Ecclesia talium quam perfectorum numerus. Sed quantum numero præstant, tantum succumbunt merito. Unde apte basilica hæc grandis etsi plurimos capit, non eos tamen in interiora templi deaurati, non ad altaris officium, non ipsum saltem atrium sacerdotum intromittit : quia carnales quique atque infirmi adhuc in Ecclesia, etsi ob meritum castæ fidei ac pietatis Domino devotæ ad electorum sortem pertinent, longe tamen abest ut illis æquentur, qui A cum fiducia proloquuntur. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis (*Rom.* XV). Et iterum : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : de cætero reposita est mihi corona justitiæ (*II Tim.* IV). » Accedebat quidem vulgus usque ad atrium sacerdotum, hostias suas ad usque hujus januam deferebat, susceptas a sacerdotibus, atque in altari oblatas, oculis prosequebatur. In ipsum etiam templum cum aperiebatur intuitum suum a longe dirigebat, nec tamen atrium sacerdotum intrandi facultatem habebat. Verum de inferioribus clamabat ad Dominum, quia nec carnalium in Ecclesia simplicitas a Domino despicitur, quando fideliter ea quæ valent B illi voto pietatis offerunt. Dirigunt enim visus a longe in templo Dei, cum vitam sublimium discere, et admirari sedulo gaudent : et quos virtutis imitatione sequi nequeunt, piæ venerationis complectuntur affectu. Vident hostias sacerdotum in altari igne sacro sanctoque consumi : quia magnorum opera cognoscunt a Domino per Spiritum sanctum dignanter accipi. Afferunt et suas hostias ad atrium sacerdotum offerendas Domino pro illis, dum bona quæ prævalent operantes, majorum ac doctorum, et confirmantur exhortatione et intercessione Domino commendantur. Offerunt etiam tunc hostias suas sacerdotibus per eos Domino commendandos, cum sanctis quibusque egentibus necessaria mundi hujus, quibus ipsi abundant, summæ C mercedis intuitu, Domino tribuunt admonente ac dicente : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI). » Bene atrium sacerdotum tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri ædificatum esse memoratur. Tres quippe ordines sunt lapides politorum, fides, spes, charitas. Et recte politorum, quia certa necessaria est dicendi solertia qua quisque quomodo credere, quid sperare sive diligere debeat dignoscat, unus autem ordo lignorum cedri ipsa est bona operatio, ac sine corruptione simulationis exhibita, sine cujus superadjectione, fides, spes, charitas, vera esse non valet. Dictum namque est sæpius, quod ligna cedri propter odoris gratiam et imputribilem D suæ naturæ potentiam, perseverantiam famamque piæ designant actionis. At hoc atrium usque universi conscendunt electi, qui fide, spe, dilectione atque opere Deo placere appetunt : hoc alta meritorum gratia transcendunt perfecti, cum in tanto virtutum culmine proficiunt, ut dicere suis auditoribus possint : « Imitatores nostri estote, sicut et nos Christi (*I Cor.* IV): » gloriantur et dicunt : « Nescitis quoniam angelos judicabimus, quanto magis sæcularia ? (*I Cor.* VI.) »

« Anno quarto fundata est domus Domini, in « mense tertio, et in anno undecimo mense Bul, ipse « est mensis octavus, perfecta est domus in omni « opere suo, et in universis utensilibus, ædificavit- « que eam annis septem. » Patet allegoriæ sensus, quare domus Domini ædificata sit annis septem,

quia nimirum sancta Ecclesia, toto hujus sæculi tempore, quod septem dierum circuitu peragitur, ex electis constituitur animabus? et in fine sæculi suum quoque crementum ad finem ipsa perducit: vel certe, septem annis ædificatur, ob significationem gratiæ spiritalis, per quam Ecclesia solum ut sit Ecclesia percipit; septem quippe dona Spiritus sancti enumerat Isaias, sine quibus nemo vel fidelis efficii, vel fidem servare, vel merito fidei, ad coronam potest pervenire justitiæ. Quod autem in octavo anno et in octavo ejus mense, perfecta est domus in omni opere suo, et in universis utensilibus, ad futurum sæculum diemque judicii, pertinet: quando ad tantam jam perfectionem sancta Ecclesia perveniet, ut quod ei amplius addici possit invenire non possit: habebit enim tunc quod pius ille desiderator supplex a Domino quærebat, dicens: « Domine, ostende nobis patrem et sufficit nobis (*Joan.* XIV). » Sed non contemnenda nascitur quæstio, quomodo dicatur domus Domini in mense septimo dedicationem esse ejus completam, mense octavo perfecta in omni opere suo, et in universis utensilibus, cum in sequentibus legitur Neque autem credibile est quod septem quidem annis templum ædificaverit Salomon, octavo mense octavi anni perfecerit, sed usque septimum annum novi mensis dedicationem perfecte distulerit. Unde potius verisimile videtur domum septem annis ac septem mensibus ædificatam, ita ut eodem mense septimo dedicationis sit celebrata solemnitas, ac die vicesimo tertio ipsius mensis (ut Verba dierum narrant) populos Salomon ad tabernacula sua dimiserit. Sicque post unam septimanam adveniente mense octavo, perfecta inventa sit domus Domini, et operibus videlicet ejus in universis, et ipsa dedicatione prius completa. Nisi forte putandum est, prædicto templo aliquid adhuc utensilium in ministeria ejus additum fuisse: utque ad ingressum octavi mensis, accelerante rege, ut omnino mense septimo (qui erat totus solemnis) templum dedicaretur: atque ita verum reperiatur utrumque et templum videlicet octavo mense in opere suo atque utensilibus perfectum, et in ipso septimo mense dedicatum.

CAPUT VII.

« Misit quoque rex Salomon et tulit Hiram de « Tyra, filium mulieris viduæ ex tribu Nephthali « patre Tyrio, artificem ærarium, plenum sapien- « tiæ, et intelligentiæ et doctrinæ ad faciendum « omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem « Salomonem, fecit omne opus ejus.» Et hoc mysterii gratia factum est: artifex quippe Tyrius quem adjutorem Salomon sui assumpsit operis, electos de gentibus verbi ministros significat. Qui videlicet artifex pulchre dicitur quia filius erat mulieris viduæ de Israel, in qua persona solet nonnunquam præsentis temporis Ecclesia figurari: pro qua vir suus, videlicet Christus, morte gustata resurrexit, atque in cœlos ascendens, eam interim peregri-

A nantem a se, reliquit in terris. Non autem laborandum in explanando, quomodo hujus viduæ filii sancti sunt prædicatores, cum omnes electi se filios fateantur Ecclesiæ, cum etiam de eis prædicatoribus Novi Testamenti, specialiter ei promittatur, dicente Propheta: « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram (*Psal.* XLIV). » « Fecit autem Hiram omne opus Salomonis. » Quia nimirum doctores sancti, dum ministerio verbi fideliter insistunt, opus utique Dei operantur. Quoniam illis loquendo foris viam veritatis aperiunt, quos intus illustrando ipse ad viam præordinavit æternam. « Ego, inquit, plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit (*I Cor.* III). » — « Fecit hoc opus ex ære, »
B quia illis committere verbum quærit doctor strenuus, qui hoc pie suscipere ac perseveranter custodire desiderant, quippe etiam aliis prædicando latius diffamare, quæque ipsi didicerint recta satagunt, Æris namque metallum valde esse durabile constat, atque omnimodo sonorum.

« Et finxit duas columnas æreas, decem et octo « cubitorum altitudinis columnam utramque. » Hæ sunt columnæ de quibus Paulus ait: «Jacobus et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis: ut nos in gentes; illi autem in circumcisionem (*Gal.* II). » Quibus verbis quasi exponere videtur mysterium columnarum materialium, et quid videlicet figuraverunt, et quare duæ sint factæ, apos-
C tolos namque, et doctores cunctos spirituales significant fortes nimirum fide atque opere, et contemplatione ad superna erectos. Duæ sunt autem, ut et gentes et circumcisionem prædicando in Ecclesiam introducant. Stabant in porticu ante fores templi, et ingressum illius suo decore ac pulchritudine, ex utraque parte mirabiliter ornabant. Ostium autem templi Dominus est, quia nemo venit ad Patrem nisi per ipsum (*Joan.* XIV). Et sicut alibi dicitur: « Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X). » Cui videlicet ostio columnæ ab utroque latere coram positæ circumstant, cum ministri sermonis, utrique populo introitum regni cœlestis ostendunt, ut sive a luce scientiæ legalis quisque, sive ex rigore gentilitatis
D ad fidem Evangelii venerit, habent paratos eos qui sibi iter salutis et verbo demonstrent et exemplo: vel certe quia de eisdem columnis in libro Paralipomenon ita scriptum est: « Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, unam a dextris, et alteram a sinistris (*II Par.* III). » Ideo sunt duæ factæ columnæ, atque ita dispositæ, ut nobis et in prosperis, et in adversis, ingressum patriæ cœlestis ante oculos mentis habendum esse doceant. Notandum sane in hac sententia Paralipomenon quam posui, quod ea porticus templi, etiam vestibulum templi vocabatur, et quod in prophetis legimus, quia inter vestibulum templi et altare orabant sacerdotes, iter porticum et altare debere intelligi. Bene autem utraque columna octodecim cubitos altitudinis habere memoratur. Ter etenim seni de-

cem et octo faciunt. Tria vero ad fidem pertinent A propter sanctam Trinitatem. Sex ad operationem quod in eo dierum numero mundus sit factus, luce clarius est. Et tria per sex multiplicantur, cum justus ex fide vivit, cognitionemque piæ credulitatis in exsecutione bonæ actionis accumulat. Columnaque ante fores templi decem et octo cubitis alta est: cum prædicator quisque egregius palam cunctis insinuat, non nisi per fidem et opera justitiæ, nos ad superna gaudia vitæ posse pervenire. « Et linea cubitorum duodecim ambiebat columnam utramque. » Linea duodecim cubitorum norma est apostolicæ institutionis: quæ nimirum linea ambit columnam utramque, cum quisque doctor, sive Judæis seu gentilibus prædicare missus, ea tantum facere curat ac docere, quæ per B apostolos accepit ac didicit Ecclesia. Nam si quis aliter vivere, sive prædicare voluerit, et vel apostolica decreta spernere, vel pro suo libito nova quælibet statuere maluerit, non est talis columna templo Dei apta: quia dum apostolica statuta sequi contemnit, quasi vel exilitate inertiæ suæ, vel elationis vitio, de grossitudine duodecim cubitorum lineæ non convenit.

« Duo quoque capitella fecit, qua ponerentur super capita columnarum fusilia ære, quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum. » Capita etenim columnarum, hoc est superna pars eorum, præcordia sunt fidelium doctorum. quorum Deo devotis cogitationibus sicut capite membra, C ita ipsorum omnia et opera diriguntur et verba. Duo autem capitella quæ his capitibus erant superposita duo sunt testamenta quarum meditationi atque observantiæ doctores sancti toto et animo subduntur et corpore. Unde bene utrumque capitellum quinque cubitos habebat altitudinis, quia nimirum quinque libris scriptura Mosaicæ legis comprehensa est, et quinque etiam sæculi ætates, tota veteris instrumenti series complexa est. Novum vero testamentum non alia nobis prædicat, quam quæ Moyses prædicanda per hoc esse prædixerat et prophetæ.

« Et quasi in modum retis et catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat. » Quod in libro Paralipomenon ita scriptum est: « Necnon et quasi D catenulas in oraculo, et superposuit eas capitibus columnarum (*II Par.* III). » Species namque catenarum et similitudo retis in capitellis, varietas est virtutum spiritualium in sanctis: de qua Domino cantatur in Psalmis: « Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumamicta varietate (*Psal.* XLIV): » hoc est in vestitu fulgidæ dilectionis, circumamicta varietate diversorum charismatum. Vel certe multiplex contextio catenarum, et retis expansio, multifarias electorum personas insinuat: quæ cum verbis sanctorum prædicatorum fideliter auscultando atque obediendo adhærent, quasi columnarum capitibus superpositæ retis et catenulæ, miraculum suæ connexionis cunctis aspectantibus præbent. « Septena versuum retiacula in capitello uno, et septena retiacula in capitello altero. » Septenario namque numero Spiritus sancti solet gratia designari, Joanne attestante in Apocalypsi (*Apoc.* V), qui cum vidisse se diceret agnum habentem cornua septem et oculos septem, mox exponendo subjunxit, qui sunt septem spiritus Dei missi in universam terram. Quod propheta Isaias apertius explicat, cum de nascituro in carne Domino loquens: « Et requiescet (inquit) super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et reglebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Septena ergo versuum retiacula erant in capitello utroque, quia patres utriusque testamenti cognitionem per gratiam unius ejusdemque spiritus septiformis utique electi acceperunt.

« Et perfecit columnas et duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella. » Duo quidem ordines erant retiaculorum in gyro capitelli, sed uterque ordo septemplici versuum numero currebat, donec circumacto capitello, rursum in seipsum quasi circulo facto rediret. Nec figura sacramenti in abscondito est, quare duo ordines sunt retiaculorum, cum constet geminæ discretionis esse virtutem dilectionis: quod videlicet Domini ex toto corde, tota anima, tota virtute, et proximum tanquam nosmetipsos amare præcipimur. Sed uterque ordo ille septem habet versuum retiacula, quia nec Deus absque gratia Spiritus sancti potest amari, nec proximus. Facta sunt autem retiacula hæc ut tegerent capitella, hoc est, undique in gyro circumdarent: quia omnis Scripturæ sanctæ pagina, cum recte intelligitur, gratiam per omnia charitatis sonat ac pacis. Capitella etenim volumina divinorum eloquiorum, retiacula sunt vincula mutuæ dilectionis: et retiaculis teguntur capitella, cum sacra eloquia (ut ita dixerim) dono charitatis undique probantur esse vestita: nam et in eis quæ in Scripturis non intelligimus charitas latet, et in eis quæ intelligimus charitas late patet. Bene autem de eisdem retiaculis sive capitellis adjungitur, « quæ erant super summitatem malo granatorum. » Malogranata namque, quorum natura est, uno foris cortice, multa interius grana circumdare, apte in figura sanctæ ponuntur Ecclesiæ: quæ catholico unius fidei munimine innumera electorum agmina solet includere. Potest autem et uniuscujusque justi vitam moresque designare, qui velut plurima uno cortice circumplectens, multa cogitationum virtutumque spiritualium insignia (ne forte defluant) firma fidei et humilitatis curat vallare custodia et apto prorsus ministerio. Capita calumnarum malogranati erant in gyro circumdata, quia doctores sanctos necesse est, priorum vitam fidelium ad memoriam revocare, eorumque semper exemplis, actus suos ac sermones omni ex parte communiri, ne si aliter forte quam illorum habet regula vixerint aut docuerint, errent. Cum vero dictum sit de retiaculis ut tegerent capi-

tella, quæ erant super summitatem malogranatorum, videtur juxta ordinem operis ipsius, quia malogranata fuerint facta in circuitu capitellorum a parte inferiori, atque ex eisdem malogranatis oriventur retiacula, quibus capitella ex parte aliqua tegerentur. Patetque figura mysterii, qua retiacula super summitatem fuerint malogranatorum annexa, quæ ad unam pene significationem, sive personarum seu virtutum pertinent spiritualium. Scimus enim virtutes de virtutibus nasci, et sanctos ambulare de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion : qua virtute nulla potest major dici; unde et Apostolus: « Scientes inquit, quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem (*Rom.* v). »

« Capitella autem quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. » Quid enim per lilia, nisi supernæ claritatis patriæ, atque immortalitatis, floribus redolens, paradisi designatur amenitas ? Quid per quatuor, nisi Evangelicus sermo, qui introitum nobis æternæ illius beatitudinis promittit, et iter quo ad hanc perveniatur ostendit ? Cum ergo sancti doctores promissa nobis limina regni cœlestis, in quatuor Evangelii libris ostendunt, quasi capita columnarum opus in se lilii quatuor cubitorum exhibent. Ubi notandum juxta litteram, quia cum opus lilii in capitellis quatuor cubitorum esse memoratur, neque additur latitudinis aut altitudinis, lectoris utique judicio, utrum in altitudine an in latitudine intelligi debeat, relictum est. Constat autem absque ulla prorsus dubietate, quia collumna quæ duodecim cubitorum restis ambiebat, quatuor cubitos habebat grossitudinis. Omnis circulus quantum habet spatii in diametro, tantum habet ter in gyro. Denique mare æneum, quia diametrum habebat decem cubitorum ut in sequentibus legitur, consequenter habebat triginta cubitos in gyro. Verum quia dicitur opus lilii quatuor fuisse cubitorum, sive latitudinem, seu designet altitudinem, nihilominus ratio figuræ perspicua est. Quia nonnisi per Evangelium exoptatissima illa mundo vox insonat. « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Quod vero sequitur :

« Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ, » id est tantæ fuerunt amplitudinis, quantæ erat et columna, cujus tamen altitudo, quanta fuerit minime narratur. Hæc autem capitella, qualiacunque et quantacunque fuerint (non enim mensuram earum aperte Scriptura designat) in ore liliorum videntur esse apposita. De quorum factura, si quid mysticum inquirere delectat, illam regni perennis sublimitatem potest non incongrue designare, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II). Quæ nimirum, quia eadem supernorum societas civium utriusque populi fidelibus tribuitur, recte subjungitur. « Malogranatorum autem ducenti ordines erant, in circuitu capitelli secundi. » Diximus enim malogranata, vel totius sanctæ Ecclesiæ, vel singulorum quorumque fidelium typum tenere. Centenarius vero numerus, qui ad dexteram manum primus pervenit, nonnunquam in æternæ beatitudinis figura poni consuevit. Duplicatur autem hic numerus malogranatorum in circuitu capitelli secundi, ut insinuetur mystice, quod utriusque testamenti populus adunandus in Christo, atque ad æternæ vitæ sit introducendus coronam.

« Et statuit duas columnas in porticu templi. « Cumque statuisset columnam dexteram, vocavit « eam nomine Jachim, » quæ interpretatur *firmitas.* « Similiter erexit columnam secundam et « vocavit nomen ejus Booz, » hoc est in robore. Dextra columna, ut supra diximus, illorum exprimit figuram doctorum, qui primitivam in Hierosolyma instituerunt Ecclesiam. Secunda eorum qui ad prædicandum gentibus destinati sunt. Vel certe dextra columna eos significat, qui venturum in carne Dominum prophetando prædixerant. Secunda illos qui hunc jam venisse, et mundum suo sanguine redemisse testantur. Et apte simili vocabulo ambæ censebantur columnæ, cum una, firmitas : altera in robore, dicta est : ut una fidei et operis fortitudo cunctis inesse doctoribus monstraretur, nostrique temporis inertia notaretur : ubi se nonnulli doctores, sacerdotes, et columnas domus Dei videri atque appellari volunt : cum nihil in se prorsus firmæ fidei et ad contemnendas sæculi pompas, ac desideranda bona invisibilia, nihil habeant roboris, ad corrigendos, nihil industriæ, saltem ad intelligendos, eorum quibus prælati sunt, errores.

« Fecit quoque mare fusile decem cubitorum, a « labio usque ad labium rotundum in circuitu. » Mare hoc fusile in figuram lavacri salutaris quo in remissionem peccatorum emundamur factum est. Namque sacerdotes in ea lavabantur, ut Verba dierum aperte testantur. Sacerdotes autem constat omnes electos typice in Scripturis vocari, eo quod sint membra, summi sacerdotis Domini nostri Jesu Christi. Et recte huic vasi Scriptura mare nomen indidit, in memoriam videlicet maris Rubri, in quo prius per extinctionem Ægyptiorum, et populi Dei liberationem baptismi forma præcessit. Exponente Apostolo ac dicente : Quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt, et omnes in Mose baptizati sunt in nube et in mari (*I Cor.* x). » Sacramentum autem baptismi et vitæ nobis munditiem quærit in hoc sæculo, et vitæ nobis æternæ gloriam promittit in futuro : quod utrumque in mari hoc æneo una sententia designatur, cum esse decem cubitorum a labio usque ad labium perhibetur. Decem namque præceptis in lege Dominus omnia quæ facere debeamus expressit. Denario autem mercedem benefactorum signavit, cum hunc in vinea laborantibus dandum esse prædixit. Erat ergo mare « decem cubitorum a labio usque ad labium, » quia a primo baptizato in nomine Jesu Christi, usque

ad ultimum, qui in fine sæculi crediturus et baptizandus est, omnis fidelium chorus, unam eamdemque viam veritatis ingredi, et communem debet a Domino coronam sperare justitiæ. « Rotundum erat in circuitu, » ut orbis universus in gyro, lavacro vitæ a sorde peccatorum designaretur esse mundandus. De quo bene subditur, « quinque cubitorum altitudo ejus, » quia nimirum quidquid visu, quidquid auditu, quidquid olfactu, quidquid gustu, quidquid tactu, delinquimus, totum hoc nobis gratia Dei per ablutionem vivifici fontis, relaxat. Sed non sufficit præteritorum remissio peccatorum si non quisque deinceps bonis studuerit insistere operibus : alioquin diabolus qui exierat de homine, si hunc a bonis viderit vacare, multiplicius redit : facitque « novissima hominis illius pejora prioribus (*Matth.* XII). » Unde apte subditur, « et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. » Per resticulam namque disciplinam præceptorum cœlestium, qua a nostris voluptatibus relegamur, potest apte signari : Scriptura dicente, quia « funiculus triplex difficile rumpitur ; » quia nimirum observatio mandatorum Dei, quæ in cordibus electorum fide et spe et dilectione supernæ retributionis firma est, nullo temporalium rerum potest obstaculo dissolvi.

« Et sculptura subter labium circuibat illud, decem cubitis ambiens mare. Duo ordines sculpturarum histriatarum erant fusiles. » Cum prædictum sit supra, quod resticula triginta cubitorum mare circuierit et nunc additur quod sculptura hoc subter labium posita, decem cubitis ambierit, patet ex utraque relatione, quia vas erat in modum phialæ, repandum ac diffusum, quo triginta cubitis circuitus, quos habebat in labio, usque ad decem cubitos coarctatus sit. Sculptura autem histriata est, quæ historias rerum aliquas imitatur. Unde recte per sculpturas histriatas, quibus mare circumdabatur, exempla sunt priorum temporum designata, qua necesse est nos solerter intueri : ut videamus quibus operibus sancti Deo placuerunt ab initio : qua obstinatione in sceleribus perdurarunt, quanta infelicitate ob scelera perierunt reprobi.

« Et stabat super duodecim boves. E quibus « tres respiciebant ad aquilonem, et tres ad occidentem et tres ad meridiem, et tres ad orientem. » Duodecim ergo boves duodecim sunt apostoli, et omnes qui vice eorum regendam in Christo susceperunt Ecclesiam sanctam. Qui nimirum boves mare sibi super impositum portant, cum apostoli apostolorumque successores injunctum sibi evangelizandi officium, prompta implere devotione satagunt. Tres ad aquilonem, et tres ad occidentem, et tres ad meridiem, et tres ad orientem respiciunt, cum universalis quadrati orbis partibus fidem prædicant sanctæ Trinitatis. « Quorum posteriora universa intrinsecus latitabant. » Quia qua mercede sancti prædicatores in perpetuum donentur, in interni arbitri examine dispositum est, sed nobis quia adhuc foris sumus manet omnimodo occultum : quibus tamen hoc esse occultum nullatenus potest, quia qui lavacrum baptismi ad salutem accipit, et veram fidem, spem, et charitatem debet habere, nec sine his tribus virtutibus quisque aliquid jam operari, neque intrare ad vitam valet : unde recte subjungitur :

« Grossitudo autem luteris trium unciarum erat. » Grossitudo enim luteris, id est maris, firmitas est virtutis in baptismo. Et trium unciarum est hæc grossitudo, dum robore fidei, spei et dilectionis, perceptio baptismi communitur. Neque aliter proficuum esse accipientibus ostenditur, nisi harum firma certitudo virtutum, mentem accipientium simul et opera confirmet : « Labiumque ejus « quasi labium calicis, et folium repandit lilii. » Per labium quippe calicis, gustum Dominicæ passionis : per folium repandi lilii, patefacta claritas resurrectionis ipsius, exprimitur. « Duo millia batos capiebat. » Millenarius namque numerus, pro significatione perfectionis solet poni in Scripturis. Quia nimirum denarius numerus in quadratum ductus solidum facit. Decem quippe decies ducta centum faciunt. Quæ videlicet figura jam quadrata, sed adhuc plena non est Verum ut in altitudine surgat, et solida efficiatur, multiplica centum per decem, et fiunt mille quo profecto numero stabilis et insuperabilis, et velut conquadrata justorum conscientia designatur. Quocunque enim verteris quadratum stabit. Sic et animus nullo tentationum occursu novit a statu suæ rectitudinis inclinari. Batus autem Hebræorum mensura est, quam ipsi *bat* nominant, habet modios quatuor et ephi, quod illi *epha* nominant. Sed ad Ephi mensuram pertinet variarum frugum, tritici hordei, leguminum. Batus vero est in speciebus liquidis, vino, oleo, aqua. Itaque batus, quia certæ normæ mensura est, opera designat æquitatis et justitiæ quibus hi qui in remissionem peccatorum baptizantur, necesse habent institui. Batos quippe mille capiebat mare, cum aqua baptismatis plebem Judæorum abluens, ad regnum cœleste transmisit. Recipiebat et alios mille, cum etiam turbas nationum eodem fonte renatas, et operibus justitiæ confirmatas, ejusdem regni perennis fecit esse participes.

« Et fecit bases decem æreas, quatuor cubitorum « longitudinis bases singulas, et quatuor cubitorum « latitudinis, et trium cubitorum altitudinis, et ipsum « opus basium interrasile, » et reliqua. Multifarie et multis modis, una eademque nostræ salutis sacramenta præfigurantur. Namque iidem apostoli virique apostolici, qui per boves mare portantes designati sunt, designantur etiam per bases quæ portandis erant luteribus præparatæ, quomodo ipsi luteres ejusdem lavacri spiritalis, cujus et mare typum gerebant. Siquidem et Verba dierum narrant, omnia in eis quæ in holocaustum oblaturi erant lavabant : holocaustum autem Domini generaliter omnis electorum multitudo potest intelligi, quæ juxta vocem præcursoris baptizata est ab ipso in Spiritu sancto et igni. Sicut ergo sacerdotes qui in

mari lavabant, formam exprimunt eorum qui per baptisma efficiuntur summi consortes sacerdotii quod est in Domino Jesu Christo, ita etiam holocausta eorumdem figuram aptissime prætendunt, cum post ablutionem baptismi, gratia sancti Spiritus implentur. Lavatur namque in lutere hostia, cum quis fidelium aqua baptismi perfunditur. Offertur vero in holocaustum, cum impositione manus episcopi donum Spiritus sancti accipiunt. Quod vero ad portandos luteres decem sunt bases factæ poterat mystice interpretari, quia ministri lavacri vitalis ad æternæ gaudia beatitudinis (quæ denario solent numero figurari) eos quos imbuunt, vocent. Verum quia de eisdem luteribus distincte insequentibus scriptum est, quod videlicet quinque ex his positi sint ad dexteram partem templi, et quinque ad sinistram, magis in eis quinarii numeri sunt intuenda mysteria. In utraque etenim parte templi sunt bases luterum, ut utrique Dei populo sacri fontis gratiam designarent esse pandendam. Et quinque sunt in utraque parte; ut (sicut in expositione maris, quod quinque cubitis altum est, jam diximus) demonstraretur typice, universa fidelibus quæ per quinque sensus corporis deliquerant, per lavacrum baptismatis esse remittenda. Sicut ergo in uno mari duodecim bobus super posito unitas exprimitur baptismatis, quæ per apostolos toto erat orbi prædicanda, ita etiam per duos ordines luterum mystice ostenditur, quia gentilitas cum Judæa in unum fidei consortium per baptismatis erat undam colligenda. Quod autem quatuor cubitorum longitudinis, et quatuor cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis bases singulæ fuere, facile intellectu est. Longitudo etenim ad patientiam longanimitatis; latitudo ad dilationem dilectionis, altitudo pertinet ad spem supernæ retributionis. Quatuor autem sunt principales virtutes, quibus cætera virtutum structura imminet. Prudentia scilicet, fortitudo, temperantia justitia. Et ideo quaternorum erat cubitorum longitudo et latitudo basium, quia sancti prædicatores sive adversa mundi et longitudinem exitus ac laborum præsentium foris tollerent: seu cor in dilectione sui Conditoris, suorumque proximorum interna exultatione dilatent, semper operam dare virtutibus curant: prudenter videlicet inter bona et mala discernentes, fortiter adversa sustinentes, cor ab appetitu voluptatum temperantes, justitiam in operatione tenentes. Trium vero cubitorum fit altitudo basium, cum per exercitium virtutum, quas compatientia malorum et dilectione bonorum exercent, continua intentione ad visionem sanctæ Trinitatis pervenire satagunt.

« Et ipsum opus basium interrasile erat. Et sculpturæ inter juncturas. » Juncturas dicere videtur eas, quæ ipsæ luterum tabulæ sibimet invicem connexæ sunt: ut scilicet quatuor sive quinque tabulis una fieret basis. Quales autem sculpturas bases inter has juncturas, id est in ipsis suis lateribus ante et retro, dextra et sinistra et supra quoque haberent, subdendo aperitur cum dicitur:

« Et inter coronulas et plectas, leones et boves, « et cherubim et in juncturis similiter desuper. » Non ergo plana erat ulla ex parte superficies basium, sed undique versum mysticis sculpta figuris, quia sanctorum mentes, imo universa eorum conversatio, virtutum in omnibus gratiam prætendit, neque aliquam illos hora inanis et vacua præteriit, in qua piis vacare operibus, vel sermonibus vel certe cogitationibus desistant. Cornulas quippe in se sculptas habent, cum inter desideria vitæ cœlestis quæ sursum est, nunquam fraternæ societatis quæ juxta est, vincula dissolvunt. Habent inter coronulas et plectas leones, cum ita ad
B speranda cœlestia mentem erigunt, ita ad diligendos proximos dilatant, ut in peccantes quosque qui sibi commissi sunt fervorem asperæ invectionis exercere non tardent. Habent cum leonibus boves, quando ipsam invectionem corripiendi, cum spiritum mansuetudinis exhibent, quando in fervore arguendi nunquam fissam habere ungulam discretæ actionis ac loquelæ, nunquam verba divinæ lectionis velut ruminando in ore volvere cessant. « Et subter leones et boves quasi lora ex ære dependent, » quando sancti doctores et in severitate districtionis, qua peccantes judicant, et in mansuetudine lenitatis, qua pœnitentibus remittunt, judicium sui timent auctoris, ne forte injuste ligando aut solvendo quempiam jam juste ligari
C ipsi habeant, et ejus judicium qui errare nequit mereantur.

« Et quatuor rotæ per bases singulas et axes æ« rei, et per quatuor partes quasi humeruli subter « luterem fusiles, contra se invicem respectantes. » Quatuor rotæ quatuor sunt Evangeliorum libri, qui aptissime rotis comparantur: quia sicut volubilitas rotæ citissimo cursu quocunque ducitur, currit, ita sermo evangelicus, jubente Donino, per apostolos universas in brevi mundi plagas implevit. Sicut tota super impositum sibi currum terra sublevat, et sublevatum quo auriga dirigit portat: ita evangelica prædicatio mentes electorum a terrenis cupiditatibus in cœlestia desideria suspendit, ac suspensas ad profectum bonæ actionis sive ad
D ministerium prædicationis quocunque adjuvans gratia spiritus voluerit, ducit: Namque in sequentibus dicit: « Quia tales erant rotæ quales solent in « curru fieri. » Legimus autem de sanctis: « Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium (*Psal.* LXVII). » Si ergo bases luterum sancti sunt doctores, qui lavacrum vitæ nobis ministrant, et rotæ quaternæ basium, quatuor sunt libri Evangeliorum: quid axes rotarum qui bases gestant, nisi ipsa eorumdem sunt corda doctorum, quæ dum in præceptis evangelicis sedulo intendentia, eos ab infimorum appetitu dissolvunt, velut immissi rotis axes, altius basim a terra sublevant. Porro humeruli qui rotis antepositi ne ab axibus delabi possent obsistebant, præconia sunt prophetarum, quibus evangelica et

apostolica Scriptura, ne cui legentium in dubium forte veniat, confirmatur. Bene autem dicitur, quod humeruli qui per quatuor partes subter luterem erant positi, contra se invicem fuerunt respectantes, quia nimirum omnis Scripturæ prophetia sibimet invicem consentanea est: ut pote uno Dei spiritu condita. Quatuor fuere per bases singulas humeruli videlicet juxta numerum rotarum. Non quia quatuor sunt tantum libri prophetici; sed quia in omnibus quæ locuti sunt prophetæ et Moyses, dictis quatuor Evangelistarum testimonium præbuere: ut ex consensu utriusque Testamenti, una fides et dilectio Christi nostra omnium corda firmaret.

« Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis « summitate, et quod forinsecus apparebat, unius « cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat « unum cubitum et dimidium.» Os quoque luteris unius erat cubiti, propter unitatem confessionis et fidei quia omnes in confessione Patris et Filii et Spiritus sancti baptizamur, dicente Apostolo : « Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium (*Ephes.* IV). » Et ipsum os in capitis erat summitate, ut ad cœlestia nobis regna, per baptisma iter esse patefactum doceret. Ipse vero luter in amplitudine cubitum habet unum et dimidium: per operis nimirum perfectionem et initium contemplationis. Integer enim cubitus in lutere perfectionem bonæ designat actionis, quam absque ulla dubietate habebat ille, de quo tentatori Dominus aiebat: « Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram? homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo ? » (*Job.* I). Est vero alter cubitus divinæ visionis, qui ex parte nonnulla etiam in hac adhuc vita retentis fidelibus donari consuevit: ut idem Job devicto adversario cum Domino loquens, ait : « Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te (*Job.* XIV). » Scriptum namque est in sequentibus:

« Una rota habebat altidudinis unum cubitum et « semis. » Et paulo post :

« In summitate autem basis, erat quædam ro« tunditas unius et dimidii cubiti, ita fabrefacta, « ut luter desuper posset imponi. » Luterum quippe mensura unius erat cubiti et dimidii, quia nimirum ea fide in fonte vitæ lavamur, ut per opera justitiæ ad vitam intrare valeamus: quamvis sine peccato dum hic vivimus esse nequeamus. Ipsam vero vitæ cœlestis dulcedinem gustare ex parte, ac diligere in hac interim vita, perfecte autem videre nulla ratione valemus. Rota quoque uno ac dimidio cubito mensuratur quia Scriptura lectionis evangelicæ, qualiter hi qui perfecti esse velint, vivere debeant ostendit, spemque nobis æternæ retributionis in præsenti demonstrat, ipsam vero retributionis illius qualitatem in futuro nobis pandendam, simul et donandam esse promittit. Bases etiam ipsæ unum habebant cubitum ac semissem amplitudinis in summitate sui, ubi luteres reciperent; quia ipsi doctores summi ac ministri salutaris opere quidem perfecti in hac vita fulserunt, sed luce contemplationis ex parte sunt fruiti. Unde et aiunt : « Ex parte enim cognosci« mus, et ex parte prophetamus. Cum autem ve« nerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex « parte est (*I Cor.* XIII). »

« In hunc modum fecit decem bases, fusura una « et mensura sculpturaque consimili. Fecit quoque « decem luteres æneos. » Quare decem sint bases factæ, totidem eis superpositi luteres, supra jam dictum est. Quod vero una erat fusura mensuraque et sculptura consimilis omnium basium sive luterum, non in ea significatione factum est, quod æqualia possint esse omnium merita doctorum, sed in ea potius, quod una fides Evangelii quo instituuntur, unum esse sacramentum baptismi quo abluuntur, unus idemque spiritus quo omnes consecrantur electi : tametsi donationes habent diversas in ipso Spiritu, qui dividit singulis prout vult (*I Cor.* XII) « Quadraginta batos capiebat luter unus. » Quadragenarius numerus solet magnæ perfectionis typum tenere, quia nimirum quaterdeni faciunt quadraginta : decem autem sunt præcepta, quibus omnis nostra operatio in lege divina præfixa est. Quatuor vero Evangeliorum libri, in quibus per dispensationem Dominicæ incarnationis cœlestis patriæ nobis est patefactus introitus. Et quia omnes qui ad mysteriam baptismatis pertinent, cum fide et sacramentis Evangelii fructum debent rectæ operationis ostendere, apte luteres singuli in quibus holocausta lavabantur, quadraginta batos capiebant. Quod vero sequitur : « Eratque quatuor cubitorum, » sive in altitudine, sive in latitudine, quid significet intellectus mysterii, in promptu est: Luter enim unus quatuor erat cubitorum, vel propter sancti Evangelii libros, in quibus forma nobis baptismi præfixa est, vel propter quatuor cardinales virtutes, quibus quisque fidelis, si non frustra fidelis est, debet institui, vel certe propter quatuor mundi plagas, quibus lavacrum salutis ministratur, dicente Psalmographo. « Quos redemit de regionibus congregavit eos, a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari (*Ps.* CVI). » Quod vero supra dixit: pariterque habebat unum cubitum, et neque ubi altitudinem, an amplitudinem significaret adjecit, videtur quia fundum ipsius luteris unius esse amplitudinis voluerit intelligi, quæ autem est mensura (nisi fallor) basis in qua positus erat quisque luter facillime conjicitur, quæ ita describitur : « In summitate autem basis erat quædam rotunditas unius et dimidii cubiti, ita fabrefacta ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas variasque sculpturas ex semetipsa. Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære et ære, et in angulis cherubim et leones et palmas, quasi in similitudinem stantis hominis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur. In hunc modum fecit decem bases fusura una, et mensura sculpturaque consimili. Fecit quoque decem luteres æneos. Quadraginta batos capiebat luter unus, erat-

que quatuor cubitorum, » et reliqua. Latitudo ergo A fundi in luteribus unius erat cubiti et dimidii, ipsa vero capacitas luterum quatuor habebat cubitos. Sed utrum in altitudine, an in amplitudine, an in utroque dicat, quis noverit?

« Et constituit decem bases, quinque ad dexte- « ram partem templi, et quinque ad sinistram. » Dexteram partem templi et sinistram, non istos in ipso templo, sed ante templum dicitur : ad orientalem plagam videlicet, in atrio introire, quod sacerdotum proprie vocabatur. Ut autem posuit ad dexteram partem templi, propter Judæos qui justitiæ per doctrinam legis antiquitus uti solebant. Et quinque ad sinistram, propter nos qui cæco diutius corde servituti adhærebamus ejus qui ait : Ponam sedem meam ad aquilonem, quod B est aperte dicere, illis in cordibus requiescere desidero, quæ a luce veritatis et flamma divinæ charitatis aliena esse considero. « Mare autem posuit « ad dexteram partem templi contra orientem ad « meridiem. » Et hoc in eodem atrio positum est ad orientem. Quod autem ad dexteram partem templi, hoc est quod repetit dicens, « ad meridiem. » Ingredientibus enim atrium ab oriente, primo divertendum erat ad meridiem, ubi mare in ipso angulo stabat ad lavandum sacerdotibus paratum. Deinde progredientibus intro occurrebant luteres ad lavandas hostias ab utraque parte positi. Intra hos basis erat ænea, quinque cubitorum altitudinis, et quinque cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis, in qua stabat Sa- C lomon, et dedicabat templum. Deinde ultra progredientibus, occurrebat altare holocausti contra medium atrii : deinde porticus templi, sive vestibulum, in quo erant columnæ æreæ circa ostium templi. Quod ergo mare posuit ad dexteram partem templi, significat nos per lavacrum baptismi ad regnum cœleste (quod jure vocabulo dextræ figuratur) debere pervenire. « Qui enim crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI). » Eamque ubi dextra simul et sinistra in bono accipiuntur, vel Judæam et gentilitatem (ut in expositione basium supra diximus) vel præsentem Ecclesiæ vitam et futuram, vel læta et tristia, vel aliqua designat hujusmodi. Ubi vero absolute in bono ponitur dextera, æterna sæpius gaudia demonstrat. D Quod vero contra orientem posuit mare, ad eamdem prope significationem respicit, quod videlicet per lavacrum sacri fontis, splendor nobis internæ claritatis aperitur : Quod ad meridianum latus atrii, significat fideles per acceptionem sancti Spiritus, ad flagrantiam solere veræ charitatis accendi. Fervor etenim meridiani solis consuevit in Scripturis, et ardorem dilectionis, et illustrationem significare sancti Spiritus, per quem eadem dilectio diffundetur in cordibus electorum.

« Omnia vasa quæ fecit Hiram regi Salomoni in « domo Domini de aurichalco erant. In regione « Jordanis fudit ea rex in argillosa terra. » Apte in regione Jordanis fusa sunt vasa domus Domini, in quo videlicet flumine, Dominus noster baptizari dignatus est, ejusque tinctus undis aquarum nobis elementum in ablutione peccatorum, convertit. Et quia omne fidelium baptisma, quo Domino consecrantur, in exemplum celebratur baptismatis illius quo ipse aquas sanctificat, recte in regione Jordanis vasa sunt Domini facta, neque enim aliter vasa electionis et misericordiæ fieri possumus, nisi et in baptismo ejus quod illo in flumine subiit respicientes, et ipsi vitali flumine satagimus ablui. Notandum autem quod non tantum in regione Jordanis, sed in campestri regione illius facta dicuntur eadem vasa, significans multiplicationem fidelium, quæ non solum in Judæa, sed et in omnium nationum erat latitudine futura, expleta prophetia qua dicitur, « Gaudebunt campi et omnia quæ in eis sunt (*Psal.* XCV). » Argillosa autem terra, de qua factæ sunt formæ ad fundenda vasa Domini, quid melius quam Scriptura sacra (de qua regulam bene vivendi accipimus) valet intelligi? quasi enim argilla ignibus durata formam vasis Domini, quanta et qualia fieri debeant exhibet, cum nobis Scriptura sacra regulam justitiæ quam sequamur ostendit, sanctorumque nobis exempla qui igne tribulationum invincibiles perseverarunt, in omnibus sequenda præmonstrat. Sed vasa in domo Domini electa ac pretiosa esse conspicimus, æsque igne liquefactum quod argillæ formas ingredimur, qua vas possit aptum ministeriis cœlestibus effici, cum ipsi salubriter humiliati, et flamma sive divinæ claritatis, sive etiam humanæ adversitatis emolliti, viam patrum bene operando, intramus, ut ad præmia patrum bene vivendo perveniamus.

« Fecitque Salomon omnia vasa in Domo Domi- « ni : Altare aureum et mensam super quam pone- « rentur panes propositionis auream. » Altare aureum corda significat perfectorum justorum, internæ charitatis et castitatis luce corusca, quorum sublimitati significandæ etiam locus convenit ejusdem altaris. Stabat enim ante ostium Sancti sanctorum, ut in factura tabernaculi manifeste legimus. In quo videlicet altari non hostiarum sanguis neque libamina, sed thymiamata tantum incendebantur, quorum fumus ad superiora ascendens, operiebat arcam, atque oraculum odore suavitatis implebat. In quo figura exprimebatur sanctorum, qui dum neglectis temporalium rerum cupiditatibus, tota intentione cœlestia quærunt : in vicino oraculi sunt positi, nec longe sunt remoti a velo, quo templum et Sancta sanctorum dirimuntur, qui corpore terram incolunt, cæterum secundum interiorem hominem totam habent conversationem in cœlis. Ascenditque ab hujusmodi altari fumus incensorum intra sancta sanctorum ubi arca est recondita, cum orationes sanctorum flamma charitatis excitatæ, ad cœlum usque perveniunt : ubi Christus est in dextera Dei sedens. Non enim in hoc altari sanguis hostiarum, sed thymiama tantum incenditur, quia tales viri non habent opera carnis et sanguinis, quæ in ara sui cordis immolantes Domino mactent, sed solummodo lacrymarum e

orationis ei vota, pro desiderio regni cœlestis offerunt. « Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis. » Et quidem altare thymiamatis Moses fecit in eremo, habens cubitum longitudinis, et alterum latitudinis, et duos cubitos in altitudine. Quantæ autem magnitudinis hoc superius dictum altare Salomon fecerit Scriptura prædicit, sed tamen quod altare aureum fecerit, dicit. Constat autem quia tantum facere non potuit, quantum fecit holocausti, quia si viginti cubitorum in longitudine et latitudine factum esset, totam templi latitudinem impleret. Quanto igitur exterius erat positum altare holocausti quam incensi, quantumque genere oblationis, ac vilitate metalli ignobilius fuit, tantum quantitate mensuræ et hostiarum frequentia præstabat. Quia nimirum plures sunt multa quibus dicatur (*Matth.* xv) : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata : » quam quos audire delectet. « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus. » Nec tamen hujus mensura altaris mystica ratione caret et numero. Habet enim viginti cubitos longitudinis, et totidem cubitos latitudinis, et decem cubitos altitudinis. De quo quidem numero supra in expositione templi et vestibuli ejus diximus. Sed et nunc dicendum breviter : Quia si altare holocausti illorum in Ecclesia typum tenet, qui suum corpus et animam Domino consecrare per ignem amoris illius quærunt, perseverantia horum in bona operatione per longitudinem altaris, amplitudo in charitate Dei et proximi per latitudinem, spes in spectatione divinæ visionis per altitudinem figuratur. Quod autem longitudo et latitudo altaris vicenorum erat cubitorum, magnam utique perfectionem designat ejusdem indefessæ longanimitatis, ac sinceræ dilectionis, quæ per utriusque Testamenti nobis observantiam tribuitur. Quater enim quini vicenarium numerum complent. Quinque autem libri Mosaicæ legis quatuor sunt evangelicæ libertatis. Et cum ad intelligentiam atque custodiam legis spiritalem, illustrante Evangelii gratia, pervenimus, vicenarium perfecto numero hoc perficimus. Fitque idem numerus in longitudine et latitudine altaris, cum corda electorum, docente utroque Testamento, et adjuvante ipso uno utriusque Testamenti auctore, et perseverantiam boni operis, etiam in persecutione servant in hilaritate dilectionis, et etiam in eos qui persequuntur exhibent. Denario autem numero, spes cœlestium præmiorum solet designari, Domino affirmantes, cum eos qui in vinea magni patris familias laborant, denario remuneratos esse testatur. Et idem altare quod in figura factum est electorum, ob significandam eorum vitam perpetuam, decem erat cubitis altum. Cum vero dictum est, quia fecit Salomon altare aureum, additum est continuo, et mensam super quam ponerentur panes propositionis auream. Mensa autem aurea Scriptura est sacra spiritalis intelligentiæ, claritate fecunda, de qua Psalmista Domino : « Parasti, inquit, in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me (*Psal.* xxii). » Ne enim nos adversarii tribulantes ad errorem flectant, mensam nobis conditor noster scientiæ cœlestis, per quam in fide veritatis confortemur, paravit. Panes namque propositionis sancti sunt doctores, quorum vel opera nobis, vel verba salutaria, ad exemplum vitæ proposita, semper in divinis paginis quisque bene quærit, invenit. Unde recte apteque iidem panes in Exodo duodecim fieri præcepti sunt, videlicet propter apostolos duodecim, per quorum ministerium et nobis Scriptura Novi Testamenti condita est, et instrumenti Veteris, donante Domino, revelata mysteria. Quorum nimirum numero, non tantum iidem apostoli, sed omnes sunt designati, qui verbum prædicando, pabulum vitæ fidelibus ministrant : quia omnes utique ipsam doctrinæ formam, quam a Domino apostoli accepere sequuntur. Quod vero in Verbis dierum legimus (*II Par.* vi), quia fecit Salomon mensas decem, et posuit eas in templo quinque a dextris, et quinque a sinistris, phialas quoque aureas centum : non has mensas tam ad panes propositionis quam ad vasa Domini portanda factas esse credibile est, phialas videlicet quas pariter factas Scriptura refert, thymiamateria, thuribula, et cætera quæ in sequentibus leguntur : mystice possumus nonnulla intelligere. Nam quod paulo post in eodem verborum volumine subinfertur : Fecit Salomon omnia vasa domus Domini Dei, et altare æneum et mensas, et super eas panes propositionis : vel pluralem numerum pro singulari posuit, more Scripturæ usitatissimo, ut in Jesu Nave : « Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate (*Jos.* vii) » cum Achar solus et non plures filii Israel hoc fecerunt : vel quia certe panes propositionis solebant ante sabbatum coqui, ut sabbato mox poni possent in mensam propositionis : potuit fieri ut panes novi noviter cocti mox illis mensis imponerentur, ibidemque nocte illa servarentur operti, donec primo mane ablatis veteribus super mensam propositionis ponerentur calidi. Non autem hæ mensæ decem a figura unius mensæ propositionis discrepant. Nam sicut una mensa duodecim panibus onusta, unanimem totius Scripturæ concordiam auctoritate apostolica munitam designat : ita ut non immerito decem mensæ aureæ divinæ legis et prophetarum eloquia figurate denuntiant, quæ vel refectionem nobis verbi Dei quasi panes propositionis efferunt, vel nobis exempla fidelium quasi positorum in se vasorum Domini, claritatem et miracula proponunt. Recte autem bis quinæ sunt mensæ, non solum quia legislator quinque volumina scripsit, verumetiam quia tota series Testamenti Veteris quinque ætates sæculi complectitur. Geminatur vero numerus mensarum quinarius, et quinque a dextris, quinque a sinistris ponuntur : cum post incarnationem Dominicam eadem Scriptura sive utrique Dei populo, Judæo scilicet et gentili committitur, sive evangelicis plena figuris ostenditur

quæ quondam antiquo Dei populo juxta litteram solum intelligenda esse putabatur.

« Fecit et hydrias et fuscinulas et phialas et mor- « tariola de auro purissimo. » Hydriæ enim præcordia sanctorum signant, aqua sapientiæ et vino compunctionis repleta ; fuscinulæ quoque quibus carnes præparantur, iidem prædicatores, quorum verba sunt ut stimuli, et velut clavi in altum defixi : qui suis auditoribus cibum spiritalis intelligentiæ administrant, præfigurantur : quorum videlicet officium est corpus et sanguinem Domini credentibus distribuere, infidelibus abnegare, de quibus in sequentibus dicetur. Phialæ namque apostoli et doctores pleni vitalibus aquis. Mortariola quippe sanctorum pœnitentium labor passioque tolerantiæ, quibus mortificantur membra eorum super terram. Thuribula autem figurantur virtutes operum, vel scilicet orationes sanctorum, quibus odor suavitatis ascendit ad Deum, ex conscientia pura et fide non ficta.

« Et candelabra aurea quinque ad dexteram « et quinque ad sinistram contra oraculum ex « auro puro et quasi lilii flores, et lucernas de- « super aureas. » Sicut enim mensæ in typo sanctæ Scripturæ recte ponuntur, quia et esurientibus justitiam panem verbi Dei ministrant, et vasa fuerunt ministerii cœlestis, id est justorum nobis actus in exemplum proponunt : ita etiam aptissime per candelabra eadem divina eloquia figurantur, videlicet quia lucem sapientiæ errantibus proferunt. Hinc etenim Psalmista : « Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis (*Psal.* CXVIII). » Hinc etiam Salomon ait : « Quia mandatum lucerna est, et lex lux (*Prov.* XVI). » Quare autem quinque a dextris, et quinque a sinistris sint posita candelabra, ex his quæ de mensis tractavimus facillime patet. Cum vero dixisset, « quinque a dextris et quinque a sinistris, » convenienter addidit, « contra oraculum. » Oraculum namque ubi erat arca, ut sæpe dictum est, aditum designat patriæ cœlestis, ubi Christus in dextera Dei sedens, paternorum utique conscius arcanorum. Et candelabra templi aurea, contra oraculum sunt posita, quia divina eloquia semper ad habitationem supernæ civitatis aspectant, ut hujus agnitionem ad desiderium nostris cordibus infundant : et eos qui originem carnis æternam habent, ad appetendam promerendamque in cœlestibus sedem perpetuæ mansionis accendant. Si autem quæris quid inter candelabra et lucernas eorum typice distet ? possumus recte intelligere lucernas esse viros sanctos, qui oleo Spiritus sancti infusi, et ipsi igne dilectionis ardent in corde, et proximis lucem scientiæ præferunt in lingua. Candelabra autem quæ has lucernas in sublime tollunt ut longe lateque videri possint in Ecclesia Scripturam esse sacram, quæ sanctorum nobis virtutes et doctrinam sua lectione demonstrant. Cui videlicet interpretationi annuit sermo Domini, quo dicitur de Joanne : « Ille erat lucerna ardens et lucens (*Joan.* V). » Possumus etiam ita aptissime dicere, quia lucernæ divina sunt eloquia, juxta illud Psalmistæ, quod et supra posuimus : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis. » Candelabra autem harum lucernarum sancti sunt omnes, qui sua et corda et corpora ferendis Domini mandatis, humili semper intentione supponunt. Quisquis enim in nullo propriam sequi curat voluntatem, verum in omnibus quæ Scriptura sancta dicat attendit, ejusque se subjicere mandatis, ejus satagit auscultare promissis quasi candelabrum domus Dei aureum aureas ejus gestat lucernas : quia casta corporis sui membra, castas mentis cogitationes, ad facienda quæ Deus jubet supponere contendit, et hoc tam fixa intentione quam candelabrum. Necesse est enim firmiter ad superna erectum impositas sibi lucernas, non solum absque ruina, sed etiam absque ulla status sui motione servare. Quod vero cum dixisset « et candelabra aurea quinque ad dexteram, et quinque ad sinistram oraculum ex auro puro, » addidit « et quasi lilii flores et lucernas desuper aureas, » videtur juxta litteram, quia suprema pars candelabrorum, in modum sit lilii repandi deformata, quomodo in candelabro tabernaculi factum esse legimus, cujus est stipes medius, et calami ex ipso procedentes, cum scyphis et sperulis lilia scribuntur habuisse perplurima. Flores autem lilii, ut sæpe dictum est, amœnitatem semper virentis terræ viventium designant : de qua dicit beatus Petrus regeneratos nos a Domino in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in cœlis (I *Petr.* I). Et bene lilii flores aurei in candelabro sunt facti domus Domini, quia Scriptura divina spretis temporalibus gaudiis, ad appetenda nos bona patriæ cœlestis provocare consuevit. Et quomodo erectum in altitudine candelabrum lilii flores et lucernas habet aureas in capite, ita electi omnes qui in eadem Scriptura sacra continentur, erecto ad superna sensu, cœlestia bona a Domino quæsisse et percepisse probantur. « Et cardines ostiorum domus templi interioris Sancti sanctorum, et ostiorum domus templi ex auro erant. » Ostia enim domus interioris, Sancti sanctorum, angelica sunt ministeria, quæ nobis de corpore egressis introitum vitæ cœlestis reserant. Et ostia domus templi doctores sunt sancti ac sacerdotes, qui instruendo, baptizando, Domini corporis et sanguinis mysteria communicando, prima nobis Ecclesiæ præsentis limina pandunt. Quid cardines utrorumque ostiorum nisi sensus et corda sunt eorumdem angelorum sive hominum sanctorum, quibus immutabiliter contemplationi ac dilectioni sui Conditoris adhærent, ut eo ministerium divinitus sibi delegatum recte compleant, quo a voluntate illius cui ministrant, nunquam oculos avertunt : aperiuntur enim et clauduntur ostia tempore congruo, sed nullo suum cardinem tempore deserunt : quia et angeli et omnes sancti, sive in hac vita fidei, seu in illa spei fideles atque electos suscipiant, semper animum in radice internæ dilectionis

fixum tenent. Unde bene iidem cardines ex auro esse facti perhibentur, propter videlicet vel meritum propriæ claritatis, vel illius quam habent in Deum charitatis.

« Et perfecit omne opus quod faciebat rex Salomon in domo Domini. » Perfecit Salomon opus quod faciebat in domo Domini, cum rex pacificus noster in die novissima omnes electos resurrectionis immortalitate glorificat. Alioquin quandiu status hujus sæculi geritur, fecit quidem opus domus Domini Salomon, sed nondum perficit, quia corda electorum Dominus ut bona operentur inspirat et adjuvat. Nullum tamen in hac duntaxat vita commorantem absque peccato esse tribuit : namque hoc donum futuræ vitæ beatitudinis reservat. Perficit vero omne opus templi sui, et hoc dedicationi aptum reddit, cum translatos de hac vita electos suos æternum perducit ad regnum, quod bene significatur etiam in eo quod templum quatuor annis ædificatum est, octavo autem perfectum ac dedicatum est, septem namque diebus omne hoc tempus volvitur. Octava est dies, est judicii et resurrectionis futuræ : de qua psalmi sextus et undecimus attitulati sunt. Cui videlicet tempori convenit apte quod sequitur : « Et intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum, et aurum et vasa, reposuitque in thesauris domus Domini. » Argentum namque ad nitorem eloquentiæ, aurum ad splendorem sapientiæ. Vasa generaliter ad rationalem pertinent creaturam. Sanctificatque David, pater Salomonis, argentum ; cum Deus Pater eloquentes quosque gratia sui Spiritus ad loquendum verbum Evangelii confortat. Sanctificat aurum, cum naturali ingenio perditos suo replens Spiritu ad considerandum in lege sua mirabilia illuminat. Sanctificat et vasa, cum omnibus generaliter Ecclesiæ filiis ejusdem Spiritus gratia largitur, [quæ] ad amanda illos, et appetenda perpetuæ salutis [dona] inflammat. Hoc autem argentum, hoc aurum, hæc sanctificata vasa Salomon infert in templum cum Dominus noster peracto universali judicio omnes electos, et doctorum videlicet, et cæterorum fidelium cœtum, in gaudium regni cœlestis introducit. Reponitque vasa diversi generis, argentea sive aurea in thesauris domus Domini, quando eos qui multitudine dulcedinis ejus frui meruerint abscondit in abdito vultus sui, a conturbatione hominum. Et apte multi sunt thesauri, in quibus vasa electionis reconduntur, sed una domus Domini in qua idem sunt facti thesauri, quia et una Ecclesia in qua omnes continentur electi, quantumlibet meritis distent. Et una ac non diversa est patria illa cœlestis, quæ electis promittitur omnibus, quamvis sicut stella a stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuorum. Quod utrum judex ipse ac distributor præmiorum Dominus, una sententia demonstravit, cum ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). »

CAPUT VIII.

« Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini

A « in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum « sanctorum subter alas cherubim. Siquidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, et « protegebant arcam, et vectes ejus desuper. Cumque eminerent vectes et apparerent summitates « eorum foris sanctuarium ante oraculum, non « apparebant ultra extrinsecus, quia et fuerunt ibi « usque in præsentem diem. In arca autem non « erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit fœdus « Dominus cum filiis Irael, cum egrederentur de « terra Ægypti, » etc. Quod illata arca in Sancta sanctorum ducitur, cumque eminerent vectes, et apparerent summitates eorum foris sanctuarium, non apparebant ultra extrinsecus, hoc manifestius

B in Paralipomenon volumine scribitur (*II Par.* V) : « Vectium, inquit, quibus portabant arcam, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum. » Si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Ubi notandum, quia etsi vectium capita accedentibus propius ac diligentius intuentibus parebant ante oraculum, non tamen eminerent. Quia nimirum necesse erat ut clauso oraculo et appenso ante ostia velo, ipsi quoque vectes toti cum arca et cherubim abducerentur interius : quod fieri non poterat, si prominentes ulterius vectes producentis ad claudendum ostiis locum non darent. Quorum positionem vectium Scriptura, non sine causa, sed magis intuitu sacramenti tam diligenter expedire curavit. Constat

C enim quia domus templi exterior peregrinantem in terris Ecclesiam, Sancta autem sanctorum internam supernæ patriæ felicitatem designant. Item illata in Sancta sanctorum arca, assumptam Christi humilitatem, et intra velum regiæ cœlestis inductam. Vectes vero quibus eadem arca portabatur, prædicatores verbi (per quos ipse mundo innotuit) typice nuntiant. Erat autem in arca urna aurea habens manna, quia in homine Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Erat virga Aaron quæ excisa denuo floruerat, quia potestas omnis judicandi penes eum est, cujus judicium in humilitate passionis videbatur esse sublatum. Erant et tabulæ testamenti, quia in illo « sunt thesauri sapientiæ absconditi (*Col.* II). » Adhærebant ei vectes quibus portabatur, quia doctores qui quondam

D laborarunt in verbo Christi, nunc præsenti visione congaudent gloriæ Christi. Quod enim unus eorum de se dixit : « cupio dissolvi et cum Christo esse (*Philipp.* I), » de omnibus utique sui operis consortibus intelligendum reliquit. Apparebant summitates vectium foris ante oraculum, non semper, sed cum ostia ejusdem oraculi aperiri contingeret. Neque hoc omnibus, sed his solummodo qui propius accedentes attentius ea quæ intus erant satagebant intueri. Ipsa autem arca qualis et quomodo esset posita, solis eis qui oraculum intrassent, videre licebat. Quia nullus sanctorum in hac adhuc vita positus tametsi in altitudine se mentis attollens, sed soli illius patriæ cives gloriam inibi sui Redemptoris plene contuentur. Sunt et vectes cum arca in

oraculo conditi, quia absconditi sunt nunc perfecti quique electi, qui nos processerunt de mundo, in abdito vultus Dei a conturbatione hominum. Quorum tamen summitates vertium aperto oraculo his qui appropiant visuntur, cum perfectioribus quibusque oculum sui cordis tota intentione purificantibus, divina gratia aliquid extremum de supernorum civium gaudio contemplandum donaverit, quia nimirum contemplatio his qui paulo longius recesserint minime conceditur. Quia quanto exterius mente vaga remanent, tanto minus quæ sint interna gaudia vident.

« Factum est autem cum exissent sacerdotes de « sanctuario, nebula implevit domum Domini, et « non poterant sacerdotes stare et ministrare pro- « pter nebulam. Impleverat enim gloria Domini « domum Domini, » et reliqua. Quod autem nebula implevit domum Domini, et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam, hæc sententia superbos Judæorum pontifices ac doctores insinuat, qui dum nativitatis Christi sacramenta investigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium per erroris nebulam perdiderunt. Ita eorum mentes infidelitatis caligo replevit, ut exigentibus propriis meritis non agnoscant cultum credulitatis. Nebula ergo Synagogam, id est domum Domini implevit, et sacerdotes propter nebulam ministrare non poterant, quia dum in Testamento Veteri sensus mysticos litteræ velamine coopertos, inter obscuras allegoriarum caligines investigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium, propter nebulam perdiderunt. Quibus et tunc in nebula doctrinæ suæ, vocem Dominus protulit, cum de se etiam aperta narravit. Quid est enim apertius quam « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X) ? » Quid apertius quam « Ante Abraham ego sum (*Joan.* VIII)? Sed quia auditorum mentes infidelitatis caligo compleverat, quasi emissum solis radium nebula interjacens abscondebat. « Et dedicaverunt templum Domini, rex et filii Israel. » Templum Domini sancta est Ecclesia, sicut supra ostensum est : hanc dedicavit rex Christus, quando eam sanguine suo mundavit, et Spiritus sancti gratia sanctificavit, ac diversis virtutum donis multiplicavit. Hanc dedicant et filii Israel secum, quando unusquisque fidelium, secundum sibi donum collatum a Deo, verbo prædicationis et virtutum operibus proximos suos quoscunque valet ad meliora et perfectiora convertere, satagit. « Templum enim Domini, ait Apostolus, sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III). » Sed hanc sanctificationem, rex et populus, caput et membra, non æqualiter perficiunt, quia de Christo Joannes ait : « De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia (*Joan.* I). » Hinc Paulus dicit : « Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat, deus (*I Cor.* III).» Sed quantum valeat hominis dedicatio, prædictus Apostolus subsequenter exponit dicens : « Qui plantat autem et rigat unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Dei

A enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis (*Ibid.*), » etc. Igitur ipse sanctificat suum templum quasi Deus et Dominus inhabitando nos autem digni habitationis ejus conservando. Sequitur :

« In die illa sanctificavit rex medium atrii, quod « erat ante domum Domini. Fecit quippe ibi holo- « caustum et sacrificium et adipem pacificorum, « quia altare æreum quod erat coram Domino mi- « nus erat, et capere non poterat holocaustum et « sacrificium et adipem pacificorum. » Quid ergo est quod Salomon, sanctificavit medium atrii, offerens ibi holocaustum et sacrificium : propterea qui altare æneum quod juxta constitutionem legis ante fores templi positum, erat, non poterat totum B capere, nisi quod Christus ea quæ in lege propter infirmitatem ejus perfici non poterant, nunc in Ecclesia catholica pleniter gerit. Ipse est enim atrium domus Domini : per ipsum ingressus patet in domo Domini in Jerusalem videlicet cœlestem. Quia ergo holocausta et sacrificia omnia in altari typico Veteris Testamenti non poterant offerri, eo quod omnia ibi figuraliter fiebant, rex noster et sacerdos erexit altare fidei in Ecclesia catholica, in quo pinguia holocausta et sacrificia acceptabilia quotidie spiritaliter Deo offeruntur. Hinc est quod Dominus reprobans vetus sacrificium per Prophetam ait : « Holocausta et sanguinem victimarum nolui (*Psal* XXXIX, *Hebr.* X). » Et item in Psalmis : « Sacrificium laudis honorificabit me : et illic C iter, quo ostendam illi salutare Dei (*Psal.* XLIX). »

« Fecit ergo Salomon festivitatem in tempore « illo celebrem, et omnis Israel cum eo multitudo « magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægy- « pti coram Domino Deo nostro. » Quod dicitur, quia fecit Salomon festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti coram Domino : per introitum Emath, septentrionalem terræ repromissionis plagam per rivum sive torrentem Ægypti coram Domino : ut verba dierum nominant, designat australem. De quibus aliqua latius ex verbis sancti Hieronymi ponere gratum puto esse lectori. Scriptum est in libro numerorum (*Num.* XXXIV), in quo omnis terra repromissionis per qua- D tuor plagas brevi sermone dividitur : Pars meridiana incipiet a solitudine Sin quæ est juxta Edom, et habebit terminos contra orientem mare salsissimum, qui circuit australem plagam per ascensum scorpionis, ita ut transeant in Senna et proveniant in meridiem usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, et tendent usque ad Asemona. Ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, et maris Magni littore finietur. Pro quo in ultima visione prophetæ Ezechielis ita dicitur : « Plaga autem australis meridiana a Thamar, usque ad aquas Mariboth (*Ezech.* XLVIII). » Aquas Mariboth, id est contradictionis. Cades quoque et torrentes usque ad mare Magnum, quod significat latissimam solitudinem

Sin, quæ est juxta Edom. Et in mari Rubro terminum circumire, et per ascensum scorpionis et Senna et Cadesbarne et atrium sive villam Adar, et a Semona pervenire usque ad torrentem Ægypti, qui juxta urbem Rinocoruram mari influit. Hic vero terminus plagæ australis incipit, a Thamar quæ urbs in solitudine est, quam et Salomon miris operibus exstruxit, et hodie Palmira nuncupatur; Hebraicoque sermone Thamar dicitur, quæ in lingua nostra palmam sonat, usque ad aquas contradictionis Cades quam in deserto esse non dubium est, et torrens ingrediens mare Magnum, hoc quod Ægypti Palæstinæque prætenditur littoribus. Sequitur in libro Numerorum: « Plaga autem occidentalis, a mari Magno incipit, et ipso fine clauditur, » hoc est a mari usque ad mare, a torrente videlicet Rinocore, qui in mare influit usque ad eum locum ubi est Emath urbs Syriæ, cujus in hac plaga et nomen ponitur in Ezechiele: « Et plaga (inquiens) mare Magnum a confinio per directum, donec venias Emath,» quæ nunc Epiphania nominatur, ab Antiocho crudelissimo tyrannorum nomine commutato. Nam cognomentum habuit Epiphanes. Porro ad septentrionalem (inquit) partem a mari Magno termini incipient pervenientes usque ad montem altissimum, quo veniens in Emath usque ad terminos sedebat, ibuntque confinia usque ad Sephrona et villam Enan, hi erunt termini in parte aquilonis. Dicunt Hebræi septentrionalem plagam incipere a mari Magno, quod Palæstinæ, Phœnicis et Syriæ quæ appellatur Cele, Ciliciæque prætenditur littoribus, et per Ægyptum tendit ad Libyam. Quod autem dicitur: pervenientes terminos usque ad montem altissimum, eumdem Hebræi autumant vel Imaum montem significare, vel Taurum: quod nobis videtur verius. Ibuntque, inquit, confinia usque ad Sephrona, quam Hebræi hodie Zephuim, oppidum Ciliciæ, vocant. Quod autem sequitur: Et villam Enan, pro quo in Hebræo scriptum est Aserenam, quod interpretatur *atrium fontis*, terminus est Damasci. Unde dicitur in Ezechiele: Et erit terminus a mari usque ad atrium Enan, sive Aser. Enan terminus Damasci et ab aquilone ad aquilonem plaga septentrionalis de villa Enan Sephama, et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem. Inde pervenit contra orientem ad mare Genezareth, et tendent usque Jordanem et ad ultimum salsissimo claudentur mari. A fine igitur septentrionalis plagæ, hoc est, atrio Enan tendunt fines usque ad Sephama, quam Hebræi Aphamiam nominant. Et de Aphamia descendunt termini in Reblata, quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia. Et ut scias Rebla hanc significare urbem, quæ nunc in Syria Celes nobilissima est, sequitur: Contra fontem, cui proprium est significari Daphnem; de quo fonte supradicta urbs aquis abundantissimis fruitur. Inde, inquit, pervenient termini contra orientem ad mare Genezareth, id est ad stagnum Tiberiadis. Mare autem dicitur, cum habeat dulces aquas, juxta idiomata Scripturarum, quæ congregationes aquarum appellant maria. Et tendent, inquit, usque Jordanem et ad ultimum claudentur mari, vel Mortuo, vel, ut alii putant, lingua maris Rubri, in cujus littore Abila posita est.

Quod autem sequitur in libro Regum, quod septem diebus et septem diebus, id est quatuordecim diebus, prædicta festivitas a Salomone et filiis Israel celebraretur, et in die octavo dimisit populos; intuendum est quomodo in Verbis dierum de eadem re scriptum sit. Fecit ergo Salomon festivitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israel cum eo, Ecclesia magna valde ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti, fecitque die octavo collectam eo quod dedicasset altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem. Igitur vicesimo tertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua, sed puto non aliud hic velle intelligi nisi quod expletis diebus septem dedicationis templi, subsecuti sunt dies scenopegiæ, quæ a decimo quinto die mensis septimi secundum legem inchoabantur, et in die vigesimo secundo finiebantur. Utrisque ergo festivitatibus rite peractis, et scenopegiarum octava die finita, dimisit rex Salomon populos ad sua, « lætantes atque gaudentes super bona quæ fecerat Dominus David et Salomoni et Israel populo suo.» Cui sensui videtur Josephus suffragari ita dicens: Dimisit ergo Salomon Ecclesiam, cum sacrificia celebrasset pro se et pro universis Hebræis, id est vitulos quidem viginti duos, oves autem viginti centum. Tunc enim prius in templo sacrificia celebrata sunt, et in eo epulati sunt omnes Hebræi cum uxoribus suis et filiis. Insuper etiam et festivitatem quæ vocatur scenopegia, faciens ante templum clare nimis et magnifice diebus quatuordecim. et rex cum omni populo suo pariter epulatus est. Cumque hæc fuissent sufficienter exhibita, nihilque deesset circa pietatis divinæ culturam, dimissi a rege singuli ad propria remearunt, agentes gratias regi, propter providentiam quam habuisset et opera quæ fecisset, et orantes Deum, ut eis regem præberet longævo tempore Salomonem. Agebant cum gaudio revertentes sublimiter, et cum delectatione hymnos decantantes, ita ut in ea jucunditate sine labore ad propria remearent. Mystice autem hoc quod Salomon completo opere templi festivitatem celebrem fecit, sicut quibusdam videtur, et omnis Israel cum eo multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti coram Domino Deo, significat internum gaudium sanctorum, quod cum rege suo Christo vero videlicet pacifico, perpetualiter habent; necnon et loca ipsa quibus termini terræ Israel descripti sunt, Emath videlicet et rivus Ægypti, huic significationi non contradicunt, Emath enim interpretatur *Domini veritas*; et per rivum sive torrentem Ægypti quem melius intelligere possumus, quam mortem temporalem quia hanc in Ægypto, id est in tenebris istius mundi consistens, nullus evadere potest, Propheta attestante, qui ait: « Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem (*Psal.* LXXXVIII)? » Unde de

ipso Mediatore Dei et hominum, in psalmo scriptum est : « De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput (*Psal.* CIX). » Torrens fuit turbulenta Judæorum persecutio, de qua Dominus Christus bibit in via, in est in hac vita, dum corpore pertulit. Sed dum in via dicitur, labor iinterius ostenditur, et velocissimus transitus indicatur per quam itinerantes vehi solent ad aliam mansionem : Christo enim propter gloriosæ meritum passionis, « datum est nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Phil.* II). » Omnis ergo Israel a rivo Ægypti usque Emath, festum celebre cum Salomone faciunt, quando sancti post finem præsentis vitæ veraciter æternis gaudiis cum Domino Christo perfruuntur. Quod autem septem diebus et septem diebus eamdem festivitatem celebrabant, significari potest quod electi per septiformem Spiritus sancti gratiam illuminati, modo in hac vita (quæ septenario numero dierum discurrit) gaudent in spe, et tunc in sabbato vero, hoc est in futura animarum requie, gaudebunt in ipsius veritatis perceptione. Quod autem sequitur, in die octavo Salomonem dimisisse populum qui benedicentes regi profecti sunt singuli in tabernacula sua, lætantes alacri corde super omnibus bonis quæ fecerat Dominus David servo suo, et Israel populo suo, significare potest finem istius vitæ, qui erit post sabbatismum animarum sanctarum, quo nunc quiescunt ante diem judicii. In octava ætate, hoc est in die resurrectionis sanctos recepturos corpora immortalia, et in mansionibus cœlestibus quosque secundum meritorum qualitates collocandos, ubi semper alacri corde lætentur, gaudentes et laudantes Deum super omnibus bonis, quæ in Domino Christo Pater omnipotens contulit omni populo Christiano.

CAPUT IX.

« Dedit rex Salomon Hiram viginti oppida in « terra Galilææ. Egressusque est Hiram de Tyro « ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, et « non placuerunt ei, et ait : Hæccine sunt civitates « quas dedisti mihi frater? Et appellavit eas terram « Chabul usque in diem hanc. » De hoc Josephus narrat : Multum aurum et argentum Tyri rex ad ædificium contulit, insuper et ligna cedrina, et cypressina, quem Salomon quoque magnis compensationibus redonavit, mittensque ei per annos singulos triticum, vinum et oleum, quibus maxime rebus (eo quod habitaret in insula sicut prediximus) indigebat. Ad hæc autem et civitates Galilææ regionis, viginti numero, non procul a Tyro positas condonavit. Quas dum circuisset atque considerasset, displicuissetque ei donum, mittens ad Salomonem, dixit se civitatibus non egere, et ex tunc hæ appellatæ sunt terra Gabalon. Etenim interpretatum lingua Phœnicia, *displicere* significat. Sed Chabul *quasi germen* interpretatur, ut in libro Hebræorum nominum invenimus. Quomodo autem hoc nomen *displicere* significet, non invenimus, nisi forte per ironiam dictum sit quasi germen, cum plenitudinem fructuum non afferret.

« Ædificavit ergo Salomon Gazer et Bethoron « inferiorem et Baalath, et Palmiram in terra soli- « tudinis. Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, « et qui erant absque muro munivit, » etc. Urbes vero quas ædificasse Salomon dicitur, hoc est Mello, et murum Jerusalem, Heser Mageddo, et Gazer, Bethoron, Baalath, et Palmiram, sanctæ Ecclesiæ decorem significant : quam verus Salomon in jucunditate regni sui ad laudem et sempiternam lætitiam sibi preparavit. Interpretetur autem Mello *adimpletio :* Hezer, *separatus*, vel *sanctificatus.* Mageddo, *cœnaculum ejus :* Gazer, *præscisio* vel *divisio :* Bethoron, *domus montium*, et Baalath, *ascendens* interpretatur. Sancta ergo Ecclesia, ipsa civitas Dei vivi est, ubi impletur quotidie Dei voluntas. Hæc superato omni errore infidelium sanctificata est in fide et bonis operibus. Ibi refectio virtutum est, hæc discernit mundum ab immundo, virtutes a vitiis. Et domus est montium, id est habitatio sanctorum. Et fructus justitiæ sicut palma florens, « ascendit *de virtute in virtutem*, ut videat Deus *Deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII). » « Omnes vicos qui ad se pertinebant et qui erant absque muro munivit Salomon, » quia Christus cœtus fidelium suorum gratiæ suæ protectione ita munivit, ut hostibus spiritalibus insuperabiles semper existerent.

« Universum populum qui remanserat de Amor- « rhæis, et de Hethæis, et Pheresæis, et Hevæis, et « Jebusæis, qui non sunt de filiis Israel ; horum « filios qui remanserant in terra, quos scilicet non « poterant filii Israel exterminare, fecit Salomon « tributarios usque in diem hanc. De filiis autem « Israel non constituit Salomon servire quem- « quam, sed erant viri bellatores et ministri ejus, « et principes et duces et præfecti curruum, » et reliqua. Universum populum qui non fuerat de filiis Israel, fecit pacificus noster tributarios, cum eos qui non sunt in filiorum numero, sed in servili conditione positi, in potestate sua continet, et singulis utitur ad proprium servitium. Sive enim Judæi, sive gentiles, sive hæretici, in ejus dominatione consistunt, quia ipse universorum dominator est, et eis utitur ad suam utilitatem, in cujus voluntatem universa sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati ejus. Tales licet in multis adversentur, tamen frequenter usibus serviunt Ecclesiæ, cum in præsenti tempore necessaria tribuunt, et de rebus suis solatia præbent. De filiis autem Israel, hoc est qui non ancillæ filii sunt, sed liberæ, quos ipse Filius Dei sanguine suo liberavit, non constituit Salomon noster servire quempiam : quia neminem cogit ritu gentili vivere, neminem cæremonias veteris legis temporibus Novi Testamenti servare ; sed viros bellatores esse, qui contra spiritales nequitias scuto fidei, et gladio spiritus dimicent, et ministros suos fieri, hoc est spiritale obsequium in bonis operibus sibi præ-

bere; et principes et duces scilicet, ut bene sibi principentur, et carnis lasciviam doment, sive ut subditos sibi bene regant, et in semita justitiæ ducant. Quod autem sequitur:

« Erant principes super omnia opera Salo- « monis præpositi quingenti quinquaginta, qui « habebant subjectum populum, et statutis ope- « ribus imperabant. » Quid significat nisi, quod hi qui Spiritus sancti gratia legis Domini scientiam habere merentur, et semetipsos et alios bene regere possunt. Quinquagesimo ergo die post pascha in veteri Testamento, lex in monte Sina tributa est. Et in Novo super apostolos, et eos qui cum ipsis erant, Spiritus paracletus venit.

« Offerebat quoque rex Salomon tribus vicibus « per annos singulos holocausta et pacificas victi- « mas super altare, quod ædificaverat Domino, et « adolebat thymiama coram Domino. » Offert quoque pacificus noster tribus vicibus per annos singulos holocausta Domino in membris, cum per sanctæ Trinitatis fidem hostiam acceptabilem exhibet Deo. Offert enim unusquisque fidelis holocausta Domino, cum corpus suum castigando macerat, et tota desideria carnis igne Spiritus sancti consumere festinat. Offert pacificas hostias cum bonorum operum munus exhibet. Offert victimas, cum vota labiorum suorum in laudem Domini expendit. Et hæc omnia super altare quod ædificaverat Domino offerre debet, qui in ara cordis ubi decet ignem divinum semper ardere, hoc est flammam charitatis semper fervere, quidquid in abstinentia, quidquid in bona operatione, quidquid in gratiarum actione, elaborat justum est, ut totum suavitate Spiritus sancti offerat Deo. Sicque adolebit thymiama coram Domino, quando orationem puram in cordis secreto præparat Deo, et ea quæ sunt Deo digna et placita postulat. Cæterum qui transitoria poscit, et quæ ad luxum sæculi pertinent, non coram Domino adolere thymiama dicitur, quia non in pura conscientia orare comprobatur.

« Classem quoque fecit rex Salomon in Asion- « gaber, quæ est juxta Haylam in littore maris « Rubri in terra Idumea. Misitque Hiram in classe « illa servos suos viros nauticos, et guaros maris, « cum servis Salomonis. Qui cum venissent in « Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum « viginti talentorum detulerunt ad regem Salo- « monem. » Asiongaber fertur esse insula haud procul ab Hayla in Rubro mari, ubi classis Josaphat vi tempestatis attrita est. Ophir autem nomen provinciæ ex Ophir uno de posteris Eber nominatam, ex cujus stirpe veniens a fluvio Cophne, usque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Hieriam, habitasse referuntur, ut Josephus narrat. Classis itaque quam fecit Salomon in Asiongaber, quæ *festinantes*, aut *fortes*, sive *viriliter* interpretatur, non aliam esse puto quam Ecclesiam fidelium, quæ in mari istius mundi posita studium impendit thesauros sapientiæ et scientiæ, opesque virtutum acquirere, ubi sunt servi Hiram nautici et gnari maris cum servis Salomonis, dum gentiles sæculari sapientia eruditi, cum his qui in lege Moysi periti sunt in unitate fidei sociantur. Hos ergo Salomon noster in Ophir, quæ interpretatur *infirmans*, mittit, ut sumptum inde aurum ad se deferant, cum in utilitate litteræ sensum pretiosum habet quærere. Et sic accepta summa quadringentorum viginti talentorum auri ad regem deferunt, cum sensum pretiosum historiæ allegorice et tropologice exponunt, atque anagogen in duobus Testamentis inveniunt, et cum sapientiæ et consilio divino ascribentes tribuunt.

CAPUT X

« Sed et regina Saba, audita fama Salomonis, in « nomine Domini, venit tentare eum in ænigmati- « bus. Et ingressa Hierusalem cum multo comitatu « et divitiis, camelis portantibus aromata, et aurum « infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad « Salomonem, et locuta est ei universa quæ habe- « bat in corde suo. » Regina autem Austri quæ a finibus extremis excitata veniens, Salomonis audire sapientiam concupivit, jam tunc venturam de gentibus Ecclesiam desiderantem Christum figurabat, quæ juxta Prophetam (*Psal.* XLIV) circumamicta est *varietate in vestitu deaurato*, et populi sui et paternæ domus oblita currebat barbara gente non animo, quæ in aperto peregrina fuit, sed in loco culto sanctorum fieri civis optabat. Unde non solum cœlesti præmio resurrectionis beata, sed etiam potestate apostolica, de Judæis adulteris judicandis, ipsius judiciis digna censetur, quia Christum in Salomonem mirata, verum reginæ cœlestis affectum imagine mystica Ecclesiæ providentis impleverat. Hinc ipsa regina Saba, viso Salomone et gloria ejus, stupens super prudentiam ejus, dixit:

« Verus est sermo quem audivi in terra mea super « sermonibus tuis et super sapientia tua, et non « credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et « vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi « nunciata non fuerit. Major est sapientia tua, et « opera tua quam rumor quem audivi. » Quod bene convenit sanctæ Ecclesiæ quæ, auditis miraculis Christi, provocata est ad quærendum eum. Sed postquam ad ipsum pervenit per baptismum et fidem, consideratis sanctæ Scripturæ testimoniis, divinitatis ejus potentiam agnoscens, parum ei videtur esse omne quod sibi antea de eo narratum est, in comparationem perceptæ gratiæ. Unde et admirando in laudem ejus erumpit, dicens:

« Beati viri tui, et beati servi tui qui stant coram « te semper et audiunt sapientiam tuam! Sit Domi- « nus Deus tuus benedictus cui complacuisti, et po- « suit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Do- « minus Israel in sempiternum, et constituit te re- « gem, ut faceres judicium et justitiam. » His quoque similia et Psalmista in desiderio regni cœlestis exardescens ex persona eorum protulit, dicens: « Quam amabilia sunt tabernacula tua, Domine vir- tutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Do-

mini. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum (*Psal.* LXXXIII). » Et paulo post : « Beati, ait, qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te (*Ibid*). » Illi vero beati sunt, quorum rex est Christus, et quia æterna visione ejus perfrui merentur et gloriam ejus quam habet cum Patre et Spiritu sancto conspicere, et sapientiam per quam ipse mundus corde dignatur se ostendere, perpetualiter percipere lætantur. Sicque probabunt verum esse hoc quod scriptum : « Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II). »

« Rex autem Salomon dedit reginæ omnia quæ « voluit et petivit ab eo, exceptis his quæ ultro « obtulerat ei munere regio, » id est quia pacificus noster, veræ reginæ, Ecclesiæ videlicet suæ, omnia quæ petit, dabit. De quo scriptum est : « Desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eam (*Psal* XX).» Et in Evangelio ipse dicit : « Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XIV). » Non solum autem ea quæ petimus, imo etiam illa quæ humana fragilitas, aut nescit aut non præsumit petere, gratuito munere largitur.

« Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Do« mini, et domus regiæ et citharas lyrasque can« toribus. Non sunt allata hujuscemodi ligna thyi« na, neque visa usque in præsentem diem. » De quo Josephus ita narrat : Eodem vero tempore delati sunt regi, a terra quæ vocatur aurea, lapides pretiosi, et ligna thyina, quibus usus est ad fortitudinem templi domuumque regalium et ad instrumenta musicorum, fecitque citharas et nablas, ut dicerent hymnum Deo levitæ. Omnium vero rerum quæ fuerunt quocunque tempore regi delata, ea quæ illo delata sunt, magnitudinem et pulchritudinem præcellebant. Nullus igitur arbitretur, quia ligna thyina quæ nunc propter pretium vendentium sic appellantur, illis vicina sint. Illa siquidem visione rotunda quasi pinea sunt, sed multo candidiora et valde fulgentia. Hoc autem dixi, ut nullus naturam veræ pignus ignoraret. Sunt enim, sicut in cujusdam volumine legi, imputribilia et spinosa, in similitudinem albæ spinæ, et usque hodie Judæis incognita. Bene autem dicitur quod rex Salomon de lignis pretiosis nimis fecerit fulcra domus Domini et domus regiæ, et citharas lyrasque cantoribus ; quia conditor noster ligna pretiosa, hoc est doctores sanctorum, quorum viror nunquam decrescit fidei, nec folia verborum decidunt ; sed qui fructum bonorum operum reddunt temporibus suis, ad munimen domus Dei et domus regiæ, hoc est ad confirmationem Ecclesiæ suæ ponit, ut eorum undique vallata doctrinis et exemplis, ruinam eorum scelerum non sentiat. Talesque viri merito ut citharæ et lyræ ad laudandum Dominum fabricati dicuntur, quoniam quæcunque fecerint prosperabuntur, et laudem Domini inter adversa et prospera, corde, ore, simul et opere pronuntiare non cessant. Hi quidquid agunt in verbo aut opere, omnia in gloriam Dei faciunt. De quibus ex persona Domini per prophetam dicitur : « Super muros Jerusalem constituit custodes, tota die et tota nocte non tacebunt laudare nomen Domini (*Isa.* LXII). »

« Fecit quoque Salomon ducenta scuta de auro « puro. Sexcentos auri siclos dedit in laminas scu« ti unius et trecentas peltas ex auro probato. Tre« centæ enim minæ auri unam peltam vestiebant, « posuitque eas rex in domo silvæ Libani.» In Verbis quoque dierum ita scriptum est : « Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in altis singulis expendebantur. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur scuta singula. Posuitque ea rex in armentarium quod erat consitum nemore.» Scuta ergo simul et hastæ aureæ quibus utebantur, sicut in sequentibus ostenditur, duces qui excubabant ante ostium domus regis, quid significant nisi armaturam spiritalem, quam habent prædicatores sancti, qui custodiunt domum Domini, et excubant ad ostia ejus, ut callidis insidiatoribus intercludant aditum, ne decipiant innocentes, de quibus in Cantico canticorum scriptum est : « Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi (*Cant.* III,» quia et præsentem Ecclesiæ quietem ac pacem prædicatores sancti contra hæreticorum tuentur incursus, et internam cœlestis patriæ requiem perfectiores quoque fixa intentione speculantur. Bene autem iterando adjungitur : « Ex fortissimis Israel. » Israel quippe, *vir videns Deum* interpretatur. Omnes quidem qui ad divinæ visionis gaudia tendunt, recte Israel nomine censentur. Sed fortissimi, inquit, in eis sunt utique illi, qui sive cœlestis domo speculationis sublimantur, seu prædicationis ministerium rite peragendum suscipiunt. Qui et apte sexagenario sunt numero designati, quia tales nimirum denarium æternæ retributionis pro perfectione bonæ operationis exspectant,« omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi,» illos tenentes gladios, de quibus dicit Apostolus : « Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI).» Ad illa bella doctissimi, de quibus idem admonet, dicens : « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli ; quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates (*Ib.*), etc. Et recte doctissimi, quia bellandi magna arte indigent, qui carne inclusi, in terris positi, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus certant. Magna arte, imo magna Dei gratia indigent, cum contra archangelum tot millibus annorum ad bella exercitatum, carnis fragilitas pugnat. Recte ergo ducentæ hastæ de summa sexcentorum siclorum factæ sunt, quia utriusque Testamenti doctrina et operatione perfecti esse noscuntur, cum quidquid sermone docuerint bonis exemplis probaverunt. Necnon et ducenta scuta quorum singula trecenti aures

vestiebant, perfectam fidem eorum significant, A quam in sanctæ Trinitatis confessione habebant. Bene ergo custodes domus Dei hastas et scuta aurea portant, quia sancti prædicatores, qui sunt Ecclesiæ sanctæ custodes, claritate supernæ sapientiæ splendentes, et verborum jaculis inimicos confodiunt, et scuto sacri fidei tela nequissimi ignea repellentes exstinguunt. Quod autem adjungitur : « Posuit ea rex in domo silvæ Libani, » apte huic mysterio congruit. Quid ergo silva Libani, nisi gentium Ecclesiam significat, quæ de fastu superbiæ abscisa, in fabrica domus Dei convenienter aptatur ? Unde et per Psalmistam dicitur : Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ (*Psal.* CXXXI), » etc.

« Fecit ergo rex Salomon thronum de ebore B « grandem ; et vestivit eum auro fulvo nimis, qui « habebat sex gradus. Et summitas throni rotun- « da erat in parte posteriori, et duæ manus hinc « atque inde tenentes sedile, et duo leones stabant « juxta manus singulas : et duodecim leunculi « stantes super sex gradus hinc atque inde. » Solium ergo quod rex Salomon fecit, bene Ecclesia sancta intelligitur, in qua pacificus noster regnans, judicia sua facere dignoscitur, quia anima « justi, sedes est sapientiæ. » Et bene de ebore illud factum esse memoratur, quod non ad solas divitias intelligamus aptatum, sed quoniam elephans cujus hæc ossa sunt nimiæ castitatis asseritur, qui inter quadrupedia et sensu plurimum valet, et temperanter miscetur feminæ suæ, et conjuge secunda C non utitur. Hoc pudicis animabus decenter aptatam est, quia illæ ebur fuisse noscuntur, quæ per castitatem Christi Domini præcepta secutæ sunt. Hanc vestivit auro fulvo nimis, quia splendorem gloriæ suæ ea inclarescere fecit, cum per signa et miracula majestatis suæ potentiam ostendit. Habebat autem thronus iste sex gradus. Quid per senarium numerum, nisi bonorum operum perfectio designantur ? « Sex diebus perfecit mundi ornatum, et septimo requievit ab operibus suis (*Gen.* I). » Siquidem et senarius primus est numerus, qui suis partibus perfectus esse dignoscitur. Habet enim medietatem tria, tertiam partem duo, sextam unum : unum vero, duo, et tria, sex fiunt. Igitur quia et sex ætatibus mundus constat, in D quibus licet operari quisquis ad cœlestem patriam pervenire desiderat, bonis operibus ascendere festinet, quia nisi bonis actibus ascendatur, illuc minime pervenitur. « Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori. » Quid enim rotunditas throni in parte posteriori, nisi requiem æternam, quæ post hanc vitam sanctis futura est, significatur ? ubi quisquis hic bene laborat mercede operis sui renumeratus, perenni quiete perfruetur. Unde et in Cantico canticorum de hoc ipso throno sub alio exemplo commemoratur, ubi dicitur : « Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas. Reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit (*Cant.* III). » Ferculum inde dictum, quod vel residentium et discumbentium in convivio corpora ferat, vel ipsum de loco ad locum soleat pro temporis opportunitate circumferri. Cui merito sancta Ecclesia comparatur, quæ credentes ad æternæ vitæ refectionem prædicatorum suorum mysterio circumfert. Ferculum itaque regis nostri, sancta Ecclesia est, quæ de fortibus prædicatoribus quasi lignis cedrinis, imputribilis mentibus est constructa. Quæ recte ferculum dicitur, quia ipse fert quotidie animas ad æternum convivium Conditoris sui. Cui ferculo columnæ argenteæ factæ sunt, quæ prædicatores sancti eloquii luce resplendent. Est autem columnis argenteis reclinatorium aureum, quia per hoc quod a sanctis prædicatoribus lucide dicitur, mentes audientium fulgore claritatis intimæ, in qua reclinentur, inveniunt. Item reclinatorium in ferculo fecit, cum spem perpetuæ quietis fidelibus promisit : « Tollite, inquit, jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Et hoc reclinatorium fecit aureum, quia requiem nobis æternam divinæ suæ visionis gloria coruscam præparavit. Et non nisi purpureus ad hoc ferculum ascensus invenitur, quia nullus Ecclesiam nisi sacramentis Dominicæ passionis imbutus, ingreditur. Unde ipse ait : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die (*Joan.* VI). » Media charitate constravit propter filias Jerusalem, ea ipsa videlicet charitate, quia pro nobis passus est. Majorem enim hac charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis. Et hoc ex quod addidit propter filias Jerusalem, id est propter animas cœlestium desiderio flagrantes. Quanto enim majorem Deus charitatem suam nobis pro nobis patiendo commendavit, tanto plures ad se reclamandum pro se patiendum accendit. « Et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile. » Quid ergo duæ manus tenentes sedile Salomonis significant, nisi solatia divinæ gratiæ, quæ sanctam Ecclesiam ad cœleste regnum provehunt ? Et hæc apte per binarium numerum descripta sunt, quia in utroque Testamento hoc prædicatur, hoc maxime commendatur, quia non nisi per divinum adjutorium aliquod boni perfici potest. Unde ipsa Veritas dicit : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV). » — « Et duo leones stabant juxta manus singulas. » Quid per leones, nisi Patres utriusque Testamenti figurantur, qui per fortitudinem animi et sibi et aliis donari bene didicerunt ? Duo ergo leones juxta manus stabant, quia in lege et in Evangelio sancti Patres quidquid boni fecerunt, non sibi, sed Deo deputaverunt. Unde et Psalmista dicit : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Super misericordia tua et veritate tua (*Psal.* CXIII); » et Apostolus : « Gratia, inquit, Dei sum id quod sum (*I Cor.* XV). » Et item : « Qui gloriatur in

Domino glorietur (*II Cor.* x). » — « Et duodecim A leunculi stantes super gradus sex hinc atque inde. » Quid per duodecim leunculos, nisi prædicatorum ordo qui apostolicam doctrinam sequitur, significatur. Hi ergo supra sex gradus hinc atque inde stant, quia bonorum operum gressus hinc et inde, suis doctrinis atque exemplis munire certant, ne prius labor bene incipientium in operando vacillet, sed rectitudinem habeat in gressu virtutum. Hinc scriptum est : « Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. Surrexerunt filii ejus et prædicaverunt beatissimam, vir ejus et laudabit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas (*Prov.* xxxi). » Sequitur :

« Sed et omnia vasa de quibus potabat rex Sa- B
« lomon erant aurea, et universa supellex domus
« saltus Libani de auro purissimo : non erat ar-
« gentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus
« Salomonis. » Omnia vasa quæ pacifici nostri ministerio funguntur, aurea fiunt : quia omnes animæ sanctorum quæ sunt vasa Dei, ut voluntati deserviant divinæ spendore sapientiæ et dilectionis nitentes, continent potum qui vitæ est, et sit in eis fons aquæ salientis in vitam æternam. Nec alicujus pretii argentum putabatur in diebus Salomonis, quia secundum Apostolum : « Non est in sermone verbum Dei, sed in virtute (*I Cor.* iv). » — « Et prædicatio Evangelii non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis consistit, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides nostra non sit C in sapientia hominum, sed in virtute Dei (*I Cor.* ii). » Unde ipsa Veritas ait : « Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* vii), » etc, Et item : « Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regnum cœlorum (*Matth.* v). »

« Deferebant ergo Salomoni aurum de Tharsis
« et argentum, dentes elephantorum, et simias, et
« pavos. » Quid aurum argentumve significet, notum est. Cæterum dentes elephantorum possunt doctores, fortes propter nitorem sapientiæ, designari. De quibus sponsæ dicitur : « Collum tuum sicut turris eburnea ; » per simias vero qui actus humanos imitari videntur, sed bestialiter vivunt, eos qui ad fidem ex gentibus veniunt, qui fidem D tenere videntur, et operibus fidem negant. Per pavos quippe quorum caro si siccata fuerit, imputribilis permanere dicitur, qui pennarum pulchritudine vestiuntur, perfectos igne tribulationis decoctos, adeo ut variis virtutibus decorentur, et incorruptionem fidei ac mentis retineant. Quanquam si ad virgines referri velint, accipere possumus hæ de Tharsis fortiter conservet. Quod autem subditur : « Non est factum tale opus in universis regnis. » Apte sancta Ecclesia convenit, de qua scriptum est, videlicet de salsis amarisque fluctibus hujus sæculi ad Salomonem nostrum deferuntur. Tharsis exploratio gaudii dicitur :

« Magnificatus est rex Salomon super omnes
« reges terræ divitiis et sapientia, et universa
« terra desiderabat videre vultum Salomonis, ut
« audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in
« cor ejus. Et singuli deferebant ei munera, vasa
« argentea et aurea, vestes et arma bellica, etc. » Bene ergo dictum est, quod « magnificatus sit rex Salomon super omnes reges terræ, » quia pacificus noster super omnem celsitudinem sanctorum, qui reges vere dicuntur, exaltatur, et nullus ei coæquari potest. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei ? Deus qui glorificatur in consilio sanctorum magnus et metuendus super omnes qui in circuitu ejus sunt. Et item : « Magnus Dominus noster et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus. » Unde et Joannes dicit : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate (*Joan.* i). » Et universa terra desiderat videre vultum regis nostri, quia universa Ecclesia sanctorum hoc solummodo appetit, ut ad conspectum gloriæ ejus perveniat. Cum per prophetam dicitur : « Tibi dixit cor meum, quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram. » Et alibi : « Sicut cervus, inquit, desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus (*Psal.* xli). » Et singuli deferunt ei munera, dum unusquisque secundum id quod vires sibi suppetunt, in verbo seu factis, obsequium student præstare Deo.

CAPP. XI et XII.

« Rex autem Salomon amavit mulieres alienige-
« nas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabi-
« tidas et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et
« Hethæas de gentibus super quibus dixit Domi-
« nus filiis Israel : Non ingrediemini ad eas, neque
« de illis ingredientur ad vestras, » et reliqua. Jam porro de cæteris operibus Salomonis, quid dicam, quem vehementer arguit sancta Scriptura, atque condemnat, nihilque de pœnitentia ejus, vel de indulgentia Dei omnino commemorat, nec prorsus occurrit, quid ad salutem in allegoria boni significet hæc est, flenda vorago subversionis. Nisi forte dicat quis mulieres alienigenas, quarum amore exarserat, significare ecclesias electas ex gentibus. Posset hoc fortasse non absurde intelligi, si illæ propter Salomonem desererent deos suos, et colerent Deum ejus. Cum vero ipse propter illas offendit Deum suum, et coluit deos earum, non est quid inde boni conjectari possit. Nec tamen nihil arbitror significare, sed malum, sicut de uxore filiabusque Lot diximus. Apparet enim in persona Salomonis mira excellentia et mira submersio. Quod igitur in illo diversis temporibus exstitit, prius bonum et posterius malum ; hoc in Ecclesia in isto adhuc sæculo simul uno tempore ostenditur. Nam bona illius, bonos Ecclesiæ : mala autem illius, malos Ecclesiæ significare puto, tanquam in unitate illius areæ. Sicut in illo uno homine bonos in granis, malos in paleis : aut in unitate unius segetis, bonos in tritico, malos in zizaniis.

« Factum est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem, et invenit eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio novo. Erant autem duo tantum in agro. Apprehendensque Ahia pallium suum novum quo opertus fuerat, scidit in duodecim partes et ait ad Jeroboam : Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. Porro una tribus remanebit ei propter servum meum David, ei Hierusalem civitatem quam elegi ex omnibus tribubus Israel, » etc. Illud quod post mortem Salomonis decem tribus a domo David, et a templo separatæ sunt et duæ relictæ, satis indicat quod de tota illa gente Apostolus ait : « Reliquiæ propter electionem gratiæ salvæ factæ sunt (*Rom.* IX). » Jeroboam vero qui decem tribus a domo David et a templo Dei separans ad idololatriam perduxit, significat hæreticos qui dissensionem amant, et unitatem fidei catholicæ hæresibus scindunt, ac sic cultui malignorum spirituum subsequentes tradunt. Interpretatur Jeroboam, dijudicans populum. Nam et hæretici dijudicare populum videntur, cum erroris sui sequacem faciunt. Cui rei bene conveniunt verba prophetæ Ahiæ Silonitis, qui missus est ad Jeroboam ita dicens :

« Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum Salomonis, et dabo tibi decem tribus. Porro una remanebit ei propter servum meum David, et Jerusalem civitatem quam elegi ex omnibus tribubus Israel. » Decem enim scissuras Jeroboam accepit, cum legis præcepta violanda corripuit. Et una tribus cum sobole David remansit, dum sors electorum juxta Apostoli doctrinam, in regula fidei catholicæ remansit. « Quia unus Dominus, una fides, unum et baptisma (*Ephes.* IV). » Denique Roboam, filius Salomonis (*III Reg.* XIV), qui utili seniorum consilio relicto, adolescentium consilium secutus est, licet de domo David fuerit, tamen in via ejus non gradiebatur. Fecit enim Judas (Scriptura teste) in illis diebus malum coram Domino, et irritaverunt eum super omnibus quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverant. Ædificaverunt autem et ipsi sibi aras et statuas et lucos super omnem collem excelsum, et subter omnem arborem frondosam. Sed et effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel. Significat igitur malos rectores in Ecclesia, qui terrenis cupiditatibus dediti, negligunt curam habere subditorum et delectantes in multitudine sibi obsequentium, nec tamen condignam habent sollicitudinem sibi commissorum. Interpretatur autem Roboam *latitudo populi*. Et bene latitudo populi nominari possunt qui latam et spatiosam viam gradientes, per quam multi vadunt ad mortem, angustam viam quæ paucorum est, et ad æternam vitam ducit (*Matth.* VII), ingredi detrectant : relicto que sanctorum Patrum consilio, quorum dicta et exempla ad celsitudinem tendunt perfectionis, eligunt juvenum obtemperare præceptis, hoc est, eorum qui juvenilibus desideriis mancipati laudibus iniquis et adulationibus eos gravant, et fit in eis quod per prophetam dicitur : « Qualis populus, talis est et sacerdos. Omnes enim a minimo usque ad maximum avaritiæ student, et cæci cæcis ducatum præbentes in foveam perditionis pariter cadunt (*Jer.* VI. *Matt.* XV). » Quibus comminatur sapientia Dei dicens (*Eccl.* X) : « Væ tibi terra cujus rex puer est, et cujus principes comedunt. » Et econtrario de sanctorum populo, et rege eorum Christo laudando subsequitur, dicens : « Beata terra cujus est rex nobilis, et cujus principes vescuntur in tempore suo, quia omnia quæcunque fecerint prosperabuntur. »

CAPUT XIII.

« Ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare, et thus jaciente. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait : Altare, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur Domini David Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum incendet super te, » et reliqua. Igitur propheta qui a Deo missus fuerat in Bethel, ut increparet Jeroboam super idololatria quam gessit, et a falso propheta seductus. comedit ibi et bibit contra præceptum Domini, et propterea a leone in via occisus est : quid significat nisi qui in prosperis elevatur corde ? ita ut præcepta Domini contemnat a « leone qui circuit rugiens quærens quem devoret (*I Petr.* V.), » dente persuasionis malignæ laniatus, per consensum peccati interficitur : ac per hoc necessarium est semper quærere auxilium omnipotentis Dei, atque defensionem ipsius, ex toto corde sperare in misericordia ejus. Quid enim est homo, cujuslibet sit meriti, si Conditoris sui protectione deseratur ? Quia nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur : sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo, quam sine illa nihil scit, ostendatur. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per adversa insinuat, quæ nescientes nos in prosperis portat, quia destituti dum cadere incipimus, et tamen adjuti retinemur, et doctrina fit, quod in lapsu trepidamus et custodia quod in statu permanemus. Nemo ergo se alicujus virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter poterit, quia si divina eum protectio deserat, ibi repente enerviter obruitur ubi se valenter stare gloriatur. Quid est enim quod vir Dei contra altare Bethel ad prophetandum directus, præsente rege, auctoritatem liberæ vocis exercuit, ejusdemque regis extensum brachium in rigore mirabiliter astrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit, cujus in domo invitatus comedere noluit, quia ne in via comederet, prohibitionis Dominicæ præcepta servavit. Qui tamen in eadem via et seductus comedit et pastus interiit. Qua in re quid subtili consideratione colligimus, quid (ut ita dixerim) formandum suspicamur, nisi quod forsitan apud se-

metipsum tacitus, et pro præceptis Dominicis regem se contempsisse gloriatus, ab interna mox soliditate quassatus est, et inde ei in opere culpa subripuit, unde sibi gloria in corde subrepsit? ut prophetæ falsi verbis deceptus disceret, quia nequaquam propriæ fortitudinis fuerit, quod ad regis verba restitisset. Bene autem et ejus ore mortis sententiam accepit, cujus seductione a vitæ præceptis deviavit, ut inde pœnam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisisset. Hic autem manifeste ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo qui viventem præsumpsit occidere, ausus contingere non est occisum. Qui enim occidenti habuit potestatem, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit. Quia is cui culpa in vita fuerit punita, erat jam justus ex morte. In hoc facto ostenditur, quod nemo se alicujus virtutis æstimare debet, etiam eum quid fortiter (sicut dictum est) poterit. Iste enim quia præceptis Dominicis regem contempsisse gloriatus corruit, ut prophetæ falsi verbis deceptus disceret, quia non propriæ fortitudinis fuerit quod regi restitisset.

CAPUT XIV

« In quinto autem anno regni Roboam, ascendit « Sesac rex Ægypti in Jerusalem, tulit thesauros « domus Domini, et thesauros regios et universa « diripuit. Scuta quoque aurea quæ fecerat Salo« mon, pro quibus fecit Roboam scuta ærea, et « tradidit ea in manum ducum scutariorum, et « eorum qui excubabant ante ostium domus Regis. « Cumque ingrederetur rex in domum Domini, « portabant ea qui præeundi habebant officium, et « postea reportabant ad armamentarium scutario« rum, » et reliqua. De quo rege in libro Paralipomenon plenius narratur, ubi hoc modo legitur (II *Par.* XII) : « Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem, quia peccaverunt Domino, cum mille ducentis curribus, et sexaginta millibus equitum. Nec erat numerus vulgi qui venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet et Troglodytæ Æthiopes, cepitque civitates munitissimas in Juda, et venit usque Jerusalem. Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam et principes Juda, qui congregati fuerant in Jerusalem fugientes Sesac, dixitque ad eos : Hæc dicit Dominus : Vos reliquistis me, et ego reliqui vos in manu Sesac. Consternatique principes Israel et rex dixerunt : Justus est Dominus. Cumque vidisset Dominus quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens : Quia humiliati sunt, non disperdam eos : daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. Verumtamen ei servient ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum. Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Jerusalem sublatis thesauris domus Domini et domus regis, omniaque secum tulit, et clypeos aureos quos fecerat Salomon, pro quibus fe-

A cit rex æneos, et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii. » Quid ergo per figuram hoc insinuat, quod propter peccatum Roboam Sesac rex Ægypti de domo Domini thesauros abstulit, et thesauros regios, nisi quod mali rectores propter negligentiam suam regem Ægypti, hoc est, principem tenebrarum in Jerusalem typicam provocant, in Ecclesiam videlicet sibi commissam : ubi ipsi ad tempus dominari videntur, qui thesauros domus Domini et thesauros regios aufert, cum scientiam sanctarum Scripturarum simul et opera virtutum ab incautis et desidiosis abstrahit? Sesac ergo *byssus cilicii* sive *gaudium cilicii* interpretatur. Et quia byssus subtilitatem significat, cilicium vero, quod de caprarum setis

B conficitur, peccata, quid melius in bysso cilicii, quam versutia fraudis diabolicæ, in persuasione peccatorum accipi potest? Sesac enim Jerosolymitanas opes aufert, cum diabolus qui callide decipit, et gaudet in multitudine peccatorum ecclesiasticos quosque a scientia spirituali, et opere virtutum deprædat, eosque qui videbantur in Ecclesia decori esse, spoliatos secum in barathrum perditionis suæ demergit, necnon et illud quod idem rex scuta aurea quæ fecerat rex Salomon abstulit pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea et tradidit ea in manu ducum scutariorum, ad eumdem sensum respicit. Salomon enim scuta aurea condens custodibus domus suæ dedit, cum Redemptor noster spiritualem scientiam per duo testamenta doctori-

C bus Ecclesiæ ad tuendam plebem suam commendavit. Hanc antiquus hostis per incuriam rectorum abstrahit, quia cum intenti sunt rebus terrenis minusque curam de cœlestibus officio pristino et scientia denudatos, quasi in domo propria opibus spoliatos, dereliquit. Denique tales cum sensu spiritali privatos, se conspiciunt, per eloquentiam verborum copiam quærunt quatenus eorum sonoritate, velut scutorum æreorum firmitate, tutamen contra hostes pro subjectis sibi opponant. Sed quanto æs est vilius metallo auri, tanto inferior est vana eloquentia veræ eloquentiæ fructu. Unde per quemdam sapientem de eloquentia dicitur : « Ubi plurima verba, ibi frequenter egestas (*Prov.* XIII) : » Et in psalmis ita legitur : « Vir linguosus

D « non dirigetur super terram (*Psal.* XIII. » Nam de sapientia ita scriptum est. « Sapientia pretiosior est cunctis opibus ; et omnia quæ desiderantur, non valent ei comparari. Longitudo dierum in dextera ejus et in sinistra illius divitiæ et gloria (*Prov.* VIII). » Qui vero opportunam defensionem Ecclesiæ vult exhibere contra hæreticos et contra omnes inimicos sapientiæ, utique adminiculo hoc debet perficere. Nec eloquentia aliquid ad hoc sine sapientia proficit, imo plurimum nocet. Porro quod legitur in sequentibus, quod bellum fuerit inter Roboam et Jeroboam, et Asa regem Juda, atque Baasa regem Israel cunctis diebus eorum, non aliud significare puto, quam quod sancta Ecclesia quæ in unitate fidei persistit, bellum habeat semper cum

hæreticis et schismaticis, et omnibus qui violare
contendunt fidem catholicam. « Omnes enim
(ut ait Apostolus) qui pie volunt vivere in Christo,
persecutionem patientur : quia draco antiquus
persequitur mulierem insidians calcaneo ejus, et
ipsa conterit caput ejus (*II Tim.* III). » Asa enim
tollens sive *sustollens*, et Baasa *confusio* vel *sic-
citas* interpretatur. Et bene Ecclesiæ populus tol-
lens sive sustollens dicitur, qui mentem suam
ad superna desideria suspendens, confusionem
terrenarum cupiditatum, cum earum suggestore
diabolo, spernit : ac velut sicca et inutilia con-
temnit.

CAPUT XVI.

« Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium
« Anani contra Baasa, dicens : Pro eo quod exal-
« tavi te de pulvere et posui ducem super popu-
« lum meum Israel, tu autem ambulasti in via
« Jeroboam, et peccare fecisti populum meum
« Israel ut me irritares in peccatis eorum. Ecce
« ego demetam posteriora Baasa, et posteriora do-
« mus ejus, et faciam domum tuam sicut domum
« Jeroboam filii Nabath. Qui mortuus fuerit de
« Baasa in civitate, comedent eum canes, et qui
« mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum
« volucres cœli. » Hæc verba contra omnes pec-
cantes, et contra omnes hæreticos et paganos ma-
xime prolata sunt. Quippe qui peccatis pristinis, pec-
cata semper nova adjiciunt, et malorum exemplis
depravatis visceribus pejores fiunt. « Demetam (in-
quit) posteriora Baasa, et posteriora domus illius et
faciam domum ejus sicut domum Jeroboam filii
Nabath. » Demetit Dominus posteriora Baasa, cum
peccata iniquorum post finem vitæ ulciscitur : de-
metit et posteriora domus ejus, cum imitatores il-
lorum æternis cruciatibus damnat. « Et faciam do-
mum Baasa sicut feci domum Jeroboam filii Na-
bath, » cum peccatores in iniquitate sua perseve-
rantes, simul cum diabolo et angelis ejus, inferni
cruciatibus tradet. Baasa enim (ut diximus) *confu-
sio* vel *siccitas* interpretatur. Jeroboam vero *diju-
dicans populum:* et Nabath, *spontaneum* resonat.
Qui ergo confusiones errorum et peccatorum se-
quitur, et virorum gratiam spiritalem habere ne-
gligens, in ariditate peccatorum usque ad finem
vitæ perseverat, posteriora ejus velut diaboli deme-
tuntur, qui propria voluntate superbiendo sibi mor-
tem generat. Et tunc populum perditorum velut di-
judicare videtur, cum non judicium æquitatis,
sed damnationis in eis exercere dignoscitur. Tunc
enim peccatorum atque omnium iniquorum pos-
teriora demetentur cum capite suo diabolo,
quando judex vivorum et mortuorum in fine
sæculi dicturus est his qui ad sinistram ejus sta-
bunt : « Discedite a me, maledicti, in ignem æter-
num, qui præparatus est diabolo et sociis ejus.
Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem
in vitam æternam (*Matth.* XXV). » — « Qui mor-
tuus (inquit) fuerit de Baasa in civitate, come-
dent eum canes, et qui mortuus fuerit ex eo in re-
A gione, comedent eum volucres cœli. » Quid est
ergo mortuum esse in civitate, nisi quemlibet fide
tenus in Ecclesia perseverantem, criminibus capi-
talibus obnoxium esse ? In civitate ergo moritur,
qui intra Ecclesiam Dei opera pravitatis exercet.
Ille enim ore canum laceratur, cum sententiis
sanctorum doctorum increpatur arguitur, atque,
damnatur. De quibus videlicet canibus in psalmo
scriptum est : « Ut canes circuibant civitatem
(*Psal.* LVIII). » Canes enim a canendo dicti sunt.
Canum enim consuetudo est, illa loca defendere,
in quibus se norunt alimoniam reperire. Civitas
autem illa, quam canes isti circumeunt, Jerusalem
est, universaliter per mundum diffusa : hanc ergo
circuisse Paulum, salutares generis humani testan-
B tur Epistolæ, quæ per universas gentes velut sacra
divina tonuerunt. O canem istum beatum, qui po-
pulos persequitur infideles, fures abigit, et ovilia
sancta custodit, cujus latratus per totum mundum
quasi gravisona tuba concrepuit. « Qui enim mo-
ritur, ait, ex Baasa in regione, comedent eum vo-
lucres cœli. » Illi enim ex Baasa, hoc ex corpore
diaboli confusione plenissima in regione moriuntur,
qui, extra Ecclesiam separati, idololatriæ aut hære-
sibus ore atque opere nefario deserviunt, hos
enim volucres cœli comedunt, illæ videlicet vo-
lucres, de quibus in Evangelio Dominus dicit
in parabolas sementis, secus viam semen spar-
sum, volucres cœli comedisse (*Matth.* XIII). Tunc
enim istæ volucres eos comedunt, quoniam onus-
C tos peccatis secum ad æternum rapiunt interi-
tum.

« Anno tricesimo primo Asa regis Juda, regna-
« vit Amri super Israel duodecim annis. In Thersa
« regnavit sex annis : Emitque montem Samariæ
« a Somer duobus talentis argenti, et ædifica-
« vit eum, et vocavit nomen civitatis quam
« exstruxerat nomine Somer Domini montis
« Samariæ. » Hoc quomodo factum sit, Josephi
verba manifestant, in quibus ita scriptum est :
Tricesimo autem anno regis Asa, Ambri suscepit
imperium, et tenuit annis duodecim. Quorum sex
quidem annis fecit in Thersa, reliquos autem in
civitate quæ Mare compellabatur, a Græcis au-
tem Samaria. Hic vero nominavit eam Sama-
reton a Samaro quodam, qui ei montem venun-
D dederat, in quo constituerat civitatem. In nullo
autem differebat prioribus regibus, nisi quod
pejor erat.

« Et addidit Achab in opere suo irritans Domi-
« num Deum Israel, super omnes reges Israel, qui
« fuerant ante eum. In diebus ejus ædificavit Ahiel
« de Bethel Jericho, » et reliqua. Quod scriptum
est de temporibus regni Achab : « In diebus ejus
« ædificavit Ahiel de Bethel Jericho. In Abiram
« primogenito suo fundavit eam, et in Segub no-
« vissimo suo posuit portas ejus. » Patet sensus,
quia cum præfatæ conditor urbis fundamenta illius
ponere inciperet, primogenitus ejus, qui vocabatur
Abiram mortuus est. Et cum urbe ædificata portas
munire tentaret, novissimum filiorum suo m co-

gnomento Segub amisit. Quod ita futurum Josue eum eam destructam anathemati traderet imprecando prædixit. « Maledictus, inquiens, vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho (*Jos.* VI). » In primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. Quia vero Ahiel de Bethel destructa a Josue atque anathematizata Jericho mœnia restaurat, cum quis eorum qui in Ecclesia habitum religionis assumpserat, ad agenda scelera quæ ei Dominus Jesus in die baptismatis condonaverat, redit : quasque ipse anathematizaverat diaboli pompas, luxuriose vivendo repetit, cum errorum dogmata, vel gentilium fabulas, veritati Ecclesiasticæ qua imbutus est quasi de Bethel egrediens ruinas Jericho resuscitat. Meritoque talis coram Domino maledictus, et primum filiorum in fundatione nefariæ civitatis, et novissimum in portarum positione amittit quia et fundamenta fidei a quibus bona ædificia inchoare, et claustra bonæ actionis quibus perfici debuerat, perdit.

CAPUT XVII.

« Et dixit Elias Chesbites de habitatoribus Galaad « ad Achab : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus « conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi « juxta oris mei verba. Et factum est verbum Do- « mini ad eum, dicens : Recede hinc et vade contra « orientem, et absconde te in torrente Carith qui est « contra Jordanem et ibi de torrente bibes, corvis- « que præcepi ut pascant te ibi. Abiit ergo et fecit « juxta verbum Domini : cumque abiisset sedit in « torrente Carith qui est contra Jordanem. Corvi « quoque deferebant ei panem et carnes mane : « similiter panem et carnes vesperi, et bibebat de « torrente. Post dies autem aliquantos siccatus est « torrens, non enim pluerat super terram. » Priusquam allegorice quid ista significent disseramus, libet inquirere juxta moralitatem, quid est quod ait : « Vivit Dominus in cujus conspectu sto. » Sciendum est quod duobus modis in conspectum Domini venimus, cum in extremo judicio ante tribunal ejus assistimus. Nam quoties Conditoris nostri potentiam ad sensum reducimus, toties in conspectu illius stamus. Unde recte nunc per virum Dei Eliam dicitur : «Vivit Dominus Deus Israel in cujus conspectu sto. » Hic cujus in conspectu Domini stat ut fideliter vivat, illic ut veraciter coronam vitæ accipiat. Thesbi igitur unde Elias Thesbites dicitur, civitas est Galaaditis regionis. Cæterum spiritualiter Elias rectius Dei Filio assimilatus est, cui et auctoritas et nomen veri Dei congruit : Elias enim *Dominus Deus* interpretatur, sive *fortis Deus*, quod nomen substantialiter Dei Filio inest, auctoritatem sibi videlicet faciendi quid velit naturaliter vindicans. De quo per Psalmistam dicitur : « Fortis Dominus, potens in prælio (*Psal.*, XXIII). » Thesbites autem *captivans* sive *convertens* interpretatur, sicut et de Domino scriptum est : « Converte, Domine, captivitatem nostram (*Psal.* CXXV). »

A Et sicut Melchisedech in Scripturis (qui utique typum gessit Salvatoris) origo tacetur, ita et Eliæ, in illius enim præfiguratione genus minime narratur, cum subito nomen illius introducitur, ex qua tribu vel familia ortus sit minime refertur. Torrens Cison qui et Carith interpretatur *cognitio*, sive *concisio*, vel *divisio*, quod Judaico populo congruere certissimum est. Panes vero et carnes ex quibus Elias, ministrantibus corvis, pastus est, opera pietatis et obsequium, quod eidem Domino a fidelibus ex populo Judæorum exhibitum est, præfigurasse non dubium est. Siccatio torrentis abolitionem significat legis, quam, adveniente Salvatore, in carnalibus observationibus defecisse certum est. Nonnulli volunt aliter intelligi, quod

B nobis dissonum esse videtur, quibusdam in locis. Absconditus est (inquiunt) Elias noster in torrente Carith, qui interpretatur *calvus*, et ibi de torrente bibit, cum in calvariæ loco, ubi abscondita est virtus gloriæ ejus, de torrente mortalitatis nostræ Dominus gustavit. Corvi autem pascebant Eliam, deferentes ei panem et carnes mane et vesperi, cum gentilitas de nigredine peccatorum veniens, Christo Domino salutem nostram esurienti, panem fidei et spem resurrectionis per gratiam ejus illuminata offert, mane videlicet, evangelicæ prædicationis. Et item panem et carnes vesperi similiter defert, cum eamdem fidem usque ad finem mundi servans incontaminatam, cum carnis resurrectione venienti judici præsentat. « Post dies autem aliquantos

C « siccatus est torrens, » quia consummato cursu præsentis vitæ, « absorpta erit mors in victoria (*I Cor.* 1). » etiam « ultra mors non erit, neque luctus, neque clamor, quæ prima abierunt (*Apoc.* XXI). » Hanc etenim intelligentiam prudenti lectori relinquimus, si hanc sibi eligere voluerit, quia nobis de corvorum refragare videtur intellectu.

« Factus est igitur sermo Domini ad eum dicens : « Surge et vade in Sarepta Sidoniorum et manebis « ibi. Præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te. » Mittitur Elias pascendus ad alienigenam viduam : hæc igitur vidua gentium designat Ecclesiam, quæ a suo diutius Conditore deserta, populum fidei veræ, et rectæ veritatis nescium, quasi pauperem filium egena stirpe nutriebat, id est verbi fructu ex parte docebat, donec adveniens sermo prophe-

D ticus, qui exsiccato vellere Israelis (ut pote clausa cœli janua) periclitabatur in Judæa, pasceretur ibi, simul et pasceret, et receptus videlicet a credentibus, et reficiens ipse credentes. Unde bene hæc eadem vidua in Sarepta Sidoniæ dicitur esse morata. Sidonia quippe *inutilis venatio*, Sarepta vero *incendium*, vel *angustia panis* interpretatur, quia « ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia (*Rom.* V). » Ubi rebus supervacuis acquirendis, quasi occupandi cura impendebatur, ubi diræ sitis incendium panisque spiritalis antea fiebat angustia, ibi farina oleumque ore prophetico benedicitur. « Quæ volebat duo ligna colligere priusque moreretur. » Non hic solo ligni nomine, sed etiam numero lignorum, signum

crucis exprimitur, quo nobis est panis vitæ præparatus æternæ. Benedicitur farina ejus et oleum, hoc est, gratia corporis Dominici et chrismatis unctio, sive fructus et hilaritas charitatis, quæ cum impenditur, non defecisse dicitur: « Hilarem enim datorem diligit Deus (*II Cor.* IX). » Vidua autem ista quam Dominus non frumenti, sed verbi pane pascebat, eadem ipsa est, de qua dicitur in Psalmis : « Viduam ejus benedicens benedicam (*Ps.* CXXXI, » et reliqua. Illam scilicet, de qua et Paulus ait (*Rom.* VII) : Mortuo viro, quibus volet nuptiis libera est, quia desinente legis littera (cujus finis Christus est) ad gratiæ libertatem transitum faciens, Ecclesia videlicet ad Christum, quasi vidua legis nupsit. Hujus nunc in vasis oleum gratiæ et benedictionis farina non deficit, in omnibus fere gentibus fame manente, quarum cibus vitæ esuriem ac fidei Trinitatis inediam, congrue præfiguravit illa quondam triennio fames.

« Factum est autem post verba hæc, ægrotavit « filius mulieris matrisfamilias, et erat languor « ejus fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam : Quid mihi et tibi, vir « Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur « iniquitates meæ, et interficeres filium meum? « Et ait ad eam : Da mihi filium tuum. Tulitque « eum de sinu illius et portavit in cœnaculum ubi « ipse manebat, et posuit super lectum suum, » et reliqua. Hic actus Eliæ, de suscitato mortuo filio viduæ, apud quam hospitabatur, et cujus benedixit farinæ et oleo, bene exprimit actum Redemptoris nostri, in resurrectione populi ad fidem conversi. Quæ enim hæc vidua melius intelligi potest, quam Synagoga Judæorum, quæ Moysi more viduata filium nutriebat parvulum, hoc est, populum carnalem Judæorum. Hic ergo ad ingressum Eliæ, hoc est, Salvatoris nostri infirmabatur, quia in eum non credendo, sed spernendo, valida febre infidelitatis ægrotavit. Unde et mater ipsa conquerendo de infirmitate pueri, ad prophetam dicit : « Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum? » Cum Synagoga Judæorum de adventu Salvatoris conqueritur, quasi ipse esset causa interfectionis populi Judaici. Hinc est quod Caiphas conspirans de nece Christi, ad turbam ait : « Expedit enim ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem (*Joan.* XVIII, XI). » Sed sicut propheta Dei, verbis viduæ non exasperatus : quin potius misertus ait ad eam :

« Da mihi filium tuum : Tulitque eum de sinu « illius et portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectum suum et expandit se, « atque mensus est super puerum tribus vicibus, « clamavitque ad Dominum et ait: Domine, Deus « meus, revertatur, oro, anima pueri hujus in viscera ejus. » Ita et Redemptor noster non exaspe-

A ratur malitia Judæorum, sed misertus populi credentis, tulit eum de sinu matris, eum eum tulit de carnali observantia legis. « Et posuit super lectum suum, » hoc est, demonstavit ei vitam habere in morte sua. « Expanditque se tribus vicibus, atque mensus est super puerum. » Cum Trinitatis fidem illi prædicando et faciendo insinuabat. Et clamans ad Patrem, dixit : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII). » Etitem : « Pater, inquit, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te : Sicut dedisti ei potestatem, omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII). »

B « Exauditus est autem Elias, et reversa est ani« ma pueri intra eum et revixit. Tulitque illum et « reddidit matri suæ, » Cum Dominus noster po« pulum salvans credentem, signa et miracula os« tendebat incredulis ut agnoscerent veraciter illum vivere, qui credit in nomine ejus. Et sic eveniet, ut verba mulieris admirantis de suscitato puero, plebs Judaica veritate superata, præclamet ad Christum ac dicat : Nunc in isto cognovi, quoniam « vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo ve« rum est. »

CAPUT XVIII.

« Post dies multos verbum Domini factum est ad « Eliam in anno tertio, dicens : Vade et ostende te
C « Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. » Tres anni famis, scientiam sanctæ Trinitatis, populo Judæorum vel in toto mundo defuisse præfigurabant. Sex vero menses ad opus bonum pertinent, quod penitus desierat ab illis, de quibus propheta dicit : « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Abdias princeps exercitus Israel, cujus nomen interpretantur *servus Domini*, illos quodammodo præsignabat, qui ex principibus Judæorum crediderant et erant occulti discipuli Domini, ut Nicodemus et cæteri. Nam quod ait ad populum : « Usquequo claudicatis in duas partes? » ita potest intelligi. Illi enim utroque pede claudicant, qui Deo pariter et diabolo obsequium præstare cupiunt.

« Ivit ergo Elias ut ostenderet se Achab. Erat
D « autem fames vehemens in Samaria. Vocavitque « Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. » et reliqua. Quod autem Elias congregans universum Israel, contra prophetas Baal disceptabat, illisque frustra nitentibus, ipse altare Domini curavit quod destructum fuerat, et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens: Israel erit nomen tuum : » et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini. « Fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu « altaris, et composuit ligna divisitque per « membra bovem, et posuit super ligna, et ait : « Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super « holocaustum et super ligna. Rursumque dixit:

« Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent se- A « cundo, ait : Etiam tertio idipsum facite, fece- « runtque et tertio. Et currebant aquæ circa alta- « re, et fossa aquæductus repleta est, » et reliqua. Quid convenientius figurare potest, quam quod Redemptor noster contra mundi principem ejusque satellites decertans ac superans, altare Domini quod destructum fuerat, hoc est, fidelium suorum corda ab omni labe iniquitatis purgans aram Deo dedicat? Quæ ex duodecim lapidibus constructa esse memoratur, quia ex his, qui propheticam et apostolicam fidem seu doctrinam sequuntur, gratissima Deo ara construitur, in qua quotidie sacrificium laudis in odorem suavitatis offertur. Fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, ex contrito videli- B cet corde, et humiliato spiritu flumina producendo lacrymarum pro timore gehennæ, et desiderio vitæ æternæ. Ibi et composuit ligna, quia et sanctorum dicta et facta ad exemplum, credentibus constituit. Divisitque per membra bovem, et posuit super ligna cum omnes actus suos ad exemplum sanctorum patrum fideles formare docuit. Jussitque super holocaustem et super ligna, semel iterum, atque tertio, aquam infundere : quia omni tempore necesse est nobis verba, cogitatus, atque opera nostra, in pura oratione atque compunctione lacrymarum mundare, et non prius cessare, quam fossæ aquæductus repleantur, id est donec futurum gaudium, præsenti memoriæ succedens perfecte compleatur. Sicque erit juxta id quod sequitur: C

« Ignis de cœlo cadens ad invocationem Eliæ, « voravit holocaustum, ligna et lapides, pulverem « quoque et aquam quæ erat in aquæductu lam- « bens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit « in faciem suam et ait : Dominus ipse est Deus, « Dominus ipse est Deus. » Quando discrimen superni judicis dicta et facta, ac totam vitam nostram perfecte examinans, probandos nos sicut igne probatur argentum, immortales ac beatos factos in sede collocabit perpetua : ut ad instar virorum Israelitarum in æternum gratulando canamus : « Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos et non ipsi nos. Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus (*Psal.* XCIX). » Mundato itaque altari Domini, et consumptis holocaustis, dixit Elias propheta Dei D ad populum.

« Apprehendite omnes prophetas Baal, et ne « unus quidem fugiat ex eis. » Quos cum comprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, qui interpretatur *duritia eorum*, et interfecit eos ibi. Sic quoque Redemptor noster, adveniente die judicii, mittet angelos suos et colligent omnia scandala de regno ejus, et eos qui operantur iniquitatem, et mittent eos in stagnum ignis et sulphuris, ubi est bestia et pseudoprophetæ, ubi et missus est diabolus qui deducebat eos, et cruciabuntur ibi secundum duritiam et impœnitens cor eorum, die ac nocte in sæcula sæculorum.

« Post hæc Elias ascendit in verticem Carmeli et « protinus in terram posuit faciem inter genua « sua, et dixit ad puerum suum : Aspice et ascen- « de contra mare. Qui cum ascendisset et contem- « platus esset, ait : Non est quidquam. Et rursum « ait illi : Revertere septem vicibus. In septima « autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari, » et reliqua. Quid in hac re significatur, nisi quod nascente Dei Christo Filio inter homines, et teneritudinem carnis nostræ accipiente, postquam mortem gustavit, et victor de mundo ad cœlos ascendit, imbrem gratiæ divinæ per septiformem Spiritum de supernis ad terras misit, qui nos a peccato mundaret, et spiritales fructus gignere faceret.

CAPUT XIX.

« Timuit Elias et surgens abiit quocunque eum « ferebat voluntas. Venitque in Bersabee Judæ, et « dimisit ibi puerum suum, et perrexit in desertum « viam unius diei. Cumque venisset et sederet su- « bter unam juniperum, petivit animæ suæ ut mo- « reretur, et ait : Sufficit mihi, Domine, tolle ani- « mam meam, neque enim melior sum quam pa- « tres mei. Projecitque se, et obdormivit sub um- « bra juniperi, » et reliqua. Sancti viri qui, sublevante Spiritu, ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt. Sed ne extollantur superbia, etiamsi sit in eis ipsarum quædam mensura virtutum. Hinc est enim quod Elias dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Jezabel postmodum, quamvis reginam, tamen mulierculam fugit. Perpendo quippe hunc miræ virum virtutis ignem de cœlo trahere, et secundo quinquagenarios viros, cum suis omnibus petitione subita concremare, verbo cœlos a pluviis claudere, verbo cœlos pluviis aperire, suscitantem mortuos, ventura quæque prævidentem, et ecce rursus animo occurrit, quo pavore ante unam mulierculam fugit. Considero virum timore perculsum de manu Dei mortem petere nec accipere, de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem fugere, dicens : « Sufficit mihi, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei, et obdormivit sub umbra juniperi. » Unde ergo sic potens, ut tot illas virtutes faciat? Unde sic infirmus, ut ita feminam pertimescat? nisi quia dispensationes superni nutus, mensura occulti libraminis appenduntur, ut ipsi sancti homines et multum valeant per potentiam Dei, et rursum quadam mensura moderati sint per infirmitatem suam. In illis virtutibus Elias quod de Deo acceperat, in istis infirmitatibus, quid de se poterat agnoscebat. Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis. In illis virtutibus ostendebat quod acceperat, in istis infirmitatibus hoc quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias, in infirmitatibus servabatur.

« Et ecce angelus tetigit eum, et dixit illi : Surge,

« comede. Respexit, et ecce ad caput suum subci- « nericius panis, et vas aquæ. Comedit ergo et bi- « bit, et rursum obdormivit. Reversusque est an- « gelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque « illi : Surge, comede. Grandis enim tibi restat via. « Qui cum surrexisset comedit et bibit, et ambula- « vit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus « et quadraginta noctibus usque ad montem Dei « Horeb, » et reliqua. Quid ergo hic Elias bis pastus ab angelo exprimit, nisi naturæ infirmitatem? Quibus non sufficit simplex pastus, sed duplex, quatenus ad superna valeamus ascendere. Sicut enim corpus sine alimento corporali subsistere nequit, ita nec anima vivere potest sine verbo Dei. Angelus enim qui Eliam pavit, quem congruentius quam ipsum summi consilii angelum significat, cujus ope tam in corporali quam etiam in spiritali natura subsistimus? Ambulavit enim Elias postquam surrexerat a somno, et comedit et bibit, in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. Sic et nos dum inertiæ somnum a nobis excutimus, necesse ut divino solatio confortati gressum bonorum operum per omne tempus vitæ præsentis summopere continuemus festinemusque ascendere in montem Dei, et in locum sanctum ejus, ut ibi requiem inveniamus æternam.

« Cumque venisset illuc, mansit in spelunca. Et « ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic « agis, Elia? At ille respondens ait: Zelo zelatus sum « pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt « pactum tuum filii Israel. Altaria tua destruxerunt, « et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus « sum ego solus, et quærunt animam meam ut « auferant eam. Et ait ei : Egredere, et sta in monte « coram Domino. Et ecce Dominus transiit, et spi- « ritus grandis et fortis subvertens montes, et con- « terens petras ante Dominum. Non in spiritu Do- « minus. Et post spiritum commotio. Non in com- « motione Dominus. Et post commotionem ignis. « Non in igne Dominus. Et post ignem sibilus au- « ræ tenuis. Quod cum audisset, Elias operuit vu- « ltum suum pallio, et egressus stetit in ostio spe- « luncæ, et ecce vox ad eum, dicens: Quid hic agis, « Elia ? Et ille respondit : Zelo zelatus sum pro « Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pa- « ctum tuum filii Israel. Altaria tua destruxerunt, « et prophetas tuos occiderunt gladio et derelictus « sum ego solus, et quærunt animam meam ut « auferant eam. Et ait Dominus ad eum: Vade et re- « vertere in viam tuam per desertum in Damascum. « Cumque perveneris illuc, unges Hazael regem « super Syriam, Jehu filium. Nam si unges regem « super Israel : Eliseum autem, filium Saphat, qui « est de Abelmehula, unges prophetam pro te, » et reliqua. Spiritus autem Domini montes evertit, et petras conterit, quia pavor, qui ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquefacit. Sed in Spiritu commotionis et ignis non esse dominus dicitur : esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum cum mens contemplationis sublimitate suspenditur quidquid perfecte conspicere prævalet, Deus non est. Cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est, quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ percepimus, cum saporem incircumsciptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus, tunc ergo verum est, quod de Deo cognoscimus cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Unde bene illic subditur : « Quod cum audisset Elias, operuit vultum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ, et ecce vox ad eum dicens : Quid hic agis, Elia ? » etc. Post auræ tenuis sibilum vultum suum propheta pallio operuit, quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo tegatur agnoscit. Vultui namque pallium superducere est, ne altiora mens quærere audeat, hanc considerationem propriæ infirmitatis velare, et nequaquam intelligentiæ, oculos, ultra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc quod apprehendere non valet, reverenter claudat. Qui hæc agens, in speluncæ ostio stetisse describitur. Quid namque spelunca nostra est, nisi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetustate retinemur ? Sed cum aliquid percipere de cogitatione divinitatis incipimus, quasi jam in speluncæ nostræ ostio stamus. Quia enim progedi profecte non possumus, ad cognitionem tamen veritatis inhiantes, jam aliquid de libertatis aura captamus. In ingressu ergo speluncæ stare, est represso nostræ corruptionis obstaculo, ad cognitionem veritatis incipere exire. Unde et nube in tabernaculo descendente, Israelitæ e longinquo cernentes, in papilionum suorum ostiis stetisse memorantur, quia hi adventum Divinitatis utcunque conspiciunt, quasi jam ex habitaculo carnis procedunt. « Et ecce vox ad Eliam, dicens : Quid hic agis, Elia ? Et ille respondens ait- Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel. Altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærant animam meam ut auferant eam. Et ait ei: Egredere, et sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transiit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio. Non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis. Non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset, Elias operuit vultum suum pallio, » etc. Certum est quod cordis sui oculum per elationis tenebras exstinguit, qui cum recta agit, considerare meliorum merita negligit. At contra, magnæ humilitatis radio semetipsum illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat, quia dum ea, quæ ipse fecerit, facta foris et ab aliis videt ac conspicit, eum qui de singularitate intus erumpere nititur superbiæ tumorem premit. Hinc est quod voce Dei ad Eliam solum se æstimantem, dicitur: « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal (*Rom.* XI) : » *ut cum non solum* se remansisse co-

gnosceret, elationis gloriam quæ ei de singularitate surgebat, inclinaret. Propheta nempe erat, et sæpe mysteria superna cognoverat : quid ergo difficile fuit agnoscere in hoc mundo fideliter Deo famulos remansisse ? Sed hic solerter intuendum est, oculum cordis elatio quam nequiter claudat, quando qui humilis et occulta Dei noverat, elatus et aperta nesciebat. « Et ait Dominus ad Eliam : Vade et revertere in viam tuam per desertum Damasci. Cumque perveneris, unges Hazael regem super Syriam et Jehu filium. Nam si unges regem super Israel, Elisæum autem, filium Saphat, qui est de Abelmehule, unges prophetam pro te. Et erit, quicunque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu : et quicunque fugerit gladium Jehu interficiet eum Elisæus, » et reliqua. Hoc non ita accipiendum est, quod propheta Dei Elisæus homicida futurus sit et tyrannus, sed magis spiritaliter intelligendum, quia justitia divina quæ singulis reddit secundum opera sua, punit peccata hominum, aliquando manifesta ultione, aliquando occulto judicio. Vindicat per reges et duces, vindicat per prophetas et sacerdotes cum alio nocentes facit plecti mucrone, alios transverberat gladio linguæ. Unde David et Salomon, et cæteri reges pœnam æris exigebant, cum eos trucidari jubebant. Et item alibi scriptum est de superborum et inobedientium pœna : « Dolavi eos (inquit) in prophetis et occidi eos in verbis oris mei (*Ose.* VI).

« Profectus ergo inde Elias, reperit Elisæum, filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum, « et ipse in duodecim arantibus unus erat. Cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum, » etc. Igitur profectus Elias reperit Elisæum, filium Saphat arantem in duodecim jugis boum, cum Redemptor noster descendens de cœlo, divino judicio acquisivit populum adhuc terrenis operibus inhiantem, in quo salutem fecit, cum eum ad fidem convertit. Elias enim interpretatur (ut jam diximus) *Dominus Deus :* Saphat, *judicantis* : et Elisæus *Dei mei salus.* Jam mirabiliter super quem propheta pallium suum misit, cum illum Dominus fide catholica induit. « Omnes, ait Apostolus, qui in Christo baptizati estis Christum induistis (*Gal.* III). »

« At ille statim relictis bobus, cucurrit post Eliam « et ait : Osculer, oro te, patrem meum et matrem « meam, et sic sequar te. » Quia mox ut electorum chorus audivit loquentem per Evangelium Dominum : « Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*Luc* XXIV), » statim cessavit terrenis lucris inhiare, sæcularibus desideriis deservire. Totum se contulit ad servitium Christi, nec tamen aliis verbum vitæ prædicare desinit. Hoc enim osculari patrem cum quoscunque possit, sive de Judæis, sive de gentibus velle sermone corrigere.

« Tulit itaque Elisæus par boum et mactavit « illud, et in aratro boum coxit carnes et dedit « populo, et comederunt. » Cum populus christianus carnalia desideria mactans, totum exercitum suum in opus evangelizando convertit, unde sufficientem pastum auditoribus suis præbere possit. Ipse vero sequitur nostrum Eliam et ministrat ei, qui vestigia ejus sequens, hoc est, mandata illius fideliter observans, ministerium ei bonorum operum condigne exhibere satagit.

CAPUT XX.

« Porro Benadab rex Syriæ congregavit omnem « exercitum suum et triginta et duos reges secum « et equos et currus, et ascendens pugnabat contra Samariam et obsidebat eam, » et reliqua. Quod Benadab rex Syriæ, obsidens et impugnare incipiens Samariam, ait :

« Hæc faciant mihi dii, et hæc addant si sufficerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me. » Hunc habet sensum : Samaria necesse est, juxta morem civitatum ut haberet terram interius propter muros, ipsis pene muris æqualem, ne videlicet eos sine subsidio terræ adjacentis erectos, creber insistente manu hostili dejiceret ictus arietis. Extrinsecus autem murorum altitudo longe superficiem terræ transcenderat, maxime cum in montis verticem (ut Scriptura refert) fuerit urbs eadem posita. Ait ergo rex superbus obsessam terrens civitatem, quod tantum haberet secum exercitus multitudinem, ut etiam si quisque militum ejus, unum solummodo lapidem vel cespitem, vel stipitem ad construendum contra urbem aggerem apportasset, agger exsurgeret qui superficiei civitatis ipsius, quæ erat intra muros, esse videretur æqualis, ita ut ex æquo pugnantes contra civitatem tela vel faces mittere possent. Cujus temeritatem arrogantiæ modesto sermone compescens rex Israel ait :

« Dicite ei : ne glorietur accinctus æque ut discinctus. » Aliud est enim accinctus, alius discinctus, alius non accinctus. Accinctus nam quod est qui cingulo circumdatus incedit. Discinctus, qui cingulum nuper deposuit. Verbi gratia balneum intraturus, vel lectum ascensurus, vel ad terram forte tunicam induturus. Non accinctus qui super tunica indutus necdum se abdita zonæ circumpositione munivit. Sic ergo in expeditione castrensi, qui positus est recte accinctus nominatur, id est armis indutus. Qui pugna confecta victor domum redit, jure discinctus vocatur : quia nimirum depositis armis optatæ pacis otium gerit. Qui vero necdum pugnare, neque se ad certamen parare jam cœperat, merito non accinctus esse dicitur. Ait ergo rex Israel, regi Syriæ glorianti, quasi jam cepisset Samariam, quam obsidere cœperat : « Ne glorietur accinctus, quæ ut discinctus. » Ac si aperte dicat : Noli gloriari quasi jam victor bellici discriminis, qui adhuc in acie positus, quem victoria sequatur ignoras. Et verum profecto dicebat : Nam mox inito certamine, Benadab non victis adversariis triumphans, sed cœlo suo exercitu fugiens domum rediit. Mystice autem Benadab hostis Israel significat diabolum, omnium bonorum inimicum, qui diversos exercitus malignorum spirituum ad subvertendum populum Dei con-

trabit. Sed per pueros principum Israel vincitur, cum per bonos auditores sanctorum doctorum, quidquid aure audiunt, factis implere nituntur. Antiquus hostis in fugam vertitur omnisque suus exercitus a militibus Christi proturbatur. Qui bene ducenta millia et triginta duo esse dicuntur, quia hi qui utriusque testamenti scientiam perfecte tenent, et Trinitatis fidem cum gemina charitate Dei videlicet et proximi conservant, apti per omnem modum militiæ summi regis esse comprobantur.

« Fugit quoque Benadab rex Syriæ in equo cum « equitibus. Nec non egressus rex Israel percussit « equos et currus, et percussit Syrum plaga ma« gna. » Quid est quod Benadab, rex Syriæ, in equo cum equitibus fugere describitur, nisi quod princeps omnium iniquorum diabolus, quorum oculi sublimes sunt? Syrus enim interpretatur *sublimis*, in equo suæ superbiæ, considens, cum equitibus suis, scilicet omnibus superbis, quia ipse est caput super omnes filios superbiæ, ab exercitu Christi, hoc est, humilibus et Deum timentibus superatus, in fugam vertitur. Et rex Israel percutit equos et currus, quia de ipso Rege regum scriptum est, quod currus Pharaonis et exercitum ejus, equum et ascensorem ejus submersit in Rubro mari : dum nequitias spiritales cum vero Pharaone, antiquo videlicet hoste, aqui baptismatis obruit humani generis delendo peccata.

« Accedens autem propheta ad regem Israel, dixit « ei : Vade et confortare, et scito et vide quid fa« cias. Sequenti enim anno rex Syriæ ascendet « contra te. Servi vero regis Syriæ dixerunt ei : Dei « montium sunt dii eorum, ideo superaverunt « (*Exod.* XV), » et reliqua. Quod Benadab, rex Syriæ semel victus, iterum instaurat prælium contra Israel, significat diabolum a malitiæ suæ intentione nunquam cessare. Qui licet a sanctis viris sæpius vincatur, tamen iterum instaurat prælium contra illos. Et dum uno modo vincitur, alio statim vincere conatur. Hinc est quod servi regis Syriæ dixerunt ei : « Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos. Sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos. » Quia maligni semper dolose sentientes : si spiritalibus vincuntur, in corporalibus bellum præparare contendunt. Hoc quoque diabolus, hoc et totus exercitus ejus maxime satagunt, ut animas hominum de supernis ad ima præcipitent, quo facilius eos vincere possint. Si viderint eos cœlestia desiderare, terrena et caduca ad amandum ingerunt. Si viderint illos prosperitate concessa Deo gratias agere, student ut per adversa frangantur. Sed sicut regis Syriæ et servorum ejus non convenit dictio cum opere : quia ubi se superare posse confidebant, ibi superati sunt : ita et princeps mortis sæpe ibi vincitur, cum exercitu suo, ubi se æstimat vincere posse : « Quia infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia : et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I). » Tentabat igitur antiquus hostis beatum Job, et dum sibi substantiam ejus et filios tradi a Domino expeteret, ut per hoc ejus animum subverteret, nec tamen in hoc prævaleret ad extremum, ut in ipsum sibi potestas daretur, postulavit. Quo concesso, quasi mox victor existeret carnem ejus gravi ulcere vulneravit. Sed quo vehementius de prosperitate in dolore per depositum persequebatur, eo validius per patientiam ipsius prosternebatur. Et paulo apostolo datus est stimulus carnis suæ angelus Satanæ, ut eum colaphizaret : quatenus virtus in infirmitate perficeretur (*II Cor.* XII).

« Tunc vir quidam de filiis prophetarum, dixit « ad socium suum in sermone Domini : Percute « me. At ille noluit percutere. Cui ait : Quia noluis« ti audire vocem Domini, ecce recedes a me, et « percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab « eo, invenit eum leo atque percussit. Sed et alte« rum conveniens virum, dixit ad eum : Percute « me. Qui percussit eum et vulneravit. Abiit ergo « propheta, et occurrit regi in via, et mutavit as« persione pulveris oculos suos. Cumque rex tran« sisset, clamavit ad regem, et ait : Servus tuus « egressus est ad præliandum, » et reliqua. Porro hoc de hac eadem re Josephus taliter refert : Interea quidem propheta, nomine Micheas, accedens ad unum Israelitarum, petiit ut eum in capite pro voluntate Domini percuteret. Cui nolenti prædixit ei, eo quod inobediens esset Deo, ejusque præcepto, leone occurrente, perimeretur. Quod dum illi homini contigisset, accessit propheta rursus ad alium, et idem ut faceret imperavit. Quid dum percussisset eum, et ejus verticem cruentasset alligato capite accessit ad regem, dicens ei : Quod dum esset in exercitu constitutus, accepisset a quodam tribuno servandum captivum, sibique ab eo dictum, ut si captivus fugeret, ipse moreretur. Quo fugiente, is, qui eum tradiderat, mortem ei minaretur inferre. Dum respondente Achab mortem ei imminere justissimam, solvit caput, et agnitus est Micheas esse propheta. Hac enim parabola utebatur propter sermones quos erat ei dicturus. Ait namque quomodo Deus ei concessisset, ut supplicium hostis evaderet : ipse inimicum ejus Benadab qui Deum blasphemaverat, dimisisset et propterea Deus decrevisset, ipsum quidem ab illo perimi, populum vero ab exercitus invasione consumi. Iratus vero Achab prophetam illum quidem clausum servari jussit. Confusus autem Michææ sermonibus ad suam domum remeavit. Secundum leges vero tropologiæ maxime providendum est servis Dei, ne secundum exemplum Achab regis Israel, perniciosa securitate sibi blandiantur quandiu hostis vivit ne dum se quasi victores perpetuos arbitrentur, per fraudem diaboli pacem promittentis, citius elidantur. Quia sicut tunc propheta prædicto regi pro inconsiderata pietate pronuntiavit citius justam affore ultionem, ita nunc propheticus sermo prænuntiat, si paciscamur cum diabolo, æternam nobis pro hoc imminere pœnam.

CAPUT XXI.

« Post verba autem hæc, vinea erat Naboth Jez« raelitæ qui erat in Jezreel juxta palatium Achab

« regis Samariæ. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam « mihi hortum olerum, quia vicina est et prope « domum meam. Daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. Cui respondit Naboth: « Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem « patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum « suam, indignatus et frendens super verbo quod « locutus fuerat ad eum Naboth Jezraelites, dicens: « Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum, » et reliqua. Narrat Scriptura quod Achab rex concupiverit vineam Naboth Jezraelitæ, quæ erat in Jezrael juxta palatium regis, ut faceret ibi in ea hortum olerum. Quo nolente eam illi dare, per consilium impiissimæ uxoris ejus, videlicet reginæ Jezabel, idem Naboth, subintroductis falsis testibus, lapidatus est, et mortuus, ejusque vinea direpta a rege et possessa est. Quis ergo iste Naboth Jezraelita fuerit, et quæ ejus vinea consideremus. Interpretatur ergo Naboth *conspicuus*, sive *possessio;* Jezrael, *honestas Dei*, sive *semen Dei*. Et quem melius honestatem, vel semen Dei dicere possumus, quam Filium Dei, qui est splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, quem constituit Deus hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. Ad quem Psalmista deprecans, ait: « Qui sedes super cherubim, appare coram Ephraim, Benjamin et Manasse. Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos (*Psal.* LXXIX). » Iste Naboth habuit vineam de qua Isaias plenissime per canticum loquitur ad extremum inferens. Vinea Domini sabaoth domus Israel est. Et in Psalmo: « Vineam, inquit, de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes et plantasti eam (*Ibid.*) » Cui septem circumdedit, ut in Evangelio legitur, id est vel murum urbis, vel Angelorum auxilia. Et fodit in ea torcular, aut altare, aut illa torcularia quorum et tres psalmi titulo prænotantur, id est octavus et octogesimus sextus. Et ædificavit turrim hanc, haud dubium quin templum, de quo dicitur per Michæam: « Et turris nebulosa filia Sion (*Mich.* IV). Et locavit eam agricolis, quos alibi vineæ operarios appellavit vel colonos. Hanc vineam concupivit Achab qui interpretatur *frater patris*, populus videlicet Judaicus, de quo Christus carnem assumere dignatus est, ut fecisset in ea hortum olerum, hoc est ut ubi virgultum gratiæ spiritalis germinare debuit, ibi fragilia quæque dogmata per pharisaicam superstitionem transplantaret. Sed Naboth hanc vineam dare nolenti, id est Christo Pharisæorum superstitionibus non consentienti, impia uxor Jezabel insidiata est, quæ interpretatur *cohabitatrix* sive *fluxus vanus*, quod bene convenit Synagogæ, quæ habitare videbatur in domo Domini, sed per varia desideria vanitatis defluebat.

« Misit ergo Jezabel litteras ad majores natu, « et ad optimates qui erant in civitate, ut, subintroductis falsis testibus, testimonium falsum contra Naboth ponerent, quod benedixisset Deum et regem, et sic eductum de civitate lapidarent ut « moreretur. » Cum Synagoga per pontifices, scribas, et pharisæos meditata est mortem Christi, de qua scriptum est in Evangelio: « Principes autem sacerdotum, et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud (*Matth.* XXVI). » Duo ergo falsi testes contra Naboth falsum testimonium dicebant, quod benedixisset Deum et regem: et Judæi per duos falsos testes Christo opponebant, quod potentiam et naturam sibi divinitatis ascriberet. Unde Pilato ad Judæos ita dicente: « Accipite eum vos, et crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. » Responderunt ei Judæi: « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori: quia Filium Dei se fecit. »

« Lapidatus est itaque Naboth extra civitatem, « instigante Jezabel, ut eo mortuo, Achab vineam ejus possideret. » Sic et Salvator extra portam passus est, crucifixus videlicet in loco Calvariæ, excitante per zelum Synagoga populum, ut peterent mortem Christi, quatenus, eo occiso, securius viverent. Unde quasi sibi consulentes, aiebant: « Ecce mundus totus post eum abiit. Et si dimittimus eum sic, omnes credent in eum (*Joan.* II). » Hæreditas ergo Christi Ecclesia est, conjunctis ei data est de gentibus, quam non moriens illi pater reliquit, sed ipse sua morte mirabiliter acquisivit, quia resurgendo possedit. Hanc autem, occiso eo, mali coloni præripere moliebantur, cum crucifigentes eum Judæi, fidem quæ per eum est, exstinguere, et suam magis quæ ex lege est, justitiam præferre, ac gentibus imbuendis conabantur inserere. Extra vineam hæres vineæ trucidatur (*Matth.* XXI), quia Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est. Et bene convenit huic mysterio quod in loco hoc quo linxerunt canes sanguinem Naboth, secundum prophetæ sententiam lambebant etiam sanguinem Achab. Et in agro Jezrael canes comederunt carnes Jezabel, quia cum canes illi de quibus scriptum est: « Circumdederunt me canes multi (*Psal.* XXI), » sanguinem Redemptoris nostri lingua venenata expetebant: ipsi etiam a canibus illis, de quibus item Scriptura dicit: « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus (*Matth.* XV), ut nequissimi raptores et scelestissimi possessores vineæ Domini, in eodem loco quo Dominus passus est, trucidabantur, et carnes eorum bestiis et volucribus comedendæ tradebantur. Et ita impia gens illa, quæ in passione Domini profana voce clamabat: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros, » ibidem sanguinem suum fœtidissimum meruit fundi, ubi Salvatorem suum expetebat occidi. Refert quidem Josephus quod ex omni Judæa populi in die solemni paschæ, Hierosolymam velut exitiali quadam manu cogente convenerunt, quos tricies centena millia

hominum dicit fuisse justo, scilicet Dei judicio, tempore hoc ultionis electo, ut qui in diebus Paschæ Salvatorem suum et salutare Christum Domini cruentis manibus et sacrilegis vocibus violaverant, in ipsis diebus velut in unum carcerem omnis multitudo conclusa, feralis pœnæ exitium quod merebatur, exciperet.

CAPUT XXII.

« Vocavit ergo rex Israel eunuchum quemdam, « et dixit ei : Festina adducere Michæam filium « Jemla. Rex autem Israel et Josaphat rex Juda « sedebant, unusquisque in solio suo, vestiti « cultu regio, » et reliqua. Quod autem Michæas vocatus ad regem Israel, ita dicens :

« Vidi Dominum sedentem super solium suum, et « exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinis« tris ejus. Et dictum est : In quo decipiam Achab, ut « ascendat et cadat in Ramoth Galaad. Et dixit alius « ita, et alius aliter. Et egressus unus, dixit : Ego de« cipiam eum. Et dictum est : In quo decipies ? Qui « respondit, dicens : Egrediar et ero mendax spiri« ritus in ore omnium prophetarum ejus. » Quid per solium Domini, nisi angelicas potestates accipimus ? Quarum mentibus Deus altius præsidens, inferius cuncta disponit. Et quid exercitus cœli, nisi ministrantium angelorum describitur ? Quid est ergo quod exercitus cœli a dextris et a sinistris ejus stare perhibetur ? Deus enim qui ita est intra omnia, nec dextra nec sinistra concluditur. Sed dextra Dei pars angelorum electa ; sinistra autem Dei pars angelorum reproba designatur. Non enim Deo solummodo boni qui adjuvent, sed etiam qui redire nolentes gravant. Nec quod cœli exercitus dicitur angelorum pars reproba, intelligi posse prohibetur. Quas enim suspendi in aere novimus, aves cœli nominamus. Et de eisdem spiritibus Paulus dixit : « Contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI) ; » quorum caput enuntians, ait : « Secundum principem potestatis aeris hujus. » A dextra ergo et sinistra angelorum exercitus stat, quia et voluntas electorum spirituum divinæ pietati concordat, et reproborum sensus suæ malitiæ serviens judicio districtionis ejus obtemperat. Unde et mox fallax spiritus in medium prosiluisse describitur, per quem Achab rex exigentibus meritis decipiatur. Neque enim fas est credere bonum spiritum fallaciæ deservire voluisse, ut diceret : « Egrediar et ero mendax spiritus in ore omnium prophetarum ejus. » Sed quia Achab rex peccatis præcedentibus dignus erat, ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque volens caperetur ad pœnam, occulta justitia, licentia malignis spiritibus datur : volentes, ut quos in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. Denique is

A qui vitam reprobam non mutat, et a perpetrandis peccatis animum non avertit, cum a propheta aliquid requirit, illa audit Deo disponente, quæ merebatur audire damnandus. Ecce enim, ut unum vel duo ex multis loquamur, ab omnipotentis Dei cultu domus Israel sub idolorum servitute recesserat, et tamen ad prophetas a quibus decipi consueverat, sæpe veniebat, prospera requirens, cum ex ore prophetarum perversa agens prospera audire merebatur. Quid aliud superna judicia agebant, nisi ut peccator populus in suo corde caperetur, quatenus qui perfidiam sequendo deliquerat, sic prophetarum suorum blandis sermonibus deciperetur, ut jam nec pertimesceret, quia deliquisset : et tanto post durius raperetur ad pœnam,

B quanto nunc securius viveret in culpa ? Sed ecce jam largiente omnipotenti Deo, ab idolorum cultura motum est quamplurimum genus humanum, veram fidem publice fatetur, subdi lignis et lapidibus, vel cuilibet creaturæ in adoratione renuit. Securus jam prophetam quilibet in fide positus consulit, quia hoc auditurus est, quod audire fidelem decet. Fidenter dicam, ab immunditiis aliis atque a pravis actibus recessisset, recessurus esset. Nam cum Paulus egregius prædicator clamet, et « fugit avaritiam in qua est idolorum servitus (*Col.* III), » quisquis adhuc avaritiæ subjectus est, a cultu idolorum liber non est. Si ergo is qui avaritiæ æstibus anhelat, in fide quidem positus esse videtur, sed aliena ambit accipere, honores mundi desiderat

C comprehendere, habere temporalem gloriam concupiscit, atque de hac eadem gloria prophetam consulit : justum valde est, ut ex culpæ suæ merito, a prophetæ ore prospera audiat, quatenus qui verba Dei audire in sacro eloquio noluit, ut terrena despiceret, cœlestia ambiret, illud judice Deo ex prophetæ sui ore audiat, unde amplius obligatus cadat, dum spe terrenæ gloriæ delectatus suis pascitur desideriis, ad ima semper ducatur. Neque enim bonus fuit ille spiritus, qui mendax esse appetiit in ore prophetarum. Unde et præmissum est, quia exercitus cœli stetit a dextris et a sinistris ejus. Deus enim qui incircumscripta est veritas in illa æterna beatitudine, quæ dextera ejus dicitur, sinistram non habet, quia nihil est quod displicere

D possit. Sed quia simul omnia contuetur, simul cuncta aspicit, ea vi, in qua et bonos spiritus, et malos videt : exercitus cœli a dextris et a sinistris habere describitur, ut per dextram intelligamus angelos electos, per sinistram vero spiritus reprobos. Nec movere debet quod exercitus cœli, etiam repulsi angeli vocantur, quia et ipsi, quamvis ab æthereo expulsi sint, adhuc tamen in aereo cœlo demorantur, sicut Paulus ait : « Contra spiritalia nequitia in cœlestibus (*Ephes.* VI). »

IN LIBRUM QUARTUM.

PRÆFATIO.

Tandem aliquando, Domino cooperante, quartum quodammodo navigando appulimus librum, quo valeat quandoque requiem nostra habere manus, quæ ducit oblique remos, per æquora quæque doctorum. Vastum enim ceu transivimus mare, prosperantibus zephyrorum flabris superioris libelli, et Domino flante quodammodo (ut quidam ait), carmina syrenarum surda transnavigavimus aure, nautas imo naucleros, scilicet gnaros maris, qui, afflante Spiritu sancto, pelagus hujus itineris crebro transiere freti. Sed jam nunc licet a longe, quasi portum littoris cernimus: perpendimus, inquam, quid transivimus, perpendimus quoque quo appropinquamus, et gratulamur, et quasi transductis post tergum oculis, dum consideramus, qualiter undosum gnaviter per freta navigando compressimus æquor. Fit certius illud quod adhuc restat transnare ad littus. Sed quanquam parvum videatur spatium, quod debeamus carpere maris, verum est nobis necessarium, ut aquilone descendente leniter flabris aspiret prosperantibus auster, qui suspensa vela impellit, ut prosperetur navis. Nam assolet fieri, ut dum incaute cupiunt nonnulli absque flatu Spiritus summi transire cærula ponti, incidant in saxa, imo offendant in montem, et non inveniant portum, sed potius planctum: ideoque est nobis caute deducere puppim, leniter quo currat tuta mare per altum quo portus accipiat, ipsam de gurgite tandem, et sedere valeat, fixa in littore gaudens, ut saltem commercia vel parvulis congesta, possit conferre doctorum, et licet superioris libri mysteria Christi et Ecclesiæ paudunt, verum iste præ omnibus passionem, imo ascensionem demonstrat Salvatoris. Unde isti libri Regnorum non immerito præfiguraverunt libros quatuor Evangeliorum, ubi evidenter quod in figura in eisdem gestum est, in veritate sunt expleta. Idcirco volo stylum illuc revertere ovans, abdita diutius ne maneant mystica dona. Sed ex dictorum doctorum [libris] decerno congerere plura, et in modum libelli cupio, Domino favente, concludere nostrum opus, compendioso videlicet ac brevi sermone, ne videar libelli stromatum excedere modum. Ait sacra historia.

CAPUT PRIMUM.

« Prævaricatus est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab. Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui quod habebat in Samaria, et ægrotavit. Misitque nuntios dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten dicens: Surge et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos: Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulen-

A dum Beelzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris,» et reliqua. Mortuo quoque impiissimo rege Achab, impius hæres successit, filius utique ejus Ochozias, de quo Scriptura narrat quod fecerat malum in conspectu Domini, et ambulaverat in via patris sui et matris suæ, et in via Jeroboam, filii Naboth, qui peccare fecit Israel. Servivit quoque Baal et adoravit eum, et irritavit Dominum Deum Israel, juxta omnia quæ fecerat pater ejus. Sed non diu prospere egit, quia per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, cecidit et agrotavit. «Misitque nuntios ad Beelzebub deum Accaron, ut consulerent eum utrum vivere posset de hac infirmitate.» B Cui cum Elias nuntiis suis obvians de morte vicina respondisset, misit ad eum quinquagenarium principem, cum militibus sibi subjectis, ut eum adducerent. Sed his igne cœlesti consumptis, iterum misit alium quinquagenarium, qui similiter cum suis combustus est. Misit iterum, qui reservatus est. Itaque rex iste populum Judæorum, et maxime principes significat, qui peccatis et vitiis dediti, veritatem a se repellebant, imo persequebantur. Unde legitur in Evangelio: « Quia miserunt principes et Pharisæi ministros ut apprehenderent Jesum (*Joan.* VII).» Et iterum: « Quærebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora ejus, et fugit in montem solus orare (*Joan.* VIII).» Et iterum: « Cogitaverunt ut interficerent eum (*Joan.* XI). » C Jesus ergo non palam ambulabat jam apud Judæos, sed abiit in regionem intra desertum, in civitatem quæ dicitur Ephraim. Domus ergo Ochoziæ Synagoga est Judæorum, quæ legalibus præceptis quasi cancellis cœnaculi, undique circumdata erat. Sed sicut Ochozias qui per cancellos quibus tueri debuerit ruens, ægritudinem nimiam incurrit, ita et populus Judæorum, legis custodiam excedens, in languorem desperabilem peccatorum cecidit. Ubi quia divina præsidia dereliquit, salutis remedia invenire non meruit. Confugit enim, sicut rex impius fecit, ad falsorum deorum præsidia, a quibus magis læsus quam adjutus est. Et ideo de prophetico ore corripitur, et de ejus vicina morte prædicitur. Hinc per Isaiam dicitur: « Cum dixerint D ad vos, quærite a pythonibus et a divinis qui strident in incantationibus suis (*Isa.* VII).» Nunquid non populus a Deo suo requiret pro vivis ac mortuis, ad legem magis et ad testimonium? Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et qui transierit per ea corruet et esuriet, et cum esurierit irascetur, et maledicet regi suo, et suspiciet sursum, et ad terram intuebitur. Ecce tribulatio et tenebræ, dissolutio, angustia et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua. Mittit rex impius duos quinquagenarios

cum subditis sibi militibus, ut exhibeant Eliam, qui divino igne consumpti sunt: tertius autem missus salvatur. Quinquagenarius namque numerus confessio pœnitentiæ est, quo declaratur remissio peccatorum. Judæi ergo nolentes Christum Deum esse perfectum nec principem pœnitentiæ, dicunt ad eum: « Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham nosti? » In futuro divino igne incenduntur et exstinguuntur. Tertius autem quinquagenarius, quia conversus ad fidem Trinitatis, pœnitentiæ sacramenta cognovit, indulgentiam meruit.

CAPUT II.

« Factum est autem cum levare vellet Dominus « Eliam per turbinem in cœlum, ibat Elias et Elisæus de Galgalis. Dixitque Elias ad Elisæum: « Sede hic quia Dominus misit me usque ad Bethel. Cui ait Elisæus: Vivit Dominus et vivit anima tua, quia non derelinquam te,» et reliqua. Quid est quod Elias ad cœlum raptus dicitur? nunquid eum adhuc in hac carne corruptibili positum, ad illud summæ quietis cælum ante resurrectionem ascensionemque Domini credimus esse perductum: sed aliud est cœlum aerium, aliud æthereum. Cœlum quippe aerium terræ est proximum: Unde et « aves cœli (*Matth.* VI) » dicimus, quia eas volitare in aere videmus. In cœlum itaque aerium Elias sublevatus est ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, el mortis debitum solvat. Sublevatus namque Elias, ascensionem Dominicam designavit. Ille enim mortem distulit, non evasit, Redemptor autem noster, quia non distulit, superavit, eamque resurgendo consumpsit, et resurrectionis suæ gloriam, ascendendo declaravit. Notandum quoque est quod Elias in curru ascendisse legitur, ut videlicet aperte monstraretur, quia homo purus adjutorio egebat alieno. Per angelos quippe illa facta et ostensa sunt adjumenta, quia nec ad cœlum quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster, non curru, non angelis sublevatus legitur, quia is qui fecerat omnia nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illuc enim revertebatur ubi erat, et inde redibat ubi remanebat: quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem, et terram pariter continebat et cœlum. Sicut autem Joseph a fratribus venditus venditionem Redemptoris nostri figuravit, sic Enoch translatus atque ad cœlum aereum Elias sublevatus, ascensionem dominicam designavit (*Gen.* XXXVII). Ascensionis suæ Dominus prænuntios et testes habuit, unum ante legem, alium sub lege, ut quandoque veniret ipse, qui veraciter cœlos penetrare potuisset. Unde et ipse ordo in eorum quoque utraque sublevatione, per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch translatus, Elias vero ad cœlum subvectus esse memoratur, ut veniret postmodum, qui nec translatus nec subvectus, cœlum æthereum sua virtute penetraret. Qui nobis in se credentibus, carnis quoque munditiem largiretur, et sub eo per incrementa temporum virtus castitatis excresceret. In ipsa quoque eorum translatione, qui ascensionem Dominicam, et videlicet famuli designaverunt, et in ipso se, qui ad cœlum ascendit, Dominus ostendit. Nam Enoch quidem uxores et filios habuit, Elias vero neque uxorem neque filios legitur habuisse. Pensate ergo quomodo per incrementa creverit munditia castitatis quod et per translatos famulos et per ascendentis Domini personam patenter ostenditur. Translatus namque est Enoch, per coitum genitus, et per coitum generans. Assumptus est vero Dominus, neque per coitum generans, neque per coitum generatus. Quæritur autem quomodo Elisæus cum suus magister Elias locum postulandi ei offerret, duplicem spiritum Eliæ postulaverit, cum Dominus dicit in Evangelio: « Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit si sit sicut magister ejus (*Matth.* X). » Cui petitionis mysterium si consideretur, non importuna sed necessaria postulatio esse decernitur.

« Dixit ergo Elias ad Elisæum: Postula quod vis « ut faciam tibi antequam tollar a te. Dixitque Elisæus: Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me. « Qui respondit: Rem difficilem postulasti. Attamen « si videris me quando tollar a te, erit quod petisti: si autem non videris, non erit.» Quem enim hoc loco significat Elias, nisi caput nostrum, Dominum scilicet Redemptorem? Et quem Elisæus nisi corpus ejus quod est Ecclesia? Dat locum postulandi Elias noster, cum in Evangelio dicit: « Petite et dabitur vobis (*Matth.* VII).» Et item: « Petite, inquit, et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit (*Joan.* XVI).» Hac ergo fiducia accepta a Domino, postulat Elisæus, hoc est populus Christianus, ut fiat spiritus Christi duplex in eis, hoc est duplex gratia Spiritus sancti, in remissionem utique peccatorum et collationem virtutum. Redemptor igitur noster, qui « non habuit peccatum, neque peccatum fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II),» remissione peccatorum non eguit, qui peccatum nullum habuit. Opera autem virtutum in Spiritu sancto fecit, sicut ipse in Evangelio dicit Judæis: « Si ego in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei (*Matth.* XII). » Inseparabilia sunt igitur opera sanctæ Trinitatis, id est Patris et Filii et Spiritus sancti, Veritate attestante quæ ait: « Quia quæ Pater facit, hæc eadem similiter et Filius facit (*Joan.* V)» Et Apostolus: « Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII).» Bene quidem postulat Ecclesia ut spiritum duplicem accipiat Christi, qua et remissione peccatorum indiget, quia non eguit Christus, et munere virtutum quas ex plenitudine sua per Spiritum sanctum tribuit Christus, qui « ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Ephes.* IV). » Illis videlicet hominibus qui spem suam firmiter in illum ponunt. Hinc est quod Elias dicit ad

Elisæum : « Si videris me quando tollar a te, erit quod petisti : si autem non videris, non erit. » Quia nisi quis recte fidei oculos in illum ponat et credat fideliter passionem, resurrectionem et ascensionem ejus ad Patrem, petitionis suæ fructum non capiet, quod subsequens ratio designat.

« Elias enim secum comitante Elisæo ad ripam « Jordanis veniens, tulit pallium suum et involvit « illud, et percussit aquas quæ divisæ sunt in « utramque partem, et transierunt ambo per sic- « cum. Cumque Elias raptus esset, Elisæus levavit « pallium Eliæ, quod ceciderat ei. Reversusque « stetit super ripam Jordanis, et pallio Eliæ quod « ceciderat ei percussit aquas et non sunt divisæ, « et dixit : Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? percus- « sit aquas et divisæ sunt huc atque illuc, » etc. Quid significat pallium Eliæ, nisi Incarnationem Domini, per quam Redemptor noster lethi fluvium disrumpit. nobisque transitum ad vitam præparavit? Hoc ergo pallium Elisæus post transitum Eliæ retinuit, quia fidem Incarnationis Christi Ecclesia post ascensionem ejus ad cœlos reservavit, per quam præsentis vitæ fluctus transire satagit. Sed sicut Elisæus percutiens pallio fluvium, aquas non divisit, antequam dixit : Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? et sic percussit aquas et divisæ sunt : ita Ecclesia nisi per invocationem nominis Domini, virtutes ullas facere non potest. Quia sicut ipse dixit : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv), » nihil est enim humanum studium, nisi adsit divinum adjutorium. Unde Apostolus dixit : « Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate (*Phil.* VIII). » Et propheta ad Dominum, ait : In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos (*Psal.* XLV), » etc.

« Dixerunt quoque viri civitatis ad Elisæum : « Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu « ipse, Domine, perspicis, sed aquæ pessimæ sunt « et terra sterilis. At ille ait : Afferte mihi vas no- « vum, et mittite in illud sal. » Postulabatur Elisæus a populo ut aquas Jericho malignos et steriles sanaret. Accepit vas novum fictile et jecit in illud sal, et demersit illud in flumen, et statim fluminis aquæ sanatæ sunt, quo facto prænuntiabat propheta, quia Verbum caro fieret et habitaret in nobis. Inde in similitudinem Verbi sal, id est sapientiam, dedit in vas fictile, in corpus scilicet humanum, et immitens in aquam demersit. Quod quidem significabat quia omnes populi qui sub figura aquarum in toto mundo steriles erant, per Christi Incarnationem fecunditatem et benedictionem accepturi essent.

« Ascendit autem inde in Bethel : cumque ascen- « deret per viam, pueri parvi egressi sunt de civi- « tate, et illudebant ei, dicentes : Ascende, calve, « ascende, calve. Qui cum post se respexisset, « vidit eos et maledixit eis in nomine Domini. « Egressique sunt de saltu duo ursi, et lacerave- « runt ex eis quadraginta et duos pueros. » Elisæus quoque propheta, sicut sæpe diximus, figu- A ram Christi gessit. Denique vocabulum illud *salus Dei* interpretatur. *Salus* autem *Dei* quis est alius nisi Filius ejus, qui et Salvator ubique vocatur? Parvuli vero illi illudentes saluti Dei, id est Elisæo, Judæorum habuere personam, qui ad crucem Domino Salvatori subsannabant, qui dicunt. « Ascende, calve, ascende, calve : « quia in Calvariæ loco Christus ascensurus erat in crucem. Quod vero conversus maledixit Elisæus, et exierunt duo ursi de silva, et interfecerunt quadraginta et duos pueros basphemantes : ita et Christus post passionem et resurrectionem ex mortuis, postquam ascendit in cœlos, sicut Elisæus ascendit in Bethel, id est in domum Dei, conversus maledixit Judæis, et quadragesimo secundo anno ascen- B sionis suæ, immisit duos ursos de silvis gentium, Vespasianum scilicet et Titum, qui eos crudeli strage dejecerunt.

CAPUT III.

« Porro Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, « et solvebat regi Israel centum millia agnorum, « et centum millia arietum cum velleribus suis. « Cumque mortuus fuisset Achab, prævaricatus « est fœdus quod habebat cum rege Israel, » et reliqua. Igitur post hæc bellum gerebatur per tres reges, hoc est regem Israel, regem Juda, et regem Edom, contra Moab. Consultusque ab eis Elisæus propheta, post alia hæc subdit dicens :

« Facite alveum torrentis hujus et fossas. Hæc C « enim dicit Dominus : Non videbitis ventum ne- « que pluviam, et alveus iste replebitur aquis, et « bibetis vos et familiæ vestræ et jumenta vestra. « Parumque hoc est in conspectu Domini, insu- « per tradet etiam Moab in manus vestras, et per- » cutietis omnem civitatem munitam, et omnem « urbem electam, et universum lignum fructife- « rum succidetis, cunctosque fontes aquarum ob- « turabitis. et omnem agrum egregrum operietis « lapidibus. » Quid ergo significant tres isti reges contra Moab bellum gerentes, nisi rectores fidelium, qui per sanctæ Trinitatis fidem, contra mundi principem, et contra populum ejus, hoc est philosophos hæreticos, schismaticos, atque omnes iniquos, cum scuto fidei atque armis spiritalibus confligunt? Moab ergo qui de incesto natus D est, et interpretatur *de patre*, bene illis convenit ad quos Dominus dixit : « Vos de diabolo nati estis, et vultis facere voluntatem patris vestri (*Joan.* VIII). » Hi ergo adversantur Ecclesiæ partim minis, partim persecutionibus, partim dolo ac falsis fictionibus : sed per Christi virtutem, qui caput est populi Christiani, superantur atque effugantur. Quibus ait propheta Domini : a Facite alveum torrentis hujus, fossas et fossas. Non videbitis ventum neque pluviam, et alveus iste replebitur aquis, et bibetis vos et familiæ vestræ, » et reliqua. Ecce propheta Domini populo siti fatigato, per miraculum factum a Domino consulit, sic et prophetæ dicta consilium præbent fidelibus, qualiter spiritali doctrina sitim suam exstinguant, atque ani-

mum reficiant. Jubet ergo fossas facere in torrentis alveo, et ita prædicit absque ventis et pluvia aquarum largitatem. Quid est fossas in alveo torrentis facere, nisi profunda mysteria in sacris Scripturis in bono studio quærere? quæ absque pluvia et vento aqua replentur, quia sæpe absque humano solatio sapientiam confert suis investigatoribus potentia divina. Unde dicit Joannes apostolus : « Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus (*I Joan.* II). » — « Unde bibunt homines et jumenta. » Id est doctrinam accipiunt ingeniosi quique et simplices, quia quantum idonea est anima accipientis, tantum ibi inveniet documenti suæ salutis. Sequitur : « Parumque hoc est in conspectu Domini, insuper tradet etiam Moab in manus vestras, » etc. Non B enim sufficit servis Dei abdita mysteria scire, quin etiam aliis prædicare, et contradicentes redarguere, quibus promissa est certa de hoste victoria. Ut percutiant omnem civitatem munitam, et omnem urbem electam, » etc. Civitates munitas et urbes electas, possumus sæcularem prudentiam intelligere, in quam maxime philosophi et hæretici confidunt. Hæ ergo per prædicatorem sancti Evangelii subvertuntur. Unde dicit Apostolus : « Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam (*II Cor.* C X). » Universa ligna fructifera succiduntur non illa ligna quæ faciunt fructum bonum, sed quæ mortiferum generant pastum, quæ radicibus securi examinis succisa pabulum fient ignis æterni. Cunctique fontes aquarum obturantur. Cum hæresiarchæ, simul cum suis sequacibus, per catholicos doctores damnantur. Et omnes agri egregii lapidibus operiuntur, cum venustas locutionis hæreticæ atque philosophicæ anathematis pondere obruitur. « Nihilque remanebit in terra Moab, nisi muri tantum fictiles, » hoc est falsæ rationes fragilium doctrinarum, quæ a fundibulariis, id est sanctis prædicatoribus Ecclesiæ circumdatæ, maxima ex parte refutantur et ad nihilum rediguntur : Quod autem Moabitæ, orto sole ex adverso aquarum D videre contra aquas rubras, quasi sanguinem gladii existimaverunt, dicentes quod tres reges qui contra se venerunt ad pugnam, invicem se occidissent, et sic delusi sunt : ita et philosophi, verbum crucis Christi stultitiam existimantes, derident passionem et Ecclesiæ martyrium dementiam existimant. Sed secundum Apostolum : « Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei fortius est hominibus (*I Cor.* I) : quoniam prudentia carnis mors est : prudentia autem spiritus vita et pax (*Rom.* VIII). » Ad probandum autem quod Moab in præsenti loco super philosophorum intelligatur superbia, de quibus dicitur : « Perdam sapientiam sapientium, et intelligentiam intelligentium reprobabo

A (*I Cor.* I), » pauca de prophetis exempla replicanda sunt. Amos loquitur : « Hæc dicit Dominus, super tribus impietatibus Moab, et super quatuor non adversabo eum, pro eo quod combussit ossa regis Idumææ in cineres. » Vere enim quidquid in sæculo dogmatum perversorum, quidquid ad terrenam sapientiam pertinet putatur esse robustum. Hoc dialecticum subvertitur, et instar incendii in cineres favillasque dissolvitur, ut probetur nihil, quod putabatur esse fortissimum. Sed et Isaias superbiam Moab arguit, dicens : Audivimus contumeliam Moab, contumeliosus est nimis, superbiam ejus abstuli (*Isa.* XVI). » Jeremias quoque contra omnes vaticinans nationes proprie loquitur ad Moab (*Jer.* XLVIII), quod « confidebas in munitionibus tuis, » et, post pauca; « habens fiduciam in gloria tua. » Et iterum : « quoniam dicitis sortes ramos. » Ac deinde : « Juxta est dies Moab ut veniat et malitia ejus nimis. » Et manifestius dicit : « Quomodo contritus est baculus gloriosus, virga magnificentiæ? » Et iterum : Contritum est cornu Moab. » Hæc autem dicuntur sub nomine Moab, ut stulta sæculi, et in cœlum semper ferens malitia conteratur.

CAPUT IV.

« Mulier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Elisæum dicens : Servus tuus vir meus mortuus est, et tu nostri quia servus tuus fuit timens Dominum, et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui dixit Elisæus : Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua? At illa respondit : Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei quo ungar. Cui ait : Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, et ingredere et claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu et filii tui, et mitte inde in omnia vasa hæc, et cum plena fuerint tolles. Ivit itaque mulier, » et reliqua. Quid per hanc mulierem nisi sancta Ecclesia designatur ? Duorum populorum, id est Judaici et gentilis, quasi duorum filiorum mater, quæ prius ex perverso opere, consentiendo callidi spiritus persuasioni, quasi quemdam peccati nummum a creditore acceperat et duos quos in fide genuit, amittere filios timebat. Sed prophetæ verbis, id est sacræ Scripturæ præceptis obediens ex parvo quod habebat olei, vacua vasa infundit, quia dum ab unius ore doctoris, parum quidem amoris divinitatis, multorum vacuæ mentes hauriunt, exuberante autem gratia unguentorum divini amoris, usque ad summum replentur. Etiam nunc corda multorum quæ prius fuerant vacua vascula, unguento Spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei solummodo infusa videbantur. Quod cum aliis atque aliis datur, et ab auditoribus fides accipitur, erepta mulier, videlicet sancta Ecclesia sub creditoris sui jam debito non tenetur.

« Facta est autem quædam dies, et transibat Elisæus per Sunam, Erat autem ibi mulier magna,

« quæ tenuit eum ut comederet panem. Cumque « frequenter inde transiret, divertebat ad eam ut « comederet panem. Quæ dixit ad virum suum: « Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui « transit per nos frequenter. Faciamus ei cœnacu- « lum parvum, et ponamus ei in eo lectulum et « mensam et sellam et candelabrum, ut cum ve- « nerit ad nos maneat ibi. Facta est igitur dies « quædam, » etc. Mulier autem ista quæ prophetam hospitio suscepit, bene potest originem insinuare populi Israelitici quæ fuit in patriarchis. Unde sicut ista Elisæum prophetam, ita et illa Dominum prophetarum hospitio suscipere meruit. Nam Abraham et Sara tres viros juxta vallem Mambre suscipere et pascere meruerunt. Huic mulieri non habenti filium propheta promisit dicens.

« In tempore isto et in hac eadem hora, si vita « comes fuerit, habebis in utero filium. Cui illa re- « spondit : Noli, quæso, Domine mi vir Dei, noli « mentiri ancillæ tuæ. Et concepit mulier, et pepe- « rit filium in tempore, et in hora eadem qua « dixerat Eliseus. Crevit autem puer, et cum esset « quædam dies, et egressus isset ad patrem suum « ad messores, ait patri suo : Caput meum, caput « meum doleo. At ille dixit puero : Tolle, et duc « eum, » etc. His quoque similia Dominus ad Abraham retulit dicens : « « Revertens veniam ad te, tempore isto vita comite, et habebit Sara filium uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi, occulte dicens: Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo (*Gen.* XVIII)? » Visitavit autem Dominus Saram sicut promiserat ei, et implevit quæ locutus est, concepitque et peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Igitur posquam crevit puer, tactus dolore capitis immenso, circa meridiem defunctus est. Cum populus Israeliticus postquam in Ægypto excrevit, et per Moysen in deserto eductus Domini vocem audierat in igne et caligine, quando lumine scientiæ debuit illustrari, mox animo ad idololatriam recurrens mortuus est.

« Et ait Eliseus ad Giezi puerum suum : Accinge « lumbos tuos, et tolle baculum meum in manu « tua, et vade. Si occurrit tibi homo, non salutes « eum, et si salutaverit te quispiam, non respon- « deas illi. Et pones baculum meum super faciem « pueri. Porro mater pueri ait : Vivit Dominus, et « vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo et « secutus est eam. Giezi autem præcesserat ante « eos, » etc. Quid autem significat, quod puer ab Elisæo missus cum baculo non resuscitat? Per semetipsum vero Elisæus veniens, seque super mortuum sternens, atque ad ejus membra se colligens, huc illucque deambulans, et in ore mortui septies aspirans, hunc ad redivivam lucem protinus per ministerium compassionis animavit, nisi quod auctor humani generis Deus, quasi mortuum puerum doluit, cum exstinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit ? Et quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam

A misit. Per legem quippe Deus virgam tenuerat, cum dicebat : Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur. A peccatis igitur morte, nos suscitare non valuit, sed ad statum vitæ aspirata mansuetudinis gratia erexit. Sed puer cum baculo suscitare mortuum non valuit, quia, Paulo attestante: Nihil ad perfectum adduxit lex. Ipse autem per semetipsum veniens, et super cadaver humiliter se sternens, et exsequenda sibi mortui membra se collegit, quia « cum in forma Dei esset, non rapinam « arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semeti- « psum exinanivit formam servi accipiens in simi- « litudinem hominum factus et habitu inventus « ut homo (*Phil.* II). »

« Huc illucque deambulabat, » quia et Judæam B juxta et longe positas gentes vocat. «Super mortuum septies inspirat, » quia per apertionem divini muneris, gratiam septiformis spiritus, in peccati morte jacentibus aspirat. « Moxque vivens erigitur, » quia is quem terroris viga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit.

« Erat autem fames in terra, et filii propheta- « rum habitabant coram eo, dixitque uni de pue- « ris suis : Pone ollam grandem, et coque pulmen- « tum filiis prophetarum. » Erat, inquit, fames in terra, non fames utique panis, nec sitis aquæ, sed audiendi verbum Domini. « Et filii prophetarum habitabant coram Elisæo. » Cum filii eorum prædicatorum, qui ambulabant in lege Domini, et scrutantur testimonia ejus in toto corde exqui- C rentes eum, in præsentia Domini Salvatoris semper vivunt.

« Egreditur puer in agrum ut colligat herbas « agrestes, quatenus inde coquat pulmentum. In- « venitque quasi vitem silvestrem, et collegit ex « ea colocyntidas agri. Quas concidens in ollam, « plumentum facit. » Cum quis litteræ legis attentus, vel philosophicis disciplinis studiosus, pastum verbi quærens, amaritudinem litteræ legalis vel mortiferum quiddam in philosophorum libris inveniens, intermiscet veritati Evangelicæ, et in olla co dis sui coquens tale pulmentum, hoc est documentum, præparat ad refectionem auditoribus suis. Dicit enim Apostolus :« Littera enim oc- « cidit, spiritus autem vivificat (*I Cor.* III). » Et D item : « Prudentia, inquit, carnis mors est : prudentia autem spiritus vita et pax (*Rom.* VIII). » Hoc itaque sentientes fideles populi mortem in olla exclamant, cum falem doctrinam quasi deceptionem animarum detestantes vociferantur. Sed jubente Elisæo farina in ollam mittitur, cum scientia spiritualis in tale documentum intromittitur, ut exclusa omni amaritudine pravitatis pastus fidelibus præparetur salubris.

« Vir autem quidam venit de Baalsalisa, defe- « rens viro Dei panes primitiarum, et viginti panes « hordeaceos, et frumentum novum in opera sua. « At ille dixit : Da populo ut comedat. Respondit- « que minister ejus : Quantum est hoc ut apponam « coram centum viris? Rursum ille : Da, ait, popu- « lo ut comedat, » et reliqua. Denique vir de Baal-

salisa venire describitur, deferens viro Dei panes primitiarum, et viginti panes hordeaceos, et frumentum novum in pera sua. Quem autem virum istum accipere melius possumus, quam cœtum sanctorum patrum, qui virtute animi et bonorum operum pollent? Qui bene de Baalsalisa venisse dicitur. Baalsalisa enim *habens tertium* interpretatur. Recte ergo de Baalsalisa est, qui ternarium numerum in credulitate et confessione sanctæ Trinitatis servat. Hic ergo viro Dei panes primitiarum offert, cum Redemptori nostro per gratiam ejus inspiratus offert libros de origine creaturarum compositos. Offert viginti panes hordeaceos, hoc est decalogum legis in Moysi et prophetarum scriptis comprehensum. Offert frumentum novum in pera sua, cum Novum Testamentum post Mediatoris nostri adventum, in sancti Evangelii et apostolorum scriptis profert (*Matth.* XIII). Jubet ergo Elisæus noster ministris suis, sanctis videlicet prædicatoribus, ut hanc oblationem populo fidelium dispensent, ut secundum illud Evangelii (*Matth.* XIV). de thesauro suo velut scriba doctus in regno cœlorum proferant nova et vetera, quatenus pabulo divini verbi reficiantur. Quod mysterium in Evangelio iteratum legimus (*Matth.* XV), cum in fractione quinque panum quinque millia hominum satiata esse commemorantur, et satiatis turbis, collegerunt duodecim cophinos, sive septem sportas fragmentorum, quia nullus est qui sacramenta divinæ Scripturæ per omnia capere possit, quin sibi satiato supererit juxta verbum Domini.

CAPUT V.

« Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir « magnus apud dominum suum, et honoratus. « Per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ. « Erat autem vir fortis et dives, sed leprosus. Iste autem Naaman qui princeps militiæ regis Syriæ esse describitur, quem melius significare potest, quam populum gentilem? qui in orbe triquetro per virtutem bellorum principatum gerebat, ac rerum decore fruebatur, quod in nominis ejus interpretatione exprimitur. Interpretatur autem Naaman *decus* sive *commotio eorum*. Sed iste vir, licet fortis et dives fuerit, tamen leprosus esse memoratur, quia quamvis per potentiam regni, ac rerum abundantiam dominari videretur, tamen per erroris nequitiam et idololatriæ lepram fædus apparuit.

« Porro de Syria egressi fuerant latrunculi et cap« tivam duxerant de terra Israel puellam parvu« lum, quæ erat in obsequio uxoris Naaman. Quæ « ait ad dominam suam : Utinam fuisset dominus « meus ad prophetam qui est in Samaria! Profec« to curasset eum a lepra quam habet. » Latrunculi quippe de Syria, quæ interpretatur *sublimitas* egressi sunt, cum cupiditate ducti et diversis negotiis impliciti, sperantes in incerto divitiarum, gentiles per totam terram vagabuntur. Hinc et ad terram Israel venientes, captivam mulierculam duxerunt, quæ in captivitate posita, de propheta in A Israel testabatur. quia fama de Israel per negotiatores gentium translata in tota urbe curiositati hominum, quam uxor Naaman significat verum prophetam et salvatorem omnium in Judea manere patefecit.

« Ingressus est itaque Naaman ad dominum « suum, et nuntiavit ei, dicens : Sic et sic locuta « est puella de terra Israel. Dixit ei rex Syriæ : « Vade, et mittam litteras ad regem Israel. Qui « cum profectus esset et tulisset secum decem ta« lenta argenti, et sex millia aureos, et decem mu« tatoria vestimentorum, detulit litteras ad regem « Israel in hæc verba : Cum acceperis epistolam « hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum « meum, ut cures eum a lepra sua. » Cum hi ad B quos notitia verbi Dei pervenit, his qui sibi præsunt, suggerunt scientiæ spiritualis magnitudinem. Mittit rex Syriæ litteras ad regem Israel pro salute servi sui. Cum primatus gentium audiens Deum esse in Israel, quia « notus in Judæa Deus : in Israel « magnum nomen ejus (*Psal.* LXXV), » salutem suorum prævidens legationem in Judæam mittit, ut per apostolicam doctrinam Salvatoris fidem accipiat. Unde Cornelius centurio de Cæsarea in Joppe ad Petrum misit (*Act.* X). Et Paulo per visionem vir Macedo apparuit (*Act.* XVI), qui eum exhortabatur ut veniens adjuvaret eos qui in Macedonia erant, sicut in Actibus apostolorum legitur.

« Cumque legisset rex Israel litteras, scidit ve- C « stimenta sua, et ait : Nunquid Deus ego sum ut « occidere possim et vivificare? Quia iste misit ad « me ut curem hominem a lepra sua. Animadver« tite et videte, quod occasiones quærat adversum « me. Quod cum audissset Elisæus vir Dei, sci« disse videlicet regem Israel vestimenta sua, mi« sit ad eum, dicens : Quare scidisti vestimenta « tua? » Quid significat rex iste Israel quærente « expectavit, nisi sacerdotes, scribas et pharisæos rectores Judæorum? Qui, considerantes quod undique plebes ad Redemptorem nostrum salutis suæ causa veniebant, quasi blasphemiam existimantes, vestimenta sua scindebant, sicut in Evangelio (*Matth.* XXVI) principem sacerdotum, audita Christi prædicatione, fecisse legimus. Sed licet rex D Israel in tali auditu pertimescat, tamen propheta Dei quos ad se migrasse cognoverat, ad se pervenire persuadebat, dicens : « Veniat ad me, et sciat esse prophetam in Israel. » Et Dominus noster: « Quos præscivit, hos et vocavit, et quos vocavit, illos et justificavit (*Rom.* VIII). »

« Venit ergo Naaman cum equis et curribus, et « stetit ad ostium domus Elisæi. Misitque ad eum « Elisæus nuntium, dicens : Vade, et lavare septies « in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque « mundaberis. Iratus Naaman recedebat, dicens : « Putabam quod egrederetur ad me, et stans in« vocaret nomen Domini Dei sui et tangeret manu « sua locum lepræ, et curaret me. Nunquid non « meliores sunt Abana et Pharphar fluvii Damasci

« omnibus aquis Israel, ut laver in eis et mun-« der? » Veniens quidem gentilis populus ad domum Elisæi nostri, sanctam videlicet Ecclesiam, promissum ab eo nuntium accepit, ut se in Jordane septies lavaret, et sic sanitatem reciperet, atque mundaretur: quia per evangelicos prædicatores Dominus dicit: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III). » Et item: « Qui crediderit et baptizatus fuerit: salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur (*Marc.* XVI). » Jordanis itaque aquæ sacrum baptisma significant, quia in eis Salvator noster baptismum nobis consecravit. Quod autem Naaman indignatus de tali responso, lavationem aquæ Jordanicæ despexit, simplicitatem significat rudium, qui spiritualem non potuerunt intelligere efficaciam; « quia animalis homo non percepit ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor.* II). »

« Cum ergo vertisset se et abiret indignans, ac-« cesserunt ad eum servi sui, et locuti sunt ei: « Pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, « certe facere debueras: quanto magis quia nunc « dixit tibi, lavare et mundaberis? Descendit et « lavit in Jordane septies, juxta sermonem viri « Dei, et restituta est caro ejus sicut caro pueri par-« vuli, et mundatus est. » Bene ergo servi Naaman meliore consilio, ad perficiendum illud mandatum propheticum, persuaserunt, quia sæpe Dominus juniori revelat quod melius est (*Matth.* XI). Et secundum Petri vocem, « personam acceptor Deus non est (*Rom.* II), sed in omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* X). » — Abiit et lavit septies juxta sermonem viri Dei, et restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli: quia mundatus aquis baptismatis, per invocationem septiformis Spiritus, quisque veram recipietsanitatem, ut ad innocentis vitæ infantiam redigatur, et vitæ æternæ ingressum percipere mereatur. Unde ipsa Veritas suis discipulis ait: « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII). »

« Denique reversus Naaman ad virum Dei cum « universo comitatu suo, venit et stetit coram « eo, et ait: Vere scio quod non sit alius Deus in « universa terra, nisi tantum in Israel. » Hæc est enim catholica professio, quod « Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, non est mortuorum, sed viventium. » (*Marc.* XII). « Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit (*Psal.* XCV). » Et ut cuncta hic baptismi scires sacramenta præmonstrata, in quo abrenuntiare Satanæ, ac fidem Domini confiteri præcipimur, negat se Naaman ultra diis alienis litaturum, soli per omnia Domino serviturum. Partem quoque terræ sanctæ secum tollere gaudet, quia baptizatos oportet Dominici quoque corporis participatione confirmari.

« Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus « Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ « attulit. Vivit Dominus quia curram post eum, « accipiam aliquid ab eo, » et reliqua. Post hæc autem Scriptura narrat, quod Giezi puer viri Dei concupiverit de pecuniis quas prædictus Syrus homini Dei attulerit, sed eo nolente aliquid accipere, inde ipse per mendacium turpe acquisivit, quod suus magister accipere per fidem renuit. Giezi quoque interpretatur *præruptum videns*, sive *vallis visio*, et significat Judaicum populum, qui aliquando puer viri Dei, propheta attestante, vocabatur, sicut Osee dicit: « Puer Israel et dilexit eum (*Ose.* XI). » Sed postquam spreto Evangelio, et crucifixo Filio Dei, semetipsum Dei tali dignitate in foveam avaritiæ præcipitans, cupiditatem secutus est terrenam, quam Filii Dei per baptismum renati spreverunt, per sententiam justi judicis Dei, lepram erroris quam credentes deposuerant, ipse sibi conscivit, necnon et omnes qui post baptismum et emendationem vitæ ad pristina vitia revertentur, sordibus quibus se exutos sperabant, iterum impliciti involvuntur. Unde scriptum est: « Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti, sic stultus qui iterat stultitiam suam (*Prov.* XXVI). »

CAPUT VI.

« Dixerunt autem filii prophetarum ad Elisæum: « Ecce locus in quo habitamus coram te, angus-« tus est nobis. Eamus usque ad Jordanem, et « tollant singuli de silva materias singulas, ut ædi-« ficemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui di-« xit: Ite. Et ait unus ex illis: Veni ergo et tu cum « servis tuis. Respondit: Ego veniam. Et abiit cum « eis. Cumque venissent ad Jordanem, cædebant « ligna. Accidit autem ut, cum unus materiam « succidisset, caderet ferrum securis in aquam. « Exclamavitque ille, et ait: Heu, heu, heu, Do-« mine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam. Di-« xit autem homo Dei. Ubi cecidit? At ille mons-« travit ei locum. Præcidit ergo lignum, et misit « illuc. Natavitque ferrum, et ait: Tolle. Qui ex-« tendit manum, et tulit illud. » Hæc itaque actio bene Redemptori nostro convenit per significationem. Cum igitur securibus ligna cæderentur, de ligno ferrum exsiliens in profundum fluminis mersum est, atque in lignum desuper ab Elisæo projectum reversum est: ita etiam cum impios Judæos, per corpus operata præsentia Christi, tanquam infructuosas arbores cæderet, quia de illa Joannes dixerat: « Ecce securis ad radicem arborum posita est (*Matth.* III), » ab eis interveniente passione corpus ipsum deseruit, profunda descendit, quod in sepultura depositum, tanquam ad manubrium, spiritu redeunte resurrexit. Aliter: Ferrum in manubrio, donum intellectus in corde est. Ligna vero per hoc cædere, est prave agentes increpare. Quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiam, ad hoc novimus dari, ut ante dantis oculos, ex bona debeat actione res-

titui. Unde recte is qui ferrum amiserat, clamabat: « Heu, heu, heu, Domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam. » Habent enim hoc electi proprium, si quando eis in sua scientia furtive vanæ gloriæ culpa subrepit, ad cor velociter redeant: et quidquid in se ante districti judicis oculos damnabile inveniunt, lacrymis insequuntur. Qui flentes non solum caute inspiciunt, quæ mala commiserunt, sed ex accepto munere quæ reddere etiam bona debuerunt: qui nimirum tanto se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis quæ agere poterant debitores tenentur. Recte ergo qui ferrum perdidit, clamat: « Heu, heu, heu, et hoc ipsum mutuo acceperam. » Ac si dicat: Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod ut per bona opera redderem ex gratia creditoris accepi. Sed nunquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit, « Unde et mox Elisæus veniens, lignum deorsum misit, et ferrum in superficiem attulit. » Quia videlicet Redemptor noster pie nos respiciens, cor peccatoris humiliat, et eam quam amiserat, intelligentiam reformat. Lignum erigit et ferrum in superficiem attulit, quia videlicet Redemptor noster, et scientiam reparat, et cor elatum in cogitatione humiliat. Unde bene in alia translatione dicitur: « Quod confregit lignum atque jactavit, et sic ferrum sustulit. » Lignum namque confringere est cor ab elatione conterere. Lignum ad ima jactare est elevatum cor in cognitione (ut diximus) propriæ infirmitatis humiliare. Atque illico ferrum ad superficiem redit, quia ad usum exercitationis pristinæ intelligentiæ recurrit. Igitur quoniam donum intellectus quod accipitur, vix cum tot difficultatibus custoditur, curandum valde est, ne otio torpeat, curandum ne incitatione operis vitio elationis evanescat. Sancti namque viri minime exsultant, cum cognoscunt quæ faciunt. Sed cum faciunt quæ cognoverunt, ets intelligendo largius congaudent a munere largitoris, mœrentes tamen considerant debitum operis: ut videlicet actione persolvant, quod eis prærogatum est in cognitione. Stultus namque est debitor, qui gaudens pecunias mutuas accipit, et tempus quo reddere debeat non attendit. Moderatur autem lætitia accipiendi, quando solerti providentia etiam constitutum tempus reddendi cogitatur.

« Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniit cum servis suis, dicens: In loco « illo et illo ponamus insidias. Misit itaque vir Dei « ad regem Israel dicens: Cave ne transeas in « locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt. Misit « itaque rex Israel ad locum quem dixerat ei vir « Dei, et præoccupavit eum, et observavit se ibi, » et reliqua. Quem congruentius hic rex Syriæ, quam potestatem significat terrenam? quæ sæpe superbe sentiens populum Dei, hoc est filios lucis persequitur, sed ipsi per veri Elisæi, Domini videlicet nostri, doctrinam insidias inimicorum præcavere edocentur. Ut est illud: « Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, et simplices ut columbæ. » Et item: « Cavete autem ab hominibus (*Matth.* x). » et alibi: « Attendite, ait, a falsis prophetis (*Matth.* vii). » Hoc quippe agnoscens mundana potentia, ipsum prophetam interficere disponit, cum Christum in cordibus electorum extinguere festinavit.

« Misit ergo illuc rex Syriæ equos et currus et « robur exercitus. Qui cum venissent nocte, cir- « cumdederunt civitatem. » Omnis ergo qui nequitiæ armis confidens, Christi famulis insidias præparat, nocte perfidiæ excæcatus, bellum contra Ecclesiam gerit.

« Consurgens autem diluculo, minister viri Dei « egressus est. Viditque exercitum in circuitu civi- « tatis et equos et currus. Nuntiavitque ei, dicens: « Heu, heu, domine mi, quid facimus? » Hæc sententia denotat illos qui propter pusillanimitatem cordis sui, pœnas verentur corporales, quibus propheta respondit: « Noli timere, plures enim nobis- « cum sunt quam cum illis (*II Par.* xxxii). » Et Salvator discipulis ait: « In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum (*Joan.* xvi). » Et item: « Nolite timere eos, inquit, qui occidunt corpus, et post hæc non habent quid faciant vobis: quin potius eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (*Matth.* x), » et Petro Dominus in passione sua ait: « An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum? »

« Cumque orasset Elisæus, ait: Domine, aperi « oculos hujus ut videat. Et aperuit Dominus « oculos pueri, et vidit: et ecce mons plenus equo- « rum et curruum igneorum in circuitu Elisæi. » Et valde necesse est ut Elisæus noster aperiat oculos cordis nostri, ut consideremus et agnoscamus, quia omnes qui confidunt in illum, non confunduntur (*Ps.* xxiv).

« Porro Elisæus oravit Dominum, dicens: Per- « cute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussit- « que eos Dominus ne viderent juxta verbum Eli- « sæi. » Bonum ergo illis est, quos oculus suus scandalizat, ut eruatur et projiciatur ab eis (*Matth.* v), quatenus intuitus malitiæ et superbiæ obturetur, et oculus sanæ fidei ac simplicitatis aperiatur. Unde dicit Apostolus: « Si quis inter vos videtur sapiens esse, stultus fiat ut sit sapiens. » (*I Cor.* iii).

« Dixitque rex Israel ad Elisæum cum vidisset « eos: Nunquid percutiam eos, pater mi? Et ille « ait: Non percuties. Neque enim cepisti eos gladio, « aut arcu tuo ut percutias. Sed pone panem et « aquam coram eis, ut comedant et bibant, et va- « dant ad dominum suum, » et reliqua. Postquam ergo Elisæus hostes adduxit in Samaria, non eos occidi permisit, sed refectionem magnam ciborum illis præparans, dimisit eos in pace. Et Saulum diu contra stimulum calcitrantem primum Dominus excæcavit, deinde scientia spirituali magnifice replevit, atque ad prædicandum suis Evangelium in gentibus direxit (*Act.* ix). Nobisque præcepit, ita

dicens: « Diligite inimicos vestros et benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est (*Matth.* v). »

« Factum est autem post hæc congregavit Benadab rex Syriæ universum exercitum suum, « et ascendit et obsidebat Samariam, factaque « est fames magna in Samaria, » etc. Narrat Scriptura quod Benedab rex Syriæ obsideret Samariam: facta autem fame, afflictus est populus valde, sed Domino miserante, revelatum est Elisæo verbum Domini, et prædixit populo solatia ventura, ita dicens: « Hæc dicit Dominus. »

CAPUT VII.

« In tempore hoc cras modius similæ, uno statere erit: et duo modii hordei, statere uno in « porta Samariæ. Quod cum non crederet, unus « de ducibus super cujus manum rex incumbe- « bat, homini Dei ait: Si Dominus fecerit etiam « cataractas in cœlo, nunquid poterit esse quod « loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, et inde non comedes. » Potest hoc loco Benadab cum suo exercitu diabolus mystice accipi, quia corda iniquorum per invidiam contra Ecclesiam bellum gerere excitat. Sub hoc quidem rege, sunt modo falsi Judæi, de quibus in Apocalysi scriptum est (*Apoc.* II), qui dicunt se Judæos esse et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Sub hoc rege sunt pagani, sunt et hæretici: facta ergo persecutione ab antiquo hoste, per tales affligitur populus Dei, qui est positus in Samaria, hoc est in custodia legis divinæ: fitque fames valida, cum non permittitur doctoribus libere verbum Dei prædicare, sed Elisæo revelante hoc est Redemptore nostro, per Evangelium indicante, salus quæ a peccatoribus longe est, timentibus Deum prope esse dignoscitur. Dicit enim Dominus noster ad servos suos: « In tempore hoc, cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei, statere uno in porta Samariæ. » Quid enim modius similæ, nisi perfectam mensuram divinæ sapientiæ, quæ est in novo Testamento? et quod duo modii hordei, nisi scientiam legis et prophetarum significant? qui comparantur statere uno, hoc est fide catholica. In porta Samariæ, in prædicatione videlicet apostolica, per quam intratur in Ecclesiam. « In tempore, inquit, hoc, cras modius similæ uno statere erit, » et reliqua. Ac si dixisset: Cessante turbine persecutionis, quæ fit hodie, dabit Dominus cras, hoc est tempore futuro, quietem et tranquillitatem, ut prædicatio Evangelii perfecte credentibus compleatur. Fuit enim tempore passionis dominicæ quasi fames verbi Domini, cum apostoli relicto eo omnes fugerunt, et domi se propter metum Judæorum incluserunt. Et iterum scriptum ait: Quia nemo de illo palam ausus est loqui: sed relucente die resurrectionis, jam aderat tempus quo comites Christi illum videntes vivere, et postmodum etiam cœlos ascendere, percepta Spiritus sancti gratia, libere verbum Dei prædicabant, tam Judæis quam etiam gentibus. Et impletum est illud vaticinium Isaiæ: « Quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine, et quæ erat arida in stagnum, et sitiens in fontes aquarum (*Isa.* XXXV). » Unde Dominus per ipsum prophetam loquens ait: « Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me; et comedite bonum et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me, audite, et vivet anima vestra (*Isa.* LV). » Perturbatis hostibus et in fugam versis, subjungit Scriptura, quod quatuor viri leprosi abissent in castra Syrorum, et nullum ibi reperientes, comederint et biberint. Ablatisque inde auro et argento ac vestibus et absconsis, postea compuncti, in civitatem hoc annuntiaverint, atque salutis hujus indicia præstiterint. Qui ergo sunt leprosi isti, nisi qui variis vitiis dediti, vel diversis erroribus impliciti, fœditatem ex interna peste educentes ostendunt in cute? Hos Dominus sæpe convertens ad fidem, et mundans ab errore et vitiis veræ salutis nuntios efficit.

« Ingressi itaque leprosi in castra Syrorum, « comederunt et biberunt, et aurum atque argen- « tum inde asportaverunt. » Cum despecti istius mundi, meditationi philosophiæ operam dantes, sensus subtilitatem, et locutionis venustatem acquirunt, unde Ecclesiæ usibus bene instructi deservire possint. Frequenter ergo talibus Dominus, et ingenii acumen, et veræ sapientiæ donum largitur. Qui bene quatuor esse memorantur, ut a quatuor Evangeliorum eruditione imbuti, in quatuor mundi partibus fidei veritatem prædicent. Legitur enim in Evangelio (*Matth.* IX; *Joan.* XII; *Luc.* VII), quod Dominus cum publicanis et peccatoribus manducaret, et mulier quæ erat in civitate peccatrix, lacrymis ejus lavaret pedes, et capillis suis tergeret, et unguento ungeret, Matthæum ex publicano apostolum et evangelistam fecit. Apparuitque post resurrectionem suam, primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia: illa vadens nuntiavit his qui cum ea fuerant lugentibus et flentibus (*Matth.* XXVIII).

« Porro ducem illum, super cujus manum rex « incubuerat, et prophetæ verbis diffidebat, consti- « tutum ad portam, conculcavit turba in introitu, « et mortuus est, juxta quod locutus fuerat vir « Dei. » Dux iste typum tenet Scribarum et Pharisæorum, qui habentes clavem scientiæ, nec ipsi introierunt per fidem in Ecclesiam catholicam, et eos qui introire volebant prohibuerant. Ad quos ipsa Veritas ait: « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec alios introeuntes sinitis intrare (*Matth.* XXIII). » — « Quem conculcavit turba in porta, » quia inutiliter ante ostium fidei stabat, et gressum introeuntium impediebat. Unde merito

conculcatus, hoc est, examine justi judicis damnatus, perpetuas mittetur in tenebras. Nam et Dominus in Evangelio ait: « Si sal evanuerit, ad nihil valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus (*Matth.* v). »

CAPUT IX.

« Elisæus autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum, et ait illi: Accinge lumbos tuos, et tolle lenticulam olei in manu tua, et vade in Ramoth Galaath. Cumque veneris illuc, videbis Jehu filium Josaphat, filii Namsi. Et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, et introduces in interius cubiculum, tenensque lenticulam olei, fundes super caput ejus, et dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel, » et reliqua. Dehinc refertur in historia hac Regum, qualiter Jehu Dominus ordinaverit ad exstirpandam domum Achab, et sacerdotes Baal interficiendos. Qui et percussit Joram regem Israel, et Ahaziam regem Juda, et Jezabel impiissimam reginam de palatio in Jezrael præcipitari fecit. Jehu enim typice potest designare principatum gentium, quem Dominus ac Redemptor noster destinavit ut in sacrilega civitate, quæ prophetas et ipsum Dominum prophetarum occidit, et apostolos ejus persecuta est, judicia exerceret, et eam ultione justa perimeret, atque sacerdotum vanum, quod post Christi adventum inaniter habuerat, destrueret templumque subverteret, necnon et impiam synagogam quæ sanguinem sanctorum semper sitiebat, de regni culmine præcipitaret ac rectores illius interficeret.

CAPUT XI.

« Athalia vero mater Ahaziæ, videns mortuum filium suum, surrexit et interfecit omne semen regium. Sed Josaba filia regis Joram, soror Ahaziæ Joas filium Ahaziæ tollens, furata est de medio filiorum regis qui interficiebantur, et abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur, eratque eum ea in domo Domini clam sex annis, quia Josaba uxor erat Joiadæ pontificis. » Athalia igitur hæc, quæ semen David exstinguere moliebatur, et regiam stirpem delere, bene impietatem exprimit Synagogæ, quæ per nequitiam mentis, seminis David, hoc est Christi, insidiatrix erat, et odium contra eum semper in corde gerebat, quæ aliquando regnare videbatur cum legis cæremonias temporaliter observabat. Interpretatur Athalia *temporalis Domini*. Sed Josaba strenuitate (quæ interpretatur *saturitas Domini*, id est Ecclesiæ, in qua veræ sunt deliciæ) servatus Joas, qui interpretatur *memoria Domini*, Christus videlicet, in quo memoria est nominis Domini, ne per crudelitatem sævientis hostis interimatur in cordibus electorum, magisque nutritur in domo Joiadæ pontificis qui *dilectus Domini* sonat, de quo Patris vox ait: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* xxiii). » Cujus domus est sancta Ecclesia, ubi in sancta fide electorum manens, quotidie facit augmentum corporis sui, donec tempore judicii, sceptrum regni et potentiam adversus eos extollet, qui eum deprimere cogitabant, et interfectricem sanctorum æternis deputaverit pœnis.

« Anno autem septimo misit Joiada, et assumens centuriones et milites introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus. Et adjurans in domo Domini eos, ostendit eis filium regis, et præcepit illis, dicens: Iste est sermo quem facere debetis. Tertia pars vestrum introeat sabbato, et observet excubitum domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Seir, et tertia pars ad portam quæ est post habitaculum scutariorum, et custodietis excubitum domus Messa. Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circum regem, et vallabitis eum habentes arma in manibus vestris. Si quis autem ingressus fuerit septa templi, interficiatur. Eritisque cum rege introeunte et egrediente. Et fecerunt centuriones juxta omnia quæ præceperat eis Joiada sacerdos. Et assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur a sabbato, venerunt ad Joiada sacerdotem: qui dedit eis hastas et arma regis David, quæ erant in domo Domini. Et steterunt singuli habentes arma in manu sua a parte templi dextra usque ad partem sinistram altaris et ædis circum regem. » Hæc autem quomodo facta sint et in quibus locis, si quis ea quæ superius de atriis domus Domini dicta sunt bene commemoraverit, ita intelligere potest. Sed ne fastidium faciamus lectoribus, omissis quæ jam exposita sunt, ad illud quod de divisione turbæ dictum est, veniamus. Cujus rei ratio talis est. Erant autem fortes viginti quatuor et sacerdotum et levitarum et janitorum, qui per totidem septimanas sibi ex ordine succederent: sabbato nova turma intrante ad officium, et post sabbatum quæ proxima septimana ministraverat domum redeunte. Sed hic pontifex propter necessitatem agendi circa novum regem exercitus, et eos quæ intrandi septimanam ordinem habebant, suscepit et illos qui jam suam septimanam ministrando impleverant, ne abirent retinuit: qui alios quoque levitas de cunctis urbibus Juda, simul et principes familiarum Israel, missis in hoc centurionibus Hierosolymam, congregaverat: quod educturus filium regis tali ratione distinxit, ut omnes qui impleverant sabbatum, et egressuri erant, in duas divisi partes regem in interioribus atrii locis armati circumstarent. Reliqua vero multitudo, id est hi qui non erant de stirpe Levi, exteriores atriorum januas contra furorem reginæ (si quid forte adversi moliretur) custodirent. Porro hi qui super ad sabbatum venerant sacerdotes, levitæ et janitores, in tres divisi partes, domum regis, id est palatium observarent, ne vel hoc regina collecto exercitu contra regem defenderet. Servarent et portam scutariorum habitaculi, per quam de templo ad palatium descendebatur, sicut infra dicitur. Duxeruntque re-

gem de domo Domini, et venerunt per viam portæ A scutariorum in palatium, et sedit supra thronum regum, ubi et porta Scir et domus Messa quæ cum porta scutariorum nominantur, esse videntur. Scutarios autem tutores regis appellat, testante libro Paralipomenon : qui cum Roboam scuta ærea pro aureis commemorasset, adjecit ; et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii. In quo videlicet libro, distinctius hæc cuncta replicantur : « Tertia pars vestrum, qui veniunt ad sabbatum sacerdotum et levitarum et janitorum, erit in portis. Tertia vero pars ad domum regis, et tertia in porta quæ appellatur Fundamenti. Omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini, nec quisquam alius ingrediatur domum Domini, nisi sacerdotes, et qui mini- B strant de levitis. Ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt, et omne reliquum vulgus observet custodias Domini, levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua, » etc. Quod sequitur de eodem : « Produxitque filium regis, et posuit super caput ejus diadema et testimonium. » In diademate, insigne capitis regium, in testimonio designat decreta legis Dei, quibus quid agere rex debeat, qualiter vivere, præcipiatur. Denique in libro Verborum dierum apertius : « Et imposuerunt (inquit) ei diadema et testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem (*II Par.* XXIII). » Magnæ utique erat salutarisque prudentiæ, ut post tyrannicæ impiæque necem reginæ, succedenti in regnum filio C regis legitimi cum ipso regni habitu simul disciplina legis Dei servanda committeretur, et qui se prælatum populo regendo videret, ipse se regendum divinis legibus subdi debere meminisset.

CAPUT XII.

« Dixitque Joas ad sacerdotes : Omnem pecu« niam sanctorum, quæ illata fuerit in templum « Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pre« tio animæ, et quam sponte et arbitrio cordis sui « inferunt in templum Domini : accipiant illam « sacerdotes juxta ordinem suum, et instaurent « sarta tecta domus, si quid necessarium viderint « instaurationi. » Mandat rex noster doctoribus D suis, ut accipiant omnem pecuniam quæ a prætereuntibus offertur in templum Domini, pro pretio animæ et voto cordis sui : cum quidquid a prætereuntibus in istis scientiæ spiritualis, vel bonorum exemplorum, in thesaurum Domini collatum est, per sacerdotum, hoc est prædicatorum officia, ad instaurationem templi spiritualis conferatur : quatenus quodcunque scissum ibi per errorem, vel per vitia invenerint, restaurent : ne forte per negligentiam magistrorum, depereat multitudo auditorum. Quod autem sequitur :

« Igitur usque ad vicesimum tertium annum « regis Joas non instauraverunt sacerdotes sarta « tecta templi, » significat quod ante adventum Salvatoris, licet doctrina legis in gente Judaica fuerit, tamen per doctorum negligentiam in multis corrumpebatur, donec veniret ipse qui legem dedit et per sanctæ Trinitatis fidem, decalogum legis in Moysi et prophetarum scriptis spiritualiter observandum doceret.

« Vocavitque rex Ioas Joiadam pontificem et « sacerdotes, dicens eis : Quare sarta tecta non « instauratis templi ? Nolite ergo amplius accipere « pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad in« staurationem templi reddite eam, » et reliqua. Sic et Dominus noster in Evangelicis doctoribus mandans, ait : « Levate oculos vestros et videte regiones quia albæ sunt jam ad messem (*Joan.* IV). » — « Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (*Matth.* IX). » Et item : Euntes (inquit) in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI). » — « Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, gratis accepistis, gratis date (*Matth.* X). »

« Et tulit Joiada pontifex gazophylacium unum, « aperuitque foramen desuper, et posuit illud « juxta altare ad dexteram ingredientium domum « Domini. » Altare videlicet corpus Domini est, juxta quod gazophylacium positum est, cum Ecclesia Christo conjuncta est, ad dexteram ingredientium in domum Domini : quia hæc est intentio electorum, qui per fidem ingrediuntur Ecclesiam, ut ad æternam beatitudinem (quam dextra significat) perveniant. Istud ergo mittunt sacerdotes, qui custodiunt ostia templi omnem pecuniam quæ defertur ad templum Domini, cum prædicatores sancti qui servant introitum fidei, offerunt vota fidelium in verbis et operibus ; et in Ecclesia rite precibus commendant Deo.

« Ascendebat scriba regis et pontifex, effunde« bantque et numerabant pecuniam quæ invenie« batur in domo Domini, et dabant eam juxta nu« merum atque mensuram in manu eorum qui « præerant cæmentariis domus Domini. Qui im« pendebant eam in fabris lignorum et cæmenta« riis his qui operabantur in domo Domini, » et reliqua. Scribam regis et pontificem appellat summos doctores, qui pecuniam collatam juxta numerum atque mensuram illis tribuebant, præerant fabris et cæmentariis, hoc est, dispensatoribus verbi divini qui Evangelici tritici mensuram, conservis suis his qui operantur in domo Domini, et virtutum opera in ædificio divino componunt, tribuebant. Quid ergo aliud fecerunt apostoli (quos principes in Ecclesia electio divina constituit) quando per subjectos sibi discipulos, verbi divini semina per totum orbem sparserunt quatenus operarios voluntatis Dei idoneos in auditoribus suis præficerent : quorum alii fabricant ligna, cum semetipsos et eos, qui sibi obediebant, ligna fructifera in domo Domini parare studebant, alii sarta tecta templi faciebant, quando illa quæ per hæresim et schismata rupta erant, reædificabant. Alii saxa cædebant, cum duros corde et incredulos fortiter increpabant, ita ut impleretur instauratio domus Do-

mini, in universis quæ indigebant expensa ad domum Domini muniendam, juxta illud utique Apostoli quo ait : « Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi (*Ephes.* IV). » Et paulo post : « Et ipse (inquit) dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas : alios vero evangelistas, alios autem doctores et pastores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (*Ibid.*). » Quod autem sequitur :

« Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia « hydriæ templi Domini, et fuscinulæ, et thuribula « et tubæ, et omne vas aureum et argenteum, de « pecunia quæ inferebatur in templum Domini, » significat quod alia debet esse ratio, formandorum vasorum in ministerium Domini, alia parandorum lignorum et saxorum in ædificium domus. Quia alia debet esse doctrina qua rudes imbuuntur ad fidem, et alia qua jam perfecti instruuntur ad scientiæ plenitudinem. Bene autem vasa domus Domini illic possunt intelligi, qui jam apti sunt ad capienda munera divina, et habiles fiunt ad ministerium Dei. Nam hydriæ eos significare possunt, qui aquam sapientiæ divinæ in se continent. Fuscinulæ quoque doctores spirituales, quorum officium est corpus et sanguinem Domini credentibus distribuere, infidelibus abnegare, necnon et spiritualem alimoniam verbi, cuique prout convenit, dispartiri. Quia sunt in verbis Dei nonnulla quæ nostræ humilitati revelare, ad nostræ epulas refectionis concedere dignatus est. Sunt item alia tantæ profunditatis, quæ sancti Spiritus solummodo scientiæ pateant, nostræ vero capacitatis per omnia mensuram transcendant. Thuribula autem illos figurate demonstrant, qui mundam orationem ex conscientia pura et fide non ficta offerunt Deo, et cum propheta dicere possunt : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL). » Tubæ autem quid aliud sunt quam prædicatores sancti, qui in toto orbe terrarum vocem Evangelicæ prædicationis emittunt ? quorum personæ per prophetam dictum est : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum (*Isa.* LVIII). » Et Psalmista : In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* III). » Sequitur :

« Et non fiebat ratio his hominibus, qui accipiebant pecuniam, ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam. » Devotionem ostendit eorum, de quibus sermo est : Quia tantum studii in religione habuerunt, ut nullus dubitaverit quin pecuniam Domini, sine alicujus suspicione fraudis tractarent. Et hanc de ærario sublatam, fideliter artificibus, ad muniendam domum, prout singulis opus esset, offerrent. Unde necesse est, ut considerent hi, qui spiritualem pecuniam verbi Dei ad dispensandum conservis suis, operariis scilicet divinis accipiunt, quanta fide quantaque discretione illis opus est, quibus ratio de eadem pecunia reddenda est : ut studeant

A minus fideles in spiritualibus invenire, quam isti in corporalibus fuerant inventi.

« Pecuniam vero pro delicto, et pecuniam pro « peccatis, non inferebant in templum Domini, « quia sacerdotum erat. » Hæc sententia ostendit, quod non quis proprio arbitrio facile se credere debet, sed magis sciat, quod confessio peccatorum et pœnitentia sacerdotum judicio peragenda est, qui habent scientiam discernendi inter mundum et immundum, et lepræ maculam dijudicare, et aut condemnare, aut mundum discernere.

CAPUT XIII.

« Elisæus autem ægrotabat infirmitate, qua et B « mortuus est. Descenditque ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo, dicebatque : Pater mi, « Pater mi, currus Israel et auriga ejus. Et ait illi « Elisæus : Affer arcum et sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum et sagittas, dixit ad regem « Israel : Pone manum tuam super arcum. Et « cum posuisset ille manum suam, superposuit « Elisæus manus suas manibus regis, et ait : Aperi « fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit « Elisæus : Jace sagittam. Et jecit. Et ait Elisæus : « Sagitta salutis Domini et sagitta salutis contra « Syriam. Percutiesque Syriam in Aphec, donec « consumas eam, » et reliqua. Quid est quod propheta regi Israel jubet arcum et sagittam afferre, nisi quod Redemptor noster rectoribus Ecclesiæ, C armis spiritualibus se indui, et contra hostem antiquum præcipit præliari ? Arcus enim nonnunquam in sacro eloquio, pro ipso sacro eloquio poni solet, quod ex utroque Testamento velut ex cornu et chorda constat. Per Vetus quippe Testamentum figuratur cornu propter duritiam. Per Novum, quod incarnato Domino figuratum est, signatur chorda, et dum chorda trahitur, cornu curvatur, quia cum Novum Testamentum discutitur, a duritia litteræ Vetus inclinatur, et ad intellectum spiritualem flectitur, quia rigore ejus duritiæ non tenetur. Sagittæ enim sunt hæc ipsa verba quæ doctores proferunt. Unde etiam bene de sanctis doctoribus, per prophetam gentilitatem ingredientibus dicitur : « Cum sagittis acutis et arcu D ingredientur illuc (*Isa.* VII). » Nos ergo cum Scripturæ sacræ dicta pensamus, arcum intendimus : cum verba doctrinæ damus, sagittas emittimus. Ponitque Elisæus manus suas super manus regis, cum exemplis suis Dominus actiones doctorum dirigit et confortat. Orientatem fenestram aperire mandat, et jacere sagittam, quia lumine scientiæ et veræ doctrinæ, suos hortatur primum illustrari, et sicut jacula verborum mittere.

« Et ait Elisæus : Sagitta salutis Domini, et sagitta « salutis contra Syriam, percutiesque Syriam in « Aphec, donec consumas eam. » Sagitta ergo salutis Domini est prædicatio sancta, cum decenter exhibetur, et spiritualium hostium certissima interfectio, si perseveranter agitur. Nec fas est ut aliquando dispensator verbi Dei segniter torpeat, cui jussum

est, ut gregis Dominici curam habeat, quia multum obest devotis auditoribus, si inertia prævalet doctoribus. Dicit enim Propheta : « Clama, ne cesses (*Isa.* LVIII). » Et Apostolus ad Timotheum : « Testificor (inquit) coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, et per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum insta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina (*II Tim.* IV). » Unde non debet doctor propter avaritiam negligere animarum curam, sed magis per pietatem ad æternam pertendere requiem, quod significat Aphec, interpretatur enim *continebit* vel *apprehendet*. Unde idem Apostolus, enumeratis vitiis quæ avaritiam comitantur, ad prædictum discipulum intulit dicens : « Tu autem homo Dei hæc fuge, sectare vero B justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, certamen bonum, certamen fidei, apprehende vitam æternam in qua vocatus es (*I Tim.* VI). »

« Et ait Elisæus ad regem : Tolle sagittas. Qui « cum tulisset, rursum dixit ei : Percute jaculo « terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et « stetisset, iratus est vir Dei contra eum, et ait : « Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, « percussisses Syriam usque ad consummationem. « Nunc autem tribus vicibus percuties eam » Ecce propheta mandat regi jaculo percutere terram, et cum percutit tribus vicibus et stat, irascitur contra eum quod non sæpius terram percuteret. Ita et doctoribus præcipitur, prædicationis jaculo terram, C hoc est, carnales percutere. Sed qui hoc minus studiose agunt, merito increpatione divina arguuntur. Quid est enim tribus vicibus terram jaculo percutere, nisi Trinitatis fidem carnalibus per doctrinam insinuare ? sed cum agit hoc satis doctor, hominesque ad fidem perducit, necesse est ut adhuc instet verbo, donec illos doceat quinque sensibus corporis imperare, bonisque operibus (quæ per senarium numerum exprimuntur) studium impendere, necnon et scientiam spiritualem instanter meditari, quam septiformis Spiritus gratia in Scripturis sacris constituit atque ad salutem humani generis gemino Testamento edidit. Qui autem solam fidem sine operibus bonis et meditatione legis Dei sibi sufficere credunt ad salutem, recte a propheta arguuntur, quia secundum D Jacobi apostoli sententiam, « Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). » Et alibi scriptum est : « Qui ignorat ignorabitur (*I Cor.* XIV). »

« Mortuus est ergo Elisæus et sepelierunt eum. « Latrunculi quoque de Moab venerunt in terram « Israel in ipso anno. Quidam autem sepelientes « hominem, videntes latrunculos, projecerunt ca- « daver in sepulcrum Elisæi. Quod mox ut tetigit « ossa Elisæi, revixit homo et stetit super pedes suos. » Quid significat hæc resuscitatio cadaveris mortui per contactum ossium Elisæi, nisi vitam fidelium, quæ in morte Christi veraciter constat ? Quicumque ergo firma fide tangit mortem Christi, A et spem suam veraciter in ipso collocat, sine dubio particeps erit resurrectionis ejus. Dicit enim ipsa Veritas : « Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum (*Joan.* XI). » Et alibi : « Sicut Moyses, inquit, exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam (*Num.* XXI; *Joan.* III). »

CAPUT XIV.

« Quod dicitur de Amasia rege Juda : Ipse per- « cussit Edom in valle Salinarum decem millia, et « apprehendit petram in prælio, vocavitque nomen « ejus Jecthel usque in præsentem diem. » Vallis Salinarum erat, ubi sal faciebant, vel feno videlicet salsuginis, ut multis in locis deciso, exsiccato et incenso, vel aquis puteorum salsis fervefactis, et usque ad salis firmitatem coquendo perductis, vel alio quolibet ordine, quo sal fieri consuevit. In quo etiam loco, et Joab duodecim Idumæorum percussisse legitur. Nec prætereundum quod pro valle Salinarum vetus editio quasi nomen regionis Gemela posuit. Petra autem civitas est Arabiæ nobilis in eadem terra Edom, quæ in libro Numerorum (*Num.* XXXI). Recem dicitur, et a Syris hodie quæ sic appellatur. Jecthel vero quod Amasias victor ei nomen imposuit, interpretatur *cœtus Dei* vel *auxilium Dei*, a gente eo fideliter, ut perenni inderetur memoriæ quod hanc vel cœtus populi Dei, vel Deo adjuvante ceperit.

CAPUT XV.

« Anno vicesimo septimo Jeroboam regis Israel, « regnavit Azarias filius Amasiæ regis Juda. Sexde- « cim annorum erat cum regnare cœpisset, et « quinquaginta duobus annis regnavit in Hieru- « salem, » et reliqua. Azarias ipse est Osias, qui propter contemptum Domini, dum sacrificare in templo vellet contra legem Moysi, percussus est lepra a Domino juxta altare astans, et holocausta nitens offerre : potest quippe Ozias rex leprosus significare diabolum, cui lepra iniquitatis insanabilis est. Qui cum suam mensuram non vellet cognoscere, et majora tentasset, appetere, fœditate pessimæ lepræ notabilis effectus, de domo ejectus est, et perseveravit usque in finem leprosus, separatus a populo Dei. Sub hoc videlicet rege regnante, et quantum in se est sacerdotium dissipante Isaias propheta visionem illam magnificam, qua viderat Dominum sedentem super solium excelsum, videre non potuit. Quandiu ille regnum tenuit in Judæa, propheta oculos non levavit ad cœlum, non sunt ei reserata cœlestia, non apparuit Dominus sabaoth, nec in mysterio fideliter sancti nomen auditum est. Quando ille mortuus est, universa quæ subsequens sermo monstravit, aperto sese in lumine prodiderant. Tale quod et in Exodo scriptum est : Dum Pharao vixit, populus Israel ex luti et lateris et palearum opere non suspiravit ad Dominum. Dum ille regnavit, nemo quæsivit Deum Patrem Abraham,

Isaac et Jacob. Quando vero ille mortuus est, A suspiraverunt filii Israel, ut Scriptura dicit, et ascendit clamor eorum ad Dominum; cum utique juxta historiam tunc magis gaudere debuerint, et ante suspirare, eum viveret. Ezechiele quoque prophetante, Phaltias filius Banaiæ occubuit, et post pessimi ducis interitum : « Cecidi, inquit, super faciem meam et clamavi voce magna, et dixi : Heu mi, heu mi, Adonai Deus, consummationem tu facis reliquias Israel ? » (*Ezech.* XI). Si ergo intelligas in Ozia et Pharaone et Phaltia et cæteris istiusmodi contrarias fortitudines, videbis quomodo illis viventibus nullus vestrorum videat et suspiret, et in pœnitentiam corruet : « Non regnet, ait Apostolus, peccatum in mortali corpore vestro (*Rom.* IX). » Regnante peccato Ægyptiis exstruimus civi- B tates in cinere, versamur in sordibus. Pro frumento paleas, pro solida petra luti opera. Sed tamen quod dicitur de Jeroboam rege Israel, ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis Emath, quæ nunc Ephiphani adjicitur, septentrionalis erat terminus Israel. Mare autem solitudinis, quod Hebraice dicitur Araba, mare Mortuum designat, quod in latitudine per stadia octoginta usque ad zearos Arabiæ, in longitudine centum quinquaginta usque ad vicinia Sodomorum progreditur; cujus loci Josephus ita meminit dicens : Anno autem quintodecimo regni Amasiæ, regnavit in Israel filius Joas Jeroboam, in Samaria annos quadraginta. Hic autem rex circa Deum quidem injuriosus et iniquus exstitit vehe- C menter, idola colendo et multa incongrua et opera extranea faciendo. Populo autem Israelitarum multorum bonorum fuit occasio. Huic quidem Jonas prophetavit, quia oporteret eum Syrios vincere dimicando, et regnum proprium dilatare, in partibus quidem Aquilonis, usque ad Etham civitatem : a meridie vero usque ad Asphaltum. Antiquitus enim termini Chananæi isti fuerunt, sicut princeps Jesus ea loca determinat. Igitur Jeroboam castrametatus contra Syrios omnem eorum provinciam, sicut Jonas prophetaverat, devastavit.

CAPUT XVI.

« Anno septimo decimo Phacee filii Romeliæ, regnavit Achaz filius Joatham regis Juda. Viginti « annorum erat Achaz cum regnare cœpisset, et « sedecim annis regnavit in Hierusalem. Non fecit « quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, « sicut David pater ejus, sed ambulavit in via « regum Israel. Insuper et filium suum consecra- « vit, transferens per ignem secundum idola gen- « tium, quæ dissipavit Dominus coram filiis « Israel. » Hinc Josephus taliter narrat : Porro Joatham mutavit vitam cum vixisset annis quadraginta unum, ex quibus regnavit duodecim. Sepultus est in regiis monumentis, venitque regnum ad ejus filium Achaz, qui impius circa Deum existens, et paternæ prævaricator legis, reges Israelitarum imitatus, in Jerosolymis idolorum aras constituit, et super ea sacrificavit. In quibus etiam suum in holocaustum obtulit filium more Chananæorum, et super hæc multa alia scelera perpetravit. Musach quoque sabbati quod ædificaverat in templo, et ingressum regis exterius, convertit in templum Domini, propter regem Assyriorum. Legi in cujusdam libro, Musach sabbati, expositum locum quemdam, vel ædificium quoddam esse positum in vestibulo templi Domini, ubi reges quando sabbato orationis causa ad templum ibant, pecuniam pro eleemosyna mittebant. Et ita Musach sabbati, gazophylacium esse regum, sicut Corbanan est sacerdotum. Videtur enim Achaz ipsum ædificium et ingressum regis exterius, non ideo convertisse in templum Domini, quod in eo cultui serviretur divino, sed ut simul cum templo profanaretur, studens ut magis placeret regi Assyrio quam Deo patrum suorum et Domino. Cui sensui videtur liber Paralipomenon astipulare, ubi ita scriptum est (*II. Par.* XXVIII) : « Igitur Achaz spoliata domo Domini, et domo regum et principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit. Insuper et tempore angustiæ suæ, auxit contemptum in Dominum. Ipse per se rex Achaz immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit : Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei et universo Israel. Dereptis itaque Achaz omnibus vasis domus Domini atque confractis, clausit januas templi Domini, et fecit sibi altaria in universis angulis Hierusalem. In omnibus quoque urbibus Juda exstruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum. » Hæc sicut scripta reperimus, hoc in loco ponenda esse censuimus, parati, si qui aliquid inde certius expresserint, eorum sententiam auscultare.

« Tun ascendite Rasin rex Syriæ, et Phacee filius « Romeliæ rex Israel, ad præliandum in Hierusa- « lem. Cumque obsiderent Achaz, non valuerunt « superare eum. In tempore illo restituit Rasin rex « Syriæ Ailam Syriæ, et ejecit Judæos de Aila. Et « Idumæi venerunt in Ailam, » et reliqua. Rex impius qui Dominum Deum patrum suorum dereliquit, et secutus est idola gentium juste Domini auxilio derelictus est, et consurrexerunt adversus D eum Rasin rex Syriæ, id est Aram et Phacee filius Romeliæ rex Israel in Samaria, et venerunt in Hierusalem, ut expugnarent eam. Legimus in Paralipomenon libro (*Ibid.*) regem Rasin Damasci, victo Achaz, multos de Judæa Damascum transtulisse, et Phacee filium Romeliæ regem decem tribuum, quæ appellabantur Israel, et regnabant in Samaria, una die centum viginti millia percussisse de Judæa hominum bellatorum, et cum infinita præda in Samariam duxisse captiva. Rursum veniunt ad Judæam, et Hierusalem cupiunt debellare, et non potuerunt, quia auxiliatus est ei Dominus, ut sub occasione misericordiæ, quas populum obsessum liberavit, filium suum nuntiaret de virgine nasciturum, sicut Isaiæ prophetæ liber commemorat (*Isa.* VII). Huic non suo merito, sed Domini

gratiam ostendendo, egredi in occursum Isaias ju- A betur, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri fullonis et dicere ad eum : « Vide ut sileas. Noli timere, et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum, in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ, eo quod consilium inierit contra te Syria pessimum, et Ephraim et filius Romeliæ, dicentes : Ascendamus ad Judam, et suscitemus eum, et evellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus filium Tabeel. Hæc dicit Dominus Deus : Non stabit et non erit istud, sed caput Syriæ Damascus, et caput Damasci Rasid. Et adhuc sexaginta quinque anni, et desinet Ephraim esse populus. » Duas autem caudas titionum, id est torrium fumigantium, vocat Rasin regem Syriæ, et Phacee filium Rome- B liæ regem Samariæ, eo quod in illis finitum sit regnum Syriæ, id est Damasci, et regnum Samariæ, id est decem tribuum, qui alio nomine appellabantur Ephraim. Sexaginta autem et quinque anni, non a temporibus Achaz, sed ab Oziæ numerantur. Igitur Hebræi hunc locum ita edisserunt, ut Amos qui sub Ozia cœpit prophetare, quando et Isaias prophetiæ suæ habuit exordium, primus prophetavit contra Israel, dicens : « Israel autem captivus ducetur de terra sua. » Titulus quoque prophetiæ ejus contra Samariam fit, et prophetare cœpit in diebus Oziæ regis Juda, ante duos annos terræmotus ; quem volunt eo tempore accidisse, quo ingressus Ozias in templum Dei, ibi sacerdotium vindicabat, et terra percussa est et C cineres altaris effusi sunt, et ipse rex percussus lepra. Volunt autem annum fuisse vicesimum quintum Oziæ, quando hæc acciderunt, cujus reliqui anni sunt viginti septem. Omnes enim regnavit annos quinquaginta duo. Postea regnavit Joatham filius ejus annis sedecim, et hujus filius Achaz, aliis sedecim. Post quem regnavit Ezechias, cujus sexto imperii anno, capta Samaria est, atque ita effici simul annos sexaginta quinque. Scriptum est enim quod Theglathphalasar rex Assyriorum sub rege Achaz ascenderit in Damascum, et vastaverit eam, et transtulerit habitatores ejus Cyrenen, et Rasin interfecerit. Et quod tetenderit insidias Phacee filio Romeliæ Osee filius Ela, et percusserit eum et interfecerit, et regnaverit pro illo in Israel annis novem, et quod venerit Salmanasar rex Assur et D obsederit Samariam, quæ nunc Sebasten vocatur tribus annis, et nono anno regni Osee ceperit eam, vinctumque Osee in carcerem miserit, et transtulerit Israel in Assyrios, posueritque eos in Hala et in Habor juxta fluvium Gozan, in civitatibus, sive (ut Septuaginta transtulerunt) in montibus Medorum. Juxta anagogen facilis interpretatio est, quod regnante Achaz rege impio, rex Aram qui interpretatur *excelsus* atque *sublimis*, ut indicet arrogantiam sapientiæ sæculi ; et Phacee filius Romeliæ qui et ipse juxta Osee prophetam et tribum Ephraim, de qua Jeroboam filius Nabath vitulos aureos in Bethel et Dan constituerat, et a domo David Dei populum separarat, refertur ad hæreticos, qui consentiant sibi, ut expugnent Ecclesiam. Quod cum audierit domus David, cui in Ezechiele pastorem bonum legimus suscitatum (*Ezech.* XXXIV), et populus ejus simpliciter credens in Dominum, pertremiscit. Et ideo pertremiscit, quia non arboribus frugiferis, sed infructuoso saltui comparatur. Eosdem autem hæreticos atque gentiles contra domum David argumentorum et dialecticæ artis gladiis dimicare nulli dubium est, ut qui inter se discrepant, in Ecclesiæ oppugnatione consentiant : juxta illud quod Herodes et Pilatus inter se discordantes, in Domini passione amicitia fœderantur (*Joan.* XXI). Impio regi in Isaac jubetur occurrere, exiens de loco suo, non in principio aquæductus, sed in extremis finibus piscinæ superioris quæ erat in agro fullonis, ubi sordes expurgabantur. Quamvis enim Achaz regnaret super Judam, tamen quia impius erat, in superioris piscinæ extremis finibus morabatur. Ergo Deus non tam regis miseretur, quem indignum æstimabat salute, quam populi sui. Duas autem caudas torrium fumigantium, ut prius diximus, vocat sapientiam sæcularem, hæreticumque sermonem, quorum finis exustio est, qui frustra inierunt consilium, ut ascenderent contra Judam, et quasi negligentem et dormientem caperent, et suis erroribus copularent, ponerentque super eum regem filium Tabeel, hoc est bonum Deum. Uterque enim adversarius apud se severitatem, apud se æstimat optimam esse doctrinam. Denique Marcion hæreticus boni Dei filium, hoc est alterius putat esse Christum, et non justi cujus prophetæ sunt, quem sanguinarium et crudelem judicem vocat. Hæc illis dicentibus Dominus dominator, quod non stet consilium ipsorum, sed interim quandiu nunc iste mundus stat, et ea quæ mundi sunt, in suis finibus et in suis urbibus dominentur. Cum autem consummationis tempus advenerit, hoc est sexaginta quinque anni, et tam mundi res quæ in sex diebus factæ sunt, quam omnia quæ ad quinque sensus pertinent finem acceperint, tunc universa esse solvenda, quæ gentiles et hæretici futura non credunt ; et propter infidelitatem non intelligunt quæ dicuntur.

CAPUT XVII.

« Iratusque est Dominus vehementer Israel et « abstulit eos de conspectu suo, et non remansit « nisi tribus Juda tantummodo ; sed nec ipse Ju« das custodivit mandata Domini Dei sui, verum« tamen ambulavit in erroribus Israel quos ope« ratus fuerat. Projecitque Dominus omne semen « Israel, et afflixit eos et tradidit in manu diripientium, donec projiceret eos a facie sua. » Subversio autem Israelitarum, quæ ab Assyriæ regibus perpetrata est quid significat, nisi miserabilem et nimis deflendam ruinam populi ecclesiastici ? quam rex Assyrius, hoc est diabolus, cum suo exercitu devastando atque obsidendo quotidie efficit, cum eos propter peccata commissa, de sedibus propriis evellens, defert in terram alienam, quo magis lugere delectat, quam cantita lætitiæ proferre. Unde et Psalmista mysticoeloquiohoc idem com-

memorat, dicens: «Super flumina Babylonis illic A sedimus, et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerant nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena (*Psal.* CXXXVI)? » Quod dicitur de his quæ in Samariam adductæ sunt a rege Assyriorum nationibus.

« Et unaquæque gens fabricata est deum suum. « Posueruntque eos in phanis excelsis, quæ fece- « rant Samaritæ gens et gens in urbibus suis, in « quibus habitabant. Viri enim Babylonii fecerunt « Sochoth Benoth, viri autem Cuthei fecerunt Ner- « gel, et viri de Hemath fecerunt Asima. Porro Evæi « fecerunt Nebaaz et Tharthac. » In libro quidem Locorum legitur quod Benoth et Nergel fuerint civitates quas construxerunt in regione Judææ Samaritani, qui de Babylonia transierant. Asima quoque oppidum ædificaverunt, qui ad eam venerunt de Hemath. Nebaaz et Thartac civitates sunt, quas Evæi in eadem Judææ terra condiderunt. Videtur autem, juxta consequentiam sermonis, et idolorum, quibus hæ gentes prius in terra sua servierint, hic posse vocabula intelligi. Quia cum dictum esset: « et unaquæque gens fabricata est « deum suum, » quasi ad expletionem sententiæ subjunctum sit: « viri enim Babylonii fecerunt Sochoth Benoth. » Et melius, ni fallor, faceret interpres, si Sochoth Latine in *tabernacula* verteret, et C nomen idoli Benoth absolute poneret, et sicut in sequentibus manifeste dicitur.

« Hi autem qui erant de Sepharvaim, combure- « bant filios suos igni Adramelech et Anamelech « diis Sepharvaim. » Ubi ostenditur Adramelech et Anamelech idola fuisse urbis Sepharvaim. Ita videtur consequens, ut et Nergel Cuthæorum, Asima Hemathæorum, Nebaaz et Tharthac idola fuerint Evæorum. Posthæc Scriptura narrat de ipsis Samaritanis quod cum Dominum colerent, diis quoque suis servirent juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam, et non multo post subsequitur dicens:

« Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem D « Deum, sed nihilominus et idolis suis servientes; « nam et filii eorum et nepotes, sicut fecerunt pa- « tres sui, ita faciunt usque in præsentem diem. » Et quia in Samaritanorum persona hæretici accipiuntur, in prædicta sententia illorum nequitia convenienter exprimitur. Habent enim hæretici quædam sacramenta communia cum sancta Ecclesia, et quasdam sententias sanctarum Scripturarum rite intelligunt, sed tamen nihilominus idolis immundorum spirituum servire non cessant. Videtur enim eis timorem Dei rite se custodire, cum secundum sensum suum veritati se putant favere. Sed quia catholicæ fidei unitatem spernunt habere, malignorum spirituum voluntatibus se veraciter manifestant obtemperare, et non solum inventores primi errorum, quos patres Samaritanorum significant, hoc faciunt, sed et sequaces eorum, quos filiorum nomine et nepotum expressos recte possumus intelligere, similiter agunt.

CAPUT XVIII.

« Anno tertio Oseæ, filii Ela regis Israel, regnavit « Ezechias, filius Achaz regis Juda. Viginti quinque « annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti « novem annis regnavit in Hierusalem. Nomen ma- « tris ejus Abia, filia Zachariæ. Fecitque quod erat « bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat « David pater suus. Ipse dissipavit excelsa, et con- « trivit statuas, et succidit lucos, confregitque ser- « pentem æreum, quem fecerat Moyses. Siquidem « usque ad illus tempus filii Israel adolebant ei « incensum. Vocavitque eum nomen ejus Nahas- « than. Et in Domino Deo Israel speravit. » Siquidem Nahasthan interpretatur *æs eorum*, ut quem illi pro numine colebant in dictis ejus metallum eum esse non deum agnoscerent. Et quia Ezechias in hoc quod excelsa dissipavit, et statuas contrivit, atque succidit lucos, necnon et omnia simulacra comminuit, Salvatoris typum tenet. Interpretatur enim Ezechias *apprehendens Dominum* vel *fortitudo Domini*. In eo ipso utique quod ipsum serpentem æneum quem Moyses fecit, comminuit, Redemptoris figuram convenienter tenet. Non solum enim Dominus noster ac Redemptor, de quo per Prophetam dicitur: « Dominus fortis Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII), » idola gentium contrivit, et omnia simulacra eorum dissipavit, quatenus Dei omnipotentis notitiam haberet, ejusque cultui digne manciparentur, quin ipsam litteram legis Mosaicæ, quam ille populus legalis assidua lectione resonabat, ac pro magno habebat, contrivit, ac sensum spiritualem in ea intelligere eos docuit.

« Anno quatuordecimo regis Ezechiæ ascendit « Sennacherib rex Assyriorum ad universas civi- « tates Juda munitas, et cepit eas. Tunc misit Eze- « chias rex Juda nuntios ad regem Assyriorum in « Lachis, dicens: Peccavi, recede a me, et omne « quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque rex « Assyriorum Ezechiæ regi Judæ trecenta talenta « argenti, et triginta talenta auri. Deditque Eze- « chias omne argentum quod repertum fuerat in « domo Domini, et in thesauris regis, etc. » Clara est historia quæ in libris Regum necnon in Paralipomenon et in Prophetia Isaiæ pari modo describitur. Ezechias viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset: regnavit autem viginti novem annis in Hierusalem, et rebellavit contra regem Assyriorum, et non servivit ei. Hinc Sennacherib ingressus Judæam, obsedit urbes ejus munitas. Et cum obsideret Lachis, misit ad eum Ezechias trecenta talenta argenti, et triginta talenta auri, fractis januis templi, et laminis ejus detractis quasi ipse affixisset.

« Misit autem rex Assyriorum Tarthan et Rabsaris « et Rabsacen cum manu valida ad Hierusalem. « Egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ

« præpositus domus, et Sobna scriba et Joahe filius Asapha commentariis, etc.» Iste est Eliacim de quo Isaias in visione vallis Sion dixit : « Vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ (*Isa.* XXII),» et reliqua. Qui fuit pontifex post Sobnam præpositum templi quem tradunt Hebræi Rabsaces comminatione perterritum, tradidisse manus Assyriis, et prodidisse Hierusalem, et excepta arce Sion et templo, Assyrios totam urbem cepisse. Quem etiam Sobam cum Eliacim ad Rabsacen exisse quidam putant. Rabsacen autem (qui Hebraicè locutus est), filium Isaiæ prophetæ autumant, qui et ipse proditor fuerat. Relictumque filium Isaiæ alterum vocatum Jasub, qui Latine, relictum sonat. Alii autem putant eum Samaritem fuisse et ideo Hebraicam scisse linguam, et tam audacter et impie Deum blasphemasse. Quia quasi quadam contraria fortitudo sua arrogantia imitabatur prophetas qui dicebant : « Hæc dicit Dominus.» Iste dixit : Hæc dicit rex magnus rex Assyriorum.» Ac primum quia dixit : « Confidis super Ægyptum,» falsum est. Nulla enim narrat historia quod Ezechias Pharaonis auxilium postularit. Quodque infert : « Si responderis mihi, in Domino Deo confidimus, » verum est. Sed subjungit rursum mendacium veritati, « quod abstulit Ezechias excelsa ejus et altaria. » Hæc enim non contra Deum, sed pro Deo fecit, ut destructa idololatria et cætero errore, juberet Deum adorari in Hierusalem, ubi fuit templum ejus. Quique ut paucitatem obsessorum ostenderet, duo millia equorum pollicetur, quorum ascensores Ezechias non haberet. Non de imbecillitate populi venit, quasi equitandi ignari, sed de observatione præceptorum Dei, quia Moysi præcepit, ne rex Israel equos et uxores sibi multiplicaret. Si autem (inquit) me minimum servorum regis Sennacherib sustinere non vales, quomodo tantam illius potentiam sustinebis ? Ad id autem quod dixit : « Si responderis mihi, in Domino Deo confidimus,» callide respondit se non sua voluntate, sed Domini venisse præceptis. « Dixit Dominus ad me : Ascende super terram et disperde eam, » et est argumentum. Certa enim sine Domini voluntate huc venire non poteram. Cum autem venerim, et multas urbes ceperim, et pars Hierusalem maneat intacta, manifestum est me ejus voluntate venisse.

« Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ et Sobna et Joahe Rabsaci : Precamur ut loquaris nobis servis tuis Syriace, siquidem intelligimus hanc linguam. et non loquaris nobis Judaice, audiente populo, qui est super murum. Responditque eis Rabsaces, dicens : Nunquid ad Dominum tuum et ad te misit me dominus meus, ut loquerer sermones hos, et non potius ad viros qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, et bibant urinam suam vobiscum, » etc. Rapsacis accusatio, Ezechiæ testimonium est, quia captis Judææ urbibus, in Domino confisus sit, et confortavit populum ut in Domino speraret. Unde Rapsaces destruere vult quæ ille construxit, et dicit ad populum : Non seducat vos Ezechias, et non vobis tribuat fiduciam super Domino Deo. Quod autem Eliacim et Sobna et Joahe humiliter deprecantur Rabsacen, ut Syriace loqueretur, hunc sensum habet : Quia necesse est populum falsis terroribus commoveri, et vanam jactare virtutem. « Loquere linguam quam populus non novit. Nam et nos linguæ tuæ habemus scientiam. At quod ille arroganter : Nunquid, ait, ad Dominum tuum, et ad te misit me dominus meus ? » et reliqua usquequo ait, « et bibant urinam suam vobiscum ? » Per quod ostendit fame eos et siti esse capiendos. Simulque illecebra mitigat timorem, ut quos terrore non vicit, persuasione decipiat. Et dicit ex persona regis : Facite mecum benedictionem, hoc est facite quod in vestram benedictionem proficiat, benedicite regi Assyrio, et eum dominum confitemini, ut præmia consequamini ; donec revertar de Ægypto, vel capta Lobnam redeam : habitate in urbe vestra, et rebus vestris fruimini, et postea ducam vos in similem terræ vestræ terram, quam tamen non nominavit, quia similem ei invenire non potuit, sed similitudinem ponit. Hoc enim unusquisque vult in quo natus est. Alii putant terram Mediæ eis repromitti quæ terræ Judææ similitudinem habeat, tam in situ quam in fructibus. Quod ait Rapsaces inter alia quibus Deum blasphemabat, clamans contra Hierusalem : « Ubi est Deus Hemath et Arphad ? Ubi est Deus Sepharvaim, Ana et Ava? Nunquid liberaverunt Samariam de manu mea ? » Ostendit harum omnium civitatum sive gentium diis servisse Samaritas, et quia non erant dii, sed idola, merito cultores vanitatis, ut decebat, esse subversos. Est autem Hemath urbs Celesyriæ, quæ nunc Epiphania dicitur, juxta Emesan, ut supra monuimus. Arphad ubs Damasci, quam expugnatam a rege Assyriorum et Jeremia scribit. Sepharvaim, quod numero plurali libros vel litteras sonat, nomen est locorum de quibus Assyrii transmigrantes habitaverunt in Samaria, ut in Locorum libris invenimus. Verum in Isaia hoc quoque vocabulum esse civitatis apparet, ubi apertè dicitur : « Ubi est Deus urbis Sepharvaim (*Isa.* XXXVII) ? » tametsi pluraliter dictum ut Thebarum, Athenarum. Pro *Ana* et *Ava*, vetus editio, quasi unius urbis nomen *Anetigavam* posuit ; et quidem in Hebræo ita scriptum est. Verum quia quinta syllaba *ti* quæ in medio nominis posita est, conjunctionem et apud eos significat, potest et ita distingui, ut dicatur, *ane* et *gave*, ut Aquila transtulit, sive *Ana* et *Ava*, ut noster vertit interpres. Sin autem, ait tantis diis præsentibus quinque tribus vicimus facile, quanto magis solam Hierusalem uno Deo præsule vincemus? Vere justus Ezechias omnia regens cum consilio prohibuit ei respondere, ne eum ad majores blasphemias provocaret.

« Venitque Eliacim filius Helciæ præpositus domus et Sobna scriba et Johæ filius Asaph a commentariis ad Ezechiam, scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rapsacis. »

CAPUT XIX.

« Quæ cum audisset Ezechias, scidit vestimenta « sua, et opertus est sacco, ingressusque est domum « Domini, et misit Eliacim præpositum domus, et « Sobnam scribam, et senes de sacerdotibus, oper- « tos saccis, ad Isaiam prophetam filium Amos. « Qui dixerunt ei : Hæc dicit Ezechias : Dies tribu- « lationis, et increpationis, et blasphemiæ dies is- « te. Venerunt filii usque ad partum, et vires non « habet parturiens, » etc. Scindunt vestimenta sua, quia Rapsacen audiunt blasphemantem. Scidit et rex vestem suam, quia pro populi et suis esse peccatis credebat, quod Rapsaces usque ad portam venit Hierusalem, et contra dominum talia sit locutus. Mira regis humilitas et prudentia ! Dimisso regio cultu, obvolutus sacco, ad templum pergit B de palatio ; principes sacerdotum, non stolis, sed ciliciis mittit ad Isaiam coopertos, et dixit : « Dies hæc tribulationis nostræ, correptionis Dei, blasphemiæ hostium. » Ponitque similitudinem parturientis feminæ et dolentis, quæ ad partum usque pervenit, et generare non possit.

« Si quomodo audiat Dominus Deus tuus. » Non enim audemus dicere omnium nostrum Dominum, quo irascente tanta perpetimur, sed tuum dicimus Dominum; et hanc habemus ultionis fiduciam, quoniam vivens Deus blasphematur, a cultura idolorum mortuorum.

« Leva ergo orationem nostram jacentem pro « reliquiis populi quæ obsidentur. » Prævenit eos Isaias (*Isa.* XXXVII), quia eo spiritu quo futura C noscebat, etiam absentem audierat. Hæc, inquit, dicite domino vestro :

Hæc dicit dominus : « Noli timere verba quibus « non tu, sed ego sum blasphematus, nec dico « omnia quæ regi Assyrio faciam, ne meam vi- « dear jactare potentiam. Sed quia dandus sit ei « spiritus non Dei, sed adversarii. Et audito nun- « tio, revertens ad terram suam corruat gladio, « ut duo pariter quæ optabat Ezechias audire, « se ab obsidione liberandum, et inimicum in « sua terra moriturum esse. Reversus est igitur « Rapsaces, et invenit regem Assyriorum expu- « gnantem Lobnam. Audierat enim quod recessis- « set de Lachis. Cumque audisset de Tharaca « rege Æthiopiæ dicentes: Ecce ingressus est, D « ut pugnet adversum te, et iret contra eum, mi- « sit nuntios ad Ezechiam, dicens: Hæc dicite Eze- « chiæ regi Judæ : Non te seducat Deus tuus, in « quo habes fiduciam, neque dicas : Non tradetur « Hierusalem in manus regis Assyriorum. » Juxta voluntatem Dei Rapsaces deseruit obsidionem Hierusalem, et perrexit ad dominum suum, quem vel capta vel deserta Lachis invenit oppugnantem Lobnam. Sennacherib autem occurrens regi Æthiopum, misit ad Ezechiam nuntios et epistolas, ut eos quos in viribus non cepit, sermone terreret. Pugnasse autem Sennacherib contra Ægyptios, et obsedisse Pelusium, jamque exstructis aggeribus urbe capienda, venisse Tharacam regem Æthiopum in auxilium, narrat Herodotus.

« Itaque cum accepisset Ezechias litteras de « manu nuntiorum, et legisset eas, ascendit in do- « mum Domini, et expandit eas coram Domino, et « oravit in conspectu ejus, dicens ; Domine Deus « Israel, qui sedes super cherubim, tu es Deus so- « lus omnium regum terræ, tu fecisti cœlum et « terram. Inclina, Domine, aurem tuam et audi, « aperi oculos tuos, Domine, et vide, et audi om- « nia verba Sennacherib, quæ misit ut exprobra- « ret nobis Deum viventem, » et reliqua. Prius Ezechias Domini timore perterritus, orare in templo non audebat, vel liberas fundere preces : tunc autem, quia audit Isaiam dicentem : « Ne timeas a facie verborum quæ audisti (*Isa.* XXXVII), » et reliqua, audacter Dominum deprecatur.

« Misit autem Isaias filius Amos ad Ezechiam, « dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quæ « deprecatus est me super Sennacherib rege As- « syriorum, audivi. Iste est sermo quem locutus « est Dominus de eo : Sprevit te et subsannavit te « virgo filia Sion. Post tergum tuum caput mo- « vit filia Hierusalem. Cui exprobrasti et quem « blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem, et « elevasti in excelsum oculos tuos ? Contra sanc- « tum Israel, » et reliqua. Denique Ezechias audacter Dominum deprecatur, nec misit ad Isaiam ut prius fecit, non ipse propheta pergit ad eum, sed nuntios misit qui Dei responsum deferant ad eum : « Virgo Sion, et filia Hierusalem. » Quæ ideo virgo dicitur et filia, quia cunctis gentibus simulacra mortuorum adorantibus, hæc sola conservat castitatem, religionis Dei et unius divinitatis cultum ; et quæ ne ad majorem blasphemiam concitaret, præsenti non respondit, « post abeun- « tem movit caput suum, » certa de ultione, secura de pœna. In manu servorum tuorum, nec ipse per te, sed per servos tuos, ut major est arrogantia, Dominum blasphemasti. Altitudo montium et juga Libani excelsa cedri et abietes, vel per metaphoram de cunctis gentibus accipiendum est, et principibus earum, vel de Hierusalem quæ est cedrus Libani, et abietes potentesque et optimates. Altitudo summitatis et saltus Carmeli, templum est. Quodque infert : « Ego fodi et bibi aquam ; et siccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum, » vel ob id dixit, quia pro multitudine exercitus omnia fluenta siccaverit, ut puteos sibi fodere compulsus sit : vel quia omnes populos quos aquæ significant, suo vastavit exercitu

« Nunquid non audisti quæ olim fecerim ei ? Ex « diebus antiquis plasmavi illud, et nunc adduxi, « et factum est in eradicationem collium compu- « gnantium et civitatum munitarum. Habitatores « earum breviata manu contremuerunt, et contusi « sunt, sicut fenum agri, et gramen pascuæ, et « herba tectorum, quæ exaruit antequam matu- « resceт. Habitationem tuam, et egressum tuum, et « introitum tuum cognovi, et insaniam tuam con- « tra me. Cum fureres adversum me, superbia tua « ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in

« naribus tuis, et frenum in labiis tuis, et redu« cam te in viam per quam venisti. » Hæc ex persona Dei contra verba Assyrii sentienda sunt, quod ad blasphemiam ejus sic responderit Dominus : « Num ignoras quod hæc quæ fecisti, mea feceris voluntate, et hæc ego futura prædixerim, aperte facienda mandaverim ? » Itaque quod olim decrevi, hoc expletem est tempore : ut colles, id est principes qui inter se ante pugnabant, et civitates munitissimæ, me contrahente manum meam nec solitum præbente auxilium eradicarentur, et contremiscerent ac perirent ; et comparentur non olivæ et vineæ, fructuosisque arboribus, sed feno et gramini herbisque dogmatum, quæ frugibus impedimenta sunt, et ante marcescunt quam ad maturitatem perveniant. Itaque et sessionem, et egressum, et introitum tuum ego novi, et insaniam qua contra me debacchaturus eras, prophetis vaticinantibus, sum locutus. Per quos olim dicturum esse te noveram : in cœlum ascendam, super sidera cœli ponam thronum meum ero similis Altissimo. Itaque furor tuus et superbia pervenit in aures meas, et nequaquam te ultra portabo, ut intelligas quod potuisti non tuis potuisse te viribus, sed meo arbitrio. Merebantur enim impiæ gentes et infructuosæ arbores, ut per te quasi securim et serram meam succiderentur et caderent. Itaque ponam circulum sive camum in naribus tuis, ut blasphemantia ora constringam, et nequaquam ultra talia loqui audeas, frenumque mittam in labiis tuis, quod tuam ferociam domet et te reducat in Assyrios.

« Tibi autem Ezechiæ hoc erit signum : comede « hoc anno quæ repereris, in secundo autem anno « quæ sponte nascuntur : porro in anno tertio se« minate et metite, » et reliqua. Notandum autem quod in libro Isaiæ ubi verba ipsius phrophetæ ad regem Ezechiam descripta sunt, ita narrantur : « Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, et an« no secundo pomis vescere. In anno autem tertio « seminate et metite, et plantate vineas, et come« dite fructum earum, et mittet id quod salvatum « fuerit de domo Juda, et quod reliquum est mittet « radicem deorsum, et faciet fuctum sursum, quia « de Hierusalem exibunt reliquiæ, et salvatio de « monte Sion, zelus Domini exercituum faciet is« tud (*Isa.* XXXVII).» Nunc ad ipsum Ezechiam loquitur : Hoc erit, inquit, signum eorum, quæ futura prænuntio, quod hoc anno ea comedas, « quæ sponte nascuntur, » sive, juxta Septuaginta, «quæ prius severas. » Anno autem secundo, juxta Symmachum, pomis vescere, sive juxta eosdem quæ de præteritis segetibus et cadente in terram semine pullulaverint. In anno autem tertio, fugato jam Assyrio, et obsidione laxata, seminate et metite, plantate vineas, et fructum earum comedite. Siquidem parvæ urbis hujus reliquiæ, quæ, nunc hostili vallantur exercitu, et evasuras se esse non credunt, tantam recipient rerum omnium abundantiam ac felicitatem, ut instar arboris alta radice fundatæ, pomis densissimis impleantur. De Hierusalem enim et de monte Sion egredientur reliquiæ, et implebunt terram Judeam, non suo merito, sed Dei misericordia, imo zelo quo adversus impium zelatus est populum suum.

« Hæc dicit Dominus de rege Assyriorum : Non « intrabit civitatem hanc, et non jaciet ibi sagit« tam : nec occupabit eam clypeus, et non mittet « in circuitu ejus aggerem. In via qua venit, per « eam revertetur, et urbem hanc non ingredietur, « dicit Dominus. Et protegam civitatem istam : « et salvabo eam propter me et propter David « servum meum. » Propter futurorum spem, præsentem excutit metum. Dicit autem, quia non suo merito sed Dei clementia conserventur, imo patris eorum David memoria : in quo monentur et suæ negligentiæ, et illius fidei et justitiæ ; quia in tantum diligit Deus justitiam, ut posteros majorum virtute tueatur.

« Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus « Domini et percussit in castris Assyriorum centum « octoginta quinque millia. Cumque diluculo sur« rexisset, vidit omnia corpora mortuorum, et re« cedens abiit. » Centum octoginta quinque millia fortissimorum virorum ab uno angelo una nocte cæduntur, et absque vulneribus occisorum mors sæva discurrit, excludens a corporibus animas, Domini voluntate. Super quo in Paralipomenon legitur : « Et misit Dominus Angelum suum qui percussit omnem virum robustum, et bellatorem et principem exercitus regis Assyriorum. Reversusque est cum ignominia in terram suam (*II Par.* II). » Qui idcirco servatus est, ut sciret potentiam Dei, et blasphemantia ora comprimeret, fieretque testis illius majestatis, quem paulo ante contempserat.

« Et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, « et mansit in Ninive. Cumque adoraret in templo « Nesrah Deum suum, Adramelech et Sarasar filii « ejus percusserunt eum gladio, fugeruntque in « terram Armeniorum, et regnavit Asarhaddon « filius ejus pro eo. » Pharao quoque in decem Ægypti servatur plagis, ut novissimus pereat, quod et iste passus est. Cum enim reversus esset in Niniven urbem primam regni sui, et adoraret in templo Nesrach Deum suum, quasi victoriam de hostibus reportaret, et in delubrum idoli sui triumphans, et gratulabundus incederet contemptor viri Dei : in fano falsi nominis dei trucidatur ; nec angelico perit gladio, quod erat commune compluribus, sed parricidio filiorum : qui cum fugissent in terram Ararath, quod intelligitur Armeniæ, successit in patris locum Asarhaddon, quem Scriptura testatur misisse habitatores Samariæ, ne terra remaneret inculta. Ararath autem regio in Armenia in locis campestribus est, per quam Araxis fluit, incredibilis ubertatis, ad radices Tauri montis, qui usque illuc extenditur. Ergo et arca in qua liberatus est Noe cum liberis suis, cessante diluvio, non ad montes generaliter Armeniæ delata est, sed ad montes Tauri altissimos, qui Ararath imminet campis.

CAPUT XX.

« In diebus aliis ægrotavit Ezechias usque ad « mortem, et venit ad eum Isaias filius Amos pro- « pheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: « præcipe domui tuæ, morieris enim tu, et non « vives. » Ne elevaretur cor Ezechiæ, post incredibiles triumphos, et de media captivitate victoriam, infirmitate corporis visitatur, et audit se esse moriturum, ut conversus ad Dominum flectat sententiam ejus. Quod quidem et in Jona propheta legimus, et in comminationibus contra David, quæ dicuntur futura, nec facta sunt, non Deo mutante sententiam, sed provocante humanum genus ad notitiam sui. Dominus pœnitens est super malitiis; nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsens ante sæcula decrevit, qualiter per sæcula disponantur. Statutum quippe jam hominibus est, vel quantum hujus mundi prosperitas sequitur quantumve adversitatis feritas feriat, nec electos ejus, aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Statutum quoque est, quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivatur, nam etsi annos quindecim Ezechiæ regi ad vitam addidit omnipotens Deus; cum eum mori permisit, tunc præscivit esse moriturum; qua in re quæstio oritur, quemodo ei a Propheta dicitur: « Dispone domui tuæ quia morieris tu, et non vives. » Cui cum mortis sententia dicta est, protinus ad ejus lacrymas est vita addita. Sed per prophetam Dominus dixit quo tempore mori ipse merebatur, nec dominica instituta convulsa sunt, qui autem ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante sæcula præfixum fuit, atque spatium vitæ quod inopinati foris est additum sine augmento præsenti fuit intus statutum.

« Qui convertit faciem suam ad parietem et ora- « vit Dominum dicens. » Convertitque Ezechias faciem suam ad parietem, quia ad templum ire non poterat. Ad parietem autem templi juxta quod Salomon palatium exstruxerat: vel absolute ad parietem, ne lacrymas suas assidentibus ostentare videretur. Aut certe juxta Jeremiam ad cor suum, qui idcirco parietem cor appellat, ut tota mente Dominum deprecaretur.

« Obsecro, Domine, memento quomodo ambula- « verim coram te in veritate, et in corde perfecto, « et quod placitum est coram te fecerim. » Felix conscientia quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur. « Beati enim mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v).» Et quomodo alibi scriptum est: « Quis gloriabitur purum se habere cor (*Prov.* x)? » quod ita solvitur: perfectionem cordis in eo nunc dici, quod idola destruxerit, templi quoque valvas aperuerit, serpentem æneum comminuerit, et cætera fecerit quæ Scriptura commemorat. Plerumque aliquibus justi necessitatibus afflicti sua opera coguntur fateri, sed cum eorum dicta injusti audiunt hæc per elationem potius quam per veritatem existimant prolata. Ex suis enim cordibus verba justorum pen-
A sant, et dici humiliter posse vera bona non æstimant. Sicut gravis culpa est sibi hoc hominem arrogare quod non est, sic plerumque culpa nulla est si humiliter bonum dicat quod est. Unde sæpe contingit ut justi et injusti habeant verba similia, sed tamen cor semper dissimile longe, et in quibus dictis Dominus ab injustis offenditur in eisdem quoque a justis placatur. Nam Pharisæus, ingressus templum, dicebat: « Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo, sed justificatus magis publicanus quam ille exiit (*Luc.* xviii).» Ezechias quoque rex cum molestia corporis afflictis ad extremitatem pervenisset, in oratione compunctus dixit: « Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde per-
B fecto. » Nec Dominus hanc confessionem perfectionis ejus despexit aut renuit, quem mox in suis precibus exaudivit. Ecce pharisæus se justificavit in opere: Ezechias justum se asseruit etiam in cogitatione. Atque unde ille offendit, inde iste Dominum placavit. Cur itaque hoc? nisi quia omnipotens Deus singulorum verba ac cogitationes pensat, et in ejus auribus superba non sunt quæ humili corde proferunt?

« Flevitque Ezechias fletu magno. Et antequam « egrederetur Isaias mediam partem atrii factus « est sermo Domini ad eum, dicens: Revertere et « dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus « Deus patris tui David: Audivi orationem tuam, « vidi lacrymam tuam et ecce sanavi te. Die tertio
C « ascendes templum Domini, et addam diebus tuis « quindecim annos. Sed et de manu regis Assyrio- « rum liberabo te, et civitatem hanc, et protegam « urbem istam propter me et propter David ser- « vum meum. » Flevit autem fletu magno propter promissionem Domini ad David, quam videbat in sua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat, nam post mortem ejus Manasses cum duodecim annorum esset, regnare cœpit in Juda. Ex quo perspicuum est post tertium annum concessæ vitæ, Manassen esse generatum. Ergo iste omnis est fletus, quod desperabat Christum de suo semine nasciturum. Quamvis alii asserunt sanctos viros, non terreri propter incertum judicii, et ignorationem sententiæ Dei, quam sedem habituri sint, simulque facti quæstio solvitur, ac
D necessitatis vincula atque causarum, quod nequaquam dies mortis singulis præstatuta sit, sed voluntate Dei et ignotis mortalibus causis, vel vivat aliquis vel moriatur. Præsertim cum et statuta nunc mortis necessitas differatur, et post mortem resuscitatos plurimos legamus. Revertitur autem ad regem propheta Domini jussione, ut ipse sanaret qui percusserat, et vocatur Ezechias dux populi mei, et filius David, cujus opera sectabatur: fecerat enim rectum juxta omnia quæ fecerat David pater ejus, et auditur ejus oratio, videnturque lacrymæ, quoniam ambulaverat coram Domino in veritate, et in corde perfecto. Et fleverat fletu magno, et quod placitum erat in oculis ejus fecerat. Adjiciunturque quindecim anni ad vitam, quos ille non po-

stulaverat, et in supervivente illo regni securitas repromittitur. Sin autem (ut quidam putant) in corpore vivere condemnatio est, et juxta illud quod dicitur: « Revertere, anima mea, in requiem tuam. » Et in alio loco: « Educ de carcere animam meam, » optanda est mors, ut de carcere liberemur quomodo nunc donat pro beneficio, ut qui liberandus erat adhuc quindecim annis vivat in carcere?

« Dixitque Isaias: Afferte massam ficorum: quam « cum attulissent et posuissent super ulcus ejus, cu« natus est. » Aiunt Hebræi verbum *schehin* (quod prætermisere Septuaginta) ulcus sonare, non vulnus. Nam Aquila, Symmachusque et Theodotion ἕλκος interpretati sunt, per quod morbum regium intelligi volunt. Cui contraria putantur vel sumpta in cibo, vel apposita corpori quæcunque sunt dulcia. Ergo ut Dei potentia monstraretur, per tres noxias et adversas sanitas restituta est. Alii schehin, non ulcus, sed apostema suspicantur, quando tumens corpus cocco et computrescente pure impletur, et juxta artem medicorum omnis sanies siccioribus ficis atque contusis, in cutis superficiem provocatur. Ac per hoc non spernendam esse medicinam, quæ usu constet et experimento quia et hanc fecerit Deus.

« Dixerat autem Ezechias ad Isaiam: Quod erat « signum, quia Dominus me sanavit, et quia ascen« surus sum die tertio templum Domini? Cui ait « Isaias: Hoc erit signum a Domino, quod facturus « sit Dominus sermonem quem locutus est. Vis ut « ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur to« tidem gradibus, » et reliqua. Datur autem signum ut sol decem gradibus revertatur quos nos juxta Symmachum in lineas et horologium vertimus, quos gradus intellexit in lineis, ut manifestiorem sensum legentibus faceret: sive ita erant exstructi gradus, arte mechanica, ut umbra descendens horarum spatia terminaret. Erat autem hora diei decima quando hoc regi propheta loquebatur. Vis ergo, inquit, ut ascendat umbra decem lineis procedente sole supra terram per boreales plagas usque ad orientem? quod subtus terram juxta quotidianam consuetudinem sui cursus erat facturus: an ut revertatur umbra totidem gradibus. conversa retrorsum facie solis, ipsoque per australem plagam ad orientem regresso.

« At rex: Facile est, inquit, umbram crescere « decem lineis, nec hoc volo fiat, sed ut revertatur « retrorsum decem gradibus. » Vidit namque quia majoris miraculi esse poterat, si sol contrarium suo mori cursum ageret, quam si consueto processu incedens, tametsi multo altius, id est supra terras elatus ad orientem, quasi secundi diei mane nulla interveniente nocte, facturus advolaret. Nam et hoc qui in insula Thyle, quæ ultra Britanniam est, vel in ultimis Scytharum finibus degunt, omni æstate diebus aliquot fieri vident: quia sol cætero orbi in occasu et sub terra positus, ipsis nihilominus tota nocte supra terram appareat, et quomodo a parte occidentis ad orientem humilis redeat manifeste videatur donec tempore opportuno toto orbi commu- A ni exortu reddatur: sicut et veterum historiæ, et nostri homines ævi, qui illis de partibus adveniunt, abundantissime produnt, nunquam autem hi qui interiora austri incolunt, videre solem per meridianas plagas ad orientem ab occasu redire. Quod signum et præsentis temporis et futuri typus erat, ut quomodo sol reverteretur ad exordium sui, ita et Ezechiæ vita, ad detextos annos rediret: nobisque in hebdomade et ogdoade viventibus per ressurrectionem Christi, vitæ spatia protelentur. Solent sanctorum locorum in hac provincia monstratores, intra consepta templi ostendere gradus Ezechiæ domus vel Achaz, quod sol per eos descenderit. Sed nunquam ego credo, non dico Achaz qui rex impius fuit, sed cujuslibet regis justi domum fuisse B in templo Dei: cum Salomon idcirco Deum inter cætera offendisse dicatur, quod in sublime ædificaverit Mello, unde atrium templi, deambulans in turre palatii, respicere solitus sit. Solent quidam hos decem gradus linearum ad mysterium Christi transferre, ut umbras figurarum in descensionem Christi interpretentur, per quos iterum sol justitiæ Christus, post resurrectionem ascendit: Primus itaque gradus descensionis de Deo in angelo fuit, quia « magni consilii nuntius erat (*Isa.* IX), » denique et Jacob sic alloquitur: « Et dixit, inquit, angelus Domini: Ego sum Deus, cui junxisti titulum et vovisti votum (*Gen.* XXXI): » ut et angelum et Deum ostenderet. Secundus gradus descensionis de angelo in patriarchis fuit, quia « in omnibus, C ut ait apostolus, ipse est operatus (*1 Cor.* XII) » Tertius in legis dationem, quia et in lege ipse est locutus. Quartus gradus in Jesu Nave, ut populum in terram repromissionis induceret. Quintus in Judicibus, quia eumdem populum per eos ipse regebat. Sextus, in regibus Judæorum, quia in eis ipse regnabat. Septimus in prophetis, quia per eos annuntiatur. Octavus in pontificibus, quia ipse est summus sacerdos Patris. Nonus in homine. Decimus in passione. Per hos enim decem gradus, quasi per umbram legis priscæ Christus descendit, ac rursus post resurrectionem suam sol justitiæ Christus, per eosdem gradus sursum in cœlum ascendit: et omnem umbram legis veritatis radiis illustravit, obscura revelans, clausa reserans, et D omnia tecta denudans.

» In tenpore illo misit Berodach Baladan filius Baladan, rex Babyloniorum, litteras et munera ad Ezechiam. Audierat enim quod ægrotasset Ezechias. Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, et ostendit eis domum aromatum, et aurum et argentum et pigmenta varia, unguenta quoque et domum vasorum suorum, et omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non « fuit verbum quod non monstraret eis Ezechias « in domo sua, ut in omni potestate sua. » Supra legimus (*IV Reg.* XVIII) decimo quarto anno regis Ezechiæ ascendisse Sennacherib regem Assyriorum super omnes civitates Juda munitas, et cepisse eas, et postea obsedisse Lachis, transisse Lobnam, misisse Hierusalem par-

tem exercitus sui, cæsaque per angelum centum A octoginta quinque millia exercitus ejus, et ipsum fugisse Niniven, interfectumque a filiis in fano dei sui, regnasse pro eo Asarhaddon filium ejus. Ægrotasse Ezechiam, et recepisse prophetæ nuntio sospitatem, factum signum incredibile, ut sol horarum spatiis reverteretur ad ortum suum et pene duplex dies fieret. Nunc legimus quod in tempore illo, hoc est, in eodem anno quo hæc gesta sunt omnia, miserit Berodach Baladan, filius Baladan rex Babylonis, libros et munera ad Ezechiam, non Asarhaddon, qui Sennacherib patri apud Syrios in regnum successerat, de cujus seu morte seu vita Scriptura conticuit. Ex quo perspicuum est, aliud fuisse tunc regnum Assyriorum, et aliud Babyloniorum. Denique Samariam, id est, sex tribus cepere B Assyrii, Judam autem et Hierusalem postea legimus cepisse Chaldæos, quorum rex Nabuchodonosor fuit. Et quia apud eos astrorum observantia est, stellarumque cursus, longo usu et exercitatione cognitus, quod et in Domini nativitate monstratur, intellexerunt solem reversum, diei spatia duplicata, serviere ei quem solum deum, id est, solem putabant. Cumque causas hujus miraculi rationemque perquirerent, fama per omnes gentes volitante, didicerunt propter ægrotationem regis Exechiæ, etiam cursum signi clarissimi commutatum, quam non esse opiniationem meam, sed Scripturæ sanctæ fidem Dierum verba testantur (*II Par.* XXXII), quæ dixere post alia : «Ipse est Ezechias qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, et avertit eas C subter ad occidentem urbis David. In omnibus operibus suis fecit prospere quæ voluit » Attamen in legatione principium Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur, et nota fierent omnia quæ erant in corde ejus. Idcirco autem tentationi relictus est, quia post tantam victoriam et solis regressum, et congratulationem regni potentissimi, cor illius elevatum est. Denique in eodem volumine scribitur : « Multi deferebant hostias et sacrificia in Hierusalem Domino, et munera Ezechiæ regi Juda, qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et oravit ad Dominum. Et exaudivit D eum, et dedit ei signum, sed non juxta beneficia quæ acceperat, retribuit : quia exaltatum est cor ejus. Et facta est contra eum ira, et contra Judam, et Hierusalem. Rursumque Scriptura sancta elationem cordis ejus dicit pœnitentia mitigatam, inferens : « Et humiliatus est postea, eo quod exaltatum esset cor ejus, tam ipse quam habitatores Hierusalem, et idcirco non venit ira super eos Domini in diebus Ezechiæ. » Lætatus est ergo in adventum legatorum Berodach, quem patrem fuisse Nabuchodonosor Hebræi autumant, et in datione munerum, et congratulatione sanitatis suæ ostendit quæ eis juxta Septuaginta domum νεχωθὰ pro qua Symmachus transtulit aromatum suorum, et thesauros auri et argenti, et odoramentorum et unguenti optimi, quod in Hebraico scribitur olei boni, et omnes thesauros vasorum Gazæ, sive, ut ibi legitur, vasorum suorum. Gaza autem lingua Persarum divitiæ nuncupantur, nec est Hebræus sermo, sed barbarus. « Non fuit, inquit, verbum. » Quod juxta Hebraicam consuetudinem, pro re frequenter accipitur, quod non ostenderet eis in domo sua, et in omni potestate sua. Unde Dei ira justissima, quoniam non solum thesauros suos atque palatii, sed et templi ostenderit, quod certe fuit potestatis ejus, de cujus valvis atrii laminas ante jam tulerat.

« Intravit autem Isaias propheta ad Regem Eze-
« chiam, et dixit ei : Quid dixerunt viri isti, et un-
« de venerunt ad te ? Et dixit Ezechias : De terra
« longinqua venerunt ad me de Babylone. Et di-
« xit : Quid viderunt in domo tua ? Et dixit Eze
« chias : Omnia quæcunque in domo mea sunt,
« viderunt. Non fuit verbum sive res quam non
« ostenderim eis in thesauris meis. Et dixit Isaias
« ad Ezechiam : Audi verbum Domini exercituum:
« Ecce venient dies et auferentur omnia quæ in
« domo tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres
« tui, usque ad diem hanc in Babylonem. Non re-
« linquetur quidquam, dicit Dominus. Sed et de
« filiis tuis qui egredientur ex te, quos genueris,
« tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylo-
« nis. Et dixit Ezechias ad Isaiam : Bonum ver-
« bum Domini quod locutus est. Et ait : Fiat tan-
« tum pax et veritas in diebus meis. Reliqua au-
« tem sermonum Ezechiæ, et omnis fortitudo ejus,
« et quomodo fecerit piscinam et aquæductum, et
« introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc
« scripta sunt in libro sermonum dierum Regum
« Juda ? etc. » Tradunt Hebræi ideo ægrotasse Ezechiam, quoniam propter inauditam victoriam, et Assyrii regis interitum, non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso, et Debora interfecto Sisara : et Anna genito Samuele. Unde commonitum esse fragilitatis suæ, rursumque post corporis sanitatem et signi magnitudinem, auferri aliquam occasionem superbiæ quam ut prudens et Dei cultor vitare debuerat, nec monstrare alienigenis divitias suas quas, Deo tribuente, possederat. Ex quo juxta leges quoque tropologiæ discimus, non « mittendas margaritas ante porcos nec dandum sanctum canibus (*Matth.* VI). » Qui enim fidelis est spiritu, abscondit negotia et cuicunque hoc non fecerit, omnis virtus illius enervatur, peritque posteritas, et amisso virili robore, in muliebrem redigitur mollitudinem. Ingreditur ergo Isaias ad regem, et quasi nescius sciscitatur : Quid dixerunt viri isti et unde venerunt? Duo interrogat : quid locuti sint, et unde venerint ? Ille ad unum respondit, altero prætermisso, quod emphasi et supercilio legendum est : « De terra longinqua venerunt ad me de Babylone. » Quod, quanto terra longior sit unde venerunt, tanto iste gloriosior propter quem venerint. « Et venerunt, inquit, ad me, » qui debuerat dicere, venerunt ad glorificandum Deum,

pro signi magnitudine de Babylone, quæ urbs in A toto orbe potentissima est. Rursumque Isaias : « Quid, inquit, viderunt in domo tua ? » Et ille respondit ex parte verum, quod omnia viderint in domo illius, nec fuerit res quam non ostenderit in thesauris suis eis : sed alterum tacet, de quo verebatur offensam, quod ostenderit eis cuncta quæ haberet in potestate sua, haud dubium quin et templi supellectilem, propter quæ Isaias Dei sermone profert sententiam : « Audi verbum Domini exercituum : Veniet tempus quando omnia hæc quæ in domo tua sunt, et non tuo, sed patrum tuorum labore quæsita sunt, in Babylonem transferantur, et de semine tuo fiant eunuchi in aula regia (*Isa.* XXXIX). » Ex quo Hebræi volunt, Danielem, Ananiam, Misaelem, Asariam (qui fuere B de semine regio) esse eunuchos, quos in ministerio Nabuchodonosor fuisse non dubium est. « Dixitque Ezechias : Bonum verbum Domini quod locutus est. » In quo ab Hebræis reprehenditur, cur non sit imitatus bonitatem Moysi, qui locutus ad Dominum est : « Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti (*Exod.* XXXII). » Unde et Apostolus anathema vult esse a Christo pro fratribus suis, qui sunt Israelitæ (*Rom.* IX). Hæc itaque sententia prophetæ ad Ezechiam, mystice contra hypocritas prolata accipi potest : qui post magnas virtutes decrescunt, quia cavere malignorum spirituum insidias negligunt, et celari in eisdem virtutibus nolunt, bona sua ostendendo, hostium faciunt : et imprudentes su- C bito amittunt quidquid diutius studentes operantur. Hinc per Psalmistam dicitur : « Tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici (*Psal.* LXXVII). » Virtus quippe et pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur, quia omne bonum quod per concupiscentiam laudis ostenditur, occulti adversarii juri mancipatur. Hostes namque ad rapinam provocant, qui suas eorum notitiæ divitias denudant : quousque enim ab æternæ patriæ securitate disjungimur, in latronum insidiantium itinere ambulamus ? qui enim in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona quæ portat. O miseri, qui affectantes laudes hominum in semetipsis dissipant fructus laborum. Cumque se ostendere alienis ocu- D lis appetunt, damnant quod agunt : quos nimirum maligni spiritus, dum ad jactantiam provocant, eorum (sicut diximus) opera hostes denudant. Hinc est enim quod per Evangelium Veritas dicit : « Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi (*Matth.* VI). » Hinc est quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus (*Psalm.* XLIV). » Hinc Paulus ait : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. » Filia quippe regum Ecclesia est, quæ bono opere spiritualium filiorum sit prædicatione generata : gloriam intus habet, quia hoc quod agit, in ostentatione jactantiam non habet. Gloriam suam Apostolus testimonium conscientiæ commemorat, quia favorem alieni oris non appetit, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus.

CAPP. XXI et XXII.

« Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et « regnavit Manasses filius ejus pro eo. Duodecim « annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, « et quinquaginta quinque annis regnavit in Hie- « rusalem, etc. » Post mortem ergo Ezechiæ, narrat Scriptura Manassem filium ejus regnasse in Hierusalem ; qui cum ad idola colenda, et abominationes faciendas se converteret, relinquens Deum patrum suorum et bona exempla, quæ in genitore suo Ezechia conspexerat. Locutusque est Dominus ad eum et ad populum ejus, et attendere noluerunt. Idcirco superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum, ceperuntque Manassen, et vinctum catenis atque compedibus, duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, et egit pœnitentiam valde coram Domino Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente, et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum in Hierusalem in regnum suum, et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus. Exemplar autem est hæc pœnitentia Manasse quod post commissa scelera nullus debet de Dei misericordia desperare, sed magis per pœnitentiam congruam spem habere veniæ, si eam rite perfecerit. Post hunc regnavit filius ejus Ammon idololatra. Post quem Josias filius ejus rex justissimus regnavit, qui omnem spurcitiam idolorum quam patres sui fabricaverunt, emundavit, et se in Dei cultu strenue exercuit. Et merito, quia longe ante hoc de illo prædictum est per prophetam. Interpretatur autem Josias cujus est sacrificium Domino, vel *salus Domini* vel *Domini fortitudo*. Quod autem sequitur de eodem rege, quod audito libro legis Domini, quem Helchias sacerdos invenit in domo Domini, scidisset vestimenta sua, et misisset Helchiam sacerdotem et cæteros qui subsequenter annumerantur, ad Oldam prophetam uxorem Sellum, quæ habitabat in Hierusalem in secunda. Quid significet illud quod dicitur, « in secunda, » in libro Paralipomenon declaratur, ubi scriptum est de præfato rege Ezechia (*II Par.* XXXII) : « Ædificavit quoque agens industrie omnem murum, qui fuerat dissipatus, extruxitque turres desuper, et forinsecus alterum murum. » Meminit hujus loci et Sophonias, dicens : « Vox clamoris a porta piscinæ et ululatus a secunda (*Soph.* I) : » pro quo vetus editio quasi proprium nomen loci transtulit in Masena. Masena quippe interpretatur *secunda*. Quod ergo dicitur prophetissam habitasse « in secunda, » in secundi muri parte intellige. Quod dicitur de Josia rege : « Contaminavit quoque Thophet, quod « est in convalle filii Ennon, ut nemo consecraret « filium suum aut filiam per ignem Moloch. » Fre-

quens est in Scripturis horum mentio locorum, A maxime in libro Regum et Jeremia propheta. Est autem vallis Ennon, sive filii Ennon juxta murum Hierusalem contra orientem, in qua nemus pulcherrimum Siloe fontibus irrigatur. Thophet autem sive Thophet (utrumque enim scribitur) erat locus in eadem convalle juxta piscinam fullonis, cujus meminit Scriptura, et juxta agrum Aceldema, qui usque hodie monstratur ad australem plagam montis Sion. Solebant autem in Thophet (quia locus erat amœnissimus, unde hodie quæ hortorum præbet delicias) posita ara sacrificare dæmonibus, nefandoque igne suos consecrare liberos, sive holocaustum offerre: sicut in libro Verborum dierum de Achaz rege scriptum est (*II Par.* XXVIII): « Ipse est, qui adolevit incensum in valle Benennon, et lustravit filios suos in igne. » Bennennon B siquidem Ennon significat, vallis autem Ennon dicitur Hebraice Benennon, cujus nomine in Novo Testamento pœna inferorum gehenna cognominatur. Quia nimirum sicut in convalle Ennon qui idolis servierunt, ita in ea, prophetis attestantibus, pœnitentia peccatores ex his quæ peccaverunt æterna damnatione punientur. Denique Jeremias cum referret præcepisse sibi Dominum ac dixisse (*Jer.* XIX): « Egredere ad vallem filii Ennon, quæ est juxta introitum portæ fictilis. » Paulo post dicit: « Et non vocabitur locus iste amplius Thophet et vallis filii Ennon, sed vallis occisionis: et dissipabo consilium Judæ et Hierusalem in loco isto, et subvertam eos gladio. » Isaias quoque manifestis- C sime Thophet infernum appellat. Qui cum perpetuum diaboli interitum, sub nomine Assur, describeret, dicens (*Isa.* XXX): « A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus, et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum: » statim quomodo, et ubi esset periturus, subdidit, dicens: « Præparata est enim ab heri Thophet, a rege præparata, profunda, et dilatata. » Pulchre ait « et dilatata, » quia Thophet dicitur *latitudo*. « Nutrimenta, inquit, ejus ignis et ligna multa, status Domini sicut torrens sulphuris, succendens eam. » Contaminavit autem Josias Thophet, vel ossa mortuorum ibi (sicut in sequentibus de aliis idolorum locis fecisse legitur), vel alia quælibet immunda dispergens, quatenus abo- D minationi potius quam delectationi aptus omnibus qui aspicerent locus appareret. Quod sequitur de eodem rege Josia.

CAPUT XXIII.

« Abstulit quoque equos quos dederant reges « Juda, soli in introitu templi Domini. » et pau« lo post: Currus autem solis combussit igni. » Ostendit omni gentium idolatrarum superstitioni Judæos eo tempore fuisse mancipatos, ita ut in venerationem solis, quem more gentilium Deum esse credebant, simulacro ejus quod fecerant currus equosque subdiderint et hoc in atriis templi Domini. Sic enim solent gentiles pingere, vel facere simulacrum solis ut puerum imberbem in curru ponentes, equos eidem quasi cursu cœlum petentes subjungant. Cui propterea pueri aptant imaginem, quia sol velut quotidie novo ortu natus, in nullum plane senium incidit. Ut autem idem currus et equos tribuant, de miraculo est sumptum Eliæ prophetæ, qui a curru igneo et equis igneis est raptus ad cœlum, ut Joannes Constantinopolim episcopus æstimat. Quia enim Græce Ἥλιος dicitur sol, sicut et Sedulius cum in Eliæ ascensu caneretur, dicens, ostendit:

> Quam bene fluminei prælucens semita cœli,
> Convenit Eliæ meritoque et nomine fulgens.
> Hac ope dignus erat, quoniam sermonis Achivi
> Una per accentum mutetur littera, sol est.

Audientes Græci ab Israelitis, quos divinas habere litteras fama prodebat, prædicari quod Elias curru igneo et equis sit igneis ad cœlestia translatus, vel certe hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes, crediderint (vicinia decepti nominis solis) hic transitum per cœlos esse designatum et miraculum divinitus factum Dei, mutarunt in argumentum erroris, humana stultitia commentatum. Quos imitati ipsi Judæi sategerunt, ne in aliquo gentilium, stultissimis minus stulti apparerent. Quod paulo post de eodem rege dicitur.

« Excelsa quoque quæ erant in Hierusalem, ad « dexteram partem montis offensionis, quæ ædifi« caverat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sido« niorum, et Chamos offensioni Moab, et Melchom « abominationi filiorum Ammon polluit rex, et con« trivit statuas. » Luce clarius est quod excelsa nominare solet Scriptura, loca in collibus posita frondentibus, in quibus vel dæmonibus immolabant vel Domino, locorum amœnitate allecti, contra interdictum, relicto altari quod erat in templo, hostias offerebant. Unde sæpius in hoc libro de regibus qui minus perfecte justi fuere dicitur, verum tamen excelsa non abstulit. Montem autem offensionis montem idoli dicit, quia nimirum consuetudinis est Scripturarum offensionem idola nuncupare, quia vel in illis offenditur Deus, vel offensionem et ruinam suis afferunt cultoribus. Sicut in hac ipsa sententia subsequenter intimatur, dum dicitur: « Quæ ædificaverat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sydonorium, et Chamos offensioni Moab et Melchom abominationi filiorum Ammon polluit rex. » Ubi hoc quoque, ni fallor, palam ostenditur, quod utinam non ostenderetur, quia videlicet Salomon de admisso idololatriæ scelere nunquam perfecte pœnituit: nam si fructus pœnitentiæ dignos faceret, satageret ante omnia, ut idola quæ ædificaverat de civitate sancta tollerentur, et non in scandalum stultorum, quæ ipse cum fuisset sapientissimus erronea fecerat, quasi sapienter ac recte facta relinqueret. Meminit supra et hujus loci Scriptura, dicens: « Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos, idola Moloch in monte, qui est contra Hierusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon (*III Reg.* XI). » Nec videri contrarium debet, quod ibi mons in quo facta sunt hæc

idola, contra Hierusalem, hic in Hierusalem esse positus asseritur: quia nimirum in tanta erat urbis vicinia positus, ut ad ipsam pertinere, et ipsam quoque sordibus quæ in eo congregabantur attaminare videretur.

« Et conversus Josias, vidit ibi sepulcra quæ erant « in monte; misitque et tulit ossa de sepulcris et « combussit ea super altare, et polluit illud. » Cur autem Josias ossa mortuorum concremari jussit super altare, nisi ut ostenderet, quod profana fuerunt eorum sacrificia? et non solum pecudum hostias dæmoniis offerebant, sed etiam semetipsos per errorem idololatriæ in potestatem dæmonum tradiderunt: qui justo Dei judicio simul cum altare, quod idolis fabricaverant, dissipandi erant. Mystice autem significant omnes, qui diaboli servitio mancipati, vitam sacrilegam temporaliter finierant, æternis cruciatibus consumendos, Deo illis retribuente secundum propria merita operum illorum.

Reversusque est Josias Hierusalem, « et præcepit omni populo, dicens: Facite Phase Domino « Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro « fœderis hujus, » etc. Quod autem prædictus rex ejectis idolis de terra, necnon pythonibus et ariolis, et omnibus immunditiis atque abominationibus ablatis, in octavo decimo anno regni sui Domino phase celeberrimum fecisse legitur, moraliter docet nos ut purgemus primum terram cordis nostri ab omnibus vitiis, et mundemus actus nostros ab omni iniquinamento peccatorum, et ab operibus mortuis, ut servire possimus Deo viventi, sicque gratum Domino celebremus Pascha, non utique « in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* v). » Secundum autem allegoriam, Josias iste typum tenet Domini Salvatoris, qui salus et fortitudo Domini merito dicitur, quia ipse est de quo Scriptura dicit: « Dominus fortis, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII), » et alibi; « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » Ipse quidem zelo Dei mundat terram Juda et Hierusalem ab omnibus immunditiis et abominationibus, qui per Prophetam dixit: « Zelus domus tuæ comedit me (*Ps.* LXVIII); » de quo et Joannes ait: « Cujus ventilabrum in manu sua, et purgabit aream suam (*Matth.* III); de quo et Malachias dicit: « Ecce venit, dicit Dominus exercituum: Et quis poterit diem cogitare adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi. Et conflabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Deo sacrificium Juda et Hierusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui. Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniabantur mercedem mercenarii et humiliabant viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum (*Malac.* III). » Celebrat ergo Josias noster verum Pascha in octavo decimo anno regni sui, quando in octava ætate generali resurrectione perpetrata, sanctos suos cum perfectione bonorum operum, perducit ad æternæ beatitudinis denarium accipiendum, ejectis prius omnibus scandalis de regno ejus: de quo prædictus Propheta ait: « Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula. Et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. Egrediemini et salietis quasi vituli de armento, et calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum (*Malac.* IV). » Et recte dictum est quod « non factum (fuerit) Phase tale a diebus judicum, qui judicaverunt Israel, et omnium dierum regum Israel, et regum Juda, sicut in octavo decimo anno regis Josiæ in Hierusalem; » quia, ablatis figuris, veraciter in die judicii transibunt sancti de morte ad vitam, de corruptione ad gloriam. Sicque in conspectu Conditoris sui in cœlesti Hierusalem in æternum gaudebunt, quia videbitur Deus deorum in Sion: « Et civitas illa non eget sole neque luna ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus, et ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illa, et portæ ejus non claudentur per diem; nox enim non erit illic, et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni (*Apoc.* XXI). » Et nomen civitatis ex illa die *Dominus ibidem*. « Benedictus Dominus quoniam mirificavit misericordiam suam in civitatem circumstantiæ (*Ps.* X). »

« Occiso itaque Josia rege in Mageddo, tulit po« pulus terræ Joachaz filium Josiæ, et unxerunt « eum, et constituerunt eum regem pro patre suo. « Quem Pharao Necho, vinxit in Rebla, et duxit in « Ægyptum. Et imposuit mulctam terræ centum « talentis argenti, et talento auri; regemque constituit Eliachim filium Josiæ pro Josia patre ejus, « eratque nomen ejus Joacim. » Quid autem interfectio Josiæ significat, qui a Pharaone Nechao interemptus est in Mageddo, nisi persecutionem antiqui hostis adversus sanctos prædicatores? quos per invidiam neci tradere molitur, et auferre de terra Ecclesiæ conatur, quatenus facilius totam plebem dissipare et invadere possit: interpretatur Pharao *dissipans*, Necho *percussio*, Mageddo *tentatio* est. Permissus quippe diabolus consurgere adversus sanctos hoc solummodo agit, hoc totis viribus certat, quatenus tentando gregem Domini percutiens dissipet, eosque primum auferat, quorum solatio adjuti contra hosem dimicare debuerant.

« Tulitque populus terræ Joachaz filium Josiæ, et « unxerunt eum; et constituerunt eum regem pro « patre suo. » Joachaz qui interpretatur *retentus*, signat malos doctores, quos populos terræ, carnales videlicet, terrenæ cupiditati dediti, secundum mores

suos consentientes vitiis suis personas eligunt. A Quos Pharao in Rebla vinxit et in Ægyptum dixit, cum diabolus per multitudinem adulatorum enervans decipit corda prælatorum; Rebla enim *multitudo* interpretatur, sicque in spiritualis Ægypti vinctos cetenis peccatorum tenebrosam mergit abyssum. Porro Pharao quoque Necho Joacim regem constituens, imposuit mulctam terræ centum talentis argenti, et talento auri. Cum malignus spiritus pensum servitus sui in populo prædictorum expetit, ut tam sensu quam eloquio ejus per omnia parati sint obsequio. Unde Joacim juxta præceptum Pharaonis, unumquemque secundum vires suas exegit, ut daret tam argentum quam aurum, quatenus hoc redderet Pharaoni, quia diabolus per sibi deditos viros, ab unoquoque exigit B secundum vires suas peccati sensum solvere, sicque in nequiter prælatis, quotidie præparat perditionem subjectis.

CAPUT XXIV.

« In diebus illis ascendit Nabuchodonosor rex « Babylonis, et factus est ei Joacim servus tribus « annis, et rursum rebellavit contra eum, » etc. Cum semet quis cuilibet se manciparit vitio non uni, sed multis dominis obnoxius erit. Unde Joacim quem Pharao ante censum sibi solvere coegit, nunc Nabuchodonosor rex Babylonis sibi servire tribus annis compellit. Sed quem Nabuchodonosor alium intelligimus, nisi eumdem quem Pharaonem esse diximus, principem videlicet confusionis, et C rectorem tenebrarum harum? Ergo cum antiquus hostis aliquem sibi censum peccati solvere persuadet, mox totum in dominum suum redigere, et plenum servitium expendere admonet. Quid est ergo aliud tribus annis regi Babylonis servum esse quam suasione, delectatione, atque consensu antiquo hosti subditum fieri, et totum in vitiis deditum, quasi libere ab eo possideri? sed sæpe contingit quod tales per Dei misericordiam admoniti, rebellare contra nequam spiritum meditentur: hinc est quod subditur: « Rursum rebellavit contra eum. » Nec tamen sufficit rebellare, si non perseveraverit in certamine. Qui enim ab antiqui hostis potestate se exuere desiderat, necesse est ut fortiter contra eum dimicet, et adjutorium a summa D potentia assiduis precibus imploret, quatenus, divina gratia adjutus, hostem fortissimum superare, et jugum durissimum evadere queat.

« Post Joacim autem regnavit Joachin filius ejus « pro eo. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus. In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Hierusalem, et circumdata est urbs munitionibus. Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis ut oppugnarent eam. Egressusque est Joachin rex Juda ad regem Babylonis, ipse, et mater ejus, et servi ejus, et principes ejus, et eunuchi ejus, et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ, et concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini, juxta verbum Domini. Et transtulit omnem Hierusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus, decem millia in captivitatem, et omnem artificem et clusorem, nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. Transtulit quoque Joachin in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos ejus, et judices terræ duxit in captivitatem de Hierusalem in Babylonem, et omnes viros robustos septem millia, et artifices et clusores mille, omnes viros fortes et bellatores; duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem. » Quod refertur de Nabuchodonosor, quia transtulit omnem Hierusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus decem millia in captivitatem, addidit Scriptura, dicens: « et omnem artificem et clusorem. » Hoc est quod supra populo Israel Philistiim regnantes fecisse narrantur, cum dicitur (*I Reg.* XIII): « Porro faber ferrarius inveniebatur in omni terra Israel. Caverant enim Philistiim, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam. » Sicut enim tunc illi caverant ne habentes fabros ferrarios Hebræi arma ad repugnandum facerent, ita nunc Chaldæi, destructa Hierusalem, et vastata omni terra repromissionis, satagunt ut nullus in ea remaneat artifex, nullus clusor, qui vel fœdata urbis mœnia componeret, vel possit resarcire disrupta, quin potius quidquid apud gentem exterminatam artis invenerant, totum Babyloniam transferunt, ut vel ad nihilum valeat ultra, vel illius civitatis utilitatibus proficiat, cum juxta deflendæ historiæ, quia multum negligentiæ nostri temporis congruit, non opinor allegoriam esse reticendam. Constat namque quia Hierusalem et terra Israel, civitatem Christi, id est sanctam Ecclesiam; Babylonii autem et Chaldæi, sive Philisthæi, civitatem diaboli, id est omnem malignorum, sive hominum, seu angelorum multitudinem designat. Servitque Israel Philisthæis sive Chaldæis, cum fideles quique nomine tenus in Ecclesia consistentes, cæterorum ab immundis vel spiritibus vel hominibus decepti, aut avaritiæ, aut luxuriæ, aut alteri cuilibet peccato mentis colla submittunt. Abducit autem Nabuchodonosor regem Hierusalem et universos principes fortes exercitus decem millia in captivitatem, cum et magistros populorum et eos qui invincibili animo Domino servire, ac Decalogum legis fideliter videbantur in Dei ac proximi amore conservare, subito sive illecebris mundi, seu adversitatibus subacti, aut majoribus se facinoribus polluunt, aut certe in hæresim declinando, aperte apostasiæ notam incidunt. Arma vero quibus contra diabolum repugnantes libertatem a Deo nobis donatam defendamus, quæ sunt alia nisi eloquia Scripturarum? in quibus et ipsius Domini et sanctorum ejus exemplis, quo ordine bella vitiorum superari debeant, luce clarius discimus. Sed Philisthæi filios Israel fabris armorum privant, cum maligni spiritus animos fidelium a meditatione sacræ lectionis, sæ-

cularia illis negotia inserendo, retardant: ne vel ipsi per hujus exercitium resistendi fiduciam sumant, vel alios forte qui legere nesciunt, ad resistendum vitiis exhortando, aut corripiendo accedant. Tollunt fabros armorum, cum eos qui sacra eloquia norunt, intantum sceleribus obruunt, ut dicere bona qua didicerant prorsus erubescant. Transferunt omnem artificem et clusorem de Hierusalem in Babyloniam. Cum eos qui multifaria virtutum operationes pluribus prodesse, et civitatem Dei contra corruptiones tentationum munire solebant, a proposito deflectunt, atque ingenium quod tuitioni sanctæ Ecclesiæ impendere debuerant, ad voluntatem potius regis vitiorum dispensare compellunt. Quod si clusorem hoc loco, non ostiorum sive murorum, sed auri potius gemmarumque intelligere voluerimus, ad unum profecto eumdemque spiritualis expositio finem respicit. Dictum quippe est de sapientia quia aurum et multitudo gemmarum ei non valeat comparari, atque ideo clusores horum non alios aptius quam doctores intelligere valemus. Qui quandiu recte vivunt ac docent, in ornatum sanctæ civitatis industriam sanctæ artis impendunt. At si forte erraverint, quid nisi a rege Chaldæorum captivi Babyloniam transferuntur? et quoniam artificem clusorem ab Hierosolymis Babyloniam transmigrari, hoc est talentum verbi cœlitus acceptum in terra defodi, id est scientiam spiritualem ad peccatorum opera converti intelligendum est, omnesque viros fortes et bellatores simul in captivitatem ductos, hoc est eos qui videbantur viri fortes esse et bellatores, astutia malignorum spirituum deceptos, atque in carcerem spiritualis Babyloniæ captivatos, necesse est ut operam demus quatenus sævissimi regis potestatem evadamus, vigilemus et sobrii simus; timorem Dei semper ante oculos ponamus, et mandatorum ejus oblivionem omnino fugiamus. Construamus nobis terram bonorum operum, et per profectum vitæ in illam conscendamus, « induti lorica justitiæ et galea salutis, *habentes* scutum, fidei, *et* gladium spiritus quod est verbum Dei (*Ephes.* VI). » Custodiamus portas sensuum nostrorum, ne mors intret per fenestras. Omni custodia servemus cor nostrum, quia ipse ex vita procedit, et ante omnia spem nostram in regis cœlestis bonitate ponamus, petentes ut ejus gratia a malis omnibus liberemur. Sicque erimus semper immunes ab hostibus spiritualibus, quia (*Psal.* XXVI) « Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salutarium Christi sui est, » qui salvat omnes sperantes in se.

« Igitur Joachin captivato, constituit Nabucho« donor Mathaniam patruum ejus pro eo, imposuit« que nomen ejus Sedeciam. Vicesimum et primum « annum ætatis habebat Sedecias cum regnare « cœpisset, et undecim annis regnavit in Hierusa« lem. Fecitque malum coram Domino juxta omnia « quæ fecit Joacim. » Quid in Sedecia aliud intelligere possumus nisi quod in Joacim ante prædiximus, hoc est malos rectores in Ecclesia, qui munere et dono divino abutuntur, et falso sibi nomen justitiæ usurpant? Mathania autem interpretatur *munus* sive *donum*, Sedecias *justus domini*, qui undecim annis regnasse dicitur, quod significat eum transgressorem legis fuisse; undenarius enim numerus qui denarium supergreditur, excessionem Decalogi significat. Nec rite rex dici potest, qui secundum mandata Domini semetipsum et sibi subjectos regere noluerit.

CAPUT XXV.

« Factum est autem anno nono regni ejus, « mense decimo, decima die mensis, venit Nabu« chodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exerci« tus ejus in Hierusalem, et circumdederunt eam, « et exstruxerunt in circuitu ejus munitiones. Et « clausa est civitas atque vallata, usque ad unde« cimum annum regis Sedeciæ, nona die mensis. « Prævaluitque fames in civitate, nec erat panis « populo terræ. » Novenarius numerus qui munus habet denario imperfectionem legis significat, sicut undenarius transgressionem, et recte dictum est quod Nabuchonosor in nono anno regni Sedeciæ obsederit civitatem, mense decimo et decima die mensis, quia mali pastores, cum Decalogi mandata quæ scientia tenent, opere et doctrina perficere negligunt: necesse est ut plebem sibi commissam antiquus hostis cum suo exercitu obsidione circumdet, et munitione erroris, ac vitiorum constructa, claudat vallando civitatem, sicque fames in civitate prævaleat, fames utique verbi Dei, cum non expenditur libere panis doctrinæ populo terræ.

« Et interrupta est civitas, omnesque viri bellato« res nocte fugerunt. » Interrupta quidem per deprædationes varias malignorum spirituum custodia populorum, hi qui debuerant armis civitatem defendere, nocte ignorantiæ et tenebris peccatorum vallati fugiunt? quia, secundum Veritatis vocem: « Mercenarius et qui non est pastor videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit, et lupus rapit et dispergit oves (*Joan.* X); » et Apostolus: « Qui dormiunt, inquit, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt nocte ebrii sunt (*I Thess.* V). Quod autem sequitur, quod per viam portæ quæ est inter duplicem murum ad hortum regis fugerint, latenter aperuit inertiam doctorum, qui, inter duplicem murum duorum Testamentorum constituti, non belligare, sed effugere quærunt, et in deliciis magis diffluere, quod hortus significat, quam scuto fidei hostibus obsistere. « (Porro Chaldæi obsistebant « in circuitu civitatem); fugit itaque Sedecias per « viam quæ ducit ad campestria solitudinis. Et « persecutus est exercitus Chaldæorum regem, « comprehenditque eum in planitie Jericho, et « omnes bellatores qui erant cum eo dispersi sunt, « et reliquerunt eum, » et reliqua. Malignis spiritibus populum circumdantibus rector fugit, non ad montes, de quibus scriptum est (*Psal.* XXIV): « Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui: » sed ad campestria solitudinis

hoc est, ad dilectionem luxuriæ. Unde scriptum A est: « Augusta et arcta est via quæ ducit ad vitam, lata et spatiosa quæ ducit ad mortem (*Matth.* VII). » — « Comprehenditque eum in planitie Jericho, et « omnes bellatores qui erant cum eo dispersi sunt « et reliquerunt eum. » Recte ergo cum virtutes hominem deserunt, quæ eum defendere debuerant, in planitie Jericho capitur, hoc est in defectione carnalis sensus. Jericho enim interpretatur *luna*, et significat defectum carnis. Unde ille homo qui Hierusalem descendebat in Jericho, in latrones incidisse describitur.

« Apprehensum ergo regem adduxerunt ad re« gem Babylonis in Reblatha, qui locutus est cum « eo judicium, » hoc est justum cum eo exercuit « judicium. Filios autem Sedeciæ occidit coram B « eo, et oculos ejus effodit, vinxitque eum cate« nis, et adduxit in Babylonem. » Occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha coram eo, et oculos quoque illius eruit. Dum sacra Scriptura Sedeciæ captivitatem narrat, ordinem captivitatis internæ denuntiat. Rex quippe Babylonis est antiquus hostis possessor intimæ confusionis: qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse qui captus est animus dolens cernat. Nam gemit plerumque animus, et tamen carnis suæ delectationibus victus, bona quæ genuit amans perdit, ea quæ patitur damna considerat, non tamen virtutis brachium contra regem Babylonis levat. Sed dum videus nequitiæ perpetratione per- C cutitur, ad hoc quandoque peccati usu perducitur ut ipso quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis rex exstinctis prius filiis Sedeciæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, post et intelligentiæ lumen tollit, quod recte Sedecias id Reblatha patitur. Reblatha quippe *multa* hæc interpretatur: etenim quandoque et lumen rationis clauditur, qui pravo et iniquitatis suæ multitudine gravatur.

Undecimo anno « mense quinto, septima die « mensis, ipse est annus nonus decimus regis Ba« bylonis, venit Nabuzardan princeps exercitus, « servus regis Babylonis Hierusalem; et succendit « domum Domini, et domum regis, et domos Hie« rusalem. Omnemque domum combussit igni, et D « muros Hierusalem in circuitu destruxit omnes « exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe « militum. Reliquam autem populi partem quæ « remanserat in civitate, et perfugas qui transfu« gerant ad regem Babylonis, et reliquum vulgus « transtulit Nabuzardan princeps militiæ, » etc. Congruit ergo temporis ordo cum ratione vindictæ. Mense quinto legitur vastata esse civitas, quæ Pentateuchum legis servare despexit, et septima die mensis, quia sabbati requiem non custodivit, et omnia contraria præceptis divinis egit, frustra sibi blandiens de securitate pro sanctorum locorum habitatione. Unde per Jeremiam Dominus dicit: « Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est? quoniam si benedixeritis vias vestras et studia vestra, si feceritis judicium inter virum et proximum ejus, advenæ, et viduæ, et pupillo non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentum effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis, habitabo vobiscum in loco isto, in terra quam dedi patribus vestris a sæculo et usque in sæculum. Ecce vos confiditis verbis in sermonibus mendacii qui non proderunt vobis furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim et ire post deos alienos quos ignoratis. Et venistis, et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, et dixistis: Liberati su mus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. Et nunc quia fecistis omnia opera, hæc dicit Dominus: Et locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis, et vocavi vos et non respondistis, faciam domui huic in qua invocatum est nomen meum et in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi vobis et patribus vestris, sicut feci et Silo, et projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim (*Jerem.* VII). » Venit Nabuzardan, qui interpretatur *ventilabrum*, sive prophetia alieni judicii, justi Dei judicio super peccatores, princeps utique exercitus regis Babylonis Hierusalem intelligibilem, et succendit domum Domini, cum antiquus hostis, qui et rex confusionis et princeps omnium iniquorum est, tam malignorum spirituum quam etiam impiorum hominum, plebem invadit fidelium, et domum regis et domos Hierusalem, id est rectores et eos qui videbantur in visione pacis manere, inflammatos cupiditate subvertit, omnemque domum combussit igni, cum uniuscujusque conscentia per flammam illiciti amoris perturbavit, et muros Hierusalem in circuitu destruxit, cum intentionem orationis et virtutum studia quæ contra se valere novit, et inde spirantibus dissolvit, ne per spem veniæ ad divina succurrant auxilia, et correptionis vitæ apprehendant munimina. Populumque in captivitatem ducens, « de pauperi« bus terræ reliquit vinitores et agricolas, » quia eos qui utiles verbo et exemplo esse poterant, per vitia captivans, stultis et hebetibus commendat agriculturam, quatenus non vinum gratiæ spiritualis, et frumentum sanæ doctrinæ in vineis et agris populorum fructificet, sed spinæ magis et tribuli vitiorum excrescant.

« Columnas autem æreas quæ erant in templo « Domini et bases, et mare æreum, quod erat in « domo Domini confregerunt Chaldæi, et transtu« lerunt omne æs in Babylonem. » Columnas æreas et bases, doctores possumus accipere, qui sonoritate prædicationis et fidei firmitate debuerunt alios sustentare. Mare æreum baptismi lavacrum vel compunctionem lacrymarum significat. Hæc quidem omnia Chaldæi spirituales per inertiam magistrorum de domo auferre nituntur et confringere, ita ut non remaneat testa quæ possint igniculus fieri de incendio.

« Ollas quoque æreas, et trullas, et tridentes, et « scyphos, et mortariola, et vasa ærea in quibus « ministrabant, tulerunt. » Quia diversa officia in ecclesiasticis ordinibus de Dei servitio auferentes in suum usum nequissimum verterunt.

« Necnon et thuribula et phialas, » cum orationem qua divinitas placari potuit, et poculum verbi quibus lassi refocillari debuerant, impediendo subvertunt, « quæ aurea, aurea ; et quæ ar- « gentea, argentea tulit princeps militiæ. » Quia tam sensum pretiosum quam etiam eloquii venustatem hostis nequam de domo Domini auferre molitur et secum in confusionem ducere.

« Tulit quoque princeps militiæ Saraiam sacer- « dotem primum, et Sophoniam sacerdotem se- « cundum, et tres janitores; et civitate eunuchum « unum, qui erat præfectus super viros bellatores ; « et quinque viros deh is qui steterant coram rege, « quos reperit in civitate; et Sopher principem « exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ, « et sexaginta viros e vulgo, qui inventi fuerant « in civitate. Quos tollens Nabuzardan princeps « militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha « percussitque eos rex Babylonis et interfecit; in « Reblatha in terra Hemath. Et translatus est Juda « de terra sua. » Non solum enim populares, sed et fortes et principes in Ecclesia diabolus decipere et peccatis captivare satagit, unde de ipso in Job scriptum est : « Escæ ejus electæ sunt. » — « Tulit quoque Saraiam, » qui interpretatur *vinctus,* « sacerdotem primum, » cum primum in Ecclesiæ ordinem, qui in episcopis est, amore voluptatis terrenæ, et vitiorum catena constringit. Tulit quoque similiter « et Sophoniam, » qui interpretatur *absconditus ;* « sacerdotem secundum, » cum secundi ordinis viros, hoc est presbyteros qui talentum verbi Dei in terra fodientes absconderant, in suum dominium subigit; « et tres janitores, » illos janitores videlicet, qui ostium fidei aperire debuerant, et tenentes clavem scientiæ, nec ipsi introierunt nec alios introire permiserunt ; « et de civitate eunuchum unum qui erat præfectus super viros bellatores, » eunuchus iste significat eos quos alibi Scriptura sacra « stultas virgines » appellat, quæ vasa oleo vacua in manibus tenebant, continentes videlicet se a coitu corporali, nec tamen oleum gratiæ et misericordiæ in pectore suo habere volebant. Qui frustra super viros bellatores constituuntur, cum arrogantiam præcavere non meditantur. « Tulit et quinque viros de his qui steterant coram rege, » illos profecto qui quinque sensibus corporis voluptati servientes, regi vitiorum semper assistebant. « Et Sophar principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ; » Sophar interpretatur *dissipans* vel *dividens,* significans eos qui rudes in Ecclesia quos ad militiam Christi nutrire debuerant, pravis exemplis dissipantes, a cætu fidelium per errorem sequestrant. « Et sexaginta viros et vulgo qui inventi fuerant in civitate. » Hoc est stultos operatores, qui merito vulgi nomine nuncupantur, quia utilitatem divinorum conciliorum discere et factis implere neglexerant. Hoc scilicet omnes « tollens « Nabuzardan princeps militum duxit ad regem « Babylonis in Reblatha, percussitque eos rex « Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra « Hemath. » Quia antiquus hostis cum per nequitiam suam talem prædam ab Ecclesia evellens tollit, hoc voto ambit, hoc toto studio agit, ut ad perpetuæ mortis interfectionem eos perducat. Quos percutit rex confusionis in Reblatha, hoc est in multitudine scelerum et amore voluptatum. Unde Scriptura dicit : « Lata et spatiosa via est, quæ ducit ad mortem, et multi sunt qui intrant per eam (*Matth.* VII). » — « Et translatus est Juda de terra sua. » Cum illi qui confessionem nominis Dei in Ecclesia videbantur habere, per scelera et peccata multiplicia de terra viventium translati in regnum confusionis et erroris abducuntur. Sub quo imperio quicunque nequiter servientes perseveraverint, nec merebuntur per Jesu ducatum regredi in terram Juda, templumque Domini ibidem reædificare. In posterum namque præsentis vitæ tradentur in carcerem mortis perpetuæ, ubi vermis eorum nunquam morietur, et ignis non exstinguetur. Implebiturque eis illa beati Petri apostoli sententia qua dicit : « Melius quippe erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato (*II Petr.* II). » Quia, attestante Veritate : « Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit multis : qui autem nescit, et non facit, vapulabit paucis (*Luc.* XII). »

Expleto tandem tam laborioso opere, auxiliatus Omnipotentis ope, in calce supplex lectorem exoro ut, si dignum lectione vel transcriptione eum duxerit, Domino gratias gratanter referat, « qui est pater luminis, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum datur (*Jac.* I) : » qui dat abundanter, et non improperat qui mihi licet indigno ac humillimo juxta solertiam doctorum dedit et amorem et auxilium considerandi mirabilia de lege sua. Quod si secus quam optabam evenisse reperit, simul exoret ut meæ ignorantiæ ac errori a Domino venia tribuatur, et nullatenus litteratoriam urbanitatem et venustatem eloquentiæ requirat, sed potius sensum hujus operis diligenter perlustret, præsertim cum non res ac sensus propter litteras, sed litteræ ad manifestationem rerum sunt repertæ. Simul etiam velut flexis poplitum genibus cernuus deprecor, ut tandem dignetur si aliquid utilitatis invenerit, devotus exorare divinam clementiam, ut licet in peregrinatione hujus labentis sæculi, veram commissorum meorum gerere pænitudinem, et post excursum septem dierum, velut post septuaginta annos hujus captivitatis, exutus ab omni potestate regis Babylonii et servitute captivantium, valeam, juvante Spiritu sancto, qui septiformis dicitur, visionem pacis, cælestis videlicet Hierusalem ac civitatis Domini, de qua dicitur : Hierusalem quæ

ædificatur ut civitas (*Psal.* CXXI), » ingredi, et vultum Conditoris Regis nostri per sæcula contemplari, A præstante ipso, « in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. » Amen.

ANGELOMI
LUXOVIENSIS MONACHI
ENARRATIONES IN CANTICA CANTICORUM.

PRÆFATIO.
AD LOTHARIUM IMPERATOREM.

Gloriosissimo præstantissimoque imperatori LOTHARIO semper Augusto, ANGELOMUS, ultimus Monachorum, exorans exorando, exorat nancisci perennem gloriam.

Nuper excubantem me in vestro sacro palatio, sub obtentu, inquam, traditionum liberalium artium, enucleationumque divinarum scilicet Scripturarum dignata est vestra sagax prudentia, sicuti non est immemor, accersire vestræ solerti præsentiæ, mecumque habere oraculum. Sed post spiritualia cœlestis vitæ colloquia, et suffragia orationum placuit imperando, imo intentando [*minitando*] imperare, ut styli officio juxta sensum antiquorum patrum, et frugalitatem ingenioli mei opusculum in Cantica canticorum Salomonis, ubi Christi et ecclesiæ conjunctio, allegoriarumque mysteria præ cæteris Veteris Testamenti τοῖς βιβλοῖς contineri probantur, digererem et ut ita dicam exponere non abnuerem, atque præsentiæ culminis vestri ostendere non omitterem, quo haberet crebro post dispositionem reipublicæ frequentata, auribusque lectione relata solertia vestra, in contemplatione se extendens a tumultu causarum imperii atque potissimum de amissione sanctissimæ conjugis Deo annuente, ut credemus, collegio sanctarum allectæ, alboque beatitudinis inscriptæ, consolationis gratia legendo theorica, et velut turtur singularis cujus natura est, ut physici ferunt, si semel conjugem casu perdiderit, alium non requirere, sed castimoniam servans vidua quodammodo D permanere, solitarius ingemiscens, atque pænitens: de quo in eodem libro legitur: « Vox, inquit, turturis audita est in terra nostra (*Cant.* II); » id est Christi dicentis: « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Et pulchræ sunt genæ tuæ ut turturis, imbre lacrymarum genarum rimulis infusis, preces pro vestris excessibus et absolutione piissimæ imperatricis domino in abscondito fundere quivissetis. Quo audito, pondus tantæ rei expavescens, attonitus, imo obstupefactus admirari cœpi, cur clementia vestra tantum opus viris etiam eruditissimis formidandum, mihi indocto, omnesque liberalium artium

B disciplinas non nacto atque oraculis eulogiisque divinarum Scripturarum imbecilli injungere libuisset, cum plures haberet in monarchia doctores qui honeste et catholice tractare potuissent. Sed censuram imperii vestri considerans, tacitoque pertractans illud apostolicum quo dicitur (*I Petr.* II): « Estote subjecti omni humanæ creaturæ propter Dominum, sive regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis », sed et potius illud Dominicum, ubi pollicetur: « Amen, inquit, dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis (*Marc.* II). » Animadvertens quoque interna trutinatione mentis, quod sine nutu divino non foret quod a tanta majestate imperaretur, temerario ore refragare nullo C apologetico anfractuque excusationis præsumpsi, sed magis ut quiverim divinis fretus suffragiis, imperiis imperialibus, quamquam pavidus, obsecundare tentassem. Sed non flocci pendens quod sine magnifici domini et abbatis mei scilicet Drogonis patrui vestri assertionibus, pariterque jussionibus ne regularem excedere viderer disciplinam, et stylum appellere ad exarandum debuissem, non solum quod Caroli Magni imperatoris filius, atque frater sanctissimi et piissimi genitoris vestri Ludovici Cæsaris, sed qui summus erat pontifex atque abbas meus egregius. Cumque sacris ejus auribus suggerendo intulissem, et ordinem rei indicassem, quo auribus, hausto non solum renuit, verum ut est mitissimus et affabilitate suadibilis, benignitate præstantissimus, et ad omne bonum ferventissimus, mere suæ modestiæ non tantum ingenue libera auctoritate imperavit, sed blanda tranquillitate et pio afflatu, ut augustale opus, et spirituale decus quomodo quivissem aggredi non abnuissem. Quod audiens, sic jam tandem ejus exhortationibus animatus, vestris, almificis, affaminibus, sanctisque jussionibus adactus potissimumque divinis auxiliis fretus sanctorumque doctorum orationibus provocatus quod, o doctissime princeps in doctorum penes nos sanctorum sparsim invenire potero, præsertim in beatissimi Papæ Gregorii Romanæ decoris eloquentiæ dictis, quia a nullo solum per omnia reperio

compactum atque ex traditione magistri ingenii mei conjectura stylo currente, commatico potius compendiosoque sermone, licet impolito aggredi tentabo, et in libelli modum finire conabor, ut habeat vestra celsitudo velut enchiridion, hoc est manualem quodammodo libellum excerptum, quem congruis horis lectitare Deo favente post studia imperii, post sollicitudines Ecclesiæ ad consolationem divinarum ruminando complaceat. Et quia campos divinarum scilicet Scripturarum non valet percurrere latissimos, breviter saltem stromata nostra non pigeat scrutari quietus. Sed sciendum vero, quia ut moris est quorumdam scriptorum non in pagella e regione singulorum doctorum viritim litteris insignitis assignaverimus nomina omnia, sed ex eorum dictis profecto expositorum nonulla compaginare ex multimodis, breviter recidendo videlicet, demptis superfluis multimoda, nonnulla vero ex prolixioribus sensum eorum sequentes conjungere decerpendo, aliqua nostra interpolando, augmentare censuimus longiora. Sic nimirum sic diversis allusionibus dramatum percurrentibus brevia syrmata, quæ vicissim nectendo sententiarum explere libellum sancivimus, non pertimescentes eos qui nasum veluti sapientes contorquent, nec eos qui promptiores ad reprehendendum quam ad imitandum, quique quod reprehendere subsannando moliuntur, adimplere nequeunt. Scimus namque scimus quod concentu organi fistulæ æris, aliæ longiores sunt, aliæ breviores, sed uno flatu follibus administrato, et docta manu imperante, digitisque attrectando unam, cum sint diversæ fistulæ, harmoniam velut salpinx, tubarum voces atque concentum dulci cantilena melos afflando, attonitis auribus suaviter reddunt. Sic profecto cum sint aliæ sententiæ longiores recisis superfluis, aliæque breviores additis necessariis, flante Spiritu sancto per corpus unum imperante manu digitisque stylum tangentibus, vicissim conglutinatis sententiis dictationes enchiridionis explere ausi erimus adminiculante illo qui in hoc libro de Ecclesiæ donis permistis ait prophetice : Cyprus cum nardo, nardus cum croco, fistula et cynamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe, cum omnibus primis unguentis. Sed qualiter istæ virtutes Ecclesiæ alternando sibi permistim concinnant, in suo posterum dicemus loco. Unde jam tandem supplex exoro decus augustale æque et eos quibus fortassis legere contigerit, ut quod ego more medicorum ac pigmentariorum, qui ut diversa unguenta et antidota temperatim possint componere, bilanciis stateræ æque ponderare satagunt, ut una alteram non superabundet, nec de aliis minus utilia derelinquant, sed æque lance sua componant, studui æquali lance mentis trutinare sententias, et mela quodammodo et antidota animarum componere, non horrescat nec squalescat, diligenti exagio lustrando perlegat, atque medicamina animæ gratenter investiget. Sed antequam prolegomena ad calcem perveniat, notandum est quod in hoc libro nil carnale nilque historiale requirere debeat, sed allegoriarum mysteria contineri non dubitet. Nominantur enim in hoc libro oscula, nominantur ubera, nominantur genæ, nominantur femora. In quibus verbis non irridenda est sacra descriptio, sed major Dei misericordia consideranda est, quia dum membra corporis nominat, sic ad amorem suum vocat. Unde considerandum est, quam mirabiliter nobiscum et misericorditer operatur, qui ut cor nostrum ad instigationem sacri amoris accenderet, usque ad turpis amoris, ut papa Gregorius exponit, verba descendet. Sed unde se loquendo humiliat, inde nos ad intellectum exaltat, quia ex sermonibus hujus amoris dicimus qua virtute in divinitatis amore ferveamus. Hoc autem nobis solerter intuendum est, ne cum verba exterioris amoris audivimus, ad exteriora sentienda remaneamus. Sic est enim Scriptura hæc in vobis, sicut pictura in coloribus et rebus. Et nimis stultus est qui sic coloribus picturæ inhæreat, ut res ignoret. Nos enim si verba quæ exterius dicuntur amplectimur et sensus ignoramus, quasi ignorantes res quæ depictæ sunt solos colores tenemus. Scimus enim quia postquam genus humanum a paradisi gaudiis expulsum est, et in istam peregrinationem vitæ præsentis veniens, cæcum cor ab spirituali intellectu habet. Cui cæco cordis si diceretur voce Dominica : sequere Deum vel dilige Deum, per torporem insensibilitatis frigidum non caperet quod audiret. Propterea per quædam ænigmata sermo divinus animæ torpenti et frigidæ loquitur, et de rebus quas novit : latenter insinuat amorem quem non novit, et animæ longe a Deo infra positæ, ut præfatus tractator ait quasi quamdam machinam fecit, ut per illam levetur ad Deum. Interpositis quippe ænigmatibus, dum quiddam in verbis cognoscit quod suum, est, in sensu verborum intelligit quod non est suum, et per terrena verba sperantur æterna. Idcirco, o invictissime Cæsar, oramus ut nihil in hoc volumine historialiter requiras, sed flores allegoriarum cum morali intellectu investiges, quem quibusdam in locis ob tuam consolationem subnectere decrevimus, ne solummodo allegoriarum allusionibus pressus, violenter vestra celsitudo theorica legendo fastidiat. Audiat etiam quod per eumdem Salomonem dicitur « Gloria Dei celare verbum et gloria regum investigare sermonem (*Prov* v.) » Menti enim Deum quærenti, tanto Deus gloriosius apparet, quanto subtilius investigatur ut appareat. Debemus itaque quod Deus mysteriis celat requirere. Ideoque sequitur : et gloria regum investigare sermonem. Qui enim non solummodo regna terrarum, sed corpora sua, vel motus carnis regere et investigare noverunt, reges sunt. Quibus et per Psalmistam dicitur : « Et nunc, reges, intelligite, erudimini, qui judicatis terram (*Psal.* II), » et reliqua. Regum ergo gloria est investigare sermonem, quia bene viventium laus est perscrutari secreta mandatorum Dei. Scrutare ergo gloriosissime imperator scripturas, quatenus mysteria divina penetrando et intelligendo desideria et

motus carnis investigare et regere vestra sapientia A gitatis, tandem ad ea quæ imperastis stylum flecet solertia cæterosque imperio vestro subjectos docere, et actus prudentia consultuque honestissime gubernare valeat. His itaque prælibatis, imo etllatere conabimur. Valeat semper in Christo prospeveris successibus pollendo gloria vestra, decusque Francorum oramus.

INCIPIT LIBER

Priusquam augustale decus ad fistulas hormoniæ spiritualis, videlicet allegoriarum concentus manum ad scribendum, flante Spiritu sancto. exeram, et abyssos theoriæ vela pandendo historiæ. styli officio tangam, veluti clavi abdita domus reseram, quæ facilius interiora mysteria revelentur, in argu- B mentatione fidei ostendere decrevi. quare iste liber tertius in opusculis Salomonis ponitur, et quid significationis geratur. cujusve vitæ typum habere asseratur, simul etiam quibus nominibus sancta Ecclesia in hoc eodem libro inscribitur. cur quoque idem volumen non simpliciter Canticum, sed Canticum canticorum appellatur : ad extremum quibusque Salomon in Scripturis sanctis nominibus insignitur ut cuncta prius prælibando dum fuerit præscita, in posterum facilius atque avidius capiantur exposita. Tribus namque nominibus vocatum fuisse Salomonem Scripturæ manifestissime docent. *Salomonem*, id est *pacificum*, eo quod in pace regnum obtinuerit, et per parabolas populum erudierit, in significationem Salvatoris C qui discipulis suis ait : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV). » Et ipse per parabolas turbas docuit, de quo etiam scriptum est : « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis (*Isa.* IX) » et reliqua. Et *Ididia*, id est *dilectus Domini*, videlicet quia prius a Domino dilectus fuerit, similiter in typum Domini qui a Patre dilectus est, sicut ipse ait : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III). » Et *Coheleth*, id est *Ecclesiasten*. Ecclesiastes autem Græco sermone appellatur, eoque cœtum, id est Ecclesiam congreget, quem nos nuncupare possumus *concionatorem*, quod loquatur ad populum, et sermo ejus non specialiter ad unum, sed ad universos generaliter dirigatur, qui velut extensa D manu omnium tumultus sedat, eosque ad unam sententiam revocat. Sic idem Salomon in hoc libro fecisse ostenditur, cum in libri termino ait : « Finem loquendi omnes pariter audiamus : Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo (*Eccli* XII), » illum præfigurans qui non solum pace intulit, et dilectus Deo Patri exstitit, sed qui omnibus ait : « Pœnitentiam agite : appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III) » qui medio pariete destructo, » et inimicitias in carne sua evacuans fecit utraque unum, quique Deum timere, et mandata ejus observare jubet. Denique sicut Salomon tribus præfatis nominibus appellatus est, sic juxta numerum vocabulorum tria vulumina edidit, *Proverbia* videlicet quæ nos *Parabolas* nominamus, quas Hebræi *Masloth* appelant. *Ecclesiasten*, quem et illi, ut diximus *Coheleth* nominant. Et *Cantica canticorum* quem *Schir aschirim* prænotant et hos rationabili ordine distinxit. In Proverbiis namque parvulum docens, et quasi de officiis per sententias erudiens, unde et ad filium ejus sermo crebro reperitur. In Ecclesiaste vero maturæ ætatis virum instruens, ut nequaquam mundi rebus credat aliquid esse perpetuum, sed caduca et brevia universa quæ cernimus. Ad extremum jam consummatum virum, et calcato sæculo præparatum in Cantico canticorum amplexibus jungit. Nisi enim prius reliquimus vitia, et pompis sæculi renuntiantes, expeditos nos ad adventum Christi paraverimus, non poterimus cantare Canticum canticorum, et dicere : « Osculetur me osculo oris sui. » Sive ita volumina edidit, in quibus trium generum disciplinas composuit, quibus ad rerum scientiam pervenitur. In primo namque moralem, in secundo vero naturalem, ad ultimum quippe contemplativam, quas Græci ita ethnicam, physicam, et theoriam nominaverunt. Unde non abhorret ab intellectu. quia liber iste opusculis Salomonis tertio loco ponitur. In proverbiis itaque moralis vita exprimitur, ubi dicitur : « Audi, fili mi, sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam (*Prov.* I). » In Ecclesiaste vero naturalis. Ibi quippe quod omnia ad fidem tendant, considerantur, dum dicitur : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*Eccli.* I). » In Canticis autem canticorum contemplativa vita exprimitur, dum in eis ipsius Domini advenths et aspectus desideratur, cum sponsæ voce dicitur : « Osculetur me osculo oris sui. » Hos etiam ordines trium patriarcharum vitæ significant *Abraham*, *Isaac*, videlicet et *Jacob*. Moralitatem quippe Abraham obediendo tenuit quando de terra sua exiit, et filium immolare non distulit Isaac vero naturalem vitam puteos fodiendo figuravit, imo enim puteos fodere est, per considerationem naturalem omnia quæ infra sunt perscrutando rimari. Jacob vero contemplativam vitam tenuit, qui ascendentes et descendentes angelos vidit. Sed quia naturalis consideratio ad perfectionem non ducitur, nisi prius moralitas teneatur, recte post Proverbia Ecclesiastes ponitur. Et quia superna contemplatio non conspicitur, nisi prius hæc infra labentia despiciantur, recte post Ecclesiastem Canticum canticorum ponitur. Prius quippe est mores componere, postmodum omnia quæ adsunt, tanquam non adsint considerare. Tertio vero loco, munda cordis acie, superna et interna conspicere. His itaque ut summa moralium

tractator papa Gregorius depromit librorum gradibus quamdam ad contemplationem Dei scalam et machinam fecit, ut dum primum in sæculo bene geruntur honesta, postmodum etiam honesta, sæculi despiciantur et ad extremum etiam Dei intima et secreta contemplentur. Unde non immerito liber iste, non Canticum, sed Canticum canticorum nominatur, ubi cœlestis verbi Dei et animæ conjunctio demonstratur. Quod canticum ita intelligitur omnibus præcellere canticis, sicut Dominus noster assumptus homo, apostolis, patriarchis, vel prophetis, aut quæcunque illæ sunt cœlestium potestates: ut sicut rex regum, et Dominus dominantium est Christus, ita et Canticum canticorum super omnia cantica quæ a prophetis cantata sunt titulatur. Et sicut in Veteri Testamento alia sunt sancta, et alia Sancta sanctorum, et alia sabbata, et alia sabbata sabbatorum, sic et alia sunt cantica, et alia Cantica canticorum. Sancta erant in tabernaculo, et quæ exterius agebantur; sabbata erant quæ ex singulis hebdomadibus celebrabantur, sed Sancta sanctorum secretiori quadam veneratione suscipiebantur: et sabbata sabbatorum, non nisi in suis festivitatibus celebrabantur. In Cantico canticorum secretum quoddam, et solemne interius est, quod secretum in occultis intelligentiis penetratur; nam si exterioribus verbis attenditur, secretum non est. Unde jam superius in præfatione disputavimus. Sciendum est etiam quia in Scriptura sacra alia sunt cantica victoriæ, alia cantica exhortationis et contestationis, alia cantica exsultationis, alia cantica adjutorii, alia cantica conjunctionis cum Deo. Canticum victoriæ est quod Maria transito mari Rubro cecinit dicens: « Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est: equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* xv). » Canticum exhortationis et contestationis est quod Moyses Israelitis ad terram repromissionis propinquantibus dixit. « Attende cœlum et loquar, et audiat terra verba ex ore meo (*Isa.* xxviii). » Canticum exsultationis est quod Anna non solum pro Samuele, sed prospecta fecunditate Ecclesiæ in semetipsa cecinit dicens: « Exsultavit cor meum in Domino (*I Reg.* ii). » Ubi per semetipsam veritas fecunditatem prolis ecclesiasticæ expressit, cum dicit: « Sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est (*Ibid.*) » Canticum adjutorii David post prælium cecinit dicens: « Diligam te, Domine, virtus mea (*Psal.* xvii). » Canticum vero conjunctionis cum Deo, hoc est canticum quod in nuptiis velut epithalamium sponsi et sponsæ canitur, id est Cantica canticorum, quod tanto est omnibus canticis solemnius, quanto et in nuptiis solemnitatis sublimioris offertur. Per illa cantica vitia devitantur, per ista vero unusquisque virtutibus locupletatur. Per illa cavetur hostis, per hæc Dominus familiari amore complectitur. Cantata sunt et alia cantica a diversis prophetis, pro diversis personis vel causis: sicut et Habacuc pro ignorantibus prænotavit. Cantavit et Debora de victoria Sisaræ. Cantaverunt et tres pueri in fornace in quo mirabilia omnipotentis Dei narrantur. Cantavit et Hieremias canticum lamentationis de conversione Hierusalem et sanctuarii, et totius populi sui, et multi alii. Sed ideo hoc Canticum canticorum appellatur, quia ad propriam Christi regis et Ecclesiæ conjunctionem esse manifeste probatur, ubi orat ad patrem sponsi Ecclesia, qui est sermo Dei, ut jam non per internuntios qui sunt angeli et prophetæ, qui a Dei Filio Ecclesiæ futuræ reprobationis nuntia deferebant sed ipsum per incarnationis mysterium jam aliquando coram ostendat, jam ipsius formam speciosam præ filiis hominum amplecti mereatur eique dulcissima oscula suscipere, et gratissima ubera tractare. Ista namque quæ sic desiderat ἐκκλησία Græco vocabulo dicitur, Latine *congregatio* vel melius *convocatio*, Hebraice *Synagoga* interpretatur. Pro loco vel tempore diversis nominibus a verbo Dei vocata esse probatur. De cujus vocabulis superius polliciti sumus. Aliquando etenim Hierusalem nonnunquam *Sion* plerumque *amica*, sæpe vero *dilecta*. Interdum *soror*, vel speciosa *sponsa*, *columba*, *seu immaculata*, vel perfecta in Christi persona ore prophetarum et in hoc libro appellata cognoscitur. Hierusalem siquidem dicitur, quia post iracundiam omnipotentis Dei pacem de cœlo missam a patre suscepit, eo quod aliquam signatur habere pacem. Quam pacem et conjunctionem exorare dicitur cum eum deprecatur: « Osculetur me osculo oris sui. » *Sion* vero, quia de convalle lacrymarum idololatriæ, ubi in corpore lapsa fuerat in Adam, nec corde ad montem paradisi reascendit, et pro munditia cordis, speculum se præbendo individuæ Trinitati, conspicua et excelsa efficitur. In qua Deus omnipotens quasi in fertili monte delectetur, deambulare, et beatum doctrinæ suæ semen spargere, propter quod *specula* vel *semen* in ea interpretatur. *Amica* autem dicitur, quoniam repudiando diabolum, ad amicitias revocavit Deum. *Dilecta* vero appellatur, quoniam post incredulitatis amarissima odia credulitatis muneribus dilecta efficitur Dei. *Soror* videlicet nuncupata per assumptæ carnis mysterium, cum ex eadem materia videndi nascitur terris, de qua et Ecclesia generatur. *Speciosa*, scilicet pronuntiatur, abstersa per baptismum ab omnibus peccatorum maculis, post multam Æthiopicam tenebrosamque consuetudinem criminum, pelle mundata, et ad genuinam pulchritudinem revocata. *Sponsa* vero effecta est, corpus et sanguinem suo corpori conjungendo. Per quod sacramentum spopondit, se præter eam nullum alium amatorem in toto corde diligere, pretiosum ejus annulum fidei magno studio conservando. *Formosa* namque prædicatur, formam ejus imaginis in qua creata est in anima reformando. *Columba* vero nominatur: omni rapacitate quoniam aduncis manibus velut vulturinis consueverat perpetrare deposita, nunc consortio Spiritus sancti sociata, simplicitatis et largitatis candore columbarum refulget. Et quæ consueverat in malis doctoribus aliis animabus æternæ vitæ rapere cibos, nunc in bonis doctoribus de suo suavis-

simo gutture audientibus reimpartiri, sicut natura est columbarum. *Immaculata* autem laudatur, deposita veteri antiquaque consuetudine criminum, et stola sacrosancti baptismatis semel induta, immaculate vivendo, ultra se non maculavit. Et Domini sui Christi imitatrix effecta pro ejus nomine moriendo lima martyrii et mortificationis splendescit. Nullum aliud ferramentum fortius potuit reperire, per quod antiqua scoria animæ, ut Apponius ait, limaretur, nisi martyrii limam, per quod in tormentorum fornace possit anima, quantalibet sordium peccatorum mole sit circumdata, in suo sanguine renovari, per quod perfecta sit columba, et in Christo immaculata. Unde et perfecta quippe nuncupatur, omne judicium a Patre videlicet suscipienda in Christo. Hæc ergo Ecclesia, in quam omnium credentium in Christo multitudo consistit quæ retro ante videlicet sponsi adventum in suo sanguine ignominiose jacebat et commaculata, juxta prophetam, in curis magnis enutrita, et usque ad annos pubertatis provecta, et ejus doctrina quasi monilibus exornata, sed ejus conjunctione usque ad regnum cœlorum sublimata. Sed quomodo ignominiose et conculcata jacebat per Prophetam increpatur. « Radix tua et generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethea in die qua nata es. In die ortus non est præcisus umbilicus tuus, non es lota aqua in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. Non pepercit super te oculus meus ut faceret tibi unum ex his, misertus tui, sed jacebas nuda plenaque ignominia conculcata in sanguine tuo. Ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit, et ecce tempus tuum amantium, et jacebas nuda, confusionis plena (*Ezech.* XVI). » Et qualiter per adventum suæ conjunctionis facere voluit unum ex his misertus sui subjunxit : « Et misi amictum meum, et operui ignominiam tuam. Lavi te aqua et mundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo, et vestivi te vestimento multicolorio. Simila et melle nutrivi te. Cinxi te bysso, et calciavi te hyacintho et posui coronam decoris in capite tuo, et circulos in auribus tuis, et juravi tibi et ingressus sum pactum tecum, et facta es mihi, ait Dominus Deus (*Ibid.*). » Quod quamvis plebs Judæorum arguatur contumax, alloquitur in ejus persona omnis anima quæ per lavacrum regenerationis nascitur, per voluntatem ejus, quæ eam prius genuerat per peccatum Amorrhæi, qui *amarus* interpretatur, id est diaboli, et per consuetudinem nefariam, quæ Cethea præsenti loco dicitur, quæ *mentis excessus* interpretatur, fuerit oblita improbari, probatur increpatione quam clemens Dominus noster Jesus Christus, per sanctam apparitionem suam, licet nescienter de prædictis sordibus collectam enutrivit, et pretiosis vestibus vel monilibus exornavit, et sibi consortem regni facere est dignatus per sacrosancti baptismatis undam, ubi gloriosa copula Christi Flii Dei et Ecclesiæ celebratur. In quo sacro mysterio abluoniis aqua lavatur sapientiæ sale suscepto, in-

A dividuæ coæternæque Trinitatis fide prostibuli traditione salitur, variarum virtutum charismate, vestimentis nudata operitur. Sanctus Spiritus pinguedine, charismatis unctione repletur. Ubi simila in Christi corpore, et melle in ejus eloquiis enutritur, ubi circulis divinæ intelligentiæ aures ornatur, martyrii geminata in capite corona refulgens, bysso quæ est puritatis indicium cingitur, id est amore virginitatis et pudicitiæ, ab omni, eam dissolutione continens, revocatamque constringit. Calciantur hyacintho, qui *color præparans* Hebraice dicitur, ut præparati sint pedes ad præcepta Evangelii pacis semper concurrere. His videlicet ornamentis decorari cupiebat Ecclesia, sed quia ornari non poterat nisi per ejus apparitio- B nem, idcirco illius visitationem desiderabat. Audierat enim tanquam sponsa per prophetam in persona sponsi, id est Verbi Dei Patris dicentis : « Desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo te mihi in justitia, desponsabo te mihi in judicio, desponsabo te mihi in misericordia, desponsabo te mihi in fide (*Ose.* II). » Et per Isaiam similiter vox ipsius Ecclesiæ ait : « Posuit mihi mitram sicut sponsæ et induit me vestimentis salutis, sicut sponsum decoratum corona, et sicut sponsam ornatam monilibus suis circumdedit me (*Isa.* LXI). » Et Zacharias hujuscemodi gloriam trepidanti Ecclesiæ nuntiatam dicendo ait : « Noli timere, filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mitis et mansuetus, sedens super pullum asinæ, Salvator et Redemptor ipse C est (*Zach.* IX). » Hi ergo omnes patriarchæ et prophetæ, futuram, ineffabilem Christi et Ecclesiæ copulam cecinere. Apostolus autem jam celebratam exposuit dicens : « Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam dilexit, qui semetipsum tradidit pro ea, ut ipse sibi exhiberet immaculatum Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam (*Ephes.* V). » Et iterum ad Corinthios : « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI). » Et alio loco ita exhortatur fideles : « Vos estis corpus Christi, et caro de carne ejus (*I Cor.* XII). Huic videlicet tantis ac talibus testibus confirmandæ, adhibenda sunt omnia officia nuptiarum. Ubi præsto sint etiam amici sponsi, sodales etiam sponsæ, mores quoque cantantium, qui D dulci modulamine sponsi potentiam canant vel sponsæ pulchritudinem laudent, qua largitatem sponsi est consecuta, quomodo se excelsus humiliaverit de illa altitudine deitatis limum profundi, ut humilem, dejectamque carnis materiam ad cœlorum culmen levatam suæ majestati conjungeret. Et notandum quia aliquando Scriptura sacra Dominum vocat, aliquando patrem, aliquando sponsum. Quando enim vult se timeri, Dominum se nominat : quando vult honorari, patrem ; quando vult amari, sponsum. Ipse per prophetam dicit : « Si Dominus sum, ubi est timor meus ? Si Pater ego sum, ubi est honor meus ? (*Mal.* I) » Et rursum dicit : « Desponsavi te mihi in justitia, et fide, vel certe recordatus sum diei desponsationis tuæ in deserto (*Ose.* II). » Et quid est apud Deum, quando, et quando

non est. Sed quia prius timeri se vult ut honoretur, et prius honorari, ut ad ejus amorem perveniatur, et Dominum se propter timorem nominat, et patrem propter honorem, et sponsum propter amorem, ut per timorem veniatur ad honorem, per honorem vero ejus perveniatur ad amorem. Quanto ergo dignius est honor quam timor, tanto plus gaudet Deus pater dici quam Dominus. Et quanto ergo charius est, amor quam honor, tanto plus gaudet Deus, sponsus quam pater. In hoc ergo libro Dominus et Ecclesia, non dominus et ancilla, sed sponsus nominatur et sponsa, ut non soli timori, non soli reverentiæ, sed etiam amori deserviatur, et in verbis exterioribus incitetur affectus interior. Cum se Dominum nominat, indicat quod creati sumus. Cum se patrem nominat, indicat quod conjuncti. Plus est autem conjunctos esse Deo, quam creatos et adoptatos. Sic autem generaliter ex voce Ecclesiæ adventus Domini in hoc opere præstolatur, ut etiam specialiter unaquaque anima ingressum Dei ad cor suum, tanquam aditum sponsi in thalamum accipiat. Et sciendum quia in hoc libro quatuor personæ loquentes introducuntur, sponsus videlicet sponsa, adolescentulæ vero cum sponsa, et greges sodalium cum sponso. Sponsa enim ipsa perfecta Ecclesia est, sponsus Dominus sicut crebro dictum est. Adolescentulæ vero cum sponsa sunt inchoantes animæ, et per novum studium pubescentes. Sodales vero sponsi sunt sive angeli qui sæpe hominibus ad ipsos venientes apparuerunt, seu certe perfecti quique viri in Ecclesia, qui veritate hominibus nuntiare noverunt: sed qui singillatim adolescentulæ vel sodales sunt, toti simul sponsa sunt, qui toti simul Ecclesia sunt, quamvis et juxta unumquemque fidelem hæc ita nomina accipi possunt. Nam qui Dominum jam perfecte amat, sponsa est: qui sponsum prædicat sodalis est, qui adhuc novellus viam bonorum sequitur, adolescentula est. Imitamur ergo ut simus sponsa. Si hæc nondum valemus, simus sodales. Si neque hoc adepti sumus, saltem ad hunc thalamum velut adolescentulæ conveniamus. Sed sciendum antequam ad conjunctionis pacem veniamus, quod sapientissimus Salomon quidquid ab initio mundi usque in finem, in mysteriis egit acturusve erit Dei sermo erga Ecclesiam, in figura et ænigmatibus demonstravit. In quo cantico omnia quæ narrantur tecta mysteriis in Verbi incarnatione revelata et completa docentur, ubi allisa erigitur humana progenies, compedita absolvitur, corrupta ad virginitatis integritatem reformatur, expulsa a paradiso, redditur ex captiva libera, ex pergrina civis, ex ancilla domina, ex vilissima regina et sponsa Creatoris sui Verbi Dei Christi benignitate effecta ostenditur, quæ digna sit ejus suscipere oscula, et una cum eo effecta spiritum in cœlestibus sublimata regnare. Quæ sublimitas humiliatione Filii Dei celebrata cognoscitur sicut magister gentium docet de Christo dicendo: « Humiliavit se, ut nos exaltaret (*Phil.* II). » Non enim injuria deputatur artifici pretiosum annulum lapsum in corporis foveam paulisper deposita stola ad quærendum descendere, et inventum rursum suæ dexteræ reddere. Nam quidquid humile, quidquid vilissimum, quidquid despectum indignumque stulta impiaque gentilitas opinatur cujus incredulitatis caligo oculos cordis cæcavit, hoc gloriosum, hoc mirabile, hoc, inquam, magnificum apud divinam clementiam et omnes virtutes cœlestes esse probatur. Nam quæ immensa potentia, quæ bonitatis dulcedo, quæ miserationis superlativa omnium operum flagrantia paternæ virtutis, admirata ab angelis, omniumque sanctorum choris præcelsis vocibus perpetuis laudibus offertur, nisi Dominus ancillam vere pauperculam, ut externus mortalem per assumptionem carnis Dominus Jesus Christus Ecclesiam, id est Dei sermo sibi animam sub conjunctionis titulo copularet? Quia igitur sæpius sponsum et sponsam, Dominum et Ecclesiam diximus, et rite, juxta poetam, viam sermone levamus:

Spesque fidesque meum comitautur in ardua gres-[sum,]
Blandius ad summam tandem pervenimus arcem.

Ut jam ipsum textum divini oraculi pandamus velut adolescentulæ, velut sodales audiamus verba sponsi, audiamus verba sponsæ, et in eorum sermonibus fervorem discamus amoris. Itaque sancta Ecclesia diu præstolans adventum Domini, diu sitiens fontem vitæ, quomodo optet videre præsentiam sponsi sui, quomodo desideret et dicat.

CAPUT PRIMUM.

« Osculetur me osculo oris sui. » Angelos ad eamdem Dominus, patriarchas ad illam et prophetas miserat, spiritualia dona deferentes, sed ipsa vero munera non per servos sponsi, sed per ipsum jam sponsum percipere quærebat. Ponamus ante oculos omne genus humanum ab exordio mundi usque ad finem mundi, totam videlicet Ecclesiam unam esse personam: quæ arrhas spirituali dono perceperat, sed tamen sponsi sui præsentiam quærebat, quæ dicit. « Osculetur me osculo oris sui. » Suspirans enim sancta Ecclesia pro adventu Mediatoris Dei et hominum, pro adventu Redemptoris sui ad Patrem verba orationis facit, ut Filium dirigat, et sua illam præsentia illustret, ut eidem Ecclesiæ non jam per ora prophetarum, sed suo ore locutionem faciat, ac si apertius dicat: Tangat me dulcedine præsentiæ suæ, quam sæpius a prophetis promissam audivi. Unde et de eodem sponso in Evangelio scriptum est (*Matth.* V), cum sederet in monte, et sublimium præceptorum verba faceret: « Aperiens hic Jesus os suum dixit. » Ac si dicantur: Tunc os suum aperuit, qui prius ad exhortationem Ecclesiæ aperuit ora prophetarum. Cerne libenter, Cæsar Auguste, quomodo ab exordio mundi ab Adam scilicet, imo ab Abel juxto, usque ad Joannem Baptistam semper Ecclesia Christum in eis qui altioris intellectus erant quæsivit, et per omnes patriarchas et prophetas ad Patrem omnipotentem lacrymabili voce clamavit, ejus sibi oscula propinari, quem et in Jordanis baptismo vox Patris de nube, et Joannes digito monstravit, dicen-

do: « Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi (*Joann.* I). » Et Pater ipse de nube: « Hic est Filius meus, inquit, dilectus in quo mihi complacui (*Matth.* III).» Unum autem de multis amicis sponsi præparantem sponsam Joannem intellige, cujus præsentia Ecclesia Christi oscula sancta suscepit, ipso testante de Christo. « Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi gaudio gaudet ad vocem sponsi (*Joan.* III). » Miratur videlicet Joannes, cum vidit eum propter aquarum sanctificationem ad baptismum venientem, qui ait: «Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? » (*Matth.* III.) Gaudio vero gaudet, audiens vocem ejus dicentis: « Sine modo, sic enim oportet nos implere omnem justitiam (*Ibid.*).» Ubi completæ sunt preces Ecclesiæ jam olim promissæ ad Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi dicentis: « Osculetur me osculo oris sui. » Sed dum ergo sancta Ecclesia incarnandum sponsum adhuc absentem desiderat subito intuetur præsentem. Habet enim gratia Redemptoris nostri, ut cum de illo quærentes loquimur, ejus præsentia perfruamur, sic de duobus Cleopha videlicet et alio, sicut in Evangelio scriptum est. Unde subjungit: « Quia meliora sunt ubera tua vino,» «et odor unguentorum super omnia aromata (*Cant.* III).» Vinum fuit scientia legis, scientia prophetarum, sed veniens Dominus quia sapientiam suam per carnem voluit prædicari, quasi fecit eam in carnis ubera lactescere. Et quam in divinitate sua capere minime poteramus, incarnatione ejus agnosceremus: unde non immerito ejus ubera laudantur, quia prædicationibus ejus condescensio hoc egit in cordibus nostris, quod doctrina legis agere minime valuit. Plus enim nos nutrivit incarnationis prædicatio, quam legis doctrina. « Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.» Unguenta Domini virtutes sunt. Unguentum Domini, Spiritus sanctus fuit, de quo ei per prophetam dicitur: « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Ps.* XLIV). » Hoc oleo tunc unctus est cum incarnatus est. Non enim prius homo exstitit et postmodum spiritum sanctum accepit, sed quia Spiritu sancto mediante incarnatus est, eodem hoc oleo tunc unctus est, cum homo creatus est. Odor ergo unguentorum ejus flagrantia Spiritus sancti est, qui ex illo procedens, in illo permansit. Odor unguentorum ejus flagrantia virtutum quas operatus est. Habuit hæc Ecclesia aromata quia habuit multa spiritus dona, quæ in domo Dei, id est in congregatione sanctorum odorem bonæ opinionis redoleret. Sed odor unguentorum tuorum super omnia aromata, quia flagrant a virtutum sponsi, quæ per incarnationem ejus facta est, vicit prædicamenta legis, quæ in arrhis ab sponso fuerant prærogata. Illa legis aromata per angelos ministrata sunt, istud unguentum per præsentiam sponsi datum est. Tanto quippe amplius ad intellectum credit Ecclesia, quanto et amplioris visionis gratia meruit illustrari. Hoc autem quod generaliter de cuncta Ecclesia diximus, nunc specialiter de unaquaque anima sentiamus. Ponamus ante oculos esse quamdam animam donorum studiis inhærentem, intellectum ex aliena prædicatione percipientem, quæ per divinam gratiam etiam ipsa illustrari desiderat, ut aliquando etiam per se intelligat, quæ nihil se intelligere nisi per verba prædicatorum considerat, et dicat: « Osculetur me osculo oris sui. » Ac si dicat: Ipsa me tangat intus, ut cognoscam intelligentiam, non jam prædicatorum vocibus, sed internæ ejus gratiæ tactu perfruar. Quasi osculo oris sui osculabatur Moysen Dominus, cum per fiduciam familiaris gratiæ intellectum porrigeret. Unde scriptum est. « Si fuerit propheta in somnio loquor ad eum et non sicut famulo meo Moysi. Ore enim ad os loquor ei (*Num.* XII). » Os quippe ad os loqui, quasi osculari est, et interna intelligentia mente tangere. Sequitur: « Meliora sunt ubera tua vino. » Ubera Dei sunt sicut prius diximus, humillima prædicatio incarnationis ejus: sapientia autem sæculi, quasi quoddam vinum est. Inebriat enim mentem, quia ab intellectu humilitatis alienam reddit. Quasi quodam vino inebriantur philosophi, dum per sæcularem sapientiam vulgi morem transeunt. Quam sapientiam sancta Ecclesia despiciat, humillimam prædicationis Dominicæ incarnationem appetat. Plus ei sapiat quod per infirmitatem carnis ejus nutritur, quam quod mundus hic per elationem falsæ prudentiæ extollitur, et dicat: « Quia meliora sunt ubera tua vino, » id est humillima incarnationis tuæ prædicatio elatam mundi sapientiam superat. Unde scriptum est: « Quod infirmum est Dei, fortius est quam homines. Et quod stultum est Dei sapientius est quam homines (*I Cor.* I). » Sed quia ipsi hujus sæculi sapientes nonnunquam videtur quibusdam virtutibus studere, videmus enim plerosque habere charitatem, servare mansuetudinem, honestatem exteriorem in omnibus exercere. Quas tamen virtutes, non ut Deo, sed ut hominibus placeant exhibent. Quæ idcirco virtutes non sunt, quia Deo placere non appetunt. Olent tamen in humanis naribus dum humano judicio bonam opinionem reddunt. Sed comparentur hæc vero odori Redemptoris nostri, comparentur veris virtutibus et dicatur: « Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata, » id est flagrantia virtutum tuarum, omnem speciem virtutum sapientiam mundi superat, quia videlicet fictas eorum imagines ex veritate transcendit. Quia secundo loco sentiri hoc quod dictum est de unaquaque anima diximus, adhuc eumdem sensum, si possumus, adjuvante Deo, subtilius exsequamur. Omnis anima quæ timet Deum, jam sub jugo ejus est. Sed adhuc longe, quia timet. Nam tantum quisque ad Deum prope fit, quando pœnam timoris omittit, et gratiam de illo charitas percipit. Ponamus ante oculos animam electi cujuslibet, quæ continuo desiderio in amorem visionis sponsi accenditur, quia quod in hac vita perfecte percipere non valet, contemplatur ejus celsitudinem et ex ipso amore compungitur. Ipsa enim

compunctio quæ per alacritatem fit, quia et desiderio accenditur, quasi quoddam osculum est. Toties enim anima osculatur Deum, quoties in ejus amore compungitur. Sunt enim multi qui jam quidem Deum metuunt, jam in bona operatione recipiunt, sed necdum osculantur, quia amore ejus minime compunguntur. Quod bene in convivio Pharisæi signatum est. Qui cum Dominum recepisset, cumque osculanti mulieri pedes ejus in corde suo derogaret, audivit. « Intravi in domum tuam, osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo ingressa est, non cessavit osculari pedes meos (*Luc.* VII). » Omnis qui jam eleemosynas facit, qui jam in bonis operibus studet, quasi Christum in convivium recipit, Christum pascit, quia eum in membris suis sustentare non desinit. Sed si nondum per amorem compungitur, adhuc ejus vestigia non osculatur. Bene autem dictum est, « non cessavit osculari pedes ejus (*Ibid.*) » Non enim sufficit in amore Dei semel compungi et quiescere, sed et compunctio debet esse et crebrescere. Unde mulier in eo laudatur, quia osculari non destitit id compungi minime cessavit. Unde et per Prophetam dicitur : « Constituite diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris (*Psal.* CXVII). » Dies solemnis est Domino, compunctio cordis nostri. Sed tunc in confrequentatione dies solemnis constituitur, cum ad lacrymas præ amore Domini assidue movetur. Cur vel si diceremus quandiu ista acturi sumus, quandiu tribulationibus afficimur? illico terminum quousque fieri debeat subjunxit dicens : « Usque ad cornu altaris. » Cornu quippe altaris est exaltatio sacrificii interioris. Ubi cum pervenerimus jam, nequaquam necesse est ut solemnem Domino de nostra lamentatione faciamus. Anima ergo, quæ jam per amorem compungi desiderat, quæ jam contemplari visione sponsi sui appetit, dicat : « Osculetur me osculo oris sui. » Vel certe osculum oris ejus est ipsa perfectio pacis internæ, ad quam cum pervenerimus nihil remanebit amplius quod quæramus. Unde et apte subjungitur. « Quia meliora sunt ubera tua vino. » Vinum est scientia Dei, quam in ista vita positi accipimus. Ubera autem sponsi tunc amplectimur, cum eum in æterna patria jam per amplexum præsentiam contemplamur. Dicat ergo : « Meliora sunt ubera tua vino. » Ac si dicat : Magna est quidem scientia, quam de te mihi in hac vita contulisti, magnum est vinum notitiæ tuæ quo me inebrias, sed ubera tua vino meliora sunt, quia tunc per speciem et per sublimitatem contemplationis transcenditur, quidquid de te modo per fidem scitur. « Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. » Hic habet sancta Ecclesia aromata, dum in virtute scientiæ, virtute castitatis, virtute misericordiæ, virtute humilitatis, virtute charitatis pollet. Si sanctorum vita odorem aromatum ex virtutibus non haberet, Paulus non diceret : « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*I Cor.* II). » Sed longe excellentior est illa unctio contemplationis Dei, ad quam quandoque ducendi sumus, longe excellentior est odor unguentorum Dei aromatibus virtutum nostrarum. Et si jam magna sunt quæ accepimus, valde tamen potiora sunt, quæ de contemplatione Creatoris nostri accepturi sumus. Unde anhelet anima et dicat : « Odor unguentorum tuorum super omnia aromata, » id est bona illa quæ per contemplationem tuam præparas, ista omnia virtutum munera, quæ in hac vita tribuisti, transcendunt. Dicamus hinc Ecclesiæ, dicamus hinc animæ sic amenti, sic æstuanti amorem sponsi sui, unde tamen desiderium perceperit, unde notitiam divinitatis ejus apprehenderit. Sed ecce ipsa exprimit et dicit :

« Unguentum effusum nomen tuum. » Unguentum effusum est divinitas incarnata. Si enim sit unguentum in vasculo odorem exterius minus reddit, si vero effunditur, odor effusi unguenti dilatatur. Nomen ergo Dei unguentum effusum est, quia ab immensitate divinitatis suæ ad naturam nostram se exterius effudit et ab eo quod est invisibilis, se visibilem reddidit. Si enim non se effunderet, nequaquam nobis innotesceret. Effundit se unguentum, cum se et dominum servavit, et hominem exhibuit. De qua effusione Paulus dicit : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Phil.* II). » Quod Paulus dixit, « exinanivit, » hoc Salomon dixit « effudit. » Quia ergo humano generi Dominus per humilitatem incarnationis innotuit, dicatur ei : Unguentum effusum nomen tuum. Sed quia in Hebraica veritate aliquid aliter habetur, compellimur ad superiora apostropham facere, et nonnulla aliter inserere. Denique cum dixisset : « Osculetur me osculo oris sui, » et subjunxit : « Quia meliora sunt ubera tua vino, » ubi nimium gaudium amoris completum per attrectationem uberum demonstratur, protinus addidit juxta Hebraicum flagrantia unguentis optimis : quæ quamvis lampabili sermone superius a summo tractatore exposita sint melliflue, tamen possumus juxta opiniones quorumdam rursus iterare. Vinum, inquiunt, erat verbum nuntiatorum, delatum per angelos, qui ad prophetas vel in prophetis loquebantur, sicut ait Zacharias propheta (*Cap.* II). Et dixit ad Angelum « qui loquebatur in me, » quod Ecclesiæ cor lætificabat, audiens ejus quem desiderabat adventum. Sed ubi ore manibusque corpus ejus et sanguinem contrectavit, meliora cognovit ubera apostolicæ Evangeliorumque doctrinæ lacte manantia, ubi omnis divina perfectio quæ nunc ministratur, quam vinum Veteris Testamenti et legis quæ secundum Apostolum neminem ad perfectum perduxit. Quanquam enim perfecti viri apostolici qui præscripto populo Christiano doctores ubera Christi intelligantur, quos Christus ut parvulos nutrit, tamen non erit inconveniens, duo ubera Christi Baptistam et Evangelistam duos Joannes intelligit proprie, qui Ecclesiæ post oscula sacramenti prædicti plenissima verba sunt propinati, cum alter eum solum peccatum

mundi tollentem, agnumque demonstrat Ecclesiæ, alter in principio Verbum Deum apud Deum Patrem manentem, qui per immaculatam vitam ita in amore ejus quasi ubera pectori adhæserunt, dum alter adhuc parvulæ et lactenti Ecclesiæ verum hominem sub nomine immaculati agni ostendit; alter a creandi effectu omnium rerum eum fabricatorem in principio Verbum Deum demonstrat, per quem creata sunt universa. Nullus igitur usque in hoc tempus ad Ecclesiam hujusmodi gustus suavitatis pervenerat, ut in agni mansuetudine terribili rege turmæ luporum dæmonum effugarentur, cujus præsentia terrorem incutit omnibus terrenis et ætheriis potestatibus qui tegmine Spiritus sancti alios vestit et ipse de nullo habet necesse, qui de terrenis levatam ad Patris consortium ducunt per carnis assumptionem Ecclesiam, cum qua mente et materia unum effectus est, sedens ad dexteram Patris, cum quo erat in principio Deus verbum. Hujus ergo lacte doctrinæ vitam æternam conferentem, prædicta ubera dilectæ Ecclesiæ manantia Christi Domini nostri, de cujus pectore lacteo vitam æternam, quam Adam perdiderat, per candorem doctrinæ, apostolis infusam, quæ si per ubera in credentibus suscepit Ecclesia, et suis posteris, quasi ex lacte butyrum effectum, per interpretationem sermonis quotidie porrigit. Nam primum continet sacramentum per lactis naturam, id est casti liquorem, et cum fuerit arte subactus liquor reddit butyrum : ita et lac apostolicæ doctrinæ cum invenerit magistrum, declarat intra se continere individuam Trinitatem. Quibus alimentis nisi indesinenter usa fuerit anima, non poterit vivere in æternum. Quem cibum Ecclesia de supradictis uberibus in baptismatis suscepit sacramento, ubi trina confessione Patris et Filii et Spiritus sancti notitiæ odorem cognoscit, cum ei sæpe dictum quod doctrinæ lac triformem contulerit redemptionis medullam, liquorem scilicet baptismatis candidissimum, suavemque succum corporis Christi, et pinguissimum butyrum, sacri charismatis oleum, per quod Spiritus sanctus infunditur. De qua pinguedine, Ecclesia in alio Propheta deprecatur animæ suæ medullas repleri, dicendo : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII). » Cujus odor sauciatas a peccatis animas resuscitat, cujus virtute pinguedinis in prædictis uberibus absconsam flagrantiam, quæ post oscula suscepta collaudare sequenti docetur versiculo, dicens : « Flagrantia unguentis optimis. » Erat quidem boni odoris, id est meriti unguentum illud in Veteri Testamento magistro Deo compositum, de quo ungebantur reges, prophetæ, et sacerdotes. Sed quantum distat vivens homo a pictura fucis colorum oblita, tantum interest quod Ecclesia suscipit renascendo in Spiritu, cujus figuram Synagoga suscipiebat in corpore, cujus tantæ fuerunt res, ut vix in una gente Judæa et paucis tribuerit principatum. Hoc autem Ecclesiæ unguentum tantum in se gerit virtutis, flagrantiæ simul et medicinæ, ut omnes credentes sanissimos reddat, reges et sacerdotes constituat, et ejus odor notitiæ a solis ortu usque ad occasum omnem mundum impleverit. Quæ intra se quam aliam flagrantiam potest intelligi continere, nisi Christi nomen? De quo sequitur, « Unguentum effusum nomen tuum. » Sicut enim intra multitudinem cadaverum putridorum reclusi homines, morbo periclitantur, ita habitatoribus hujus mundi evenerat per Adam, pluralem deorum numerum inducente diabolo ore serpentis dicendo : « Eritis sicut dii (*Gen.* II). » Introducto autem unius veri Dei nomine, per incarnationis mysterium recondito in corpore vasculo, quo fracto clavorum et lanceæ ictibus odore ejus notitiæ omnis fetor diabolicæ doctrinæ de toto mundo abstersus est. Et illud magnum nomen quod in solo populo Israel erat notum per chrismatis unctionem, nunc quasi effuso vase unguenti in domo tota domus repleatur odore, ita et a tempore passionis Domini nostri Jesu Christi omnis mundus unius veri Dei Christi nomine notitia impletus probatur, ut per omnes nationes gentium quotidie quasi odor unguenti, virtutum recurrit flagrantia, « dum mortui invocato ejus nomine surgunt, cæci vident, claudi ambulant, muti loquuntur, » effugantur dæmonia, omnis ægritudo cadit, pellitur languor, in virtute hujus nominis invocati. Ecce quibus odoribus dilectio amorque Christi adolescentulas ascendit animas, scilicet de quibus nunc ait : « Ideo adolescentulæ dilexerunt te. » His enim prælibatis, ad superiorem suavissimi sensum doctoris regrediamur. Nam sequitur : « Ideo adolescentulæ dilexerunt te. » Quid hoc in loco adolescentulas accipimus, nisi electorum animas per baptismum renovatas? Vita quippe peccatoris ad veterem hominem pertinet, vita justi ad novum. Quia ergo unguentum foras se effudit, in amore suo adolescentulas ardere fecit, quia renovatas animas desiderio suo flagrantes exhibuit. Puerilis ætas amori necdum congruit. Puer est qui vitæ ardentis studium necdum cœpit. Senex est qui cœperat quidem, sed desiit. Quia ergo neque hi flagrant in Domino qui necdum cœperunt, neque hi qui jam fidem cœperunt, sed friguerunt, postposita puerili vel senili vita. Adolescentulæ currere dicuntur, id est illæ animæ quæ in ipso fervore amoris sunt. Quod tamen intelligere et aliter possumus. Potest enim adolescentia ad infirmitatem referri. Juveniles quippe ætates sunt ordines angelorum qui nulla debilitate victi sunt, nulla infirmitate superati. Dicatur ergo : « Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te, » id est per incarnationem tuam notitiam exterius effudisti : idcirco infirmæ animæ naturam humanam diligere prævalent. Illæ quippe virtutes summæ, quasi ætates juveniles etiam ibi te diligunt, ubi effusus non es, quia et ibi te vident, ubi in statu divinitatis tuæ te contines. Qui ergo ab illis summis ordinibus quasi a juvenilibus ætatibus etiam non effusus videris exterius propter homines effunderis, ut etiam ab adolescentulis, id est ab infirmis mentibus diligaris. Sequitur.

« Trahe me. » Omnis qui trahitur aut non valens, aut non volens, invitus educitur. Sed qui dicit, trahe me, habet aliquid quod valet, habet aliquid quod non valet. Natura humana sequi Dominum vult, sed infirmitatis consuetudine superata, sicut debet sequi non prævalet. Videt ergo aliud in se esse quo tendit, aliud in se esse quod non valet, et recte dicit, trahe me. Quasi volentem nec valentem se viderat Paulus cum diceret : « Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati (*Rom.* VII) ; » et : « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ (*Ibid*). » Quia ergo est aliquid quod nos incitat, aliud quod gravat, dicamus : « Trahe me ; post te curremus in « odore unguentorum tuorum. » In odore unguentorum Dei currimus, cum donis ejus spiritualibus afflati, in amorem visionis ejus inhiamus. Sciendum vero est, quia in eo quod homines Deum sequuntur, aliquando ambulant, aliquando currunt, aliquando fortiter currunt, quasi post Deum. Ambulat qui tepide sequitur. Currit qui ferventer sequitur. Perfecte currit, qui perseveranter sequitur. Immobile enim erat cor ad sequendum Deum, et post eum ambulare nolebat, cum adventus Domini in mundo apparuit, et ab insensibili sua statione humanas mentes movit. Unde scriptum est : « Pedes ejus steterunt, et mota est terra (*Psal.* CVI). » His autem non motus, sed cursus dicitur, quia non sufficit ut sequamur, nisi etiam desiderando curramus. Quia vero neque currere sufficit, nisi etiam perfecte curratur, Paulus dicit : « Sic currite ut comprehendatis (*Rom.* IX). » Sed nonnulli dum nimis currunt, in indiscretionem dilabuntur. Plus enim quam necesse est sapiunt, et ejus quem sequebantur judicia postponunt. Unde bene cum diceretur *curremus*, præmissum est, *post te*. Post Deum enim currunt, qui ejus judicia considerant, ejus voluntatem suæ præferunt, et pervenire ad eum sub digna operatione cum discretione contendunt. Hinc Propheta voluntatem Dei considerans, et sequens ait : « Adhæsit anima mea post te (*Ps.* LXXII). » Hic Petro consilium danti dicitur : « Redi post me, Satanas. Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum (*Matth.* XVI). » Quia ergo perfectæ animæ summa cautela Dei judicia contuentur, et neque per torporem, neque per indiscretum fervorem prævenire præsumunt, bene dicitur : « Post te curremus in odore unguentorum tuorum. » Tunc enim post Deum currimus, quando et amando sequimur, et timendo divina judicia prævenimus. Sequitur : « Introduxit me rex in « cubiculum suum, exsultabimus et lætabimur in te. » Ecclesia Dei quasi quædam domus regis est, et ista domus habet portam, habet ascensum, habet triclinia, habet cubicula. Omnis qui intra Ecclesiam fidem habet, etiam portam domus istius ingressus est, quia sicut porta reliqua domus aperit, ita fides reliquarum virtutum ostium est. Omnis qui intra Ecclesiam spem habet, jam ad ascensum domus venit. Spes enim elevat cor, ut sublimia appetat et ima deserat. Omnis qui in ista domo po-
A situs charitatem habet, quasi in tricliniis deambulat. Lata est enim charitas quæ usque ad inimicorum dilectionem extenditur. Omnis qui in Ecclesia positus, jam sublimia rimatur secreta, jam occulta judicia considerat, quasi in cubiculum intrabit. De porta domus istius dicebat quidam : « Aperite mihi portas justitiæ ; ingressus in eas confitebor Domino (*Ps.* CXVII). » De ascensu spei dicebat : « Ascensus in corde suo disposuit (*Ps.* LXXXIII). » De tricliniis latis domus istius dicitur : « Latum mandatum tuum nimis (*Ps.* CXVIII). » In mandato lato, specialiter charitas designatur. De cubiculo regis loquebatur qui dicebat : « Secretum meum mihi (*Isa.* XXIV). » Et alias : « Audivi arcana verba quæ non licet homini loqui (*II Cor.*
B XII). » Primus ergo aditus domus istius, porta fidei ; secundus provectus, ascensus spei ; tertius, latitudo charitatis ; quartus jam perfectio charitatis est ad cognitionem secretorum Dei. Quia ergo sancta Ecclesia in membris suis perfectis, in sanctis doctoribus, in eis qui jam pleni et radicati sunt in mysteriis Dei, quasi ad sublimia secreta pervenit, et adhuc in ista vita posita, jam illa penetrat, dicit : « Introduxit me rex in cubiculum suum. « Per prophetas enim, per apostolos, per doctores, qui in ista vita positi, jam sublimia secreta illius vitæ penetrabant, Ecclesia in cubiculum regis illius ingressa fuerat. Et caute intuendum est, quia non dicit in cubiculum sponsi, sed in cubiculum regis. Nominando enim regem, reveren-
C tiam secretorum vult ostendere, quia quando patens est cubiculum, tanto major est reverentia exhibenda his ad quæ intratur : ne ergo dum cognoscit secreta Dei unusquisque, dum occulta judicia rimatur, dum ad sublimia contemplationis erigitur, extollatur et in superbiam dilabatur, regis dicitur cubiculum intrare. Cui tanto major reverentia exhibenda est, quanto magis anima ad cognoscenda ejus secreta ducitur, ut unusquisque qui proficit, qui jam exaltatus per gratiam, ad sublimia secreta pervenit, seipsum attendat, et ex ipso profectu amplius humilietur. Unde et Ezechiel quoties ad sublimia contemplanda ducitur, Filius hominis vocatur. Ac si ei dicatur : Attende autem quod es, et non extollaris de his ad quæ attolleris. Sed paucorum est in Ecclesia ista sublimia et oc-
D culta Dei judicia rimari et comprehendere : tamen dum videmus fortes viros posse ad tantam sapientiam pervenire, ut contemplentur secreta Dei in cordibus suis, et nos parvuli habeamus fiduciam, quod quandoque ad veniam, quandoque ad ejus gratiam veniamus. Unde et ex verbis adolescentularum subditur. « Exsultabimus et lætabimur in te. » Dum Ecclesia in his qui perfecti sunt ingreditur cubiculum regis, adolescentulæ spem sibi exsultationis promittunt. Quia dum fortes ad sublimia contemplanda perveniunt, infirmi spem de venia peccatorum sumunt, ideo ait : « Introduxit me rex in cubiculum suum, exsultabimus et lætabimur in te. » — « Memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te. » Habet iste sponsus

ubera, quia etiam rex propter reverentiam vocatur A habet ubera, sanctos viros corde adhærentes sibi. Ubera in arcta pectoris fixa sunt, et externo nutrimentum trahunt, ad eos quos foris nutrivit. Sancti ergo viri ubera sponsi sunt, quia ex intimis trahunt, et exterius nutriunt. Ubera illius sunt apostoli et omnes prædicatores Ecclesiæ : vinum, sicut et superius diximus, fuit in prophetis, vinum fuit in lege. Sed quia ampliora mandata data sunt per apostolos, quam data fuerant per prophetas, ait : « Memores uberum tuorum super vinum : » Quia qui ista possunt implere quæ in Novo Testamento mandata sunt, illi scientiam legis sine dubio transcendunt. Quod tamen intelligere et aliter possumus : « Memores uberum tuorum super vinum ; » sunt multi qui vinum quidem sapientiæ B habent, sed cognitionem humilitatis non habent. Ista scientia inflat, quia charitas non ædificat. Sunt vero multi qui sic habent vinum scientiæ, ut sciant considerare dona doctrinæ. Dona enim spiritualis gratiæ quasi quædam mamillæ sunt in pectore, quæ subtiliter occultis meatibus spiritualibus ministrant, et eos nutriunt. Ideo ait : « Memores uberum tuorum super vinum. » Quia hi qui recordari sciunt dona gratiæ tuæ, ut sibi non tribuant quod sapiunt et de eadem sapientia quam acceperunt non extollantur super illos, qui de sapientia sua extolluntur et efferuntur. Plus est enim humiliter sapere quam superbe sapere. Neque enim vere sapere est, humiliter non sapere, ait : « Memores ergo uberum tuorum super vinum. » Quia scientes C considerare dona spiritualis gratiæ, transcendunt eos qui scientiam quidem habent, sed cognitionem in memoria donorum non habent. Aperte ergo dicere est : Memores ergo uberum tuorum super vinum, » quia fortior humilitas est quam scientia. Vinum est scientia quæ inebriat memoriam uberum, quæ inebriat quem ad cognitionem donorum revocat. Dicat : « Memores ergo uberum tuorum super vinum, » quia vincit humilitas abundantiam scientiæ. Recti diligunt te. Nullus, inquit, te diligit nisi rectus. Et nullus est rectus, nisi qui te diligit. Omnis enim qui bona opera per timorem agit, et si in opere perfectus est, in desiderio rectus non est. Vellet enim non esse quod timeret ut opera bona non faceret. Qui vero bona opera per D amorem agit, et in opere et desiderio rectus est. Sed dulcedo amoris timentibus absconditur. Unde scriptum est : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, et perfecisti ea sperantibus in te (*Ps.* XXX). » Dulcedo enim Deum timentibus incognita est, amantibus fit nota. Qui ergo per amorem studuerit rectus esse, perfecta dilectio illius est, ut judicem venientem non timeat, ut quidquid de æternis suppliciis audierit, non formidet. Unde et Paulus dum adventum judicis exspectaret, dum præmia æternæ vitæ quæreret, dixit : « Quæ præparavit Deus non solum mihi, sed omnibus qui diligunt adventum ejus (*II Tim.* IV). » Præmia enim æterna diligentibus judicem præparantur, quia omnis qui se opera mala agere scit, judicem venientem timet. Qui vero de operibus suis præsumit, judicis adventum quærit. Parantur ergo præmia exspectantibus adventum Dei et diligentibus adventum ejus quia non diligunt adventum judicis, nisi de causa sua præsumentes. Omnis autem certitudo rectitudinis in dilectione est, et ideo recte dicitur : Recti diligunt te. Sequitur :

« Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem, sicut « tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite « me considerare quod, » etc. Scimus quia in primordiis Ecclesiæ dum prædicata fuerat gratia Redemptoris nostri, alii crediderunt ex Judæa, alii non crediderunt. Sed hi qui crediderunt, ab infidelibus despecti sunt et persecutionem passi, quasi in viam gentium discessisse judicati sunt. Unde Ecclesia in eisdem clamat adversum eos qui conversi non sunt. « Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem. » Nigra quidem vero judicio, sed formosa per illustrationem gratiæ. Quomodo nigra ? « Sicut tabernacula Cedar. » Cedar enim secundus fuit de genere Ismael, et Cedar tabernacula Esau fuerunt. Quomodo ergo nigra ? Sicut tabernacula Cedar. Quia in conspectu vestro ad similitudinem gentium judicata sum, id est ad similitudinem peccatorum. Quomodo ergo formosa ? « Sicut pelles Salomonis. » Fertur Salomon quando templum ædificavit, omnia vasa templi pellibus cooperuisse. Sed nimirum pelles Salomonis decoræ esse potuerunt, quæ tabernaculo aptæ essent. Quæ si in tabernaculo ejus fuerunt non nisi decoræ esse potuerunt in obsequium regis. Sed quia Salomon interpretatur *pacificus*, nos ipsum Salomonem verum intelligimus, quia omnes animæ adhærentes Deo, pelles Salomonis sunt macerantes seipsas et in obsequium regis pacis redigentes. Sum vero judicio vestro sicut tabernacula Cedar, quia quasi in viam gentium discessisse judicor : sed juxta veritatem sicut pelles Salomonis sum, quia in obsequium regis adhæreo. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Peccatricem attendebat illam partem quæ Christo crediderat, pars illa quæ non crediderat. Sed dicat ista :

« Nolite me considerare quod fusca, sim quia de« coloravit me sol. » Sol ipse Dominus ipse veniens decoloravit me, præceptis suis ostendit, quia pulchra non fui in præceptis legis. Sol quem arctius tangit, ipsum decoloravit : ita et Dominus veniens quem per gratiam suam strictius tetigit decoloravit, quia dum plus appropinquamus ad gratiam, plus nos peccatores cognoscimus esse. Videamus Paulum ex Judæa venientem in sole decoloratum. Quod si volentes in Christo justificari, inventi sumus et ipsi peccatores. Qui se in Christo peccatorem invenit, in sole decoloratus invenitur. Sed ecce pars ista quæ ex Judæa credidit, persecutionem ab infidelibus Judæis passa est, afflicta multis tribulationibus ac pressa. Unde sequitur : « Filii matris meæ pugnaverunt contra me. » Quia filii synagogæ qui in infidelitate remanserunt, bellum persecutionis contra sy-

nagogæ fideles gesserunt. Sed dum persecutionem patitur ea pars quæ ex Judæa venit ad fidem, discessit ad prædicationem gentium. Unde sequitur: « Posuerunt me custodem vineis. Vineam meam non custodivi. » Quia, dum me persequuntur qui in Judæa sunt, in ecclesiis me custodem fecerunt. « Vineam meam non custodivi, » quia Judeam deserui. Unde et Paulus dicit: « Vobis missum fuerat verbum Dei, sed quia vos indignos judicastis, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Ac si dicat: Nos vineam nostram custodire voluimus, sed quia nos ipsi respuistis ad alienarum nos vinearum custodiam transmittitis. Ista quæ de Synagoga diximus ad fidem conversa, dicamus modo de Ecclesia ex gentibus ad fidem vocata. « Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem. » Ecclesia ex gentibus veniens considerat fidelium animas quas invenit, quas et filias Hierusalem vocat. Hierusalem quippe *visio pacis* dicitur. Considerat quid fuit, considerat quid facta est, et confitetur præteritas culpas ne superba sit. Confitetur præsentem vitam ne ingrata sit, et dicit: « Nigra sum, sed formosa. » Nigra per meritum, formosa per gratiam. Nigra per vitam præteritam, formosa per conversationem sequentem. Quomodo nigra? Sicut tabernacula Cedar. Cedar quippe tabernacula gentium fuerunt, tabernacula tenebrarum fuerunt. Et gentibus dictum est: « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Eph.* V). » Quomodo formosa? Sicut pelles Salomonis. Macerati sumus per pœnitentiam, mortificati vero per pœnitentiam quasi pellis in obsequium regis adducitur. Omnes per pœnitentiam seipsos affligentes membra Christi se faciunt. Membra ergo Christi per pœnitentiam afflicta pelles Salomonis sunt, quia mortificata caro fiunt. Sed ecce erant in Judæa fideles, qui dedignabantur venire ad fidem gentilium. Unde et Petrum redarguunt, quod Cornelium susceperat. Unde et hic Ecclesia gentium subjungit: « Nolite me considerare quod fusca sim. » Nolite despicere gentilitatem infidelitatis meæ, nolite despicere peccata priora, nolite attendere quod fui. Quare? « quia decoloravit me sol. » Sol enim decolorat, in quo arctius et districtius se imprimit. Deus quando districtum judicium tenet, quando districtionem suam amplius exhibet et decolorat, dum amplius fulget, quia dum districtionem subtilius exercet, districte adjudicat. Quasi enim radios suos suspendit sol, quando clementer opera nostra desiderat. Quasi districte virtutem suam exhibet, quando districte opera nostra pensat. Dicat ergo Ecclesia: Inde sum fusca, inde peccatrix, quia me sol decoloravit, quia Creator meus dum me deseruit, ego mœrore lapsa sum. Sed tu, o afflicta sic destituta, quid meruisti?

Quid ex dono assecuta es? Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Filii matris sunt apostoli. Mater enim hominum Hierusalem superna est. Ipsi pugnaverunt contra Ecclesiam, dum ab infidelitate in fide prædicationis suæ, quasi quibusdam lanceis confoderunt. Unde et Paulus quasi quidam pugnator dicit (*II Thess.* II). Cogitationum consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. » Qui altitudinem destruit utique pugnator est; isti ergo pugnatores, isti filii matris Hierusalem debellaverunt Ecclesiam ab errore suo, ut illam fundarent ad justitiam: « Filii « matris meæ pugnaverunt contra me. » Et quid fecerunt pugnantes? « Posuerunt me custodem in vineis. » Vineæ Ecclesiæ sunt virtutes quæ fructificant, quia dum depugnant in me vitia, quasi mala mea in me expugnant. Fructificationem et virtutum studia mihi dederunt, in vineis me custodem fecerunt, ut fructificationem afferrem. Post expugnationem specialiter dicat: Vineam meam non custodivi. » Vinea Ecclesiæ antiqua consuetudo erroris est. Quem dum custos ad virtutes ponitur, deserit vineam, illam antiquam consuetudinem erroris sui. Diximus de gentilitate conversa, dicamus modo generaliter de tota simul Ecclesia, et specialiter quid de unaquaque anima sentiendum sit. Solent pravi auditores doctores suos non considerare quod sunt, sed quod fuerunt. Sani vero doctores et confitentur quod fuerunt, et proferunt quod sunt, ut nec peccatores esse abscondant, nec iterum dona velut ingrati denegent. Dicat ergo in istis Ecclesia. « Nigra sum, sed formosa. » Nigra per me, formosa per donum. Nigra de præterito, formosa ex eo facta sum in futuris. Quomodo nigra? quomodo formosa? Nigra « sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pelles Salomonis. » Et non est justum ut aliquis ex præterita vita pensetur, et non magis attendatur quod fuit, sed quod est. Unde subjungit: « Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. » Aliquando in Scriptura sacra sol ponitur nimius æstus terrenorum desideriorum. Unde ergo fusca? Quia decoloravit me sol. Ita intelligitur: Nolite considerare quod nigra fui antea per infidelitatem, quia sol Christus de quo scriptum est: « Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol justitiæ (*Matth.* IV), » decoloravit me per fidem. « Filii matris meæ pugnaverunt contra me. » In omni creatura duæ creaturæ rationales sunt conditæ, humana et angelica. Cecidit angelus, persuasit homini. Mater enim omnis creaturæ benignitas est et potentia Dei. Nos ergo et angeli ex eo quod rationales conditi simus, quasi quamdam societatem fraternitatis habemus, quia angeli ab eadem potentia conditi sunt qua et nos. Quia tamen cadentes angeli quotidie contra nos bellum gerunt, dicit: « Filii matris meæ pugnaverunt contra me. » Ecce dum pugnant isti spiritus rationes, spiritus isti filii matris dum pugnant contra animam faciunt eam terrenis rebus incumbere, actionibus sæculi vacare, res transitorias quærere. Unde subjungit: « Po« suerunt me custodem in vineis vineam non cu« stodivi. Vineæ enim sunt actiones terrenæ. Ac si dicat: In actionibus terrenis custodem me posuerunt. Et quid? vineam meam, id est animam meam, vitam meam, mentem meam custodire neglexi; quia, dum exterius in rerum terrenarum actione involuta sum, ab interna custodia lapsa sum, plerique ex eo se considerant quod juxta ipsos est,

non ex eo quod sunt. Juxta ipsos sunt dignitates, A juxta ipsos interiora ministeria. Et dum custodiunt quod juxta se habent, seipsos custodire negligunt. Dicat ergo: « Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi, » id est, dum exteriori custodia in actionibus sæcularibus deservio interioris custodiæ sollicitudinem amisi. Sed ecce reducta anima ad gratiam Creatoris sui, jam amat, jam requirit ubi Redemptorem suum inveniat. Unde sequitur:

« Indica mei quem diligit anima mea, ubi pas-« eas, ubi cubes in meridie. » In meridie sol ferventior est; omnis qui in fide fervet, in amore fervet. Iste sponsus qui subter hinnullus vocatur, in corde ipsorum pascit virtutum viriditate, ait: « Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi B cubes in meridie. Quare sic quærat ubi pascat, ubi cubet, causam reddidit inquisitionis suæ. « Ne va-« gari incipiam post greges sodalium tuorum. » Sodales Dei sunt amici familiares, sicut sunt omnes qui bene vivunt. Sed multi apparent sodales esse, et non sunt. Multi enim doctores dum perversa doctrina suaderet, sodales quidem videbantur, sed inimici extiterunt. Dum doctor esset Arius, Sabellius, Montanus quasi sodales videbantur, sed dum districte discussi sunt, inimici apparuerunt. Dicat ergo: « Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. » Ac si dicat: Indica in quorum cordibus veraciter requiescat, ne vagari incipiam post greges eorum qui sodales tui videntur, C id est qui familiares tui creduntur, et non sunt. Omnes sacerdotes, omnes doctores sodales sunt quantum ad speciem; quantum vero ad vitam, multi non sunt sodales, sed adversarii sunt. Multi enim parvuli inter Ecclesiam fideles appetunt bene vivere, et volunt vitam rectitudinis tenere, considerant vitam sacerdotum qui eis præpositi sunt, et dum bene ipsi sacerdotes non vivunt, hi qui sequuntur, in errorem dilabuntur. Unde Ecclesia quasi in eisdem parvulis et fidelibus dicit: « Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, » id est vitam tibi veraciter servientium mihi indica, ut sciam ubi pascis viriditate virtutum, ut sciam ubi cubes in meridie, id est requiescis in fervore charitatis, ne dum greges soda- D lium tuorum aspicio, ipsa vagari incipiam, nesciens cujus verbis credere debeam, cujus magisterio uti debeam. Ecce verba sponsi redduntur ad sponsam.

« Si ignoras te, o pulchra inter mulieres egrede-« re, et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce « hædos tuos justa tabernacula pastorum. » Omnis anima nihil debet amplius curare quam ut seipsam sciat. Qui enim seipsum scit, cognovit quia ad imaginem Dei factus est. Si ad imaginem Dei factus est, non debet similitudinem jumentorum sequi, sive in luxuria, sive in appetitu præsenti devolvi. De qua ignorantia alibi dicitur: « Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). » Vestigia gregum sunt actiones populorum. Quæ quanto multæ sunt tanto impeditæ, tanto perversæ. Dicatur ergo Ecclesiæ: « Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. » O tu quæ fœda eras per ignorantiam, per fidem facta es pulchra inter aliorum animas. Quod evidenter dicitur ad electorum Ecclesiam. Si ignoras te, id est hoc ipsum quod ad imaginem meam facta es ignoras, egredere, foras exi. Si vero non cognoscis, aliquid facta es, egredere et abi post vestigia gregum. Sequere non exempla mea, sed exempla populorum. « Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. » Hædi nostri sunt motus carnales, hædi sunt nostræ tentationes illicitæ. « Abi post vestigia gregum, » id est discede post exempla populorum. « Et pasce hædos tuos, » id est nutri motus carnales, non jam sensus spirituales, sed motus carnales. Abires juxta tabernacula pastorum, sive agnos pascere, id est in doctrinis magistrorum, in doctrinis apostolorum, in doctrinis prophetarum. Sive hædos pascis juxta tabernacula pastorum pasce, ut fide voceris Christiana et non operibus, quia intra videris esse per fidem, et non intra per opera. Ecce increpasti, ecce redarguisti. Quid enim non dicis. Quid tu benigne in ea operatus es? Dic plane. Nam sequitur:

« Equitatui meo in curribus Pharaonis assimila-« vi te, amica mea. » Omnes qui luxuriæ, qui superbiæ, qui avaritiæ, qui invidiæ, qui fallaciæ deserviunt, adhuc sub curru Pharaonis sunt, id est sub regimine diaboli, qui quasi sub curru Pharaonis sunt. Omnis vero qui in humilitate, in castitate, in doctrina, in charitate fervet jam equus effectus est Creatoris nostri, jam in curru Dei positus est, jam sessorem Deum habet. Unde cuidam cui Dominus præsidebat dicitur: « Durum est tibi contra stimulum calcitrare (*Act.* IX). » Ac si diceret: Meus equus es, jam calces contra me jactare non potes, jam tibi ego præsideo. De istis equis alibi dicitur: « Misisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas (*Habac.* III). » Habet ergo currum Deus, quia animabus sanctis præsidet, et per animas sanctas circumquaque discurrit. Unde scriptum est: « Currus Dei decem milia (*Psal.* LXVII), » et reliqua. Habet tamen currus Pharao, qui tamen currus in mari Rubro submersi sunt. Dicit ergo sponsus: « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te. » Dum adhuc operibus dæmoniacis deservires, ego te equitatui meo assimilavi: quia attendi quod per prædestinationem in te fecerim, et equis meis te comparavi. Ubi consideranda sunt Dei occulta judicia, quam multi videntur per prædicationem, per sapientiam, per castitatem, per largitatem, per longanimitatem, equi Dei esse, et tamen occulto Dei judicio equis Pharaonis assimilantur. Et multi videntur per avaritiam, per superbiam, per invidiam, per luxuriam equi Pharaonis esse, et tamen occulto Dei judicio equis Dei assimilantur, quia et illos videt de bono ad mala converti, et istos videt

de malo ad bonum reduci. Sicut enim per prædestinationem multi qui equi videntur Dei, equi sunt Pharaonis per reprobam vitam quæ sequitur eos: ita et per pietatem multi qui equi Pharaonis esse videntur, per sanctam vitam quam in fine suo servaturi sunt, equis Dei assimilantur. Unde blanditur et dicit: « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea, » id est tu adhuc in curribus Pharaonis vitiis deserviebas, sub vitiis currebas, sed ego attendi quid per prædestinationem de te feci. Equitatui meo assimilavi te, id est, electis meis similem te attendi. Ecce tandem advertis magnifice Cæsar, quam in isagoge præfati sumus quod nil historialiter in hoc volumine reperitur, sed omnia allegoriarum allusionibus redolent, et dramatum decursionibus, moraliumque suavitatibus flagrant. Quocirca suadere, imo suggerere, quanquam temere, excellentiæ culminis vestri exopto, ut quia magnam solertiæ sapientiam nactus, et defensionem tuitionemque sanctæ Ecclesiæ indeptus, ut non solum armorum suffragio in procinctu bellorum constitutus, cuneis procerum vallatus, et turmis militum constipatus, ab incursionibus exterarum gentium adversariorum protegas, verum sacræ doctrinæ et intelligentiæ divinarum Scripturarum devotus et sedulus persistas, ut eamdem sanctam Ecclesiam in subjectis ab internorum videlicet malignorum spirituum ancilibus Evangeliorum munitus, gladiis divinarum Scripturarum accinctus, spiculis sententiarum ornatus, defendere possis: qui semper non corpora, sed animas fidelium exstinguere quærunt. Unde Petrus hortatur, dicens: « Vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide (*I Petr.* v).» Et ut hostis insidias antiqui cavere, et aliis prædicare vestra nobilitas docte valeat, hujus voluminis, aliorumque librorum expositionibus studere congruis post dispositionem imperii horis satagas, ut merito dicere gratulabunda queat, quod istic legitur: Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. » Et illud: « Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges soladium tuorum,» ut ipse sponsus, Dominus scilicet qui subter *hinnulus* appellatur, per custodiam tui aliorumque vigilantiam et intelligentiam sacrarum Scripturarum pascere quodammodo viriditate in vobis virtutum, et cubare in fervore charitatis dignetur. Sequitur:

« Pulchræ sunt genæ tuæ ut turturis. » Post oscula sancta suscepta, post omnem lætitiam retro dinumeratam, post pugnam prædictorum filiorum matris, post agnitionem sui, post curam, qualis vel a quo creata sit, post virtutem equitatui Dominico comparatam, vox Christi loquitur ad Ecclesiam. Et nunc initia pulchritudinis præ cæteris membris a genis ejus nosci docemur. Et hæ pro magna turturi comparantur, ut per ænigmata ejus in perturbatione sæculi istius tumultuosa prolongandam ostenderet. Hæc ergo pulchritudo genarum quæ A castitatis rubore, et verecundiæ candore decorantur, et in facie sunt corporis: nihil mirum si eorum personæ qui faciem Ecclesiæ exornant comparentur. Unde in genis Ecclesiæ sunt Patres antiqui, qui in ipsa honoris facie primi consistunt atque martyrii decore rubent. Turturi vero Ecclesia propter varietatem diversorum bonorum, sive castitatem comparatur virtutum. Quæ avis sola præ cæteris avibus remota a frequentia hominum diligit incolere loca secreta, et ibi constituit nidum, educat pullos ubi hostis ejus aut nunquam, aut vix habet accessum. Sic nimirum sancti Patres, sic anima sancta et fidelis, quæ amica appellatur a verbo Dei, quo utique fugiendo malorumque consortia respuendo, quidquid pretiosum in præsenti cernitur B vita, eo modo cognoscitur cœlestem facere prolem, doctrinæ suæ sermone genitam et vitæ exemplo nutritam transmittit ad cœlum. Nam turtur, sicut in præfatione prælibavimus, tantæ castitatis ab eis qui naturas avium descripserunt narratur, ut præter unum conjugem nesciat. De quibus si alter casu defectus erit, alteri jam nunquam alia societur, sed in omni vita proprium conjugem amissum desiderando requirit. Cui per castitatis et verecundiæ decorem, Ecclesia in genarum pulchritudine congrue comparatur. Ait enim: « Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. » Ac si a Christo dicatur: Tanta te varietate virtutum decoravi, ut castitatem promissæ mihi fidei nulla pravorum doctorum seductione corrumperes. Hæc quidem secundum histo- C riæ ordinem dicta sunt, sed secundum opinionem aliquorum præcelsior sensus in hac comparatione latere dicitur. Nam quibusdam videtur illius turturis pulchritudinis genas Ecclesiæ comparari, de qua in Psalmo dicitur: « Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi ubi reponat pullos suos (*Psal.* LXXXIII). » Ubi figuram Spiritus sancti in passere, et immaculatæ carnis assumptæ in turture nominatam, nemo sapiens ignorabit. Tunc videlicet Ecclesia in genis quæ omnibus in propatulo sunt, a bonis et malis ab utroque pulchra laudatur, quando assumpti hominis Christi per castitatis maxima bono quantulumcunque in similitudine traxerit. Tunc pulcherrimum totum Ecclesiæ corpus cernitur, ut cum verecundas ge- D narum aspectus per pudicitiæ gloriam ab impiis admiratur. Tunc enim magnæ virtutis ab hostibus suis castitas probatur, cum eam impugnantes vincere non poterunt. Nam sicut membra quæ sunt in capite, si pulchra fuerint, cæterorum membrorum quæ vestibus conteguntur fœditatem excusant: ita et illa quæ per sacerdotalem honorem membra capitis Ecclesiæ esse noscuntur, plebis negligentiæ fœditatem sua castitate decorant. Et e contrario nil tam deforme, tam abjectum in Ecclesiæ corpore, nisi cum in supradictis membris turpissima vita vel fama cernitur. Et quia sancta Ecclesia in suis præsulibus et doctoribus castitate et varietate virtutum, turturis, id est Christi imaginem imitatur, necessario ab ipso laudatur dicendo: « Quam pulchræ sunt genæ tuæ sicut

turturis. » Sequitur: « Collum tuum sicut monilia. « Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas ar« gento. » In collo videntur laudari, qui verbo ædificationis cæteros instruunt ad salutem qui spiritualem cibum sermonis ad membra corporis Christi, quibus credulitas sola suffragatur quocunque interpretando transmittunt, qui per doctrinam auream et per exemplum vitæ gemmeum in Ecclesiæ collo ostenduntur. Monili namque gemmarum ornatus dignoscitur. Sed ut pulchrior fiat earum aspectus auri materiam necessariam habent, per quæ connexæ in suo teneantur loco. Hoc et ipsum naturæ nostræ ingenium, quod in similitudinem gemmæ de lapideo corde exciditur, necessarium habet fulgentissimum sancti Spiritus adjumentum, per quem Novi et Veteris Testamenti verba legis divinæ, quæ pronuntiaverunt vel ostenderunt Salvatorem mundi venisse, cum catenata quasi una veritatis catenula sermo effectus, gemmeis animarum transactus mentibus per concordiam fidei, per unanimitatis sensum Ecclesiæ collum decorat. Et quia sancti doctores, qui per collum designantur, verbum prædicationis, ornati virtutibus aliis administrant, et quæ docent verbo operibus exsequuntur. Quæ opera monilibus exprimuntur, et Scripturam utriusque Testamenti, quæ murenulis aureis designatur, videlicet quia auro spiritualium sensuum fulget interius, et argento cœlestis eloquii nitet exterius prædicant, recte in eis Ecclesia laudatur dum dicitur: « Collum tuum sicut monilia. Murenulas » vel catenulas « aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, » quia dona superius prædicta sancti doctores habere non possunt nisi ab ipso percipiant, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Sequitur:

« Dum esset rex in accubitu suo nardus mea de« dit odorem suum. » Nardus est frutex aromatica gravi, ut aiunt, et crassâ radice, sed brevi ac nigra fragilique quamvis pinguis situ redolente ut cypressum, aspero sapore, folio parvo, densoque; cujus cacumina in aristas se spargunt, ideoque gemina dote pigmentarii nardi spicas ac folia celebrant. Et hoc est quod ait Marcus: « Unguenti nardi spicati pretiosi (*Marc.* XIV). » Videlicet quia illud unguentum quod attulit Maria Domino, non solum de radice confectum nardi, verum etiam, quo pretiosius esset, spicarum quoque et foliorum ejus adjectione, odoris ac virtutis illius erat accumulata gratia. Ferunt etiam de nardo physiologi quod principale sit unguentum, unde merito unctio capitis et pedum Domini oblata est. Sunt quidem ejus multa genera, sed omnia herbæ, præter Indicum quod pretiosius est. Mystice autem devotio hæc Mariæ Domino ministrantis fidem ac pietatem designat Ecclesiæ sanctæ, quo loquitur hic in amoris cantico, dicens: « Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. » Quæ nimirum verba et semel juxta litteram manibus Mariæ complevit, et quotidie in omnibus suis membris spiritualiter implere non desinit. Quæ totum diffusa per orbem gloriantur, et dicunt: Deo autem gratias qui semper triumphat nos in omni loco, « quia Christi bonus odor sumus Deo. » Quæ cum potentiam divinæ virtutis ejus quæ illi una cum Patre est, digna reverentia confitetur, laudat et prædicat, caput profecto illius unguento perfundit pretioso. Cum vero assumptæ mysteria humanitatis æque digna reverentia suscipit, in pedes utique Domini unguentum nardi pisticum, id est fidele ac verum perfudit: quia illam ejus naturam qua terram contingere, hoc est inter homines conversari dignatus est, quia prædicatione commendat, ac devotis veneratur obsequiis. Unde accubitus sepultura Christi intelligitur, quanquam tunc discubuisset in domo Simonis leprosi. Nardus vero ipsæ mulieres quæ primo diluculo ad monumentum cum aromatibus venerunt, ut ungerent Christum, et famam illius resurrectionis credentibus divulgarent. Unde eis dictum est: « Ite, nuntiate fratribus meis, quia præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis (*Matth.* XXVIII). » Seu accubitus Christi beatitudo est secreti cœlestis. Ait enim: « Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea de« dit odorem suum: » quia videlicet Christo rege quiescenti in beatitudine secreti cœlestis, nardus dat odorem suum, id est virtutes sanctorum in Ecclesia, magnæ nobis gratiam suavitatis administrant. Vel etiam accubitus regis sancta electorum intelligitur Ecclesia. In ea Christus requiem sibi invenit, sicut per Prophetam ipse loquitur: « Hæc requies mea in sæculum sæculi (*Psal.* CXXXI). » Nardus Ecclesiæ dicitur propter odorem virtutum. Unde apostolus ait: « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II). » Quam Ecclesiam cum viderit diabolus innumerabilibus charismatum monilibus ornatam ditari, et omnium dulcium blandimentis præsentis vitæ contemptis ad unam illam æternæ quietis dulcedinem festinantem, innumerabiles amaritudinum immissiones, tam per se quam per satallites suos per momenta immittit. Sed quia Deus Redemptor in medio ejus est semper, non commovetur de vestigio veritatis, neque perturbatur propter super se irruentium impetus impiorum, quia et omnia et in omnibus Christus. Nam si amara pro Christi inferantur amore, indulcescunt rore spei futuræ et lætitiæ sempiternæ. Ideo sequitur:

« Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter « ubera mea commorabitur. » Perseverat sancta Ecclesia, vel anima fidelis in laude sui Creatoris, quem perpendit passum in amaritudine suæ passionis. Unde semper habens in memoria recordationis quam propinqua est uberibus pectoris, et qualiter passus est pro ipsa in gloriam suæ redemptionis, dicit: « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » Ac si dixisset: Mors dilecti mei quam pro salute mea subiit, semper in mea memoria commorabitur, ad imitationem et gloriam laudationis. Et quia gaudet eum passum, glo-

riatur etiam eum resurrexisse a mortuis, recte subjunxit :

« Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. » Bene ait : « Botrus cypri dilectus meus mihi, » ac si aperte exclamet : Qui fuit fasciculus myrrhæ in amaritudine, et tristitia passionis, ipse est botrus cypri in dulcedine resurrectionis ; myrrha tristitiam, vinum lætitiam significat : quia videlicet Christus ex Judæis secundum carnem genitus, atque ab ipsis in lignum crucis velut botrus suspensus, sed tertia die post torcular mortis, lætitiam resurrectionis suis ostendit discipulis. Et bene « in vineis Engaddi. » propter charismatum dona, quæ post resurrectionem largitus est in baptismo participibus. Engaddi namque *fons hædi*, vel *oculus hædi* dicitur, videlicet baptismum significans, ubi ex hædis agni efficiuntur. Quod autem *oculus hædi* interpretatur, ipsum Christum innuit, qui est lux omnium peccatorum venientium ad se. Ecce brevitatis causa ista succincte dicta sunt, ut menti lectoris mei citius inculcentur. Sed quia sancta Ecclesia in membris suis mysterium passionis Christi imitari desiderat, ut ad gloriam resurrectionis cum Christo perveniat et non cum hædis ad sinistram, sed cum ovibus segregari mereatur ad dexteram, dicamus plenius. Denique cum dixisset, « fasciculus myrrhæ dilectus meus, » addidit mihi : intellexit pro sua salute fuisse passum, suaque pro gloria resurrexisse a mortuis. Ait namque : Fasciculus myrrhæ dilectus mihi. inter ubera mea commorabitur. » Myrrha siquidem *amara* interpretatur, quæ in se salutarem significat disciplinam. quam in Christo suscepit Ecclesia, quæ pro ejus nomine in diversis membris diversas tormentorum amaritudines tolerando, fasciculus myrrhæ efficitur et Christus. Arbor ergo myrrhæ, de qua multis infirmitatibus corporis profuturus gignitur succus, similis est salici, subtilissimis contortisque virgulis in modum fasciculorum, ramusculos ab eis qui arborum naturas descripserunt, proferre asseritur. Hæc igitur prædicta Ecclesia, vel sancta quælibet anima ubi per æternæ vitæ auditum dulcedinem gustus suscipit in sponsi adventu : multimodas et amaras passiones illatas non sentit, hoc est carceres, exsilia, proscriptiones, rerum præsentium nuditatem, famem, sitim, vincula, cædes injustas, improperia, pericula, naufragia, imbres lapidum, præcipitationem profundi, variarumque pœnarum aculeos et alia multa. Cum hæc susceperit propter mortem sui Redemptoris, cum magna lætitia dicit : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. » Cum ergo ad multas infirmitates a diabolo inflictas sanandas, multas a Deo correptiones patienter pertulerit, vel diversas, ut supra dictum est, pro ejus nomine illatas, gaudens sustinuerit passiones, fasciculus myrrhæ ejus efficitur Christus, ad omnes vitiorum morbos de ejus pectore expellendos. Tunc jam mundus et cum orationibus paratus, hospitium divinum est, ut ipsum jam tam magna fiducia Christum invitet in cordis sui recessum, tanquam intra ubera sua dicentem in Evangelio : « Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Seu etiam in ubera sua Ecclesia commorari lætatur, inter illos procul dubio viros qui pro ætate, vel pro possibilitate lacte doctrinæ suæ spirituali parvulos nutriunt. De quibus ipse Dominus dicit : « Si duobus vel tribus convenerit super terram, quidquid petierint in nomine meo fiet eis. » Et : « Ubi congregati fuerint duo vel tres in nomine meo, ego in medio eorum sum (*Matt.* XVIII). » Quorum unus ex uberibus suis auditoribus dicebat : « Lac vobis potum dedi non escam (*I Cor.* III). » Possunt etiam si cui placuerit duo ubera Ecclesiæ Moyses et Elias intelligi, in quorum medio transfiguratus in monte Jesus, dilectus Ecclesiæ in futura gloriam ipsius Ecclesiæ commorasse probatur : quorum alter promissum ostendit, alter jam venisse prædicavit in significationem duorum Testamentorum. Unde dicitur : In medio duorum animalium cognosceris. Quæ duo Testamenta ubera sunt Ecclesiæ. Quorum in medio Christus commoratur. Et quia legislator Moyses, et eximius prophetarum Elias, sermocinantes fuerunt de excessu passionis illius, propterea sequitur : Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. » Pro omnibus terris, ut fertur, insula Cyprus miræ magnitudinis botros uvarum gignere comprobatur. Cujus magnitudinis ille botrus, qui a duobus juvenibus de terra repromissionis in desertum perlatus fuisse legitur, et qui omnimodo figuram assumpti hominis Christi Redemptoris nostri signabat : quæ utique pro loco, vel tempore, vel causa, esca et potus Ecclesiæ factus est per corporis sui et sanguinis sacramentum. Cyprius vero *tristitia* vel *mœror* interpretatur. Engaddi sicut dictum est *fons hædi*. Est ergo botrus Cypri amicæ suæ Ecclesiæ, dum peccatoribus tristitiam, vel mœrorem pœnitentiæ in mentibus seminat, ut eos ad illam beatitudinem sublimet, de qua ipse in Evangelio dixit : « Beati qui lugent nunc, quia ipsi consolabuntur (*Matth.* V). » Qui ut ille quem diximus a duobus populis, Judæo scilicet persecutore, et Romano milite imperante, a phalange in crucis patibulum levatus est. Qui usque hodie per tristitiam mœroremque vitam conferentem æternam Ecclesiæ genuit, ut prædictum est, in eis qui post innumeras congeries criminum in sinum Ecclesiæ congregantur. Cibum vero spiritalem et potum botrus prædictus in se credentibus quotidie subministrat, his duntaxat qui congregantur in vineis Engaddi, ubi est fons hædi, qui est sacrosancti baptismatis fons, ubi hædi descendunt qui erant deputandi a sinistris ante tribunal judicis, æterno igni tradendi, et ascendunt agni immaculati, qui a dextris judicis congregentur æterno regno donandi. Certum est ergo, ut sicut una gens Judæa per notitiam legis divinæ vinea Domini nuncupatur, ita et diversæ gentes ad fidem Christi advectæ per apostolorum culturam et doctorum doctrinam, multæ vineæ appellantur. In quarum medio, ut dictum est

sancti baptismatis fons est aquæ, ad quem hædi adveniunt, ut agni efficiantur. Quæ vineæ Engaddi non vinum, sed balsama gignunt. Engaddi vicus est prægmagnus in terra Judæa, juxta mare Mortuum. Quæ terra figuram tenet terræ viventium, ubi sunt vineæ balsami, intra terminos tantum olim viginti jugerum erant. Posteaquam eadem regione Romani potiti sunt, etiam in latissimis collibus propagata est, stirpe similis viti, foliis similis rutæ, sed albidioribus semperque manentibus. Arbor autem balsamum, lignum chirobalsamum, id est ramusculus ejus dicitur, fructus sive semen carpobalsamum, succus opobalsamum. Quod ideo cum adjectione significatur, eo quod percussus ferreis ungulis cortex ligni per cavernas eximii odoris guttam distillat. Caverna enim Græco sermone ὀπὴ dicitur. Cujus guttam adulterant admisto Cyprino oleo vel melle. Balsama autem si pura fuerint, tantam vim habent, ut si sol excanduerit, sustineri in manu non possint. De quibus vineis multi reges transplantaverunt arbuscula balsami in aliis, locis vel terris, quod et Romanos fecisse legitur, et penitus radicare aut vivere nequiverunt. Unde factum est, sicut supra innuimus, ut in eodem vel loco vel in eisdem finibus magnum studium adhiberetur a regibus in plantandis vineis gignentium balsama. Et quæ sit causa, ut in nullo cespite proveniant vineæ nisi in sola Engaddi operæ pretium est intelligere. Reor, ut quidam ait doctorum, hunc succum harum vinearum, unius fidei confessionem intelligi typum tenere, in qua spes consistit fidelium, in qua singula medicinalis odor bonus Christi, vitam mortuis animabus reddens germinare probatur. De qua confessione quæcunque gens vel anima malis cultoribus, vel hæreticis decerpta vel transplantata fuerit arescit. Quod multis animabus evenisse probatur, qua se ab una verissima prædicta confessione fidei evulsæ et arefactæ gehennæ pabulum præbuerant. Nam sicut corpus sine esca et potu subsistere non potest, ita Ecclesiæ voce declaratur sine botro qui est Christus, æterna vita de cœlo descendens, vivere non posse, quia in nulla alia terra repromissionis, in nulla alia vinea nisi in vineis Engaddi ab esurientibus et sitientibus justitia invenitur, id est in nulla congregatione hæreticorum, in nulla secta philosophorum, in nulla adulatione schismaticorum, ubi si transplantatus fuerit aliquis, deceptus perversitatis suæ fama, deperit arefactus. Hæc profecto intelligens Ecclesia ait : « Botrus Cypri, dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. » Sequitur :

« Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra : « oculi tui columbarum. » Post genarum et colli decoram sponsæ vicem reddendo oculorum pulchritudo laudatur in doctorum simplicitate suorum, et geminato præconio absconso. Et totius corporis pulchritudo, et lumina, columbarum oculis comparantur. Et illi comparantur creaturæ, quæ mansuetudine, fecunditate, acumine visus, velocitate pennarum, omnibus aligeris animantibus præstantior invenitur. Oculi ergo duces totius corporis esse probantur, sine quibus aut non potest incedere corpus, aut vix offendendo incedit. In quibus sancti doctores intelliguntur spirituali visu cœlestia contemplantes, qui propter simplicitatem et innocentiam columbæ comparantur. Possunt etiam et sacerdotes recto ordine intelligi, quibus sacrosancta mysteria commissa sunt, in quorum fide decoratur Ecclesia, in quorum vita immaculata frequentibus laudibus sublimatur. Pulchra namque est mundissimam Deo scientiam exhibendo, pulchra inimicis et alienis a fide Christi irreprehensibilem conversationem monstrando. Adducitur et tertia pulchritudinis laus in acumine oculorum. Columbarum enim natura, super illa quæ diximus, et hec peculiare habere probatur, ut hostis adventum post se de longe, ante se in aqua speculetur, adventum scilicet accipitris, ne pullos rapere possit considerat. Sic nimirum sancti doctores simplicitate et innocentia præditi, sic sacerdotes Ecclesiæ acumine suæ contemplationis cœlestia contemplantur. Super fluenta Scripturarum meditando resident, et insidias diaboli, qui animas credentium rapere festinat, commonitione sermonum suis auditoribus ut caveant pronuntiare satagunt, ideoque in talibus pulchritudo Ecclesiæ ab sponsa laudatur. Unde pulchram et pulchram repetit, quia hanc in eis et prædicatione et actione laudabilem vidit. Sequitur :

« Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus ; lec-« tulus noster floridus. » Vox Ecclesiæ ad Christum, Ac si dicat : Tu solus pulcher es, ego ex te pulchra. Et quia intelligit non suis meritis justificatam, et pulchritudinem virtutum ab ipso accepisse, succensa in ejus amore, laudat ejus pulchritudinem. Non potest aliquis cujuspiam quem diligit minime, decorem laudare, nec potest eum cujus moribus non concordat diligere, sicut Apostolus docet dicens : « Nemo, inquit, loquens in Spiritu Dei, dicit anathema Jesu. Et nullus dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto (*I Cor.* XII). » Ille ergo pulchritudinem speciemque dilecti Filii Dei et videre potest et laudando extollere, qui sanctis operibus spiritum ejus in sua retinuerit mente, ideoque præsenti loco, Ecclesia plena spiritu veritatis, sicut ipse sponsus superius ostendit, dicens : Ecce tu pulchra es, amica mea, » ille qui in speciem columbæ in Jordane de cœlo super assumptum hominem descendit, et pulchritudinem corporis ejus sine peccato, et decorem veræ animæ sine mendacio et dolo agnoscens, reciproca geminataque effert laude dicendo : « Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus lectulus noster floridus (*Ephes.* V). » Quamvis scilicet decora facies vel pretiosa vestis pretiosum ostendat sponsæ sponsum procul positum, tamen usque ad lectuli conjunctionem cæterorum membrorum decorem ignorat. Sed ubi celebrata fuerit legalis conjunctio, et duo effecti fuerint caro una secundum sententiam primi hominis, quod sacramentum magister Paulus in Christo et in Ecclesia perlatum asseruit : ita et

prædicta amica usque ad sepulturæ diem dilexit quidem desiderando ejus adventum, visum osculatumque laudavit, sed tamen omnis amor, omnisque species decoris ejus a tempore resurrectionis usque ad constitutum terminum, ad effusionem sanguinis pro ejus nomine pervenisse probatur. Lectum namque floridum, id est sparsum floribus, ubi ejus pulchritudinem, decoremque in omnibus membris agnovit, sepulcrum Domini per ænigmata ab Ecclesia intelligitur dictum, ubi quod assumpserat corpus Verbum Patris, recubasse probatur. Floridus autem lectus justa ratione prædicatur, in quo aromata vel aloe quæ de multis speciebus herbarum succis vel floribus arte pigmentaria composita, cum Christi corpore intromissa sunt, quibus eo resurgente sepulcrum est aspersum. In cujus doctrina Ecclesia, id est fidelium turba, libertatem invenit, in morte vitam, in sepultura silentium, in duris laboribus requiem, quos dæmonum flagris acta exsolvebat quotidie, ubi verus homo per inclusionem corporis, sub impiorum signaculo conversatus cognoscitur, et verus Deus designato sepulcro resurgendo egressus. Ubi sub vocabulo lectuli Filii Dei et Ecclesiæ conjunctio celebrata, ubi cum eo Ecclesia delectabilem somnum passionis et gaudium æternæ vigilationis meruit invenire, clamante Apostolo ad ejus membra : « Si mortui estis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei Patris (*Colos.* III). » Ad cujus resurrectionem et mentes hominum ad habitandum Spiritui sancto, et tecta congregationum credentium quotidie præparantur, etiam visibiliter quam innumerabiles domus Dei et Ecclesiæ sine cessatione omni tempore ampliantur, et de quibus aut a qualibus materiis fabricentur, aut quam durabilia sint vel decora, docuit dicendo.

« Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia « cypressina. » Sed sciendum est quia quidam doctorum *lectum floridum* pacem intelligunt sanctæ Ecclesiæ in qua, secura a tumultu vitiorum et dominatu malignorum spirituum, in Christo quiescit, et virtutitus sanctis floreseit, et spirituali flore multiplicatur. Sed nos, ut cœpimus, superiorem sensum exsequamur. Sepulcrum Domini lectulum intelligimus, ubi caro ipsius per soporem mortis velut in lectulo quievit, quod vere floruit per gloriam resurrectionis. Ait enim divinus sermo : « Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. » Tigna et laquearia doctores sunt forte et auditores, sive corda electorum propter munimen et decorem, cedrina et cypressina, propter eximias virtutes odorem bonæ vitæ et incorruptionum dicit, in quibus Christus requiescit velut sub tecto. Et ut manifestius pateat, dicamus sub exemplo : Natura cedrorum semper crescere fertur, nec aliquando sinitur ire in senectam, secundum illud Psalmographi : « Justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur (*Psal.* XCI). » Quarum arborum succus, juxta opiniones medicorum, tantæ virtutis est, ut diversa corporum membra sanet, vermes ulcerum necet, et a muscarum aculeis peruncta corpora defendat. Cujus arboris ligno cum aqua viva et fasciculo hyssopi, cocco alligato in vase fictili, peccatorum emundatio per aspersionem in Veteri Testamento celebratur. Quod nunc in veritate per sacerdotem, per baptismum et per sanguinem Christi, qui unius fidei multitudines per fascem circumplexas a diaboli infestatione defendens, æterna et in temporali peccatorum remissione celebrari docetur. Domus videlicet Filii Dei et Ecclesiæ, conventicula populi Christiani, ubi prædicta redemptio animarum celebratur, in toto mundo esse noscuntur. Quæ domus de doctoribus, imo a doctoribus, eorum scilicet doctrinæ ferramentis dolatis fabricari probantur, in quorum mentibus Dominus inhabitare dignatur. Ipsa cedrina ligna imputribilia prædicatorum domorum intelliguntur, quæ nec stultissimis nequitiarum cogitationum suggestionibus a suo sanctitatis robore depereunt, et semper transacta obliviscentes, ad ea quæ anteriora sunt bona opera sine intermissione velut cedri quotidie crescunt, id est multiplicantur sanctorum fructibus in adjutorium sanctarum lucris animarum, quorum succus sermonis vel consolationis ab aculeis dæmonum animas defendit, et inflictas jam olim sordidorum facinorum consuetudines vulnerum sanat, et nequissimarum cogitationum vermes interimit. In quibus digne ad delectationem habitantium, domus recte fidelibus cypressina laquearia affixa dependunt. Cypressinamque lignum manu artificis runcinatum decorum præstat aspectum et odorem jucundissimum reddit ei ad multas passiones corporis, medicinæ virtutem in se continere probatur. Quæ castitatem, pudicitiam, obedientiam, humilitatem, charitatem et misericordiam, conversantium auditorum formam, venerantium sacerdotum honorem exprimere intelliguntur, qui ad verbum doctorum indesinenter dependent, qui in modum cameræ de justis laboribus solando doctorum præsentis temporis, prædicta laquearia conserta tignis domorum exornant et contegunt nuditatem. Doctorum enim gloria plebs est, similiter et plebis est gloria stabilitio firma doctorum : cum illi spiritualia dona plebi, et plebs carnalia munera illis impertit, gloriosæ domus Christo parantur flores sapientiæ cœlestis, et lilia integritati per suam pœnitentiam ad magnam jucunditatem honoris ipse Dominus prædictarum domorum impendit. Unde sequitur.

CAPUT II.

« Ego flos campi, et lilium convallium. » Ac si aperte dicatur: Ego decus mundi et gloria humilium. Quanquam et infernus ex superfluo possit intelligi, et ubi Christus ad eripiendos patriarchas descendere dignatus est, sicut quidam intelligunt. Sed nos, his prælibatis ne quorumdam sensum ignorasse causaremur, dicamus uberius beati Ambrosii dicta ponentes. Ante suam, inquit, incarnationem, Salvator in angeli persona patriarchis et prophetis loquendo, solus cui nullus similis inter angelos, thronos, do-

minationesque omnibus admirandus, singularis flos A in toto cœlorum campo coruscans probatur. Quam partem odoris notitiæ suæ prout poterant sustinere patriarchæ vel prophetæ, et mundus ipse mortales semper admonuit docendo. Omnis scientia, per prophetas, per signorum virtutes interficiendo impios per aquas diluvii, vel Sodomitas per ignem, per quod insipientes intelligerent sapientiam, et stulti superbi aliquando saperent super se commorari excelsiorem judicem, justam exsolventem vindictam. Ubi vero per incarnationis sacramentum huc in convallem lacrymarum, inter spinas et consortia peccatorum descendit, lilium effectum se esse testatur. In qua convalle quid aliud nisi spurcissima religio idolatriæ, invidiæ, furtorum, homicidiorumque, aruspicinæ auguriorum, vel fornicationum, B vel magicarum artium grassabantur spinarum silvæ? In quarum medio doctrinæ flagrantia, et exempli candore Christus ostensus, credentium turbam quotidie liberat. Tria igitur in se delectabilia et nimis oculis grata, lilii natura continere probatur, id est candorem, odorem, quæque adusta ignibus medicinam. Quæ tria admiranda simili ratione in hanc convallem mundi Dominus apportasse cognoscitur, hoc est abolitionem peccati, abstersionem mendacii, refrigerii temperamentum ignium genitalium, de quo nascitur amor conservandæ virginitatis. Et quicunque a talibus se temperant in utroque sexu gloriosi assumpti hominis et beatæ Mariæ virginis accenduntur exemplis. Et sic flos campi et lilium convallium per immaculati C corporis assumptionem dicitur. Quod sacramentum ad liberandam plebem suam, quo nos a diversis languoribus diversa ejus membra sanaret, et quæ ignitis spiculis fornicationum a dæmonibus inflicta fuerant vulnera, ejus sanarentur doctrina, et quæ acumine nequitiæ amicam in prophetis et doctoribus vulnerabant, in liliorum jucunditate converterentur, de quibus Ecclesia renata refulget, et amarissimis stimulis pangitur, sicut ipse in sequentibus ait:

« Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter « filias. » Istæ igitur amicæ inter quas Ecclesia ut lilium inter spinas consistit, licet non cum distinctione dicatur cujus sint filiæ, tamen ex eo quod spinis comparantur, advertere possumus non Dei, sed diaboli per nequissimam doctrinam genitas nuncupari. Inter tot enim venenosas spinas Ecclesia incolit, mundum videlicet gentilium vel hæreticorum, qui ipsam impugnant, et ne otio torpescat, contra hostes armari impugnarique permittitur, ut post pugnam ejus fortitudo appareat. De talibus Dominus ait : « Cavete a fermento Pharisæorum (*Matth.* XVI), » quod est doctrina hæreticorum. Et apostolus (*I Cor.* VI) : « Quæ, inquit, societas luci ad tenebras? » Aut qui est sensus templo Dei cum idolis? Aut quæ communicatio Christi cum Belial? Et prope similiter Isaias ait : « Exite, inquit, de medio eorum, et qui portatis vasa Domini, mundamini (*Isa.* LII). » Quod autem dicit : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, » non vituperationem justorum, qui sunt Ecclesiæ membra, sed laudem demonstrat, ut nos doceret nimium esse laudabile, pie inter impios vivere, et perversorum in nullo spinosa conversatione attrahi, inter quos justus quasi lux in tenebris resplendere probatur. Ac si Ecclesiæ dicatur : Tu requiem quæris, sed laudem lectuli recordare, quod candidior tribulationum aculeis efficieris, et majores fructus prædicationis quam quietis acquires. Et bene ait : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, » id est sicut lilium inter spinas proprium odorem atque candorem tenet, sic electorum Ecclesia inter pravos Christianos atque hæreticos, si eis non cesserit, virtutibus flagrat. Sequitur :

« Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus « meus inter filios. Sub umbra illius quem desi« derabam sedi, et fructus ejus dulcis gutturi « meo. » Sicut igitur ante incarnationis mysterium « multifariam, multisque modis, » secundum « Apostolum, Dei Filius locutus est patribus no« stris (*Hebr.* I), » vel ostensus est in prophetis, sic post prædictum mysterium celebravit, multa bona diversis modis præstando humanæ naturæ, diversis rebus diversisque comparatur personis, pro tempore et loco, vel causa. Nam secundum David prophetam (*Psal.* LXVII) mons Dei, pro eo quod plenitudo divinitatis habitatura erat in eo. Est et vitulus novellus cornua producens, per duo Testamenta. Et ungulas per octo beatitudines, a quatuor evangelistarum pedibus productas. Et agnus tollens peccatum mundi per mansuetudinis impertionem Spiritus sancti, ita ut alios vestiendo ipse semper abundet. Est et fasciculus dilectus myrrhæ, et botrus cypri in vineis Engaddi, ita et pro loco arborem malum vel granatum eum appellat Ecclesia, pro eo quod arbor vitæ est cum diverso sapore diversis se personis præbendo. Est procul dubio arbor malus granata, quæ inedia famis affectas animas, sole sub ardente nequitiæ fatigatas, sub umbra defensionis suæ protegit ac defendit, et fructu labiorum doctrinæ, esurientes et sitientes per suam dulcedinem reficit. A paradisi expulsione usque ad Virginis partum multis laboribus et intolerabilibus dæmonum impugnationibus affecta est humana progenies, quæ hic sub Ecclesiæ persona amica est appellata, in ejus adventu qui dixit : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam (*Matth.* XI), » sub tegmine defensionis ejus, credendo unum Deum, requiescens læta dicit : « Sub umbra illius quem desiderabam sedi. » Quam dulcedinem regni cœlorum quanquam præsens protectio possit intelligi, et beatorum requiem nominat, sive corpus ejus, et sanguinem delibando, vitam æternam conferentem, exsultans ait : « Et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Licet ut dulcedo divinarum Scripturarum intelligatur in prædicatoribus sanctis, qui guttura Domini appellantur, prolata sit. De qua dulcedine ait Propheta : « Gustate, inquit, et videte, quoniam suavis est Dominus. »

« Beatus vir, etc. (*Psal.* xxxiii). » Et illud : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! Domine, super mel ori meo (*Psal.* cxviii). » De hujus arboris fructu, quasi languidus in ultima desperationis infirmitate, mali granati succo in adventu ejus recreata est credentium turba, qui fructus quotidie per eos qui Christi vices agunt, in guttur Ecclesiæ infundi monstratur, et sic per singulos gradus profectuum introducitur ad arcanam intelligentiam legis divinæ, ut agnoscere possit omnia illa quæ in Veteri Testamento sunt gesta. Ait enim : « Sicut malum inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.» Ac si dicatur : Sicut malum visu, odore et gustu antecedit omnia et ligna silvestria, ita Christus antecedit omnes sanctos qui filii Dei vocantur. De quibus dicitur : « Tunc exultabunt omnia ligna silvarum ante faciem Domini quoniam venit (*Psal.* xcv).» Unde filii non malitia vocantur, sicut filiæ, quæ spinis comparantur. Est quippe magna exultatio lignis silvarum, dum conspiciunt in medio sui talem arborem surrexisse, cujus fructus totam decoravit silvam, omnes abstulit animarum languores, omnesque indulcoravit fructus amaritudinis. Sub cujus ombra omni æstu tristitiæ, omnique pondere peccati abjecto, Ecclesia multo tempore desideratam requiem inventam, et dulcissimo fructu saginata adolescentibus animabus adepta gaudia narrat. « Sub umbra quam desiderabam, inquit, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Ac si dicat : Eodem protegente quem semper adesse quæsivi quieta ac secura maneo, et gratia sua cœlestis dulcedinis me fecit esse participem : et sic per ordinem ad altiora intelligenda mysteria se introduci testatur dicendo :

« Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. » Cella vinaria Ecclesia debet intelligi, sicut nonnulli opinantur, in cujus unitate Spiritus sanctus tantummodo dari solet et accipi. Cujus gratia hoc loco vini nomine designatur. Vinum, cum Spiritum sanctum accepissent apostoli, Judæi dixerunt : « Musto pleni sunt isti (*Act.* ii). » In qua cella ordinata est charitas, ut quisque Deum toto corde plusquam seipsum, et proximum tanquam seipsum diligat. Quanquam possit ex superfluo cella vinaria mysterium passionis Christi intelligi, in quo introducta est Ecclesia, quando per fidem ejus sacramentis participare meruit. Sed quia per ordinem adolescentibus animabus intelligenda mysteria introductam se testatur, necessario cellam vinariam, scientiam et dulcedinem divinæ legis vult intelligi. Ad quam dulcedinem invitat adolescentulas, et laudando festinare hortatur, quam Christus propinando docuit, cum ait : « Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in æternum (*Joan.* vi). » In quo opere positos beatificat Propheta dicens : « Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum (*Psal.* cxviii).» Sunt enim testimonia in Veteri Testamento legis, quæ Christum humani generis Redemptorem probant venturum, advenisse, iterum adventurum in gloriam. Ponamus A igitur legem latissimum essse palatium, in quo rex inhabitat Christus, sermo omnipotentis Patris, ubi ad æternam milititiam introducuntur credentium animæ, ubi introductam se, in eamdem videlicet intelligentiam legis dicit ad consideranda mirabilia quæ per singulos patriarchas vel prophetas usque ad partum Virginis operatus est Deus, quam nunc per figuram cellam vinariam nominavit, ubi introducta, suscepit in se ordinem charitatis. In quo ordine charitatis, quid aliud credendum est primum imbui, nisi ut credat et agnoscat primum debere panem nominari, in quo Filius semper, ut Verbum invocet, secundum Filium in quo semper Pater, tertium Spiritum sanctum, qui vera ratione de voce et verbo de B Patre ut Filio procedere comprobatur ? qui per omnia Deus unus diligendus est, secundum illud in initio Decalogi : « Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo. » Secundus ordo est, « in tota anima tua. » Tertius ordo est, « in tota virtute tua (*Exod.* xx). » Deinde jam in singulis præceptis legalibus quomodo, vel quo affectu debeat diligi proximus, vel singulæ personæ in Ecclesia, charitas ordinat. Alio enim ordine reciproca charitas pensanda est Deo, qui non secundum apostolum (*I Joan.* iv) prior dilexit, qui nobis omnem summam charitatis per Christum contulisse probatur. Alio ordine fideli amico, alio ordine charissimo filio, alio ordine impendenda genitoribus, per quos sumus qui non eramus, alio ordine fratri C germano, alio ordine conjugi ; alio peregrino, alio agnito, alio sacerdoti, alio propinquis et proximis. Nam largiri necessaria egenti infirmo, vel peregrino, non ad ostensionem laudis humanæ, sed propter retributionem æternam ordinatæ charitatis indicium est. Consolari indigentes, et oppressos injusto judicio, visitare infirmos vel carceri mancipatos, ordinata charitas demonstratur. In nullo negotio pro veritate hominis personam revereri, misericorditer admonere insipientes, veracissime increpare superbos, charitatis manifestus est ordo. Quisquis autem amplius diligit patrem, aut matrem, uxorem, filios, vel fratres, aut divitias præsentis temporis quam Deum, est quidem in eo charitas, sed non ordinata, quoniam præ omnibus ipsum diligere debemus, D et proximum sicut nosmetipsos. Iste est ordo charitatis. Ordinavit ergo Dei Filius in Ecclesia sua charitatem, ut sciat unusquisque Ecclesiæ filius unicuique quo ordine charitatis impendat officium, dicendo in Evangelio : Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* xxii). » Et per Apostolum ait : « Reddite singulis debita, cui honorem, honorem : cui timorem, timorem : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal (*Rom.* xiii). » Non omnes qui Christiano vocabulo nuncupantur, per hunc ordinem charitatis in prædictam intelligentiam, quam cellam vinariam nominavit, introducuntur, sed qui parvum quantumcunque imitatus fuerit Paulum, qui dicebat (*II Cor.* xi) : Amplius om-

nibus laboravi, in vigiliis, in jejuniis, et cætera : « et omnia, ait, arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifacerem (*Phil.* III).» In capite hujus cantici in cubiculum, sive cellarium regis introducta Ecclesia laudat, ubi ingressa dicit, « Exsultabimus et lætabimur in te, » agnitam videlicet ejus præsentiam corporalem, qui est in sapientia Patris, qui velut in conclavi prophetarum præconiis latebat, in quo sunt omnes exsultationes et lætitiæ, et thesauri. Hic vero ad intelligendam divinam legem, et ad ordinem charitatis discendum se introductam dicit, non se lætari et exultare, sed languere, eo quod, secundum Salomonem (*Eccle.* I): « Qui addit scientiam, addit dolorem. » Et quis quantum consectando proximius effici cœperit sapientiæ, tantum eam vix conspicit prolongatam. B De quo dolore beatus amor nascitur Christi, et de amore gloriosior sanitas, animæ languor, qui ei omnes vires subtrahat ad peccandum. Quæ licet arcana mysteria multiformis sapientiæ Dei adepta sit, quæ licet perfectionis teneat arcem, non sibi tamen solius prædictæ sententiæ aut intelligentiæ credit sufficere summam, nisi stipata mali et fulcita diversis fuerit floribus. Unde continuo subjunxit:

« Fulcite me floribus, stipate me malis, quia « amore langueo.» Præsentiam corporalem sapientiæ Dei Patris, id est Christum, requirit in cella scientiæ legis, sed quia illum quem desiderat videre prout est adhuc non permittitur, aliorum exempla ad suam consolationem exposcit, quibus interim suum languorem temperare valeat. Ait namque : « Fulcite me floribus, stipate me malis, » id C est consolamini me exemplis seu inchoantium bonum opus, seu perficientium : quia adhuc in peregrinationis tædio, amore supernæ visionis languesco. Unde non immerito per flores animæ jam bonum opus inchoantes, et cœlesti desiderio redolentes, per mala de floribus perfectæ jam bonorum mentes, quæ ad fructum perveniunt boni operis, de initio sanctæ propositionis intelliguntur. Quæ ergo amore languet, fulciri quærit floribus, stipari malis, quia nullum quem desiderat videre adhuc non permittitur, magna est consolatio si de aliorum profectibus lætetur, ut anima requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei. Videamus quali mens Pauli D fuerat, qui dicebat : « Mihi vivere Christus est et mori lucrum (*Phil.* I). » Hinc est quod iterum dicit : « Desiderium habeo dissolvi et cum Christo esse multo magis melius (*Ibid.*).» Sed ecce qui dissolvi desideras, quo amore langueas videamus. Quia interim differri te conspicis fulciri, quæso, floribus non requiris ? Quaris plane : nam sequitur : « Permanere autem in carne, necessarium existimo propter vos (*Ibid.*). » Et proficientibus discipulis dicit : « Quæ est enim nostra spes aut gaudium, aut corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum ? » (*I Thes.* II.) Conjuncta ergo anima Dei verbo, introducta intelligentiam legis, discurrendo per singulos apices Scripturæ, ut sæpe dictum est, et singula vasa cellæ vinariæ divinorum librorum degustando sapores, quasi inebriata lætitiæ vino semper futuræ beatitudinis, quamvis sponsum non cernat in præsenti, cur ad eam tarde perveniat dicit se amore languere. Illo procul dubio, de quo Propheta dicit : « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Domini?» (*Psal.* XLI.) Per quem amorem scientiæ, amor germinatur vitæ æternæ, et de amore vitæ æternæ tolerantia persecutionis. In quo amore saporata, quasi in lectulo collocata, promissionis læva et adjutorii dextera Christi amplexari se deprecabatur dicendo :

« Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. » Quid namque per sinistram nisi vita præsens, vel temporalia Dei omnipotentis dona designantur ? Quid vero per dexteram, nisi perpetua vita figuratur ? Sinistra namque Dei, Ecclesia videlicet, prosperitatem vitæ præsentis et temporalia dona quasi sub capite posuit, quam intentione summi amoris premit. Dextera vero Dei eam amplectitur quia sub æterna ejus beatitudine tota devotione continetur. Quoniam hic per spem sponsus mentem roborat, et illic per renumerationem glorificat. Vel in læva Vetus Testamentum, et in dextera Novum Testamentum intimatur. Nam potest ita intelligi, ut læva Christi a sinistris sustineat animam, ne ab incentivis vitiorum uncinis implanetur in læva, sed semper ostentata occultis compunctionibus sublimetur ad regnum. Et ne in superbiam elata faciat lapsum in dextera in qua diabolus corruit, tribulationes et multimoda retinacula permittendo, et fatigata adjuvando dextera sua amplexatur. Valet etiam ex superfluo ita intelligi, ut læva sub capite fidei sit scutum, quod pugnans sinistra contineat manu, et dextera amplexatio orationis gladius intelligatur, quo dextera semper armatus, quatenus altero armorum genere adversarius repellatur, et altero prosternatur. Sequitur:

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare « faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. » Post multos labores, scilicet Ecclesiæ, et discursus, per quos anxia intra sanctam cellam vinariam fatigata redditur in soporem, quæ celerius ne pristinis reddatur laboribus suscitata a somno, adjurantur filiæ Hierusalem ne suscitent eam ; et per hoc adjurantur quod firma diligatur charitate. Per capreas videlicet cervosque camporum, quas non parvi meriti vel laboris animas esse intelligi datur per quas adjurantur filiæ Hierusalem. In plebe enim Christiana secundum meritorum qualitatem diversis animalibus animæ comparantur. Habet ergo palatium Dominus noster Jesus Christus, quod intra se cellaria multa, et cellam vinariam, et camporum spatia continere intelligitur. Cujus flores beatus Paulus ingressus, admirando laudat : « O altitudo, inquit, divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! (*Rom.* XI.)» In quo palatio inter multas divitias, id est multitudinem sanctorum, intelligitur habere etiam animas diversas :

sicut in domo magna, juxta Apostolum (*II Thes.* II), non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et fictilia et lignea. Unde non immerito filiæ Hierusalem animæ sunt electorum supernæ patriæ visionem pacis contemplantes. Capreas vero vel cervos spirituales Veteris Novique Testamenti panes appellat, quibus multitudo sacrarum Scriptuarum pascua est. Seu capreas eas nonnulli animas intelligi volunt, quæ acumine dialecticæ, intelligentiæ sensu per philosophiam et mente discurrere consuerunt, quæ nunc intra supradictum palatium rete conclusæ arte venatorum,id est apostolorum, cæterorumque doctorum manu captæ, mutata religione in melius, campos divinarum Scripturarum, vel per sapientiæ quæque ardua et obscura interpretantes, discurrunt montes, et cultura deorum in B Creatoris laudem quotidie vertitur. Quæque in fide velocitatem sui cursus ostendunt, et acumine sensus more caprearum insidias adversariorum a longe prospiciunt. Caprearum natura est primam corporis partem sublimiorem, humiliorem posteriorem probatam habere. Et hac de causa semper sursum ascendendo montem in cursu velocior invenitur, quo itinere adversarius minor est insequendo. Cervi autem videntur intelligi, qui in ipsa philosophiæ suæ velocitate doctrinæ non multos, sed unum Deum invisibilem, immensum, inæstimabilem, omniumque Creatorem, totum ubique mundum implentem confessi sunt, qui et ipsi a sanctis doctoribus rete prædicationis in sinum Ecclesiæ capti sunt. Qui in arduis vitæ morantur, C more cervorum fontem aquarum petunt, serpentes interimunt, et tanquam munda animalia ruminant. Hi sunt ergo procul dubio cervi camporum et capreæ, animæ videlicet fidelium philosophorum conversæ ab infidelitate superstitionum, per quos sponsus filias Hierusalem conjurat, ut patiantur paulisper requiescere sponsam in requiei somno, quæ delectantur Ecclesiam secum concurrrere in illis operibus in quibus ipsæ ad cœlestem sunt gloriam sublimatæ, per quæ, amissa corporea sarcina,cum illis epulentur in cœlis.Quam Dominus Christus ad lucrum vel consolationem aliarum animarum requiescere in corpore jubet quoadusque ipsa velit, donec ipse sponsus prospiciens utilitati ejus et ipse cognoscat vires suas : D quia sine ipso nihil potest facere. Sed potest juxta intelligentiam priorem, ubi capreas et cervos Veteris et Novi Testamenti Patres significare diximus, ita intelligi : Contestor pacificas, ac si dicatur fidelium animas, per suas quasque virtutes, quæ per munda et ruminantia animalia significatæ sunt,ne pia fratrum studia aliqua importunitate impediant, sed sic quisque de proximorum profectu, quasi de suo gaudeat. Aliter admonet Christus ne quisquam doctorum muneribus scilicet vel minis deterreat credituros, sed tantum quæ sancta sunt prædicent, et voluntarie ad finem vel ad religionem credituros vel conversos adducant, et in sua tranquillitate non perturbent,donec divina inspiratione adacti ad altioris vitæ studia accingantur. Sed perfecta electorum anima, et, ut ita dicam, sancta Ecclesia in ipso requiei sopore semper eum timendo audit, semper eum amando videt. Unde nunc ait, subauditur, hæc est quam audivi adjurantem filias Hierusalem, ne me in ejus amplexu quiescentem suscitarent. Vel vox illius evangelica est prædicatio. Et quid dicat vox ista dilecti Ecclesiæ, in ipso Evangelio proprio ore declarat. « Videte, inquit, ne seducamini a pseudoprophetis. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ergo sum Christus, et multos seducent, et dabunt signa, ita ut etiam, si fieri potest, electi in errorem inducantur (*Matth.* XXIV). » Et : « Videte ne graventur corda vestra crapula aut ebrietate (*Luc.* XXI). » Et : « Similes estote servis exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis (*Luc.* XII). » Ne sub specie doctorum decipiatur Ecclesia requiescens in amplexibus sponsi. Et ne otio post labores torpescat, aut deliciis resolvatur, in Evangelio taliter admonetur. Sed in ipsa securitatis requie sollicita semper aurem cordis ad vocem Christi præbere, hoc est in Scripturis divinis, ei assiduæ orationi operam dare studeat. Monentur ergo per hæc qui præsunt populo Christiano ut sine intermissione annuntient plebi quid præcipiat vox ista dilecti Ecclesiæ, quomodo scilicet venit de sinu Patris ad humanum consortium ut Verbum fieret caro, quomodo secundum Habacuc prophetam (*Cap.* III) humiliando dæmonum superbiam, confregerit montes violentiæ, et liquefecerit colles æternales, conculcando sub pedibus credentium Satanam transiliens montes prædictos. Et hoc perpendens Ecclesia ait :

« Ecce venit saliens in montibus, transiliens col- « les. » Vis audire quales saltus fecit ? Tales, inquam, saltus dilectus meus. De cœlo venit in uterum, de utero in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cœlum : ipse est qui elevatus est etiam super omnes montes et colles, id est Patres Novi et Veteris Testamenti, qui merito virtutum et vertice fidei cæteris sunt eminentiores. In his Dominus non solum inhabitare, sed transilire dicitur, quia non tantum divinitate, sed humanitate incomparabilis apparuit. Seu per apostolos, ut dicere cœpimus superius, omnem superbiam sapientiæ mundi extollentem se adversus Creatorem liquefecit, et ad nihilum redacta humiliatur. In quibus non rhetorica argumenta, sed sancti Spiritus virtus fulgebat, et prostrata dæmonum turba sub pedibus credentium, ostensus est Ecclesiæ saliens in montibus, et transiliens colles venisse in mundum, et inter homines conversatus est. Unde et mox subjungitur :

« Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cer- « vorum. » Capreæ Christum comparatum non per detrimenta divinitatis qui semper idem est, intelligimus, sed per incarnationis mysterium, videlicet quia apparuit in similitudinem carnis peccati in quo augmenta consecuta est, cœlo recepta carnis natura. Nam et capreæ ideo nonnulli assimilatum opinan-

tur, quia nostræ salutis illustratio cæcitatem cordis auferens in posteriore sæculi parte veniendo in carne se ostendit, quam Moysi petenti in monte Sina monstraverat. De quo mysterio David dicit: «Pennæ columbæ deargentatæ in posteriora dorsi ejus (*Psal.* LXVII).» Sicut caprearum posterior corporis pars candorem demonstrat; et quia multi non solum ex Judæis, sed etiam ex philosophis gentium credidere per ejus humilitatem incarnationis, de quibus intelliguntur agrestes illic animæ quondam mundiores cæteris supradictis, quæ per ipsius doctrinam ad unius veri Israelis consortium aggregatæ sunt. Talibus similis juxta opinionem aliquorum voce Ecclesiæ pronuntiatur, qui propter innocentum et multitudinem credentium hinnulo cervorum comparatur. Hinnulus cervorum ideo dicitur, quia genitus est ex stirpe patriarcharum, qui cervorum nomine prænotantur, seu hinnulo cervorum propter humilitatis formam, necdum adhuc potentiæ cornibus exaltatis, quibus in secundo adventu causaturus est mundum, de quibus dictum est in psalmo: Tunc «exsultabuntur cornua justi (*Psal.* LXXIV).» Hinnulus enim cervorum sine cornibus est, amorem in se potius visionis suæ quam terribilitatem ostendit, sicut Dominus noster Christus in primo adventu fecisse dignoscitur. De cujus primo adventu mox subjungitur. «En ipse stat post parietem nostrum, respi- «ciens per fenestras, prospiciens per cancel- «los.» Indutus pariete nostræ mortalitatis, latuit substantia divinitatis. Sed prospiciens ad nos per cancellos et fenestras dum miracula fecit, ut ex miraculis appareret qui ex passionibus latuit. Qui enim humanis oculis hoc quod de mortali natura assumpsit ostendit, et in se ipso, qui invisibilis permansit, in aperto se videre quærentibus quasi post parietem stetit, quia videndum se manifesta majestate non præbuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam quam assumpsit ostendit, et divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Quisquis enim per fenestras vel cancellos respicit, nec totus videtur, nec totus non videtur. Redemptor enim noster, quia et divina fecit et humana pertulit, quasi per cancellos et fenestras ad homines venit ut Deus, ut appareret ex miraculis, sicut dictum est, et lateret ex passionibus, et homo cerneretur ex passionibus. Recte dicitur: «En ipse stat post parietem nostrum,» et reliqua. Potest, si cui libuerit, ita intelligi: En ipse qui crucifixus est, qui divinitatis suæ dextera languentem, id est lugentem in apostolis consolationis amplexu continebat Ecclesiam, cum qua carne sepultus est, cum ipsa utique stat resurgens post parietem incredulitatis nostræ quem luteis operibus construxeramus peccando. De quibus dicit per Isaiam prophetam: «Nunquid non valet manus mea ad liberandum? Sed peccata vestra murum fecerunt inter vos et Deum (*Isa.* I).» Post quem stans Dominus Christus exspectat se ab impiis invocari, et vocat ad pœnitentiam animam peccatricem, exspectat sibi ab incredulis credi. Post quem parietem stat, usque ad tempus baptismatis vel pœnitentiæ. Et licet non mereamur eum intueri, tamen per hoc quod idololatriam abdicamus, fenestras in supradicto facimus pariete, quibus nos ab immundis spiritibus defendendo respicit Christus. Et ipsi soli genua cordis deflectendo cancellos facimus, per quos compunctionem ad se convertendo prospiciat. Ubi vero venerimus ad veram conversionem baptismi prædicti vel pœnitentiæ, retollit eum de medio concessa venia peccatorum, et loquitur nobis dicendo: «Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI).» Et: «Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (*Matth.* XXV).» Sicut et magister gentium, B Paulus, docuit factum in ejus adventu. «Qui tulit, inquit, parietem maceriæ de medio, et reconciliavit nos Deo Patri per sanguinem ipsius (*Ephes* II).» Unde cum inclusa esset Ecclesia quodammodo intra parietum septa propter persecutionis metum, post suam resurrectionem formidantibus et nimio terrore dejectis Apostolis, januis clausis ingressus, magnam fiduciam magnumque gaudium apportavit dicendo: «Pax vobis. Ego sum, nolite timere (*Luc.* XXIV).» Tunc completum est quod sequitur:

«Dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, «amica mea, columba mea, formosa mea, et «veni.» Loquitur ei scilicet ad perfectionem vitæ vocando, dicendo ei jam non timere mortis auctorem, diabolum, nec ultra residere intra incredulitatis C et torporis claustra. «Propera,» inquit, «et veni,» quia ego moriendo vitam perditam reddidi. Modo jam non terrearis a morte, cui ego destruxi imperium. Stabat namque post parietem nostrum, quia nobis umbra sua obstabat sol justitiæ, de quo propheta promiserat dicens: «Orietur vobis timentibus Deum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus (*Mal.* IV).» Qui loquitur Ecclesiæ in apostolis, quando surgens a mortuis consolatur eos, dicens: «Confidite, quia ego vici mundum (*Joan* XVI).» Et: «Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII).» Et: «Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Math.* XI).» Unde per hanc sententiam ad D prædicationis officium provocatur, sicut ipsa dicit: «dilectus meus loquitur mihi,» id est ad prædicandum me hortatur dicens: «Surge, propera, amica mea, et veni,» id est surge de stratu quietudinis, in quo solius tui curam agere quæris, propera, et veni, ad implendam etiam proximi curam salutis, studium sedulæ prædicationis officio impende. Nam et verbis affabilibus tribuit fiduciam dum subjungit:

«Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. «Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.» Docet eam scilicet jam non timere omnino iniquorum hominum truculentiam, nec dæmonum formidare terrores, quia et Deum Patrem per assumptæ carnis oblationem reconciliavit Ecclesiæ, et dæmonum exercitum subnervavit per cru-

cem, et post brumalem gelidamque asperitatem floridum verni adventus sui tempus ostendit, e quanta vel qualia gaudiorum esset præmia ei per suam præsentiam exhibiturus, futuram jam quasi factam narravit. Unde et ei dicitur : « Exsurge, propera, amica mea, formosa mea, et veni. » Amica enim fit agnoscendo Deum ; formosa, Christi humilitatem servando. Columba vero efficitur, nihil de terrenis cupiditatibus absque cibo vilissimo, indumentoque corporis requirendo, sed semper columbarum simplicitatem tenens, Spiritui sancto se sociat. Vel amica dicitur per dilectionem, formosa vel speciosa per decorem virtutum et lavacrum regenerationis, columba per infusionem Spiritus sancti. Sicut igitur superveniente verno præcursore æstatis qui fugat hiemem, quando omnis creatura rediviva lætatur, et universa animalia secundum genus suum corporantur ad fetus, et ingravidata cubilia coustruunt, et aves nidos componunt, et sese ad invicem suis vocibus discretis advocant et motibus, ubi jam reptilibus epulas præparat humus ne deesset pennigeris animantibus esca, ubi canora vox volatilium dulcis modulamine resonat et pipat, et ad prædandos flores apis pennis armata procedit : ita Dominus noster Jesus Christus, post horridam hiemem idololatriæ et philosophicam doctrinam, vernum tempus per suam passionem, quod est pascha nostrum, transitus de morte ad vitam, faciem mundi martyrum, vel omnium sanctorum operum, et initia fidei credentium flore decoravit. Eo tempore de quietis stratu ad officium prædicationis, imo de convalle lacrymarum ad paradisi Dei montem suæ mortis exemplo Ecclesiam vocat. Denique cum dixisset, « Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni, » mox subjunxit, « jam enim hiems transiit, » id est potestas tenebrarum, quæ tristem reddebat mundum, sole justitiæ Christo veniente, transit de hoc mundo ad tartara. Jam frigus infidelitatis et imber iniquitatis recesserunt, quæ totum orbem usque ad tempus Dominicæ incarnationis et resurrectionis tegebant. « Flores apparuerunt in terra nostra, » id est initia fidei et justitiæ floruerunt in mundo crescente Ecclesia. « Tempus putationis advenit, » id est amputatis inutilibus vanæ religionis, sarmentis futuræ fidei præparantur corda hominum, æstivum namque tempus advenit, quando ex una stirpe corporis boni separantur a malis, ne vicinitate malorum depereant boni, ne perfidia incredulorum periclitentur credentes. Hoc utique tempus nuntiabatur venire putationis, de quo Dominus dixit in Evangelio : « Veni enim separare filium a patre, et nurum a socru sua, et filiam a matre sua (*Matth.* x), » et reliqua. Vel hiems transiit, quia præsentis vitæ tribulatio abscessit. Imber quoque abiit, quia cum ad contemplandum in sua substantia omnipotentem Deum ducimur, jam verborum guttæ necessariæ non erunt, ut pluvia debeat prædicationis infundi. Nam quod minus hic audire quis potest, ibi amplius videbit : « Quia nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, et videbimus eum sicuti est (*I Cor.* XIII). » Tunc apparent flores in terra, quia cum de æternæ beatitudinis vita quædam suavitatis primordia prægustare anima cœperit, quasi jam in floribus odoratur exiens, quod postquam egressa fuerit in fructu uberius habebit, unde et illuc subditur : « Tempus putationis advenit. » In putatione quippe sarmenta sterilia reciduntur, ut ea quæ prævalent uberius fructum ferant. Nostræ itaque putationis tempus tunc adveniet, quando infructuosam ac noxiam corruptionis carnem deserimus. Qui fructus nobis eris uberrimus, visio unius Dei. Ut tempus putationis est, vocatio e mundo animæ cœlestium. Sequitur : « Vox turturis audita est in terra nostra. » Dicamus opiniones diversorum, ne forte ignorasse causari videamur Vocem turturis propter decorem castitatis beatam Mariam intelligi volunt, cujus vox primum audita est in terra nostra, dicendo ad angelum : « Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco ? » (*Luc.* I.) Et : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Ibid.*) » Et : « Ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*Ibid.*) » Cui angelus respondit : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Et : « Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. » Et vere dignam, quam solam beatam omnes generationes dicunt, quam gloriosam inter omnes feminas non solum diversarum gentium nationes, sed etiam cœlorum virtutes admirantes collaudant, per vitæ ingressum enim, mortem fugatam, mundum reconciliatum gaudemus. Aliqui vero beatum Joannem Baptistam asserunt, cujus vox audita est dicentis : « Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini (*Matth.* V). » Et : « Facite fructus dignos pœnitentiæ (*Luc.* III). » Quandiu enim prævaricationis hiems tempus triste, constrictumque ab omni germine bono, obtexerat faciem mundi, et sua ditione obtinebat diabolus terram, hæc dulcissima vox turturis, sive per beatam Mariam, sive per Joannem non est audita in terra. Sed ubi magnus ille sol justitiæ, qui nobis indulgentia æstatis ubertatem adducendo exortus est, cœpit desiderio conservandæ castitatis vox turturis in terra nostra audiri. Justa enim ratione turturi castissimæ avi virginitas comparatur, quæ in Joanne vel Maria obtinet principatum. Quæ semel verbo Dei vel Spiritui sancto conjuncta, nunquam alium cogitat comparem, nec altera desideriorum sui amoris conjuncti est, nisi illi cui semel conglutinata probatur, tanquam turtur qui deserti dilecti habitacula diligit, et advocans comparem dulci resonat voce, et eo amisso alium non requirit, sed ad alium semper promissionis vocem et mentis emittit, cui promisit servare dilectionis affectum. Quo mortuo, nunquam alio conjungi narratur; sed eum omnibus diebus vitæ, cui semel fuerit conjuncta, desiderando requirit. Sed sciendum est, licet ita sit vox turturis quæ audita est in terra nostra : illa est Domini Salvatoris, quæ dicit in Evangelio : « Pœnitentiam agite, appropin-

quabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Vel A per turturem rectissime sancta Ecclesia intelligitur, varietate virtutum velut plumis ornata.

« Ficus protulit grossos suos. » Propinquante igitur messe redemptionis humanæ et gloriosi Redemptoris adventu, impietatis hieme et algore constricta nihil in se ficulnea, id est Synagoga, nisi amarissimum succum doctrinæ quem animarum cibum mentitur, intelligitur habuisse. Sed in Domini adventu postquam turturis vox audita est dicentis, « Pœnitentiam agite, » et reliqua, ficus protulit grossos suos, id est præcepta legis ceciderunt et ipsa per apostolos protulit grossos suos, qui de ea generati dulcissimus cibus doctrinæ animarum effecti sunt. Sed quia eis credere noluit, æterna sterilitate aruit, et omni decore nudata nihil in se nisi ignis æterni alimentum conservata est. A cujus perversæ oppressionis umbra liberata plebs, cœpit, amotis malis doctoribus Pharisæis, in Christo credendo florere, et suo exemplo aliarum gentium nationes ad florem credulitatis provocare. De quibus sequenti versiculo dicitur : « Vineæ florentes dederunt odorem suum. » Credendo namque in unum Deum omnipotentem floruerunt vineæ, id est evangelicus populus. Seu vineæ florentes, sanctæ conversationes odorem longe lateque dederunt per orbem. Nam sicut hiemis tempore absque frondibus et floribus sine decore sunt vineæ, ita fuisse absque decore justitiæ et sanctitatis ornamento per orbem nationes quas nunc vineas appellavit, certissime comprobatur. Sequitur :

« Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et « veni, columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. » Jacebat ergo satis in humili loco et abdito Ecclesia multum a longe vocata, quæ nunc in toto mundo regnare probatur, conturbata vel oppressa de dæmonum tempestate. Sed ubi passiones Christi sacramenta sunt celebrata per apostolorum doctrinam, in quibus Christus loquitur, advocatur ut surgat et veniat ad deambulantem sponsum in vineis ad congaudendum, et in proventum fructus justitiæ prædictarum nationum se exerat. Ac si ei dicatur : O sponsa et amica, cui tanta obtuli bona et pro qua tanta sustinui, surge et veni, accingere ad certamen, unde æternam quietem accipias « in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. » Quid sit petra Apostolus exponit : « Petra, inquit, erat Christus (*I Cor.* X). » Quicumque ergo desiderat ab hostibus aeriæ potestatis eripi, et illæsus evadere, in foraminibus hujus petræ, fidem servando semper ingrediatur, id est consideret vulnera clavorum et lanceæ quæ pro salute sponsæ sponsus suscepit, et in caverna maceriæ, hoc est custodia virtutum cœlestium. Habet enim ista petra multa foramina, id est aditus, per quos intratur ad Patrem regnum credentibus præparantem, hoc est mansuetudinis, humilitatis, patientiæ, contemptus divitiarum, nullarum acceptio personarum, pernoctatio in oratione, misericordiæ magisterium, castitas immobilis, forma benignitatis, singulare speculum, individuæ Trinitatis agnitio, in qua est nostra redemptio. Hæc sunt procul dubio foramina in quibus docetur anima ad gaudia regni cælorum venire. Potest foramen petræ intelligi, protectio ejusdem Domini Jesu Christi, ad quam confugit Ecclesia, velut columba ad foramen petræ. Hinc Isaias ait : « Ingredere in petram, abscondere in fossa humo (*Isa.* II). » Caverna maceriæ Spiritus sancti defensio, vel congregatio fidelium designari potest, quanquam foramina petræ quatuor Evangeliorum assertiones valeant intelligi, quæ ejusdem petræ perforatum supradictis ictibus corpus testantur. Caverna vero maceriæ apostolorum doctrinæ, de quibus ut Vineæ credentium plebi firmissimam maceriam ob infestationem malignorum spirituum Deum construxisse probatur. Nam sicut ipsi per Christum, ita et nos per apostolos agnos- B centes divina mysteria, intra conspectum fidei quam ipsi confessi sunt continemur. Et quia « fides sine operibus otiosa est (*Jac.* II), » recte subjungitur. « Ostende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in « auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua « decora. » Ac si aperte dicatur : Ostende mihi faciem tuam, precor, in publicum actionis procede, noli sub quietis torpore quiescere, et operibus ostende fidem tuam. Et sonet vox tua, id est prædicationis, laudis et confessionis in auribus meis. Illius namque vox dulcis est Deo, qui dulce et suaviter ex dulcedine regni verba Domini proximis enuntiare, et ipsi Domino laudes resonare novit. Et illa fides decora est, quæ operibus ornata, adversa pati non timet. Sequitur :

C « Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur « vineas ; nam vinea nostra floruit. » Transacta videlicet dæmonum tempestate, quam superius hiemem appellavit, invitatur sponsa jam regis corpori juncta per baptismi sacramenta in vineam, id est credentium sibi plebem ex gentibus, et invenit eam producentem flores per bonum naturæ, ad confidendum Deo cœli paratam. Sed calliditate insidiisque vulpium maturitatem fructus exspectantium ad demoliendam devorandamque parata, quæ sunt perversarum animarum hæreseos mordacissima dogmata ait Jesus suis doctoribus : « Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas, » id est convincite hæreticos et schismaticos pravos fide, et dolosos verbo, qui dente pravæ doctrinæ rudes fidelium mentes lacerare solent. Nam vinea nostra floruit, id est sanctæ electorum animæ germinant fructum fidei et bonorum operum late longeque. Verum duplici ratione intelligitur quod ait nostra, id est sive suam dixerit et patris, sive Ecclesiam sibi conjunctam participem dicat. Quam cum flores tam Ecclesiam ex Judæis, quam maxima ex gentibus videsset proferre, ante præparat venatores vel custodes qui vulpes capiant quam flores maturos fructus pariant. De quorum numero est unus qui dicebat : Corripientes omnem hominem in captivitatem redigimus omnem scientiam extollentem se adversus scientiam Dei. Nam sive dæmones vulpes intelligantur, sive hæretici et perversi doctores, per quos dæmones loquuntur blasphemias, utrumque convenire manifestum est, per quos men-

tes hominum in quibus habitat recta fides Ecclesiæ disterminantur. Quorum exterminium vel occultas insidias cavere sollicite debemus, et Deum ex toto corde diligere ut diligi ab eo mereamur: ideoque Ecclesia rectissime subjungit:

« Dilectus meus mihi, et ego illi. » Conjuncta itaque Ecclesia Christo vel anima verbo Dei ut eam abundantiore gaudio cumulet per omnia, et in quibus ipse per lætitiam pascitur, et quid ille delectetur in ea ostendit, et quid illa respondere debeat pro tantis beneficiis docetur. Sponsus videlicet decoram faciem in ea desiderat, sicut superius innuit, quæ nulla peccati nigredine sit maculata, non turpium verborum mendaciique absconsa, vel blasphemiarum raucedine voce horrida, sed dulcedinem suis laudibus resonantem reddit vicem, eadem Ecclesia ait: « Dilectus meus mihi, et ego illi. » Christus et ipsa, caput et corpus velut unus homo, et tanquam membra caput, ita diligendo sequitur ipsum, propterea taliter loquitur. Nullus enim dilectus et adjutor Ecclesiæ, nisi Christus, et nullus Christi dilectus, nisi Ecclesia: quia nullus alius recte diligit Christum, nisi unica Ecclesia, et nulla alia ab eo diligitur, nisi ipsa. « Qui pascitur inter « lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. » Id est, qui pascitur munditia fidei et candore virtutum, donec venturi sæculi dies illius judicii verus adveniat, et oriatur lux et umbræ, id est errores præsentis sæculi, qui nos impediunt, justitiæ sole transeant et inclinentur cum suis amatoribus in chaos inferni.

« Revertere: Similis esto, dilecte mi, capreæ hin« nuloque cervorum super montes Bethel. » Vox est ista supradictæ Ecclesiæ ad Christum: « Obsecro, mi dilecte, ut sæpius tuæ visitationis adventu revertaris ad me, quia carnem quam de patriarcharum origine sumpsisti, resurgens a mortuis, super omnem cœlestium montium ascendisti, ut laborem peregrinationes meæ speculatione æterna releves. Capream hoc in loco sicut superius prælibavimus carnem dicunt Christi, propter similitudinem carnis peccati. Hinnulus cervorum dicitur ipse, quia de stirpe patriarcharum genitus, qui post resurrectionem suam ad cœlos remeans, superexaltatus est super montes Bethel, quæ *domus Dei* dicitur, id est supernam patriam angelorum. Unde Psalmista ad eum loquens ait: « Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quam elevata est magnificentia tua super cœlos! » (*Psal.* VIII.) Nec moralis siquidem admittendus est sensus. Unusquisque enim credentium Deo, ipse se fecit montem Dei per sanctam conversationem, aut montem diaboli perverse vivendo. Bethel enim *domus Dei* interpretatur, ut præfati sumus. Quicunque ergo ita exhibuerit vitam suam, ut in eo delectetur Spiritus sanctus inhabitare, mons efficitur Dei qui est Ecclesia Dei. Super hæc ergo, si quando offensus peccatis populi prolongaverit, revertitur, similis efficitur cursu vel consuetudine capreæ hinnuloque cervorum, quarum natura est, voce ante se in montibus resonante post tergum emissa dum obviam sibi opinantur occurrere, ad locum unde abscesserant, velociori cursu reverti. Et hæc causa ut exasperata ab hostibus consuetam nolit derelinquere sedem. Sic et Christus Dominus noster, quamvis provocatus, quamvis exasperatus peccatis hominum, jejuniis et precibus revocatus, ad pietatis consuetam revertitur sedem. Et si aliquando provocari videtur, ut studia inquirendo eum merito augeantur, non debet quis diffidere nec ab inquirendo cessare. Unde sequitur:

CAPUT III.

« In lectulo meo per noctem quæsivi quem dili« git anima mea. Quæsivi illum et non inveni. » « Veni, sicut in quibusdam codicibus additur, « et vocavi eum, et non respondit mihi. » Hæc ergo quamvis prænuntiata sint et consummata in Domini sepultura videantur, dum mulieres ad sepulcrum Domini pervigilant, cum apostoli intolerabiliter lugent, sed amplius ad superiora respiciunt quæ subnectuntur; ac si Ecclesia vel unaquæque sancta anima apertius dicat: Jamdudum multo studio quæsivi illum, sed quia adhuc illecebris carnis meæ subdita fui, et tenebris profundæ ignorantiæ obcæcata, non inveni lumen veritatis, id est Dominum. Aliter in lectulo suo dilectum suum Ecclesia vel anima sancta quærit, quando ab omni perturbatione sæculi tranquilla in quiete cordis Dominum suum cogitat. Quem quærens ob hoc minime invenit, ut amore illius accensa ardentius quærens. Per noctem quærimus, quia et si jam mens in illo vigilet, tamen adhuc caligat oculus. « Vocavi eum et non respondit mihi. » Quicunque solum hominem credit Christum, non inveniet eum. Et quicunque deitatem non credit in Christo, non inveniet eum. Et quicunque deitatem non credit in Christo, vocat quidem in noctibus perversorum sensuum suorum Dominum Dei Filium, sed non respondet ei sicut non respondit regi Sauli a quo recesserat Deus. Sine causa igitur laborem impendit quærendo, qui æqualem hominibus absque peccato et coæternam Patri, non fuerit utraque natura confessus Deum, qui redemit, et hominem per quem redemit perditos Deus, de quo Psalmista dicit: « Frater non redemit, redimet homo (*Psal.* XLVIII). » « Surgam, et circuibo « civitatem, per vicos et plateas quæram quem « diligit anima mea. Quæsivi illum, et non inveni. » Proposui in animo meo de lectulo carnalium voluptatum surgere, et terras ac maria circuire, et philosophorum adire mysteria, sed nec sic inveni illum. Potest et aliter intelligi. Civitas hoc in loco sancta electorum Ecclesia intelligitur, seu divina Scriptura. Vicos vero atque plateas, libros legis et prophetarum vocat, in quibus Ecclesia seu anima electa dilectum suum, id est Christum dum ardenter quærit invenit, quem in libris philosophorum non reperit.

« Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. « Num quem diligit anima mea vidistis? » (*Psal.* CXXXVI.) Vigiles qui custodiunt civitatem, id est Ec-

clesiam, apostoli vel cæteri doctores sunt qui sollicitam gentilitatem cum veritatis indagine invenerunt. De quibus dicitur : « Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam (*Psal.* CXXVI). »

« Paululum cum pertransissem, inveni quem di- « ligit anima mea. » Id est dum me illorum magisterio tradidi mox lumen veritatis quod quæsivi, inveni. Aliter : Quærentes autem nos vigiles inveniunt qui custodiunt civitatem quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt,ut suo vel verbo vel scripto doceant. Quos cum paululum pertransimus, invenimus quem diligimus, quia Redemptor noster, et si humililate homo inter homines, divinitate tamen super homines fuit. Quia nisi qui fidei passibus et pura mente omnes sanctos transierit, et Christum excellentiorem omnibus sanctis crediderit, invenire nequaquam poterit. « Tenui manum ejus nec di- « mittam, donec introducam illum in domum pa- « tris mei, et in cubiculum genitricis meæ. » Teneo illum firma fide, donec in fine sæculi per officium prædicationis introducam illum in domum et in cubiculum Synagogæ, quæ me genuit in Domino, « et fiet unum ovile et unus pastor (*Joan.* X). » Sequitur :

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas cer- « vosque camporum, ne suscitetis, neque evigi- « lare faciatis dilectam, donec ipsa velit. » Ubicunque igitur in hoc cantico similia verba reperiuntur credentium diversis temporibus, diversorum populorum personæ introducuntur. Hic namque plebis illius persona videtur induci, quæ post Christi ascensionem fatigata desiderio, quærendo quem diligebat anima ejus, Ecclesia videlicet ex gentibus, quæ, paululum munita sibi tranquillitatis pace, in securitatis somno requiesceret cupiebat, et ideo repetit hunc versum sponsus, ne minorem eum Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, quam Judæis habere sollicitudinem putares, sed ut sit de una utriusque una sponsa, et illa dilectissima, quem versiculum jam superius exposuimus. Filiæ Hierusalem animæ sunt electorum, quæ supernæ illius Hierusalem visionem scilicet pacis speculantur. Capreæ vel cervi Patres Novi ac Veteris Testamenti intelliguntur, quorum in altitudine contemplationis pascua sunt.

« Quæ est ista quæ ascendit per desertum ? » Hanc opinor gentem per desertum ascendentem, quam doctor gentium Paulus ab Hierusalem usque ad Illyricum congregatam, et unguentis doctrinæ delibutam, mysteriorumque sacramentorum aromatibus aspersam, usque ad pacifici regis lectulum perducit, de quo in sequentibus legitur. Unde miratur Synagoga quomodo gentium populus nullo circumcisionis mysterio emundatus, nulla prophetarum admonitione eruditus, subito ab intimis voluptatibus per desertum gentilitatis et idololatriæ ad alta virtutum culmina et sponsi amplexus ascendisset. Vere desertus locus erat, ubi nomen Christi non fuerat nominatum. « Sicut virgula fumi, ex « aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris « pigmentarii. » Id est igni amoris succensa, vel cum omni nisu virtutum ad cœlestia tendens. Per myrrham mortificatio carnalium voluptatum, per thus puritas orationum, et in diversis pulveribus pigmentarii omnium virtutum odor. Moraliter vero sancta electorum Ecclesia cum ab hoc mundo in sanctis precibus ardenti amore se erigit, per desertum quod deseruit ascendit. Fumus de incenso nascitur. Et per Psalmistam dicitur : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine (*Ps.* CXL). » Fumus excutere lacrymas, solet. Itaque fumus ex aromatibus est compunctio orationis concepta ex virtutibus amoris. Quæ tamen oratio fumi virgula dicitur, quia dum sola cœlestia postulat, sic recta progreditur ut ad terrena atque temporalia appetenda minime reflectatur. Et notandum quod non virga, sed virgula nuncupatur, quia interdum in compunctionis ardore, tantæ subtilitatis est vis amoris, ut hanc nec ipse animus comprehendere qui illuminatus meruit habere. Bene hoc dicitur myrrhæ et thuris. Thus enim ex lege Domini in sacrificio incenditur. Per myrrham vero corpora mortua condiuntur, ne a vermibus corrumpantur. Myrrhæ ergo et thuris sacrificium offerunt, qui et carnem afficiunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, et redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt, seque ipsos Deo in sanctis virtutibus exhibent. Unde et illic subditur : « Et universi pulveris pigmentarii. » Pulvis pigmentarii virtus bonæ operationis. Et notandum quod virtutes bene operantium non pigmenta, sed pulveres dicuntur. Cum enim quælibet bona agimus, pigmenta offerimus. Cum vero bona ipsa etiam quæ agimus retractamus, et ne quid in his sinistrum sit judicio retractionis attendimus, quasi ex pigmentis pulverem facimus, ut orationem nostram Domino per discretionem et amorem subtilius incendamus.

« En lectulum Salomonis sexaginta ambiunt ex « fortissimis Israel. » Salomon qui interpretatur *pacificus*, Dominum Jesum Christum designat. Lectulus Salomonis quieta est mens sanctorum, in quibus ipse velut in lectulo requiescit. Sexaginta fortes prædicatores sunt sancti, et fortissimi bellatores, qui mundo corde digni sunt Deum videre. Senarius enim numerus propter sex dies quibus Deus mundum fecit et sex mundi ætates perfectus est. Denarius vero numerus ad decalogum legis pertinet. Qui per senarium multiplicatus fuerit sexaginta complent. Sexies deni, sexaginta sunt.

« Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. « uniuscujusque ensis super femur suum propter « timores nocturnos. » Tenent enim gladium spiritus, quod est verbum Dei, qui quod ore docent operibus complent. Ensis autem est custodia vigilans, cordis concupiscentias premens, ne verbum prædicationis immunditia vitæ maculet. Nocturnæ vero timores sunt insidiæ diaboli et tentationes occultæ.Neque enim credendum est Salomonem tantæ

magnitudinis regem, qui sic immensis divitiis affluebat, ut pondus auri ejus æstimari non posset, et argentum in diebus illius pretium non haberet, quod de lignis Libani ferculum sibi fecerit, ut sequitur :

« Ferculum sibi fecit rex Salomon de lignis Li« bani. » Ferculum Salomonis est sancta Ecclesia, quæ credentes ad æternæ beatitudinis epulas levat, quæ de fortibus animo quasi lignis imputribilibus constructa est.

« Columnas ejus fecit argenteas. » Columnæ argenteæ sunt doctores eloquii luce fulgentes : « Rec« linatorium aureum. » Reclinatorium aureum est spes perpetuæ quietis fidelibus promissa, sive fulgor claritatis intimæ, in qua electorum animæ reclinantur in requiem. Est autem columnis argenteis reclinatorium aureum, quia per hoc quod a sanctis prædicatoribus lucere dicitur, mentes audientium fulgorem claritatis in qua reclinentur inveniunt. Per hoc enim quod luculenter et aperte audiunt, in illo quod clarescit in corde requiescunt. Columnæ ergo argenteæ et reclinatorium aureum factum est, quia per lucem sermonis invenitur apud animum claritas quietis. Ille jam quippe fulget qui interius mentem irradiat, ut per intentionem ibi requiescat, ubi prædicationis gratia non quæratur. Sed adhuc quad clarum ostenditur intus, qualis sit ascensus adjungit, cum eodem ferculo protinus subdit : « Ascensum purpureum. » Quid est ascensus purpureus, nisi martyrum sanguis, et passio Redemptoris nostri ? Quia non ascenditur ad epulas vitæ, nisi per myterium passionis Christi. Et bene ascensus purpureus subditur. Vera quippe purpura, quia de sanguine tingitur non immerito in colore sanguinis videtur. Et quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesiæ per martyrii sanguinem pervenit ad regnum. Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo, quia ad clarum quod intus aspicitur per tribulationem sanguinis pervenitur. Quid ergo nos miseri atque ab omni fortitudine destituti, quid acturi sumus ? Ecce in hoc ferculo columnæ esse non possumus, quia in nobis nec fortitudo operis, nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium non habemus, quia necdum sicut oportet per intellectum spiritualem requiem æternæ charitatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro Redemptore nostro fundere sanguinem non valemus. Quid ergo de nobis agendum est ? quæ spes erit, si nullus ad regnum pervenit, nisi qui summis præditus virtutibus fuerit ? Sed adest quoque nostra consolatio: Amemus inquantum possumus Deum, diligamus et proximum, et simul quoque ad Dei ferculum pertinemus : quia sicut scriptum est, media charitate constravit. Habet quippe charitatem, et ibi sine dubio prævenis, ubi et columna argentea erigitur, et ascensus purpureus tenetur : nam quia hoc propter nostram infirmitatem dicitur, aperte monstratur cum illic subditur : « Media charitate constravit propter « filias Hierusalem. » Filias dicunt non filios, id est infirmos : per filios Hierusalem infirmantium mentes significat, quibus inter sanctos prædicatores et martyres, per præcepta charitatis in cœlestia locum constituit, quia et qui in virtutibus infirmantur, si ipsa bona quæ possunt facere cum charitate non negligunt, a Dei ædificatione alieni non sunt. Omnis enim qui charitatem habet Dei et proximi, ad hanc requiem et ad has epulas lætus pervenit : hæc omnia ornamenta Ecclesiæ præstitit Christus ob nimiam charitatem qua dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.

« Egredimini et videte, filiæ Hierusalem, regem « Salomonem. » Ad hanc itaque lætitiam, et ad hujus mysterii contemplanda secreta, non infirmæ, sed perfectæ animæ convocantur, quæ in rege Salomone dominium intelligunt, quibus dicitur: Egredimini mente et actu de turbulenta mundi conversatione, ut regem valeatis videre. « In diademate, « quo coronavit eum mater sua. » Videte Dominum Christum in humanitate, quam de virgine matre susceptam in majestatis paternæ dextera collocavit. « In die desponsationis illius. » est in tempore incarnationis illius, quo ad copulandam sibi Ecclesiam sponsam ex virginali utero processit. « Et in die lætitiæ cordis ejus. » Id est redemptoris humani generis, quæ fuit dies lætitiæ Christo. Aliter : Admonet ut semper ante oculos cordis habeant sanctæ animæ regem Salomonem, hoc est pacificum nostrum, qui est Christus. In diademate, id est in illa spinea corona, qua coronavit eum mater sua. Synagoga scilicet Judæorum, ex qua secundum carnem genitus est in die desponsationis ejus, quo sibi desponsavit Ecclesiam. Quæ major lætitia esse potuit Christo, quam cum per ejus passionem redemptio facta est humani generis ?

CAPUT IV.

« Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es ! » Abrasa scilicet omni vitiorum consuetudine carnis et a multorum deorum turpium cultu, ad unum verum Deum conversæ Ecclesiæ geminam pulchritudinem laudat. Pulchram dixit Ecclesiam, et pulchram repetit, quia hanc et prædicatione et actione vidit esse laudabilem. « Oculi tui columbarum. » Sensus tui, inquit, spiritualium sunt rerum contemplatione excellentes ac verecundi. Seu oculi, sancti doctores decus populi intelliguntur. « Absque eo quod intrinsecus latet. » Magna est quippe gloria aperti operis, sed longe inoptabilior æternæ retributionis, quæ necdum videri potest. « Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte « Galaad. » Possunt in capillis fideles populi accipi, qui maximum decus sua numerositate præbent Ecclesiæ. Galaad *acervus testimonii* interpretatur, qui bene convenit adunatæ multitudini sanctorum. Possunt per capillos specialiter ipsi qui ex circumcisione crediderunt designari ; hi accenderunt de monte Galaad, quia per testimonia sacrarum Scripturarum venerunt ad fidem.

« Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascen-

« derunt de lavacro. » In capillis fragiliores, videntibus vero perfectiores quique sanctarumque Scripturarum expositores, et ad regendam Ecclesiam apti designantur, qui lacte doctrinæ non indigent, solidum cibum mandendo aliis impertiunt. Qui ascenderunt de lavacro, id est fonte sacri baptismatis, qui et tonsi et loti sunt, hoc est, nudati rebus renuntiantes sæculo, et vitæ lavacro mundati. « Omnes gemellis fetibus. » Id est gemina charitate, vel fide et opere fecundi. « Et sterilis non est inter « eas : » non est qui fetus boni operis non agat. A

« Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium « tuum dulce. » Coccum color est sanguinis vitta coccinea (myrrha dicitur) cruorem designat beatorum martyrum. Vel vitta coccinea doctrina veritatis intelligitur. Labia sponsæ, id est Ecclesiæ, cocco assimilantur, quia Dominici sanguinis pretium quo redempta est prædicare non cessat, et in prædicatione ab ardore sanctæ charitatis flammescit, et auditores suos in dilectione Dei ardentes efficit. B « Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque « eo quod intrinsecus latet. » In genis verecundia, in malo punico passio Christi exprimitur. Habet ergo ruborem in genis sponsa mali punici, cum sacramentum Dominicæ crucis verbis fatetur, et factis probat. Aliter : Illi enim faciem Ecclesiæ decora faciunt, qui, comitante verecundia, castitatem servant. Vel certe genæ Ecclesiæ sunt sancti martyres, qui imitantes Christi passionem, roseo sanguinis sui velut fragmen mali punici decore perfusi sunt. C

« Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata « est cum propugnaculis suis. » Turris David sancta Ecclesia est, sive perfectio vel doctrina sanctorum, quæ non a se, sed a Christo est. Collum ipsi sunt prædicatores, quorum et constantia eadem civitas firma est, et undique inexpugnabilis. Propugnacula autem ejusdem civitatis Scripturarum sacrarum munimina sunt, vel patrum procedentium exempla. « Mille clypei pendent ex ea. » Quia quot in divinis libris præcepta sunt, tot sunt nostri pectoris munimina, quibus contra insidias omnes defendimur. « Omnis armatura fortium. » Omnis instructio est, vel operationis, vel doctrinæ cœlestis, per quam non solum evadimus, sed etiam superamus. Dicamus prout D papa Gregorius more suo mirabiliter intonat. In collo etenim guttur in gutture vox est. Quid per collum sanctæ Ecclesiæ, nisi sacra eloquio designantur? In qua mille clypei dependere memorantur : per hunc perfectum numerum numerus universus ostenditur, quia universa nostra munitio in sacro eloquio continetur. Ibi quippe sunt præcepta Dei, ibi exempla justorum. Si enim torpet animus a Conditoris suo desiderio, audiat quod dicitur : « Diliges Dominum Deum tuum (*Exod.* xx), » et reliqua. In odio fortasse labitur proximi, audiat quod dicitur : « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* xxii), » Res alienas concupiscit, audiat quod illic scriptum est : « Non concupisces rem proximi tui (*Exod.* xx). » De injuria quæ a proximi ore vel facto illata est ad iram mens accenditur, audiat quod dicitur : « Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum (*Levit* xix. » In carnis concupiscentia male sauciata mens accenditur, ne sequatur oculus mentem, audiat quod dictum est : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* v.) » Contra inimicum forsitan quisque animum suum relaxare disponit in odio, audiat quod illic scriptum est : « Diligite inimicos vestros (*Ibid.*), » et reliqua. Sed is qui aliena jam non rapit, adhuc forsitan inordinate retinet, audiat quod illic dicitur : « Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam (*Luc.* xii). » Infirmantis animus qui perfrui desiderat Deo simul et sæculo, audiat quod illic scriptum est : « Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* vi). » Alius non ad necessitatem stipendii, sed ad voluntatem desiderii possessa retinet, audiat quod illic dicitur : « Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus (*Luc.* xiv). » In collo Ecclesiæ, id est in sacri eloquii prædicatione, quæ pro sui munitione et altitudine turri David similis dicitur, mille clypei dependent, quia quot illic præcepta sunt, tot etiam pectoris nostri munimina, sicut dictum est : Ad servandam itaque innocentiam etiam læsi a proximo perdurare in humilitate festinamus. Abel ante oculos veniat, qui et occisus dicitur a fratre, et non legitur reluctatus. Sic de cæteris sanctorum exemplis sentiendum. Quia ergo in voce sacri eloquii cujuslibet si quærimus munimina virtutis invenimus. Mille clypei dependent ex ea, omnis armatura fortium. Ecce enim contra aereas potestates, si festinamus fortes existere in hac turri armaturam nostræ mentis invenimus, ut ut inde præcepta Conditoris, inde sumanus exempla præcedentium patrum, per quam contra adversarios nostros inexpugnabiliter armemur. Et notandum quia ædificata cum propugnaculis suis dicitur. Hic quippe agunt propugnacula quod clypei, quia utraque pugnantem muniunt. Sed hoc inter utraque distat, quia clypeos pro nostro munimine ibicunque volumus movemus, propugnaculo autem defendi possumus, sed hoc movere non possumus. Clypeus in manu est : nam propugnaculum non tenetur. Quid ergo inter propugnacula et clypeos distat, nisi quod in sacro eloquio patrum præcedentium et miracula legimus, quæ operari non valemus, et virtutes bonorum operum odimus, quibus operando muniri possumus ?

« Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ ge« melli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies « et inclinentur umbræ. » Duo ubera Ecclesiæ, duo Testamenta. Duo hinnuli, duo populi sunt ex circumcisione venientes et gentilitate, quia inde nutriuntur. Quique per humilitatem parvulos se intelligunt et peccatores, et cum charitate currentes omnia mundi transeunt obstacula. Qui pascuntur in liliis, hoc est candidissimis sanctorum exemplis vel doctrinis. De quibus superius tanquam ex armatura fortium disputatum legimus. Donec aspiret dies æternus, et transeaut

umbræ vitæ præsentis. Et hinc jam superius disputavimus. « Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris. » Per myrrham mortificatio carnis, per thus devotio orationis exprimitur. Quasi diceret sponsus: Frequentabo eos, et pia propitius illustratione glorificabo quos per passiones sive orationes in virtutibus sublimes esse invenio. Aliter : Vox est imperfectorum, qui cum ad montem myrrhæ et collem thuris ascendunt, quando illorum qui per mortificationem carnis et purissimas orationes placuerunt, imitatores esse desiderant.

« Tota pulchra es, amica mea, et macula non « est in te. » Hoc est quod ait Apostolus (*Eph.* v) : « Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam » malæ operationis, « nec rugam » induplicatæ fidei.

« Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, « veni. « Libanus *candor* interpretatur, id est anima bonis actibus candidata, quam tertio hortatur sponsus ut veniat. Primo adveniens in carne per bona opera, secundo absoluta carne ad percipiendam vitam æternam, tertio recepto corpore ad perfruenda post resurrectionem gaudia perfecta. « Coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir « et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus « pardorum. » Leones propter superbiam, pardi propter crudelitatem maligni spiritus, montium vero nomine superba infidelium corda, ubi immundi spiritus sedem habent, designantur. Dum sancti prædicatores tales ad vitam salutis convertunt, coronantur de capite et vertice montium, id est principibus iniquorum : quia de labore certaminis crescit corona gloriæ. Aliter : Libanus, ut dictum est, *candidatio* interpretatur. Nisi enim quis per candorem sacri baptismatis remissionem peccatorum acceperit, ad Christum venire non potest. Sanir interpretantur enim *lucerna* : Amana, *iniquitas*: Hermon vero *consecratio*. Quæ omnia referuntur ad Christum, qui quos post iniquitatem illuminat, consecrat, ipsosque coronat. De cubilibus leonum veniunt, qui de regum principumque hujus sæculi domibus ad fidem currunt. De montibus, inquit, pardorum, qui relicta elatione superbiæ vel diversorum philosophorum traditione, simplices et humiles pergunt ad Christum.

« Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vul- « nerasti cor meum. » In vulneratione cordis magnitudo amoris Christi in Ecclesia intelligitur. « In « uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.» Id est in unitate sancta doctorum, et in uno crine colli tui, id est in unitate pia subjectæ plebis, id est crinium. Item: In illo itaque oculo Ecclesiæ Christo complacuit, quo non temporalia, sed æterna conspexit. Unde Psalmista : « Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ » (*Psal.* xxvi). « Et in uno crine colli, » qui non ornari visibilibus studuit, sed æternis. Quæ Ecclesia, soror Christi pariter et sponsa est. Sponsa scilicet per fidem, soror per dilectionem.

A « Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa, » In mammarum nomine, sancti doctores propter consolationem infirmorum et parvulorum sustentationem exprimuntur. Suavitas gratiæ pulchrior est austeritate legis. « Et odor unguentorum « tuorum super omnia aromata.» Fama suavissima diffusa per orbem totum fidei latior est, quam veteris legis, et patrum in ea quæ in sola Judæa coangustatur. Quid per aromata, nisi Veteris Testamenti dona, quæ odori Ecclesiæ, id est gratiæ Spiritus sancti, seu virtutibus comparantur pulcherrimis. Perseverat semper sponsus vices reddendo Ecclesiæ, sicut cum Ecclesia laudaverat superius. Ideo ait : « Vulnerasti cor meum, soror mea, » et reliqua.

« Favus distillans labia tua, sponsa. » Quid per ceram, nisi litteram ? et per mel, nisi sensus spiritualis ? Mel in cera est spiritualis divinorum eloquiorum sensus in littera. Mel ceram distillat, quia multiplices sensus pene singulæ pariunt sententiæ. Labia sponsæ sunt doctores, qui multifarios sensus sacris litteris inesse pandunt. « Mel et lac sub « lingua tua. » In lacte eruditio parvulorum, in melle fortior doctrina perfectorum signatur. Sub lingua, id est in meditatione cordis. Non est necesse subnectere, quid inde Paulus Apostolus loquatur : « Et odor vestimentorum tuorum sicut odor « thuris.» Vestimenta Ecclesiæ bona sunt ejus opera, quæ odori thuris comparantur : quia cuncta quæ sancta pro Domino agit Ecclesia, orationum C pro ea vicem reddunt. Intelliguntur etenim vestimenta Ecclesiæ ipsius prædicatores puras ad Dominum mundasque mittentes orationes.

« Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus « conclusus, fons signatus. » Superius in præfatione succinctim disputare decrevimus. Hortus conclusus Ecclesia est : conclusus, quia Domini protectione munita, in sancta consistit fide, hortus, quia multifaria spiritualium operum germina gignit, sive propter filios per baptismum spirituales dicitur. Fons est, quia doctrina salutari redundat. Signatus dicitur sermone fidei.

« Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum « cum pomorum fructibus. » Per irrigationem sacri baptismatis, sancta Ecclesia paradisum ex se mit- D tit, quia homines quos per sanctum generat baptismum, ad cœlestem paradisum dirigere cupit. Mala punica sancti dicuntur martyres ; pomorum fructus bonorum operum suavitates intelliguntur. Quia vero non solum imperium, sed adventus instat, festinantius jam hinc sententias libri decerpere disposuimus, quam superius protelare cœpissemus, ne modum libelli excedere videremur, sicut fassi sumus.

« Cyprus cum nardo, nardus cum croco, fistula « et cinnamomum. » Cyprus arbor aromatica est, significans cœlestis gratiæ benedictionem. Nardus Dominicæ passionis typum tenet. Crocus charitatis fervorem exprimit. Conjungitur cyprus nardo, cum divina gratia confortat nos Christo compati. Item nardus cum croco conjungitur, cum per charitatem

Christi mortem libenter suscipimus. Fistula, quæ et cassa dicitur, arbor aromatica est, sed modica, et ideo humiles spiritu designat. Item cinnamomum, qui seipsos decipiunt, signat, et ipsa est arbor brevis, sed odorifera et dulcis. Sic humilitas magnam habet apud eum laudem et dulcedinem. « Cum universis lignis Libani. » Sicut fistula et cinnamomum humiles sanctorum cogitationes, sic et ligna Libani sublimes eorum actiones designant: « quia non potest arbor bona fructus malos facere (*Matth.* VII). » « Myrrha et aloe cum omnibus primis « unguentis. » Myrrha et aloe arbores sunt aromaticæ, quæ mortificationes vitiorum et pœnitentiam carnis exprimunt. Cum omnibus primis unguentis, id est charismatibus virtutum excellentioribus. Et pulchra est conjunctio harum arborum cum unguentis, quia dum carnem a lascivia refrenamus, consequens est ut majora Spiritus dona percipiamus.

« Fons hortorum, puteus aquarum viventium, « quæ fluunt impetu de Libano. » Utrumque est Ecclesia, et fons est hortorum, quia spirituales gignit fructus, et puteus aquarum viventium, propter occulta mysteria, quæ sanctis per revelationem sancti Spiritus solis panduntur. Aquarum viventium, propter eloquia divina, quæ de invisibilibus divinæ gratiæ procedunt thesauris. Quæ impetu fluunt de Libano, id est de ipsa Ecclesia, quæ et candida est per munditiam fidei, et alta per virtutum gloriam. Aliter: Per fontem hortorum Christus intelligitur, irrigans Ecclesiam suam. Puteus aquarum Spiritus intelligitur sanctus, a quo dicuntur diversa dona procedere: quæ viventes vocantur, quia quos replent viventes faciunt. Quæ fluunt de Libano, quia Spiritus sanctus a Filio procedit. Potest per fontem, qui aperte currit, Christus intelligi secundum humanitatem, per puteum qui occultam habet aquam atque profundissimam, idem ipsum secundum divinitatem. De quo impetu aquæ fluunt, ut ipse in Evangelio testatur: « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). »

« Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum « meum, et fluent aromata illius. » Vox est ista sponsi: in aquilone enim adversa mundi, in austro blandimenta designantur, quia gemina expugnatione probatur Ecclesia. Surge, permittentis est vox, non imperantis. In aromatibus, virtutes conscientiæ miro odore dispositæ intelliguntur. Aliter: Per aquilonem, qui fertur esse frigidus et terram congelare, ne fructus pariat, diabolus intelligitur. Cui ab horto, id est ab Ecclesia præcipitur recedere. Per austrum vero, qui ventus est calidus, et terram a frigoribus absolvere dicitur, sanctus intimatur Spiritus. Qui flando, id est suis sanctam illustrando Ecclesiam donis, facit illam in diversis germinare virtutibus. Bene ait: « Surge, Aquilo, et veni, Auster, » et reliqua. Quia nimirum dum sanctam Ecclesiam donorum suorum virtutibus Spiritus veritatis impleverit, ab ea longe lateque odores boni operis spargit.

CAPUT V.

« Veniat dilectus meus in hortum suum, et co« medat fructum pomorum suorum. » Id est veniat Christus in Ecclesiam suam, et eam ipse conservet ubique immaculatam, et fidei fructu fecundet, et libenter inspiciat, gratanterque accipiat opera sanctorum suorum. « Veni in hortum meum, soror mea, « sponsa. » Hæc vox non est imperantis, sed indicantis præteriti temporis. Ac si diceret: Veni, inquit, sæpissime in Ecclesiam meam et venio ut corrigam, adjuvem et confirmem, sicuti poposcisti. « Messui myrrham meam cum aromatibus me« is. » Per myrrham passio vel mortificatio, per aromata omnes virtutes exprimuntur. Metit myrrham cum aromatibus, quoniam martyres cum cæteris electis ad maturitatem præmiorum perducit. « Co« medi favum cum melle meo, et bibi vinum meum cum lacte meo. » In favo et vino prædicatores, in melle et lacte auditores intelliguntur, et utriusque internus judex est qui probat et remunerat. « Co« medite, amici, et bibite, et inebriamini, charis« simi. Ego dormio, et cor meum vigilat. » Vox est Christi ad Ecclesiam. Ac si aperte dicat: Amici faciendo quæ præcipio. Charissimi, integra charitate amplectendo. Obsecro itaque factis sanctorum, quasi epulis præcipuis, præcordia vestra replete. Cui respondit Ecclesia: « Ego dormio et cor meum vigilat, » id est, donante gratia Dei, in pace præsentis vitæ eum colo: et quo tranquillius ab incursibus internis vaco, eo altius video quam bonus est Deus. Moraliter vigilanti corde dormit quis, qui per hoc quod interius contemplando proficit, ab inquieto foris opere quiescit. Sed inter hæc sciendum est, quia quandiu in hac mortali carne vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, ut in ipso jam incircumscripto luminis radio mentis oculos infigat. Neque enim omnipotens Deus jam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illa speculatur anima, unde refota proficiat, et post ad visionis ejus gloriam pertingat. Potest et hæc vox ad apostolos intelligi: « Comedite et bibite. » Ac si diceret: Sit nobis lætitia vel refectio de conversione populorum, in vestram transeuntium unitatem.

« Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror « mea, amica mea, columba mea, immaculata « mea. » Pulsat Dominus, quando quæ bona sunt per sanctam docet doctrinam. Vel ostium cordis nostri pulsat, cum nos ad profectum virtutum excitat. Aperit enim Ecclesia, cum intima cordis sui illi patefacit. Soror vocatur, quia cohæres per sanguinem Christi. Amica, quia est arcanis illius conscia sive per dilectionem, quia servat quæ jubentur. Columba, quia Spiritus sancti dono illustrata. Immaculata, quia sola aspectu Dei digna. « Quia caput meum plenum est rore, et cin« cinni capitis mei guttis noctium. » Caput Christi, Deus. Cincinni sunt fidelium collectiones. In rore et guttis noctium, frigescens charitas in multis ostenditur, quam in Deum et proximos habere debuerunt. Ideo necessario excitat Dominus fideles quosque ad prædica-

tionis studium. Cui provocanti ad laborem docendi respondit Ecclesia :

« Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?» Ac si aperte dicat: Deserui negotia sæcularia tui causa, quomodo repetam illa? « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? » Id est jam secretæ compunctionis fletibus ablui cogitationes terrenas, quomodo mundi sordibus iterum polluar? Quia prædicationis officium sine occupatione sæculari vix potest esse. Aliter : Sacerdotes in Ecclesia, qui in ipsa congregatione fidelium, sacramenta visibilia ministrant, velut quidam cincinni in ornamento describuntur. Sed quia plerumque mortalitatis hujus vicus, vel tenebrarum operibus obfuscantur, velut guttis noctium prægravati, Christo quasi adhærere videntur. Sed quia eumdem Christum non sincere annuntiant, propterea pro talibus ingemiscens subsequitur. « Spoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » hoc est, veniens ad fidem jam veterem hominem secundum pristinam conversationem deposui, et indui novum, et si quid contagii, dum in terrenis ambularem, pedibus meis accessit, Christo lavante, ablutum est, et nunc ministros sacramentorum per quos ordinari debeam, carnalibus infectos vitiis conspicio. Nunquid æquum est rursum per eorum exempla male vivendo inquinari a pristinis me patiar malis?

« Dilectus meus misit manum suam per foramen. » Manum quippe suam dilectus per foramen mittit, cum nos Dominus occulta invisibiliter compunctione ad opus virtutum accendit, atque per arctam et angustam viam ad regna cœlorum transire docet, nobisque in memoriam revocat quomodo et quanta de sinu patris descendens pro nobis esset passus. « Et venter meus intremuit ad tactum ejus. » Hæc recolens intima conscientia sponsa, tota expavescens, pigritiam quietis accusans ad laborem prædicationis festinat. Moraliter : Dilectus manum suam per foramen mittit, quando virtute sua Dominus nostrum animum per subtilem intellectum pulsat. Et venter in tactu illius contremiscit, quia infirmitas nostra per hoc quod cœlestis gaudii intellectu tangitur, ipsa sua exultatione turbatur, et fit in mente pavor in lætitia, quia jam sentit quod de cœlesti gaudio diligat, et adhuc metuit ne non percipiat, quod vix tenuiter sentit. Quid igitur restat, nisi quod sequitur :

« Surrexi ut aperirem dilecto meo : Manus meæ « distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myr- « rha probatissima. » Vox est sponsæ. Surgere est ad Christum corde evigilare. Aperire est verbum Dei prædicare, vel puram confusionem proferre. In manibus opera, in digitis discretio signatur, sive martyres. In myrrha mortificatio carnis, sive passiones. Quæ tunc probatissima est cum solummodo pro charitate Dei et proximi, vel continentia fit, vel passiones fiunt.

« Pessulum ostii mei aperui dilecto meo.» Ecclesia pessulum sponso aperuit: quia templum sui pectoris divina visitatione et inhabitatione dignum facit. « At ille declinaverat atque transierat.» Quia nulli in hac vita plena visio Dei, sicut in futuro conceditur, ideo transire dicitur, quia in futuro se videndum et perfruendum plenius ostendit. « Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.» Perseverat Ecclesia in admiratione sui stuporis. Quanto suavius, inquit, vocem atque propinquitatem dilecti mei accepi, tanto sublimius quidquid in me erat frigidum, charitate incaluit, et quidquid rigidum, liquefuit. « Quæsivi illum et non inveni.» Quia donum compunctionis et dulcedinis intimæ non arbitrio est volenti, sed in miseratione dantis. Ideo non semper habent illud æqualiter, quia non ita se offert Deus in exsilio laborantibus, quomodo in patria regnantibus.

« Invenerunt me custodes qui circumeunt civi- « tatem, percusserunt me et vulnaverunt me, « tulerunt pallium meum mihi custodes muro- « rum. » Custodes civitatis, id est Ecclesiæ sancti doctores sunt, qui sedula prædicatione circumeunt corda singulorum, et spiculis cœlestis amoris vulnerant, et ut magis ardeant inflammescunt, et vetustæ conversationis tegmen eis subtrahunt. Possunt et per custodes civitatis sæculi hujus intelligi potestates, qui rem publicam velut quamdam civitatem regere noscuntur. Hi enim electam Ecclesiam in primordiis Christo credentem comprehendentes, plagis et suppliciis illam devastaverunt, sacerdotesque et ministros illius interimentes, quasi quoddam pallium ornamenti sui tulerunt.

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis « dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore lan- « gueo. » Quæ sunt filiæ Hierusalem, crebro dictum est : merito languet sponsa, cum gladio verbi Dei percussa, actionis terrenæ exuit amictum. Et filias Hierusalem, id est Deo dignas animas adjurat, ut sui amoris magnitudinem ad Deum referant, et ad ejus videndam gloriam supernum sibi poscant auxilium.

« Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcher- « rima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilec- « to, quia sic adjurasti nos ?» Vox sanctorum prædicatorum interrogantium et fidem Ecclesiæ ex ejus responsione inquirentium, id est obsecro te, quia sic adjurasti me, ut amorem quo te languescere dicis mihi ostendas, et qualis sit delectus ex dilecto, id est Filius ex Patre, Deus ex Deo, et ex ea qua possit parte diligi et non timeri, manifestes : quoniam « perfecta charitas foras mittit timorem. »

« Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus « ex millibus. » Dilectus Ecclesiæ, Christus candidus est, quia sine peccato. Aliter : Candidus dicitur, secundum id quod « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.» Rubicundus, quia «Verbum caro factum est et habitavit in nobis.» Vel candidus in virginitate, rubi-

cundus in sanguine passionis. Electus ex millibus, quia solus mediator Dei et hominum.

« Caput ejus aurum optimum. » Caput Christi Deus. Sicut inter metalla nihil melius auro, ita nec in creaturis quidquam comparabitur Creatori, quia solus bonus est et optimus. « Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. » Comæ Christi catervæ sunt sanctorum, quæ Deo fideli famulatu adhærent. Elatæ palmæ, juxta illud Apostoli : « Conversatio nostra in cœlis est (*Phil.* III) : » Nigræ propter despectionem apud homines, vel quia peccatores se esse testantur. Possunt et elatæ ob victoriam : nigræ ob pressuras dici : Laudavit sponsus pulchritudinem sponsæ, idcirco reddit sponsa vices et laudat eum.

« Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum. » Id est sancti doctores per quos Ecclesia videt quæ recta sunt : Qui bene columbæ propter simplicitatem et innocentiam comparantur, et rivulis aquarum propter charismata divina. « Quæ « lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. » Lacte lotas dicit, id est gratia dulcissima mundatas, sive per baptismum purificatas. Fluenta plenissima omnium donorum spiritualium est abundantia. Potest in rivulis veteris legis eruditio, et in fluentis plenissima perfectio evangelicæ doctrinæ designari, quia sancti prædicatores de thesauris suis proferunt nova et vetera (*Matth.* XIII).

« Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a « pigmentariis. » In genis Salvatoris nostri ejus modesta pietas, simul et severitas exprimitur. Areolæ aromatum virtutes et dulcedo et fama gloriæ ejus designatur. Consitæ a pigmentariis, id est prophetis, apostolis, futura incarnationis ejus arcana, et illius facta narrantes. Aliter : Sicut in oculis apostoli, ita in genis illius Ecclesiæ intelliguntur, quæ ab apostolis in primordiis crediderunt, et ex sancta conversatione ad donum virtutum velut areola aromatum ex se perduxerunt, quæ a piis scilicet prædicatoribus consitæ, id est eruditæ sunt, « Labia illius lilia distillantia myrrham primam. » Labia illius verba doctrinæ. Labia, quia claritate cœlestis regni promittunt. Distillantia myrrham primam, quia per contemptum voluptatum præsentium ad hanc perveniendum esse prædicant. Aliter : Labia Christi doctores sunt illius, mente vel etiam carne virgines. Et in hoc passionem et mortem ipsius prædicantes, ut pro illo qui pro nobis mortuus est non recusemus suscipere mortem.

« Manus illius tornatiles aureæ, » etc. Manus opera sunt illius, quia quæ verbis docuit factis implevit. Tornatiles aureæ, quia in se omnem regulam justitiæ tenent, ut ipse dicit : « Sic enim decet nos implere omnem justitiam (*Matth.* III). » Aureæ dicuntur, quia omnia quæ in homine gessit, divinitatis gloria implevit. Plenæ hyacinthis, qui ad spem nos cœlestium atque amorem excitat, quia hyacinthus ætherei coloris gemma est. Possunt etiam in manibus Christi illi deputari, qui ea quæ bona sunt operari non desinunt, qui ad omne opus bonum ob spem regni cœlorum semper persistunt, et prompti sunt ad perficiendum.

« Venter illius eburneus, distinctus sapphiris. » Venter ergo dilecti fragilitatem humanitatis ejus designat. Ebur, decorem castitatis ; sapphirus, sublimitatem virtutum cœlestium. Distinctus sapphiris, quia partim humana fragilitas esurie, tentatione, fatigatione, morte : partim divina celsitudo miraculis, resurrectione et ascensionis gloria intelligitur. Possunt per ventrem hi in corpore Christi intelligi, qui credentes in fide bonum parturiunt opus. Intelligitur venter eburneus, fons sacri baptismatis, vel eburneus, propter perseverantiam castitatis, ex quo omnes credentes in fide nascuntur, et perseverant in castitate fidei et mentis.

« Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. » Crurum vocabulo itinera incarnationis Christi insinuantur, quæ columnis marmoreis propter firmitatem et rectitudinem comparantur. Quæ fundatæ sunt super bases aureas, quia quidquid per eum, vel de eo gestum est, omnia divinæ promissionis consilio ante tempora sæcularia disposita sunt. Aliter : Crura quæ totum corpus bajulant, illi sunt qui donum Ecclesiæ, velut donum columnæ sustinent. Denique et in tabernaculo et in templo columnæ argenteæ fabricatæ sunt, in significatione doctorum, qui fabricam Ecclesiæ sustentant. Fundati super bases aureas, hoc est præcedentium patrum prædicationem, et per libros legis et Evangelii roborati. « Species ejus ut Libani. » Ut Libanus celsitudine et gratia arborum alios montes, sic nimirum Dominus Christus omnes sanctos meritorum celsitudine, et gratia virtutum antecellit. « Electus ut cedrus. » Sicut cedrus alias arbores quæ in Libano nascuntur superat dignitate sua, ita Christus omnes qui in Ecclesia ad vitam nascuntur, sua transcendit gloria.

« Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis. » In gutture interna dulcedo verborum illius memoratur, quam qui sapit non esurit. Possunt et in gutture illi intelligi qui mysteria Christi exponunt, et in lege ipsius quotidie meditantur, qui verbum prædicationis ex ore depromunt. Et totus desiderabilis : O homo, quid amplius quæris ? Totus desiderabilis, quia totus Deus et totus homo est, in quem desiderant angeli prospicere. Deus in majestate Patris, homo in virginitate matris : in illa Creator, in hac Salvator. « Talis est di« lectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ « Hierusalem. » Gratulando exsultans loquitur Ecclesia propter reconciliationem, et cognita mysteria sui sponsi, ac si gratulabunda dicat, et familiarius effecta : Quanto devotius quisque diligit Deum, tanto familiarius habet amicum eum, et talem necesse est, inquit, ut intelligas eum, si vis illum habere amicum tuum.

« Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulie« rum, quo declinavit dilectus tuus ? Et quæremus « eum tecum. » Hæc vox adolescentularum est quæ

loquuntur ad sponsam. Pro decore enim carminis varientur personæ loquentium, sed tamen Christi Ecclesiam, quæ vocabulo sponsæ exprimitur, designat hæc pulcherrima mulierum. Pulchræ sunt singulæ sanctorum ecclesiæ, sed pulcherrima est universitas totius sanctæ Ecclesiæ per totum orbem. Aliter: Recte enim sancta Ecclesia pulcherrima mulierum appellatur, qui virgo et incorrupta est, cui Apostolus loquens, ait: « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI). » Dicuntur itaque mulieres plebes hæreticorum Judæorum, hypocritarumque, sed corrupta fide et opere. Sed sola Ecclesia non solum fonte baptismatis et varietate virtutum pulcherrima est, sed fide et opere, non habens maculam aut rugam. Aiunt enim adolescentulæ: Qua declinavit dilectus tuus? quæremus eum tecum, id est qui aliquando corporali specie in terra versatus est, dic quo declinavit ille, ut illum sequamur tecum.

CAPUT VI.

« Dilectus meus descendit in hortum suum ad « areolam aromatum, » et reliqua. Quasi dixisset: Illic ascendit, unde descendit. In hortum, id est Ecclesiam suam, ut eam fonte gratiæ suæ, quasi areolam aromatum irrigaret, ut virtutum floribus germinaret. Aliter: Dilectus Ecclesiæ, Christus, descendit in hortum suum, quando visitavit priorem populum suum. Areolam aromatis ipsam sanctam Mariam virginem, de qua secundum carnem natus est, dicit: « Ut pascatur in hortis, et lilia colligat. » Id est, ut regnet in gentibus seu in Ecclesiis delectetur, ut ex eis virgines quasque vel sanctos assumat. Aliter: « Ut pascatur in hortis et lilia colligat. » Pascitur in hortis, dum piis sanctorum laboribus delectatur. Lilia colligit, dum ad perfectorum meritorum candorem pervenientes ad cœlestia regna perducit.

« Ego dilecto meo et dilectus meus mihi, qui « pascitur inter lilia. » Hæc loquitur Ecclesia ex fiducia amoris sui. Ego dilecto meo locum habitationis præparo in me, et ipse mihi apud se. Ego regnum illius, et ipse rex meus. Ego corpus ejus, et ipse caput meum: qui semper inter sancta desideria castarum mentium, sive corporum pascitur, id est delectatur. Hactenus sanctæ Ecclesiæ vox est quærentis ac laudantis, nunc quid quæsitus respondeat, subinfertur.

« Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut « Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordi- « nata. » Pulchra es, sancta Ecclesia, per justitiam: amica, quia semper pacifica, quia enim Hierusalem *pacis visio* interpretatur, cujus nomine patria cœlestis exprimitur. Sancta Ecclesia suavis et decora ut Hierusalem dicitur, quia ejus vita et desiderium visioni jam pacis intimæ comparantur, ut in eo quod auctorem suum diligit, quod ejus speciem videre concupiscit, de quo scriptum est (*I Petr.* I): « In quem desiderant angeli prospicere

A per ipsa jam amoris sui desideria angelis similis dicatur. Quæ quanto Deo amabilis efficitur, tanto agit ut malignis spiritibus terribilis fiat. Qualiter autem sit terribilis, subjuncta comparatione ostenditur, id est ut castrorum acies tunc hostibus terribilis est, quando ita fuerit constipata ac densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, ut locus vacuus per quem possit ingredi dimittatur, profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est ut per charitatem semper uniti atque constructi, et nunquam interrupti per discordiam inveniamur: quia qualibet in nobis bona opera fuerint, si charitas desit? Per malum discordiæ,
B locus aperitur in acie, unde ad feriendum nos valeat hostis intrare. Antiquus vero inimicus castitatem in nobis si sine charitate fuerit non timet, quia ipse nec carne premitur, ut in ejus luxuriam dissolvatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non utitur, qui necessitate corporis non urgetur. Distributiones terrenarum rerum non timet, si eisdem opera charitatis desint, quia divitiarum subsidiis nec ipse eget. Valde hoc in nobis charitatem veram, id est amorem humilem quem nobis vicissim impendimus timet. Et nimis concordiæ nostræ invidet, quia hanc nos tenemus in terra quam ipse nolens tenere amisit in cœlo. Bene ergo dicitur terribilis, et reliqua: quia electorum multitudine eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per cha-
C ritatis concordiam unitos contra se et conglobatos aspiciunt.

« Averte oculos tuos a me, qui ipsi me avolare « fecerunt. » Id est oculis mentis tuæ noli quærere in tuæ perregrinationis itinere me perfecte cognoscere, quod fieri non potest, quia quo intentius me agnoscere quæris, ea certius me incomprehensibilem esse intelligis. Et ne quæras in via præmium quod tibi in patria reservatur. Aliter vero sentitur, ac si diceret: Nonne semper in corpore conspiciendum requiras, quem semper per fidem melius cernis? Idcirco etenim in cœlum ascendi, ut semper tibi localis appaream. « Capilli tui sicut greges ca- « prarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. » Qui versiculi prius expositi sunt, sed repetitio firmitatis indicium est. In capillis populi, in dentibus doctores, in gemellis fetibus præcepta charitatis intelliguntur.

« Sicut cortex mali Punici, sic genæ tuæ absque « oculis tuis. » Genæ Ecclesiæ spirituales sunt patres, ut superius diximus, qui virtutibus sunt mirabiles et moribus venerabiles, et in Christi cruce gloriari non erubescentes. Et hæc magna sunt valde quæ videntur in ea, sed multo majora quæ non videntur, et in futurum reservantur. Unde Propheta: « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. (*Psal.* XLIV). »

« Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concu- « binæ, et adolescentularum non est numerus » Reginæ sunt quæ amore sponsi, et cœlestis « præmii intuitu per prædicationem veritatis et fi-

dei, et sacri baptismatis fontem, sobolem æterno A regi spiritualem generant. Senarius numerus ad perfectionem præsentis vitæ pertinet, propter sex dies in quibus licet bona operari. Concubinæ vero simplices in Ecclesia significant, qui suscepto verbi semine, non spiritaliter, sed carnaliter sapiunt, sive qui carnali solummodo quodammodo Christum prædicando vel baptizando docent. Adolescentulæ sunt animæ nuper in Christo renatæ, quarum summa propter multitudinem civium cœlestium numerum transcendit. Possunt itaque in adolescentulis illi intelligi, qui semper quæ sancta sunt audire cupiunt, non tamen audita operibus implere satagunt.

« Una est columba mea, perfecta mea; una est « matri suæ, electa genitricis suæ. » Sancta videlicet B Ecclesia universalis per totum orbem una est matri suæ, id est cœlesti Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum, unde ad nos gratia Spiritus sancti descendit per quam renascimur Deo. Una vero dicitur, quia, expulsis cunctis reprobis, ipsa tantummodo sociabitur Christo. « Viderunt « eam filiæ Sion et beatissimam prædicaverunt re- « ginæ, et concubinæ laudaverunt eam. » Quas prius dixit adolescentulas, nunc filias nominat. Reginæ et concubinæ idem sunt quæ et ante, quæ omnes catholicam laudant Ecclesiam.

« Quæ est ista quæ ascendit quasi aurora con- « surgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis « ut castrorum acies ordinata ? » Vox est ista Synagogæ admirantis pulchritudinem Ecclesiæ ex C gentibus, eo quod sine judiciis legis et instructione prophetarum ad prædicationem Evangelii tam subito tanta perfectione virtutum excreverit, sicut superius admirata jam fuerat. Ait namque : « Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, » etc. Progreditur Ecclesia quasi aurora, quia jam veri luminis in ea sol ortus mundo post tenebras longæ ignorantiæ monstratur, vel quando relinquens post se tenebrarum opera caste et sobrie vivit, et ad perfectum diem tendit : « Pulchra ut luna, » quia a sole justitiæ illustrata, noctem mundi illuminat. « Electa ut sol, » quia imaginem sui Conditoris in omni justitiæ sanctitate et veritate portat. Aliter : « Pulchra ut luna, » per virtutem in præsenti sæculo et decorem. « Electa ut sol, » in fu- D tura beatitudine. Vel « pulchra ut luna, » in conjugatis : « electa ut sol, » in virginibus : terribilis aereis potestatibus, et per potestatem ligandi et solvendi. Ordinata in unitate fidei, spei, et charitatis, et in mysteriorum dispositione.

« Descendi in hortum nucum, ut viderem poma « convallium. » Hortus etenim nucum est Ecclesia præsens, ubi nostras conscientias alterutrum minime videmus, sed fracta per tentationem testa carnis vel corporis, apparebit internæ dulcedinis gustus. Poma convallis, fructus humilitatis : descendit enim sancta Ecclesia per doctores sanctos, ut videat qui proficiant ad fructus bonorum, quive adhuc indigeant doctrinæ irrigatione. Potest et hortus nucum canon Novi ac Veteris Testamenti designari : in quo sub tegmine litteræ velut sub cortice spiritualis latet sensus. « Ut inspicerem si floruissent vineæ, » id est, si plebs fidelis in studio virtutum floruisset. « Et germinassent mala Punica. » Si quid ad exemplum Dominicæ passionis præparati essent suum fundere sanguinem.

« Nescivi : anima mea conturbavit me propter « quadrigas Amminadab. » Vox Synagogæ : Nescivi dona gratiæ spiritualis in te esse sponsa, sed anima mea conturbavit me, propter inductionem Novi Testamenti et Evangelicæ quadrigæ. Amminadab quippe interpretatur *populi mei spontaneus*, id est Christus, qui per totum vehitur orbem. Cui Ecclesia consolando mox respondit :

« Revertere, revertere, Sunamitis ; revertere, re- « vertere, ut intueamur te. » Id est, Noli turbata esse, sed revertere ad cognitionem tui Redemptoris, qui tibi potius in prophetis et lege promissus est. Revertere puritate fidei, revertere operum perfectione. O Sunamittis, id est captiva, jam a vinculo infidelitatis revertere ad tuum Redemptorem, ut salveris !

CAPUT VII.

« Quid videbis in Sunamite, nisi castrorum cho- « ros ? » Hoc est : Tu doles Synagogam obduratam, prope est tempus quod choros bellantium adversus malignos spiritus, et laudantium Deum in ea videbis. Potest et aliter intelligi *nescivi*. Anima mea conturbavit me, propter quadrigas Amminadab. Quid nescivit Christus, nisi peccatum ? Nescivit illos etiam quibus in judicio dicturus est : « Amen, dico vobis, nescio vos (*Matth*. XXV). » Quadrigas Amminadab, evangelistas dicit, Amminadab quippe interpretatur *populi spontaneus*, id est plebs Ecclesiæ fidelis. Sunamitis ista Ecclesiam significat, cujus figuram Sunamitis illa in libro Regum gestavit. Qui ob hoc qui Christi sanguine decoratur, coccinea in Latino sonat cui frequenter a sanctis prædicatoribus dicitur « Revertere : » ut etiamsi per adversa deliquerit, in desperationem non decidat, sed a peccandi consuetudine cum spe indulgentiæ resipiscat. « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, « filia principis ! » Nunc laudes Ecclesiæ ab ipso sponso proferuntur, et primo operum constantia, et mortificatio voluptatum laudantur in ea quam et filiam principis, id est Christi, ob gratiam baptismatis et nobilitatem virtutum nominat. « Juncturæ femorum tuorum « sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis » Duorum concordia populorum speciali prole fecundantium, in junctura femorum designatur, quæ sicut monilia fabricata sunt manu artificis, id est ineffabili largitate Conditoris nostri : in monilibus bona opera exprimuntur.

« Umbilicus tuus sicut crater tornatilis, nunquam « indigens poculis. » Umbilicus tuus fragilitas nostræ infirmitatis. Crater fit tornatilis, cum conscientia mortalitatis nostræ admoniti, calicem salutaris verbi prompta mente propinare satagimus. Item in umbilico intelliguntur qui non extremo, sed in me-

dio Ecclesiæ corpore commorantur. In his ergo A reperiuntur quæ sunt vasa utilia : in eo tornatilis, quia ad obediendum vel ad omne opus bonum semper parati. In eo nunquam indigens poculis, quantum sancti Spiritus gratia ex toto repleti. « Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. » Ili namque qui semper sanctarum Scripturarum alimenta percipiunt, et ea quæ sunt salutaria infra se congerunt, atque aliis doctrinam suam velut triticum erogantes prædicare non desinunt, in ventri similitudinem, deputantur. Acervus tritici vallatus liliis est, cum abundantia boni operis sola perpetuæ lucis spe colligitur. In ventre memoria, in tritico multiplicatio boni operis, in liliis castitas spei exprimitur.

« Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli ca- B « preæ. » De hoc versu dictum est superius, sed repetitio tirmitatis indicium est. Duo ubera doctores sunt utriusque populi. Hinnuli gemelli propter unam concordiam : item duo ubera Ecclesiæ duo sunt Testamenta duobus populis ex traduce peccati venientibus coaptata. Ili enim tanquam hinnuli in Christo renascuntur atque ex his duobus Testamentis lac sapientiæ sugentes.

« Collum tuum sicut turris eburnea. » In collo doctores designantur, qui turri eburneæ propter firmitatem et pulchritudinem comparantur, quia civitati Dei robur præstant et decus. Potest et in collo notitia sacrarum Scripturarum designari, quæ idcirco turris eburnea appellatur, quia qui verbo Dei insistunt, quotidiano profectu per uto- C rem justitiæ in excelsiora proficiunt. « Oculi tui « sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta « filiæ multitudinis. » Oculi Ecclesiæ doctores sunt propter providentiam, sicut collum propter nutrimentum. Et recte piscinæ comparantur, quia fluenta doctrinæ suis auditoribus præbere non cessant. Hesebon *cingulum mœroris* interpretatur, quia sancti pro vana lætitia carnis, cingulo abstinentiæ constringuntur. Et bene in portis filiæ multitudinis, ob abundantiam populorum concurrentium per portam fidei in Ecclesiam. Potest et per portam Christus intelligi. « Nasus tuus sicut turris Libani. » In naso verbi Dei dispensatores, causa discretionis designantur, qui odorem justitiæ qui est in Christo percipientes, suis porrigunt D auditoribus, atque intellectu discretionis inter odorem virtutum et vitiorum fetores ex alto discernunt. Turri assimilantur, qui per sapientiam eminentissimum locum tenent in Ecclesia. Quæ respicit contra Damascum, id est sanguinarios et impios, quia Damascus *sanguinem bibens* interpretatur, significat carnales et crudeles, contra quos sancti doctores in turri Libani, id est firmitate Ecclesiæ semper vigilant.

« Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui « sicut purpura regis vincta canalibus. » In capite mens, in comis cogitationes designantur : et sicut capite menbra, ita mente cogitationes reguntur, ut in Carmelo, id est sublimitate virtutum et passione Christi quæ nomine purpuræ exprimitur, versentur. Canales præcordia sunt sanctorum, in quibus alligantur tales cogitationes. Aliter : Caput Ecclesiæ Christus, quo sublimius nihil est. Coma capitis eminentiores quique sancti, beati scilicet martyres, consimilati purpura, regalibus ornamentis et salutaribus copulati doctrinis.

« Quam puchra es et decora, charissima in deli- « ciis. » Pulchra dicitur Ecclesia, fide et opere. Decora ornamentis virtutum. Charissima per dilectionem. « In deliciis, » id est in spiritualibus virtutibus.

« Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua « botris. » Id est rectitudo bonæ operationis, semper ad victoriam tendit. Uberibus doctores Ecclesiæ, propter lac primæ eruditionis comparantur, et botris æquantur, propter mysteria dulcissimæ æternitatis.

« Dixi : Ascendam in palmam, apprehendam « fructus ejus. » Apte enim victoriosissima crux palmæ comparatur, in quam Christus ascendens apprehendit fructum ejus. Illi enim in palmam ascendunt qui in cruce Christi proficiunt. De quo Apostolus ait : « Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* v). » — « Et erunt ubera tua sicut botri vi- « neæ, » id est dona quæ largitus est sanctæ Ecclesiæ, quæ ex illo tempore botros vineæ germinavit, id est sanctos doctores, qui majore scientia et gratia post crucem et resurrectionem Salvatoris abundabant. Possunt et ubera prædicatores Ecclesiæ qui renascentes in fide nutriunt, intelligi. « Et odor « ris sicut odor malorum. Guttur tuum sicut vi- « num optimum ad potandum. » In gutture vox præsentis doctrinæ, in odore fama absentis designatur. Et ideo vino illa propter flagrantiam virtutum, hæc malis, propter suavitatem absentis famæ, comparantur : « Dignum dilecto meo. » Rapuit enim sponsa verbum ex ore sponsi, quia ille vino optimo eam comparavit, et subjecit. Dignum dilecto meo, id est tanta est sublimitas evangelicæ prædicationis, ut ipse dilectus meus primus per incarnationem apparens, mundo iter cœleste aperuit : possunt in gutture illi intelligi qui per evangelicam prædicationem corda auditorum inebriant : unde Christus potatur, cum ex ea Chistianis, qui membra ipsius sunt, incomparabili dulcedine satiantur. « Labiisque et dentibus illius ad ruminandum, » id est apostolis et prædicatoribus quibus maxime dedit ad meditandum.

« Ego dilecto meo, » et non alteri cui totam curam servitutis et dilectionis impendo. « Et ad me « conversio ejus, » id est, me solam diligit, et adjuvat me, ne deficiam in via. Cui dilecto ex vero Ecclesiæ per Psalmistam dicitur : « Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua (*Psal.* LXII). »

« Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, com- « moremur in villis ; mane surgamus ad vineas, « videamus si floruit vinea, si flores fructus partu- « riunt, si floruerunt mala Punica. » Quia nullatenus Ecclesia, vel ad bonum operandum egrediendo procedere, vel in exercitio bonæ operationis persistendo

commorari, vel saltem ad propositum bene agendi assurgere, vel animos auditorum suorum quantum profecerint discernere sufficit, nisi Dei gratia adjuta qui dixit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Egreditur Christus cum Ecclesia in agrum, quando per sanctos doctores visitat mundum. Commoratur in villis, per fidem scilicet in populis ex gentibus credentibus, circumquaque diffusis. Mane consurgit ad vineas, ut animæ quæ per fidem jam meruerunt colligi, in matutinis Christum resurrexisse cognoscant, nec ultra de sui corporis resurrectione dubitent. Videamus si floruisset vinea, si Ecclesia flores fide et parturiat, si flores fructus parturiunt, id est si sancti fideles quod corde crediderunt ore pronuntiant. Si floruerunt mala Punica, si illi qui in Christo crediderunt in tanta dilectione proficiunt, ut etiam pro ipso occidi delectentur His enim singulis sponsa dilecti sui pœnitentiam quærit. « Ibi tibi dabo « ubera mea, id est parvulorum meorum pædagogos. Quia in his omnibus proficiunt sancti doctores, in hac sancta confessione sociabuntur tibi doctores mei. Et quia parati sunt ut patiantur pro te, regnabunt apud te.

« Mandragoræ dederunt odorem suum in portis « nostris. » Mandragoræ duo sunt genera, masculus et femina. Femina rubea. masculus albus : utrisque una vis ad medicamenta. Mandragoræ dictæ, eo quod habeant mala suaveolentia, in magnitudinem mali, unde et eam Latini malum terræ vocant : hanc poetæ ἀνθρωπόμορφον appellant, quod habeat radicem formam hominis assimilantem ; quæ datur in vino ad bibendum, quorum corpus propter curam secandum est, ut soporati dolorem non sentiant. Mandragoræ propter multimoda medicaminum genera sanctorum virtutibus comparantur, quæ more medicorum ad salutem animarum a vitiorum infirmitatibus sanentur, ostenduntur. Portæ Ecclesiæ doctores sunt sancti, et in hujusmodi portis mandragoræ dant odorem, cum spirituales quique ex se virtutum palmam longe lateque spargunt. « Omnia poma, nova et vetera, « dilecti mi, servavi tibi. » Poma nova et vetera. præcepta sive promissa sunt Novi Testamenti et Veteris, quæ omnia ad ejus gratiam refert Ecclesia, sive Patres Novi Testamenti et Veteris possunt intelligi, quia una eademque Ecclesia est.

CAPUT VIII.

« Quis mihi dat fratrem meum sugentem ubera « mea ? » Vox ista est antiquorum virorum optantium adventum Christi in carne et illum in Synagoga nasci ac nutriri, juxta humanæ conditionis naturam. « Ut inveniam te foris et deosculer. » Intus erat dilectus, dum « in principio erat Verbum, « foris, dum « verbum caro factum est. » « Et deosculer, » facie ad faciem, et ore ad os loquar. De quo osculo in exordio libri satis arbitror dictum. « Et jam me nemo despiciat. » Ante adventum Christi intra angustias Judææ tantum fuit Ecclesia, post ascensionem in toto mundo dilatata fuit, et venerabilis effecta. Prius dictum fuerat, « Notus in Judæa Deus, » nunc autem dicitur : « Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua. » Potest et aliter intelligi. Sugit ubera matris Christus, cum historiis priscæ legis Christianus populus reficitur. Matrem quippe Ecclesiæ, id est corpus Christi Synagoga dicunt, cui in primordio eloquia divina credita sunt, et qui in Veteri Testamento sub figura tegebatur, per Evangelium in novo in veritate reperitur.

« Apprehendam te, » id est prompta ac fideli devotione venientem accipiam. « Et ducam te in « domum matris meæ. » Peracta carnis dispensatione, redeuntem lætis ducam luminibus in domum matris, id est cœlestis Hierusalem, quæ est mater nostra. « Ibi me docebis, » id est facies me potiora sperare dona, quam in lege habuissem. « Et dabo tibi poculum ex vino condito, » id est ferventem amorem variis virtutum pigmentis odoratum vel ornatum. « Et mustum malorum granatorum meorum, » id est gloriosorum martyrum sanctorum triumphum, qui ferventissima charitate per ferrum flammasque ad te transire non dubitant. Aliter : Ducit Ecclesia Christum in domum matris cœlestis Hierusalem, quando cum omnibus bonis quæ per suam gratiam consecuta est, etiam ipsa perduci meretur. Ibique docetur, « ut jam non in ænigmate per specula, sed facie ad faciem videat, » quando optimos et dulcissimos protulerit martyrium fructus, velut mustum malorum granatorum.

« Læva ejus sub capite meo, et dextera illius « amplexabitur me » In læva incarnationis Christi dona ; in dextera, futura sanctorum cum Christo gaudia exprimuntur. Vel in læva præsens vita, quam sancti sub mentis capite ponunt, quia despiciunt. In dextera beatitudo, quam sancti ob nimium desiderium amplexabuntur. De hoc versu superius latius abundeque disputatum est.

« Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis « affluens? » Verum et hinc jam disseruimus, sed quia repetitio versuum, firmitatis, ut sæpe diximus, indicium est, nunc tangamus breviter. Vox Synagogæ vel prophetæ admirantis, quomodo Ecclesia de deserto gentilitatis in sponsi subito amplexus ascendisset : cui per prophetam dicitur : » Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita (*Isa.* LX), » etc. Et in psalmo : Erraverunt in solitudine in inaquoso (*Psalm.* CVI). » Deliciis affluens, id est omnium donorum pulchritudine. Innixa super dilectum meum. » Quia omnia quæ habet, ad gratiam ipsius refert stabilita in eo fide, spe et charitate, quem mihi soli committendam credebant. « Suscitavi te sub arbore malo. » Respondit sponsa pro Synagoga. Ipse sponsus sub arbore crucis a perpetua morte liberavi te, ut apostolos et cæteros electos ex Judæa. « Ibi corrupta est mater tua, ibi « violata est genitrix tua. » Id est, major pars plebis Christum negando et Barrabam eligendo, ad crucem reparobatet.

« Pone me ut signaculum super cor tuum, et si- « cut signaculum super brachium tuum. » Signaculum in brachio vel digito, ob memoriam cuilibet rei ligamus. Per « cor, » cogitatio, et per « brachium, » operatio designatur. Id est : Si me velis habere sponsum, intus sit charitas fide non ficta, et foris operatio devota, et sic respicies fidem meam, ut eam immaculatam custodias. Et quia per crucem meam signaculum accepisti, thesaurum justitiæ quem in te contuli, a nullo fure auferri pertimescas, ut tam cogitatione quam etiam operatione ad illud signum recurras, et sicut ego te intantum dilexi, ut mori voluissem pro te, ita econtrario sancti tui mortem non recusent pro me. « Quia fortis est « ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. » Fortis est usque ad mortem dilectio mea in te, o Synagoga, sed tua æmulatio dura in me fuit sicut infernus : sed verte æmulationem in dilectionem, et eris mihi sponsa, et soror, et amica. « Lampa- « des ejus, lampades ignis, atque flammarum. » Dilectionis lampades corda sunt fidelium, in quibus charitas inhabitat, semper splendida et nitore charitatis munda atque igne Spiritus sancti ardentia, flammarumque bonæ operationis enitentia globo.

« Aquæ multæ non potuerunt extinguere chari- « tatem, nec flumina obruent illam. » Aquas multas et flumina, tentationum dicit incursus, quæ visibiliter seu invisibiliter animas fidelium impugnant, quibus charitas non cedit. « Si dederit ho- « mo omnem substantiam domus suæ pro dilectio- « ne, quasi nihil despicient eam. » Sicut vero totius substantiæ divitias pro dilectionis Christi magnitudine dantes, quasi nihil despiciebant eum, id est mundum. Alio vero modo ex superioribus pendet sententiæ sensus. Cum enim dixisset, « aquæ multæ » vel flumina « non potuerunt exstinguere charitatem, » subjunxit : « Si dederit omnem substantiam domus suæ, » etc., ut illuc intelligatur quod Apostolus ait : « Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest ((*I Cor*. XI). »

« Soror mea parvula est, et ubera non habet. « Quid faciemus sorori nostræ, in die quando al- « loquenda est? » Prima nascentis Ecclesiæ de gentibus tempora designat, quoniam adhuc et parva fuit numero, et minus idonea prædicare verbum, ut Apostolus loquitur : « Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo, lac potum vobis dedi non escam (*I Cor*. III). » Quasi vox sponsi vel apostolorum, de ipsa ad Synagogam dixisset : « Quid « faciemus sorori nostræ, in die quando alloquen- « da est ? » Ac si aperte dicat : Parva quidem est Ecclesia gentium, et nec Dei verbi mysterium sufficit subire. Quid ergo tibi videtur, o Synagoga de sorore nostra faciendum, quando alloquenda est id est per verbi mysterium ducenda in fidem ? Synagoga tacente, ipse sponsus, sive apostoli quid fieri debeat, respondit.

« Si murus est, ædificemus super eam propugna- « cula argentea. » Ac si diceret : Si aliquos habet in se fortes in fide, vel claros ingenio, vel philosophia instructos, addamus illis propugnacula argentea, id est scientiam divinarum scripturarum, ut eo facilius possint protegere infirmos atque indoctos. « Si ostium est, compingamus illud tabulis « cedrinis. » Id est, si sint simplices, tamen docendi studio inhiantes, et velut ostium quod aperitur et clauditur, « tempus tacendi vel loquendi » intelligunt : proponamus illis priorum exempla justorum, quo certius et efficacius docendi officium implere possint. Cedri virtutes sanctorum, et tabulæ latitudinem designant charitatis. Et ut cum Apostolo dicere valeant : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Gal*. VI). » Ad hæc namque ipsa respondit Ecclesia :

« Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo « facta sunt coram te quasi pacem reperiens. » Ego de vivis compacta sum lapidibus et glutino charitatis adunata, et super fundamentum immobile ædificata, et doctores mei fortissimi velut turris, qui et parvulos nutrire sciunt, et omnia maligna expellere ; et accidit mihi ex eo tempore quo Christus me reconciliavit, pacem per eum reperiri.

« Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populus, « tradidit eam custodibus. » De quo Apostolus ait : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum « *Ephes*. II). » Et de quo propheta : « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis (*Isa*. IX). » Vinea, id est catholica Ecclesia, fructu abundans fidei fuit pacifico, id est Christo qui omnia pacificavit in cœlis et in terris, in ea congregatione qua multos populos possidet ex toto orbe, non in Judæa solum, tradidit eam custodibus, sed et prophetis vel apostolis sive evangelicis dogmatibus, vel angelicis dignitatibus. « Vir affert pro fructu ejus mille argenteos. » Id est Christus appendens regnum cœlorum pro sanctis laboribus vel eleemoysnis ejus. Potest et aliter intelligi : « Vir affert pro fructu ejus mille argenteos, » id est pro retributione æterna. Hujus vineæ vir affert mille argenteos, id est pro acquisitione cœlestis regni, qui est fructus violæ, cuncta quæ mundis reliquit. Milenarius numerus pro perfectione accipitur illius, qui omnia reliquit. Unde et argentei pro omni pecunia accipiuntur.

« Vinea mea coram me est. » Vox sponsi, quia post resurrectionem futuram sancti omnes semper cum Domino erunt, sicut ipse ait : « Volo, Pater, ut ubi ego sum et illi sint mecum (*Joan*. I). » Aliter, ac si diceret sponsus : Verum etsi te aliis commendem custodibus, tamen te semper habeo in mea præsentia, videns et remunerans laboris in omnibus devotionem. « Mille tui pacifici. » « Mille tui, » subauditur argentei. Quasi dixisset : Qui amore meo cuncta sua dimittit, in pace habere servata cognoscat, significans simpliciores in Ecclesia qui omnem substantiam millenario signatam numero pro charitate Dei amittunt : « Et ducenti his custodiunt fructus

« ejus. » Id est argentei his qui custodiunt fructus A ejus, qui sunt doctores sancti, qui omnia mundi dimittunt et in verbo prædicationis labore non cessant, hi duplici remuneratione, quæ centenario designatur numero, donantur apud me. Potest et aliter intelligi : Duodecim quippe si per centenarium numerum multiplicantur, mille ducentos efficiunt. Qui numerus utique apostolis vel apostolicis viris congruit. Hic pacifici, id est Christi discipuli, merito appellantur, a quibus sancta regitur Ecclesia:

« Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac « me audire vocem tuam. » In hortis enim Ecclesia habitat, quæ jam viriditate spei et bonorum repleta est operum. Ac si aperte dicat : Quia locutio finienda est, hoc ultimum vale a me auditum semper habita in portis virtutum, et scito quod B amici, id est angelici spiritus, et animæ sanctorum separatæ considerant, et de tuo gaudent profectu. Item amici auscultant, quia omnes electi, ut ad cœlestem patriam reviviscant, verba vitæ audire desiderant : « Fac me audire vocem tuam, » id est verbum prædicationis et vox laudis, quantum vales semper audiatur a me. Ad hæc sponsa respondit :

« Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ, hinnu« loque cervorum, super monte aromatum. » Ac si aperte dicat : Quoniam in carne apparens præcepta ac dona vitæ mihi deferens, nunc his peractis reverte in sinum Patris : O mi dilecte, « assimilare capreæ, hinnuloque cervorum supra montes aromatum, » id est, et hoc mihi sit solatium, quia continua visione nequeo te cernere, saltem crebra visitatione me consolari memento. Christus similis capreæ, propter similitudinem carnis peccati, qui de patriarcharum stirpe velut exterius genitus. Hinnulus propter varietatem virtutum dicitur, qui cum qua carne ad cœlos ascendit, cum ipsa versatus est in terris. Montes aromatum, angeli intelliguntur, super quos exaltatus est homo assumptus, sicut Psalmista ait : « Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ (*Psal.* XLVI). » Hinc verum dicit : « Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Ephes.* IV). » Hinc Lucas ait : « Et Dominus Jesus postquam locutus est eis ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei (*Marc.* XVI). »

Jam enim tandem aliquando Deo favente liber D finem postulat, quem calcetenus ipso adminiculante recta ut credimus indagine, veraque juxta sensum doctorum, nostrique fragilitatem sensus perduximus, et imperialibus decretis atque Augustalibus, o Cæsar Auguste, quanquam pavide parere studuimus. Quem supplex supplicando supplico excellentiæ culminis vestri, ut subtili investigatione lustrare nobilitas vestra non pigeat, et summo studio sanctorum doctorum opuscula pariter vestra solertia perlegere studeat. Si enim Theodosius imperator in imperio natus et educatus tantæ excellentiæ exstitit, ut singularem totius orbi monarchiam obtineret, Prisciani grammatici Romanæ eloquentiæ decoris librum, disertitudine mira disertissimum calcetenus teneris digitulis, propriisque articulis describere curaret, atque ex pretio, distractoque commercio, despectis imperialibus dapibus vivere semper consueverat, et tanto studio viguit, ut jugi meditatione et propria descriptione legem Romanam divinitus describeret, et mores Romanorum distortos, mucrone quodammodo legis normam rectitudinis corrigeret, atque a sua duritia coerceret, adeo ut, aliis expletis, angelica salpix nocturna visione, cœlitus ei intonuit et per oroma somnii gratulando vocem extulit, dicens : Liber, inquit, legis non recedat de ore tuo, meditare in eo die ac nocte, quanto magis, o mitissime princeps, propriis studiis sanctarum Scripturarum auctoritatem jugi meditatione percurrere, et altitudinem divinæ legis velut quodammodo montem appetere, ut doctrina spirituali instructus, et te sagaciter ad altiora virtutum provehere, et alios ad tramitem rectitudinis provocare valeas. Quod profecto plenius penetrare, et quodammodo montem divinæ Scripturæ subire, nisi solerti studio et puritate cordis, et pudicitia corporis nequiveris. Scriptura etenim sacra, ut sæpe præfatus tractator ait, mons est de quo in nostris cordibus Dominus venit. De quo propheta dicit : Deus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso. Iste mons condensus est per sententias, et umbrosus per allegorias. Sed sciendum quia cum vox in monte sonat, vestimenta lavare præcipimur, et ab omni inquinatione carnis mundare, si ad montem festinemus accedere. Scriptum quippe est : « Quia si bestia tetigerit montem, lapidabitur (*Hebr.* XII). » Bestia tangit montem, quando quis luxuriæ aut irrationalibus motibus deditus, Scripturæ sacræ celsitudini appropinquat, et non eam secundum quod debet intelligit, sed irrationabiliter ad suæ voluptatis intelligentiam flectit. Sed iste talis absurdus vel censu piger, si circa hunc montem visus fuerit, atrocissimis sententiis, veluti lapidibus necatur. Ardet enim iste mons, quia sacra Scriptura quem spiritualiter replet, amoris igne succendit. Unde per Moysen dicitur : « In dextera ejus ignea lex (*Deut.* XXXII). » Quia in electorum mentibus, qui ad dexteram judicis statuendi sunt, flagrant præcepta divina, et charitatis ardore succensa sunt, idcirco Augustale decus, et Francorum gloria gentis rationabilibus mentibus et castimoniis corporis stude montem istum subire et fervore charitatis succensus legendo penetrare, ut pro merito intelligentiæ, et aliorum quos corrigere vestra sagax prudentia studuerit, profecto montes aromatum, id est celsitudines angelorum tandem Domino favente adire, atque eorum suffragiis orationum ad dexteram judicis cum sanctis imperatoribus et consulibus collocari merearis, pariterque a Domino audire : « Euge, serve bone, fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV). » Amen.

ANNO DOMINI DCCLV.

LEO PAPA IV.

NOTITIA HISTORICA

(Apud Mansi, amplissima Conciliorum Collectio, tom. XIII, pag. 853).

Leonis virtutes. In monasterio vivit. E monasterio a papa evocatur.

Leo IV (*a*), natione Romanus, ex patre Radoaldo [*Plat.* Radulpho), sedit annos octo, menses tres, dies quinque. Hic adeo catholicus atque apostolicus vir multæ patientiæ multæque humilitatis exstitit, largus, pius, innocens, sive benignus, amator justitiæ et plebis ferventissimus gubernator, divinarum quoque Scripturarum indeficiens perscrutator, vigiliis et orationibus semper intentus. In cujus etiam beatissimo p ctore, juxta illud quod in sancto Evangelio legitur (*Matth.* x), et serpentis astutia, et simplicitas inhabitat columbæ. Erat enim totius sanctitatis decore repletus, amator religiosorum hominum, Deoque in omnibus assidue famulantium, nutritor pauperum, et contemptor sui. Hic primum a parentibus ob studia litterarum in monasterium beati Martini confessoris Christi, quod foris muros hujus civitatis Romanæ juxta ecclesiam beati Petri apostoli situm est, quousque sacras litteras plenius disceret, sponte concessit. Ubi non solum litteras didicit, verum etiam in studio sanctæ conversationis, non quasi puer, sicut tunc erat, sed velut perfectus monachus mansit. Cujus etiam piæ conversationis exemplo alii sub eodem monachico degentes ritu omnipotenti Domino plus devote serviebant. Eratque cum illis quasi unus ex illis. Et quoniam civitas supra montem posita abscondi non potest (*Matth.* v), sic neque hujus rumor sanctissimi viri diu occultus existere potuit. Fama illius, sive sanctitatis opinio, huc illuc luce clarius divulgata est, atque multorum relatione fidelium ad aures pontificalis quondam beatissimi Patris et papæ Gregorii mox festino relatu occurrit, cui cum tantæ fuisset castitatis dignæque conversationis magisterium enarratum, illico eum ex monasterio, quo pie degebat, exire jubens, ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium perduxit, atque ut suo semper servitio familiariter permaneret, in Lateranensi patriarchio esse præcepit.

Fit subdiaconus et postea presbyter.

Subdiaconum quoque eum ob suæ famam vitæ laudabilis fecit. Qui tamen quamvis locum putaret, vel ordinem, tamen vitam moresque suos plusquam prius in summi Creatoris nostri servitio regulariter constrinxit, bonisque multiplicavit operibus. Defuncto autem hujus sacratissimæ sedis papa Gregorio, tunc Sergius, archipresbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, præsul effectus, hunc, de quo superius nonnulla retulimus, Leonem videlicet beatissimum papam presbyterum consecravit, eique titulum sanctorum quatuor Coronatorum largitus est.

In quo dum bonis polleret moribus, ibique indigentibus necessaria ministraret, peregrinos ac pauperes, minusque habentes non solum verbo, imo etiam corporalibus alimoniis refoveret, is qui tunc præerat Sergius Romanæ sedis antistes ex præsenti vita subtractus est, sub cujus etiam tempore ecclesiæ beatissimorum principum Petri et Pauli a Saracenis funditus deprædatæ sunt.

Quia igitur calamitate sive miseria omnis Romanorum vigor elanguit atque contritus est, hoc facto universa concisio Romanorum ex duobus casibus, vel periculis, videlicet de repentina morte pontificis, et devastatione, quæ facta fuerat in ecclesiis sanctis, cunctorumque finibus Romanorum, fatebatur se nullatenus evadere mortis periculum posse. Cumque pari devotione, communique consilio universi Romani proceres de futuro cogitarent pontifice, ut quis esset qui tam sanctum et inviolabilem locum omnipotentis Dei timore regere, vel gubernare potuisset, confestim fama beatissimi præsulis simul et meritum ab omnibus patefacta est, totamque per urbem diffusa: necdum enim is qui obierat pontifex ad sepulturam debitam fuerat deportatus.

Consensu unanimi omnium eligitur in papam.

Et ecce omnes a novissimo usque ad primum una voce, una simulque concordia Leonem venerabilem presbyterum sibi futurum pontificem flagitabant. Et quod nullum super se alium habere vellent præsulem, nisi hunc, de quo crebro dictum est, multis conjurationibus ac vocibus fatebantur. Quorum incunctanter omnium credimus corda ad hunc expetendum non aliud, nisi amor divinus, et divinæ virtutis inflammavit et univit clementia.

Cogitur ad papatum. Mos antiquus osculandi pedem pontifici. Romani non audent sine facultate imperatoris eligere papam.

Tunc omnes, ut superius adnotatum est, pergentes cum gaudio multæque aviditatis lætitia ad ecclesiam, in qua degebat, beatorum quatuor Coronatorum, eum coactum invitumque exinde abstrahentes cum hymnis laudibusque præcipuis et ad Lateranense patriarchium perduxerunt: cujus, mo-

(*a*) *Leo.* Pridie Idus Aprilis, anno Domini 847, in locum Sergii II successit Leo papa, ejus nominis IV, et quidem eodem die quo Sergius obierat. Initio pontificatus ab urbe pestiferum serpentem basiliscum miraculose fugavit, immensumque urbis incendium signo crucis mirabili modo exstinxit, postquam sacris ædibus per Saracenos omni ornatu atque decore spoliatis, iterumque restaurandis, exstruendis et exornandis multos sumptus impendisset. Agens in pontificatu annum secundum, Dei monitu novam construens civitatem, mœnibus illius inclusit basilicam sancti Petri, ne sic, ut antea fuerat, Saracenorum incursibus jugiter pateret. Perfectam et absolutam urbem solemni ritu consecravit, eamque a suo nomine Leoninam appellari permisit.

Carolus Ludovici filius ex Northmannorum nova incursione timore concussus, inops consilii eosdem in regni consortes assumit, (*) a regni parte illis concessa, quæ ab eorum nomine sumpto vocabulo Normandia dicitur (*Annales Pithœi*).

(*). Hæc falsissima, ut alias docebitur.

rem observantes antiquum, omnes osculati sunt pedes. Quanta autem in ejus pontificali electione concordia vel unanimitas fuerit, nullus breviter enarrare hominum potest. Quid autem electionis suæ tempore apostolorum suffragiis suisque sanctis intervenientibus precibus de Saracenis illis, qui tam nefarium scelus commiserunt, divina virtus peregerit, hoc inconveniens aut reprehensibile non est, sive ob futurorum sive timorem, sive memoriam, præsentibus litteris adnotare. Omnes enim cum vellent, iniquitatis ac deprædationis scelere perpetrato, ad Africanam ex qua venerant regionem revertere, vasto maris pelagi vi ventorum procellarumque, sicut certa relatione cognovimus, Deo permittente, demersi sunt. Antiquumque illud Ægyptiorum miraculum ecce noviter apostolorum meruit oratio obtinere. Romani quoque, ut diximus, novi electione pontificis congaudentes, cœperunt iterum non mediocriter contristari, eo quod sine imperiali (a) non audebant auctoritate futurum consecrare pontificem, periculumque Romanæ urbis maxime metuebant, ne iterum, ut olim, aliis ab hostibus fuisset obsessa. Hoc timore et futuro casu perterriti, eum sine permissu principis præsulem consecraverunt, fidem quoque illius sive honorem post Deum per omnia et in omnibus conservantes.

Dona a Leone oblata ecclesiis S. Petri, SS. Coronatorum, S. Andreæ et S. Anastasii.

Jam quia humanus æstimare non sufficit arbiter, nec os referre prævalet, quantæ bonitatis ac pietatis hic beatissimus exstiterit pontifex, redeamus ad ea quæ fretus Dei amore sanctorum ecclesiis obtulit, et a primo pontificatus sui exordio enarremus. Hic vero insignis et præclarus antistes superno amore exardescens obtulit in basilica beati Petri apostoli coronam ex argento purissimo unam, pensantem libras viginti et quatuor. Gabathas interrasiles duas pensantes libras duas. Vela septem, duo quidem de fundato, et alia duo de stauraci, et tria de spanisco. Obtulit vero ibidem ad splendorem et gloriam ipsius vulnerandæ basilicæ cortinam Alexandrinam miræ pulchritudinis unam, habentem historiam pavonum portantium desuper homines, et aliam historiam aquilarum, rotarumque et avium cum arboribus. Ipse vero egregius et prudentissimus papa obtulit in basilica sanctorum quatuor Coronatorum, in qua sacerdotii sui solertissime functus est officium, canistra de argento purissimo tria pensantia libras.

Aquamanile similiter de argento mundissimo par unum canthara cum thymiamaterio, id est pensat. libras.... Vela de fundato, quæ ad nitorem ipsius in arcu videntur ecclesiæ pendere, duodecim. Item vela serica alba triginta et quatuor. Fecit vero in eadem basilica ad splendorem sacri altaris vestem holosericam habentem periclysin de chrysoclavo. Et aliam vestem albam cum rosis habentem rotas septem, et in medio tabulam de chrysoclavo cum effigie hominis gerentis in capite gemmas prasinas quinque. Item vestem albam de chrysoclavo cum rotis sex. Fecit autem in jam dicta basilica ad honorem et gloriam sacri altaris vela habentia cruces et hammadias de chrysoclavo et gemmis ac bullis aureis triginta tres. Velum acupictile habens hominis effigiem sedentis super pavonem unum. Item vela habentia historiam sanctæ Dei genitricis tria. Item vel alia fundata quatuordecim, et alia cum veste de blattin duo.

Ipse quidem eximius et beatissimus papa fecit in basilica sanctæ Dei genitricis, quæ ponitur in vico qui nuncupatur Sardorum, vestem de fundato habentem historiam sanctæ Dei genitricis de chrysoclavo cum prophetis. Ipse vero a Deo amabilis et prudentissimus papa sedilia in ingressu marmoribus patriarchii construxit, quæ nullus pontificum ut perficeret arbitratus est. Nam et solarium quod beatæ memoriæ Leo III papa construxerat, cum præ nimia vestustate fractis trabibus in ruinis cerneretur eversum, noviter pulchrius in meliorem speciem restauravit.

Hic quidem insignis et pius antistes in basilica beati Pauli apostoli superno fretus amore vespertinas publice a cuncto clero et schola constituit die natalis ejus psalli laudes. Hujus beati tempore præsulis terræmotus in urbe Roma per indictionem factus est decimam, ita ut omnia elementa concussa viderentur ab omnibus. Ipse jam sæpefatus et solertissimus pontifex secundum antiquam consuetudinem canonica auctoritate decrevit atque constituit, ut dum sacra missarum solemnia in ecclesia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare, vel sedere, aut ingredi præsumat, nisi tantum sacra plebs, quæ in administratione, sacri officii constituta videtur.

Ipse quidem beatissimus pontifex post cædem et deprædationem sævæ gentis Agarenorum, quam in sanctorum apostolorum ecclesiis peregerunt, ad restaurationem ipsarum quotidie animum prætendebat, quatenus omnia, quæ ab impiis manibus ablata fuerant,, repararet, sperans æternæ futuræ retributionis mercedem. Quamobrem obtulit in basilica

(a) *Non audebant futurum consecrare pontificem.* Jus illud confirmandi electos pontifices, quod imperatoribus per populum Romanum metus causa male promissum, vel ab ipsis Augustis pessime usurpatum fuerat, Leo papa magno animi robore irritum reddidit, ipsisque Augustis consentientibus plane sustulit, ut videre est cap. 31, dist. 63, ubi ex epistola ad Lotharium et Ludovicum citatur canon, qui sic habet: « Inter nos et vos pacti serie statutum est et confirmatum, quod electio et consecratio futuri pontificis, non nisi juste et canonice fieri debeat. » Vice versa pollicitus est illis Leo pontifex servaturum se illibata jura imperialia, simulque ea quæ a suis prædecessoribus Romanis pontificibus constituta fuissent. « De capitulis (inquit dist. 10, cap. 9) vel præceptis imperialibus vestris, nostrorumque pontificum et prædecessorum irrefragabiliter custodiendis et conservandis, quantum valuimus et valemus, Christo propitio et nunc et in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.» Per capitula intelligit regum Francorum capitularia, quæ Benedictus Levita collegit et promulgavit, quæque pontifices diversi confirmarunt. Quæ et qualia jura imperialia servanda pro-mittat hoc loco pontifex, declarat Nicolaus papa in epistola ad Michaelem his verbis: « Ut pontifices pro cultu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur. » Unde, pater hæreticorum et schismaticorum imposturas esse potius quam leges imperiales, quæ ad vindicandum majestati imperiali confirmationem electi pontificis, sub nomine Lotharii ejusve filii Ludovici alibi edictæ reperiuntur. Constat enim dist. 10. cap. 13, quod Leo papa ab utroque flagitavit ut sinerentur Romani suis antiquis legibus uti. Quod autem petitioni ejusdem Lotharius acquieverit, indicat ejusdem rescriptum exstans inter leges Longobardorum libro XI, tit. 57, quodque ibidem libro 3 profiteatur se populis vel ecclesiis nullas alias leges dedisse quam quæ per Carolum avum atque Ludovicum parentem collectæ fuerunt. Et quanquam animo Ludovici ab hinc usque ad tempus Nicolai papæ ista libido dominandi Romæ, ejusque Ecclesiæ clero ac pontifici insederit, tamen divina miseratione tandem ad se reversus, sese iisdem Romanæ Ecclesiæ pontificibus exhibuit obsequentissimum, ita ut plane inde appareat quidquid idem Christianissimus imperator aliquando deliravit, id suasione potius pravorum hominum quam sua sponte fecisse.

beati Petri apostoli butronem de argento purissimo cum gabathis argenteis prudentibus in catenulis septem. Fecit autem ad illuminationem ipsius basilicæ rete æneum cum canistris argenteis decem et septem. Nam et pharum miræ magnitudinis ad splendorem et gloriam sæpius memoratæ ecclesiæ reparavit. In qua etiam obtulit coronam de argento mundissimo pensantem libras...Vela de fundato, quæ in ambitu sacri altaris pulchriora pendent viginti quinque. Item vela leonum habentia historias, quæ ante vestibulum sacræ confessionis cernuntur pendere decem. Et alia vela de fundato, quæ inter ipsius venerandæ basilicæ lævaque coruscant quadraginta et sex. Item vela de fundato, quæ in arcu ad ornatum et decorationem presbyterii pendent triginta et tria. Verum etiam et alia vela de fundato, quæ in diversis ejusdem basilicæ locis ipse almificus papa constituit pendere decem octo. Et alia item vela, quæ ante januas sacræ basilicæ pendent quatuor.

Hic vero insignis et prudentissimus præsul superno fretus amore fecit in basilica sanctorum martyrum quatuor Coronatorum vestem de chrysoclavo habentem historiam resurrectionis Domini Jesu Christi, atque effigies prædictorum martyrum : et ipsius almifici præsulis animus tantum divino fulgebat amore, ut ea quæ pridem ex Petri apostoli ecclesia ab impiis manibus innumerabilia fuerant bona ablata, suo præcipue tempore libente voluerit pectore omnia noviter instaurare.

Idcirco ad decus et honorem ipsius prædictæ ecclesiæ fecit coronas ex argento purissimo miro compositas opere duas pendentes in catenulis argenteis cum gemmis et bullis deauratis, pensantes una libras centum triginta duas, et alia centum et triginta, habentes una clamacterios argenteos subter pendentes triginta et septem. Et aliam simili modo habentem quadraginta. Et quia divino semper erat munere perornatus, dignamque de omnibus curam et sollicitudinem habere studebat feliciter, fecit in oratorio sancti Andreæ apostoli ad sanctum Petrum vela majora de fundato duo, et alia minora quinque, ornata in circuitu de blattin.

Ipse vero a Deo protectus venerabilis et præclarus pontifex fecit in monasterio sancti Anastasii pro æterna animæ suæ redemptione vestem sericam de fundato unam habentem historiam aquilarum.

Similiter et vela de fundato duo compta in circuitu de blattin. Simili modo fecit in monasterio sanctæ Praxedis vestem de fundato unam.

Hic quoque prædictus præsul a die qua divina fretus potentia sacram apostoli Petri sedem omni benignitate conscendit, mox de priscis vel antiquis sacri palatii usibus, atque ordinibus, qui sub prædecessorum suorum pontificum tempora erupti, atque diversa consuetudine fuerant deleti, ideo ad suæ memoriam sanctitatis universos reducere, vel in meliorem statum, quam nuper fuerant, omnia libenti animo ordinare avide conatus est.

Nam et accubitum, quod domnus Leo bonæ memoriæ tertius papa a fundamentis construxerat, et omnia ornamenta quæ ibi paraverat, præ nimia vetustate et oblivione antecessorum pontificum delata sunt. Et in die natalis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem tam domnus Gregorius, quam et domnus Sergius sanctæ recordationis ibidem minime epulabantur. Isdem vero beatissimus et summus præsul Leo quartus cum gaudio et nimia dilectione omnia ornamenta sive alimenta, quæ inde delata fuerant, noviter reparabit, et ad usum pristinum magnifice revocavit.

Crux a Carolo Magno oblata.

Necnon et crucem ex auro purissimo gemmis ornatam, quam Carolus piæ memoriæ imperator Francorum et Romanorum in basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur, temporibus domni Leonis sanctæ recordationis tertii papæ obtulerat, quæ mos erat, ut in litaniis ante sacratissimum pontificem ipsa præcederet, et sic permansit usque ad tempus sanctæ recordationis domni Paschalis papæ, unde diabolica suggestione a malis extorta est, et a latronibus nocte furtim ablata. Et nullus deinceps prædecessorum pontificum, tam domnus Paschalis, quam domnus Eugenius, sive domnus Valentinus, sive domnus Gregorius, necnon et domnus Sergius recordatus fuit, ut eam restauraret, et ad usum sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ repararet. Sed isdem præfatus et magnificus præsul fecit ex auro purissimo, et miræ magnitudinis margaritis et gemmis hyacinthinis et prasinis utiliter ornavit, et ad usum pristinum sanctæ Dei genitricis Romanæ ecclesiæ mirifice decoravit.

Hic vero præcipuus et insignis præsul divinarum Scripturarum in scientia et erudione probatissimus exstitit prædicator, qui fama tantæ beatitudinis atque sanctitatis claruit, ut in conspectu universi istius in Christo fundatæ Ecclesiæ populi miracula operaretur. In primo quidem pontificatus sui anno juxta basilicam beatæ Luciæ martyris, quæ in Orfea [*Plat.* Ortea] sita est, in quibusdam terris abditisque cavernis diri generis, serpens qui basiliscus Græce, Latine regulus dicitur, ortus est, qui flatu suo ac visione omnes qui ad easdem properabant cavernas celeriter necabat mortisque tradebat periculo : ita ut omnes stupor ac timor invaderet, serpentis virtutes mirantes, et cladem.

Leo papa basiliscum fugat.

Ipse vero beatissimus et præclarus pontifex hanc populi necem audiens atque perniciem, ad orationes se convertit, cum jejuniis Dominum deprecari non cessans, ut ab hujusmodi omnes interitu liberaret. Dum hæc agerentur, præclarus et celeberrimus dies advenit, in quo beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ assumptio celebratur. Tunc præfatus et universalis papa a patriarchio cum hymnis et canticis spiritualibus sancta præcedente icona ad basilicam sancti Adriani martyris, sicut mos est, propriis pedibus cum omni clero perrexit. De qua regressus cum omni fidelium cœtu ad basilicam beatæ genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, quæ ad præsepe dicitur, cum Dei laudibus magna comitante caterva populi properabat. Qui cum pervenisset ad locum in quo ipse sævissimus basiliscus tetris, ut jam superius diximus, jacebat cavernis, omnem clerum et populum stare præcepit, atque juxta easdem cavernas properans, super foramen ipsius, ubi pestiferi flatus egrediebatur serpentis, intrepidus stetit, et oculos ad cœlum pariter tetendit et palmas, Christumque qui est super omnia Deus, profusis lacrymis deprecatus est, ut ab eodem loco diri serpentis genus sua potentia effugaret. Et data super populum oratione, Dei laudes ad basilicam, quam superius memoravimus, profectus est exhibere. Ab eodem vero die ipse pestifer basiliscus ita effugatus, atque ab ipsis projectus est antris, ut ultra in illis locis nulla læsionis ejus macula appareret. Et aliud miraculum ipse almificus papa perfecit, quod enarrare breviter inchoemus.

Item oratione et signo crucis incendium exstinguit.

In ipso quod superius memoravimus pontificii sui exordio Saxonum vicum validus ignis invasit, qui flammarum virtute cuncta comburere cœpit validius, ubi populorum multa congregata sunt agmina, quæ hujus incendii flammas volebant exstinguere : sed ventorum flatibus altius extendebatur ignis in aere, cuncta comburens, atque comminuens, ita ut propius beati Petri principis apostolorum basilicæ proveniret, Saxonum, Longobardorum domos, ac porticum concremans atque diripiens.

Quo audito ipse beatissimus pontifex anxius illuc celeri cursu profectus, est et obvius ante ignis im-

petum se præparavit, ac Dominum deprecari cœpit, ut ipsius incendii flammas exstingueret, et crucis propriis faciens signaculum digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit, sed beati virtutem ferre non valens pontificis, exstinctas flammas redegit in cinerem.

Dona ejusdem in ecclesia S. Petri, SS. Coronatorum, etc.

Ipse vero a Deo amabilis et prudentissimus papa fecit in basilica beati Petri apostoli vela de fundato in circuitu compta de blattin numero quadringinta quinque. Fecit autem isdem egregius pontifex in monasterio sancti Martini, quod beati Petri basilicæ cohæret, ad laudem et gloriam ipsius beati Martini oraculi miræ pulchritudinis vestem perfecit, habentem historiam superius memoranti sancti jacentis in lectulo cum effigie Salvatoris Domini nostri Jesu Christi. Simul effigiem sanctæ martyris Agathæ habentis ad pedes effigiem ipsius almi pontificis, habentem gemmas hyacinthinas decem et septem. Item in eodem oratorio fecit vela quatuor, et unum quidem habens rotas de chrysoclavo tres.

Fecit idem in basilica sanctorum quatuor fratrum vestem de fundato unam habentem historiam ipsorum sanctorum martyrum, et effigiem ipsius almi præsulis habentem gemmas duodecim, similiter et vela de fundato quatuor.

Hic vero venerabilis et præclarus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui camstrum interrasile de argento purissimo pensans libras..... Ubi supra obtulit coronas de argento mundissimo pensantes libras.... Hic vero beatissimus et præclarus papa superno fretus amore obtulit beato Petro apostolo ad splendorem et gloriam ipsius sanctissimæ basilicæ lucernam bimyxem de argento purissimo pensantem libras quadringinta quinque.

Isdem beatissimus præsul fecit in ecclesia beati Silvestri confessoris atque pontificis, qui ponitur in monte Soracte, vestem de fundato unam habentem angulos quatuor, duos quidem Tyrios, et duos fundatos. Fecit etiam isdem sanctissimus et beatissimus præsul in ecclesia beati Petri principis apostolorum vela quæ pendent in arcu presbyterii ex auro texta habentia historiam beati Petri apostoli numero decem et octo. Necnon in oratorio beati Leonis confessoris atque pontificis, quod est situm infra prædictam ecclesiam, vestem de fundato unam habentem historiam Aquilarum. Obtulit quoque ubi supra coronam de argento unam pensantem libras.....

Jam etiam fecit ibi vela de fundato ornata ex utraque parte de blattin numero viginti. Obtulit etiam beato Petro apostolico calices de argento, qui sedent super circuitu altaris numero sexdecim pensantes libras..... Verum etiam et calicem pendentilem cum catenulis et delphinis pensantem libras.. . Item sanctissimus et evangelicus præfatus præsul post deprædationem Saracenorum istius ecclesiæ fecit super corpus beati Petri apostoli imagines argenteas, totasque numero tres, et unam quidem in medio habentem effigiem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi cum gemmis in capite per crucem ornatam hyiacinthinis et prasinis. Item aliam quamdam positam ad dextram partem Salvatoris, et habentem vultum beati Petri apostoli, et beatæ Petronillæ. Aliam quamdam positam ad partem lævam depictam vultum habentem beati Andræ apostoli, simul et vultum prædicti summi præsulis pensantem libras centum et quatuor. Fecit ubi supra phara ærea, quæ sedent super vestibulum sacri altaris numero duodecim.

Restituit monasteria. Prædicavit populo. Octavam assumptionis beatæ Virginis celebrari jussit.

Sæpe vero hic beatissimus papa omnia sanctorum quæ destructa fuerant loca reædificare magnopere cupiebat. Nam monasterium Corsarum, quod juxta basilicam beati Sixti martyris atque pontificis situm est, quod quorumdam malorum hominum fuerat operibus desolatum, et ad sæcularem habitationem perductum, pro salute ac futura retributione animæ suæ perfectius restauravit. In quo etiam ancillarum Dei congregationem munivit ad persolvendum Dei omnipotentis quotidie laudes, muneribus auxit, divitiis perornavit, et omnia sacris præceptis, quæ exinde ablata fuerant, restaurans, suis sanctis digitis plenius ea confirmavit. Is sæpius memoratus et beatissimus papa prædicationis suæ alloquio multos ad cognitionem veritatis perduxit, et salutiferas omnibus operationes quotidie demonstravit.

Nam octavam assumptionis beatæ Dei genitricis diem, quæ minime Romæ antea colebatur, vigiliis sacris, matutinisque cum omni clero pernoctans laudibus in basilica ejusdem semper virginis dominæ nostræ, quæ foris muros juxta basilicam beati Laurentii martyris sita est, celebrari præcepit.

In quam etiam magna populi multitudo convenerat, novæ festivitatis cupiens celebrare solemnitatem. Hoc ipse magnanimus cum videret antistes, in omnes qui aderant huic celebritati plures argenteos erogavit. Fecit vero idem beatissimus in ejusdem Dei genitricis semperque virginis Mariæ ecclesia vestem de fundato unam. Necnon fecit ibidem vela numero quadraginta quinque. Et infra in ipsius ecclesiæ oratorium, quod vocitatur beatæ Barbaræ, obtulit vestem de fundato unam.

Dona oblata ecclesiis.

Ipse a Deo præcipuus antistes et in oratorio sanctæ Eugeniæ fecit vestem de fundato unam.

Et hic solertissimus, Deo opitulante, sanctissimusque et in omnibus præclarus atque præcipuus pontifex magno animo et pura voluntate donavit in ecclesia beati protomartyris Stephani, quæ ponitur foris muros juxta ecclesiam beati Laurentii martyris, vestem de fundato unam. Et infra hujus mœnia ecclesiæ in oratorio beati Leonis martyris fecit vestem de fundato unam. Et ipse mitissimus pontifex, atque acutus in omnibus tonis, obtulit in ecclesia beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur infra prædictum monasterium, quod vocatur Corsarum, fecit vestem de fundato unam. Ubi supra obtulit in oratorio sancti Cæsarii vestem de fundato unam.

Fecit isdem benignissimus crucem auream noviter, et ipsa crux, ut mos antiquitus est, subdiaconi manibus ferebatur ante equum prædecessorum pontificum, quam, Deo juvante, in auro et argento ac gemmis melius renovavit. Obtulit vero in ecclesia beatæ Nymphæ martyris quæ esse videtur in civitate Portuensi, vestem de fundato unam. Similiter fecit in ecclesia beatorum martyrum Cosmæ et Damiani, quæ in Silva candida esse videtur, vestem de fundato unam. Necnon ubi supra obtulit vela de fundato tria ornata in circuitu de blattin. Hic vero beatissimus papa sacratissimorum martyrum sepulcra devota mente ardentique assidue pectore visitabat : quod vigiliis sacrisque orationibus cuncto pro orthodoxæ fidei populo exorabat.

Monasterium construit.

Die autem quadam cum ad sepulcrum beati Laurentii martyris pervenisset, et solito more orationem expleret, diligentius inquirere cœpit, ac dicere : Quanti quotidianas hic monachi Deo omnipotenti referunt laudes ? Tunc omnes, qui aderant, beato pontifici protulerunt, quod a quibusdam pontificibus duo monasteria ibidem fuissent constructa, sed pro magna paupertatis inopia in desolationes reducta sunt. Mox autem ipse almificus pontifex superno nutu compunctus monasterium, quod nunc sancti vocatur Stephani et Cassiani, restaurans, muneribus ac divitiis locum plenissime perornavit. In quo etiam sanctæ conversationis plures Græcos genere instituit

monachos, qui Deo omnipotenti, eidemque martyri die noctuque laudes persolverent.

Ipse quidam a Deo protectus et venerabilis præsul intra basilicam beati Petri apostoli oraculum miræ pulchritudinis summique decoris construxit, quod pulchris marmoribus circumdans splendide compsit, absidamque ejus ex musivo, aureo superinducto colore, glorifice decoravit. In quo etiam venerabile corpus beati Leonis confessoris atque pontificis recondens, sacrum desuper construxit altare, et ciborium cum cruce exaurata, ad laudem et gloriam Christi nominis, hoc fretus amore perfecit ut sibi dignum in æthere conquireret locum.

Dona ecclesiis oblata.

Patratis itaque omnibus atque perfectis operibus, quorum jam sigillatim superius nomina scripta vel memorata sunt, confestim isdem pastor et pater egregius (quamvis universarum prolicuam ecclesiarum Dei curam dignamque sollicitudinem gereret, et ad omne opus bonum præ omnibus intentus existeret), ex intimo cordis sui longa trahens suspiria, cum quotidie beatissimi apostolorum principis Petri sacratissimum altare cerneret violatum et ad tantam inhonestatem a Saracenis perfidis Deoque contrariis et vilitatem perductum, etiam et (quod dolentes mœrentesque dicimus) ipse undique Chistianum populum ad jam fati principis sacratissima, orationis causa vel gratia, limina destinari cerneret, et ob hoc vota sua, ut olim perticere non pleniter satagebat. Ideo omnipotentis Domini fretus auxilio, atque consilio et virtute munitus, aureis simulque argenteis tabulis non tantum confessionem sacram, verum etiam frontem sæpedicti altaris satis decenter et honorifice perornavit, ut præsens per omnia opus ibidem dedicatum luce clarius manifestat. Quamobrem venerandi altaris frontem præcipuam tabulis ex auro optimo noviter exornavit, et eam gemmis quamplurimis valde optimis ac pretiosis totam circumdedit, et in meliorem ut prius statum decoremque perduxit. In quibus scilicet aureis, ut dictum est, tabulis non solum Redemptoris nostri forma depicta præfulget, verum et ejus resurrectio veneranda, atque judicium sacræ ac salutiferæ crucis.

Petri quoque Paulique pariter vultus atque Andreæ in prænominatis tabulis similiter splendent, atque coruscant : inter quos sanctissimi quarti Leonis præsulis, necnon et specialis filii sui domini imperatoris Lotharii, propter futuram memoriam, sive mercedem, personæ Deo caræ per cuncta sæcula venerandæ, depictæ sunt. Fecit denique tabulam de smalto, opus ducentas sexdecim auri obryzi pensans libras. Confessionem vero crebro dicti altaris tabulis ex argento paratis purissimo, simili modo tota animi devotione ad antiquum decus et statum perduxit. In quibus Salvatorem in throno sedentem conspicimus, pretiosas in capite gemmas habentem et a dextris illius cherubim, a læva quoque ejus vultus apostolorum cæterorumque depictos. Imo et rugas fecit sacræ confessionis ex argento constructas, vultus habentes beatissimi Petri et Pauli, pensantes libras ducentas et octo.

Ipse vero a Deo amabilis et prudentissimus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli vela ex auro texta pendentia in arcubus compte in circuitu de blattin numero undecim. Necnon in oratorio sancti Leonis pontificis intra ecclesiam beati Petri apostoli fecit vestem sericam albam sigillatam cum gammadiis et periclysi de blattin unam, et vela similiter alba majora duo, minora octo. Et in monasterio sancti Cæsarii, quod ponitur in palatio, fecit vestem de fundato unam, et vela octo.

Ipse vero a Deo protectus et venerabilis pontifex propter retributionem et mercedem animæ suæ fecit in cœmeterio beatæ Agathæ martyris, quod po- A nitur foris portam beati Pancratii martyris vestem de fundato unam, et vela octo.

Quisnam dicere valeat, vel narrare sufficere possit, quanta ipse a Deo protectus et solertissimus papa sanctis locis devota obtulit mente dona? Nam in oratorio, quod Pauli dicitur papæ, miræ pulchritudinis obtulit vestem Aquilarum habentem historiam cum cruce de chrysoclavo et gammadiis unam. Fecit autem in oratorio sanctorum Processi et Martiniani splendoris non modici vestem cum rotis et hominibus, et historiam cum cruce, similiter de chrysoclavo et gammadiis unam.

Aliam vero vestem fulgidæ visionis in basilica S. Petronillæ perfecit, habentem rotam aquilamque cum cruce de chrysoclavo et gammadiis unam.

Obtulit vero in oratorio sanctæ Dei genitricis semper virginis dominæ nostræ Mariæ, quod in Mediana consistit, vestem similiter cum rotis aquilisque et cruce de chrysoclavo cum gammadiis unam.
B Fecit quidem in oratorio sancti Adriani vestem cum rotis hominumque effigiebus cum cruce similiter de chrysoclavo et gammadiis unam. Ipse vero sæpius memoratus et beatissimus papa obtulit in basilica sancti Sebastiani martyris, quæ in Frascata consistit, vestem presiosissimæ claritatis cum cruce de chrysoclavo et gammadiis unam.

Muros Urbis reparat.

Qui summus et præcipuus præsul fecit in basilica beati Petri apostoli cortinam holosericam cum historiis multis claritatis immensæ ad decorem et gloriam ipsius sacratissimæ basilicæ unam. Cum vero hæc, et quæ scripta sunt, Leo vir beatissimus quartusque præsul Domino solatiante amoris ac desiderii gratia per diversa piorum loca sanctorum perfectius contulisset, tunc de Romanæ urbis statu ac restauratione murorum, qui longo jam senio atque vetustate nimia fracti dirutique funditus vi-
C debantur, cœpit cum Jesu Christi Domini tractare consultu, ne, si diu sub hac negligentia sive oblivione consisterent, aut Domino permittente, facilius ab hostibus aut capi, aut forsan expugnari potuissent. Ideo, ne hoc in futurum malum fieret, omnes prænominatæ muros civitatis Romanæ, duodecima instante indictione, renovare, atque ad priorem cultum decusque reduci, tota mentis alacritate curavit. Et non solum muros quos diximus celeri fieri agilitate præcepit, sed et portas, quibus omnes sæpe clauditur civitas, novo cultu lignisque prævalidis ob inimicorum metum sive terrorem reædificari festinantius jussit. Quæ denique omnia, ut cito fierent, et ad effectum decoremque essent perducta, præfatus vir apostolicus indesinenter non solum equo residens, verum etiam suis pedibus propriis per muros vel portas cum suis fidelibus discurrebat, quatenus in restauratione eorum mora nulla aut dilatio fuisset exorta. Quapropter,
D ut ante jam dictum est, inter curas maximam de Romana urbe curam ac sollicitudinem venerandus pontifex gerens undique ad meliorem novumque cultum cuncta noviter deduxit, quindecim ab ipso solo turres, quas funditus dirutas per circuitum urbis reperit, novis fabricis restaurari præcepit.

Quarum denique duas juxta Portuensem portam ita prudenter ac sapienter venerabilis præsul ad ipsam oram Tiberis, id est juxta littus fluminis ædificari disposuit, ut nullus prius hominum vel cogitare vel considerare valebat. Et quia per hunc locum non solum naves, verum etiam homines ante facile ingrediebantur, nunc autem vix unquam per eum parvæ naviculæ introire valebant, et hoc propter futurum hostium Saracenorum periculum et salutem Romanæ urbis factum est.

Ipsas igitur turres non solum lapidibus, sed etiam ferreis muniri curavit catenis, quatenus, nisi necessitas fuerit, per eumdem locum nulla valeat navis transire. Quod noviter opus constructum, et Ro

manæ urbis defensionem præstat, et videntibus non modicum, sed grande miraculum, quia cum magna sapientia, subtili prudentia et honestate patratum est.

Corpora sanctorum Urbi intulit. Ecclesiam exstruxit. Dona ecclesiis collata.

Ipso quoque a Deo protectus et beatissimus papa multa corpora sanctorum, quæ diu occulta jacuerant, summo studio summoque cordis affectu ad honorem omnipotentis Dei infra hujus almæ Urbis mœnia mirifice congregavit. Nam et corpora sanctorum quatuor Coronatorum solerti cura inquirens reperit. Pro quorum desiderabili amore basilicam, quæ sanctorum fuerat nomini consecrata, quam ipse, dum ad pontificii deductus est apicem, prudentissimo moderamine rexit, quæ per olitana curricula temporum quassata vetustatis defectu, et pene ruinis confracta diuturna antiquitate videbatur et convulsa, supernæ virtutis annuente clementia in splendidiorem pulchrioremque statum a fundamentis construxit, et ad laudem omnipotentis Dei eorum sacratissima corpora cum Claudio, Nicostrato, Symphoriano, atque Castorico et Simplicio, necnon Severo, Severiano, Carpophoro et Victorino, quatuor fratribus. Item Marius, Audifax et Abacum, cum suis familiis [famulis] numero decem et octo. Aquilino, Aquila et Prisca, Narcisio et Marcellino, Felice, Symmetrioque, Candido atque Paulino, Anastasio et Felice, Diogene, et Liberali, Festo et Marcello, atque Exuperanti, Pudentiana et Benedicto, Felice et Venantio, necnon capite sancti Prothi, sanctæque Cæciliæ, sancti Alexandri, sanctique Sixti, et sancti Sebastiani, atque sacratissimæ virginis Praxedis pariter sub sacro altari recondens collocavit, et alia multa, quorum nomina Deo sunt cognita. Super quod etiam ad gloriam Creatoris miro opere miræque pulchritudinis fecit ciborium ex argento purissimo, aureo superinducto colore, cum gemmis prasinis et hyacinthinis pensans libras trecentas tredecim et semis.

Insuper obtulit in eadem Ecclesia vela rubea, quæ pendent in circuitu altaris numero quatuor.

Idem quoque sanctissimus præsul fecit in oratorio prædictæ beatæ Barbaræ, quod constructum est intra ecclesiam sanctorum quatuor Coronatorum coronam de argento pensantem libras duodecim. Necnon in eodem oratorio obtulit gabathas de argento decem pensantes libras... Verum etiam in suprascripto oratorio fecit vestes de fundato tres habentes in medio cruces cum gammadiis et vela duodecim.

Prædictus etiam venerabilis pontifex fecit in basilica beati Stephani pontificis, via Latina, milliario tertio, vestem de fundato unam cum cruce in medio, vela sex. Ubi obtulit patenam et calicem sanctum modicum de argento pensantia libram unam et semis. Obtulit etiam beatissimus præsul in ecclesia beati principis apostolorum thuribulum de argento exaurato, apostolatus legens nomen domini Leonis quarti papæ, pensans libras quatuor.

Ubi etiam in oratio beati Gregorii confessoris atque pontificis fecit vestem de fundato cum gammadiis et crucem ex argento texto unam. Similiter ibi ipse in oratorio beati Pastoris martyris vestem pari modo fecit unam. Necnon et in oratorio beatæ Dei genitricis, quæ ponitur ad ambonem, eodem modo fecit vestem unam, et in oratorio sanctæ superexaltatæ crucis fecit vestem simili modo unam. Necnon et in oratorio, quod ponitur ad fontem, fecit similiter vestem unam et vela de quadruplo.

Ipse vero venerabilis et præclarus pontifex fecit in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum super altare majore vestem de fundato cum cruce in medio, et gammadias, et in gyro listam de fundato unam. Ubi supra in oratorio sanctæ Barbaræ similiter fecit vestem de fundato unam. Et in oratorio

A sancti Sixti eodem fecit vestem unam. Et in oratorio sancti Nicolai similiter fecit vestem cum aquila una. Necnon et in ecclesia eadem fecit cortinam lineam cum cruce in medio, et in gyro listam de fundato miræ magnitudinis. Piis moribus, his sacrisque perornatus operibus, papa obtulit in sæpius memorata, quam fretus amore fundaverat, aula, patenam ex argento purissimo aureo superinductam colore, cum crucis trophæo, salvatorisque effigie, sanctæque Dei genitricis et sanctorum apostolorum pulchro schemate decoratam pensantem libras septem. Similiter calicem sanctum auroque perfusum evangelistarum habentem iconam et crucem, pensantia libras quatuor.

Necnon ex argento purissimo cantharum exauratum, in quo signaculum in circuitu depressum cernitur crucis, cum prophetarum effigiebus, beatissimique Stephani primi martyris icona. Verum tamen et thuribulum ex argento mundissimo apos-

B tolicum unum.

Gabathas ad nitorem ipsius venerandæ basilicæ exauratas quatuor pensantes pondus duarum et semis librarum.

His omnibus ita gestis confessionem cum sacro altari argenteis tabulis pensantibus libras nonaginta et tres decoravit sanctorumque effigiebus pernavit.

Super quod etiam obtulit regnum de argento purissimo cum pretiosissimis gemmis, habens in medio crucem, quod usque nunc super eodem pendere altari conspicitur. Ubi etiam obtulit vela de fundato quadraginta et tria.

Dona monasteriis collata.

Ipse vero sæpius memoratus et præclarus antistes superno inflammatus amore, obtulit in monasterio sancti Silvestri, sanctique Benedicti et sanctæ Scholasticæ, quod nuncupatur Sub lacu, vestes

C de fundato tres, et vela similiter de fundato septem. Fecit etiam beatissimus præses post deprædationem Saracenorum in ecclesia beati Petri apostoli crucifixum miræ magnitudinis constructum cum gemmis hyacinthinis de argento purissimo, exauratum, pensantem libras septuaginta, et alias gemmas albas septem, majorem unam.

Ea item, quæ inter cætera per sanctissimi præsulis assiduas preces ac lacrymas a Domino exaudita duodecima insistente indictione mirabiliter acta vel gesta sunt, non inutiliter agemus, si ob æternam memoriam huic operi clarius inserere studeamus, ut quantæ sanctitatis in hac ærumnosa vita vir iste exstiterit, presentes ac futuri facilius cognoscant.

Saracenorum impugnatio.

Denique post nefandam, et lugubrem, omnique plenam miseria Saracenorum deprædationem, quam in primo ecclesiarum omnium capite, sancta scilicet Romana Ecclesia, hortatu diabolico peregerunt, voluerunt iterum ipsi Satanæ filii similia in Romanos fines et Ecclesiam beatissimi apostoli Petri, ut olim, damna inferre et deinde victores ad loca, quibus egressi fuerunt, remeare: sed cura ac studio summi præfulgente atque vigilante pastoris hæc minime perficere potuerunt. Tamen ut fideles in Domino amplius fideliores jure existant et illius signa, ac veneranda miracula ex veteribus noviter emanasse non dubitent, a principio recensendam est quid de eis divina eodem tempore misericordia mirabiliter egit quantisque miseriis atque calamitatibus gens illa pestifera merito protrita dilapsa est. Quamobrem pristinum reminiscentes lucrum, vel prædam quam fecerant, multiplicata iterum perversorum hominum manu, multisque cum navibus ad urbem expugnandam Romanam duodecima indictione vigente venire crudeliter decreverunt.

Multisque etiam diebus in loco qui Tozarum dicitur juxta insulam Sardiniam demorati sunt. A qua digressi ad Romanum portum, Deo illos non adjuvante venire conati sunt.

Conspirant Neapolitani et alii contra Saracenos.

Quorum iniquus ac nefandus adventus Romanos non mediocriter terruit. Sed quia Ecclesiam suam Deus omnipotens semper inviolatam custodivit, et deinceps custodire non desinit, excitavit tunc inter cæteros omnium Neapolitanorum, Amalphitanorum, Cajetanorumque corda, ut una cum Romanis contra eos insurgere ac dimicare fortiter debuissent. Mox etenim a locis propriis egressi ante Saracenos inutiles, ipse cum suis navibus conjunxerunt [*id est* pervenerunt] suumque repentinum adventum beatissimo Leoni quarto pontifici notum fecerunt : et quod se ob nullam rem venisse aliam sunt professi, nisi ut de paganis, Domino auxiliante, victores existerent. Tunc demum venerabilis papa aliquantos ex eis prius ad se Romam venire præcepit, volens specialiter scire ab eis si eorum pacificus esset adventus vel non, sicuti et factum est.

Ostiæ papa cantat missam.

Inter quos tunc filius Sergii magistri militum, qui erat ordinatus super exercitum nomine Cæsarius, advenit : quos benigne in palatio Lateranensi suscipiens, causam pro qua venerunt inquisivit. Illi autem ob aliud non venisse testati sunt, nisi ob hoc quod superius legitur exaratum. Quorum pius apostolicus credulus verbis cum magno armatorum procinctu, mox ad civitatem Ostiam properavit, omnesque Neapolitanos grandi atque eximia devotione suscepit. Qui ut summum præsulem conspexerunt, pedes ejus humo prostrati venerabiliter sunt osculati, gratiasque omnipotenti altithrono retulerunt, qui ad se confortandos talem dirigere decrevit antistitem. Qui ut meliores de Belial filiis victores existerent, summopere deprecati sunt, ut de suis sacris manibus corpus Dominicum percipere meruissent. Quibus ore suo missam in Ecclesia beatæ Aureæ decantavit, atque universi ex illius, ut dictum est, manibus communionem sumpserunt. Et antequam hæc fierent, usque ad præfatam ecclesiam cum hymnis ac litaniis canticisque præcipuis, simul cum ipsis Neapolitanis, Christo auxiliante, profectus est. In qua etiam flexis genibus Altissimum deprecatus est, quatenus orationibus suis ipse Christianorum hostes in manus resistentium tradere dignaretur.

Oratio contra Saracenos composita.

Super quos etiam multis cum lacrymis hanc orationem obtulit, dicens : *Deus, cujus dextra beatum Petrum apostolum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, et coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, et concede, ut amborum meritis horum fidelium vestrorum brachia contra inimicos sanctæ Ecclesiæ tuæ dimicantia omnipotenti dextera tua corroborentur, et convalescant, ut de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. Per Dominum nostrum*, etc.

Vento classes Saracenorum disperguntur. Saraceni misere disperguntur et pereunt.

Die vero altera postquam a jam dicta civitate venerabilis reversus est præsul, ipsi scelerum socii, sive participes, juxta littus maris Ostiensis multis cum navibus apparuerunt. Contra quos Neapolitani impetum facientes dimicare fortiter voluerunt, etiam aliquantos vulneraverunt ex illis, et deinde triumphum accepissent, si unum non citius impedimentum accidisset : nam dum adinvicem attentius dimicarent, subito tam validus ac supereminens excitatus est ventus, qualem quis his temporibus meminisse non valeat, qui utrasque naves confestim divisit. Tum Saracenorum naves primo veniebant usque ad oram maris, deinde vento flante marique elevato procellis dispergebantur, et iterum post aliquantulum confractis viribus revertebantur. Deus enim omnipotens, ut pro certo credimus, hunc

A ex thesauro suo produxerat ventum, qui eos ad nocendum foras minime permisit exire. Super his novis mysticisque miraculis, quæ nobis licet non meritis divinitas ostendere ac demonstrare nostris dignata est temporibus, semper glorificanda et collaudanda est veri Dei nostri clementia, qui eos ad locum quem desiderabant tantum permisit aspicere, et tamen, ne capere possent, virtutis suæ potentia longius expulit, multosque postea non tantum per intercessiones et merita beatissimorum Petri ac Pauli principum non tantum maris profunditas, verum etiam fames et gladius indesinenter exstinxit.

Saraceni quidam in ruinis relicti.

Ex quibus per quasdam insulas nostras fame laborantes plurimi a nostris hominibus interfecti sunt. Cæteros autem causa veritatis ac testimonii vivos comprehendentes Romam duxerunt. Quorum Romani proceres, ne multiplicatus numerus videretur,
B multos prope portum nostrum Romanum in ligno suspendi jusserunt. Aliquantos etiam nos ferro constrictos vivere jussimus, pro hac solummodo causa, ut spem nostram, quam in Deo habemus, et illius ineffabilem pietatem, necnon et propriam tyrannidem luce clarius scire valuissent. Et post hæc, ne otiose, aut sine augustia apud nos viverent aliquando ad murum, quem circa ecclesiam beatissimi apostoli Petri habebamus inceptum, aliquando per diversa artificum opera, quidquid necessarium videbatur, per eos onera jubebamus deferri.

Dona ecclesiis oblata.

Pro his igitur beneficiis, ut jam enarratum est, beatus pontifex obtulit in basilica beati Petri principis apostolorum post deprædationem gentis Agarenorum, arcus de argento mundissimo numero tredecim. Ex quibus duos posuit a parte dextra atque sinistra in presbyterio miræ magnitudinis pensantes libras...

C Isdem quoque beatissimus præsul fecit in ecclesia beati Petri principis apostolorum vestem unam auro textam habentem historiam, qualiter beatus Petrus prædicavit ad sanctam Romanam ecclesiam, cum gemmis albis, id est margaritis septem, et cum gemmis prasinis undecim, necnon et gemmis hyacinthinis viginti et septem.

Fecit et in ecclesia beati Andreæ apostoli ciborium super altare ex marmore, necnon et calicem de argento cum coronis pendentibus in eodem ciborio numero duodecim pensant. libras... Fecit etiam ibi ipsum campanile, et posuit campanam cum malleo æreo, et cruce, exaurato. Necnon et in Ecclesia beati Petri apostoli obtulit thuribulum ex auro purissimo ex diversis gemmis ornatum. Et in ecclesia beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur ad sanctum Laurentium foris murum, fecit vestem unam, habentem historiam resurrectionis Domini nostri
D Jesu Christi, et imaginem almifici prædicti præsulis.

Fecit etiam in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum canistra de argento undecim, pensantia libras viginti quatuor. Obtulit et in ecclesia beati Petri apostoli crucem ex auro purissimo ex diversis gemmis hyacinthinis, albis et smaragdis miræ magnitudinis ornatum, quæ stat parte dextra juxta altare majus. In qua etiam noviter renovavit virgam, et deargentavit eam, in qua prædicta crux continetur, pensantem libras argenti undecim et semis, legente de nomine domini Leonis quarti Papæ.

Obtulit et in ecclesia beati Stephani protomartyris vestem ex auro texto cum gemmis hyacinthinis quatuor. Isdem prædictus almificus et summus præsul nimio amore ductus, et bonis moribus affectus, fecit in Ecclesia beati Christi martyris Laurentii sita foris murum civitatis Romanæ vestem de serico mundo cum aquilis, habentem tabulas auro textas tres, ex utraque parte habentes martyrium prædicti martyris depictum, et imaginem prædicti præsulis.

Necnon fecit in ecclesia sanctorum martyrum quatuor Coronatorum imagines de argento exauratas tres, unam quidem habentem vultum Salvatoris, et alias duas habentes vultus sanctorum Claudii et Nicostrati, pensantes libras quinquaginta et duas et semis. Et in eadem ecclesia obtulit coronam de argento unam, pensantem libras viginti quinque.

Et in pergula ejusdem ecclesiæ, quæ est ante altare majus, suspendit lilium de argento habens mala de crystallo, et ranunculum. Fecit etiam, ubi supra, canistra de argento septem pensantia libras duodecim.

Fecit ipse mitissimus in æde propria, quam ipse a fundamentis fieri disposuit, et ex jure parentum suorum ipsi accessisse videbatur, monasterium ancillarum Dei in honorum sanctorum Simitrii et Cæsarii, ubi et dona largitus est, patenam et calicem sanctum de argento exauratum habentes diversas gemmas pensantes libras.... Ubi supra obtulit thymiamateria cum canthara una pensantia libras.... Necnon et ipse vero almificus pontifex obtulit in suprascripto monasterio canistra de argento mundissimo tria, et gabathas saxiscas, pensantia in unum libras duodecim et semis. Ibidem fecit propter retributionem et mercedem animæ suæ vestes de fundato tres, habentes unam tabulam acupictilem interclusam. Fecit autem ibidem regnum ex auro mundissimo cum gemmis prasinis et hyacinthinis, quod pendent super altare, pensans libras....

Ipse vero a Deo protectus et venerabilis pontifex superno amore exadescens obtulit in basilica sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur foris muros istius civitatis Romanæ, juxta beatum Laurentium, vestem de fundato unam, habentum in medio tabulam exauratam, cum effigie nativitatis Domini nostri Jesu Christi: et ipsius almifici pontificis. Et in ecclesia beati Laurentii martyris, quæ ponitur foris muros obtulit thuribulum argenteum cum cooperculo suo C exauratum, habens catenulas et ballas ... vitrum, pensans libras sex.

At vero in ecclesia beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ trans Tiberim absidam, quæ præ nimia vetustate ruitura eminebat, prænominatus præsul restauravit. Et in ecclesia beati Petri principis apostolorum, propter honorem ac vigorem ipsius ecclesiæ, fecit butronem ex argento purissimo, qui pendet in presbyterio ante altare majus, pensantem libras centum quadraginta et novem.

Simul etiam fecit in ecclesia beati Sebastiani martyris, quæ ponitur in Frascata, canistrum de argento mundissimo, pensans libras duas, legente nomen almifici præsulis, et beati Sebastiani.

His denique decentius consummatis atque peractis post flebilem et iniquam Saracenorum deprædationem, catholicus et per omnia laudabilis præsul, ad decorem et laudem ecclesiæ apostolorum D principis apostoli Petri, fecit miræ magnitudinis ac pulchritudinis super illius venerandum altare ciborium, et columnas, ac lilia exaurata ex argento purissimo, pensantia libras mille sexcentas et sex. Nam et super ciborium obtulit coronas quatuor et calices sexdecim ex auro mundissimo pensantia libras.....

Et de argento, ut supra ad honorem et gloriam ipsius ciborium fecit, calicesque, et coronas numero quadraginta sex, pensantia libras viginti duas et uncias septem. Necnon et super columnas ipsius ciborii propter amplam pulchritudinem ex argento purissimo fecit cophinos numero quatuor, pensantes libras quadraginta et duas. Fecit etiam ibidem ante altaris circuitum vela alba holoserica sigillata numero quatuordecim, listas habentia de fundato.

Obtulit inibi et alia vela linea numero quatuordecim listam habentia per circuitum de serico albo sigillato. Ubi supra fecit arcus duos ex argento purissimo, pensantes libras quinquaginta. Fecit in oratorio sancti Silvestri infra palatium Lateranense, vestem de fundato unam, habentem in medio talam de chrysoclavo modica n. et vela de fundato quatuor. Fecit et in ecclesia Jerusalem vestem de fundato unam, et vela similiter de fundato quatuor. Fecit etiam et in diaconia sanctæ Mariæ virginis; quæ ponitur in Cyro regnum ex argento intrinsecus bellis aureis circumdatum. Verum etiam et in ecclesia sanctæ Dei genitris semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur in Frascata, obtulit vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam modicam exauratam interclusam, et vela de fundato quatuor. Necnon et in ecclesia sanctæ genitricis Dei Mariæ, quæ ponitur in Morenico Narrano, fecit vestem de fundato unam, et vela similiter de fundato quatuor.

Pari modo obtulit et in ecclesia beati Petri apostoli, quæ ponitur in Marulli, et fecit vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam exauratam modicam interclusam, et vela de fundato quatuor.

Ipse vero a Deo protectus et venerabilis pontifex obtulit in basilica beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur ad sanctum Laurentium foris muros, et fecit cortinam lineam unam habentem in gyro listam de fundato et in medio crucem similiter de fundato. Et in ecclesia sanctorum Cosmæ et Damiani, quæ in Silva candida esse videtur, obtulit vestem rubram unam habentem in gyro listam de argento et crucem in medio, et vela cum aquilis quatuor. Obtulit etiam in ecclesia beati Petri principis apostolorum coronam ex argento, cum historiis aforis circumdatam et exauratam, pensantem libras septem. Ipse quoque a Deo protectus et beatissimus papa superno fretus amore obtulit in basilica beati Petri apostoli ante confessionem sacri altaris a dextris, seu a sinistris, ad decorem ipsius basilicæ, angelos sex argento mundissimo pensantes libras sexaginta quatuor. Et super illud ciborium fecit oleas quæ pendent in circuitu altaris habentis tabulis quatuor exauratas, necnon et gammadias numero quatuor. Ubi supra fecit arcus quatuor, qui stant in presbyterio ex argento mundissimo pensantes libras centum.

Ipse vero beatissimus pontifex obtulit in monasterio sanctorum Cosmæ et Damiani, quod ponitur in loco qui vocatur Sublacus, milliario ab urbe Roma plus minus quadragesimo, vestem de fundato unam, et vela de fundato similiter tria. Fecit etiam isdem prædictus præsul in ecclesia beati Christi martyris Gervasii et Protasii, quæ ponitur intra civitatem quæ vocatur Fundana, vestem de fundato habentem in medio crucem ex auro texto unam, et velum de fundato unum. Obtulit etiam isdem prædictus præsul in ecclesia beati Christi martyris Cæsarii, quæ ponitur intra civitatem quæ vocatur Terracina, vestem de fundato unam, habentem in medio crucem cum gammadiis, et periclysin de blattin, legente de nomine domni Leonis IV papæ, et vela similiter de fundato numero quinque. Necnon obtulit in basilica beati Petri apostoli arcus ex argento mundissimo numero quatuor, pensantes libras octuaginta et quatuor.

Fecit autem in basilica beatæ Rufinæ martyris in Silva candida, vestem de fundato, habentem in medio crucem de periclysi, et in circuitu de blattin legente de nomine domni Leonis IV papæ.

Fecit etiam isdem beatissimus præsul in ecclesia beati Clementis martyris atque pontificis gabathas de argento purissimo numero sex: tres quidem filopares signo Christi, et duas etiam similitudines palmarum, et unam interrasilem, quæ est saxica, pensantes simul libras quatuor. Isdem beatissimus et præclarus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui arcus cum columnis, et liliis de argento purissimo tres pensantes insimul libras centum et duas. Ipse quidem venerabilis pontifex fecit in basilica sancti Cæsarii, quæ ponitur in Terracina

vestem de quadruplo, ornatam in circuitu de blattin, habente in medio crucem de chrysoclavo, legente de nomine domni Leonis IV papæ. Necnon et in basilica beati Petri apostoli fecit arcus de argento purissimo cum columnis et liliis numero tres pensantes libras sexaginta.

Fecit in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ ponitur in civitate Portuensi, vestem de spanisco unam ornatam in circuitu de fundato, et in medio crucem de argento. Similiter vela de spanisco ornata in circuitu de fundato numero tria. Sed et tabulas de argento exauratas, in gradu ante confessionem beati Petri apostoli, numero quatuor, et agnos duos qui pensant libras insimul quadraginta et quatuor. Obtulit ubi supra coronas porphyreticas miræ magnitudinis ornatas ex auro purissimo cum delphinis duodecim, legente de nomine ipsius almifici præsulis, pensantibus auri libras tres et semis.

B Necnon et arcus de argento purissimo numero decem, qui pensant simul in unum libras centum octuaginta et unam. Et vela linea, quæ pendent in arcubus ubi supra, ornata in circuitu de fundato, numero quadraginta octo.

Dicere nunc post universa, quæ retro scripta sunt, libet; æternæquæ memoriæ præsentibus litteris enodare, quæ quanta permaximus ac venerabilis præsul solerti pioque studio pro defensione universæ matris Ecclesiæ, zelo scilicet compunctus divino, infra paucorum spatia temporum perhoneste ac nobiliter dedicavit.

Lotharius imperator juvat papam in Leonina urbe extruenda.

Quamobrem, dum universa Romanorum nobilitas, pro illa qua jamdudum deprædationem nefandi ac malevoli Saraceni intulerant, in nimia lamentatione consisteret, ne deinceps (nisi ecclesia beati Petri apostoli muris undique munita citius foret) pejora valuissent committere, isdem amabilis pontifex magnam pro Romanis omnibus cœpit habere angustiam: et quomodo vel ordine ab eorum cordibus tantum potuisset rancorem sive timorem auferre anxius cogitare. Cumque in his diuturnis crebro laboribus desudaret, Deo revelante, hujusmodi protinus consilium sumpsit, ut hoc ipsum suo dilecto at speciali filio domno Lothario luce clarius indicaret Augusto, quatenus per illius, Domino annuente, adjutorium atque consilium, civitatem illam, quam prædecessor ejus Leo papa III erga Ecclesiam prænominati apostoli ædificare cœperat, et cujus multis jam in locis fundamenta posuerat (licet post suum transitum a quibusdam ablata fuissent hominibus, ita ut nec aditus appareret, ubi prius inchoationem præfatus habuerat murus) si vita comes adesset, desideratum opus, Christo solatiante, ad effectum posset perducere. Hoc denique piissimus ac serenissimus Cæsar agnoscens, magna est illico lætitia et exultatione repletus, rogansque jam fatum summopere præsulem, patremque per omnia spiritalem, ut quantocius tanti operis fabricam sedulo labore perficeret. Ad quam ipse cum suis fratribus non modicas argenti libras direxit, ut, sicut dictum est, tam proficuum opus indeliberatum minime remaneret. Ex quo nuntio præoptato præsul præcipuus ultra modum hilaris est effectus. Cœpit autem ex tunc de prædicto negot o valde esse sollicitus: convocansque cunctos sanctæ Dei fideles Ecclesiæ petens ab eis ore suo consilium, qualiter tanta murorum cito valuisset fabrica consummari. Tunc omnibus ita visum est, ut de singulis civitatibus, massisque universis publicis, ac monasteriis per vices suas generaliter advenire fecisset, sicut et factum est.

Quarto anno absolvitur. Leoniana dicitur nova civitas. Nudis pedibus papa cum toto clero muros circuit.

Quamobrem secundo præsulatus illius anno præfata civitas ædificandi cœpit exordium. Et in sexto consecrationis suæ, utpote magnis ac mirabilibus A omnis est fabricis civitas undique consummata. Cumque post multos labores atque certamina beatissimi præsulis, totum ut desiderabat murorum opus completum deliberatumque fuisset, cœpit omnipotenti Deo multimodas, sive innumeras gratias agere, qui suas quotidianas preces pro nova ædificatione murorum exaudire et adimplere dignatus est. Nam quantum qualemque curam, vel studium, simulque sollicitudinem pius ac laudabilis pastor, quousque construeretur, diebus singulis ac noctibus habuit, nullius hominis lingua breviter enarrare potest, et quia nihil aliud post debita sacrorum mandatorum officia agebat, præter id quod superius exaratum est, revera non frigus, neque flatus ventorum, vel pluvia, aut aeris grandis vel modica conturbatio, pigrum in eundo de die in diem quolibet modo facere potuit. Sed modo huc, modo illuc per diversas murorum fabricas vigil ac sollicitus discurrebat, ut suum bonum propositum ac desiderium per apostolorum pia Petri Paulique suffragia, Redemptor noster omnipotens prospere adimplere decrevisset, atque modo omnes conspicimus. Tunc demum consummatis, simulque perfectis, ut crebro retulimus, novæ civitatis universis operibus, papa beatissimus, et per omnia et in omnibus semper laudabilis, ut prædicta civitas, quæ a propria conditoris sui nomine Leoniana vocabatur, perpetualiter firma ac roborata consisteret, jussit cum magna animi devotione, cordisque lætitia, ut omnes cum eo episcopi pariter ac sacerdotes incolæ urbis, et universi ordines clericorum sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, post litanias et psalterium decantatum, cum hymnis et canticis spiritualibus, per totum murorum ambitum nudis pedibus cinerem portantes in capite circuirent, et inter cætera ab episcopis cardinalibus aquam fieri benedictam præcepit, ut inter orationum officia, aquam ipsam C transeuntes per murum, sanctificationis gratia jactare omnimodis studuissent: qui quod ab eo jussum fuerat humiliter peregerunt.

Orationes tres super portas fecit.

Ipse autem venerabilis pontifex ore suo tres super eumdem murum orationes multis cum lacrymis ac suspiriis dedit, rogans ac petens ut sæpedicta civitas, et Christi conservaretur in ævum auxilio, et sanctorum omnium angelorumque præsidio ab universo inimicorum secura et imperterrita perduraret incursu. Primam itaque orationem fecit super portam quæ respicit ad sanctum Peregrinum, cujus finis et principium tale est: *Deus, qui apostolo tuo Petro collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur, et hanc civitatem, quam noviter, te adjuvante, fundavimus, fac ab ira tua in perpetuum manere securam, et de hostibus, quorum* D *causa constructa est, novos ac multiplices habere triumphos. Per Dominum*, etc.

Secundam quoque isdem pius papa dedit orationem super posterulam, ubi mirum in modum castellum præeminet, quam [quod] vocitatur S. Angeli. Cujus orationis talis est textus: *Deus qui ab ipso christianitatis exordio hanc sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam ab hostibus custodire et conservare dignatus es, iniquitatis nostræ chirographum propitiatus emunda, et civitatem hanc, quam tuo sancto nomini per apostolorum tuorum Petri et Pauli suffragia noviter dedicavimus, ab omnibus inimicorum insidiis securam semper atque imperterritam manere permitte. Per Dominum nostrum*, etc.

Tertiam vero orationem cecinit super posterulam aliam, quæ respicit ad scholam Saxonum, atque ex eorum vocabulo Saxonum posterula appellatur: et ipsa oratio tertia hunc specialiter continet modum: *Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato Petro apostolo tuo, pietatis indulgentiam consequamur, et pro hac civitate quam ego famulus tuus*

Leo IV epicopus, te auxiliante, novo opere ædificavi, meoque nomine Leoninam vocari, jubeas ut semper illæsa maneat, ac secura apud clementiam majestatis tuæ jugiter perseveret. Per Dominum, etc.

In qua scilicet civitate, juxta promissum sui desiderii, quod Deo voverat, magnam sive Romanis, sive diversis nationibus, ut in summæ solemnitatis die, rogam distribuit.

Papa Romam multis donis afficit.

Deinde cum cæteris, ut præfatum est, sacerdotibus et omnibus Romanorum proceribus ad ecclesiam beati Petri apostoli cum orationibus divinisque laudibus tendens, missam pro salute populi et civitatis incolumitate, ac stabilitate perpetua, honorifice decantavit. Is itaque sacris peractis officiis, cunctos nobiles Romæ multiplicibus donis, non tantum in auro, argentove, sed et sericis palliis honoravit atque ditavit. Fuitque die illo magna cunctis lætitia, videlicet die septimo et vigesimo mensis Junii, pridie sancti Leonis papæ vigilia sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Siquidem ante beatissimorum Petri et Pauli vigilias per totam Romanam urbem infinita gaudia et exultationes innumeræ celebratæ sunt. Unde magis dignum est atque conveniens, ut pro tanto præsule tantoque pastore cunctipotentem Dominum toto corde puroque animo jugiter imploremus (per quem tam admirabile perhonestumque opus, Christi solatiante potentia, celeri exsecutione expletum ob salutem Christianorum omnium consummatumque cognoscimus) in nostris orationibus, quatenus et hic diutissime vigeat, et illic cum sanctis omnibus pro suis innumeris certaminibus ac laboribus perpetualiter æterna mereatur præmia possidere.

Dona ecclesiis data.

Ipse vero beatissimus papa fecit in ecclesia sancti Sinzigii [*Forte* Sisinii], quæ ponitur in civitate Blerana, vestem de fundato unam, habentem in medio tabulas de chrysoclavo cum effigie Salvatoris, habente in capite gemmas prasinas tres, et sancti Sinzigii, et beatissimi præsulis, et vela de fundato quatuor. Et in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum fecit cerostata ex argento purissimo duo pensantia libras quinque et uncias sex, et gabathas de argento numero quatuor pensantes libras.....

Fecit in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ ponitur ad beatum Laurentium foris muros, vela de fundato numero viginti septem. Item fecit prædictus præsul in ecclesia beati Clementis martyris atque pontificis regnum, quod pendet super altare majus ex auro purissimo sculptile sine gemmis, habens in medio crucem de auro cum gemmis fixis in eadem cruce, vitreas quinque, et quæ pendent item vitreas etiam numero quatuor pensantes libras quinquaginta. Obtulit et in ecclesia beati Hippolyti martyris, quæ ponitur in insula Portuensi quæ nuncupatur Arsis, vestem de fundato habentem gammadias ex argento textas unam, vela de fundato numero quatuor. Necnon et in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ dominæ nostræ, quæ ponitur infra civitatem quæ vocatur Anagnia, obtulit vestem de fundato cum gammadiis auro textis unam, et vela de fundato quatuor.

Papa cogitat de urbe Portuensi munienda. Corsi exsules ad papam perfugiunt.

Verum, ne post hæc quæ superius veraci testimonio certisque schematibus dilucidata atque conscripta sunt, silentio, quod minime convenit, cætera transeamus, libet alia beatissimi papæ opera, potenti Jesu Christi opitulante clementia facta, quamvis plurima, tamen luce clarius indicare. Nam cum in bonis Deoque dignis operibus mens simul et animus summi antistitis indeficiens desudaret, cœpit de civitate Portuensi permaximum habere certamen, ut tuo modo vel ordine tam suis quamque etiam

A futuris temporibus ab hostibus ac Satanæ filiis secura et libera manere potuisset. Cumque diu hoc tacitus in corde suo pontificali haberet consilium, tunc Pater omnipotens et excelsus, qui semper in justis piisque cogitationibus fideles suos adjuvare non desinit, Corsorum animos excitavit, qui timore Saracenorum perterriti a propriis finibus exsules existebant, et huc sive illuc sine solo proprio vagantes incidebant, ut ad sedem Romanam causa refugii ac salutis venire quantocius debuissent: sicuti et factum est. Venientes vero illi ad sacratissima apostolorum principis limina, ter beatissimo domno nostro Leoni IV papæ illico præsentati sunt.

Qui cum ab eis suisque proceribus prudenter satis sciscitatus fuisset, qualis tunc eis imminebat necessitas, pro qua venerant, ipsi autem necessitates suas, calamitates, atque angustias per ordinem quasi uno ore coram præfato exposuissent, B se habitaturos cunctis diebus in suo successorumque pontificum obsequio ac servitio declararunt. Hoc sane benevolus præsul agnoscens in magnam est statim exsultationem ac lætitiam elevatus, gratias Deo referens, qui tales illi transmisit homines, qui in prænominata civitate in perpetuum habitare potuissent. Auditis itaque eorum multis promissionibus papa prædictus una cum suis optimatibus eis clara voce respondit: Si quod verbis nobis dixistis, opere curaveritis perficere, satis loca habemus optima, in quibus habitare valebitis, si tantum nobis nostrisque pontificibus successoribus boni fideles fueritis. Nam civitas quam vobis daturi erimus valde firma est, atque munita, quam nos, Redemptoris nostri protegente auxilio, novis portis ac fabricis in locis pernecessariis ad cultum pristinum revocavimus. In qua si, ut diximus, manere cupitis, vineas vobis ac terras prataque concedemus, ut nullam C possitis habere inopiam. Dabimus etiam vobis, ut ex labore vestro habeatis, vos et mulieres vestræ ac filii, unde vivere plenissime valeatis: boves etiam, et caballos, et animalia cætera, sicut prædiximus, si cuncta bono animo feceritis. Tunc Corsorum populi talia audientes promissa lætiores effecti sunt, missosque a pio pontifice protinus quæsiverunt, qui civitatem et loca specialiter demonstrarent: et ita factum est. Placuerunt siquidem omnia, et spoponderunt, æquanimiter omnes, quod si noster papa et dominus universa quæ circuivimus fuerit dignatus conferre, cum omni familia et supellectili nostra in servitium sancti Petri et suorum successorum cum omni aviditate properabimus.

Lustrata denique civitate, et possessionibus universis, ad venerabilem pontificem cum eisdem missis reversi sunt. Venientes igitur, ut præmissum est, illicque læta ac prospera nuntiantes, et quod D Corsorum gens vivere se ac mori in eisdem locis omnino fuissent professi, vocatis omnibus, ut ipsi similiter secundum missorum assertiones unanimes testarentur, pontificale eis, secundum quod promiserat (ob serenissimorum Lotharii et Ludovici nostrorum imperatorum, suamque simul mercedem, perpetuamque memoriam) præceptum amisit, hoc scilicet tenore, et placito anteposito, ut tandiu firmum maneret ac stabile, quousque sanctæ sedis præsulibus populoque Romano in cunctis obedientes ac fideles existerent. Et si, quod absit, omnem præcepti seriem irrefragabiliter non custodirent, sancitum est in eodem ut vacuum et inane consisteret.

Loca vero quæ eis data sunt, et a missis pontificalibus consignata, tam ex proprio jure ecclesiastico, quamque venerabilium monasteriorum, imo et singulorum hominum, qui finitimi existebant, in concesso eis pontificali privilegio specialiter adscripta leguntur. Ecce enim quanta crebro dicti præsulis erat ac præfulgebat misericordia, qui non tantum pro defensione urbis suos Romanos proceres diligebat,

sed undecunque valebat colligere homines ad eo- A rum auxilium et solatium invitabat : plus defensionem diligens patriæ, et plebis securitatem commissæ, quam lucra temporalia et caduca, pro quibus multos jam recolimus vitam pariter et possessiones, quibus delectabantur, jugiter amisisse.

Leo reparat urbes quasdam.

Posthæc denique omnia, quæ superius brevi stylo contexta sunt, alia non dissimilia præsul sanctus ac venerabilis satis ovans peregit opuscula. Nam Hortanæ et Americæ valde antiquorum civitatum, quarum muri ac portæ præ nimia vetustate temporum usque ad solum ceciderant, et funditus destitutæ manebant, quas modo fures, modo latrones patentibus aditis, nullo resistente custode, facilius ingrediebantur, ipse adeo solertissimus præsul tantam civium prædictarum urbium cognoscens incuriam, easdem quas prætitulavimus civitates hortatu suo ac studio muris novis portis- B que prioribus minime dissimilibus ad pristinum locum statumque gratia corroboratus divina reduxit. In quibus modo civitatibus exaratis cives et ab inimicorum insidiis melius securi inhabitant, et fures ac latrones, ut dictum est clausis muris ac portis nullum damnum et furtum, tam noctibus quamque diebus, de cætero valebant inferre.

Dona ecclesiis collata.

His autem, ut prædictum est, diligenter expletis, fecit in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum regnum ex auro purissimo unum, pendens super altare majus, cum catenulis similiter aureis, sculptilem habens in medio crucem auream, habentem gemmas quatuordecim, ex quibus quinque in eadem cruce fixas, et alias quæ ibidem pendent novem. Sex quidem albas, et hyacinthinas tres, pensantes simul libram unam, et semis uncias. Necnon et in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ do- C minæ nostræ quæ ponitur in vico Sardorum, obtulit calicem et patenam de argento exoratam par unum, legente de nomine Domini Leonis quarti papæ, pensantia simul in unum libras quatuor et uncias quinque. Ipse insignis præsulque præcipuus, cum innumera summi decoris opera in basilica beati Petri cœli clavigeri perfecisset, portas quas destruxerat Saracena progenies, argentoque nudarat, exerit. multisque argenteis tabulis, lucifluis, salutiferisque historiis sculptis decoravit, et in meliorem speciem quam pridem fuerat, reparavit, ut omnes qui in eamdem basilicam ingredi volunt, laudes Deo omnipotenti sanctoque suo præsulatui referant, et exposcant, ut ad multa annorum curricula vita sua extendatur, qui tanti fulgoris opere, tantoque pulchritudinis pondere aulam Dei argento pensante libras septuaginta ornavit. Qui summus Deoque amabilis papa in exordio sui pontificii, cum porticus partis lævæ D beati Petri præ nimia vetustate basilicæ cecidisset, celeri studio præclarius renovavit.

Ecclesias multas exstruxit.

Nam et ipsius præcipuæ ecclesiæ sarta tecta magnis trabibus procacique artificio elevatis luciflue renovavit. Quin etiam porticum, quæ sancti Andreæ cohæret ecclesiæ, cum cerneretur casura, in melius noviter restauravit. Sed et cameram, quæ ante portas argenteas jam dictæ aulæ esse conspicitur, infinito fretus amore renovans decoravit. Et multas piæ operationis in eadem specie ecclesias fecit, quas si scripturæ tradere voluerimus, lingua narrare non sufficiet, et nec scribentium valebunt articuli sustinere. Cum ergo per diversas Dei ecclesias multa perficeret insignia opera, ipse beatissimus pontifex porticum, quæ ante basilicam sanctæ Dei genitricis consistit, quæ juxta basilicam sancti Laurentii sita est foris muros, clarius ac firmius renovavit.

Dona alia.

In ecclesia autem sanctæ Dei genitricis, quæ ponitur in vico Sardorum milliario ab urbe Roma trigesimo, quatuor catholicos libros obtulit, unum Evangeliorum, alium Regnorum, Psalmorum, atque Sermonum. In ecclesia beati Martini confessoris atque pontificis foris portam beati Petri apostoli fecit calicem de argento unum cum catenulis pensantem libras quatuor, et uncias duas. Et in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum fecit thymiamateria duo ex argento mundissimo pensantia libras duas, et unicam unam. Simili modo et in ecclesia beatæ Petronillæ fecit vestes de fundato tres, et vela duodecim, quatuor quidem de fundato. et tres de spanisco, et linea quinque.

Nam et in ecclesia sanctæ Dei genitricis, Mariæ, quam ipse beatissimus pontifex a fundamentis supra scholam Saxonum noviter construxit, obtulit vestes de fundato tres, et vela similiter de fundato quatuor.

Idem beatissimus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli cereos deargentatos, qui stant in presbyterio numero viginti et septem, pensantes insimul libras quadraginta. Nam et trabes in ingressu et in medio presbyterii investivit ex argento purissimo pensante libras sexaginta et septem, et uncias tres. Cum autem supernæ zelo patriæ incensus speciosis Christi per ordinem ornaret metallis ac ornamentis ecclesias, post fecit alia multa in aula beati Petri apostoli principis : coronam ex argento purissimo unam cum catenulis argenteis quatuor, habentem delphinos quadraginta et duos, pensantia simul libras viginti et tres. Hic quoque pontifex, Christi semper auxilio fretus, ac divinitus inspiratus, fecit in circuitu altaris beati Petri apostoli vela serica de prasino quatuor, habentia tabulas de chrysoclavo cum effigie Salvatoris et apostolorum Petri et Pauli et sui ipsius almifici præsulis, et in medio cruces et gammadias de chrysoclavo cum orbiculis, in quibus sunt imagines apostolorum miræ pulchritudinis decoratas, quæ in diebus festis ad decorem ibidem suspenduntur.

Pari modo fecit ubi supra alia vela alba holoserica rosata cum cancellis decorata mirifice, paschæ obumbrantia sacra. Necnon et aliam coronam minorem ibidem obtulit cum catenulis quatuor, et delphinis decem, habentem lilium et uncinum, pensantia libras duas. Hujus namque beatissimi præsulis animus semper Deo devotus existens pretiosis Jesu Christi ecclesias ornamentis ingenti ob æternæ vitæ salutem decorare studebat amore : et quod nullus præcessorum ejus pontificum facere arbitratus est, hic sancto procul dubio Spiritu fervens, atque compulsus, coronas ex auro mundissimo, inclytis Christi videlicet et sanctorum vultibus refulgentes, fieri in apostolorum principis Petri ecclesia juxta altare sub quod ejus sacratissimum corpus requiescit, dextra lævaque pendentes duas cum catenulis aureis bullis gemmisque prasinis decoratas decrevit, habentes insimul delphinos sexaginta, pensantes libras viginti.

Fecit et crucifixum argenteum miro opere depictum in eadem ecclesia, quæ in læva introitus parte inter columnas magnas positus ingenti splendet decore, habentem libras sexaginta et duas et dimidiam. Ipse quoque beatissimus pontifex fecit in oratorio beati Andreæ apostoli. quod sancti Petri cohæret ecclesiæ, vestem sericam unam habentem historiam aquilarum, et in medio tabulam cum chrysoclavo, in qua depictæ Christi et discipulorum ejus dextra lævaque imagines fulgent, et ipsius almifici præsulis. Ac similem post totius operis perfectionem, et ornamentis decoris in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum vestem fecit de eodem serico cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam, seu miraculum quod Dominus Christus de quinque panum et piscium alimentis duorum,

quinque millia hominum abundanter satians, est A operatus.

Synodum convocat Romam sexaginta septem episcoporum.

Inter hæc vero quæ superius scripta sunt, cœpit crebro nominatus sanctissimus præsul de singulis ecclesiarum rectoribus, videlicet episcopis, presbyteris, diaconibus, atque omni Christianorum militia curam sollicitudinemque habere præcipuam. Volens itaque, sicuti et factum est, ex priscis auctoritatibus novam, Christo juvante, normam præponere, qualiter unusquisque eorum vitam castam et sobriam duceret, et Deo, cui semper irreprehensibiliter famulatum debemus impendere, in omnibus complaceret; tunc demum, sancti ei Spiritus gratia revelante, una consilio serenissimorum Lotharii ac Ludovici imperatorum, anno imperii eorum quinto et trigesimo, atque pontificatus jam dicti præsulis septimo, mense Decembri, die B octava, indictione secunda, sanctam ac venerandam in Ecclesia beati Petri apostoli synodum congregavit. In qua tam ipse catholicus et apostolicus vir, quamque et alii cum eo sexaginta et septem episcopi resederunt. Ex quibus quatuor episcopi ab imperatoribus destinati, Joseph Eporediensis, Notingus Brixiensis, Petrus Spoletinus, et alius Petrus Aretinus. Inter quos etiam Paulus diaconus sanctæ Revennatis ecclesiæ residens vicem tenuit Joannis archiepiscopi sui, absq e presbyteris et diaconibus et clero sanctæ matris ecclesiæ.

Et tunc coram omnibus quadraginta et duo capitula, quæ profecto ad salutem et lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur, per diaconos sanctæ et universalis sedis apostolicæ legi præcepit. Quæ etiam capitula ut in futurum ab omnibus illibata serventur, post cætera decreta pontificum in sanctis canonibus jussit adscribi: quatenus omnes episcopi hujus auctoritatis exem C plum ante oculos habeant, ut suos possint melius instruere et erudire subjectos.

Anastasius cardinalis deponitur.

In hac denique post cætera synodo Anastasius presbyter cardinalis tituli beati Marcelli ab omnibus canonice est depositus, eo quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruit, et in alienis usque hodie demoratur. Qui cum neque ad duo pro eo congregata concilia venire vellet, neque per apostolicas epistolas, neque per tres vocatus episcopos, Nicolaum videlicet, Petronacium, et Joannem, ideo merito uno consensu, secundum quod de talibus sacris continetur canonibus, eum sancta synodus deposuit, et sacerdotali honore privavit, anno, mense, die, et indictione superius annotata.

Dona ecclesiis collata.

Post præcipuam vero hujus concilii diffinitionem beatissimus ejusdem præsulis animus, cœlestis semper amoris igne accensus, ad restauranda ecclesiarum Dei cunctorum ornamenta vasorum studium rursus cœpit ingens habere. Nam et in ecclesia beati Petri regni cœlorum clavigeri fecit lucernam ex argento purissimo unam dimyxon pensantem libras sexdecim. Nec non et in monasterio sancti Martini, quod ipsius apostolorum principis ecclesiæ cohæret, fecit aliam lucernam ex argento fusilem ac dimyxon pensantem libras viginti et septem ac dimidiam.

Similiter et in monasterio sanctorum Joannis et Pauli fecit aliam lucernam argenteam similiter supradictis, pensantem libras viginti duas et dimidiam; quæ Dominicis vel festis diebus juxta lectorum consistentibus ad legendum sacras lectiones magno luminis splendore luceseat. Isdem vero sanctissimus papa fecit regulas de argento fusiles cum cancellis in ingressu presbyterii, et ante confessionem beati Petri apostoli amatoris sui, quæ pulchro lucentes decore hominum præbent mentibus admirationem: quarum duæ pensant libras sexcentas quadraginta et duas, aliæ vero duæ libras quingentas et octuaginta. Et in ecclesia sancti Vincentii, quæ ponitur in Fraseata, obtulit vestem de fundato unam.

Sed quia, ut sæpe diximus, hujus serenissimi præsulis animus maxime beatissimi præsulis apostolorum principis repletus amore, ipsius summæ ecclesiæ, cujus divina dispensante potentia thronum regebat, multa desiderabat semper ornamenta perficere, fecit super ejus sanctum altare vestem de chrysoclavo, habentem historiam in medio Salvatoris inter angelicos vultus fulgentis, Petroque apostolo claves regni cœlorum tradentis, et in dextra lævaque gloriosam Petri et Pauli passionem fulgentem. Inter quos ipse præsul civitatem, quam fieri jusserat, Petro interveniente offert depictam, et crucem auro, gemmisque nitentem: et in circuitu altaris et desuper pannos sericos pretiose aquilarum historia textos, quorum duo aurati cernuntur.

Obtulit autem ubi supra vela quatuor cum chrysoclavo, in quibus ipse præsul depictus imagini Salvatoris inter angelicos vultus fulgentis civitatem, quam funditus paraverat, offert.

Igitur quia jam pleniter ea quæ beati Petri ecclesiæ prædictus pontifex obtulit ornamenta, breviter licet, descripsimus; nunc ea quæ in ecclesia beatissimi Pauli apostoli doctoris gentium post impiam Agarenorum devastationem est operatus, ob æternam memoriam summatim innotescere studemus. Fecit autem super ejus sacratissimum corpus ciborium miræ pulchritudinis ingenti argenti pondere, cum columnis argenteis comptum, pensans libras noningentas quadraginta et sex. Sed cum benigna ipsius pontificis mens ante et post generalia omnium ecclesiarum diversa ornamenta, quæ ingenti desiderio præbebat, beato Petro semper aliquid optimum et pretiosius offerre curabat, obtulit ei tres oleas [tria aulea] Masoricas admirabilis pulchritudinis serico textas colore que depictas, quæ videlicet festis diebus in circuitu altaris majoris dependerent. Fecit autem et in ecclesia sancti Marciani, quæ sita est in Domucella, quæ vocatur Balnearola, vestem de fundato unam, et vela spanisca duo. Simili modo et in ecclesia beati Laurentii martyris Christi atque Levitæ obtulit vela de fundato, quæ pendent in arcubus infra columnellas majores numero viginti quatuor. Fecit etiam in ecclesia beati Clementis martyris atque pontificis aquæmanile de argento par unum, habens in se sculptam similitudinem capitis hominis cum vite, et alia historia, pensans libras tres. Item obtulit ipse quidem beatissimus et almificus præsul in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ in Æmilia quæ via Aurelia nuncupatur, D vestem de fundato unam.

Similiter et in ecclesia sancti Stephani, ubi supra, obtulit aliam vestem de fundato unam. Idem vero præclarus et almificus præsul superna protectus dextra usque in Dei semper servitio sincero perseverans animo, post multas bonas actiones, B. Silvestri, et Martini ecclesiam, quam domnus Sergius prædecessor ejus noviter ab imis ædificaverat, multis quidem pulchrisque decoravit ac depinxit coloribus. Cujus etiam pulchritudo magnam usque hodie humanis oculis admirationem præstat. Nam et ejusdem venerabile sacrumque altare ex argento investivit ac decoravit purissimo, pensante libras centum et sexdecim.

De Centumcellensis urbis reædificatione.

Quamobrem post pulchra ac laudabilia diversarum ecclesiarum opuscula, quæ præsul munificus tota animi devotione peregit, ne Christianus populus amplius in Centumcellensi castro ab hostibus deperi-

ret, sicuti sæpe fieri solebat, effecit. Nam per quadraginta annos ipsa civitas muris diruta, et habitatore proprio destituta manebat, moreque bestiarum, relictis sedibus propriis, ob timorem Saracenorum, ut usque jam factum fuerat, per opaca silvarum montesque incognitos sua domicilia populus, qui relictus ab eis fuerat, aberraret: in quibus etiam præ timore inimicorum diebus ac noctibus nec soporem oculis, nec ullam juxta humanam consuetudinem quietem vel modicam habere poterat.

Cumque tam pius et laudabilis præsul de illorum gravamine, atque intolerabili nimis angustia, ultra modum, et plus quam credi potest, quotidie condoleret, multis cum lacrymis, infinitisque orationibus, Dominum rerum omnium conditorem deprecabatur assidue, ut ei dono gratiæ suæ dignaretur ostendere, quo in loco pro salute et liberatione crebro dicti Christiani populi Centumcellensis civitas mutari potuisset. Ad quæ ipse profectus loca, quæ ei affinitate erant conjuncta, diligenti cura ac B studio pervidit atque conspexit.

Sed ubi locus videbatur idoneus ad urbem ædificandam, aquæ egestate et penuria laborabant, quæ hominibus semper satis est necessaria.

Peragratis igitur omnibus, ut prædiximus, locis, pervenit tandem, divina favente misericordia, ad locum optimum valdeque munitum, super quo suus maxime est animus dilatatus, quia et aquarum copia ad populum confortandum, et cæteras utilitates humanas, aquimolasque molentes pleniter subministrabat.

Tamen quo modo vel ordine hoc ei divina ostenderit clementia, dignum est ad memoriam revocare, ad laudem venerandi pontificis, ut omnis populus credat veraciter, et cognoscat, quod divino consilio et consultu opus diu exquisitum perfectum est. Nocte denique quadam dum in lectulo proprio juxta morem præclarus jaceret antistes, et de divinis ex solito opusculis cogitaret, ad prævi- C sum et ordinatum jam locum, qui duodecimo a Centumcellensi urbe milliario distat, in somnis perductus est, et singula loca quidam Petro magistro militum, quasi per corporalem præsentiam in ipsa revelatione per ordinem adjutorio fundare et construere debuisset.

Et quia præ loci angustia non ibidem nisi duæ portæ construendæ erant, in ipsa arcana revelatione digitis propriis annotavit.

Mane autem facto, pro somnio quod viderat magna cœpit habere certamina, et prænominatum Petrum ad suam illico jussit venire præsentiam, cui quidquid in somnis viderat retulit, multosque ei in argento mancusos præbuit, ut conductor populo Centumcellensis urbis, cum eis urbem festinantius perficere debuisset. Ac Deo quidem auspice ita nunc omnia ædificata nitescunt, sicut in somnio papa laudabilis manu propria designavit; cui ex nomine proprio Leopolim nomen imposuit. Ad D quam, postquam ædificari cœperat, videndam et considerandam fabricam cum suorum fidelium multitudine amanter accessit. Visis denique portis et ecclesiis, in ipsis specialiter locis, sicut monstraverat, ut suum, Christo protegente, desiderium impletum vidit, omnipotenti Domino gratias retulit infinitas, qui ei talem ostendere locum dignatus est, in quo et populus salvus existeret, et aquæ abundantiam ministraret, et etiam lapides, et arenam, quatenus sine labore operariorum noviter constructa fabrica augmentum percipere potuisset.

Papa novam urbem consecrat et benedicit.

Gavisus ex his omnibus urbem Leopolim sæpedictus pontifex litaniis et orationibus pedibus propriis circuivit, tribusque orationibus in nomine Trinitatis perpetualiter consecravit, et missarum, ut solitus erat, officium rite persolvens, aquam benedictam per muros jactari præcepit.

Et non modicam manibus propriis præ amoris A magnitudine universo populo rogam distribuit; commendans omnipotenti Domino populum, et civitatem divinitus demonstratam, ne unquam ab hostibus capiatur vel invadatur. His omnibus perpetratis, ad sedem suam cum ingenti lætitia et alacritate reversus est, octavo scilicet mense, Christo auxiliante, dieque supradicti mensis 15 omnis murorum ambitus completus atque perfectus est, anno præsulatus sui octavo, indictione secunda.

Dona in ecclesia sancti Petri data Leopoli.

Sed et in ecclesiis quas ibidem fecit multa dona obtulit. In ecclesia videlicet sancti Petri gabathas ex argento fusiles majores minoresque septem, pensantes simul libras sexdecim, et unciam unam. Cantharum exauratum unum, baccas exauratas tres. Fibulatoria majora et minora quinque. Crucem ex argento deaurato unam cum gemma una. Item aliam crucem de auro unam, habentem in medio monocassim. Et aliam crucem ex argento habentem gemmas quadraginta. Thuribulum argenteum exauratum unum, dextram saxiscam unam, coronas aureas duodecim, gabatham unam, et struthiocamelorum ova duo. Atque fecit in eadem ecclesia jam dictæ civitatis vestes sericas duas. Ex quibus una habet in medio tabulam de chrysoclavo, et alia habet in medio crucem et orbiculos quatuor cum gammadiis, et vela de fundato decem et octo. Crucifixum ex argento purissimo pensantem libras septem. Necnon et in ecclesia sancti Leonis ubi supra obtulit patenam exauratam unam, calicem de argento unum, vestes duas; unam quidem de fundato ornatam in circuitu de olovero, habentem in medio rotam de chrysoclavo, et gammadias, et aliam de spanisco.

Similiter et codices catholicos numero septem; Historiarum, Salomonis, Antiphonarium, Psalterium, Sacramentarium, gestorum etiam sermones, sed et evangeliorum cum tabulis argenteis, atque sacratissimum Dei altare, quod supra sanctissimum beati Petri apostoli corpus consistit argenteis deauratis, quæ in dextra et læva ipsius apostolorum principis habet miracula, perornavit laminis [*Forte*, luminaribus], quæ ingenti splendore nunc ut cœli astra coruscant, pensantibus vero simul libras octuaginta quatuor, et uncias quinque.

Atque post tam immensæ operationis insignia, factaque divina, Dei æterni clementia inspirante, quæ per diversa loca ob salutem Christianorum ipse sanctissimus papa est operatus, ecclesiam, quæ Domini voce supra firmam petram fundata consistit, et de beati Petri apostolorum principis nomine sancto gloriosa coruscat pretiosissimo omnium metallorum ornatu præ nimio patris cœlestis amore quotidie ornare procurans, ibidem quoque lectorium argenteum inclyta operatione cœlatum, et super quatuor pedes consistens perfecit. In cujus videlicet summitate Leonis caput refulget, pensans libras triginta unam, et uncias undecim. Necnon et cerostata quatuor, quæ a longo tempore summorum pontificum in medio presbyterii festis erigebantur diebus. Atque hæc sagaci arbitrio de argento purissimo investivit, atque ut in perpetuum ibidem erecta essent constituit, quod nullus prædecessorum ejus facere cogitavit, habentia simul libras quinquaginta et quinque. Ubi supra fecit et cerostata de argento majora, par unum, pensantia libras quadraginta octo, et uncias decem, in quibus sedent lucernæ dimyxi de argento purissimo, lucentes juxta altare majus, pensantes libras simul quadraginta et novem. Necnon et alia cerostata deargentata septem, pensantia libras viginti quinque et uncias tres. Pari modo et alia septem tetra fecit cerostata ferrea desuper de argento pensantia libras unam et viginti et uncias tres. Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam, candidis per totum margaritis fulgentem, et in dextra lævaque tabulas gemmatas habentem cum aureis per circuitum orbiculis,

quibus insigne ipsius præsulis est nomen descriptum.

Papa S. Martini monasterium restaurat.

Jam et monasterium sancti Martini, quod longo senio erat casurum, miris domorum ædificiis restauravit, et ad honorem meliorem, quam prius fuerat, funditus decoravit. In quo et vestem albam rosatam cum rosis obtulit, salvatorem cum apostolis, et virginem legentem nomen domini Leonis quarti. Item vela quinque alba rosata, et unum quidem habens gammadias tredecim et amygdala de argento exaurata tria. In ecclesia sanctorum quatuor coronatorum fecit vestem de fundato unam. Præterea idem summus et orthodoxus pontifex, divina inspiratione pulsatus, fecit in basilica beati Petri apostolorum principis calices ex argento purissimo, qui pendent super arcum principalem, necnon et infra columnas majores dextra lævaque numero octuaginta tres, habentes insimul libras quadringentas quadraginta et unam. Idipsum vero ante sacri altaris vestibulum miræ pulchritudinis fecit trabem, quam post diræ gentis nefandam deprædationem ex argento decoravit purissimo, in qua sacræ ac Dei venerabiles sedent imagines, quæ pensant libras sexaginta.

Obtulit quoque in ecclesia beati Petri apostoli, quæ ponitur in civitate Leopoli, thuribulum de argento exaurato unum.

Pari modo et in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ sita est in vico Sardorum, gabathas cum canistro de argento exauratas pensantes libras.....

Similiter et in venerabili monasterio Hierusalem, quod juxta ecclesiam beati Petri apostoli ponitur, fecit vestem de fundato cum orbiculis, in circuitu ornatam, cum lista de chrysoclavo, cum velis ex imizino duobus, et de fundato tribus.

Ipse vero a Deo protectus, venerabilis et præclarus pontifex fecit propitiatorium sacri altaris beati Petri apostolorum principis, ubi sacratissimum corpus ejus quiescit spanoclistum habens quidem argenti libras septuaginta, et duas, auri vero octuaginta.

Accusatur falso apud imperatorem Gratianus magister militum. Ludovicus imperator venit Romam.

Hujus vero temporibus quidam Daniel magister militum, iniquitatis ac stultitiæ mole cæcatus, ad serenissima domni Ludovici imperatoris vestigia properavit, eique multa falsa et inutilia verba, quæ credi nullo modo possent, super Gratianum eminentissimum magistrum militum, et Romani palatii egregium superinstam ac consiliarium dicere non dubitavit [a]. Nam constanter cum accusabat falsitate ob invidiam, dicens imperatori : Gratianus Romanæ urbis superinsta, quem erga vos A fidelem esse creditis, mihi soli in domo sua, nimium super Francos murmurans, dixit secrete : Quia Franci nihil nobis boni faciunt, neque adjutorium præbent, sed magis quæ nostra sunt violenter tollunt. Quare non advocamus Græcos, et cum eis fœdus pacis componentes, et Francorum regem, et gentem de nostro regno et dominatione expellimus ? Quo audito, mox prædictus imperator immenso furore accensus sine litteris etiam ad Romanum directis pontificem et senatum, Romam venire velociter procuravit. Quem tamen venientem domnus Leo papa honorifice, sicut mos est, super gradus majores B. Petri apostoli residens suscepit, et mellifluis prædicationis verbis placare cœpit.

Placitum habetur de accusatione. Accusator traditur Gratiani potestati, a quo dimittitur. Moritur papa.

B Quadam vero die ipso imperatore cum sanctissimo Leone pontifice, omnibus Romanis proceribus, pariter et optimis Francis in domo quam beatæ memoriæ Leo III, papa juxta ecclesiam B. Petri Apostoli fecerat sedentibus, de prædicta accusatione placitum habuit. Tunc Daniel iniqua fronte armatus, falsaque cogitatione imbutus, dixit coram omnibus : Iste Gratianus habuit mecum consilium, hanc Romanam terram de vestra tollere potestate, et Græcis tradere illam. Cui statim non solum Gratianus, verum etiam omnes Romani coram imperatore dixerunt : Mentiris, nullo modo est verum quod dicis.

Cognoscens autem imperator, et omnis Romanorum Francorumque nobilitas prædictum Danielem tale crimen per falsitatem et invidiam contra Gratianum dixisse, illico idem clementissimus imperator nolens contra instituta veterum Augustorum peragere Romanorum, eos secundum Romanam legem C instituit judicare. Quo judicio ipse Daniel multorum verbis reprehensus, ore proprio manifestavit se falsum testimonium super eum dixisse. Ideo jam dicto Gratiano ante omnes est traditus, ut quidquid de eo facere vellet potestatem haberet.

Sed cum jam traditum Danielem imperator a Gratiano multa et humili supplicatione petivisset, Gratianus assensit, quem ille statim plenaria sibi reddita gratia libenter suscepit, et sic de mortis est periculo liberatus. His vero peractis imperator abiit, et sanctissimus domnus Leo quartus papa non post multos dies obdormivit in Domino XVI Kalendas Augusti. Sepultus vero est in ecclesia beati Petri apostoli.

Fecit autem ordinationes duas, unam in mense Decembri, et aliam per mensem Martium, creavit presbyteros decem et novem, diaconos octo, episcopos per diversa loca numero sexaginta et tres.

[a] Platina vult papam accusatum apud Lotharium imperatorem.

LEONIS PAPÆ IV
EPISTOLÆ ET DECRETA.

I.

AD EXERCITUM FRANCORUM.

[a] Omni timore ac terrore deposito, contra inimicos sanctæ fidei, et adversarios omnium regionum viriliter agere studete. *Item.* Ubi usque nunc D parentes vestri publicum moverunt procinctum, semper victores exstiterunt, nullaque eos multitudo populi superare potuit. Non enim audivimus ut aliquando sine fama victoriæ reversi fuissent. *Item.* Omnium vestrum nosse volumus charitatem, quoniam

[a] Ivo, cap. 87.

quisquis (quod non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœlestia minime negabuntur. Novit enim Omnipotens, si quilibet vestrum morietur, quod pro veritate fidei, et salvatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus est; ideo ab eo prætitulatum præmium consequetur.

II.

AD LOTHARIUM AUGUSTUM.

Cur Alteo episcopo Augustodunensi pallium non concedat.

Mandastis ut privilegium et pallium Alteo episcopo concederemus. Unde poscimus ut vestra super hoc magnitudo non indignetur: quoniam quod ob ipso sanctissimo papa Gregorio usque ad hæc tempora nostra factum minime recordamur, facere non potuimus, neque præfixos Patrum terminos immutare.

Item. Quod juxta et sedula nos imitari consuetudo non præcipit, ita ab hoc veluti a magno nos præcipitio custodire oportet,

III.

LOTHARIO AUGUSTO.

[a] De illis tribus jam publice condemnatis, et reprobis viris Georgio, Adriano, et Petro, ut vestra nobis mandavit sublimitas. Quod adhuc ad aliud confiteri judicium debebant, omnino mirati sumus, quibus jam missis vestris præsentibus juxta legem Romanam sententia præfixa ac promulgata est et nisi tunc paschalis adesset festivitas, qua mortis, prohibente lege, sententiam dare licitum non est, vivere eos illorum malitia neque iniqua præsumptio non sineret. Pro hac itaque ratione solummodo usque ad tempus suspensa est sententia utrorumque. (Fragmentum) Ivonis dec. x, c. 88 « De illis tribus. »

IV.

LUDOVICO [*f.* LOTHARIO] REGI.

[b] Petrum, et Acrianum nunquam recipiemus ad habitandum nobiscum, et si (quod minus credimus) aut preces nostras, quas pro eorum retentione vobis misimus, aut honores Romani pontificis pro nihilo existimastis, et nos minus quam Adrianum et Petrum amastis, quod in posterum jam ordinatum habeamus, vestræ edicimus magnitudini. Certe Romanæ sedis præsules tempore quo unamquamque Ecclesiam cum suis clericis tendebant ob missarum officium, vel alias, more solito, utilitates ecclesiasticas disponendas, nihil aliud tam ipsi quam clerici ipsorum nisi sacerdotalia indumenta ferebant, quod secuti usque nunc nos egimus. Sed amplius nequaquam agere oportet, si viros, quos nec quærimus unquam, nec volumus, mandare decreveritis. Et hoc ad ultimum pro certo notum facimus, quoniam ad quamcunque Ecclesiam locumque alium nobis merita subjectum digressi fuerimus, ne de mortis nostræ periculo triumphatores existant, cum debueramus ob divinum cultum, sive timorem, orarium solummodo planetamque deferre, lanceam, et scutum, et gladium bajulare præcipiemus.

V.

JUDICATUM LEONIS PAPÆ IV ET LUDOVICI II IMPERATORIS.

In concilio I *Romano pro episcopo Senensi contra episcopum Aretinum, in controversia de diversis ecclesiis sive parochiis, anno* 853.

[c] In nomine Domini, amen. Dum nos Leo summus pontifex, et universalis papa quartus, constitutus in beati Petri apostoli cathedra, una cum piissimo, et gloriosissimo Lodoyco, Lotharii filio, imperatore Augusto, pluribusque archiepiscopis, episcopis, abbatibus, synodale habentes concilium, congregatum Romæ, videlicet in ecclesia beati Petri apostolorum principis: advenit in præsentia sancti concilii Senensis ecclesiæ episcopus, nomine Cantius, et retulit qualiter jam sæpe petierat apud jam dictum Lotharium, epistolis Adriani papæ specialiter conscriptis, quatenus... judicii censuram inter Senensem ecclesiam, et Petrum Aretinæ ecclesiæ episcopum de ecclesiis, seu baptisteriis, et monasteriis, quæ infra comitatum Senensem sunt, cum eorum pertinentiis, item jam multis vicibus prolixa fuit contentio, finitivam secundum canonicam auctoritatem perciperet sententiam. Tunc nos Leo summus pontifex ita diximus: « Et quoniam sacerdotali officio, quo modo, licet inviti, fungimur... oportet nos spirituali mucrone talium altercationem, quæ veternosi serpentis sæva aguntur astutia, funditus incidere, et exstirpare radices, ne forte discordia ibi vigeat, ubi inveteratæ pacis debent consistere bona. » Simul omne concilium: « Justa, inquit, et vera catholica, et apostolica definivit cathedra. » Tunc autem episcopus manibus decretalia, et judicialia tenens, ubi finitiva sententia Sena servat, et auctoritate Adriani summi pontificis, et universalis papæ, et Constantini queritando dixit: « Frater, et coepiscopus noster Petrus Aretinæ ecclesiæ Senensis ecclesiæ parochias, atque diœcesim perverso ordine, et contra canonicam regulam invasit, et per vim detinet. » Tunc nos, et Lodoicus imperator in præsentia magni concilii decretalia ab episcopo Cantio ostensa relegi jussimus. His igitur perlectis, nos Leo summus pontifex, sic ad universalem plebem loqui exorsi sumus. « Quantum enim præcellit dignitas omnium ordines dignitatum, superna dispensatione animarum nobis credita, tanto amplius cogimur cuique petenti solvere rationes. Aliud enim est unumquemque sui curam gerere, aliud Ecclesiæ Dominicæ cura regimen tenere. Quapropter canonicam sequentes doctrinam, dissensiones atque discordias sacerdotum apostolica nos pertinet obviare censura. Redemptoris nostri sequentes præcepta dicentis: *Pacem meam do vobis. Pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV).

[a] Ivo, cap. 88.
[b] Ibid., par. x, cap. 73.
[c] Apud Mansi, Conc. tom. XV.

In hoc enim cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XVII). *Pretiosi enim pedes evangelizantium bona* (*Matth.* XI). gratia sancti Spiritus, inquit. Quatenus vero orta fuerit immoderata quæstio, spirituali debeat mucrone amputari ne adolescat, et Christi concutiat plebem, et ne occasione discordiæ fideles delinquant, sancti Petri apostolicis monitis parentes, omni sorde perdita, pura frumenta in horreo Domini residere valeant. Igitur dum per aliquot jam lapsos terminos Longobardorum gens diversa eripiens territoria, invasa desolabatur loca, contigit ut diœceses episcoporum alter alterius invadere, et temerario ausu immoderate eas detinere, atque in magno nunc usque permaneant errore, et ignorantes canonum definitiones, alterutrum B anhelantes arripere parochias, perjurii reatum contrahunt. Insuper callida versutia inter se dimicantes, pejora paragunt exitia, errrore ita in malum incidunt piaculi facinus, dum procul abjiciunt canonum censuram, transgredientes sanctissimorum prædecessorum nostrorum pontificum decreta, canonicis auctoritatibus fulcita. Propterea talia inhibentes apostolica institutione una cum gloriosissimo et piissimo Loduico, et sanctis episcopis, in corona hujus sacri concilii residentibus, apostolicæ constitutionis privilegio promulgantes sancimus, ut sicut canonice in decretis constituunt, secundum territoria, seu pertinentias civitatum, sic parochias, et diœceses ad disponendum episcopos tenere censemus, observantes canonicam censuram C quæ ait : « Episcopum non licere alienam parochiam propria setta [*F.*, extra propria septa] pervadere. » Et iterum : « Episcopus alienam civita- « tem, quæ non est illi subjecta, non invadat, nec « ad ullam possesionem ejus accedat, quem ad eum « non pertinet, nec constituat presbyteros aut dia- « conos alteri episcopo subjectos, nisi forte ex con- « sensu et voluntate regionis episcopi. Si quis au- « autem tale aliquid facere tentaverit, irrita sit ejus « ordinatio, atque coerceatur a synodo. » Et sicut « prædecessoris nostri beati Cœlestini papæ continent constituta : « Ut sit contentus uunsquisque « episcopus suæ civitati concessis hominibus alter « in alterius provincia nihil præsumat ; » ita et nos « beati Petri apostolorum principis, cujus vicem, D quamvis immeriti, Dei benignitate gerimus, sumentes auctoritatem, decernimus ut, sicut statutum est, unusquisque episcopus parochias, seu diœceses, juxta limites suæ civitati pertinentes, imperturbate possideat, sub divini judicii obtestatione et anathematis interpositione. »

Dum igitur nos Leo summus pontifex sanctæ adhortationis sermonem claudimus, decretalibus supra nominatis per ordinem ostensis, et relectis, tunc Petrus Aretinæ Ecclesiæ episcopus dixit Cantio episcopo : Ista tua decretalia et judicata, quæ hic ostendisti, nullam possunt facere jacturam meæ ecclesiæ, neque dispendia ; quoniam nos et antecessores nostri monasteria et baptisteria cum eorum oraculis, seu pertinentiis, seu adjacentiis, quæ intra

A fines comitatus Senensis sunt constituta, unde tu, frater et coepiscope, adversus meam ecclesiam quæris, possessa habemus amplius quam quadraginta annos. » Tunc Cantius episcopus ad hæc : « Semper enim, inquit, monasteria et baptisteria, quæ infra fines Senensis territorii sunt, parochiæ nostræ ecclesiæ fuerunt, et sunt. Et chrisma ibi dedimus, et consecrationem fecimus. Presbyteros et diaconos ego et antecessores mei ibi sacravimus, et ecclesias consecravimus. Sed tu, frater, callide et fraudulenter prædicta monasteria, seu baptisteria contra sacrarum canonum instituta usurpasti.» Petrus vero episcopus civitatis Aretii hæc audiens dixit : « Vere ista monasteria, seu baptisteria, quæ infra fines tui territorii sunt, unde adversus nos queritas, a tempore Longobardorum ecclesiæ sancti Donati pervenerunt. Nam judicatum habeo, quod tempore Liuprandi regis Longobardorum a tuis prædecessoribus... ad meæ ecclesiæ utilitatem conjuncta fuerunt. Et præceptum etiam habeo, quod Carolus rex confirmavit in ecclesia Sancti Donati. Sed hic modo præ manibus non habeo : quoniam super hac re altercationem hic habere non arbitrati sumus, inducias et spatium a sacro concilio peto, donec Aretium celeriter petens, assertionis meæ judicatum, atque præceptum, quemadmodum pollicitus sum, in conspectu domni nostri summi pontificis, atque imperatoris piissimi et totius concili vestrisque partibus...» Inducias usque ad duodecim dies contulerunt, quatenus unusquisque eorum in prædicto spatio quidquid firmitatis per præceptorum sanctiones, seu decretorum institutiones haberet, deferre, necnon testes idoneos de prædicta ecclesia unusquisque ad indagationem veritatis secum duceret. Finitis igitur dictis, duodecim diebus Petrus episcopus Aretinæ ecclesiæ, et Cantius episcopus Senensis in præsentia nostri, et imperatoris Ludovici piissimi Augusti personaliter venerunt, et in conspectu eorum episcoporum quorum nomina subter annexa sunt, Joannes archiepiscopus civitatis Ravennæ Ambrosius episcopus Lucensis ecclesiæ, Osehesis episcopus Pistoriensis, Donatus episcopus Fesulanæ civitatis, Johannes episcopus Pisæ, Andreas episcopus Volaterranensis civitatis, Taccprandus episcopus civitatis Clusi, Otho episcopus Rosellensis, Tanimundus episcopus Suanensis, Petrus episcopus civitatis Orbevetanensis, Joannes episcopus Tuscanensis, Joannes episcopus Centumcellensis, Petrus episcopus Spoletinus, aliique plures. In prædictorum itaque præsentia ambo episcopi, hoc est Cantius episcopus Senensis, et Petrus Aretinæ ecclesiæ, cum sanctionibus præceptorum, atque institutionibus decretorum, idoneis testibus ex utraque parte, ut impetratum fuerat, adhibitis, iterum corona sancti concilii in eadem ecclesia beati principis apostolorum, ubi prius fuerat, residentibus cum uobis in concilio et volentibus tantæ altercationis litigium rectissima lance pensare, et libratum æquitatis trutinio finire ; ecce Petrus Aretinæ ecclesiæ decretalia,

atque præcepta, juxta quod promiserat, in manibus retinens, ex jussu nostro, et Augusti Loduici piissimi Josepho Archicapellano edita sunt ad legendum. Cumque perlecta fuissent in conspectu magni concilii, Loduicus imperator sic in aures totius ecclesiæ concionatus est : « Et quoniam uniuscujusque rei possessio talis debet esse, ut principium possessionis in se nullum habeat vitium, liquido colligere possumus, dum constat has parochias ecclesiam Aretinam ex tempore Longobardorum tenuisse tantummodo, non sibi sufficere possessionis oppositionem, dum antequam Longobardorum gladius Italiam populando devastaret, Romanis imperatoribus tranquillæ pacis felicitate orbem regentibus, Senensis ecclesia, sicut mos antiquus statuit, easdem parochias rexit, et tenuit. » Tunc omne concilium verum et probabile laudeque dignissimum imperatorem protulisse acclamabat. Ad hæc Petrus episcopus Aretinus : « Et quoniam imperatoria majestas, et apostolica sublimitas non solum scripturarum, verum et testium jussit in hoc testimonium adhiberi, jubeant illi, sacerdotes testimonii veritatem proferre, qui in eisdem inhabitantes parochiis, incorruptam veritatem, antiquorum relatione hominum per parentelæ gradus insigniter consociantur. »

Tunc nos Leo pontifex universalis papa et Lodovicus imperator jussimus exhiberi sacerdotes, aliosque fideles. Qui subito vocati sunt in conspectu magni concilii. In primis venit Gisulpherianus de plebe sancti Quirici in Ausinora : Aterpalianus, presbyter et monachus, de plebe sancti Stephani de Cinnano : Gesilarus, archipresbyter sanctæ Mariæ in Pava : Malperianus, presbyter de plebe sanctæ Mariæ de Soleta : Lanfrancus, presbyter de plebe sanctæ Mariæ de Cusona ; Benedictus, archipresbyter de plebe sancti Viti Vitaliano : Agiprandus, archipresbyter de plebe sancti Andreæ Malcino ; Leucari, presbyter de plebe sanctæ Mariæ in Sexta ; Aliperus, archipresbyter de plebe sancti Donati de Ziliano ; « Hi sunt mei archipresbyteri de jam dictis plebibus, » dixit Petrus Aretinus episcopus. Tum nos Leo papa jussimus librum Evangeliorum in medio concilio poni, simulque sanctæ crucis vexillum inibi collocari. Atque per hæc sciscitati sumus : « Audite vos, sacerdotes, quibus reddendi testimonium facultas a sanctissimo concilio tributa est, in virtute obedientiæ, et sub obtestatione divini judicii vobis præcipimus, ut in continenti nobis de hac re veritatem dicatis. » In primis ergo omnium Gesolfrandus jam dictus archipresbyter ait : « Quoniam nefarium est sub tanta obtestatione jurantem reticere, sacrilegium esse arbitror in conspectu hujus sacri concilii falsum testimonium dicere. Idcirco quod a meis parentibus didici, et ego ipse, cum sim fere nonagenarius, memini, absque falsitatis colore narrabo. Scio namque secundum meorum parentum relationem, Senensem ecclesiam usque Longobardorum tempora prædictas parochias inconcusse, et absque ullo litigio tenuisse. Sed eorum iniquus gladius cuncta diripiens, subjectasque hominibus terras, multis populis refertas, redegere in solitudinem. Contigit denique ex illius temporis desolatione, invasione callida alter episcopus, alteri parochiæ nefario ausu commorare, et invasam totis viribus detinere. Sic itaque Senensi ecclesiæ ab Aretina accidisse scimus. Quamlibet Petrus Aretinus episcopus nos huic sui causa duxit, tamen veritatis rationem celare nefas esse credimus ; ita nimium re in ambiguo posita, utriusque ecclesiis parere, alteri quidem ex necessitate, alteri vero ex voluntate, prædictas Parochias meminimus : Senensi quippe ex voluntate, Aretinæ ex necessitate. Constat nos ecclesia Senensi usque hodie reddidisse ecclesiæ et constitutum servitium, et chrisma ab eadem ecclesia cœpisse, consecrationemque diaconorum et presbyterorum hactenus ab ea sumpsisse. Aretinæ vero ecclesiæ, armorum viribus concussos, servitium nos coacte exhibere non negamus. Jure igitur apostolica sublimitas et imperatoria majestas nos nostrasque parochias a tali periculo eripiat, et hujus sacri concilii decreta statuat, ecclesiæ posthac libere, et inconcusse servire nos oporteat. » Tamen hoc, sicut unum, singillatim unusquisque eorum interrogatus testimonium Gesolfrandi asserebat verissimum. Aripaldus presbyter et monachus de plebe sancti Stephani de Anciano, ut Gesolfrandus ita refert. Et Gelisarius archipresbyter de saltu similiter confessus est. Benedictus archipresbyter sancti Viti similiter dixit. Aliprandus de plebe S. Donati similiter dixit. Aliprandus de plebe sancti Andreæ similiter dixit. Laufridus archipresbyter sanctæ Mariæ de Osona similiter dixit. Laucari archipresbyter de plebe sanctæ Mariæ de Sexta similiter dixit. Omnes itaque, ac si uno ore Senensi ecclesiæ prædicta parochias pertinent, et rectissimo jure pariter constanter asserebant. Petrus vero hæc audiens, prædictos sacerdotes testimonium ferentes, perjurii reatum incurrisse arguebat. Tunc jubentibus nobis, et piissimo imperatore, et universo concilio, juraverunt, omnes prædicti sacerdotes, quod in testimonium perducti satis vera et probabilia narrarent, et sicut dixerant, se habet veritas.

Tunc nos Leo summus pontifex sic ad Petrum episcopum, et ad omne concilium effati sumus : Similiter oportet nos, fratres, hujusmodi æquitatis lance pensare, quoniam eorum affectionem, qui testimonio supradicto frater noster Petrus justitiam suæ ecclesiæ adipisci sperabat, Senensis ecclesia triumphum sui certaminis est consecuta. » Ad hæc universum collegium dixit : Liquido patet prænominatas parochias Senensis ecclesiæ esse, quoniam ejusdem comitatus limitibus pertinere probatum evidenter est, et testium verissimorum assertio clamat, et scripta sanctissimorum pontificum hæc roborant. Jubeat ergo vestra sanctitas, et imperatoria majestas, Senensi ecclesiæ ea, quæ sua fuere, restituantur : quatenus discordia de medio sublata unusquisque eorum propter hoc, et sicut in omnibus statutum est, sibi subjectas paro-

sibi subjectas parochias regat, nec ad vicinam diœcesim sui fratris nullatenus accedere præsumat. » Tunc Comeranus episcopus dixit omnibus : « Sunt mihi adhuc testes idonei, quos de mea civitate huc duxi, quibus propositæ altercationis patet ambiguum : qui antiqua relatione nobilium parentum quidquid inde est insigniter noverunt. Ipsi, si introducti fuerint, veritatem nullo modo celabunt. » Tunc ingressus Willeradus bonæ memoriæ Merempridi filius, et Gunteramus filius quondam Sicheradi Ginnonis, qui erant milites regis, et Lamfredus miles prædicti episcopi Aretini. Et Willeradus sub testatione divini nominis a nobis interrogatus, dixit : « Scimus igitur quod prædictæ plebes et monasteria, juxta relationem meorum antiquorum parentum, Senensis ecclesiæ fuerunt. Consignationes, rectorum consecrationes, et presbyterorum ordinationes, episcopus Senensis ecclesiæ ibi fecisse vidimus. Nullum inibi fuisse litigium manifesta res docet, nisi ab ingressu gentis Langobardorum in Italiam. Senensis quippe ecclesia usque ad eorum tempora inconcusse prædictas parochias possederat. » Reliqui vero omnes, cum singillatim interrogati fuissent, testimonium veritatis Villeradum protulisse testati sunt : illi vero una voce testimonium veritatis proferentes, sacrosanctis Evangeliis, in medio positis, tactis juraverunt..... prænominatæ parochiæ jam Senensis ecclesiæ sint propriæ, quod ecclesiæ Aretinæ recto jure non pertinent. Hoc sacramento expleto, nos Leo summus pontifex diximus Petro episcopo : « Oportet te, frater Petre, jam nunc tuis tantummodo parochiis contentum esse, et ab illicita præsumptione cessare, et primam de hac inusitata finire, aut si quid ad opponendum potes, quod utile sit, adhibere. Nam nihil vanum, neque superfluum, aut quod a veritate sit alienum, hoc sacrum recipit concilium. » Petrus vero episcopus inquit : Juxta examinationes vestras sanctas litigium rectum pensavit, neque in ambiguo, quod a vobis hic definitum est, pono. Et jam neque aliorum præsentiam hominum, quibus vos magis credere possitis, exhibere valeo, neque aliorum scriptorum decreta, præter quæ a me hic sunt ostensa. »

Ad hæc imperator : « Constat itaque evidenter Petrum episcopum superatum ; quoniam testimoniis eorum, a quibus se salvari putabat, Senensis ecclesia victoriam est consecuta. Justum est, inquit, ut propter hoc sileat, neque amplius hujus rei altercationem adire præsumat. Superfluum est ei, ut cum suæ civitati parochias subjectas retineat, ad alterius episcopi diœcesim illum temerario ausu transire. Quapropter volumus ut in hoc sacrum et venerabile concilium ita hujus litis altercationem æquissimo termino includat atque definiat, quatenus futuro tempore illa possit inter eos scrupulositas renovari. » Tunc imperator, relictis nobiscum missis suis ad istam causam finiendam, id est Joseph archicapellano, Angelberto archiepiscopo, Notingo episcopo, et Adelchesi comite, a concilio discessit. Remansere autem Cantius cum duode-

A cim sacerdotibus idoneis, quorum non fuerat adhuc in testimonio jusjurandum receptum. Tunc juravit Cantius cum duodecim sacerdotibus, quod in sacramentis supradictorum testium veritas absque ullo dolo versata est. Tunc omne concilium simul clamavit : « Jubeat ergo apostolici culminis sanctitas, ex totius concilii decreto, prædictarum parochiarum, quas temere invasit, Petrum episcopum refutationem Senensi ecclesiæ facere, ac deinceps super hac re penitus silere. » Tunc jubente Apostolico, et legatis imperatoris, ac universo concilio, penitus posuit, et refutavit Petrus episcopus Senensis ecclesiæ parochias supra nominatas, quas illicite, et nefario ausu invaserat. His igitur ita expletis, nos Leo summus pontifex

B sic dicendo definivimus : « Opportunum itaque valde reor in hujus litigii definitionem auctoritatem nostram accommodare, atque sub anathematis interpositione æquissima ratione finitum litigium hinc inde sopire, ne forte in futuro tempore aliquis, pravitate plenus, quod modo juste et canonice a nobis definitum est audeat violare. Nam firmum et stabile in Senensi manere ecclesia sancimus quidquid per testium indagationem eidem pertinere est compertum. Si quis igitur adversus hujus nostri privilegii decretum aliquo tempore quilibet violare temptaverit, sive clericus, sive laicus, sive dignitate præditus, sive honoribus decoratus, aut qualibet magna, parvaque persona, sciat se auctoritate Domini nostri Petri

C Apostolorum principis omni honore privatum, atque anathematis maranatha vinculis innodatum, et cum Juda proditore Domini nostri Jesu Christi, et Anania et Saffira perpetuo supplicio deputandum. Et quoniam in Dei sumus nomine collecti, Dominus vere inter nos esse creditur, ejus auxilio, quidquid agimus vel, definimus, credimus esse fulcitum ; idcirco prædictæ maledictioni se innodat, quisquis violare temptaverit, quidquid a nobis est, Deo auxiliante, decretum »

Leo, Dei gratia, catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ episcopus, hujus Judicati decretum propria manu roboravi.

Joseph, archicapellanus domini imperatoris, subscripsi.

D Joannes, archiepiscopus Ravennæ, subscripsi.

Angelbertus, archiepiscopus Mediolanensis, subscripsi.

Notingus, episcopus Brixiensis, subs.

Ambrosius, episcopus Lucensis, sub.

Oschisi, episcopus Pistoriensis, sub.

Donatus, episcopus Fesulanus, sub.

Gerardus, episcopus Florentinus, sub.

Johannes, episcopus Pisæ, sub.

Andreas, Volaterræ episcopus, sub.

Taceprandus, episcopus Clusinus, sub.

Otto, episcopus Rosellensis, sub.

Tanimundus, episcopus Suanensis, sub.

Dominicus, episcopus Centumcellensis, sub.

Petrus, episcopus Orbivetanus, sub.

Joannes, episcopus Tuscanensis, sub.
Petrus, episcopus Spoletanus, sub.

VI.

ECCLESIÆ CUJUSDAM PRIVILEGIA CONFIRMANTUR [a].

Scrivendum præcepimus Stephanus scriniario sedis nostræ in mense Septembrio die quinta, indictione quartadecima; datum pridias Kalendas Septembrias per manum Tiberii primicerii S. sedis apostolicæ, Imp. domino nostro piissimo perpetuo Augusto Lothario a Deo coronato magno imperatore, anno tricesimo tertio et post consulatum ejus anno tricesimo tertio sed et Ludovico nobo imp.. ejus filio anno...

VII.

[b] EXCOMMUNICATIO ANASTASII PRESBYTERI [c]

Imperantibus dominis nostris, Lothario et Ludovico Augustis, mensis Decembris die decima sexta, indictione 14.

1. Leo episcopus, servus servorum Dei. Anastasius, presbyter cardinis nostri, quem in titulo beati Marcelli ordinavimus, quique secedens ab eo ad alienas parochias absque nostra pontificali scientia demigratus est, quem per missos et litteras vocavimus, et pro quo dominos imperatores supplicati per missos nostros, ut eum ad suam parochiam redire juberent, qui nunc huc nunc illuc latitando in ipsa demigratione per biennium moratus est, et ad duo vocatus concilia nostra minime venit, sed neque inventus est; quia, ut prædiximus. veluti ovis errans extraneis regionibus suadente diabolo occulte inhabitabat, secundum canonica instituta ex Dei omnipotentis et beati Petri apostoli nostraque simul apostolica auctoritate ab hodie sit communione privatus, donec ipse meæ speciali præsentiæ in canonico judicio fuerit præsentatus, et si non venerit, nunquam communicet [d].

2. Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, et universis clericis cunctoque populo Christiano. Quod bene ac pleniter vobiscum simus, charissimi fratres, scitis. Nunc iterum pro cautela et memoria temporum futurorum dilectioni vestræ cognitum esse volumus quomodo, instigante ac suadente diabolo, Anastasius, presbyter cardinis nostri, quem nos in titulo beati Marcelli ordinavimus, contra statuta patrum provinciam ecclesiamque deserens, A ecce jam per quinquennii tempus in alienas parochias velut ovis errans discurrit, quem etiam, auctoritate suffulti canonica, apostolicis litteris per tertiam quartamque vicem vocavimus. At ubi redire distulit, duo pro eo episcoporum concilia congregavimus, quorum conventu cum ejus non potuissemus videre vel habere specialem præsentiam, communi eum decreto sancta communione privavimus, volentes siquidem suam per hujus excommunnicationis censuram ad gremium sanctæ, a qua discesserat, matris Ecclesiæ personam reducere. Sed apostolica monita sanctique concilii pro nihilo ducens, erroris irretitus caligine, redire nullatenus voluit. Proinde, sicut Ravennæ nobis degentibus de eo in ecclesia beati Vitalis martyris B mense Maio, die 29, indictione prima, ore proprio promulgavimus, nunc iterum in ecclesia beati Petri apostoli mense Junio, die 19, indictione superius adnotata, similiter promulgavimus: sit ille a sanctis Patribus et a nobis anathema, et omnes qui ei sive in ejectione, quod absit, aut pontificatus honore adjutorium præstare vel solatium quodcunque voluerint, simili anathemati subjaceant [e].

3. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Incipit sancta ac veneranda synodus, quæ per Domini gratiam et ejus divinum consilium congregata est in ecclesia beati Petri apostoli, anno scilicet pontificatus sanctissimi ac coangelici et universalis quarti papæ Leonis septimo, atque invictissimorum Lotharii ac Ludovici imperatorum C anno imperii quadragesimo secundo [f], mense Decembri die octavo, indictione 2. In ac siquidem sancta ac venerabili synodo, Domini solatiante gratia nobiliter celebrata, post diversas episcoporum sacerdotumque vel clericorum atque omnium Christianorum pias ac salutiferas admonitiones et exhortationes depositus est juste atque canonice Anastasius, presbyter tituli sancti Marcelli, eo quod contra auctoritatem canonicam propriam parochiam deseruisset per annos scilicet quinque, et in aliena ad usque hodie demoratur, et neque vocatus neque excommunicatus et ad ultimum anathematizatus, sicut de eo in hac synodo veridica pictura demonstrat, ad congregata duo pro eo episcoporum concilia venire D noluit; ideo tam a summo pontifice quamque ab universis episcopis tunc synodo præsidentibus, videlicet numero sexaginta septem, ob suam

[a] Marini 1, papiri 14. — Clausula est valde vitiosa.

[b] Ex Annalibus Hincmari Rhemensis, apud Pertz, Monumenta Germaniæ historica.

[c] Anastasius iste alius est ab Anastasio Bibliothecario, cui Vitæ pontificum Romanorum attribuuntur. Bouq.

[d] Post Romanum pontificem in hac excommunicatione consenserunt archiepiscopus Ravennatis et Mediolanensis, aliique numero septuaginta quinque. Hincm.

[e] Post Romanum pontificem in hoc anathemate consenserunt Joannes, archiepiscopus Ravennatis, Nottingus (*a*) et Sigilfredus (*b*), episcopi domni imperatoris, et sex episcopi ad prædictum archiepiscopum pertinentes, quorum notitiam non recolimus, et alii tam ex Romana urbe quam ex aliis numero quinquaginta sex, absque presbyteris et diaconibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Hincm.

[f] Hic anni imperii Lotharii ac Ludovici simul conjunguntur. Annus enim Lotharii 37 cum anno Ludovici 5 conjunctus, reddit annum 42 imperii eorum. Porro istud concilium Romanum in præfatione habitum dicitur: Lotharii ac Ludovici imperatorum anno imperii eorum 5 et 37, mense Decembri, die 5, indict. 2. Bouq.

(*a*) Episcopus Brixiensis Pertz.
(*b*) Videtur esse Sigisfridus, Regiensis episcopus. Id.

stultam audaciam merito, ut prædiximus, est depositus et sacerdotali honore privatus, anno denique, mense ac die atque indictione ut supra.

VIII

AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

Docet episcopos simoniacos in concilio judicandos esse: deinde respondet aliis eorum consultationibus.

Leo omnibus reverentissimis confratribus Britannicæ gentis episcopis.

Quanto studio quantaque solertia gregem vobis a Domino commissum pascitis, divinisque fovetis eduliis nobis directa scripta reserarunt. Unde non modica exsultatione congratulor, et tantarum ambiguitatum indagatione lætificatus, a timore negligentiæ, qui me illius regionis in infimis deprime- B bat, quasi a gravi languore relevatus et utpote sanus, licet omni salute captus, magis animo sospes surrexi quam corpore, Quia cum quosdam laicorum in ecclesiasticis cognoverim curis præpollere, et studioso animo ab illorum respondere vigilantiis cogerer, nihil aliud vos, qui divinis negotiis et ecclesiasticis sorte venistis, quam crederem dormitare: nunc divina gratia hi confratres nostri, videlicet talium, et tales ecclesiarum præsules, ad nos perducti et cogniti, magis securus nunc duro quam antea. Legationem denique communem omnium episcoporum reverendissimorum nobis propositam delinquentes, requiritis de his qui turpissimo lucro columbas in templo Domini vendere non pertimescunt (1, q. 2, *Requiritis de iis*), et sua ac- C ta improba temeritate Simonis hæresi conjungunt, utrum possint in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra ordinem et sacerdotalem fieri gradum. Quibus nos quidem convictis qui tam detestabile nefas, quod jam multis est damnatum conciliis, peregisse noscuntur, nulla pœnitentia possumus subvenire, et tot spiritualibus patribus obviare: sed in illorum patrum me sententia convenire omnibus certum sit. Ita tamen ut omnia in conciliis sint episcoporum. Nam nullam damnationem episcoporum esse unquam censemus (I, q. 7, *Nullam damnationem*), nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui fit per duodecim episcopos, aut certe probata sententia, per septuaginta duos idoneos testes, qui tales sint, qui et accusare possint, et prius ad sacra Christi quatuor Evan- D gelia sacramenta præstent, quod nil salsum depromant, *sicut nobis beatus Silvester tradidit, et Romana sancta tenere videtur Ecclesia* *. Et si inter eos, quos damnatos esse dixerunt homines, fuerit episcopus, qui suam causam in præsentia Romanæ sedis episcopi petierit audiri, nullus super illum finitivam præsumat dare sententiam: sed omnino eum audiri decernimus. De cætero vero, quod nobis apicibus vestris factum est clarum, quid vel qualiter de ipsis capitulis interrogantis debeam respondere, unde precibus vestris annuere curavimus, et singillatim quid agendum est, sive exposito a sanctis Patribus, sive more antiquitus tradito, curavimus demonstrare.

I. *Ad quos ecclesiasticus ordo pertineat.*

Primo quidem capitulo dictum, cui ecclesiasticus ordo pertineat: quod episcopis et clericis ordinatis pertinere non dubium est. Quod vos ignorare minime credimus, ab ipsis apostolicis viris cognoscitis. Et cum in sacris conciliis ab episcopis promulgatæ sint regulæ et receptæ, quis extra episcopos promulgator canonicarum quiverit esse sententiarum?

II. *Unaquæque parochia episcopi provisione regenda*

Regenda vero est unaquæque parochia (x, q. 1, *Regenda est unaquæque*) sub provisione ac tuitione episcopi, per sacerdotes vel ceteros clericos, quos ipse cum Dei timore præviderit, cui jure pertinere videbitur, et circuire, ut sibi necessarium visum fuerit, ecclesiastica utilitate cogente.

III. *Non cogendus presbyter ad sacra concilia eulogias deferre.*

De eulogiis ad sacra consilia deferendis (Dist. 18, *De eulogiis*) nihil invenimus a majoribus terminatum, sed sicut unicuique presbyterio placuerit. Nam si constitutum fuerit illo in tempore benedictiones afferri, forsan minus libenter ad synodos occurrent, et magis venire detrectabunt: quæ ut arbitror non sunt rationabiliter requirendæ, nec ultro delatæ respuendæ.

IV. *Sors nihil aliud quam divinatio et maleficium.*

De experientia autem divinationum vel maleficiorum, scriptum quidem in sacris habemus canonibus, ut ipsa verba ponamus, ita *Conc. Ancyr.*, can. 23): Qui divinationes expetunt, et morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant. Unde ad illorum similitudinem, sortes, quibus cuncta vos in vestris discriminatis judiciis (26, q. 5, *Sortes quibus*), nihil aliud quam quod illi patres damnarunt, divinationes et maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, et ultra inter Christianos nolumus nominari, et ut abscindantur, sub anathematis interdicto præcipimus (Ivo, part. IX, cap. 11).

V. *Ut nullus propria cognatione conjugem sibi copulet.*

Ut definitum est a Patribus, nullus de propria cognatione sibi audeat copulare, alioqui anathema sit (Dist. 20, *De libellis*). Unde beati junioris Gregorii decreta eximie sunt retinenda.

VI. *Per quæ decreta judicare debeant episcopi.*

De libellis et commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, et sanctorum conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas, id est quæ habentur apud nos simul cum illis in canone, et quibus in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis, id est Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, Carthaginensium, Africanensium: et cum illis regulæ præsulum Romanorum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Sim-

* Hæc verba deesse in Romana editione, et in ms. cod. Vaticano observavit Lucas Holstenius.

plicii. Isti omnino sunt, per quos judicant episcopi et per quos episcopi simul et clerici judicantur. Nam si tale emerserit vel contigerit inusitatum negotium, quod minime posset per istos finiri, tunc si illorum, quorum meministis dicta Hieronymi, Augustini, Isidori, vel cæterorum similiter sanctorum doctorum similium, reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda, vel ad apostolicam sedem referatur de talibus. Quam ob causam luculentius et magna voce pronuntiare non timeo, quia qui illa quæ diximus sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos canones prætitulantur, sive ut episcopus, sive clericus, sive laicus, non indifferenter receperit, ipse se convincit, nec catholicam et apostolicam fidem, nec sancta vera Christi evangelia quatuor utiliter et efficaciter et ad effectum suum retinere vel credere.

IX.

AD LUDOVICUM [LOTHARIUM] AUGUSTUM.

Ex Regesto Leonis IV.

[a] Igitur cum sæpe adversa a Saracenorum partibus perveniant nuntia, quidam in Romanum Portum clam, furtiveque venturos esse dicebant; pro quo nostrum congregari præcipimus Portum, maritimumque ad littus descendere decrevimus, et egressi sumus Roma.

X.

AD LUDOVICUM IMPERATOREM.

[b] Scire vos oportet, quod nunquam ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi; sed si necessitas illis incurrerit, præsentialiter vindicamus; quia nostri gregis in omnibus ultores esse debemus et præcipui adjutores.

XI.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM.

[c] Pro certo scitote, quod nunquam permittimus nostros a vobis lacerari aut opprimi homines atque subjectos, sed si (quod non speramus) hujus nostræ monitionis dicta neglexeritis, et amplius aliquas oppressiones præfatis, vel aliis nostris hominibus feceritis, præsentialiter eos vindicabimus, et omnia vestra eripere curabimus, furibunda crudelique audacia.

XII.

LOTHARIO ET LUDOVICO IMPERATORIBUS [d].

Lotharium et Ludovicum imperatores Colono diacono ecclesiam Reatinam rogat, Leo « ut, inquit, vestra licentia accepta, ibidem consecrare valeamus episcopum; sin autem in prædicta ecclesia nolueritis ut præficiatur episcopus, Tusculanam ecclesiam illi vestra serenitas dignetur concedere. »

XIII.

AD ANASTASIUM PRESBYTERUM EXCOMMUNICATUM.

Ad concilium illum vocat.

LEO episcopus, servus servorum Dei, ANASTASIO presbytero excommunicato.

Cum spiritualibus te nostris procreatum visceribus noscimus, tua deceptione quotidie ingemiscimus; qui sinu matris tuæ progressus, erroris irretitus caligine alienis parochiis vel regionibus immorari, contra præcepta Patrum canonumque sanctionem, non dubitas. Revertere igitur, salutisque incedere summopere callem procura, te ne vana spes decipiat, caducæque adulationes subvertant. Sed terrenis mente actibus erigens, ea quæ superna infinitaque permanent, inquiescibili intuitu anhelare memento. Quia salutem semper tuæ cupimus animæ corporisque videre: et ne te diabolicæ insidiæ concludant, omnipotentis Domini semper clementiam exoramus. Præterea apostolicis tibi præcipimus litteris; jam quinquennii tempus huc illucque latitans velut anguis discurris, ad concilium, quod quinto decimo congregaturi sumus die Novembris, exspectatæ futuræ secundæ mensis indictione [mensis exsp. *F.* secundæ indictionis], præsentare te omni deposita occasione procures: ut causam tuam in venerabili cœtu sanctæ valeamus congregationis subtili ventilare intuitu, et humanius tuam conversionem tractare. Si autem neglexeris quod præcipimus, ampliori te vinculo innodamus. Nam e multimodis [e] te reprehendimus, ac reprehensibilem judicamus; quia ad duo pro te congregata concilia occurrere distulisti; sicut hi præsentes Nicolaus, Petronacius, atque Joannes venerabiles episcopi nostri, per quos te nunc auctoritate canonica jussimus evocare, ore proprio indicabunt. Si autem constituto tempore ad prædictum concilium venire neglexeris, sub excommunicatione atque anathemate te modis omnibus decernimus esse mansurum.

XIV.

EPISCOPIS BRITANNIÆ [f].

Fragmentum.

Non cogantur presbyteri ad sacra concilia eulogias deferre.

De eulogiis ad sacra concilia deferendis nihil invenimus a majoribus terminatum: sed sicut unicuique presbytero placuerit. Nam si constitutum fuerit illo in tempore benedictiones afferri, forsitan minus libenter ad synodos occurrent, et magis venire obtrectabunt. Quæ ut arbitror non sunt rationabiliter quærendæ nec ultro delatæ respuendæ.

XV.

AD LOTHARIUM AUGUSTUM.

Fragmentum.

[g] Habetis de hoc apud Deum retributionem non modicam si antiquæ legis dogmata minime observantes vestra imperiali censura pro viribus castigatis, atque corrigitis. *Item.* Vestram flagitamus clementiam ut sicut hactenus Romana lex viguit absque universis procellis, et pro nullius persona

[a] Ivo, cap. 83.
[b] Ibid., cap. 84,
[c] Ibid., cap. 85.
[d] Gratiani Decret., I,63,c.16, *de Reatina ecclesia.*
[e] *Et multis modis.* Legitur cap. 46, lib. XI, card. Deusdedit.

[f] Pith. *De eulogiis.* — Vide Paulin, ad Severum, et Centuriat. T. IX, p. 407. Habetur hæc epistola Romæ manuscripta.
[g] Ivo, part. IV cap. 181. Affert hoc etiam dist. 11, cap. *Vestram.*

hominis reminiscitur esse corrupta, ita nunc suum robur propriumque vigorem obtineat.

XVI.

AD LOTHARIUM AUGUSTUM [a].

Fragmentum.

De capitulis vel præceptis imperialibus vestris, vestrorumque pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis et conservandis, quanto valuimus et valemus, Christo propitio, et nunc et in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet vobis aliter dixerit vel dicturus sit, sciatis eum pro certo mendacem.

XVII.

AD CAROLUM CALVUM [b].

Fragmentum.

Si fortassis, quod non credimus, apud vos inutiles judicamur, Ecclesia tamen, cui præsidemus, non inutilis, sed caput principiumque omnium merito simul ab omnibus vocatur.

XVIII.

AD CAROLUM CALVUM [c].

Fragmentum.

Contra sanctorum Patrum censuras videtur existere si sæcularis vel laicus presbyteros ab ecclesiis, in quibus tempore ordinationis eorum nominati vel introducti fuerint, videtur [*Al.*, nitetur] expellere.

XIX.

AD VIDONEM COMITEM.

Fragmentum.

[d] Valde indignum est, futuris gentibus etiam contrarium, tam gloriosam legem, quam multi retro custodierunt imperatores, nunc suam vim perdere ac injuste damnari.

XX.

COLORODO ARCHIEPISCOPO ET BERTUSO.

[e] Ideo permittente Deo pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri sive in sanctis canonibus, sive in mundanis legibus affixere, excedere minime debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quæ ipsi divino statuerunt concilio, intacta non servamus.

XXI.

AD PRUDENTIUM EPISCOPUM TRICASSINUM.

Ut monasterium ab Adremaro constructum consecret.

[f] Leo episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Prudentio Tricassinæ sedis episcopo salutem.

Cognoscat prudentia sanctitatis tuæ, qualiter hic religiosus monachus, Adremarus nomine, cum monachis suis, cum summa devotione, ad laudem et gloriam sanctæ Trinitatis, et remedium animæ suæ suorumque omnium, in honorem beati Petri apostolorum principis, seu et sancti Leonis ejusdem vicarii papæ, monasterium desiderat consecrare, et situm ac structuram ejus sancti cœnobii in rebus juris jam dicti beati Petri apostoli, quæ ejus vere sunt, fundare ac constituere, quæ res prædictæ Guidoni gloriosissimo comiti per præceptum pontificale donatæ sunt. Quam ob causam jubemus ac hortamur sanctitatem tuam ut quando ab illius prædicti monachi fueris humilitate postulatus, illuc accedere debeas, et loco, quem vobis significaverit, ipsas illic reliquias supra nominatorum sanctorum, quas a nobis accepit, eo tenore et conditione recondas atque consecres, ut semper et perpetualiter sub jure ac potestate sanctæ nostræ Romanæ ecclesiæ jam fatum monasterium consistat atque permaneat. Sanctitatem tuam omnipotens Deus incolumem custodiat, frater. Bene vale.

XXII.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM [g].

Cur synodi Suessionensis confirmationem differat.

Causas pro quibus hoc usque ad tempus suspendimus, charitati vestræ dicemus. Prima igitur hæc est, quia sicut ab episcopis prænominata synodus utiliter ventilata, sive sopita est ; ita per aliquot ex eis, ut dubitatio foret radicitus evulsa, statuta vestræ synodi destinare debuistis. Alia autem juxta votum vestri desiderii id nos perficere minime permisit, eo quod legati sedis apostolicæ præsentes ibidem non fuerunt : neque imperialis epistola nobis talis est præsentata, quæ hoc quod expetendum misistis ; specialiter indicare potuisset. Quarta scilicet causa hæc est, quia hi quos depositos charitas vestra auctoritate synodi fore affirmat, per proprias litteras sedem apostolicam appellarunt, et volunt iterum nostra se apostolica audiri præsentia ; et tunc si culpabiles inventi fuerint, non se abnuunt canonicam sustinere censuram.

XXIII.

AD HINCMARUM EUMDEM [h].

De eadem synodo duobus legatis demandatum scribit.

Sed ad vestras petitiones exsequendas et obtinendas Petrum venerabilem, et dilectissimum nobis, Spoletanum episcopum, viva voce nostra vice exsecutorem instruximus, et alium Petrum venerabilem æque et amantissimum, episcopum Aretinum, litteris commonuimus, et alios fideles vestros atque nostros similiter inde monuimus, *et reliqua.*

XXIV.

AD NOMENOJUM [i] DUCEM BRITANNIÆ.

Ut Gislardum invasorem sedis Namneticæ defensare desinat.

Non furem et latronem (7, q. 1, *Ne furem*) qualem Gislardum sentimus esse in Namnetica sede, qui

[a] Gratiani Decret., dist. 10, c. 9.

[b] Ivonis Decret., dist. 5, c. 11 ; Gratiani Decret., c. 16, qu. 6, cap. *Si fortassis.*

[c] Gratiani Decret., XVI qu. 7, c. 29; (Ivonis Decr., III. c. 102), *Contra sanctorum.*

[d] Ivo, ibid. cap. 182.

[e] 25, q. 1, cap. *Ideo permittente.* Ivo, part. IV. cap. 136.

[f] Apud Mansi, *Conc. gener.*, tom. XIV.

[g] Ex Hincmari epistola ad Nicolaum.

[h] Ex eadem epistola.

[i] Mendose apud Gratianum, VII, q. 1, in titulo capitis *Vernoni* scriptum est, pro *Nomenojo*, in hunc modum: *Item Leo IV Vernoni duci Britanniæ,*

viventis, quod non licuit, locum non timuit usurpare, pro cujuscunque muneris donis ultra debes defensare. A

XXV.

AD EBRUINUM ET ADELFREDUM EPISCOPOS [a]

Fragmentum.

Quia præsulatus nostri (quod bene nostis) magisterium non solum de sacerdotum, verum etiam de sæcularium utilitatibus debet esse solticitum, propterea fraternitatem vestram scire volumus hunc præsentem presbyterum ad sedem apostolicam venisse, nobisque violentiam et excommunicationem suam per ordinem retulisse; quod etiam sine justo legis tramite illi sua fuisset ablata ecclesia, similiter indicavit: quam alius dato munere sacerdos zelo ductus invidiæ usurpare præsumpsit. Inde parentes ejus magno dolore compulsi presbyterum illum, qui suam tenebat ecclesiam, mox comprehenderunt, et ei oculos eruerunt. Tamen ipse sæpe dictus sacerdos dicit quod absque sua voluntate et sine ejus consilio hoc sit peractum. Quod si ita est, ut ipse nobis suo ore testatus est, vobis magnopere providendum est, ut, si canonice ipse excommunicatus non est, canonica super eum fiat remissio.

XXVI.

AD JUDICEM SARDINIÆ.

[b] Nec mos, nec noviter introducta consuetudo nostræ Ecclesiæ prædecessoribusque nostris fuit contra sanctorum canonum nova, vel inusitata præsumere. Quamobrem nos devotius volentes vestras petitiones suscipere, si in his nos sanctorum Patrum censura juvaret, sed ideo quia synodicæ paginæ in hoc favere non videntur, nos tantam novitatem præsumere non possumus, et ab illo rectissimo tramite deviare.

XXVII.

AD JUDICEM SARDINIÆ

[c] Celsitudinem vestram duximus obsecrandam, ut nobis quantos tua prævideril magnificentia armatos sive pueros, sive adultos, ac juvenes cum armis suis mandare dignemini, qui nobis quotidiana jussa possint explere.

XXVIII.

DE EO QUI PLURES ECCLESIAS RETINET [d]

Fragmentum.

Qui plures ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam vero sub commendatione retinere debet.

XXIX.

DE ESU CARNIUM [e]

Fragmentum.

Ut a cœnæ termino, quæ fit in principio noctis quartæ feriæ, quæ lucescit in quarta feria, usque ad diluculum quintæ feriæ et similiter a cœna noctis sextæ feriæ, quæ lucescit in sexta feria, jejunatio usque ad Sabbati lucem protendatur.

XXX.

B

AD LUDOVICAM AUGUSTAM [f]

Fragmentum.

Nos si incompetenter aliquid egimus, et in subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio; inde imploramus ut tales ad hæc quæ diximus perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant et cuncta, quemadmodum si vestra præsens fuisset imperialis gloria, diligenter exquirant: et non tantum hæc sola quæ superius diximus, quærimus, exagitent, sed sive minora, sive majora illis sint de nobis judicata negotia, ita ut examussim eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit « quod ex eis indiscussum vel indiffinitum remaneat. » C

XXXI.

LOTHARIO ET LUDOVICO IMPERATORIBUS [g]

Fragmentum.

Inter nos et vos pacti serie statutum est et confirmatum quod electio et consecratio futuri Romani pontificis non nisi juste et canonice fieri debeat.

XXXII.

[h] Omnes canonum sponte violatores, in omnibus authenticis conciliis anathematizati sunt.

XXXIII.

Ex registro Leonis papæ IV.

[i] De decimis justo ordine non tantum nobis, sed majoribus visum est, plebibus tantum, ubi sacrosancta dantur baptismata, dari debere.

D

[a] Gratiani Decret., II, c. 1, quæst. 4.
[b] Ivo, part. IV, cap. 196.
[c] Ibid., cap. 86.
[d] Gratiani Decret., c. 21, qu. 1, c. 3, *Qui plures.*
[e] Gratiani Decret., III, dist. 3, c. 11, *De esu carnium.*

[f] Gratiani Decret., dist. 1, c. 2, qu. 7; Ivonis Decret., V. c. 22, *Nos si incompetenter.*
[g] Ivonis Decret., V, c. 14; Gratiani Decret., I, dist. 63, c. 31; *Inter nos et.*
[h] Ex Suppl. Mansi, tom. I, pag. 908.
[i] Affert ex Leone IV Gerhous in Dial. vulg. a P. Pez Anecdot. tom. II, pag. 482.

LEONIS PAPÆ HOMILIA[a].

COLLECTORIS PRÆMONITIO.

Quam hic exhibeo, Leonis papæ IV homiliam, maximi faciendam suadet Romanæ Ecclesiæ ætatis illius disciplina, quam vivis coloribus depictam exprimit; sed cum maxime variet in mss. codicibus, nec in editis semper sibi cohæreat, permagni interesse arbitror, si collatio inter varios codices instituatur, quo ex consensu plurimorum eliciatur quid genuinum sit Leonis, quid adulterinum et ascititium. Interpolationis vero hujus causam hanc afferri posse arbitror, quod post Leonem mos obtinuerit, ut hæc ipsa homilia in synodis legeretur ad cleri eruditionem; ex quo factum est, ut pro varia locorum disciplina variaretur, moribus provinciæ vel diœcesis, cui tradebatur, accommodanda. Constat id ex titulo quem in ms. codice Lucensi gerit: *Epistola Leonis papæ in synodo legenda*. Quæ cum ita se habeant, e re ecclesiastica facturum me arbitror, si triplex ejusdem homiliæ schema proposuerim, quorum alterum Labbeanum est, aliud ex Martene Veter. Mon. tom. VII, pag. 1 petitur, quanquam Leonis nomen ascriptum ibi non legitur, tertium tandem ex ms. codice bibliothecæ cathedralis Lucensis sæculi XII. Variantes lectiones e ms. codice bibliothecæ S. Victoris Martenius adjecit, ex quo huc transferro, junctis pariter variantibus e sermone synodali quem ex Marco Velsero acceptum Labbeus tom. XI Ven. edit., pag. 1075, non expresso Leonis papæ nomine (cum reipsa tamen ipsa sit Leonis homilia interpolata) exhibuit.

MARTENII EDITIO.

Commonitorium cujusque episcopi ad sacerdotes sibi subditos.

Fratres, sacerdotes Domini, cooperatores nostri ordinis estis; et nos quidem, quamvis indigni, locum Aaron tenemus; vos locum Eleazari, et Ithamari. Nos vice duodecim apostolorum fungimur; vos septuaginta duorum discipulorum. Nos pastores vestri sumus; vos plebis vobis commissæ. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori Domino nostro Jesu Christo; vos de plebe vobis commissa. Ideoque, charissimi, vestrum videte periculum. Admonemus itaque et obsecramus fraternitatem vestram, ut [b] quæ vobis suggerimus, memoriæ commendetis, et opere exercere studeatis.

I. In primis admonemus, ut vita et conversatio vestra irreprehensibilis sit, scilicet ut cella vestra sit juxta ecclesiam, et in domo vestra feminas non habeatis.

II. Omni nocte ad vigilias [c] surgite; cursum vestrum horis certis decantate.

III. Missarum solemnitates [d] celebrationesque religiose peragite; corpus et sanguinem Domini cum timore et reverentia sumite; vasa sacra propriis manibus abluite, et extergite.

IV. Nullus cantet, nisi jejunus; nullus cantet, qui non communicet.

V. Nullus cantet sine amictu, alba, stola, fanone, casula [e]. Et hæc vestimenta nitida sint, et ad nullos alios usus sint.

LABBEI EDITIO.

Homilia Leonis papæ IV.

Fratres, presbyteri et sacerdotes Domini, cooperatores mihi estis ordinis. Nos quidem, quamvis indigni, locum Aaron tenemus; vos autem Eleazari, et Ithamar. Nos vice duodecim apostolorum fungimur; vos ad formam septuaginta discipulorum estis. Nos vero pastores vestri sumus; vos autem pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus pastori nostro Jesu Christo; vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, charissimi, videte periculum vestrum. Admonemus, et obsecramus, sicut alibi scriptum invenimus, fraternitatem vestram, ut de communi salute vestra cogitantes, attentius audiatis admonitionem nostram; et quæ vobis suggerimus memoriæ commendetis, et opere exercere studeatis.

In primis admonemus firmiterque præcipimus, ut vita et conversatio vestra irreprehensibilis sit, scilicet ut cella et habitatio vestra sit juxta ecclesiam, et in ea feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnas horas surgite; cursum vestrum certis horis decantate; missarum celebrationes devote peragite; corpus et sanguinem Domini cum timore et reverentia sumite. Vasa sacra propriis manibus abluite, et extergite. Nullus missam cantet solus: nullus ante solis ortum, nisi in nativitate Domini. Nullus cantet eam nisi jejunus. Nullus cantet qui non communicet. Nullus cantet sine lumine, sine amictu, sine alba, stola, fanone, et casula. Vestimenta nitida sint, et

LUCENSIS CODEX MS.

Epistola Leonis in synodo legenda.

Fratres, presbyteri, sacerdotes Domini, cooperatores ordinis nostri estis. Nos, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari, et Ithamar. Nos vice duodecim apostolorum fungimur; vos ad formam septuaginta discipulorum estis. Nos vero pastores vestri sumus, vos autem pastores animarum vobis commissarum. *Reliqua ut apud Martene.*

I. In primis, etc., *ut apud Martenium.*

II. Omni nocte ad horas surgite.

III. Missarum celebrationes religiose, etc., *ut apud Martenium.*

IV. Nullus missam cantet solus. Nullus ante solis ortum cantet nisi in Natali Domini. Nullus cantet missam, etc., *ut in Martene.*

V. Nullus cantet sine lumine, sine amictu, etc., *ut apud Martene.*

---

[a] Ex Collectan. S. Ansel. Lucen. in Antiq. Lection. Canis. tom. III, part. I, pag. 394, edit. Basnag.

[b] Aug., *de communi*, etc., ut in Sermone Leonis Labbeano.

[c] Aug., *ad nocturna.*

[d] Aug., *Missarum celebrationes.*

[e] Aug., *Planeta.*

MARTENII EDITIO.

VI. Nullus cum alba, qua in suos usus utitur præsumat missam celebrare [a]. Nullus in ligneo, aut vitreo calice audeat missam celebrare [b].

VII. Nulla femina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat.

VIII. Corporale mundissimum sit. Altare sit coopertum de mundis lineis. Super altare nihil ponatur nisi capsæ, et reliquiæ, et quatuor [c] Evangelia, et pixis [d] cum corpore Domini ad viaticum infirmis; [e] cætera in nitido loco recondantur.

IX. Missale plenarium, [f] lectionarium, antiphonarium, [g] utrumque librum XL Homeliarum unusquisque habeat.

X. Locus, in secretario vel juxta altare sit præparatus, ubi aqua effundatur, quando sacra vasa abluuntur, ibique vas nitidum cum aqua pendeat; ubi sacerdos manus lavet post communionem.

XI. Ecclesiæ sint bene coopertæ, et cameratæ; atrium ecclesiæ undique [h] muratum.

XII. Nullus extra Ecclesiam per domos, vel in locis non consecratis missam cantet [i], nec solus cantet.

XIII. Quisque presbyter clericum [j] habeat, qui epistolam, vel lectionem legat, eique ad missam respondeat, et cum quo psalmos cantet [k].

XVI. Infirmos visitate, eosque Deo reconciliate, [l] oleo sancto ungite, et propria manu communicate. Nullus præsumat tradere communionem laico, vel feminæ ad ferendum infirmo.

XV. [m] Nullus sacrum chrisma vendat; nullus pro baptizandis, vel pro corpore Domini, vel pro reconciliatione, vel pro sepultura, vel pro consecrandis ecclesiis pretium quærat, vel ecclesias aliquorum data pecunia subripiat.

XVI. Videte, ne per negligentiam vestram ullus infans sine baptismo moriatur.

XVII. Nullus vestrum sit ebrio-

LABBEI EDITIO.

ad nullos alios usus sint. Nullus in alba, qua in suo usu utitur, præsumat missas cantare. Nullus in ligneo, plumbeo, aut vitreo calice audeat missam agere. Nulla femina ad altare Domini accedat, et calicem Domini contingat. Corporale mundissimum sit. Altare sit coopertum mundissimis linteis. Super altare nihil ponatur, nisi capsæ cum reliquiis sanctorum, aut forte quatuor sancta Dei Evangelia, aut pyxis cum corpore Domini ad viaticum pro infirmis: cætera in nitido loco recondantur. Missale plenarium, et lectionarium, et antiphonarium unaquæque ecclesia habeat. Locus in secretario, aut juxta sit præparatus, ubi aqua effundi possit, quando vasa sacra abluantur, et ibi linteum nitidum cum aqua dependeat, et ibi sacerdos manus lavet post communionem. Ecclesiæ sint coopertæ bene, et cameratæ, et atrium sit semper mundatum.

Nullus extra ecclesiam per domos, aut in locis non consecratis missas cantet sine licentia sui episcopi. Omnis presbyter clericum habeat scholarem, qui epistolam, vel lectionem legat, et ad missam respondeat, cum quo et psalmos cantet. Nullus cum calcaribus, vel cultellis missam cantet, quia indecens et contra regulas Ecclesiæ est. Calicem, et oblatam recta cruce signate, id est non in circulo et variatione digitorum, ut plurimi faciunt, sed districtis duobus digitis, et pollice intus recluso, per quos tinitas annuitur, istud signum ✝ recte facere studete; non enim aliter quidquam potestis benedicere.

Infirmos visitate, et ut sua rationabiliter disponant admonete; deinde reconciliate, et juxta Apostolum, oleo sancto inungite, et propria manu communicate; et nullus præsumat communionem laico aut feminæ tradere ad deferendum ad infirmos. Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium aut munus exigat Videte ne per negligentiam vestram ullus infans absque baptismo moriatur. Nullus vestrum sit ebriosus, nullus sit litigiosus, quia servum Dei non decet litigare. Nullus vestrum arma ferat

LUCENSIS CODEX MS.

VI. Nullus cum alba, qua in suos usus utitur, præsumat missam cantare. Nullus in ligneo, aut plumbeo, aut vitreo calice audeat missam cantare.

VII. Nulla femina, etc., *ut apud Martenium.*

VIII. Corporale. . . . . . . et reliquiæ, aut forte IV Evangelia, aut Buxis cum corpore, etc., *ut apud Martene.*

IX. Missale plenarium, etc., *ut apud Martenium. sed deest* utrumque librum XL Homeliarum.

X. Locus in sacrario, etc., *reliqua ut apud Martenium.* . . . . manus lavet ante et post communionem.

XI. Ecclesiæ, etc., *ut apud Martenium*, atrium Ecclesiæ sæpe munitum.

XII. Nullus extra ecclesiam cantet sine licencia sui episcopi.

XIII. Quisque presbyter clericum vel scholarem habeat, etc., *reliqua ut apud Martenium.*

Quæ sequuntur apud Labbeum, et in Martene desiderantur, in nostro pariter desunt.

XIV. Infirmos visitate et eos reconciliate, et juxta Apostolum oleo, etc., *ut in editis apud Martene.*

XV. Nullus pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis præmium vel munera exigat.

XVI. Videte, etc., *ut apud Martenium.*

XVII. Nullus vestrum etc., *ut*

[a] Victor et Aug. *cantare.* Reliqua in Augustano desunt, sed statim subjungit *Nulla femina*, etc.
[b] Victor. *Cantare.*
[c] Aug. et Victorin. *Aut forte quatuor* etc.
[d] Aug. *Buxida.*
[e] Aug. *Cum corpore Domini ad infirmos.*
[f] Aug. et Victor. ut in Lucensi.
[g] Aug. ut in Lucensi.
[h] Aug et Victorin. *Sit sæpe munitum.*
[i] *Nec colus cantet.* Deest in Aug. et Victorino.
[j] Aug. *vel scholarem.*
[k] Aug. addit: *Nullus solus missam cantet.* Dein subdit: *Nullus cum calcariis, quo sperones rustice vocamus, et cultellis extrinsecus dependentibus Missam cantet, quia indecens est et contra regulam ecclesiasticam est. Calicem*, etc., ut in homilia Leonis Labbeana.
[l] Aug. *et juxta Apostolum oleo.*
[m] XV. Aug. et Victorin, in toto isto capite, Lucensi cohærent.

MARTENII EDITIO.

sus, litigiosus [a], nullus arma in seditione ferat, nullus [b] canum, vel avium jocis inserviat. Nullus in tabernis bibat.

XVIII. Unusquisque vestrum, quantum sapit, plebi suæ de Evangelio, [c] de epistola, vel aliqua divina Scriptura Dominico die, vel festis diebus annuntiet.

XIX. Curam pauperum, peregrinorum, orphanorum habeat, eosque ad prandium invitet, ut in his, et aliis hujusmodi a vobis alii exemplum capiant.

XX. Omni die Dominico ante Missam aquam benedictam facite, unde populus [d] et loca fidelium aspergantur.

XXI. Sacra vasa, vel vestimenta sacerdotalia non dentur in vadimonium negotiatori, vel alicui sæculari.

XXII. Nullus vestrum minus digne pœnitentem cujuscunque rei gratia ad reconciliationem adducat, et ei reconcialiationis testimonium ferat.

XXIII. Nullus vestrum usuras exigat, et conductor sui [e] senioris existat. Res et facultates, quas post diem ordinationis vestræ acquiritis, ad ecclesiam cui deservitis [f] pertinere sciatis.

XXIV. Nullus sine scientia, et consensu nostro ecclesiam acquirat. Nullus per potestatem sæcularium ecclesiam obtineat; nullus ecclesiam ad quam titulatus est dimittat, et ad aliam causa quæstus migret.

XXV. Nullus plures teneat ecclesias sine aliorum auxilio presbyterorum; nullatenus una ecclesia inter plures dividatur.

XXVI. Nullus alterius parochianum, nisi in itinere, aut si sibi placitum fuerit ad Missam recipiat. Nullus in alterius parochia sine [g] licentia illius cantet.

XXVII. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat [h].

XXVIII. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare, vel vinum bibere, nisi pro eo ad præsens eleemosynam dederit.

XXIX. Nullus [i] præsumat baptizare, nisi in vigilia Paschæ et

LABBEI EDITIO.

in seditione, quia arma vestra spiritalia debent esse.

Nullus canum, aut avium jocis inserviat. Nullus in tabernis bibat. Unusquisque vestrum (quantum ei datur, et in se est) aliquid de sacro Evangelio, vel de epistolis apostolorum die Dominico vel festis diebus plebi suæ annuntiet. Unusquisque presbyter officium suum recte addiscat; qui autem est illitteratus, ab officio suspendatur nisi emendet. Verbum Domini, et non fabulas inanes ex corde vestro debetis populo annuntiare, et prædicare. Curam pauperum, peregrinorum, et orphanorum habete: et ad prandiola vestra eos invitate. Estote hospitales, ut a vobis alii bonum sumant exemplum.

Omni die Dominica ante missam aquam benedicite, unde populus aspergatur; et ad hoc proprium vas habete. Sacra vasa, et vestimenta sacerdotalia nolite pignori dare. Nullus vestrum minus digne pœnitentem cujuscunque rei gratia ad reconciliationem adducat, et ei testimonium reconciliationis ferat. Nullus vestrum usuras exigat ut conductor fœneratorum existat; res, et facultates, quas post ordinationem vestram acquiritis, sciatis ad Ecclesiam matrem pertinere. Nullus sine licentia episcopi per potestatem sæcularem ecclesiam acquirat. Nullus presbyter sub potestate laicorum minister, aut castaldio fiat. Nullus per pecuniam ecclesiam alterius supplantet. Nullus ecclesiam, ad quam intitulatus est, dimittat. et ad aliam, quæstus gratia, sine licentia episcopi migret. Nullus plures ecclesias teneat sine adjutorio aliorum presbyterorum. Nullatenus una ecclesia inter plures dividatur. Nullus alterius parochianum, nisi itinere, si sibi placitum fuerit, ad missam recipiat. Nullus in alterius parochia absque proprii presbyteri voluntate, vel rogans, missas cantet. Nullus decimam ad aliam pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare et bibere vinum, nisi pro eo ad præsens eleemosynam faciat.

Nullus baptizare præsumat, nisi in vigiliis Paschæ, et Pentecostes,

LUCENSIS CODEX MS.

apud Martenium; additur quia servo Dei non oportet litigare. Nullus arferat [arma ferat] in seditione, quia arma nostra spiritualia debent esse. *Reliqua ut apud Martenium.*

XVIII. Unusquisque vestrum quantum sapit plebi suæ de Evangelio vel Apostolo die Dominica, et festis diebus annuntiet. Verbum Domini, et non fabulas inanes ex corde vestro debetis prædicare.

XIX. Curam pauperum, etc., *ut apud Martenium.......*

XX. Omni die Dominico, etc., *ut apud Martenium........* unde populus aspergatur, et ad hoc solum vas habete.

XXI. Sacra vasa, etc., *ut apud Martenium........* in vadium dare negotiatori, aut tabernario.

XXII. Nullus vestrum, etc., *ut apud Martenium.*

XXIII. Nullus vestrum, etc,, *ut apud Martenium........* et conductor sui fœneratoris existat, etc........ ad Ecclesiam matrem pertinere.

XXIV. Nullus sine scientia, etc., *ut apud Martenium........* episcopi per potestatem sæcularem ecclesiam obtineat. Nullus per pecuniam alterius ecclesiam supplantet. Nullus, etc., *ut apud Martenium.*

XXV. Nullus plures teneat, etc., *ut apud Martenium.*

XXVI. *Deest* nullus alterius parochianum........ recipiat.

XXVII. Nullus decimam, etc., *ut apud Martenium.*

XXVIII. Nullus pœnitentem, etc., *ut apud Martenium.*

XXXIX. Nullus præsumat, etc.' *ut apud Martenium.*

[a] Aug. et Victor. cum Lucensis cohærent.
[b] Aug. et Victor. cum Lucensi.
[c] Aug. et Victorin. cohærent Labbeo.
[d] Deest in Victorin. et August. *Loca fidelium.* In reliquis cohærent Lucensi.
[e] Victorin. *Novi fœneratoris* Aug. *sui fœnoris.*
[f] Aug. et Victorin. ut in Lucensi.
[g] Ita in Victorino; deest in August.
[h] *Nullus decimam*, etc. Deest in August.
[i] *Nullus præsumat baptizare*, etc. Deest in Augustano.

MARTENII EDITIO.

Pentecosten, nisi pro periculo mortis.

XXX. Unusquisque fontes habeat; si non potest habere lapideos, habeat aliud vas ad hoc tantummodo præparatum [a].

XXXI. Omnibus parochianis vestris symbolum, et orationem Dominicam insinuate.

XXXII. Jejunium quatuor temporum, rogationes, letaniam majorem [d] eis indicite.

XXXIII. Feria IV ante Quadragesimam eos ad confessionem invitate, eisque juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in pœnitentiali scriptum est.

XXXIV. Tribus vicibus in anno, scilicet in Natale Domini, Pascha, Pentecosten omnes [e] fideles communicent.

XXXV. Certis temporibus conjugati ab uxoribus abstineant.

XXXVI. Eulogias post missas in diebus festis accipiant [d].

XXXVII. Nullus presbyter in itinere sine stola [e] incedat; nullus induatur vestimentis laicalibus; nullus rem aut possessionem, aut mancipium Ecclesiæ vendat, aut commutet, vel quocunque ingenio alienet.

XXXVIII. Dominicum diem, aliasque festivitates [f] a vespera usque ad vesperam celebret unusquisque.

XXXIX. Cantus, et choros mulierum in atrio omnino prohibete.

XL. Carmina diabolica, quæ super mortuos vulgus cantare solet, et cachinnos, quos exercent sub contestatione omnipotentis Dei prohibete.

XLI. Excommunicatis missam ne cantetis, et plebi vobis commissæ ne hoc faciat interdicatis omnino.

XLII. Nullus presbyter ad nuptias eat.

XLIII. Nullus uxorem nisi publice celebratis nuptiis accipiat. Raptum nullus faciat. Nullus proximam suam accipiat. Nullus sponsam alterius ducat.

LABBEI EDITIO.

clericus, vel laicus in Ecclesia loqui audeat: tantum oret, maxime infra divinum officium. In sabbato Paschæ extincto veteri novus ignis benedicatur, et per populum dividatur, et aqua benedicta similiter. Unusquisque fontes lapideos habeat, et si lapideos habere non possit, vas saltem aliquod ad hoc paratum, in quo nihil aliud fiat, habeat. Attendite ut omnibus parochianis vestris symbolum apostolorum, et orationem Dominicam insinuetis. Vigilias apostolorum, et jejunium quatuor temporum, et rogationum, et litanias majores plebibus vestris omni studio observandas insinuate. Quarta feria ante Quadragesimam plebem ad peccatorum confessionem invitate, et juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in pœnitentiali scriptum est. Ab illa quarta feria usque in diem resurrectionis Domini nullus manducet carnem, vel sanguinem. Quatuor temporibus in anno, id est in Nativitate Domini, in Cœna Domini, Pascha, et Pentecoste, omnes fideles ad communionem corporis, et sanguinis Domini accedere admonete; certis diebus et temporibus conjugatos abstinere ab uxoribus exhortamini.

Eulogias post missas in diebus festis plebi distribuite. Nullus vestrum induatur vestibus laicalibus. Nullus rem, aut possessionem, aut mancipium Ecclesiæ vendere aut commutare, aut quocunque titulo alienare, absque licentia episcopi, præsumat. Die Dominica et aliis diebus festis absque opere servili a vespere ad vesperum celebrare facite. Cantus, et choros mulierum in Ecclesia, vel in atrio Ecclesiæ prohibete. Carmina diabolica, quæ nocturnis horis super mortuos vulgus facere solet, et cachinnos quos exercet, sub contestatione Dei omnipotentis vitate, cum excommunicatis nolite communicare. Nullus præsumat illis missas cantare; sed et hoc ipsum plebibus annuntiate. Ad nuptias, nisi forte ad eas benedicendas, nullus vestrum eat. Omnibus plebibus denuntiate, ut nullus uxorem accipiat nisi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodo prohibete, et ut nullus ad proximum sanguinis accedat, firmiter prohibete, ne alterius sponsum quis ducat, contradicite. Porcarios, pecuarios, et alios pastores, diebus Dominicis ad missam venire admonete; ut filiis suis orationem Dominicam, et symbolum insinuent, vel per alios insinuari fa-

LUCENSIS CODEX MS.

Ecclesia loqui audeat, si non oret, maxime infra divinum officium. In sabbato Paschæ exstincto veteri novus ignis benedicatur.

XXX. Unusquisque, etc., *ut apud Martenium*...... præparatum, in quo nihil aliud fiat.

XXXI. Omnibus, etc., *ut apud Martenium*.

XXXII. Jejunium, etc., *ut apud Martenium*.

XXXIII. Feria IV, etc., *ut apud Martenium*.

XXXIV. Tribus vicibus, etc., *ut apud Martenium*.

XXXV. Certis temporibus, etc. *ut apud Martenium*.

XXXVI. Eulogias, etc., *ut apud Martenium*.

XXXVII. Nullus presbyter in itinere sine stola incedat *deest*. Nullus induatur, etc., *ut apud Martenium*........ alienare sine episcopo præsumat.

XXXVIII. Die Dominica, et aliis diebus festis absque opere servili a vespere usque ad vesperam celebrare facite.

XXXIX. Cantus, etc., *ut apud Martenium*........ in atrio Ecclesiæ, etc.

XL. Carmina diabolica, *ut apud Martenium*.

XLI. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus præsumat illis missam cantare, etc., sed et hoc ipsum plebibus annuntiate.

XLII. Ad nuptias, nisi forte ad benedicendum, nullus vestrum eat.

XLIII. Omnibus plebibus denuntiate, ut nullus uxorem accipiat nisi publice celebratis nuptiis. Raptum nullus faciat: et nullus ad proximum sanguinis sui accedat, similiter prohibete: et ne

---

[a] Victor. et Aug. ut in Lucensi.

[b] Augustan. ut apud Labbeum. Victorinus ut in Lucensi.

[c] Aug. *Nullus induatur vestimentis laicalibus. Nullus rem aut possessionem*, etc.

[d] Aug. et Victorin. ut in Lucensi.

[e] Victor. et August. ut in Lucensi.

[f] Aug. *et alios pastores*.

MARTENII EDITIO.

XLIV. Unusquisque porcarios, et alios servos suos [a] Dominicis diebus vel festivis ad missam venire faciat.

XLV. Patrini suos spirituales filios, symbolum, et orationem Dominicam vel doceant, vel docere faciant.

XLVI. Chrisma semper sit in sera [b] propter quosdam infideles.

XLVII. [c] Quisque presbyter expositionem symboli, vel Dominicæ orationis habeat scriptam juxta traditionem orthodoxorum Patrum, et eam pleniter intelligat, et inde prædicando populum sibi commissum assidue ore instruat. Orationes missarum, præfationem canonis, eumdem canonem pleniter intelligat, ut memoriter, ac distincte proferre valeat. Epistolæ, et Evangelii sensum, saltem juxta litteram, sciat. Psalmorum verba, et distinctiones memoriter teneat. Exorcismos, et orationes ad cathecumenum faciendum, ad baptismum consecrandum, et preces super masculum et feminam singulariter et pluraliter distincte proferre sciat, et ordinem baptizandi ad succurrendum infirmis, et ordinem reconciliandi secundum auctoritatem Canonum, et ordinem ungendi infirmos, et ordinem in exsequiis defunctorum; exorcismos quoque, et preces super salem et aquam, cantum nocturnum, et diurnum, compotum, si non majorem, saltem minorem, id est epactas, concurrentes regularesque terminos, martyrologium, pœnitentialem unusquisque habeat.

LABBEI EDITIO.

ciant. Chrisma semper sit sub cera et sigillo propter quosdam infideles. Volumus autem, fratres charissimi, quatenus quæ nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis studeatis operibus adimplere, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, etc.

LUCENSIS CODEX MS.

alterius sponsam quis ducat, contradicite.

XLIV. Porcarios, etc., *ut apud Martenium.*

XLV. Patrini filiolis suis symbolum, et orationem Dominicam insinuent, aut insinuari faciant.

XLVI. Chrisma semper sit sub sera, aut sigillo propter quosdam.

Volumus autem, etc., *ut apud Labbeum.*

[a] Aug. *vel Dominica.*

[b] Aug. et Victorin. ut in Lucensi.

[c] Caput 47 in Augustano eadem habet quæ in Martenio leguntur, sed interpolata, et variis additionibus variata. Dein uterque codex, Victorinus nempe et Augustanus eodem epilogo clauduntur, qui pariter legitur in editione Labbeana. *Volumus autem*, etc.

ANNO DOMINI DCCCLVIII

BENEDICTUS III

ROMANUS PONTIFEX.

NOTITIA HISTORICA IN BENEDICTUM III.

(Apud Mansi. Concil. Collect. ampl. tom. XV, p. 101.)

Benedicti virtutes; fit subdiaconus a Gregorio IV; fit presbyter a Leone.

A Benedictus (*a*) tertius, natione Romanus, ex patre Petro, sedit annos duos, menses sex, dies decem. Beatus vir iste dilectissimus visceribus editus, sidereo pollens rore, crescensque celerius divinorum studio apicum patris ad erudiendum arbitrio traditur. Qui veluti spongia citissime lympham capit, sacrorum ita voluminum didicit lectiones, rudimentaque cognovit, accepit, mentisque suæ fundatione posuit, et invisibilibus radicibus propagavit. Celeberrima quidem cum de eo fama pervulgaretur, in Lateranense patriarchium perducitur, cleroque locatur. Erat autem sapiens verbo, doctrina præclarus, sobrius conversatione, loquela pacificus, cunctis compatiens, omnibusque obediens, denique benignissimus. Cum eum intueretur papa Gregorius almificus peritum doctrinis, atque proficuum, in sancta illum constituit Romana Ecclesia subdiaconum. In quo ordine plura sacræ conversationis certamina habuit: nam carnem vicit, ac mundi principem, et omnia ejus argumenta nequissima. Obiit deinde Gregorius præsul, migravitque ad Dominum. Sergius autem gubernacula Romanæ suscepit antistes Ecclesiæ, eoque defuncto apostolicam Leo papa sedem suscepit: oppido, qui illum pro felicissimis actibus diligens superno compunctus nutu cœlesti cum titulo ingenti presbyterum consecravit honore. Cujus beatitudo in tantum longe lateque refulsit atque præfloruit, ut omnibus beatissimus dictis et opere diceretur. Evidenter autem in eo

(*a*) *Benedictus.* Leone defuncto absque mora in locum ejus consensu omnium subrogatus est Benedictus III. Factione vero pravorum quorumdam, qui ad flagitium uni sunt legatorum imperatoris opera, Anastasius cardinalis presbyter tituli sancti Marcelli, quem supra in concilio Romano tempore Leonis IV celebrato excommunicatum fuisse diximus, intrusus est per schisma in sedem apostolicam; idque imperatoris Ludovici conatu, qui oderat in electione Romani pontificis nullam sui rationem haberi. B Verum resistente clero populoque Romano schismaticus ejicitur, atque in suam sedem Benedictus restituitur. Hæc summatim ex Anastasio. Hujus tempore Lotharius imperator relicto sæculo, anno imperii sui decimo quinto, qui est Christi octingentesimus quinquagesimus quintus, habitum monasticum suscepit. SEV. BIN.

divina permanere sapientia cognoscebatur, quia largitionis purisque ejus omnes fovebat affectibus, et luce clarius perornabat, caducique ac transituri mundi delectabilia respuebat, et quidquid utebatur, egenis atque pauperibus erogabat. Jejuniis vero validus, oratione assiduus persistebat, pervigilque in Dei quotidie laudibus commorabatur.

Leo quidem ubi hac luce subtractus præsul occubuit, mox omnis clerus, istius Romanæ protectæ sedis, universique proceres, cunctusque senatus ac populus congregati sunt Domini clementiam exorantes, ut beatificum illis omnibus demonstrare dignaretur pastorem, qui culmen apostolatus regere valuisset tranquille. Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati, uno consensu, unoque eum conamine Benedictum pro tantis quibus pollebat sacris operibus pontificem promulgaverunt eligere.

Benedictus animadvertit se postulari in papam.

Illico vero alacri universa studio plebs et populi cœtus cœlesti titulo properantes, Deo illum omnipotenti, ut solitus fuerat, invenerunt fundentem orationem. Surgens autem, populi densissima cernens agmina, rem cognovit, et mente concepit. Interea multis cum lacrymis genua flectens flebili voce omne deprecabatur taliter, dicens: Non me a mea deducatis ecclesia, rogo, quia tanti culminis non sufficio sustinere, nec bajulare gravamen.

Vi cogitur suscipere papatum. — Per fraudem Anastasium depositum quidam conantur facere papam.

Illi vero nullatenus acquieverunt, sed virtutibus eum ex eodem titulo abstrahentes cum hymnis et canticis spiritualibus ampla exsultatione et ineffabili gaudio in patriarchium Lateranense perducentes, pontificali solio, ut mos est pontificum, canaque consuetudo demonstrat, posuerunt (*a*). Lætatur propterea Urbs, exsultat Ecclesia, congaudent senes, ovantesque divinas modulantur virgines laudes, ditantur pauperes, locupletantur inopes, consolantur captivi, consurgunt debiles, infirmi sanantur, celerique pede concurrunt, quia extensa in eis tristitia fuerat, contemplabantur confusa, et tranquillitas florigera videbatur erecta. His itaque peractis clerus et cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, et consuetudo prisca, ut poscit, invictissimis Lothario ac Ludovico destinaverunt Augustis. Ipsum autem qui deducebant legati decretum, fuerunt hi: Nicolaus videlicet Anagninæ antistes ecclesiæ, et Mercurius magister militum: Arsenio Eugubino episcopo obviantes adinvicem confabulari cœperunt: qui callidis eos sermonibus liniens corda eorum mollire cœpit, beatique fidelitatem jam fati declinaverunt electi, cum quibus etiam concilium studuit confirmare, ut depositum anathematizatumque Anastasium, quo divina nullatenus permittebat clementia pontificatus infula perornarent. Euntes itaque Ludovico decretum benignissimo Cæsari dantes, duplici, quam mentibus gerebant, intentione Romam reversi sunt, adventumque missorum nuntiantes imperialium epistolas eidem insigni obtulerunt electo, quibus Augusti continebantur responsa. Qui omni clero, ac reipublicæ cœtibus diris machinactonibus consilium, quod Eugubii, ut prætulimus, cum Arsenio statuerunt, adimplere cupientes dicebant: Omnes in obviam imperialibus simul nobiscum exire studete legatis, quatenus Augusti jussionibus obedientes existere valeatis.

Legait Romam missi deficiunt ad pseudopapam. Conspirant plures contra Benedictum. Pseudopapa irruit in ædem S. Petri, ubi imagines confringit.

Post aliquot quoque dies ipsi, quos prænuntiaverunt, missi Hortam, quæ quadragesimo milliario a Roma distat, properaverunt. Ex quibus in eam Adel-
A bertus Bernardusque ingressi comites cuidam olim damnato, Arsenio cogente episcopo, se conjunxerunt presbytero [presbytero cardinali] nomine Anastasio, qui in sancta synodo beatæ præsidente Leone memoriæ præsule rite secundum sacrorum promulgationes canonum excommunicatus, depositus, et anathemate vinctus fuerat: non habentes Deum præ oculis, ipsiusque præcepta confundere, ut tyranni, cupientes evidenter meditabantur, qualiter eumdem ejectum, anathematizatumque Anastasium apostolico culmine sublevarent contra traditionem, omniumque sanctiones pontificum virorumque almorum. Missi quoque, quos jam supra meminimus, qui imperatori nostrum decretum benignissimi de electione Benedicti porrexerant, id est, Nicolaus episcopus et Mercurius magister militum mentibus cognitum conceptum habentes consilium cum aliis quibusdam Romam egressi nobilium, id est, Gregorio Christophoroque magis-
B tris militum, obviam quasi imperatoris legatis profecti sunt, Hortamque properantibus urbem fidelitatis sacramentum, quod fecerant almifico Benedicto, parvipendentes, obliviscentesque electo, damnato se conjunxerunt, depositoque presbytero: hac sub occasione multi concedentes, ab urbe similiter peregerunt, *cogitantes consilium* juxta illud prophetæ elogium, *quod non potuerunt stabilire* (*Psal.* xx,). Urbe deinde exeuntes ab Horta juxta basilicam beati Leucii martyris pervenerunt, insultantes et gloriantes in sua virtute, cum quibus Radualdus Portuensis episcopus, Tudertinæque urbis Agatho antistes aderant, qui clam Roma discesserant urbe. Et eidem anathematizato tetra irretiti caligine se junxerant, obscurati sensu, mente, et anima.

Hoc ipse Dei famulus audiens Benedictus electus G. G. Majonemque venerabiles prudentesque, et omni scientia plenos episcopos ipsis imperialibus
C missis cum aliquibus litteris studuit destinare, quos apprehendentes Artio anathematizato monente presbytero vinxerunt, et custodibus tradiderunt quod nec barbari gentiles in legatis perfecisse audiuntur.

Postmodum autem sæpius dictus Christi minister Benedictus electus Adrianum insignem secundicerium sanctæ sedis apostolicæ illis atque Gregorium ducem obviam direxit.

Altera autem die, missione fungentes omni clero cunctoque senatui, et universo populo mandaverunt, ut obviam illis trans Milvium pontem imperatoris jussionibus irent. Tunc omnes dolum nescientes Romani neque fallaciam, acquieverunt, Milviumque trans pontem urbem egressi unanimiter perrexerunt. Properantibus quidem ad martyris jam fati basilicam, ipsi, de quibus jam supra legati meminimus, eidem deposito anathematizatoque presbytero episcopo clerus Romanæ
D plebis, ac proceres obviaverunt, cum quibus pariter equitantes per Neronis campum urbium jam mœniis properabant. Adrianum quoque insignem secundicerium, de quo supra retulimus, vallatum custodibus deducebant. Gratianum vero sacri super istam patriarchii, atque Theodorum scriniarium apprehendentes reclusos lanceis retinebant, et adstrictos, quod nullatenus Augustorum jussione præceperant, nec eorum voluntate dictaverant, sed hoc infelix depositi præsumptio agebat presbyteri, qui virtutibus Leonianam cum ipsis Cæsaris legatis ingrediens urbem apostolorum repente quam non debuerat, principis introire basilicam Dei parvipendens judicium, audacter invasit, tantaque ac talia infaustæ operationis mala peregit qualia nec Sarracena in ea perficere manus præsumpsit vel arbitrata est. Imagines enim confregit, ignique concremavit, et synodum, quam supra sanctuarii januas beatæ memoriæ Leo pingi papa jusserat, destruxit, Dominique Jesu Christi ejusque

(*a*) Hinc clare liquet Leoni IV non Joannem VII feminam, sed Benedictum successisse.

semper Virginis genitricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima dejecit, pro quo detestabili opere orthodoxæ cuncti cultores fidei lacrymas fundentes ingemiscebant, et tristitia replebantur ac mœrore.

Occupat thronum pontificium. Benedictum deturbat.

His itaque peractis, hostili virtute ipse Romam depositus ingreditur presbyter, celeriterque ad Lateranense properavit cum iniquissimis ejus sequacibus, et sæculari potentia patriarchium, multisque telorum generibus januas ejus aperiens tyrannus veluti cruentus eas introivit, solioque, quod nec manibus debuerat contrectare, resedit, et cuidam Balneoregiensi episcopo, qui vocitabatur nomine Romanus, tantum cum non opere ferinis obumbratus mentibus cerneretur, præcepit ut beatissimum Benedictum, quem omnis Romana, ut prætulimus, plebs elegerat, pontificali, quo residebat, ejiceret B solio. Qui etiam vestimenta pontificalia quibus indutus erat, ut barbarus tulit atque exspoliavit, multisque eum injuriis verberibusque replevit.

Totus populus et clerus in luctu. Nolunt consentire in pseudopapam.

Tunc ipse depositus Anastasius eumdem benignissimum Benedictum electum, humana, non Dei virtute, custodibus, qui arctius eum constringerent, tradere studuit, Joanni scilicet Adrianoque dudum presbyteris, quia a Leone præsule pro illorum criminibus damnati fuerant atque depositi ex omni sacerdotali officio. Mox universa urbs ululatu amplisque repleta est fletibus, et gravi murmure quassata jacebat. Illico quidem omnes episcopi, clerusque, ac Dei populus, sancta sanctorum ingressi tundentes pectora sua profusis lacrymis intra vestibulum et altare solo prostrati jacebant, Dei orantes majestatem, ut tanti erroris ca- C ligine sua eos victrice dextra liberaret. Septimæ tum feriæ cursus peragebatur.

Altera vero die prædicti episcopi cum universo clero ac populo in Æmilianæ titulo convenerunt, in quo etiam Augusti sæpius dicti legati frementes, magnaque tumentes superbia pervenerunt, et impetu facto absidam, in qua episcopo psallentes residebant cum clero leones veluti ferocissimi conscenderent, erectisque jaculis eos conabantur elidere, ensibusque punire, dicentes: Acquiescite, et vestro consensu pontificali Anastasius culmine subrogetur. Illi vero sancto repleti Spiritu affirmabant, dicentes: Numquam in depositum, et anathemata, sancto præsule, beataque synodo vinctum consentimus, sed modis omnibus abjicimus, et a Dei cœtibus segregamus. Ipsi denique furibundi verberibus eos tormentisque dicebant se velle eos punire, sed beatissimus Deique omnipotentis antistes, et qui cum ipsis aderant, terrores vel minas eorum D parvipendentes, immobiles persliterunt. Quorum constantiam jam dicti Franci cernentes ab eis ira discesserunt repleti, et in quoddam cubiculum ipsius basilicæ sunt ingressi, diversaque consilia meditabantur, in quod etiam Ostiæ, et Albani antistites coactos introduxerunt quos molliori sermone blandisque reducere adulationibus decertabant, et postmodum asperis promissionibus circumdabant, quibus stridula etiam voce dicebant: Nullatenus vitam possidere potestis, sed capitali subjacebitis sanctioni, nisi consecrationis Anastasio gratiam dederitis. Illi autem ante se morti tradere proferebant, membratimque se laniari, quam deposito anathemate damnato consecrationis tribuerent benedictionem. Arguebant autem eosdem missos, et universas demonstrabant sacræ responsionis scripturas, qualiter nullatenus eumdem depositum in ordine quem poscebat constituere valuissent. Protinus vero secretius linguam eorum confabulantes furor, qui in eis exuberabat, minuit, mentibusque videbatur expulsus.

Tota plebs in ecclesia repetit Benedictum. Missi Cæsaris tandem consentiunt in Benedicti electionem.

Tertia vero feria lucescente omnes episcopi cum clero ac populo in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, congregati sunt. In qua omnis plebs, ac populi multitudo extensa voce clamavit, Benedictum beatissimum papam volumus, ipsumque desideramus. quod jam fati audientes legati mirabantur. Videntes itaque quia in Anastasium Christi unitas almaque concordia nullo flectebatur ingenio, in quodam patriarchii cubiculo episcopos convocaverunt, atque alios sacerdotes cum clero. Cum quibus amplum agitare studuerunt conflictum sed tam probabilibus missorum audaciam superaverunt sermonibus atque doctrinis, ita ut infausta illorum mentis cogitatio contemplaretur contrita atque confusa. Hoc cernentes missi venerabilibus dixerunt episcopis: Accipite vestrum electum, et in quam vultis basilicam eum deducite. Et modo Anastasium, quem depositum dicitis, ab hoc patriarchio ejicimus. Tresque per dies jejunium cum orationibus celebremus, et postmodum quidquid superna clementia demonstraverit, impleatur. Almifici vero episcopi clamaverunt: Ejiciatur a nostra præsentia invasor atque depositus Anastasius, et ab hoc expellatur patriarchio, et tunc facimus quod hortamini.

Anastasius ejicitur.

Illico prædictus Anastasius magna cum turpitudine de patriarchio ejectus atque expulsus est ut omnes multimodas orthodoxæ cultores fidei Domino nostro Jesu Christo persolverent grates.

Benedictus in Lateranensem ecclesiam ducitur. Adversarii osculbatur pedes ejus.

Episcopi quidem cum universo clero ac populo beatissimum accipientes Benedictum ejectum de basilica, in qua clerici commorantur, deduxerunt, quia ibidem custodibus a sævissimo fuerat Anastasio collocatus. Qui cum omni alacritate atque exsultatione cum ipso in basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, descenderunt. De qua exeuntes cum super equum ovantes, in quo Leo præsul sedere consueverat, posuerunt. Quem etiam magna populi præcedente caterva in basilicam Dei Genitricis, quæ ad Præsepe dicitur, deduxerunt, in qua jejuniis et orationibus tribus diebus noctibusque vacantes summam majestatem Domini multis lacrymis exorabant.

Expletoque jejunio omnes qui se anathematizato depositoque conjunxerant, divino compuncti nutu, Deique inflammati favore in jam fatam basilicam, in qua beatissimus, ut prætulimus, Benedictus erat, unanimes convenerunt, et procedentes vestigia ipsius osculari cœperunt, qui et dicebant: Erravimus, et lubrico a te pede discessimus, sed pastor veluti sanctissimus ovium suscipe agmina per nemus errantia, fessoque sinu agniculos collige, tuisque nos obumbra sub alis, Protinus ipse a Deo protectus Benedictus extensis brachiis, puris mentibus, cordeque benigno omnes amplecti sitiebat, et osculis perornabat, quibus etiam dicebat:

Gaudete, inquit, dilectissimi, et magis exsultate, quia Ecclesiam quæ scissa fuerat, Christus Dei Filius sua unire virtute dignatus est. Hæc dicens, et his similia prædicans, etiam ipsi imperiales ibidem convenerunt legati, qui salubribus verbis ac mollioribus cum eodem secretius electo confabulabantur.

In throno pontificio collocatur; consecratur pontifex.

Subito vero omnes episcopi, universusque clerus, atque innumera Romani populi multitudo ex eadem eum deducentem basilica cum hymnis et canticis spiritalibus in patriarchium Lateranense introduxerunt, et in pontificali solio, de quo ejectus fuerat, posuerunt. Denique universa congratulabatur Ecclesia, et omnis populus amplis vocibus resultabat

Præterea Dominico die diluculo in basilicam beati Petri apostoli ab episcopis clero, proceribus deductus est, et in conspectu omnium, imperialibus missis cernentibus in apostolica sede, ut mos est, et antiqua traditio dictat, consecratus ordinatusque est pontifex. Portuensis vero episcopus prohibetur ab ecclesia, ordinationem, quam debuerat; super eum nullatenus fecit, quod anathemate sese junxerat, ac in perjurii voraginem cciderat atque manebat.

Post sacra autem tunc missarum solemnia celebrata, in patriarchii Lateranensis pontifex ordinatus reversus est ecclesiam. Erant enim mitissimus, et omnibus sacris decoratus operibus, vultu pulcher et mente clarus, dulcis verbo, doctrina benevolus.

Michael filius Theophili, imperator orientalis, dona mittit Romam.

Hujus temporibus Michael filius Theophili imperatoris Constantinopolitanæ urbis imperator ob amorem apostolorum misit ad beatum Petrum apostolum dorum per manum Lazari monachi, et pictoriæ artis nimie eruditi, genere vero Chazai, id est Evangelium de auro purissimo, cum diversis lapidibus pretiosis. Calicem vero similiter de auro, et lapidibus circumdatum, reticulo pendente de gemmis albis pretiosis miræ pulchritudinis decoratum et vela duo de olovero, cum cruce de olovero, et lista similiter de chrysoclavo, et parva coopertoria ipsius calicis, sicut mos Græcorum est. Similiter et vestem de purpura imperiali munda super altare majus ex omni parte cum historia et cancellis, et rosis de chrysoclavo magnæ pulchritudinis deornatam, etiam et velum de stauraci unum, cum cruce de chrysoclavo, et litteris de auro Græcis.

Saxonum rex religionis causa Romam petit.

Hujus temporibus rex Saxonum, nomine... causa orationis veniens, relictis omnibus suis rebus, regnum proprium suum dimisit, Romam properans ad limina apostolorum Petri et Pauli, cum multitudine populi, et obtulit dona beato Petro apostolo, coronam ex auro purissimo pensantem libras quatuor, bancas ex auro purissimo duas pensantem libras..... spatham cum auro purissimo ligatam. Item imagines duas minores ex auro purissimo; gabathas saxiscas de argento exaurato quatuor. Saraca de olovero cum chrysoclavo uno. Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo, et vela majora de fundato duo.

Et ipse rex Saxorum, postulante santissimo domno Benedicto papa, ut faceret rogam in ecclesia beati Petri apostoli publicam de pondere auri vel argenti librarum, episcopis, presbyteris, diaconis, et universo clero et optimatibus Romanis tribuit aurum, populo vero minutum argentum.

Et postmodum finita causa orationis reversus est ad prium regnum suum, et post paucos dies vitam finivit, et perrexit ad Dominum.

Multum denique idem præsul sanctarum Dei ecclesiarum curam gerens, semperque pio mentis affectu ac studio in illarum reparatione gaudens, in basilica regni cœlorum clavigeri nutritoris sui fatum cantharum argenteum sedentem in pedibus quatuor a Saracenis olim ablatum, in quo ad decus ipsius basilicæ in diebus festis, atque Dominicis lucerna simul et cerei ponebantur juxta lectorium mirifico opere fecit, ac renovavit pensans libras..... Erat enim ad divini cultus amorem semper intentus pacisque amator, et omnium supernorum pudicis moribus operum cultor.

Papa sepulturæ clericorum solet interesse.

Hic constituit ut cum episcopus, vel presbyter, aut diaconus moreretur, pontifex una cum omnibus episcopis et presbyteris, atque diaconibus, necnon et reliquis clericis ad ejus sepeliendum corpus et commendandam animam, conveniret.

Similiter etiam ipsi facerent, cum pontifex ab hac luce migrasset, quod non solum docuit, sed et fecit. Cujus vestigia sequens successor ejus in causa pietatis hujus, sicut et in cæteris eum tanquam hæres devotissimus imitatus est. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, presbyteros quinque, diaconum unum et episcopos per diversa loca numero sexaginta sex. Sepultus vero est ante fores basilicæ beati Petri apostoli.

BENEDICTI III EPISTOLÆ.

(Mansi, ibid.)

EPISTOLA PRIMA.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Confirmat synodum Suessionensem ii cum privilegiis Ecclesiæ et archiepiscopi Rhemensis.

Benedictus episcopus servus servorum Dei reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Hincmaro archiepiscopo sanctæ Rhemensis Ecclesiæ.

Probabilium sacrorumque definitiones gestorum audientium mentes exhilarant, faciuntque alacres, et in tantum mortalium lætitia corda replent, ut in Conditoris omnium exuberent laudes, facilique intuitu illarum confirment proficuas intentiones et actus, validoque et inconvulso propagare fundamine certamine ingenti procurent. Nostri quemadmodum pontificis cor dulcisonis tuæ benignitatis apicibus lætius effectum est et hilarius: strenua quos perlegentes inquisitione, nostræ te esse conjunctum dilectioni internis novimus oculis, divinisque prosperitatibus efficacem, [a] synodique textum imminenti ventilantes intuitu, ejusque actus, quam apud Suessionis civitatem tua beatitudo studuit celebrare, cum episcopis tuæ diœceseos, venerabilibusque archiepiscopis, Wenilone scilicet Senonensi, Amalrico Turonensi, aliisque episcopis, ut scriptis in ea contulisti, subtilique demonstratione pandere procurasti: quæ ad profectum sanctæ noscuntur Ecclesiæ p̄ris auctoribus statuta sancita reperimus, præcipue in quibus æquiparare te viros illos prospeximus, qui non terrenis actibus, caducisque delectati sunt observationibus, infinitoque Dei zelo accensi, ecclesiastica promulgarunt statuta et ordines. Hæc cernentes, ad ea quæ cupis nullatenus nos inclinare ambigimus, tuæ venerationis adimplere cupientes affectum. Et quia ut devotus fidelisque in omnibus filius, pro instructione seu confirmatione gestorum ac regularum ecclesiasticarum, semper ad hanc te

[a] Ivo, parte iv, cap. 156.

sedem recurrere contemplamur; [a] definitiones fraternitatis tuæ, et cæterorum episcoporum, quas in præfata synodo apostolicis canonicisque auctoritatibus propriis digitis roborasti, si ita est, nostro ut scriptis præsulatui intimasti et gestorum serie demonstrasti, ratas eas quidem definitiones apostolica fore promulgamus auctoritate, semperque manere statuimus, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur, et aspirantes indebite anhelitus compressi funditus perpetuo maneant: ne amplius ullorum contradicentium adversitatibus Dei conturbetur Ecclesia; sed omnibus eruta sævæ pertractationis erroribus unita semper in Christo permaneat. [b] Inter hæc quidem et hoc sancimus, ne quilibet tuæ diœceseos regulis subjectus Ecclesiæ, te contempto, impune audeat seu valeat aliena expetere aut exspectare judicia, ut almorum traditionibus Patrum, canonumque promulgationibus est constitutum: salvo in omnibus jure apostolicæ nostræ sedis, ut ab ipso veluti Christo et sacris est cautum canonibus. Sed cuncti, sive in præfatione, sive in subjectione debita, ordinem ab ecclesiasticis regulis traditum observantes obediant, et studiosius obtemperare procurent. [c] Et hoc promulgamus, atque statuimus, ut te, qui ejus provinciæ primas dignosceris, nullius unquam infestatione, contra canonica apostolicaque decreta, sive judicia ecclesiastica tibi commissa, aut virtute aut facultate nudari, aut ante audientiam Romani pontificis a quocunque damnari statuimus: sed si compellatus appellare ad hanc sanctam sedem volueris, apostolici papæ judicio reservari, nostra, imo beati Petri auctoritate præcipimus: nec alicui cujuscunque juri vel judicio te subjici, excepta potestate sedis Romanæ pontificum. [d] Et hoc volumus, ne quilibet ex provincia et diœcesi metropoli tuæ tibique subjecta, jus secundum ecclesiasticas constitutiones primatui Ecclesiæ tuæ et tibi debitum quoquo modo per contemptum convellere, aut tibi vel Ecclesiæ tuæ quamcunque violentiam contra eadem canonica constituta, et decreta Romanorum pontificum, pertinaciter inferre præsumat, cum anathematis interpositione nostra apostolica, et beati Petri apostolorum principis auctoritate, prohibemus. Optamus fraternitatem tuam in Christo nunc et semper bene valere.

EPISTOLA II.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

Adversus Hubertum clericum, ut infra dies triginta Romam veniat, de criminibus quorum insimulabatur responsurus.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei reverentissimis et sanctissimis archiepiscopis cunctisque episcopis in Caroli gloriosi regis rego morantibus.

Bonorum semper innovamur auditu, et actibus hilarescimus Deum diligentium, animo superna pollentium, quos beatitudo sublimat divinoque connectit consortio, et poli perducit ad climata: atrocitatibus autem, actibusque malorum lamentamur, quorum sceleribus circumdatur, et plena malis eorum operatio manet: quorum in cunctis cursus est detestabilis, perseverantia sæva, infelixque opinio. Quibus Hubertum clericum, quondam Busonis filium, relatione similem esse cognovimus; qui tantis squaloribus irretitus, mentem ad superna non sublevans, ævi perennis particeps esse nolit. Multorum vero ingemiscentium clamoribus hominum, horrificisque assertionibus, plura infelicis suæ audaciæ mala, dirasque perpetrationes nostri præsulatus didicerunt legati. Qualiter olim sacrorum fuit conjunctus numero clericorum, adeo ut in divinis celebrandis mysteriis more subdiaconorum sacras lectiones conscendens ambonem populo nuntiaret. Nunc autem, quod lacrymantes referimus, iniquorum sceleratissimorumque hominum conversationibus sociatus, infaustæque vitæ unitus, et multis piaculis criminibusque plenus, ad periclitationem suæ, quod non debuerat, animæ iniquo certamine tendit, et cruenta tyrannide perseverat. Et hoc multis narrantibus audierunt, quod cum scenicis mulieribus quotidie degere non dubitet, quæ animas perdunt et corpora sauciant, ad imaque deducunt. Et quia aggregatione multorum hominum sibi noxiorum conjuncta, multa in plebem Domini, pretiosa quam passione e faucibus nequissimi eripuit leonis atque redemit, homicidia et innumera adulteria, turpesque fornicationes ac deprædationes illicitas et insustentabiles perpetrare non cesset. Non solum hæc, sed et plurimis etiam affirmantibus didicerunt, quod monasterium sancti gloriosique Mauritii martyris, apostolicis privilegiis munitum, tanta ferocitate pervasit ut nullus jam priscæ religionis in eo ordo servetur. Nam illa quæ Deo ibidem famulantibus ex ope ipsius ministrabantur, nunc meretricibus, canibus, atque avibus, nequissimis necnon hominibus sua largiuntur præceptione. Idque monasterium ab Ecclesia findens, Aimoinus, cui præsidere videbatur antistes, sacrorum canonum Patrumque violans sanctiones, indecenter possidere non dubitet. Et quia monasterium in commemoratione beati Petri apostoli Luxovii constitutum, cujus claustri aditus mulieribus nunquam patuit, hostili modo ingressus, cum illicitis mulieribus per aliquot dies commorari non trepidarit. Quamdam etiam mulierem, quæ causa pudicitiæ a proprio se viro dissociavit, Deoque se vovit, atque dicare promisit, et postmodum diaboli jaculo terebrata atque percussa, a monasterio fugiens, cuidam adultero juncta suæ se defensioni submisit, postremo vero archiepiscoporum episcoporumque quæsita cœtui minime est præsentata, qui una cum defensoribus suis eam ab ecclesiastica communione expulerunt; hactenus usque, divinum non timens judicium, sua defensione retinere non cesset. Pacemque, quam inter Ludo-

[a] Ivo, parte IV, cap. 156.
[b] Hincmarus, epist. 6, c. 21.
[c] Ibid., 24.
[d] Ibid., c. 26.

vicum munivimus Cæsarem semper Augustum, suosque gloriosos germanos, sua miserrima cupiditate, ad multorum Christianorum necem atque periculum scindere, ut audivimus, non dubitavit. Hæc et multa horum similia de eo audientes, profusis lacrymis condolemus, ne suæ fragilitatis in his eum finis contingat, Erebique voragini addicatur. Propterea volumus, et apostolica suæ præcipimus auctoritate industriæ, ut omni postposita excusatione, ablatoque ingenio post triginta dierum curricula, quam hæc illi fuerit præsentata epistola, iter inchoare non pigeat, Romamque celeri studio properare festinet : ut præsentialiter videre valeamus, atque cognoscere, si taliter circa eum hæc quæ dicuntur existant, ut spiritali abluere censura curemus, sauciataque membra cœlestis reformare medicinæ collyrio valeamus. Cupimus enim illum tantis erutum esse delictis, et supernæ patriæ sacris monitis perficere civem. Si autem venire neglexerit, ad nostramque apostolicam sedem secundum præceptionem pergere noluerit, scire vos volumus, quia mox illum ab ecclesiastica communione expellimus, ita ut nec vobiscum, nec cum ullis Christianæ cultoribus fidei consortium habeat, et a Dominico corpore sanguineque eum facimus alienum. Optamus beatitudinem vestram in Christo bene valere.

EPISTOLA III.

AD EPISCOPOS GALLIARUM

In confirmationem privilegiorum Corbeiæ.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, universis episcopis Galliarum.

[a] Cum Romanæ sedis pontificem constet omnium Ecclesiarum Christi caput atque principem fore, tanquam beati Petri principis apostolorum vices agentem, cui Christus totius Ecclesiæ committens principatum fatur : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cælorum* (*Matth.* XVI, 18), cunctatio nulli fidelium relinquitur, quod universis ecclesiis sollicitudinem prætendere, et omnium in Christo credentium saluti, paci, atque quieti prospicere nos oporteat, ut et quæ prava sunt, corrigantur, et quæ rata, roborentur, quæ corrupta sunt, restaurentur, quæ autem integra, conserventur. Cumque hanc curam circa universalis Ecclesiæ corpus per totius orbis latitudinem diffusæ custodire debeamus, speciali tamen prærogativa post Romanam atque Italicam erga ecclesias Gallicanas nobis convenit observare, quemadmodum prædecessores nostros fecisse manifestum est. Quod competentius nunc quoque fieri oportere ipse reipublicæ status testificatur, quandoquidem utramque provinciam unius imperii sceptrum non dividit, et Romanæ dignitas Ecclesiæ una cum terreno principatu utriusque provinciæ regnum communi jure disponit, ut et rerum principes sua decreta Romanæ Ecclesiæ sancitis præmuniant, et ecclesiastica jura principum statutis adjuventur, æstimantes terrenæ reipublicæ rectores tunc se feliciter imperare, si suis sanctionibus apostolica confœderetur auctoritas, quam dum in nobis suscipiunt ac venerantur, illum se suscipere gratulantur qui discipulis suis loquitur, dicens : *Qui vos recipit, me recipit* (*Matth.*, X). Hinc e contrario de contemptoribus ait : *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X).

Igitur cum, sicut dictum est, apostolicæ sollicitudini universalis Ecclesiæ credita sit dispensatio, et pro cunctorum fidelium statu perpetuas nostræ sollicitudini vigilias prætendere conveniat, maxima tamen diligentia curam earum debemus ecclesiarum gerere, quarum specialius providentiam ratio suscepti officii a nobis docet agendam ; ut non solum ea quæ hactenus in suo statu permanent intemerata serventur, verum ea quæ lapsa sunt a prioris formæ dignitatem reducantur. Unde cognoscat omnium præsulum sanctorum per Gallias commorantium reverenda fraternitas, quod vir venerabilis Odo, abbas ex monasterio Corbeiæ provinciæ Galliarum, quod est constructum in pago Ambianensi super fluvium Summæ, adiit nos per venerabilem Anselmum abbatem, petens ut nostræ auctoritatis privilegium super electionis propriæ statu, et rerum suarum libera possessione seu dispensatione prædicto monasterio Corbeiæ concederemus. Ostendit quoque nobis privilegia ab episcopis edita, unum a præsule Ambianensi [b], ad cujus diœcesim locus ille pertinet, et coepiscopis suis factum atque roboratum jam antiquis temporibus ; et alius ab archiepiscopo Rhemensis Ecclesiæ Hincmaro et universali concilio episcoporum Galliarum paucis intercedentibus annis conscriptum et subscriptionibus propriis roboratum, petentibus ut ad quoscunque, sive episcopos sive abbates pervenerit, subscribere non graventur. In quibus privilegiis decretum est, ut præfatum monasterium Corbeiæ et rerum suarum liberam obtineant dominationem et eligendi sibi abbatem de suis semper habeant potestatem. Contradictores vero et repugnantes huic sanctioni anathemate perpetuo damnandos. Super hæc autem magnifici imperatoris Lotharii et Ludovici ac Caroli [c] mandatum atque supplicatio accessit idipsum postulantis, videlicet ut episcoporum privilegia nostra quoque auctoritate firmarentur.

Nos itaque cernentes, religiosam fore postulationem, neque ab apostolica sollicitudine prætereundum quod pro servorum Dei quiete, et sancti pontifices pie statuerunt, et magnifici principes religiose rogabant, et abbas congregationis ejusdem necessario postulabat, censuimus rogati concedere quod ultro decebat nostram postoralem sollicitudinem exhibere.

Cognovimus etiam, referente venerabili Anselmo abbate cœnobium, de quo agimus, a præcellentissima Francorum regina Balthilde nobiliter ædificatum, et a primæ fundationis suæ statu cum nobilita-

[a] Vide spicilegium Acherii, tom. VI, p. 397.
[b] Scilicet Bertefrido.
[c] Spicilegii tom. VI, pag. 887.

te sanctorum virorum et religionis monachicæ observantia; tum quoque principum Francorum favoris prærogativa, et muniminis protectione semper floruisse. Qua de re factum est, ut et immunitates rerum suarum, et privilegia eligendi abbatem omnes ei concederent, concessumque fore perpetuis diebus decernerent, suarumque munimenta concessionum in archivis monasterii ad memoriam futurorum servanda reponerent. Quibus cognitis omnibus nefas esse duximus si non religiosorum principum devotionem sequentes, et sanctorum præsulum exempla comitantes, nostræ cessionis auctoritatem monasterio Corbeiæ tribueremus, ne qui primi propter apostolicæ sedis primatum in ecclesiasticis negotiis disponendis inveniri debeamus, ipsi posteriores reperiamur; et qui ad servorum Dei quietem comparandam cæteris auctoritatis lumen præstare exemplo nostro jubemur, loquente Domino, *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v), ipsi per negligentiæ teporem minime boni operis fulgorem aliis præbeamus.

Qua de re noverit omnis Ecclesia Galliarum et universus episcoporum cœtus eidem Ecclesiæ præsidentium, quod privilegia sanctorum præsulum, sive quæ diebus antiquis, sive quæ moderno tempore gesta sunt, monasterio Corbeiæ, quod est contructum in pago Ambianensi super fluvium Summam, in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et sancti Stephani protomartyris, præsenti auctoritatis nostræ edicto roboramus; id est ut res monasterii, sive quæcunque a fidelibus oblata fuerint Deo et congregationi fratrum ibidem Christo famulantium, in dispositione abbatis et fratrum maneant; neque episcopus Ambianensis, ad cujus diœcesim cœnobium illud respicit, aliquid exinde præsumat, aut aliquis episcoporum, quorum in parochiis res aut basilicas habere cognoscuntur, neque in agris, villis, prædiis, aut in his omnibus quæ ad jus et dominationem eorum respiciunt, aut episcopus, aut œconomus, seu archipresbyter, aut archidiaconus, aut quilibet ministrorum seu præpositorum ejus aut conventus faciant, aut convivia præparent, aut aliquid potestatis jure sibi vindicent, aut exigant vindicanda. Hac quoque conditionis lege omnes episcopi se conveniri noverint, quorum parochias res Corbeiensis monasterii respicere cognoscuntur: nec novum, nec inusitatum causetur quisquam fore quod decernimus, quandoquidem et huic cœnobio constat olim jam hoc concessum, et multis aliis non solum in Gallia vel in Italia, verum toto terrarum orbe, non solum monachorum, verum canonicorum monasteriis, hodieque conspicimus manere indultum: et unaquæque ecclesia debet manere suis privilegiis contenta, nec ab alia [alio] pervadi vel usurpari, quod alterius juris esse conspicitur.

Cumque Galliarum permaxime ecclesias fidelium collationibus a Deo constet esse ditatas, ut nemo sit fere episcoporum, cui suæ sumptus ecclesiæ satis superque non sufficiant, cujus gratia necessitudinis, quæ servorum Christi sunt usibus collata, in suos convertere sumptus præsumant? Si enim clericorum, qui de propriis abundant reditibus, communicatio prohibetur cum eis quæ conferuntur ecclesiæ, nedum illi acceperint, qui de propriis abundant, eorum qui nihil habent inopia non levetur; qua conscentia episcopus suæ sumptibus ecclesiæ sufficiens, quæ servorum Dei fuerint usibus collata præsumat contingere? Nec veretur quod per prophetam Dominus exprobrat sacerdotibus dicens: *Rapina pauperis in domibus vestris* (*Isa.* III). Pauperes enim Christi esse quis nesciat, qui contemnentes substantiam mundi, Salvatoris nostri vestigia sectantes, qui *cum esset dives pro nobis pauper effectus est* (*II Cor.* VIII), sanctæ professionis titulum sibi divitias arbitrantur?

Quisquis igitur aliquid horum quæ fuerint ad necessitates eorum collata præsumpserit, et suis commodis applicuerit, rapinam in domum suam de substantia pauperis congregat. Omnia quoque quæ sunt ecclesiis oblata vel delegata in pauperum, pupillorum, viduarum, certum est necessitates destinata. Quare quisquis ex his aliquid in suas utilitates exigit, rapinam pauperis in domum suam congestam detinet. Et apostolos ait: *Quia rapaces regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI). Unde ab omnibus quæ monasterio Corbeiæ fuerint, vel oblata, vel quocunque legitimo jure possessa, in pecuniis, in agris, in prædiis, in domibus, in cellis, aut ecclesiis, nihil ex eis sibi præsumat aut episcopus, aut quicunque ministrorum ejus, ne contra nostram et majorum auctoritatem faciens, regum quoque decreta per servorum Christi quiete constituta contemnens, reum se sancti concilii et perpetuæ damnationis efficiat.

Et quoniam monachi tranquillitatis pacem, et securitatis otium habere debent, ut Deo vacantes professionis suæ regulam valeant observare, nec episcopus, nec archidiaconus ejus accedant ad præfatum monasterium, nec servorum Dei quietem perturbare præsumant; nisi forte aut abbas, aut fratres alicujus utilitatis gratia eum vocare voluerint; alias nec in abbatem, nec in aliquem de fratribus quidquam potestatis obtineat, neque per episcopalem fastum aliquid in eos ei liceat; verum abbas secundum regulam sancti Benedicti (*Cap.* 65) liberam monasterii sui habeat potestatem, et monachi ad ejus tanquam ad pastoris sui solummodo respiciant gubernationem, nec episcopale ministerium aliquid ditionis super eos obtineat (*Ibid.*, c. 2). Quoniam cum abbas vices Christi in monasterio creditur agere, pastoris officium super creditas sibi oves habere cognoscitur: utque dispensationis suæ ministerium exercere prævaleat digne, nullius debet perturbari potestate subjectus, sed ab omni episcopali liber dominatione, Christum tantummodo judicem sustineat, qui redditurus est de creditis sibi ovibus rationem. Quapropter modis omnibus statuimus; ut episcopus adventus sui præsentia monasterii tranquillitatem non inquietet, nec aliquid in eo episcopali potestate facere præsumat, nec fratribus aut abbati ullam molestiam, aut inquietudinis

perturbationem ingerat. Quod si violare præsumpserit, non pastoris officium, sed eversoris atque conturbatoris Dominici gregis noverit se agitare tyrannidem: ac per hoc non ut pastor suscipiendus, verum tanquam lupus ab ovili Christi removendus, damnationis suæ pœnas anathematis mucrone percussus excipiat. Altaria vero seu basilicas in monasterio rogatus ab abbate pro Christi nomine consecret atque benedicat. Chrisma quoque sive sanctificationis oleum singulis annis præbeat. Sed etsi quem petierit abbas aut de monachis aut de canonicis suis ad aliquem gradum ecclesiasticum consecrandum, nullatenus contradicat, nisi forte is pro quo petitur, indignus tali honore veritatis testimonio deprehendatur : quoniam sicut divinæ benedictionis sacramentum aut pro gratia largiri cuiquam non decet indigno, ita gratis debet exhiberi dignis, sicut Salvator ait : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x).

Electionis autem privilegium ut habeant fratres ejusdem monasterii decernimus, id est ut quemcunque de se ipsis, qui sit monachicæ professionis, dignus tamen pastorali prælatione, voluerint eligere, secundum regularem auctoritatem, potestatem habeant eligendi. Et super hoc monentes obsecramus filios nostros gloriosos Lotharium, Ludovicum, Carolum Augustum [Augustos, *ex schedis Mss. Labbeanis*], ut sicut memorabilis augusti genitor et avus eorum, et priores ante se reges Francorum eidem cœnobio concesserunt eligendi de semetipsis abbatem, atque ipsi suis præceptis hoc idem sanxerunt, ita quoque conservare suis temporibus pro Christi amore dignentur, et conservanda perpetuis diebus æternitatis suæ legibus constituant; ut dum famulis Christi libertatem electionis concesserint, et concessam servare studuerint, et præsentis vitæ regnum, et sempiternæ beatitudinis gloriam a Domino ipsi percipere mereantur. Atque quod est aut regio munere, aut fidelium devotione ad idem cœnobium Deo famulisque ejus oblatum, nec ipsi offerant, nec alios auferre permittant. Quoniam valde justum constat atque religiosum, ut qui a Domino meruerunt percipere regni honorem, ipsi Deo conservent quod ei collatum et pia credentium devotione; et qui a Christo regali magnificentia prælati sunt cæteris, ipsi famulis Christi eligendi sibi pastorem non auferant libertatem. Nam quis ignorat illa quæ collata sunt Deo per fidelium manus, divinitati possidenda consignari, et ab humano jure in jus divinum concedi, nec etiam hominum dominationi posse transcribi quod constat divinitatis possessione semel fore contradictum? Unde quisquis ea sui juris dominationi conatur adjungi, alterius, id est Dei juris pervasorem certum est fore eum. Etenim si quis alicujus hominis possessionem per violentiam sibi conatus fuerit usurpare, reus publici juris efficitur et tanquam raptor et pervasor hæreditatis alienæ legali judicio puniendus sujicitur. Multo magis igitur quicunque res Deo consecratas in jus suæ possessionis transfuderit, non humani tantum verum etiam divini juris noxius tenetur, et non solum raptoris aut pervasoris crimine, verum etiam sacrilegii nota damnandus, cœlesti judicio mulctabitur.

Unde magnifici principes cogitent quanto se crimine ante conspectum divinæ majestatis obligent, qui res Deo traditas invadere, et ab ecclesiasticis usibus in suas utilitates convertere non metuunt. Si vero privatorum quamvis ingenuorum hominum tamen possessiones injuste pervaserint, atque violenter abstulerint, non reges, id est, justi et modesti, sed tyranni, id est, crudeles et iniqui vocantur et habentur: quo nomine, quove honore censendi sunt, qui divinam hæreditatem, id est Ecclesiæ Christi possessionem injuste invadunt, et violenter auferant? unde hæc cogitantes filii nostri religiosissimi principes, res monasterii Corbeiensis inviolatas illibatasque, tanquam sacra [sacræ] divinitatis custodiant, nec ipsi eas tollentes, nec ab aliis auferri sinentes, ut ante conspectum superni regis quod dicuntur nomine reges merito censeantur; ut dum Deo quæ sua sunt custodiunt, eis a Deo et terreni regni principatus custodiatur, et sempiternæ beatitudinis corona tribuatur.

Quapropter monentes eos hortamur, ut tam sua quam priorum principum concessa inconvulsa custodientes, pontificum quoque nostraque decreta nullatenus prævaricantes, monasterio sæpedicto electionis privilegium tam suis quam futuris temporibus et servent, et servanda sanctionis perpetuæ stabilitate decernant. Veritatis etenim voce docemur, quoniam *si quis in ovile Christi non per ostium ingreditur, sed aliunde ascendit, hic fur est et latro* (*Joan.* x), et talis non Dominici gregis salutem, sed sua lucra, non ut salvet, sed ut perdat, requirit. Ovile autem Christi fore collegium sanctum monachorum, nullus prudentium dubitat. In hoc ovile per ostium ingreditur, quando per electionis ordinem secundum regularem constitutionem aliquis pastorale ministerium sortitur : qui vero regia dominationis potestate suffultus, et non per electionis gratiam super dominicum gregem primatum arripit, hic non pastor, id est vicarius Christi, sed fur et latro esse cognoscitur ; nec ut dominicum gregem custodiat, sed ut perdat et dissipet intrare deprehenditur. Unde quisquis ei potestatis hujus tribuit dominationem, de morte tantarum animarum in die judicii reus judicabitur, quantis hic per pravitatis exempla causa fuit perditionis.

Qua de re, gloriosi principes monasterio huic electionis prærogativam concedite, neque aliquam personam aut laicam aut canonicam, quod contra omnem ecclesiasticum ordinem est, aut etiam monachum ex alio monasterio, vel non secundum regulam electum, super illud regali potentia constituatis, ne domus Dei, *quæ domus orationis esse debet*, per vos *fiat spelunca latronum*. Neque enim ignoratis hujusmodi prælatos et auctores hujusmodi prælationis a domo æternitatis divina censura exturbandos, et ad supplicia ultionis perpetuæ

deportandos. Unde quæ sententia damnationis a nobis est in tales exercenda, nisi quam Spiritus sanctus ore prophetico protulit, dicens: *Omnes principes eorum qui dixerunt: Hæreditate*[a] *possideamus sanctuarium Dei; Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris eos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos* (*Psal.* LXXXII). Qui sunt enim qui sanctuarium Dei hæreditate possidere dicuntur, nisi illi qui res Deo dedicatas, et ad usus pauperum servorumque ejus collatas, sæcularis potentiæ dominatu, non electionis gratia quærunt obtinere? Principes autem illorum sunt hi, qui votis eorum suffragia præstando, aut Ecclesiæ res illis tradendo consentiunt. Quali autem utrique feriantur divinitus ultione, superius dicta sententia comprehendit, quæ ostendit eos a cœlestis patriæ stabilitate[b] projiciendos, et temporalis volubilitate lapsus, quasi rotæ vertigine circumferendos, postque præsentis terminum vitæ, turbine divinæ animadversionis velut stipulam ariditatis vanitate levissimam rapiendos, et infructuositatem eorum atque superbiam tanquam silvestrem sterilitatem, et contra Deum elatum tumorem terræ, igni, flammaque vorante comburendos.

Ut hanc igitur ultionis divinæ severitatem non subeant, studeant Christianissimi principes Christi ecclesiis electionis sua jura conservare, et quod universæ debetur Ecclesiæ, Corbeiensi non auferant monasterio; ut dum ei propter honorem Dei jus electionis indulserint et res monasterii violentorum ambitionibus ne deserviant incontaminatas servaverint, ipsi cœlestis regni cum Christo participium consequantur. Nec illud aliquando in sæcularium manus, aut canonicam dominationem permittant, quod habitatorum summa destructio est, et dantis, sive accipientis summa damnatio. Nam quid est aliud sæculorum personam pastoris vice Ecclesiæ Dei præferri, quam abominationem desolationis in templo Dei constituere? Quicunque igitur hoc faciunt Pilato similes inveniuntur, qui Cæsaris imagines in templo Domini statuit venerandas. Et cum Apostolus fidelibus loquitur, dicens: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri* (*Rom.* XII): qui sæcularem personam monachis præfecit, quantum in sæculo de formam spiritus ad formam sæculi, et de imagine Christi ad imaginem terreni regis eos impellit: quoniam omnis subditus prælati sui debet imaginem sequendo imitari. Unde non parvo se delicti scelere putet involvi, qui tales ecclesiæ præponit, in quorum forma servi Christi, non Christi humilitatem, sed superbiam mundi, non cœlestis patriæ desiderium, sed concupiscentiam sæculi contemplentur semper et addiscant.

Quod quia vididetis, excellentissimi principes, scelestissimum fore, hoc impietatis sacrilegium a monasterio Corbeiensi propellite semper: sed nec canonici ordinis personam super illud aliquando vel præponatis, vel præponi sinatis. Memores estote quod Nadab et Abiu, quia ignem alienum Domino in incensum obtulerunt, divino igni consumpti sunt (*Levit.* X). Ignem siquidem alienum in incensum offert Domino, qui monasticæ religioni aliquem sub canonica professione militantem, ut pastoris vicem obtineat, prærogat. Verum quia tales ultione feriuntur, illorum signat interitus, qui mox præsentis pœnæ supplicio consumpti, quid eorum imitatores mereantur suæ damnationis exemplo posteris signaverunt. Omnes quoque licet monasticæ sint professionis, si non per electionem regularem constituti fuerint rectores eidem monasterio, de quo loquimur, qui tales per munera cognoscuntur admissi, id est, aut per pecuniam, aut per gratiam, aut per obsequium, universa a nobis Petri principis apostolorum auctoritate cum Simone, cujus imitatores existunt, anathemate condemnantur. Et ut religiosi principes ab hac damnationis sententia maneant immunes, studeant omnibus modis circa monasterium præfatum electione privilegium servare semper inviolatum: quoniam secundum jam olim a sanctis Patribus definitam promulgationem ecclesiæ Corbeiensis prælationem, non per legitimam monachorum in eodem cœnobio Christo militantium electionem, sed contra regularem atque canonicam auctoritatem, et dantem et accipientem a Christi regno, sanctorumque consortio anathematizamus; neque societatem poterunt habere Jerusalem cœlestis, qui eam in terris peregrinantem dissociare conantur. Quod agere certum et omnes qui non pastores, sed latrones, nec Christi vicarios, sed Antichristi sequaces, super eam constituere non verentur, ut domus Dei, non domus orationis, sed spelunca latronum existat; nec in ea forma Christi, sed abominatio desolationis emineat.

Sed si reipublicæ rectores, divinorum contemptores præceptorum et episcoporum, atque nostram super hac re decernentem contemnentes auctoritatem, non quem regularis electio decreverit, sed quem eorum dominatio voluerit, illi præposuerit congregationi, monachi loci ejusdem episcopum, ad cujus diœcesim monasterium pertinent, obsecrent, ut aut per se ipsum, aut una cum eis ad archiepiscopum Remensem referat, atque simul principem conveniant, et eum super transgressionis suæ periculo commoneant. Quod si episcopus diœcesis illius aut propter timorem, aut favorem principis, aut propter imprudentiam, vel pastoralis curæ negligentiam, ferre auxilium vel noluerit, vel contempserit, fratres per se ipsos præfatum archiepiscopum et vicinos episcopos adeant, et necessitudinis suæ causam eis manifestent, utque sibi ferant auxilium supplicent. Archiepiscopus autem vel ipse solus, vel

[a] De frequenti illo in Galliis per ea tempora abusu bonorum ecclesiasticorum a sæcularibus viris etiam conjugatis possessorum, conniventibus ad ea sacrilegia principibus, plura erudite collegit Joannes Filesacus singulari ea de re opusculo.

[b] Acherius legit *nobilitate lapsos*.

cum cæteris episcopis suæ diœceseos regem adeant, A et super electione violata eum commoneant, utque corrigere dignetur, et verbis suadere, et precibus obsecrare non desistant. Quod si eos audire contempserit, nec peccati sui corrigere culpam maluerit, excommunicationis apostolicæ sententiam damnatus excipiat. Si vero vel episcopus cujus parochia est, aut archiepiscopus, aut cæteri suffraganei negligentes super hoc fuerint, aut contempserint, aut irritum duxerint, damnationis cujus sententiæ teneantur obnoxii non ignorant. Dicit enim propheta : *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III). Unde noverint se eodem vinciendos anathemate, si neglexerint pro grege Domino pastoralis curæ sollicitudinem adhibere. B

† BENEDICTUS †.

Scriptum per manum Theodorici, notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobrio, indictione quarta. Bene valete.[a] Actum Nonis Octobris per manum Theophylacti secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante D. piissimo Augusto Lothario a Domino coronato magno imperatore anno tricesimo nono, et post ejusdem annum tricesimum nonum, sed et Ludovico novo imper, ejus filio anno septimo.

EPISTOLA IV.

AD LUDOVICUM ABBATEM S. DIONYSII,

Confirmat privilegia monasterii S. Dionysii in Francia.

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, Ludovico abbati venerabilis monasterii sanctorum C martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii, ubi eorum sacra corpora requiescant, et omni congregationi fidelium monachorum quæ eum eo est, pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo.

Questi estis, filii mei charissimi, quod in terris quas apud Anglos Saxones habere videmini, multi per insolentiam illius terræ homines vobis injurias important, et præcipue, cum suprema sorte funguntur reges, et alii succedunt in regno. Quapropter petistis ut vobis donationes illas regum seu principum, vel cujuscunque, qui ad vestrum monasterium pro amore Dei summi ac veneratione prædictorum martyrum, seu pro salute sua, aliquid in illa terra largiti sunt, auctoritatis nostræ pagina firmaremus. Justum ergo considerantes, quod a nobis utiliter postulatur, auctoritate Dei Patris omnipotentis cum Filio et Spiritu sancto et beati Petri sanctorum apostolorum principis, cujus nos immeriti vicarii existimus, cum invocatione cœlestium virtutum sancimus, et firmantes roboramus ; ut quidquid in omni terra Britanniæ, vel ubicunque, sive a regibus, principibus, seu a quolibet homine, sive in terris, sive in aquis, qualiscunque sit illa possessio, quæ ad monasterium SS. martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii tradita est, absque invasione et violentia quorumcunque hominum, sub potestate abbatis et provisione monachorum ejusdem monasterii in perpetuum perseveret. Quod si aliquis hoc infringere, vel per alium aliquem voluerit, auctoritatis nostræ privilegium, sciat se anathemate insolubili damnatum, et a regno Christi alienum, et cum impiis æternis incendiis deputantum, nisi resipuerit et ad satisfactionem congruam venerit. Qui autem ista conservaverit, auxerit, adjuverit, benedictionem percipiat a Domino nostro Jesu Christo in sæcula sæculorum. Amen. Bene valete.

Scriptum per manum Theodori notarii regionarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio, indictione septima. Datum per manum Megisti, episcopi et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, quinto Idus Maii, imperante domino piissimo perpetuo Augusto, a Deo coronato magno imperatore, consulatus ejus anno octavo, indictione septima [quinta [b]].

[a] Hæc in Spicilegio omissa.

[b] Labbeus recte observat loco *indictione septima* legendum esse *indictione quinta ;* sed nec ipse, nec ullus alius animadvertit annum consulatus Ludovici II Aug. mendose etiam a librario descriptum fuisse ; quia scilicet consulatus perpetui parum hactenus fuere cogniti. Quare cum Ludovicus an. 850, mense decembri, imperium et consulatum uno eodemque die, ut moris erat, susceperit, et Benedictus III anno sequenti ante mensem Maium obierit, hæc epistola serius quam currenti anno indict. V et consulatu VII Ludovici II Aug. notato dari non potuit. PAGIUS *ad an. Ch.* 857, n. 8.

BENEDICTI III DIPLOMA

QUO

Monasterium Fuldense sub apostolicæ sedis protectione recipit, ejusque immunitates confirmat.

(Schannat, Hist. Fuld., p. 134.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, THEOTORI, religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per te in eodem venerabili monasterio successoribus abbatibus in perpetuum. D

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationalibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis quatenus monasterium Salvatoris, a sancto Bonifacio archiepiscopo constructum in loco qui vo-

catur Boconia erga ripam fluminis Voldaha, privilegii sedis apostolicæ adminiculis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur : pro quare piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectu mancipamus : et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem præter sedem apostolicam : ita, ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare, ut profecto juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat locis et rebus, tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis et oblationibus decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione, firmitate perpetua perfruamur. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ præsul, vel quaecunque dignitate prædita persona hanc nostram privilegii chartam, quam auctoritate principis apostolorum firmamus, temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Zachariæ notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Octobris, indictione quinta.

Actum x Kal. Novembrias per manum Theofilacti, secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo perpetuum Augusto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, indictione quinta.

ANNO DOMINI DCCCLIX.

SANCTUS EULOGIUS

ARCHIEPISCOPUS TOLETANUS ET MARTYR.

(Juxta editionem Francisci de Lorenzana, archiepiscopi Toletani, Patr. Eccl. Tolet.)

MONITUM AD LECTOREM.

Sanctorum antistitum Toletanorum Opera (a) *D. Eulogii scripta merito sequuntur, qui illorum in Toletana cathedra successor jam designatus, presbyter Cordubensis occubuit adepta martyrii palma : vir plane ab omnibus summa veneratione suscipiendus tanquam singulare Cordubæ patriæ suæ, ornamentum, perpetuum Toleti decus, totiusque Hispaniæ lumen, non minus propter virtutis laudem, quam doctrinæ : quarum alteram vitæ sanctissime peractæ gloriosus exitus, alteram monumenta, quæ litteris commendata reliquit, abunde testantur : adeo ut qui Eulogium cum magno illo Africano doctore, inclytoque simul Christi martyre Cypriano comparaverit, ne is æquus hominum æstimator habendus fuerit. Fac enim unam eloquii asperitatem excipias, quo limatius ac politius tempora illa minime ferebant, cætera Eulogium Cypriano facile exæquaverim : ingenii ubertate, doctrina, eruditione sacra, vehementi ferviduque fidei zelo, animi virtute atque constantia, summo tandem charitatis ardore, sive gloriosa Christi atheletarum certamina describere tentet, sive illorum vindicationem adversus SS. martyrum obtrectatores suscipiat, sive infirmos ac debiles accendere, nutantes vero confirmare conetur : quo in genere cum omnia fere Eulogii scripta cum laude versentur, tunc admirandum omnibus* Documentum Martyriale *edidit ad sacras virgines directum Floram et Mariam, ob fidei confessionem in vinculis detentas, ipse etiam vinctus in Domino ac teterrimo carcere inclusus : cujus lectione quicunque se moveri neget, ab omni se pietatis fideique sensu oppido alienum profitetur. Non tam enim humano ingenio elaboratum quam divino instillante Spiritu conscriptum videtur illud opus : ut optime de eo pronuntiaverit magnus Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius, sibi videri Eulogium cum* Documentum *scriberet, in pyxide Spiritus sancti calamum intinxisse.*

Sunt autem omnia Eulogii opera, ut dicebamus, ejusmodi argumenti, ut vel martyrum Cordubensium suo tempore certamina narret, vel illorum in sese offerendo prudentiam rectumque zelum defendat : nempe Memoriale Martyrum *tribus libris distinctum, Documentum Martyriale, Apologeticum Martyrum, et Epistolæ nonnullæ. Quæ omnia nos hic edere suscipimus, una cum sancti Eulogii Vita ab Alvaro Cordubensi ejus familiarissimo accurate conscripta, in qua quæcunque ad Eulogium spectant abunde ac minutim persequitur. Sed bene habet, quod in ejusmodi labore multo jam antea nos prævivit eruditissimus vir Ambrosius Morales, cui multam est quod habeamus gratiam, quoniam sæculo* XVI *Eulogium summa cura edendum suscepit, atque egregiis animadversionibus illustravit. Quare nostra post eum opera fere tota versata est in repurganda Moralis editione a typographorum mendis, quibus est inquinata, ope alterius ab Andræa Schotto Francofurti adornatæ, quæ quamvis et ipsa erroribus scateat, loca tamen in editione Moralis corrupta diligenter habet emendata. Ambas ergo (nullis aliis codicibus manuscriptis adjuti) dum accurate inter se contulimus, effectum est ut nostra integrior ac sanior appareat utrisque. Sed et Ambrosii Moralis notas aliquando nostris auximus, jam textui auctoris magis illustrando, jam ipsius adnotatoris sententiis explicandis confirmandisve, aliquando etiam corrigendis : qua in re curavimus ut suum cuique constaret, ne virum doctissimum sua laude fraudaremus.*

Verumtamen quoniam illius animadversiones

(a) De quibus hic agitur antistum Toletanorum Opera, Eugenii scilicet, Hildefonsi, Juliani, edita exstant hujusce Patrologiæ tom. LXXXVII et XCVI. Edit. Patrol.

nonnunquam longiores sunt ac fere perpetuæ lectoris commodo consulentes, hac methodo usi sumus, ut breviores notas ad imam textus marginem subjiceremus, reliquas ad extremum, non uniuscujusque libri, sed totius operis relegando: in quo illustrium editorum exempla sequimur. Scriptis (quantum licuit) eum locum assignavimus, quem ratio temporis, quo unumquodque elaboratum fuit, exigere videtur: hoc tamen non semper licuit: neque enim tres libros Memorialis Sanctorum a se invicem dividere æquum erat, quamvis non uno tempore fuerint conscripti. Præterea Martyrum SS. Virginum Floræ ac Mariæ, quod antea cap. 8 libri II *Memorialis Sanctorum conficiebat, e sua sede, ut ita dicamus, evulsum, opportunum putavimus seorsim edere una cum Documentum Martyriali ei præfixo, tum quod ea historiæ pars non ita cum reliqua narratione conglutinata sit, ut ab ea* A *sine deformitate separari, nequeat, tum vero maxime, quod Documento proxime adhærens apertius demonstret quantam divini amoris flammam ac perituræ hujus vitæ contemptum ignita Eulogii verba in virginalibus pectoribus accenderint. Deinde Apologeticum, postremum omnium Eulogii Operum, præcedit epistola ad Wiliesindum, episcopum Pampilonensem, de cujus legitimitate nullo merito dubitasse Pellizerium, marchionem Mondexarensem, et Maiansium, satis aperte evincit omni argumentorum genere jam sæpias laudatus P. Florez, tom. X Hispaniæ sacræ, tract. 33, cap. 12, num. 70 et sequentibus. Reliquas epistolas ab Moralesio simul editas nos præfiximus tractatibus quorum causa fuerunt scriptæ; et in Actis Martyrum nonnullas adjicimus notas ex Bollandianis, ut ne hoc deesset in nostra editione.*

MONITUM AMBROSII MORALIS,

Editioni Complutensi præfixum.

Hujus divi Eulogii Vitæ duo habuimus exemplaria. Alterum cum sancti Operibus in vetustissimo Ovetensi ad finem cohærebat. Alterum mihi benigne commodaverat Michael Ruizius Azagra, serenissimorum Bohemiæ principum Ernesti et Rodulfi a secretis, adolescens ingenio et litteris ornatissimus, et in pervestiganda omni antiquitate studii et diligentiæ singularis. Fuit is etiam codex litteris Gothicis in membranis descriptus, et quod multis indiciis apparebat, itidem vetustissimus. Plura continet poemata, Dracontii nimirum de Opere sex dierum libros duos, cum divi Eugenii, tertii archiepiscopi Toletani, supplementis: Corippi grammatici Africani ad Justinianum imperatorem libros tres: ejusdem divi Eugenii epigrammata, quædam alia. In fine Vita hæc divi Eulogii fuit annexa. Ovetensis codex nullum titulum habuit huic operi præfixum. Ille alter hunc præferebat, quem apposuimus. Sed æræ computatio fuit varie in margine signata, cum abraso numero, ut B *apparebat, alter fuisset suprascriptus. Annus Dominicæ incarnationis recte fuit signatus. Inde nos et ex astronomica nostra ratione supputandi (cujus nobis opportunitatem Alvarus ad finem operis, quemadmodum ibi apparebit, præbuit) utrumque recte signavimus et astruximus. Nomen etiam regis in titulo mendose fuit ascriptum. Abderrahgman enim legebatur: cum ipso mortuo, Mahomad, ejus filius, divum Eulogium, quod ex ejusdem libro tertio constat, martyrio coronaverit: et Alvarus etiam ipsum regem Mahomad nominat. Ipse Alvarus etiam nobilis admodum et illustri genere videtur fuisse: siquidem* serenissimi *titulo ipsum non semel compellat Eulogius. Quod idem præceptorem suum etiam vocat, humilitatis est prorsus: cum fuerint, ut confestim legenti apparebit, condiscipuli. Quinimo et per catachrisin quamdam Alvarus doctor dicitur, homo laicus et conjugio, quantum conjicere datur, innexus, cui hujusmodi titulus minime eo tempore poterat competere.*

SANCTI EULOGII

ARCHIEPISCOPI TOLETANI ET MARTYRIS.

Qui passus est æra DCCCXCVII, *anno Incarnationis Domini* 859, *sub rege Mahomad, die quinto Idus Martii,*

VITA *VEL* PASSIO

AUCTORE ALVARO CORDUBENSI.

(Ex cod. Tol. Azagr. ms.; ex edit. morall.; ex Schott., tom. IV Hisp. Illust., Antuerp., ad XI Mart; et Florez., tom. X Hisp. Sacr.)

PRÆFATIO.

[a] 1. Beatissimi martyris (1) et doctoris Eulogii passionem disponens scribere, prius vitam ejus putavi dirigendam in ordine, quam sui finis agonem C pulcherrimum designare: ut quis vel quantus fuerit ante lectoribus innotescat, et sic deinceps adeptum [b] ex merito palmam victoriæ evidentissimis clarescat [c] indiciis. In cujus operis principio, Do-

[a] Notæ numerales textui intermistæ spectant ad Scholia Ambrosii Moralis, post Vitam Eulogii recusa. EDIT. PATROL.

[b] Ita ms.; editi vero, *adeptam*.

[c] Id., *elucescat*.

mini fretus et Redemptoris nostri auxilio, profi- A teor me non audita et dubia, sed visa et per me probata retexere ; quoniam gratia Dei cooperante, a primævo adolescentiæ flore, charitatis dulcedine et Scripturarum amore uno vinculo concordi innexi, hujus vitæ, licet non pari ordine, tamen pari affectu in cunctis quæstionibus duximus jugum. Sed ille sacerdotii ornatus munere, pennis virtutum in sublime evectus, altius evolabat ; (2) ego luxuriæ et voluptatis luto confectus, terratenus repens hactenus trahor. Et inde est quod non incerta, et quorumcunque hominum ratione comperta, sed mecum gesta et per me cognita narrare disposui. Quia sicut de incertis temere referre sententiam periculosum fore profiteor, ita de cognitis supprimere ea quæ nosci debent [a] , vacuum pe- B riculis esse non reor. Est quoque et laudabilis pro exemplo prædicanda omnibus veritas, et nihilominus detestanda rhetoricorum composita falsitas. Quoniam melius est de multis præclaris nihil facinoribus dicere, quam ex parvis bonis multa falsa [b] disserere : tutiusque est omnia quæ gesta sunt præterire, quam ea quæ non fuerunt [c] , aliqua fingere. Et mitius errat, qui non malitiæ voto, sed segnitiæ fastu vera supprimit, eo qui diserte falsa confingit. Veritas enim, si studio veritatis et non vanæ gloriæ jactantia dicitur, dicenti coronam implodit ; falsitas autem, si ab aliquo intentatur, conjectantem occidit. Et ideo sicut me veritatem dicentem remunerandum esse congaudeo, ita falsitatem si dixero, condemnandum esse non nego. Qui- C bus ergo causis ad falsitatem retexendam insilirem, ipse non habui, qui veritatem in omnibus, non mendacium, remunerari cognovi.

CAPUT PRIMUM.

S. Eulogii pia educatio, studia, sacerdotium, titulus doctoris, familiaritas cum Alvaro Vitæ scriptore.

2. Igitur beatus martyr Eulogius nobili stirpe progenitus (1), Cordubæ civitatis patriciæ (2) senatorum traduce natus, Ecclesiæ ministerio [d] mancipatus (3), sancti ac beatissimi Zoyli æde deserviens, et in ejusdem collegio clericorum vitam deducens, multis et clarissimis virtutibus floruit, magnis et laudabilibus operibus viguit. Ab ipsis enim incunabulis [e] litteris ecclesiasticis hærens, et quotidie per studia bonorum operum crescens, perfectio- D nem adeptus est, ac super omnes coætaneos doctrinæ scientia clarens, et eruditionis lumine florens, magistrorum doctor est factus. Quippe qui mentem senilem parvissimo corpore gerens, vincebat etsi non ætate, certe scientia universos. Erat enim [f] studiosissimus Scripturarum scrutator, et intensissimus sententiarum investigator. Ita ut nihil Scripturæ præponeret sanctæ, nihil magis eligeret quam in lege Domini meditari die ac nocte. Nec contentus magisterio doctorum suorum, alios, si quos forte audiret, procul positos requirebat : et ne offenderet proprios, furtim se horis, quibus poterat, subtrahebat. Nam et abbatem bonæ recordationis et memoriæ Speraindeum, opinabilem [g] et celebritate doctrinæ præconabilem virum sæpius invisebat, auditorioque more ex illius ore disertissimo dependebat. Qui ipso tempore totius Bæticæ fines prudentiæ rivulis dulcorabat. Ibi cum primitus videre merui, ibi ejus amicitiæ dulci inhæsi, ibi individua sum nexus dulcedine. Eram namque jam dicti illustrissimi viri auditorum : et dum frequentius ejus lumina tererem, incultumque ingenium acuerem, tandem respectione divina hujus tanti viri societate conjungor. Et catenatim inadibili [h] nexu non innector, tantum, sed unior : factique sumus auditores viri, amatores nostri : in tantum, ut illa ætas indocta sibi non concessa præsumeret. Agebamus utrique Scripturarum delectabilem lusum, et schalmum in lacu nescientes regere, Euxini maris credebamur fragori. Nam pueriles contentiones pro doctrinis, quibus dividebamur, non odiose, sed delectabiliter epistolatim in invicem egimus, et rhythmicis versibus nos laudibus mulcebamus. Et hoc erat exercitium nobis melle suavius, favis jucundius, et in ante nos quotidie extendentes, multa inadibilia tentare in Scripturis, puerilis immatura docibilitas coegit [i]. Ita ut volumina conderemus, quæ postea ætas matura [j] abolenda, ne in posteros remanerent, decrevit.

3. Sed cum jam annos [k] juventutis attingeret Eulogius, diaconii ministerio fungitur, atque in brevi merito vectus ad superos, gradu presbyterii sublimatur : moxque magistris ordine et vitæ moribus sociatur. Quanta illi humilitas, quanta bonitas, quanta inhæserat charitas, amor omnium ostendebat. Exhinc cæpit se acriori vitæ austeritate constringere, et modestiæ legibus in universis actionibus perornare : Scripturis vacare divinis, et corpus suum vigiliis ac jejuniis castigare, monasteria frequentare, cœnobia invisere, regulas fratrum componere. Hinc inde cuncta eo modo curare, quo si fieri posset, utrobique adesset. Ita clericatum agens proprium, ut regularem ordinem non dimitteret alienum : ita

[a] Schottus in margine, *nosci debentur*, ut ms.
[b] Ms., *false*.
[c] Schott., in marg., *fuerint*, ut ms.
[d] Edit., *mancipatur*.
[e] Ms., *ipso... incunabulo*.
[f] Schott., *autem*, ut in ms.
[g] Hispanismus, ait Schottus, pro *magnæ opinionis* : ut paulo inferius in passione *opinatissimum* Eulogium dicit.
[h] Ita ms. et Schottus pro *insolubili*, ut Morales. Duplex, quidem apud Alvarum, inquit recte Florezius, vocis *inadibilis* notio apparet : una pro *inaccessibili*, ut dum ad finem dicit hujus numeri, *multa inadibilia tentare ex Scripturis*; altera pro *stabili*, ut ait ad num. 5 : *Hic tamen inadibilis nunquam vacillare*, id est, *stabilis, firmus, immutabilis* ; qua etiam notione licuit ei dicere, *inadibili nexu*, quin opus sit vocem loco movere cum Morali.
[i] Schott., *ex Scripturis... egit*, ut ms.
[j] Ms., *matura* ; Morales, *mutata* ; Schott., *muta* ; Antuerpienses, *multa*. Omnibus potior est lectio ms., qui postea *abluenda* pro *abolenda* habet.
[k] Schott., *dum annos* ; ms., *dum annis*, et non habet, *Eulogius*, nec *jam*.

monachis adhærens, ut clericus probaretur : ita A in clero degens, ut monachus videretur, et [a] utrobique aptus accurrens, et utrarumque professiones unus sufficientissime complens. Currebat sæpius ad cœnobiorum sacratissimos greges ; sed ne proprium ordinem contemnere putaretur, ad clerum iterum [b] remeabat : in quo dum aliquod tempus persisteret, ne virtus animi curis sæcularibus enervaretur, itidem monasteria repetebat. Hic doctrina oris Ecclesiam ornans, illic vitam propriam exсutiendo [c] decorans, in cunctis [d] virtutibus positus, viam sæculi mœrens incedebat et anxius : et quotidie ad cœlestia volare cupiens, corporea sarcina gravabatur. In tantum ut Romam ire disponeret, ut adolescentiæ nævos lacrymis et peregrinationis itinere domaret [e], imo domitos deleret : sed ecce B omnes hinc inde insistimus, et eum magis corpore quam animo retinemus.

CAPUT II.

S. Eulogii captivitas, liberatio; martyribus constantia data; acta conscripta.

4. Verum dum ista et alia referuntur (1), tandem Reccafredus episcopus super ecclesias et clericos quasi turbo violentus insiluit : omnesque sacerdotes, quos potuit, carcerali vinculo alligavit. Inter quos ut electus aries ducitur, et cum pontifice suo vel aliis sacerdotibus vincitur. In qua retrusione magis orationibus et lectionibus operam dedit quam vinculis. Ibi sanctis virginibus Floræ et Mariæ pro fide comprehensis illud Documen- C tum Martyriale uno libro composuit, in quo eas ad martyrium nervis [f] tenacissimis solidavit, easque et per se verbis et per epistolas mortem contemnere docuit : seque suosque socios earum suffragiis vinculo solvendos commisit, quod et obtinere mox post sextum diem passionis earum promeruit. Nam illæ octavo Kalendas Decembris expleverunt martyrium ; sacerdotes vero Domini tertio Kalendarum earumdem solutionem adepti sunt (2). Exstat super hoc illustriore stylo [g] confecta, et mihi his diebus directa epistola, passionem earumdem virginum, et ereptionem sacerdotum ipsarum virginum meritis continentem (3). Ibi metricos, quos adhuc nesciebant sapientes Hispaniæ, pedes perfectissime docuit, nobisque D post egressionem suam ostendit. Inde et [h] mihi pro libris illis, quos in defensionem martyrum dederat [i], epistolam facundo locutionis genere dictatam direxit. Nam cum omnes, qui cum eo erant sacerdotes, vacarent otio et quieti, ille non noctibus, non diebus a lectione cessabat, noctes diesque ingeminans, et i Scripturarum mella lambens, ore [k], et corde spiritaliter ruminans.

5. Verum operæ pretium reor si, paulo altius incedentes, tempore persecutionis qualiter [l] probatus exstiterit, inseramus. Nam [m] dum episcopi, sacerdotes, clerus et sapientes Cordubæ in martyrio nuper exorto devio calle incederent, ac timoris impulsu pene fidem Christi, si non verbis, nutu tamen negarent ; hic tamen inadibilis nunquam vacillare vel tenui est visus susurro. Sed omnibus pergentibus ad agonem occurrens, universorum animos, cunctorumque ossa venerans et componens, in tantum ardescebat ardore martyrii [n], ut ipse incentor ipsis diebus videretur esse martyrum [o]. Pro quo rectitudinis zelo multis exstitit contumeliis propulsatus, magnisque terroribus fatigatus. Nam unus ex proceribus illum impetens, et minis exasperans, divino justo judicio in reprobum sensum conversus, fidem quam tenens nescius impugnabat, mox miser et stultus amisit. De quo plenius in libro Memoriale Sanctorum tertio jam dictus beatissimus disputavit. In quibus libris et passiones singillatim martyrum claro fonte locutionis explicuit, et prosecutione sufficienti quæcunque acta sunt in martyribus Dei [p] et dicta secuturis generationibus propalavit. Quantus autem vel quam excellens fuerit scientia, luce clariola ejus pandent opuscula, quæ sale Attico et prosatico lepore, imo divina inspiratione composuit.

6. Sed redeundum est ad Reccafredi episcopi tempora, et qua arte a sacrificio se suspenderit, ne ejus glutinaretur errori, proferendum (4). Namque ipsis diebus cuncti ei et [q] vi et potestate addicti, jussu regio subditi, iniquo videbantur hosti adjuncti : et qui priori insurrectione adversi et erecti contra eum steterant [r], tunc terrore conciti [s], quasi familiares hærebant, non mente, sed corpore ; nec dilectione cordis, sed compulsione terroris ; et ne aditus ei nocendi daretur [t] in amplius. Ita quoque rex [u] contra nos desæviens legibus necessitatem induxerat, liberum arbitrium interpollans, omnes truci subdiderat hosti (5). Cujus historiæ veritas in alio opere enucleatius disseretur.

7. Nunc vero hujus admirabilis viri tantum enodare sanctissimam cupimus artem. Is [v] enim gravi instinctu doloris, dum undique circa se dolosum cerneret ipsius episcopi grassari ingenium et

[a] Deest *et* in ms.
[b] Deest *iterum* in edit.
[c] Ms., *exculpendo.*
[d] Id., *tantis.*
[e] Id., *prædomaret.*
[f] Ita ms., sed edit., *verbis.*
[g] In ms., deest *stylo*, particulaque *et* sequens.
[h] Edit., *etiam.*
[i] Ms. *dederam.* Quæ lectio si probaretur, satis firmo argumento esset, Indiculum Luminosum scriptum ab Alvaro in martyrum defensionem.
i Deest *et* in edit. ; exstat in ms.
[k] Edit., *et ore* deestque in eis *spiritaliter.*
[l] Ms., *qualis.*
[m] Ms. pro *nam* habet *denique.*
[n] Edimus hunc locum, ut ms. et Schot., et Antuerpienses, cum Florezius perperam habeat : in *tantum ardescebat, ut dote martyrii et ipse incentor*, etc.
[o] Ms., *martyrii.*
[p] Ita ms. ; editi vero, *Domini.*
[q] Deest in ms. *et.*
[r] Non bene in edit. *steterunt.*
[s] Schott., *concisi*, ut ms.
[t] Edit., *amplius nocendi daretur.*
[u] Ms., *ira...... regis.*
[v] Schott., *Qui*, ut ms.

cæteros secum [a] ei communicantes deprehenderet, nec resistendi sibi copiam inesse videret, nec amovendi licentiam ([6] ut pote fidejussoribus dati [b]) remanere [c] sibi conspiceret; cœpit se gravi atterere gemitu, magnoque, ut diximus [d], intrinsecus mactari dolore. Sed nutu Dei contigit, ut quadam die præsenti episcopo (7) beati Epiphanii Cypriæ Salaminæ episcopi, Joanni episcopo Hierosolymitano directa epistola legeretur, quam [e] ego cuidam diacono præceperam legere: in qua idem beatissimus pontifex Origenis nænias arguens, et ordinationem cujusdam presbyteri in monasterio jam dicti Hierosolymitani assignato [f] a se consecrati defendens causam ordinationis retexuit, beatissimorumque presbyterorum Hieronymi et Vincentii continentiam sacrificandi laudando innexuit [g]. Quam narrationem tum jam dictus Eulogius avida mente magis arripiens, quam suscipiens, et sibi a Deo datam occasionem cognoscens, ingenti vulnere quasi percussus, ab intimo corde trahens suspiria, neque intuens, conversus episcopo dixit: « Si lucernæ Ecclesiæ, et fidei nostræ hoc egerunt columnæ, quid nobis facere convenit, quos dilecti onera graviter deprimunt et affligunt? Cognoscat ergo vestra paternitas, interdictam a me ipso mihi sacrificandi licentiam. » Sicque hujusmodi ingenio tempore Reccafredi se ipse suo ligavit arbitrio. Cujus professionis licet hoc modo ordinem sumeret, delectabili tamen usu [h] perfunctus, nolebat postea statum rejectum recipere. Sed pontifex proprius in tantum eum admissum [i] officium sacrificandi compulit repedare, ut eum anathemate ferire non vereretur, nisi citius redire promitteret.

CAPUT III.

Sancti Eulogii doctrina et virtus, peregrinatio, electio in archiepiscopum Toletanum.

8. Et erat vir ille in omnibus professionibus principaliter et non medie decoratus, cunctis ex æquo deserviens; et cum præiret omnes scientia, humilior certe etiam infimis videbatur. Clarus vultu, et honore præcipuus, eloquentia fulgidus, et vitæ operibus luminosus. Incitator martyrum et laudator, tractator peritissimus et dictator. Quis ardorem ingenii, quis decorem eloquii, quis fulgorem scientiæ, quis affabilitatem usualem officii quocunque poterit prudentiæ dicere i flumine? Quæ enim illi non patuere volumina? Quæ potuerunt cum latere ingenia catholicorum, philosophorum, hæreticorum, necnon et gentilium? Ubi libri erant metrici, ubi prosatici, ubi historici, qui ejus investigationem effugerent? Ubi versus, quorum ille ignoraret canora? Ubi hymni, vel peregrina opuscula, quæ ejus non percurreret pulcherrimus oculus? Quotidie enim nova et egregie admiranda quasi a ruderibus [k] et fossis effodiens, thesauros elucidabat invisos. Quanta docibilitas tam pretioso munere ornatæ inesse [l] animæ, quanta et inexhausta cura solertiæ, nullus sapiens comprehendere poterat. Et o admirabilis suavitas mentis? nunquam privatim scire aliquid volens, nobis omnia præstabat. Vitiata corrigens, fracta consolidans, inusitata restaurans, antiqua repriorans, neglecta renovans, et quæque poterat ex antiquis viris gesta petere [m], satagebat operibus adimplere. Severitatem Hieronymi, modestiam Augustini, lenitatem Ambrosii, patientiam Gregorii in corrigendo errores, in sustentando minores, in demulcendo majores, in sufferendo horrores [n], unus idem se multipliciter varium [o] exhibebat.

9. Nec ei suffecit monasteria patriæ suæ invisere (1), quin potius occasione fratrum suorum, qui ipsis diebus in Franciæ finibus exsulabant, indeptam viam arripuit, et in Pampilonensium territoria ultro progrediens, monasterium Sancti Zachariæ ingressus, et aliorum cœnobia ipsarum regionum gliscenti voto percurrens, multorum Patrum est amicitia dulcoratus. Quorum conversationem in epistola quam episcopo Pampilonensi in carcere positus dedit, nominatim locatimve digessit. In quibus locis multa volumina librorum reperiens, abstrusa et pene a multis remota, huc remeans, suo nobis regressu adduxit [p]. Ibi beati Odoarii est fruitus colloquio, cui centum quinquaginta regulares monachi militabant (2). Inde secum librum Civitatis beatissimi Augustini, et Æneidos Virgilii, sive [q] Juvenalis metricos itidem libros, atque (3) Flacci satyrata [r] poemata, seu (4) Porphyrii depicta opuscula, (5) vel Adhelelmi epigrammatum opera, (6) necnon et Avieni fabulas

[a] Deest *secum* in edit.

[b] *Vadium interventu*, inquiunt hic Antuerp. post Moralem, *non poterat sejungi a Reccafredo Eulogius e vinculis exemptus.*

[c] Schott., *imminere*, ut ms.

[d] Deest *ut diximus* in edit.

[e] Ex hoc loco inferunt Antuerpienses Avarum in aliqua dignitate ecclesiastica constitutum fuisse, utpote qui præceperit diacono epistolam legere. Sed Morales, Nicolaus Antonius et Henricus Florez eum credunt conjugio astrictum: qua de re nos dubii hæremus. Quia parum firma judicamus illorum argumenta, et aliunde non satis perspecta res apparet ex ratione Antuerpiensum.

[f] Deest in edit. *assignato.*

[g] Edit., *intexuit.*

[h] Schott., *usitate*, ut in ms.

[i] Moral., *amissum*; Antuerp. *omissum.*

[j] Ms., *elicere* aut *edicere.*

[k] Id., *jugeribus.*

[l] Schott., *inerat* ut ms.

[m] Schott., et Antuerp., *competere*, ut ms.

[n] Schott., *sorores;* quam lectionem ms. admittit, cum dicat, *in sufferendos orores.*

[o] Deest *varium* in ms. et pronomina *se*, *ei*, et præpositio *in* ante verba *Franciæ..... Pampilonensium.*

[p] Nisi codex alter Ovetensis quo usu fuit Morales, et cujus meminit in Monito ad lectorem, hunc locum ita legebat, plurimum in ea sensui proprio indulsit, cum Azagrensis codex sic locum habeat: *Hic remeans suo nobis in sacratissimo pectore collocavit.*

[q] *Sive*, *seu*, *aut*, pro *et* frequentissime usurparunt medii ævi scriptores, ac proinde perperam in editis hic repositum fuit *et*.

[r] Ms., edit. Moral. et Antuerp., *saturata*. Vide Scholia.

metricas, et hymnorum catholicorum fulgida carmina, cum multis minutissimarum causarum ex A
sanctis quæstionibus multorum ingenio congregatis non privatim sibi, sed communiter studiosissimis inquisitoribus reportavit. Idem prætcrea fulgorem operis et coruscationem ingenii resplendentibus semitis præsentialiter cunctis [a] præsentibus, et usualiter sequentibus, specificis semper ostentans indiciis, et luminosis deducens vestigiis, ubique lucidus gradiens, undique fulgidus rediens, limpidus, dulcorosus, nectareus, Christi coranatus emicabat omnibus famulus.

10. Nec illud omittendum in hoc opere reor, quod (7) post divinæ memoriæ Wistremiri, Toletanæ sedis episcopi, in eamdem sedem ab omnibus comprovincialibus et confinitimis episcopis B
electus et dignus est habitus, et pro relatu omnium comprobatus. [b] Sed dispositio divina, quæ eum sibi ad martyrium reservabat, quibusdam repagulis obviavit. Cumque jam ipsa communis electio eum sibi consecrare in episcopio acclamaret, rerum obviantium adversitate impediti, alium sibi eo vivente interdixerunt eligere. Qui licet argute frustraretur ab ordine, tamen non est privatus ejusdem ordinis munere. Siquidem episcopatum cœlestem adeptus est, dum per martyrii gloriam Christo conjunctus est. Omnes namque sancti episcopi, non tamen omnes episcopi sancti. Ille vero sanctitatem per cruoris fusionem inveniens, episcopii ordine fungitur, dum cœlotenus [c] receptus, æternis promissionibus mune- C
ratur.

11. Cumque his virtutibus et dogmatibus insigniretur, et omnibus quasi lucerna super candelabrum posita, ac veluti civitas in montis sita [d] cacumine procul altius emicaret, et ut doctus scriba de thesauro domini sui nova et vetera universis familiis prævideret, in sacerdotibus primus, in confessoribus summus, in judicibus residens non extremus : tandem voti compos effectus, divina sibi cooperante clementia inopinato judicio, sed deliberativo studio evectus est ad superna. Et ea quæ a martyribus fusis postulaverat lacrymis, et per tota [e] sua opuscula more sparserat precis, obtinere meruit operibus sanctitatis. Quod verius poterit noscere, qui ipsa ejus egregia opera D
curaverit legere. Et quoniam expedit, et dignum nobis visum est pro utilitate legentium, et (8) pro annuo festivitatis suæ recursu, passionem ejus breviter explicare, ideo sequestratim, pure et sinceriter agonis sui pulchrerrimum induximus finem.

CAPUT IV.

Nova in Christianos sub rege Mahomete persecutio. S. Leocritia ab Eulogio ejusque sorore instructa et adjuta.

12. Tempore igitur quo sæva dominatio Arabum calliditatis astu omnes fines Hispaniæ misere devastabat, quo (1) rex Mahomad incredibili rabie et effrenata sententia [f] Christicolum genus delere funditus cogitabat, multi terrore cruentissimi regis metuentes, ejusque insaniam modificare nitentes, per trucem voluntatis iniquæ officium diversis et exquisitis occasionibus gregem Christi impetere tentaverunt. Plerique Christum negando se præcipitio commiserunt : alii duris tormentis agitati, commoti sunt. Porro alii florenti virtute stabiliti sunt et fundati. In cujus, ut diximus, tempore martyrium fidelium coruscando resplenduit, et error negantium fluctuavit. Nonnulli enim, qui fidem Christi tantum mentibus retinebant, instinctu Dei quod celaverant, luminositer et patule proferebant, nullo disquirente ad martyrium prosilientes, et coronam sibi ex tortoribus rapientes Ex quibus (2) Arabs genere beatus Christophorus exstitit, cujus passionis ordinem alibi digerere cogitamus. Sed ex eorum numero beatus Aurelius et sanctus exstitit Felix, qui cum uxoribus ad passionis gloriam post multa et prolixa latibula prodierunt. Ex ipsis etiam florens virtutibus Flora virgo beata, quæ contemnens sæcularem labilem pompam, æternam meruit sine fine coronam. Quorum hic noster sanctissimus doctor agonem singillatim exposuit, et actus vitasque corusco sermone explicavit.

13. Hoc tempore puella nomine Leocritia quædam, genere nobilis, mente nobilior, (3) ex gentilium fæce progenita, et ex luporum visceribus prodita, dudum [g] per quamdam sibi genere proximam (4) Christo dicatam (5) nomine Litiosam, aquis salutaribus tincta, et occulte fide Christi induta enituit, odoremque nectareum notitiæ suæ cunctis adspersit. Etenim cum ad jam dictam religiosam in annis infantiæ more propinquitatis recurreret, eamque quibus illa sermonibus poterat, quotidie instrueret, tandem respectione cœlesti fidem Christi mente suscepit, et ardore amoris susceptam pectore conservavit. Quæ dum ad annos sapientiæ veniret et scientiæ contingeret lumina, fidem illam, quam tenerrimis institutis occulte [h] didicerat, quotidie fomentis spiritualibus auctam, in amplius crescentem alebat, primum occulte, deinceps patule et aperte. Quam parentes sedule admonentes, et nihil omnino proficientes, conati sunt eam flagellis et verberibus impetere, ut quam per blandimenta amovere non poterant, sal-

[a] Minus recte hic Moral., *sequentibus*.

[b] Ex hoc unico Alvari testimonio quo constat Eulogium electum fuisse præsulem Toletanum, nemo non videt quantum desipuit Fabricius tom. II Bibliothec. Latin. med. et infim. ætat., pag. 123, edit. Patav. 1754, in not. (c) scribens : *Quod. . . . . alii archiepiscopum Toletanum* (Eulogium) *faciunt. neutiquam idoneis argumentis constat.* Quod enim argumentum magis idoneum testimonio Alvari, quem Fabricius haud ignorabat Vitam Eulogii scripsisse, ut patet tom. I ejusdem Bibliothecæ, pag. 75?

[c] Deest *tenus* in Moral et Antuerp.

[d] Deest *sita* in Moral.

[e] Etiam et *tota*.

[f] Forte *sævitia*, ut visum est Antuerpiensibus.

[g] Ms., *a quadam... proxima... dicata.*

[h] Deest *occulte* in Moral.

tem terroribus coercerent. Sed ignis ille, quem Christus in corda fidelium misit, nullis minis cedere novit. In hoc conflictu dum diebus vapularet et noctibus, seque acerrimis impetiendam ultionibus et duris [a] vinculis præpeditam videret, metuens ne non propalata publice fide, cauterio ureretur perfidiæ; per internuntios beatissimo Eulogio, opinatissimo jam multis talibus operibus viro (6) vel sorori ejus Anuloni, virgini Deo dicatæ, causam suam innotuit: et quia ad tutiora loca fidelium in quibus fidem suam posset interrita propalare, ire vellet, exposuit. Illico beatus Eulogius solitum officium recognovit; et ut erat fautor anhelantissimus martyrum, hanc exire clam per eosdem internuntios ordinavit [b]. Illa concite artem fingens, et parentibus quasi consentiens, nostramque fidem verbis impetens, et data opera [c] omnia selecta ornamenta induens, seque more illorum quasi placitura et nuptura sæculo ostendens, nisa est eorum inflectere animos, et sibi exosos (7) comere gressus [d]. Cumque sibi omnia jam tuta inesse prospiceret, ad nuptias quorumdam propinquorum suorum, quæ ipsi agebantur diebus, fingens, ut eidem officio congruit, ornate procedere, celeri cursu se beatissimo Eulogio, vel sorori ejus Anuloni tutandam exhibuit. Quam mox grato animo suscipientes, occulendam prolatissimis tradiderunt amicis. Aut ubi pater ejus et mater exspectantes filiam non viderunt, delusos se ingemiscentes, rabie inaudita et dolore inviso se ipsos [e] cruciantes, cuncta disturbant, universa contaminant, currentes per ignotos et cognitos, et potestative, ac jussione præsidis, quoscunque [f] impetendos putabant, carceribus et vinculis onerabant; viros, mulieres, confessores, sacerdotes, devotas, vel quos poterant flagellis et carceribus affligebant, si quo modo possent filiam suam per hæc et ampliora recipere. Ille vero sanctus immobilis ei loca diversa mutabat, et ne traderetur ovis luporum in manibus, omni intentione curabat. Illa tamen jejuniis et vigiliis insistens, et cilicio membra tegens, vel pulvere cubans, severe membra corporis elimabat. Sed et vir beatissimus (8) cum reverentia nominandus Eulogius nocturnas vigilias adpetens, et in basilicam sancti Zoyli terratenus [g] prostratus orans, noctes insomnes ducebat, auxilium Domini et fortitudinem virgini imprecans, et se per [h] hæc exercitia Domino consecrans.

14. Inter hæc virgo serenissima beati Eulogii germanam, quam ardenti desiderio diligebat, videre voluit, et ad eorum habitacula nocte devenit, revelatione Domini provocata, et aviditate consolationis [i] perducta, ut uno die tantummodo cum eis moraretur, et iterum ad solita latibula repedaret.

[a] Schott., *diris*, ut ms.
[b] Moral., *ordinavit, illam concite*, etc.
[c] Schott., *ex opere*, ut ms.
[d] Moral., *gressos*, ut ms.
[e] Deest in ms. *se ipsos*.
[f] Ms., *quoque*,
[g] Deest in ms. *prostratus*.
[h] Id., *et semper*.
[i] Id., *conditionis*.

A Quibus et retulit, sibi una et alia vice oranti liquore mellis os repletum fuisse, quod se [j] non ausu temerario exspuisse, sed inglutiisse, crassi elementi admirando speciem referebat. Cui ille sanctus hoc esse præsagium regni cœlestis dulcedinem perfruendam, disseruit.

CAPUT V.

Martyrium S. Eulogii et Leocritiæ. Corporum sepultura.

15. Verum dum alio die [k] redire virgo disponeret, actum est ut comes itineris non hora sueta, sed illucescente aurora veniret. Nec potuit aditum exeundi habere, quippe quæ nocturno tempore pro evitandis insidiis solebat incedere. Provisum est ut eadem die usque dum sol metam sui B luminis terræ subduceret, et nocturnæ tenebræ quietudinem optatam indulgerent, virgo Dei eo quo manebat loco persisteret. Humano quidem consilio, sed divino retinebatur judicio: ut et suam sibi coronam et beato Eulogio imponeret gloriæ diadema. Nam eo die, nescio cujus instinctu, quorumve insidiis et proditione locus præsidi latibuli indicatur, et a militibus ad hoc missis ex improviso omnis illa eorum habitatio circumdatur. Actumque est ut electus et prædestinatus martyr præsentialiter adfuisset. In cujus præsentia jam dictam virginem educentes, eumque una pariter comprehendentes, verberantes multisque contumeliis affligentes, iniquo præsidi et scelerato judici præsentarunt. Quem mox judex per flagella occidere C cogitans, truculento vultu et impatienti animo vehementi furore accensus, furiosis verbis interrogat, virginemque cur domo retinuerit, minitando disquirit. Cui libentissime et patientissime more locutionis suæ splendide rei veritatem hoc ordine pandit: « Præses, ordo nobis prædicationis injunctus est, et nostræ hoc fidei convenit, ut disquirentibus a nobis lumen fidei porrigamus, nullique ad vitæ itinera properanti, quæ sancta sunt, denegemus. Hoc sacerdotibus competit, hoc religio vera deposcit, hoc etiam Christus Dominus noster nos docuit: ut quisquis sitiens fidei [l] haurire flumina voluerit, in duplo potum inveniat, potius quam quæsivit [m]. Et quoniam hæc virgo fidei sanctæ regulam a nobis inquirere visa est, necessarium exstitit, ut illi nostra eo se libentius applicaret D [n] intentio quo ejus in amplius incenderetur affectio. Nec decuit talia desiderantem rejicere, præsertim illi, qui ad hoc Christi electus est munere. Unde et ut posse mihi exstitit, illustravi et docui: et fidem Christi viam regni esse cœlestis exposui. Quomodo et tibi, si me disquirendum putasses, libentissime facerem. » Tunc præses turbido vultu virgas inducere jussit, eum minitans flagellis

[j] Sch., *quod illa se*; ms., *illa ausu temerario non exspuisse*; Antuerp., *quod ista se*.
[k] Ms., *ire*.
[l] Ms., *fidem*.
[m] Ita ms., sed Florez. et Antuerp., *in duplo potum inveniat potius, quam quem quæsivit*; in Moral. Deest *potius quam*.
[n] Ms., *ut illa nostra eo libentius sibi adplicaret*.

perimere. Cui sanctus dixit : « Quid istis virgis exercere cupis? Animam, inquit, tuam per has educere volo. Gladium, ait, acue et compone, pro quo animam a vinculo corporis expeditam ei reddas qui dedit. Nam flagellis membra dissecare non æstimes. » Et mox clara invectione et sufficienti eloquio falsitatem vatis sui et legis improperans, et prædicationis verbum ingeminans, sub omni velocitate palatium ducitur, et ad regis consiliarios usque pertrahitur. Ubi unus ex ipsis, illi familiarissime notus, compatiendo insiluit. «Si stulti, inquit, et idiotæ in hanc mortis dettendam ruinam devecti sunt, tu sapientiæ decore præcinctus, et vitæ moribus illustratus, quæ te dementia huic mortifero casui, oblitterato naturali vitæ amore [a], committere compulit ? Audi me, obsecro, et ne præcipiti casu corruas rogo. Dic tantum verbo in hora hujus tuæ necessitatis, et postea tua, ubi potueris, utere fide. Promittimus te nuspiam [b] inquirendum.» (1) Cui beatissimus martyr subridens : « O, inquit, si scire potuisses, quanta fidei nostræ cultoribus maneant [c] reposita ! Aut si possem quod meo retineo, tuo committere pectori ; tunc jam non me a proposito revocare conareris [d], sed libentius te ab hoc mundiali honore amovere cogitares. » Et cœpit eis Evangelii æterni verbum porrigere, et prædicationem regni constanti libertate infundere. Qui illico eum nolentes audire, gladio jubent transfigi. Cumque duceretur, unus ex enuchis regis alapa eum percussit. Cui ille alteram faciem præparans, « Obsecro, inquit, ut hanc iterum verberando priori coæques. » Quam cum secundo feriret, ille patiens et mitis iterum priorem paravit. Sed impetu militum ad locum occisionis deducitur, ubi genua in oratione curvans, et manus [e] ad cœlos extendens, signoque crucis totum se muniens, paucis verbis intra se orans, cervicem mucroni tetendit, et celeri ictu mundum contemnens, vitam invenit (2). Complevit martyrium suum quinto Idus Martii, die sabbato, hora nona. Et o felicem et admirabilem nostro sæculo virum, qui et præmisit in multis sui operis fructum, et reliquit in virgine se sequendum ! Secum victoriæ vexillum manibus elevans, et manipulum laboris sui pro se Domino libans, oblationem puram, et pacificas hostias offerens, et in se, quæ alios docuerat, Christo rerum Domino repræsentans. Mox vero ut projectum est cadaver e loco eminentiori in ductum alvei, columba miro candore nivescens, videntibus omnibus, secans aera pennis, super corpus martyris aligerans sedit. Quam omnes missibilibus petris hinc inde abigere conantes, et nihilominus consistentem repellere non valentes, manibus voluerunt cominus effugare. Sed illa in circuitu corporis non volans, sed saliens, super turrem corpori imminentem propius resedit, et ad corpus beatissimi viri

A vultum convertit. Nec silendum est miraculum quod ad laudem sui nominis Christus est super corpus martyris operatus. Etenim unus Astigitanæ civitatis incola, dum inter cæteros palatinum (3) lunatim mansionis servitium ageret, ibique cursum suum vigiliis expediret ; nocte aquam potare desiderans, surrexit (4), et ad prominentem canalis ductum, qui super illa loca producitur, pervenit, ubi vidit desuper super corpus ejus, quod deorsum jacebat, sacerdotes miro candore niventes, luminaria coruscantia retinentes, et psallentium more psalmos gnaviter recitantes. Qua visione perterritus, ad mansionis locum, magis fugiens quam rediens, repedavit. Et socio omnia [f] renuntians, cum eo iterum ad locum revertere B voluit : sed jam secundo cernere illud non valuit. Cujus beatissimi caput alio die curiositas Christianorum redemit, corporis vero reliquias tertio die collegit, et sub umbra beatissimi martyris Zoyli tumulavit.

16. Beatissima vero virgo Leocritia multis oblectationibus delinita, multisque promissionibus impulsata, tandem divino munere soliditate fidei roborata, quarta post ejus martyrii die exstitit decollata, ac in flumine Bæthis projecta. Sed aquis nec submergi potuit, nec celari, erecto enim corpore pergens, mirum omnibus visum præbuit [g]. Et sic a Christianis educta, (5) in basilica sancti Genesi martyris, quæ sita est ad locum Tertios [h], exstitit tumulata. Hic fuit beatissimi doctoris Eu-C logii finis, iste admirabilis exitus, hujusmodi plenus opere transitus.

CAPUT VI.

Alvari scriptoris erga S. Eulogium affectus et invocatio.

17. Nunc restat, in fine voluminis, Regi omnium sæculorum gratias agere, qui ab initio fidei suam ornans martyribus Ecclesiam, dat lassis virtutem, et de se nihil præsumentes perducit ad gloriam sempiternam. Ipsi Deo [i] nostro gloria et imperium per infinita semper sæcula sæculorum. Amen.

18. At nunc quia sermone pedestri et inculta oratione agonem doctoris nostri et martyris explevimus, [j] restat ut ad eumdem [k] amicissimum nobis D patronum, quasi ad audientem, et precibus nostris præsentem, sermonem vertamus, et familiaritatem nostram ei cognitam referamus. Certe potens est audire rogantes, et patrocinari miseris et afflictis, si merita nos adjuvaverint propria, si delicta non obviaverint dura, si affectio hoc postulaverit pura. Ergo, martyr Dei excelse (1) dulcis nomine Eulogi, Alvarum tuum clamantem intende : et quem hic tenuisti charitate animi [l] fixum, illic tibi associa servum. Non aliorum quam tuis te interveniam verbis. Certe ego sum ille, quem tecum unitum esse dice-

[a] Ms., pro *vitæ amore* habet *vigore*.
[b] Id., *uspiam*.
[c] Id., *manent*.
[d] Id., *conares*.
[e] Id., *manum*.
[f] Id., *tota*.

[g] Ms., *exercuit*.
[h] Ms., *Terzos*.
[i] Edit., *Domino*, ex minus recta intelligentia ms.
[j] Schott, *explicavimus*, ut ms.
[k] Edit., *eum*.
[l] Schott., *animo*, ut ms

bas, ad quem et pro quo hoc modo locutus es : (2) « Ut non sit, inquis, alter Alvarus quam Eulogius, nec alibi quam penes intima Alvari totus sit conlocatus amor Eulogii.» Valeat, valeat, Christe Domine, hæc suavis fidelisque inter utrosque dilectio. Valeat perenni culmine sanctitatis, et quasi lux splendens procedat, et crescat usque ad perfectum diem. Ecce, Domine, testimonium tuum præ manibus habeo, litteris aureis et sententiarum gemmis depictum, sed desidero patrocinii tui complementum. Jam enim quod in terris positus oratione, ut valeret, indesinenti orabas, in cœlis translatus, poteris in me suffragio, quod in te impletum est, obtinere. Servat namque amor verus, ut ipse dixisti, in absentem fideliter charitatem, et quod sibi poterat, hoc exhibet in amantem. Ergo, martyr egregie et amice charissime, dum licet et adhuc misericordiæ imminet tempus, intercessionis tuum amico porrige munus, ut sit hic mihi concessa remelioratio morem, sint crebra munera lacrymarum, sit affectio labili menti illata virtutum, sit affectiva compunctio jugis, sit purus pœnitendi affectus, sit locus optabilis rite concessus, sit opportunus aditus nullis obicibus disrumpendus. Solvantur perplexionum omnium vincula, resiliant impeditionum cunctarum molimina, retinaculorumque obstacula, immutatione dexteræ Excelsi in obsequentum mutentur auxilia. Aperiantur januæ cordis ad suscipiendum regnum Dei altissimi ; inclinetur cervix superba, et colla subdantur ad ferendum jugum suavissimum Christi. Vellem adhuc poscere majora, sed temeritatis vereor incurrere notam. Sed tu, o serve Dei excelse, qui vultu Dominico satiaris, ejusque dono perpetuo jucundaris, illud adscisce misero interventibus [a] dignis, quo nosti millena delicta purgari. Vitam quoque æternam desidero, et regni cœlestis requiem sitio. Quocunque ergo tormento [b], aut flagello, cura remedium impendere servo, et eo ardoris igne dilectum purgare desidera, quo hic nobiscum videbaris nexus in terra : ut dilectio illa clariori luce nunc emicet, quando et ampliori lumine lucet, et potiori suffragio prorogare quæsita valet.

19. (3) Ego autem, mi dulcis Eulogi, memoriam nominis tui, quantum potui illustravi [c], vitam digessi, doctrinam expressi, agonemque pulcherrimum explicavi : et ut nominis tui delectabilis semper in mundo memoria floreat, et perenni splendore, sicut in cœlo vita, ita hic mentio rutilet, et si non enucleatissimis sermonibus, tamen evidentissimis, quibus valui, nisibus dedicavi (4). Construxi enim ære perennius monumentum gloriæ tuæ, quod nec nimbosus turbo, grandoque lapidea destruat, nec rogus flammarum quocunque igne liquescat [d]. Ædificavi nomini tuo memoriam ex auro obryzo et lapidibus omnigenis pretiosis, quam nullus violentissimus valebit diruere prædonis more tyrannus. Composui fabricam culminis tui, et in sublime turrem habitationis tuæ erexi, ut sis speciosa pharus cunctis viantibus [e] hinc inde relucens. Ornavi titulum decori tui unionibus miro candore niventibus, et topazione fulgenti, ut universis emicet finibus terræ. Adspersi cineres sanctos nectareis flosculis, nullo æstu fatiscentibus, nec indito [f] cedentibus igne. Unxi pretiosum corpus nardi pistico pretioso, ac diverso thymiamatum genere, amomo, balsamo (5) bisamoque commiscens, ut flagrans sanctitatis tuæ suavissimus odor diffusus, per omnia refertus [a] sæcula nullo fine tepescat. Implevi amicitiæ vinculum, et charitatis tuæ nolui nudum sæculo dimittere nomen, ut sicut cœlo vita resplendes et opere, ita mundo lingua clarescas [b] et nomine. Ut generatio subsequens te laudatum inveniat, imitandum respiciat : et quantus fueris doctrina, nostro tenui ingenio recognoscat (6). Neque priscorum studio corporalibus beneficiis, speciebus et floribus constipatum te ætas secutura mirabitur, quæ solite [i] consumuntur temporum vetustate ; sed spiritalibus donis decoratum, et immortalibus sublimatum titulis venerabitur.

20. Tu ergo, venerabilis Domine, æquiparando nobis redde mercedem, ut quia [j] servitio nostro tuæ decorantur reliquiæ et ornantur exsequiæ, illustremur deinceps respectione felici, visitemur dono cœlesti : ut ego ille, qui per prona hactenus et abrupta non liquide fluens, ab iniquitate mea defeci, et tabibus hucusque in malis meis manens, a vultu Dei [k] mei recessi, maligno adhærens hosti, præveniente gratia illustratus et gratuita misericordia quocunque vitæ termino consummatus, merear ita cœlestia indisrupta communiter tecum possidere gaudia, sicut hic pari fletu et gemitu terrena maceratus angustia, traxi diuturna et longa suspiria. Ut etsi non æquali datum est mihi fulgere gloria, saltem vel delictorum meorum mihi illata sit venia. Quatenus non pœnali doleam barathro mersus, sed in cœlesti gaudeam requie tibi, vel cæteris dominis meis sociis tuis condonatus. Amen.

---

(1) HYMNUS IN DIEM S. EULOGII.

V IDUS MARTII.

Almi nunc redeunt festa [l] polifera
Nostri Eulogii martyris inclyti :
Solvamus Domino carmina principi
Concentu fidei cœlico munere.
(2) Laudamus varia musico carmine,
Quæ non sunt Domini prædita lumine :

[a] Ms., perperam, *interventientibus*.
[b] Id. quoque perperam, *ego ;* sed non male *termino* pro *tormento*.
[c] Moral. et Antuerp., *lustravi*.
[d] Edit., *liquefiat*.
[e] Moral. et Antuerp., *virtutibus*.
[f] Ms., *indicio*.

[a] Schott., *tota reficiens*, ut ms.
[b] Ita ms. et Schott., cæteri vero, *elucescas*.
[i] Deest in edit., *solite*.
[j] Moral., *qui*.
[k] Edit., *Domini*, ex prava intelligentia ms.
[l] Ms., *revehit festa*.

Hic nunc sat melius res pia panditur,
Cum Christum resonant chordulæ metricæ.
Hic nunc [a] est animus magna revolvere :
Splendenter anhelat balsama fulgide
Gliscens egregia clangere libere,
Ut dulcis [b] reboet musica flamine.
Bellator Domini verbo potentior,
Doctrina et pariter fine celebrior,
Christi sic igitur gloria cingitur,
Ut florens vigeat hic et in [c] æthere.
(3) Rector dum populos docte reficeret,
(4) Gypsum, cum diceret, [d] , fragmine prodite [e] :
Turbam multiplici germine lauream
Cœlesti rutilus agmine provehit.
(5) Ustus sic Domini zelo, fidelium
Convertens fluidos mores rebellium,
Adsciscens opibus munere nobili,
Abstractos barathro sublimat æthere.
Sed jam cum meritis digna rependere
Christus cunctipotens vellet, Leocritiam
Recte mox lepidam virginem extulit,
Quæ clarum famulum axe reconderet.
Tunc celsus solitum rite solatium
Præstans [f] , et placidum compte remedium
Cultum tunc [g] , fidei dogmate et ingerit,
Adversans populis justa rebellio.
Extemplo præconans prædo peranxius
Conturbat patriam, jussuve plebium
Per cunctas plateas longe revolvitur,
Quod princeps rabidus excitus imperat.
Regnantem tumidum respuit inclyta
Cœlestis famuli mens Deo prædita ;
Tandem præcipiti ductu notabili
Comprehensus, sonuit mox quoque libere.
Dicens [h] : O proceres, temnite impium,
Christum æthereum credite principem,
Vatem impudicum recte repellite,
Qui tantos populos igne recondidit.
Gaudens hæc resonat culmine gnaviter
Necnon et alia conquerens [i] fortia,
Hunc mandant gladio vertice tundere,
Ne sancta valeat turba recipere.
Adest intrepidus belliger annuens,
Tundunt, quem alapis, red rogat horridum,
Extendens faciem, verbere alteram
Alternans, gemina palma relidere.
Tunc signo fidei pectora servulus
Armat deificæ aurea, rosco [j]
A Colla lactentia [k] sanguine prædita,
Incurvat Domino, instat et obsecrat.
Sic ictu gladii sidere conditur,
Sic verbo fidei clare revolvitur.
Adesto miseris, quæsumus, affatim.
Perplexos precibus solvere concite.
Adsiste gemitis poscimus excitis,
Inflectens famulis nunc quoque numinis
Auditum placidum, quove [l] serenius
Mentem ut precibus sancte refocilet.
Ut rector deleat regna ferocia,
Conculcet validus dogmata impia,
Adspiret fidei comptæ refulsio,
Qua cœli reseret culmina fulgida.
Ut torquens hæresis longe resiliat,
B Ut cultus Domini altius emicet :
Rectores patriæ flore redoleant,
Adversos cuneos libere ventilent.
Sit vita populis, sit quoque provida
Sanctis religio per juge tempora,
Sit Trino Domino gloria sedula
Æternum dominans inclyte sæcula. Amen.

Post hæc superiora in altero exemplari sequentia erant continuata.

(6) TRANSLATIO CORPORIS S. EULOGII.

Translatio facta est sancti Eulogii martyris et doctoris in basilica sancti Zoyli titulo principali, Kalendas Junias æra DCCCXCVII [m] . Celebratur autem dies natalis ejus in supradicto (7) coto, eo quod C omni tempore in diebus Quadragesimæ occurrit illius solemnitas.

EPITAPHIUM SANCTI EULOGII.

Hic recubat lepidus martyr, doctorque refulgens
Eulogius, lumen, dulce per sæcula nomen.
Qui zelo fidei rutilans, virtute priorum [n]
Accensit animos magno fulgore virorum.
Hic macte celeber libris præconatus et hymnis :
Et vita vigidus [o] , et sine sole coruscus.
Qui temnens fluida, conscendit lucida cœli.
Nec morte periit, sed vivit sede perenni.
Credite quæso, mihi, vivit, per sæcula vivit,
Quisquis cœlesti lætatur gloria regni.

ORATIO ALVARI.

D Nunc te rogo, sancte, recolas ut nomen amici,
Quem tua hic tenuit dulcis amicitia fixum,

[a] Id., *At nunc hic.*
[b] Moral. et Antuerp., *dulci* ; edit., minus recte, *roboet.*
[c] Moral. et Antuerp., *licet in.*
[d] Schott., *doceret*, ut ms.
[e] Id., *perdere*, ut ms.
[f] Moral. et Antuerp., *præstant* ; Schott., *præstat.*
[g] Schott., ut ms., *mox.*
[h] Id., *optans.*
[i] Id., *quæstuus* ; ms., *quæstuve.*
[j] Id., *purpura.*
[k] Id., *lactinea.*
[l] Moral. et Antuerp., *atque*

[m] Ita prorsus, non DCCCXCVIII, ut Moral, et qui eum secuti fuere, Schot., Baron. et Antuerp., qui nimis hallucinati sunt. Nam cum Schottus in margine animadvertat pro VIII legi VII in ms., hæcque nota VII statim post verbum *dies* ad oram incideret, Antuerpienses utraque verba junxere, legeruntque, *Celebratur..... dies* VII *natalis ejus*, arbitrati per octavam aut VII dies sequentes festum Eulogii continuari. Postea pro *coto* perperam *loco* reposuerunt ; cotus enim, diem, non vero locum, hic significat.
[n] Haud recte Schott., cui Antuerp. subscribunt, vult substituere *piorum.*
[o] Moral. et Antuerp., *rigidus.*

Alvari extremi, qui multa clade reati
Infectus vitiis pergit per devia mundi.
Prex tua hunc revehat [a] lapsum ad pascua vitæ,
Ut solite sancto digno nectatur amore,
Quo tibi conjunctus mansit per sæcula charus,
Præsta Deus deorum regnans per sæculis. Amen.

[a] Moral. et Antuerp., *teneat*.

SCHOLIA AMBROSII MORALIS

IN DIVI EULOGII VITAM.

IN PRÆFATIONEM.

(1) *Et doctoris*. In concilio Cæsaraugustano I, cap. 7, decretum his verbis fuit scriptum : « Ne quis doctoris nomen sibi imponat præter has personas, quibus concessum est, secundum quod scriptum est. » Hinc divus Elogius doctor in Ecclesia Cordubensi et habitus est et vocatus. Et paulo post Alvarus notat, Eulogium inter magistros fuisse eo etiam tempore ascitum quo fuit presbyter factus. Ipse quoque Eulogius præsidem alloquens, hoc ipsum non semel de se testatur. Cæsaraugustanum concilium primum notavi, quia tria in ea urbe celebrata in vetustissimis exemplaribus [a] habentur, quæ in regio divi Laurentii cœnobio servantur.

(2) *Ego luxuriæ*. Humiliter de se loquitur, cum tamen uxorem se duxisse velit indicare.

IN CAPUT I.

(1) *Cordubæ*. Hic et ubique non *Cordubæ*, sed *Cordobæ* fuit scriptum in utroque exemplari, juxta veterem illam illorum temporum veri nominis corruptelam, quæ jam, ut suo loco diximus, inoleverat. Fuit etiam ubique scriptum, *eglesia*, non *ecclesia*, ut agnoscas hic quoque paulatim obrepentem Hispanam, quam nunc retinemus, hujus nominis prolationem.

(2) *Senatorum traduce*. Quo l late in nostra Historia ostendimus, post Gothorum et aliarum externarum gentium in Hispaniam irruptionem, tria hominum discrimina provinciam totam incoluere. Antiqui Hispani; Romani, qui se illis aliquot ante sæculis immiscuerant; Gothi itidem Alani et Suevi cum reliquis; qui tamen uno nomine Gothi postea appellabantur. Hoc cum multis testimoniis pateat, legibus tamen Gothicis, quæ in foro Judicum ut vocant, continentur, fit manifestum. Posteriores etenim Gothorum reges in legibus Hispanorum populos in universum alloquentes, trium horum hominum discrimina separatim nominant. Et apud Paulum Orosium eorumdem est mentio. Cum autem nobiles qui ex Romanorum essent stirpe volunt intelligi, senatores eos illorum temporum scriptores appellant. Paulus, Emeritensis diaconus, qui de episcopis ejus urbis scripsit; Samson, abbas Cordubensis, et cum Alvaro noster Eulogius Ipsum itaque hic patritium [b] et Romanorum stirpis credo significari Quod si quis per catachrisim nobilem tantum, non Romanæ originis Eulogium hic dici existimet, ego cum hoc non contenderim. Mater D. Eulogii Elisabeth vocabatur, ut ipse in epistola ad Pompelonensem episcopum scribit. Avus, Eulogius itidem dictus fuit, ut in Apologetico appellat.

(3) *Sancti Zoyli æde*. Hujus templi mentio est alicubi in D. Eulogii operibus. Eidem præfuit paucis post annis Samson abbas, de quo plura in sequentibus dici oportebit [c]. In hoc D. Zoyli templo corpus ejusdem martyris suo tempore asservari D. Eulogius et idem Samson docent. De Samsone abbate lib. I; de Paulo Emeretensi diacono initio lib. II dicemus.

(4) *Speraindeum*. Hujus viri [d] meminit lib. I et II Eulogius. Ejus nomen varie in exemplaribus fuit scriptum : *Speraindeum* et *Sperandeum*.

IN CAP. II.

(1) *Tandem Reccaffredus*. Cum multa non uno loco D. Eulogius de sua ista calamitate, et in carcerem trusione commemoret, nunquam Reccaffredi hujus meminit, nec quis hic fuerit tumultus plane docet. Quantum ex sequentibus, et ex Eulogii dictis possumus conjicere : Reccaffredus metropolitanus fuit episcopus [e], cujus ministerio Habdarrahgman rex Christianos voluit compescere. Ille autem aut pravo zelo instinctus, aut infideli metu compulsus, Ecclesiam Cordubensem atque alias graviter afflixit : episcopum Cordubensem, cujus nomen nusquam proditur [f], aliosque templorum ministros in vincula conjecit. Sed neque qua de causa liberi postmodum fuerint dimissi, memorant ; neque nos aliunde possumus divinare.

(2) *Exstat super hoc*. Durat etiam adhuc hæc epistola. Ibi hæc omnia latius referuntur. Pariter et illa altera, quam e vestigio commemorat Alvarus, exstat epistola [g].

(3) *Ibi metricos pedes*. Innuit D. Eulogium in carcere positum, hymnos iis carminum generibus scripsisse, quæ Hispanis eo tempore essent incognita. Nimirum, ut mox apparebit : Horatii poetæ opera ipse nuper adinvenerat, et illa illectus carminum varietate, similia tentare est aggressus.

(4) *Namque ipsis diebus*. En tibi Reccaffredum jussio regio Ecclesiam afflixisse. Eulogius autem ac cæteri veri Christiani ei uperte resistere tametsi cuperent, pia causa, quam Alvarus non tacuit, commoti nolebant. Cæterum D. Eulogius, qui illum excommunicatum et ab Ecclesia alienum merito existimabat, sacris abstinere toto illo tempore decre-

[a] Ex his et aliis exemplaribus Cæsaraugustana concilia post obitum Moralis edidit primo Garsias Loaysa, archiepiscopus Toletanus, cujus editionem card. Aguirre et alii quamplures secuti sunt.

[b] Ex gente vel familia ordinis senatorii, notat hic Schotus, vocem *Patricium* significare apud Alvarum, eademque vi uti Eulogium vocabulo *traducis* lib. III Memorial. Sanct., cap. 17, num I.

[c] Et nos quoque in sequentibus de Samsone loquemur.

[d] Itidem et nos ejus meminimus ad n. 7, lib. I Memor.

[e] Non solum hodie constat Reccaffredum utpote præsulem Hispanensem totius Bœticæ metropolitanum fuisse ab anno plus minusve 850 ad usque 862, sed etiam antea rexisse Ecclesiam Cordubensem, cui præerat anno 839 ; quo anno nona Kalendas Martii congregatum ibi fuit concilium adversus quosdam hæreticos Acephalos, ut patet initio tomi XV Hisp. Sacræ. Videsis etiam tom. IX, tract. 29, cap. 7, n. 29 et seqq.

[f] Saulus nominabatur hic episcopus, qui præfuit Cordubæ ante annum 850, ad usque 861, tom. X, Hisp. Sacr., cap. 8, tract. 33.

[g] Utramque epistolam edidit Morales, et nos iterum edemus.

vit: ne se videlicet ejus etiam labe respergeret, quocum foris videretur consentire. Satis autem indicabat quam non consentiret, qui ita se contineret. Neque tamen vitare omnino poterat Reccafredum, cum fidejussoribus, quos dederat, ac ratione noceret.

(5) *Cujus historiæ veritas.* Cum Alvarus hunc, quem refert, librum scripsisset, quo plenius omnia ista digesserat, hic innuere tantummodo contentus, effecit ut tenuis et subobscura ista notitia ad nos tantum perveniret [a].

(6) *Utpote fidejussoribus datis.* Apparet cavisse Reccafredum vadium interventu, ne ab se posset Eulogius, postquam vinculis fuerat exemptus, sejungi.

(7) *Beati Epiphanii.* Exstat hæc epistola a divo Hieronymo in Latinum sermonem conversa, et inter ejus opera excusa.

IN CAP. III.

(1) *Quin potius occasione fratrum suorum.* Hæc omnia fusius in ea epistola narrantur, cujus mox Alvarus meminit. Sed temporum series diligenter est attendenda. Reversus enim ex hac peregrinatione, ab Reccafredo in carcerem conjicitur. Inde eductus concilio Cordubensi cum aliis metropolitanis celebrato interfuit [b], quanquam illorum sententiæ penitus non acquievit. Quod lib. II, cap. 15, ipse commemorat. Et tempus quidem ita digessisse et continuasse, ut multum deinceps, ad intelligenda quæ narrat Eulogius, contulerit. Recaffredi namque nomen ipse nunquam apposuit, modestiæ vere Christianæ ergo, ut ego interpretor. Unde illa omnia hinc sunt prorsus intelligenda.

(2) *Inde secum.* Animadvertere decet qua cupiditate et diligentia perquirendorum librorum veterum vir sanctus teneretur. Inde quanto opere Cordubæ ferverent etiam in illo rudi et undique Christianis miserabili sæculo studia litterarum, satis apparebit.

(3) *Flacci saturata* [c] *poemata.* Allusit ad Juvenalis versum [d]. Satur est cum dicit Horatius, *ohe.*

(4) *Porphyrii depicta opuscula.* Tyrius fuit philosophus, Plotini auditor, Jamblichi præceptor, Malchus seu Basilius antea dictus : sed Porphyrius deinceps cognominatus ob purpuream vestem, qua semper, propter generis nobilitatem, utebatur. Acerrimus Christianorum hostis, quique ab egregiis Ecclesiæ ducibus Methodio, Eusebio, et Apollinari contra ipsum decertantibus, fuerit profligandus. Plura de illo Suidas. Picta autem ejus opera referens Alvarus, ea intelligi credo quæ ad eloquentiam spectantia Suidas recensuit.

(5) *Vel Adhelelmi epigrammatum opera.* Intelligit plane Adhelelmum Saxonum Occidentalium episcopum in divinis litteris clarum, sed humaniorum studiorum et poetices studiis sui temporis clarissimum. Floruit sub Justiniano minore, annis ante D. Eulogium plus ducentis. Ejus operum catalogum abbas Trithemius texuit : et inter cætera librum carmine scriptum de Virginitate sanctorum, quem hic intelligi præsertim crediderim.

(6) *Necnon Avieni fabulas metricas.* Rufus Festus Avienus, seu Abydnus, poeta, ut quidam volunt, Hispanus, inter cætera Virgilianas fabulas iambicis versibus descripsit : et Æsopi etiam fabellas, quæ

A elegiaco carmine circumferuntur, hujus esse auctoris multi affirmant. Aut alterutrum, aut utrumque opus hic possumus intelligere. Qui hæc et plura de hoc auctore scire voluerit, quartum Lilii Giraldi de Poetis dialogum legat.

(7) *Post divinæ memoriæ Wistremiri* [e]. Cordubam ex Gallia rediens Eulogius, ut ipse in epistola ad Pampelonensem episcopum narrat, aliquandiu Toleti apud hunc sanctissimum antistitem est diversatus. Inde haud dubie factum est ut Toletani Mozarabes, et sanctæ Ecclesiæ præsertim ministri, quibus ex hac consuetudine ejus viri sanctitas et doctrina probe fuisset perspecta, ipsum præsulem sibi optarent et deligerent. Alterum exemplar, *Tolenatæ*, calami certe vitio hic habuit. Est autem Toletum urbs Hispaniæ celeberrima, non semel ab Tito Livio nominata, et ab Plinio etiam et Ptolemæo inter cæteras connumerata. De qua, ut de Carthagine Sallustius, præstiterit hic nihil quam B pauca referre : præsertim cum sublimis hujus urbis nostro hoc tempore magnificentia et præstantia omnibus sit notissima.

(8) *Pro annuo festivitatis suæ recursu.* Attende festivitatem D. Eulogii et aliorum perinde martyrum Cordubensium, jam tunc institutas fuisse et quot annis celebratas : et translatio etiam D. Eulogii solemni more, ut paulo post apparebit, colebatur.

IN CAP. IV.

(1) *Rex Mahomad.* Habdarrahgmanis hujus nominis tertii fuit filius, quod ex tertii libri principio patet.

(2) *Arabo genere beatus Christophorus.* Hujus martyrium cum breviter D. Eulogius lib. II expedisset, Alvarus latius describere cogitabat.

(3) *Ex gentilium fæce.* Gentilium nomine semper Arabes sectæ Mahometicæ vocat Eulogius. Hoc C quoque esse videtur ex illa Romanorum vocabulorum affectatione, qua consules et fasces aliaque ejusmodi sæpius repetuntur.

(4) *Christo dicata.* Sanctimoniales nostrates variis nominibus in conciliis Hispanis appellantur : *Devotæ, religiosæ, Deo dicatæ, sacræ virgines*; et hoc ipsum *Christo dicatæ.* Utitur eisdem nominibus varie D. Eulogius, et ipse Alvarus.

(5) *Nomine Elitiosa.* Alterum exemplar *Litiosa* habuit : nos id secuti hic sumus quod cum D. Eulogii operibus cohærebat.

(6) *Vel sorori ejus Anuloni.* Præter hanc sororem alteram etiam habuit D. Eulogius nomine Niolam. Tres etiam ei fratres fuerunt, Alvarus et Isidorus, et natu minimus Joseph. (*Ex epistola ad Pampelonensem episcopum.*)

(7) *Comere gressos.* Ita fuit in ambobus exemplaribus. Et sensus interim cum tota argutia est manifestus.

D (8) *Cum reverentia nominandus.* Tam in his duobus exemplaribus, quam in aliis pervetustis libris, Mozarabum Christianorum litteris descriptis, quos mihi videre hucusque contigit : *f* pro *v*, et *v* pro *f* semper cernitur appositum. Itaque hic *referentia*, non *reverentia* fuit scriptum : et semper *provanus*, non *profanus.* Item e converso. Nescio quid hoc habet ex Digamma Æolico Fabii Quintiliani [f].

[a] Et etiam hodie latet quod fuerit hoc opus Alvari, nisi astipulemur Henrico Florez, qui tom. XI Hisp. Sacr., tract. 34, cap. 2, num. 63, existimat secundum librum, qui quo judicio desideratur, Indiculi Luminosi esse : quem librum alii desiderari negant, non levibus argumentis.

[b] Celebratum fuit concilium anno 852, post 16 Septembris

[c] Nos cum Schot. *satyrata* posuimus, quoniam arbitremur, ut Antuerpienses, hic Alvarum verba facere de Horatianis satyris.

[d] Satyra.

[e] Hunc præsulem, quem S. Eulogius in epist. ad episcopum Pampilon. prædicat tanquam sanctissimum senem, faculam Spiritus sancti, mirisque aliis encomiis, et Alvarus hic virum *divinæ memoriæ*; nihilominus nec Toleti nec alibi canoni sanctorum ascriptum constat, quidquid dicat Tamajus Salazarius in Martyrolog. Hisp. ad 31 Decembris, et nebulones quos sequitur.

[f] Quint., lib. I Instit. Oratoriar., cap. 4; et Aul. Gell. lib. XIV Noct. Attic., cap. 5; et lib. 19, cap. ult.

IN CAP. V.

(1) *Cui beatissimus martyr.* Expressit ad vivum D. Eulogius, et vero implevit sancti senis Eleazari exemplum. Quod quia est ipsum per sese illustrissimum, et dictante divino Spiritu facundissime perscriptum, lectu est dignissimum.

(2) *Complevit martyrium suum.* Mensis dies signatur, Martii videlicet undecima: sabbatum etiam fuisse dicitur: cum æra, aut annus non fuerit ab Alvaro expressus. Hinc tamen jam, licet aliunde astrui non posset, passum fuisse D. Eulogium anno Domini octingentesimo quinquagesimo nono, quem in titulo apposuimus, necessario penitus probatur. Illo enim anno Martii dies undecimus in sabbatum incidit, neque aliquot retro annis in eum hebdomadæ diem inciderat, neque aliquot sequentibus sabbatum fuit occupaturus. Neque extra hos non paucos annos pati potuit Eulogius. Nam tres quatuorve ante hunc annos ipse (quod ex suis libris patet) in vivis erat. Nostra autem hæc supputandi ratio, ubi hebdomadæ dies signatur, non vera solum, sed omnino etiam irrefragabilis, ex canonica cycli solaris conversione, et ex ea annorum et mensium desumitur observatione, qua cum ab initio sancta Christi uteretur Ecclesia, postea abbatis Dionysii, ut plerique tradunt auctores, doctrina et diligentia in dilucidiorem et certiorem formam fuit disposita, et constituta. Cæterum quemadmodum inde nos ad certissimam hanc annos in historia supputandi et digerendi firmitatem, si quando hebdomadæ dies nominatur, rationem inierimus; in nostra historia, ubi ad Gothorum tempora pervenimus, late sumus præfati. Occasionem autem hujus observationis nobis Petrus Appianus primum in suo Cæsareo astronomico, et F. Onuphrius Panvinius uno atque altero loco in Fastis olim præbuerant. Nunc vero Gerardi Mercatoris Chronicon superiori anno evulgatum astronomicam etiam in supputando rationem, tametsi ab nostra ista diversam, per eclipsium nimirum, quæ apud historicos reperiuntur, notationes, videmus retinere. Et quia solemne est divo Eulogio hebdomadæ dies in martyrum cæde notare, unde anni plerumque asseverationem et certitudinem demonstravimus, ideo fusius aliquanto de toto hoc nostro invento hic fuit disserendum.

(3) *Lunatim mansionis servitium.* Menstruas significat excubias, quæ in arce agerentur, cum finito mense, novi excubitores prioribus succederent. Hoc enim adverbio temporibus illis effecto divus etiam Eulogius aliquando utitur, et eo præsertim loco, ubi tributum Christianis per singulos menses impositum deplorat.

(4) *Et ad prominentem canalis ductum.* Prope arcem profecto jacuit ad fluminis ripam sanctum divi Eulogii cadaver, prope turrim quæ *Arcarum* nunc appellatur, siquidem excubitor longius recedere non auderet. Et proprius arcem haud dubie is erat sive fons sive aquæductus, quem petebat. Alioqui potus causa in flumen, quod arcis alluit fundamenta, citissime potuit descendere. De ea autem arce loquitur, quæ nunc etiam Cordubæ perdurat. Ea enim jam fuerat ædificata, quod ex Rasis Chronico [a], et ex peculiari Roderici Toletani præsulis de Arabum rebus historia, quæ nondum est excusa [b], aperte constat. Illud etiam est animadverten-

A dum, præcipitium ingens esse ab arcis platea in alveum fluminis, ut sit ab latere per clivum descensus.

(5) *In basilica sancti Genesii.* Hujus templi et loci mentio non semel erit in divi Eulogii libris.

IN CAP. VI.

(1) *Dulcis nomine Eulogi.* Alludit ad Græcam originem vocabuli. Eulogius enim *bonus sermo* interpretatur. Alioqui et amoris teneritudine ita potuit Alvarus loqui.

(2) *Ut non sit, inquis.* Scripserat hæc procul dubio verba in aliqua ad Alvarum epistola Eulogius. Sed ea intercidit.

(3) *Ego autem, mi dulcis Eulogi.* Offert jam hoc suum opus divo Eulogio: et dum attollere orationem studet, multa ingeminans et accumulans, cacozilon non potuit evadere, et tumidum quid magis quam sublime perfecit. Fertilitas nimirum Cordubensis soli hanc quoque ubertatem semper

B in ingeniis protulit.

(4) *Construxi enim ære perennius monumentum.* Horatii versum tantum dissolvit: et ex recens lecto opere aliquid affectavit inspergere. Horatii versus hi sunt in fine carminum:

Exegi monumentum ære perennius, etc.

(5) *Bisamoque commiscens.* In altero exemplari *bisamo*, in altero fuit *visamo*. Sed neutrum quid sit reperio [c].

(6) *Neque priscorum.* Locus in utroque exemplari corruptissimus spem etiam ademit divinandi [d].

IN HYMNUM ET EPITAPHIA.

(1) *Hymnus in diem.* Titulos qui fuerant in veteribus codicibus conservavimus. Est autem hic hymnus, quemadmodum et epitaphia ab Alvaro, ut ego existimo, compositus. Carmen est quale illud, *Sanctorum meritis inclyta gaudia.*

C (2) *Laudamus varia.* Sensus est: solemus carminibus varias res celebrare, quæ ad Dei gloriam non pertinent. Quanto rectius carmina divinis laudibus, ut nunc contingit, impenduntur.

(3) *Rector dum populos.* Quatuor sequentes versus in utroque exemplari fuere corruptissimi: nos quomodo potuimus ex conjectura et ingenio emendavimus.

(4) *Gypsum.* In antiquis libris ad hunc modum legebatur: *Gypsam cum doceret, fragmine prodere.* Nos substituimus, *Gypsum cum diceret fragmine prodite.* Sic versus constat: sic aliquis sensus elicitur, nempe iste ex allegoria. Eulogius clamabat: Legem Mahomad penitus introspicite: ipsa se cum sua deterrima turpitudine ostendet et reteget. Quasi vas terreum aut testaceum fractum docebit, quam sit fragile.

(5) *Ustus sic domini.* Hoc ideo dicit, quia aliquos ex martyribus quarum constantes, et jamjam

D labantes, in fide confirmavit. Quod alicubi ipse idem Eulogius testatur.

(6) *Translatio corporis.* Exemplar cum divi Eulogii operibus conjunctum, cum epitaphium solummodo haberet, nihil habuit de ejus translatione. In altero Michaelis Azagræ hæc ipsa fuere. Cum autem initio in hoc eodem templo fuerit, ut est in ejus vita, sepultus: intelligo nunc elevationem solemnem fuisse factam. Nam illa verba, *titulo principali*, non diversum templum, quantum ego possum intelligere, innuunt.

[a] Hanc Historiam, quæ sub Rasis nomine vulgo circumfertur, illo prorsus indignam habendam, meram esse farraginem ex Arabicis et Latinis monumentis, spuriumque plane opus, asserit perdoctus vir Michael Casirius, tom. II Bibliothecæ Arabico-Hispanæ Escurial., pag. 329 et seqq.

[b] Jam editam habemus volum. II Hisp. Illustrat. Francofurti 1603, et rursus Lugduni Batavor. 1625.

[c] Incertum adhuc hodie post Glossarium Cangeanum quid hic *bisamo* significetur. Sed cum Samson abbas, lib. II Apolog., cap. 25, eamdem vocem usurpet, recte eam explicat Florez per unguenti cujusdam magnæ suavitatis speciem (Tom. XI *Hisp. Sacr.*, pag. 498).

[d] Locus planus adeo et apertus, ut nobis videtur, nunquam satis mirabimur quomodo effugerit perspicaciam Moralis.

nunt; sed ab rege aliquando conditum significant. Et hoc sensu in conciliis nostratibus scribuntur.

(7) *Cotum.* Vocabulum est ab Hispanis nostris ex Latino *cautum*, depravatum: quod vetustissima regum diplomata ostendunt, et lapides in quibus legitur: *Rex fecit cotum et fecit cautum*, indifferenter. Et multa hujusmodi.

Illud autem operæ pretium fuerit animadvertere et expendere. Cum divus Eulogius Martii undecimo die interemptus, et Junii primo fuerit translatus, cur in Martyrologio Usuardi, et in Romano nuperrime excuso et adaucto, vicesimo Septembris ejus festum reponatur? Quin etiam Breviarium Cordubense eodem die habet. Hujus rei causam ego eam fuisse crediderim, quod cum eo ipso die, Septembris videlicet vicesimo, sancti Eulogii presbyteri (ejus qui inter priscos eremi cultores insignis fuit) obitus fuisset adnotatus in libro qui Vitæ Patrum inscribitur, et divo Hieronymo ascribitur, et in Martyrologio Romano [a]; quidam B eumdem illum et nostrum hunc Cordubensem esse credentes, veritatis alioqui ignari, eidem dici ejus festum attribuerunt; et in Romano quidem utriusque eodem die festum notatur.

Illud etiam animadvertendum, Usuardum non potuisse divi Eulogii et aliorum ejusdem sæcli martyrum Cordubensium, quorum frequens in ejus Martyrologio mentio est, passiones scripsisse. Nam cum Carolo Magno suum Martyrologii opus dicaverit [b], quantumvis juvenis imperatori admodum seni scripserit, vix credibile est divo Eulogio superstitem fuisse. Restat ut aliquis postea ejus operi nostrates hos martyres superaddiderit: qui certe ex divo Eulogio non res solum, sed ipsa etiam ejus verba aliquando deprompsit. Romanum vero Martyrologium, siquidem divo Hieronymo tribuitur, meminisse divi Eulogii et coætaneorum martyrum non potuit. Sed adjectitia sunt omnia quæ de his sanctis inibi leguntur, ut est opus C novis et novis accessionibus opportunum. Idem dicendum de Bedæ Martyrologio, qui divum Eulogium ducentis annis præcessit: et tamen Lupi et Aureliæ festum [c] mense Octobri ibi apponitur. Ado Viennensis in Gallia archiepiscopus, legerat profecto divi Eulogii libros. Nam et omnes ferme hos Cordubenses martyres in suo Martyrologio posuit, et quæ pauca de his commemorat, hinc plane desumpta sunt. Et ejus historia ad vicesimum post divi Eulogii martyrium annum protenditur.

[a] Quodnam Romanum Martyrologium hic intelligat Morales, latuit Antuerpienses hagiographos, nisi illud fuerit, quod Maurolycus edidit, in quo utriusque Eulogii memoria recolitur. Præter Usuardum, inseruere Eulogium ad diem 20 Septembris Bellinus, Canisius, Ferrarius et Galesinius; sed rectius Baronius, Alvarum secutus, retrahendum censuit Eulogium nostrum ad 11 Martii, quidquid dicat Solerius, Usuardi editor.

[b] Labitur Morales, ut et alii, quamplurimi existimantes floruisse Usuardum sub Carolo Magno, eique Martyrologium dicasse. Jampridem constat, ut ostendunt Adrianus, Valesius, Mabillonius, et Sollerius post cæteros Antuerpienses, eum vixisse sub Carolo cognomento Calvo, atque huic opus suum nuncupavisse circa annum 875, proindeque sexdecim annis post obitum Eulogii.

[c] Quo tempore hi vixerint sancti, incertum; nec Beda eorum non meminit, sed potius Auctarium Flori juxta ms. Barberinum, ut videre est initio tom. II. Martii apud Bollandianos. Neque satis constat Lupum et Aurelium Cordubæ passos. Qua de re consulatur Henricus Florez, tom. X Hisp. Sacr., tract. 33, cap. 9, num 99 et seq.

[d] Hoc est, *anno* 1303, *nonis Januarii*, quin necesse sit ut cum eod. Moral., lib. XV Chron., cap. 15, corrigamus *anno* 1300, *quinto Idus Januarii*. Neque enim hic mentio fit translationis sanctorum martyrum ex Corduba Ovetum, factæ die nona Januarii

A Hoc vero nostro tempore corpus divi Eulogii simul et Leocritiæ, Oveti, in celeberrimo multorum sanctorum corporum et reliquiarum sacrario, quod Cameram Sanctam vocant, decentissime asservantur. Theca reconduntur bene magna, argento undique obtecta, signis perbelle exornata: in cujus summitate hæ litteræ argento insculptæ leguntur.

ANNO DOMINI MCCC QUINTO [d] NONAS JANUARII DOMINUS FERNANDEZ ALVARI OVETENSIS EPISCOPUS TRANSTULIT [e]..... IN EULOGII ET LUCRITIÆ IN HANC CAPSAM ARGENTEAM.

Hanc vero argenteam arcam cum sanctis corporibus, ego, etsi indignus (quod summi beneficii loco mihi a Deo Opt. Max. misericorditer tributum, libentissime recolo), his meis oculis, non tam senio jam caligantibus, quam spectaculi sanctitate præstrictis, contemplatus sum: his miseris manibus, hisce immeritis ulnis venerabundus sustuli hoc ipso anno Domini 1572, cum Philippus II, rex potentissimus, idemque et cognomine et studio pietatis et religionis vere Catholicus, sancta me et religioso in primis principe dignissima legatione [f] misisset ad reverenter invisenda sanctorum per Legionenses, Gallæcos et Astures, corpora et reliquias: custodiam, cultum et venerationem, si digna pro eorumdem majestate esset, diligenter perquirendum et renuntiandum. Et ut omnem sanctæ ejus legationis summam breviter complectar, providentissimamque et bene gratam regis erga suos majores curam et sollicitudinem referam, habui etiam in mandatis ut priscorum Hispanorum regum sepulcra perspicerem, an digne et honorifice essent eorum tumulata corpora animadverterem: quam plene et accurate iis statis diebus sacris tum anniversariis solemnibus, tum etiam quotidianis parentaretur, intelligerem. Illud etiam superinjectum ut bibliothecis omnibus publicis diligenter perlustratis, veterum omnium exemplarium catalogum perscriberem, et ut diligenti custodia asservarentur, monerem. Sed ad sanctorum corpora redeo.

Celebrat etiam sancta Ovetensis Ecclesia festum translationis horum duorum sanctorum corporum: in cujus matutinis lectionibus scriptum est quo pacto Ovetum fuerint adducta. « Rex Alfonsus (quotus fuerit non referunt [g]) Dulcidium quemdam legatum

anno 884, cujus memoria ab Ecclesia Ovetensi ea ipsa die celebratur; sed alterius multo postea anno 1303 peractæ a sacello S. Leocadiæ ad Cameram sanctam, quam vocant, intra ejusdem S. Ecclesiæ Ovetensis muros.

[e] Hic tres dictiones desunt. Neque dubium tamen esse potest quin qua parte argenti subtractio fragmentum effecit, ad hunc modum esset scriptum: *Corpora sanctorum martyrum.*

D [f] Historiam hujus dignissimæ Legationis, quam postea scripsit Ambrosius, excussit sæpe laudatus Henricus Florez. Matriti 1765, in fol.

[g] Bene postea Morales innuit hunc Alphonsum fuisse tertium hujus nominis cognomento Magnum; sed nihil addidit de legatione et legato. Nos ex Chronic. Albeld. edition. Florez. in tom. XIII Hisp. Sacræ, nonnulla prælibabimus. Abuhalit, Saracenorum imperator, missus ab Mahomete rege Cordubæ ad evertendos Christicolas, *dum in terminos Legionenses fuit* (auctorem audis ipsius Chronici) *verba plura pro pace regi nostro* (Aphonso III) *direxit. Pro quo etiam et rex..... legatum nomine Dulcidium, Toletanæ urbis presbyterum, cum epistolis ad Cordubensem regem direxit Septembrio mense, unde adhucusque non est reversus Novembrio discurrente.* Sic auctor, qui hoc scribebat mense anni 883. Postea Dulcidius, beatorum martyrum corpora consecutus, Ovetum cum eis intravit die nona Januarii anni 884, qua die a rege, episcopo et clero solemni pompa recepta

ad regem Mahomad Cordubensem misit. Is opera A Samuelis cujusdam (qui se hanc ipsam translationis historiam scripsisse testatur) adjutus, ipsa sancta corpora adeptus, Ovetum tandem pertulit. Rex vero simul cum Hermenegildo, Ovetensi tunc temporis archiepiscopo, in sanctæ Leocadiæ sacello, saxeo sepulcro subtus altare excavato, quod nunc etiam vacuum conspicitur, eadem beata corpora theca cupressina inclusa decenter cum solemni pompa reposuit. Miraculum paulo post paralytici sanati consecutum est.

« Multo vero post tempore Rudericus Guterrius, Ovetensis archidiaconus, distorto ore mutus repente factus, horum sanctorum martyrum interventu, quorum patrocinium fusis interne precibus imploraverat, sanatur. Ejus miraculi occasione factum est ut sepulcro extracti, et theca argentea denuo reconditi, in Sanctam Cameram, quemadmodum retulimus, elevarentur.» Hæc ibi. Cæterum ex Hermenegildi archiepiscopi et Mahomad regis B mentione intelligimus regem Alfonsum hujus nominis tertium, cognomento Magnum, fuisse eum ad quem Corduba sancta corpora fuere perlata. Nec gravabor carmina etiam apponere, quæ loco antiphonarum et responsoriorum in eo festo decantatur, quamvis rude quiddam et incultum sonent, cum Hispanæ eorum temporum in carminibus vetustatis expressam imaginem retineant.

Eulogii cultus crescit per sæcula multus,
Lucritiæ pariter festa sequuntur idem.
Nec timet Ovetum subitum contingere lethum.
Nam festum lætum jussit abesse metum

ORATIO.

Deus qui per beatissimos martyres tuos Eulogium et Lucritium Ovetensem Ecclesiam adornasti : concede nobis famulis tuis veniam delictorum : ut eorum patrociniis roborati, pro tuis beneficiis gratias tibi debitas referamus. Per Dominum, etc. C

Et *Lucritia* sane ubique Oveti scribitur, non *Leocritia*. Nos vetustos codices potius secuti sumus.

Alvarus vero hinc noster librum etiam scripsit *Scintillarum* : ipsum nos in regio, de quo jam diximus, sanctorum Facundi et Primitivi cœnobio manuscriptum in membrana cum hoc titulo vidimus: *In Christi nomine incipit liber Scintillarum Alvari Cordubensis, collectus de sententiis sanctorum Patrum*. In fine constat ante quadringentos annos fuisse descriptum. Eumdem etiam multo vetustiorem litteris Gothicis scriptum, sed lacerum, principio fineque carentem in inclyto Cisterciensi, prope Vallis Oletum, monasterio dicto *del Espina*, conspeximus. Eumdem etiam habet Mindoniensis Ecclesiæ in Gallæcis bibliotheca. Fuitque ejus operis argumentum in illa eo tempore librorum penuria admodum necessarium, nec nunc tamen aspernandum. Etenim per locos communes de virtutibus et vitiis, multa quæ in sacris litteris, multa quæ ab sanctis doctoribus dicta sunt, congesta reperiuntur. Excussum etiam Basileæ, sed mutilum, et sine nomine auctoris, circumfertur. Scripsit præterea, ut D. episcopus Placentinus existimabat [a], idem Alvarus opus egregium, cui titulus est : *Indiculus Luminosus*. Permanet Gothicis litteris in membrana descriptus Cordubæ in bibliotheca Fani majoris, sed sine auctoris nomine. Tantum notatum ab ipso auctore est scriptum opus fuisse Cordubæ, anno Domini octingentesimo quinquagesimo quarto, quo, ut frequenter apparebit, et florebat et scribebat Alvarus. Stylus etiam aut Alvari prorsus est, aut simillimus. In eo opere multa ad ea ipsa quæ in his divi Eulogii operibus continentur spectantia traduntur. Mentio enim fit quorumdam ex his martyribus quorum vitam et agonem scribit Eulogius, ut hinc etiam Alvari esse videatur. Unum illud est quod ut Alvari opus illud esse non credam omnino persuadet, quia nimirum D. Eulogii ibi mentio nulla fit. Nec arbitror Alvarum in tanta benevolentia continere se potuisse, quin ejus eadem scribentis meminisset. Et de hoc iterum in Scholiis libri primi ad finem.

fuere. Rex autem haud dubio gratus optimis legati officiis, eum provexit ad sedem Salmanticensem, cui jam præerat pridie nonas Maii anni 899, cum Ecclesia consecrata est Compostellana. Cætera de hoc antistite vide apud Florez., tom. XIV Hisp. Sacræ, pag. 281 et seqq., sciasque ibi eum Dulcidios, ut sæpe alias, alios Ecclesiarum præsules multiplicasse ob illius consecrationis perturbatam chronologiam, cui adhæsit a tomo secundo ad usque decimum septimum, ex quo stabilire cœpit ejus festivitatis diem, sextam nempe, quam diximus, Maii.

[a] Per quam recte existimabat illustrissimus antistes (quidquid aliter visum fuerit Ambrosio nostro hic et in Schol. ad lib. I, num. 1 et 23) scripsisse Alvarum Indiculum Luminosum. Hoc argumentum egregie discutit idem Florezius, tom. X Hisp. Sacræ, pag. 41 et seqq., qui et Indiculum edidit eodem tomo.

SANCTI EULOGII

ARCHIEPISCOPI TOLETANI ET MARTYRIS

MEMORIALIS SANCTORUM

LIBRI TRES.

EPISTOLA D. EULOGII

AD ALVARUM CORDUBENSEM

ARGUMENTUM. — *Opus* MEMORIALE MARTYRUM *appellatum ad Alvarum mittens, quando cœptum, intermissum, et tandem finitum fuerit, memorat. Censuram et limam ejus exposcit. Primum autem ejus operis librum solummodo nunc missum et hinc et ex Alvari responso apparet, quando in carcere positus divus Eulogius ad Alvarum scribit.*

Charissimo in Domino Jesu Christo fratri meo ALVARO EULOGIUS.

D Olim mi frater, tranquillitate vegetatus domestica, et pacatis familiaribus curis, cuncta mihi commodius prosperabantur. Verum dum subito omnes ex martyrio beati Isaac turbaremur, totaque urbs tantæ rei novitatem stupesceret, cœpere omnes, tam clerici quam laici, magnanimiter colere quod actum est summoque honore tanti prædicatoris extollere constantiam. Sed dum coalescens calor divinus multos incenderet, ageretque catervas fidelium in forum

descendere, ac præmissa fidei confessione, hostem Ecclesiæ detestari; illico iracundia tyranni sævientis omnes exterriti, inaudita versibilitate sententias mutant, detrahunt, maledicunt; auctoresque magni sceleris esse et eos qui talia agunt, et qui eis favent, annuntiant; paucis admodum, sicut ipse non nescis, talium sacrilegio sequestratis, qui primam sententiam suam nullatenus a venerabilitate sanctorum immutaverunt. Qua de re nisus sum huic insistere operi, et pro captu virium, Domino adjuvante, succinctam hujus mediocritatem formare libelli: ut suum de nobis reddens futuris generationibus testimonium, [a] aut mendacii infamiam, aut laudis ab eis susciperem titulum. [b] Cum nos obtentu ejus præmium defensoris justitiæ nihilominus a Domino speremus accipere. Quod opus jam pene expeditum, cum me furibunda optio præsidalis horribilibus carceribus applicaret, turbata omni familia mea irruptione satellitum, ut erat chartulis et [c] pitaciis diversis dispositum; arbitratus sum, quod per [d] varia fuisset dispersum. Sed illuc tunc Domino conservante, nunc inter angustias carcerales, ipso demum juvante, non solum perfici, verum etiam alibi transcribi promeruit, seseque non prius alteri quam tibi innotesci elegit. [e] Quia cæteris magis non audet publicari, quam nolit: ne detrahendi occasionem inculta materies adversariis præbeat, ne ridiculum oratio impolita perosis exhibeat. Hinc ad te frater charissime, arbitrum scientiolæ meæ justissimum, opus ipsum vilibus adhuc membranis digestum, primo procuravi transmittere, ut fraterno elimatum judicio, si probaveris, pateat; si reprobaveris, taceat. Ac deinceps tunc jam [f] illabili gressu cuneos susurronum armata dextera scindat, et ad fideles suos [g] victoriando accedat: ut simplici exhortatione catholicum imbuens gregem, quidquid gloriæ promeruit vestris laudibus admittatur, vestræque parti tota ejus benedictio applicetur. Sin vero turbinibus suæ obvolutum signitiæ, silentio eum decreveris perenni sopire, nullus mutum irridere, nemo tacentem poterit infamare. Unde quæso serenitatem vestram, ut intuitu charitatis, qua utrique inconvulsibiliter copulamur, electione arbitrii nostri hoc opus *Memoriale sanctorum* vocatum percurrendo emendetis, recensendo excolatis; et si hominis sui meritum geret, vestro testimonio roboretis. Ita cum eisdem ipsis, de quibus loquimur, sanctis, ascripta nominis vestri memoria in cœlesti pagina, gaudeatis, dum mihi vel in ultimo angulo paradisi gratia interventus eorum situm præstiterit quiescendi. Amen. Vale in Domino Jesu Christo, serenissime frater.

RESCRIPTUM ALVARI

AD EULOGIUM.

ARGUMENTUM. — Superiori respondens Alvarus, opusque magno opere laudans, rerum præstantiam et orationis extollit gravitatem. Ut edat hortatur; sublimitatem vero dictionis affectans, in affectationem per cacozeliam incurrit.

Reverentissimo Patri EULOGIO ALVARUS.

Repriorasti, mi domine, emolumenta priorum: et anteriorem jamque obliteratum fulgorem catholicum, seu fontem obturatum vitæ æternæ, saturum, ex Jesu pectore scaturientibus profluens venis, reserasti fidelibus universis. Ille enim, qui ætatis nostræ hujus miseratus errorem, athletarum suorum occultum propalavit agonem, ipse magnum præ omnibus inspiravit doctorem, quem talium verissimum accingeret laudatorem. Vigore nempe æthereo non mundiali caduco accinctus, et eloquentia pariter divina humanaque ornatus, et in hortatione martyrii primus accuris, et in defensione Ecclesiæ ante alios milites palestræ æternæ desudans, bella Domini prælians, præ cunctis assurgis. Vere namque ille spiritus corda vestræ prudentiæ tetigit, qui olim missus apostolis, Ecclesiam diversis donis ornavit. Et qui heroas, de quibus loquimur, armavit ad pugnam, aptavit ad gloriam, et ad perennem perduxit coronam, ipse fidei vestræ constantiam, ac linguæ disertæ facundiam seu sapientiæ profluentem doctrinam plus solito acuens in rebus sibi placitis, eo dogmatis imbuit munere, [h] *quo sibi notum est soli placere. Et licet philosophica dictio, et Tulliani fontis redundans oratio* [i] *trimodum illud loquendi genus pro insita naturali cautela retentet, tamen majori laude habendum est quod apostolico more digestum est. Id uno enim et parvo, ut videtur, volumine, et lumen inenarrabile profers cœli, et venustatem sermonis non medie repræsentas humani: dum et oratorum florem aspergis rhetoricum, et porrigis legentibus cibum divinum. Tibi* [j] *lacteus Livii*

[a] *Aut mendacii infamiam.* Ex fiducia veritatis ita loquitur subobscure. MORAL.

[b] *Cum nos obtentu ejus.* Et hic non admodum perspicue loquitur, et tamen zelo fidei et veritatis etiam fiducia hæc dicuntur. ID.

[c] *Pitaciis.* Tabellæ, Græce pitatia dicuntur. Omnia autem in quibus scribebatur, tabellas prisci vocabant, tametsi membrana esset aut charta. ID.

[d] *Per varia.* Aliquid desse videtur: discrimina, aut loca. ID.

[e] *Quia cæteris.* Subtile quiddam cum dicere cuperet, non potuit effugere obscuritatem. Cum indigne, inquit, ferat opus se supprimi, horret tamen in vulgus exire. Cupit et pariter timet evulgari. Videtur pauculis verbis comprehendere voluisse, quod librum suum alloquens, non paucis versibus Horatius exsequitur. ID.

[f] *Illabili gressu.* Hoc est firmo, et quod labescere jam non formidet. ID.

[g] *Victoriando.* Novatum illo tempore vocabulum, sicut et illud paulo post *inconvulsibiliter*: et multa hujusmodi, quæ omnibus nota annotatione nostra non indigent, cum præsertim catalogum ipsorum jam in ipso operis vestibulo apposuerimus. ID.

[h] *Quo sibi notum est.* Obscure aliquantulum, ut alia quædam, dixit. Eo te munere Deus donavit, quod illi repensum, solet illi placere. Novit autem ille solus, et quod tandem hoc munus sit, et quo pacto eodem donati, in ipsius obsequium gratum eidem et jucundum refundant. ID.

[i] *Trimodum illud.* Triplex dicendi genus rhetores distinguunt, sublime, mediocre, et infimum. In idem pene recidunt Asianum, Rhodium, et Atticum. ID.

[j] *Lacteus Levii subditur amnis.* Titi Livii plenam,

subditur annis, tibi dulcis cedet illa [a] *sæcularis lingua Catonis, fervens quoque Demosthenis ingenium, et dives Ciceronis olim eloquium, floridusque Quintilianus.* [b] *Et dudum præconatus stylo in rebus perditis et caducis, et labilis ævi rotatu decursis, omnisque mille generibus exculta doctrina, comparata luculentissimo operi, obsoleta est, et infecta. Terrestris quippe nitor æquiparatur ex nulla parte cœlesti, et immortale ingenium immortali extollitur laude. Nescit namque finiri cum sæculo, quod collatum est dono superno. Bonus enim homo de bono thesauro profert ea quæ bona sunt, et doctus a Deo scriba de thesauro Dei profert nova, et vetera, de quibus summi Patris regat familiam.*

Ornasti, mi sanctissime, nostræ ætatis ultima tempora, et seculuris generationibus odorem nectareum propinasti: ut a generatione in generationem nostra ætas laudetur, et nomen tuum redoleat in universis finibus terræ. Nec vigor divinus humano præconio indiget: et quod per se exstat laudabile, haud dubium quid in prima gloriosum sit facie. Pulcher enim, mox ut videtur, licet a longe videatur, amatur; et [c] *ignicomus centri viator confestim ut oritur, cœli oculus comprobatur: nec operoso inniget visu, qui non videntibus oriendo præbet aspectum.*

Quod vero humilitati serviendo, meo subdis judicio, quod divino intruxisti oraculo; licet ob nostram ædificationem [d] *tua dicta inficias, et satius veritatem a suo tramitis gressu in obliquum mergas; tamen cavendum est iterum, ne dum humilitati nimium servis, infringas judicium veritatis: dum infimum, et quem tu inscium multoties comprobasti, tantæ materiæ superponis, et pretiosum a vili non solum non secernis, sed quod magis est verendum cœno limoque involvis. Verum quia nostræ curæ (quæ nulla est) hunc tacendum, publicandumve injungis, patienter perfer nostram sententiam, et ipsum codicem sidereo splendore coruscum ad multorum remedium solida, si dici fas est, litteris in æternum. Egisti autem, beatissime Pater, carmen sonorum, quo mortis metus excantatus effugiat, et antiqua glacie duratus animæ stupor, frigusque pellatur: qua calor vitæ et ignis ille deificus, quem Christus venit mittere, ardeat, et exstincti carbones, vel corpora mortua, flante ex quatuor partibus mundi spiritu, vivant, et lumen Arabico dolo exstinctum recipiant. Macte virtute, macte gloriæ semper habendus, qui non solum linguæ in laudibus confessorum solvisti officium,* [e] *verumetiam ob oris gratiam in præmium confessorum ex parte sentis supplicium; et inter sæva claustra et arcta custodiæ verbum regni serens, feliciori polles victoria. Præconandus sæculis universis, qui et in suppliciis positus linguam non cohibet, et pro omnibus solus non tacet. Splendesce, et ampliori lumine, quo fulges, claresce: quia reposita sunt præmia, et centuplicata te manet corona, nosque tuo suffragio, quo semper fovisti, tuere.*

et dulci quadam æquabilitate redundantem ubertatem, lacteam primus Fabius appellavit. Inde Divus Hieronymus lacteo illum eloquentiæ fonte manare dixit. MORAL.

[a] *Sæcularis lingua Catonis.* Non video cur sæcularem Catonis linguam appellaverit. Nisi forte in nomine Catonis mendum insit, aut in epitheto, ut *singularis* legendum sit. ID.

[b] *Et dudum præconatus.* Hunc auctorem, quem maxime omnium nominatum oportuit, reliquit sine nomine; nec divinare datur quem innuat. *Et* conjunctio quidem deerat in exemplari, fueratque superaddita prisca admodum, et Mozarabi scriptura, sicuti et multa alia sæpe. Et manifestum utique est conjunctionem ab Alvaro interpositam; neque enim quæ sequuntur Quintiliano tribui possunt. ID.

[c] *Ignicomus centri viator.* Tragicum plane est epitheton, quemadmodum et poeticum etiam est, solem cœli oculum appellare. Mundi oculus apud Ovid. 4. Metamorph. ID.

[d] *Tua dicta inficias.* Hoc est: hoc colore, quod dicis, intingas, et hoc prætextu utaris. Et *satius* adverbium mox additum pro *cautius* positum crediderim. ID.

[e] *Verumetiam ab oris gratiam.* Subtile et inde obscurum, prœterquamquod ipsa verba nescio quid perplexum involvunt. Sensus est: Non solum debito officio linguæ fungeris, confessores laudando; sed præmium etiam laudabilis hujus officii assequeris, confessoris jam sustinendo supplicium. Ob martyres laudatos eo munere a Deo afficeris, ut pene jam martyr efficiaris. ID.

DIVI EULOGII IN PRIMUM LIBRUM MEMORIALIS SANCTORUM PRÆFATIO.

[a] 1. Ego (1) quidem volumen hoc *Memoriale sanctorum* appellans, illis tantummodo (2) ascysteriis commentaveram, e quibus prior ille monachorum globus ad resistendum mendacissimo vati processerat. Sed postquam ex urbibus, viculis, obbidiculis, et castellis certatim proruere ad hoc certamen viros ac mulieres cognovi, neque quemquam vereri præsidis tribunal comperi, sed omnes pro testamento, et legibus Dei nostri mortem incunctanter elegisse conspexi: universis illud Ecclesiis supra solidissimam petram fundatis dicavi: ut tantum haberent cuncti de triumpho eorum suæ consolationis et gloriæ exemplum et gaudium, quantum fuit illos ex diversis loci venisse, et in exemplum totius Ecclesiæ discrimina passionum subiisse.

2. Sed reor quod inter ipsos haud dubie principatum obtinet sanctus Isaac monachus, (3) qui prior (4) e Tabanensi cænobio in forum descendens, judicem adiit, atque his verbis eum aggreditur. « Vellem (inquit) judex, cultor fidei strenuus fieri, si

[a] Vide Scholia Ambrosii Moralis infra, ad calcem operum D. Eulogii.

modo tu non differres ordinem rationemque ejus mihi exponere. » Cui cum libenter, quasi jam tyrunculo fidei suæ credituro juveni inflatis buccis, turgenti gutture, crepitantia infra cava palati verba institutionis lingua fallax proferret; sectæ hujus auctorem Mahom fore prædixit, qui angeli Gabrielis magisterio illustratus, verbum prophetismi ab Altissimo nationibus relaturus accepit, legem instituit, paradisum disseruit, regnumque cœlorum plenum epulis et fluxibus feminarum edocuit. Sed et alia plura, quæ hic disponi perlongum est, ex ritu pro vano arbitrio prosequente, protinus (5) ephebus ille venerabilis monachus, ut erat apprime litteris arabicis imbutus, Arabice dans illi responsum: « Mentitus, ait, est vobis ([6] ita maledictionibus tabescat divinis), qui tanto scelere implicatus, tantorum agmina perditorum invasit secumque inferorum barathro mancipavit. Ille etenim dæmonio plenus, dæmonicis favens præstigiis, lethale morbidis propinans poculum, æternæ perditionis luet interitum. Quare vos scientia præditi a talibus non abdicatis periculis? Quare non, renuntiantes ulcus pestiferi dogmatis, perennem fidei Christianæ evangelicam sospitatem optatis? »

3. Hæc et his similia ore pudico, summis reverentiæ ausibus viribusque, lingua peracuta beato disserente Isaac, stupore nimio judex turbatus, ac veluti amens effectus, ubertim lacrymasse perhibetur: et quadam mentis hebetudine occupatus, vix potuisse fertur exprobranti se monacho respondere: sicque manu extensa faciem ejus verberanti confestim monachus dixit: « Consimilem imagini Dei vultum audes ferire? Vide qualem propter hoc redditurus sis rationem. » Idcirco a consedentibus secum sapientibus deprehensus arguitur, quod gravitatis[a] censoris oblitus, leviter per semetipsum ad cædendum martyrem egerit: et præsertim quia secundum legum suarum sententiam is qui pro crimine dignus est mori, nullius pene conviciis lacerari debet. Tunc judex ad sanctum Isaac conversus ait: « Forte madidus vino, aut phrenesi captus ad ista, quæ profers, non facile potest advertere. Nam ipsius vatis nostri, quem tu temere conviciis impetis, sententia manet irrefragabilis, animadverti debere in eos qui talia de ipso non verentur profiteri. » Ad quem venerabilis Isaac intrepida responsione ait: « Ego quidem, judex, nec vino madidus, nec quolibet morbo saucius sum? sed zelo justitiæ conflagrans, qua vatem vestrum, vosque expertes existere comperi, veritatem vobis exposui: propter quam si mors furibunda occurrerit, libens excipiam, placitus subeam, nec ab ejus casibus cervices meas avertam. Novi enim Dominum dixisse: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 10). » Tunc judex carceri illum tradens, protinus regi causa ejus innotuit, qui tantæ accusationis eventu perterritus, illico ferocioribus animis ferox promit edictum, dicens morti usquequaque fieri debere obnoxium, talem in auctorem fidei suæ ferentem convicium. Hinc Dei servus ad necem damnatus vertice plectitur: hinc in stipite elevatus capite deorsum appenditur, atque ultra amnem in spectaculum urbis locatur tertio Nonas Junias, (7) feria quarta, æra octingentesima octuagesima nona. Cujus corpus post aliquot dies cum cæteris, qui cum imitando perempti sunt, igne crematum, et in favillam conversum, deinceps in amnem projectum est.

4. Sed necesse est exponere quibus indiciis vel prodigiis hic beatus Isaac exstiterit in infantia denotatus; ut ex eo divinitus ad coronam martyrii illum fuisse credamus electum, ex quo in matris utero positus terribilem valde parentibus stuporem intulerit. Tribus namque vicibus una die, paulo antequam nasceretur, visus est loqui: cujus rei novitate perterrita mulier pene mortua vim verborum nequaquam potuit intelligere. Alio etiam tempore, cum adhuc septennis existeret, virgo quædam[b] vidit per visionem globum luminis e cœlo descendere, et inter omnium præstolantium turbam solus hic ulnas extendens, manibus lumen excepit, totamque ejus claritatem ori suo injectam ebibit: felicem tunc et vere beatum omnibus tali condignum munere nuncupantibus. Hæc sunt infantiæ ejus prodigia et signa, quæ illum dignum martyrio longe antea portenderunt.

5. Nam quidam sacerdos ex cœnobio Tabanensi, ex quo idem beatus ad agonem processerat, peractis missarum Dominico die solemniis, septimo scilicet Iduum Juniarum, qui post quintum[c] martyrii sui diem evenerat, in quodam lectulo fratrum recumbens, obdormire paulum cœpit; et ecce subito per somnium vidit puerum decoris pulcherrimi a partibus Orientis venire, schedamque miræ pulchritudidis manibus gestantem sibi adsistere. Quam ab eo accipiens, scripturam ejus legere cœpit: erat enim his exarata sermonibus: « Sicut pater noster Abraham Isaac filium Deo in sacrificium obtulit, ita et nunc sanctus Isaac in conspectu Domini sacrificium pro fratribus immolavit. » Et continuo quidam e civitate venientes dixerunt beatum (3) Jeremiam martyrio cum aliis fuisse coronatum per Dominum nostrum Jesum Christum, cujus exemplo nonnulli ad publicum sub eadem professione perempti sunt.

6. Sed dudum anticeps illis beatæ memoriæ Perfectus presbyter exstitit, qui ob ejusmodi professionem qua et isti occubuit, sed non eo modo quo ipsi deciderunt. Prædictus namque presbyter coacte ad passionem tractus, viriliter consummavit sancti certaminis cursum. Hi vero sponte sua venientes, acriter hosti resistunt, et quadam violentia per effusionem cruoris regnum

[a] Consorem vocat hoc loco, quem antea et paulo post judicem appellat: et infra lib. III, cap. 16. SCHOT. — Ibi nos ad Scholia Moralis de hoc loquemur.

[b] Schot., *cernit*.

[c] *Inclusive, uti aiunt, computat.* MORAL.

cœli capessunt. Quo autem ordine venerabilis Perfectus presbyter passionis bravium emeruerit, principium libri secundi exponet; ac deinceps cæterorum nomina, ætates, ortus, temporaque allisionum edicet. Quapropter hanc præfationem in capite voluminis posui, ut inter laudes A vituperationesque sanctorum me discurrente, interdum etiam auctori profano obviam venientem lectores mei facilius intelligerent, precibus expiarent, orationibus adjuvarent: et tam de illis, quam de me ipsis favente, judicium proprium et nunc et ante Dominum ferrent.

LIBER PRIMUS[a].

1. Peritissimorum (1) virorum providum semper esse debet consultum, commoda Ecclesiæ catholicæ non parvipendere, nec ab obventu perfectionis ejus desistere; vel, si qua vitio cujusque hebetudinis sese interserunt commenta piæ religiositati adultera, nullatenus improbo neglectu silentii in majorem perniciem sinendum accrescere. Quia B quantum meritis præclaræ conversationis, seu sanctæ doctrinæ gradibus, sancta Ecclesia in superna evehitur, in sublime elevatur, ubique incremento fidei dilatatur; tantum etiam, aut eo amplius incuria negligentium dejicitur, impulsibus horum misere concutitur, et quorumdam socordia ad ima projicitur. Hinc provenit, ut auctæ vires perversorum detrimentum semper fidelibus ingerant, dispendiumque gregi pusillo, cui complacuit Patri dare regnum (*Luc.* XII. 32), exaggerent: dum aliquando torpenti silentio omnibus contentis, seu proniori lapsu ultimo vitiorum abyssu immersis, nullus adsit qui redimat, neque qui salvum faciat (*Psal.* VII, 3), dicente Propheta: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini* (*Ezech.* C XIII, 5). Illius etiam quam maxime vaticinium Prophetæ formidans, quo socordiam inutilium pastorum Dominus contestatur. *Ecce*, inquiens, *vos lac comedistis, et lanis operiebamini*: *oves autem meas lupi invaserunt* (*Ibid.* XXXIV. 3, 5): et dum non procuratis pascua salubria, ab inimicis eis sunt herbæ morbidæ procuratæ.

2. Quapropter ne canis mutus, et non valens latrare (*Isa.* LVI, 10) appellarer a Domino, sive ut evaderem in futurum negligentium judicium conatus sum ex pauperrimo nostræ scientiæ scrinio depromere aliqua, et ex olerum ferculis, tamen catholico studio apparatis, fidelium saturare esuriem. Eorum scilicet, qui veritatem fidei Christianæ, sicut a sanctis Patribus acceperunt, sana cre- D dulitate retentant: ne desistente procurationis nostræ salutari edulio, lethiferum ab inimicis sumerent cibum. Ideoque, urgente me divinæ charitatis stimulo, et consultum gerens catholicæ plebis, quam nutantem in certaminibus militum Christi cognovi, seu obvius illis studens occurrere, ense verbi Dei accinctus, qui non solum eos recipere inter martyres nolunt, verumetiam ore sacrilego conviciis atque blasphemiis impetentes, redivivum, si possibile est, quietis sanctorum implodunt supplicium: seu dignis beatorum satisfacere memoriis anhelans, qui cœlo regnantes exemplaria victoriarum suarum mortalibus reliquerunt; libuit mihi pro modulo exigui ingenii talibus rebus insistere, nostroque licet rusticano sermone[b] parvipendulos informare, æmulis contraire, et cœlo tenus acta sanctorum extollere.

3. Sed nescio quo tendere rea mens poterit (2), cui legalis auctoritas ex voce Domini occurrit, dicens: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (*Psal.* XLIX, 16). Hinc silere decreveram, hinc melius ab hujusmodi intentione abducere me judicaveram: quoniam nefas esse putabam os nulla sanctitatis ope subnixum, temere acta elucubrare sanctorum; sive quod majestati rei gestæ nostrum imbecille ingenium consideravi posse succumbere[c]. Quia sicut divina res humanum supergreditur conatum: sic lingua terrenis incumbens, ætherea non potest mysteria loqui. Sicut prædicare libere nescit, qui minus peccatis liber existit; sic abnuendum creditur dogma ejusdem, cujus vitiis infecta est vita. Sed nunquid mercedem suam coram Domino perdet mens talibus oblectata studiis? aut æternorum vacuabitur gratia munerum? Qui init quod Deo est placitum, etsi non effectum, certe vel pium geret affectum. Aut non erit coram Domino compensandum, quod hi, qui zelo Dei armati contra hostem publicum apertumque gesserint bellum, in eo nos ineffabilium attollat lætitia gaudiorum? Sicut enim mihimet nescius non sum peccatis obnoxium sceleribus implicatum me ipsum esse; ita quoque de clementia Redemptoris mei nullatenus sum diffusus, qui reprobans peccatores ab officio prædicandi (quia non licet committere cani sancta Domini [*Math.* VII, 6]), non refutat peccatorum utilem voluntatem in id quod sibi placet. Denique exsecranda sunt opera reproborum, non contemnenda vota probabilia peccatorum. Quia sicut opus sinistrum usquequaque nos dejicit, ita pium affectum in nobis Dominus non spernit. Quapropter illico mens dejecta erigitur, Christumque instituentem ac promittentem recolens, spe quodammodo possibilitatis animatur, qui ait: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud* (*Psal.* LXXX, 11). Et alibi:

[a] Scriptus anno 851, post medium Junii, et ante finem Novembris.

[b] Hispanismus: quos vulgo *poco considerados*, et *burladores* dicimus. Utitur sæpe eodem verbo, et in eodem sensu voce *parvipendens* infr. in orat. ad fin. lib. II, et in Apolog. num. 4. SCHOT.

[c] Hunc locum ita restituimus, cum et in editione Ambrosii Moralis, et apud Andream Schotum, eum corruptum credamus. Ubi enim nos *sicut* in utraque periodo apponimus; Morales *sic*, Schotus vero *si* priori, *sic* autem secundo aptavit.

Dominus dabit verbum evangelizantibus in virtutibus multis (*Ps.* LXVII, 12). Inde votis compos effectus, credo quod idem magister verus dignabitur nobis conferre præconabile verbum ad instructionem catholicorum honestam, ad laudem sanctorum dignissimam, et ad expugnationem adversariorum efficacissimam, qui præstitit animali irrationali eloqui ritu hominum (*Num.* XXII, 28 *et seqq*). Et sicut me indignum tanto opere fateor, ita quoque sui perfectione non solum erui culpis confido, verumetiam pœnis abstractus, præstantiorem gratiam interventu ejus apud Dominum invenire spero : ut est illud philosophicum :

Hoc opus hoc olim forsan me su trahet igni.

4. Igitur de memoriis martyrum quidpiam me locuturo, principium orationis nostræ ad vos dirigatur, o sancti fratres nostri, et sorores in Christo beatæ, ex quorum collegiis sacratissimo Deo libata est hostia, non verens pudorem inculti eloquii, non venustatem leporemque affectans liberalis studii, quod nullius instituentis magisterio traditum habui : præsertim cum et in hujuscemodi rebus magis noverim simplicem veritatem esse observandam, quam tonantem musarum turgidam pompam. Loquar etiam tibi, o universalis Ecclesiæ sanctæ conventus, ut verbum veritatis, quod ore nostro edicitur, placidis mentium ulnis amplectens, nullatenus prædicationis nostræ arcendam velis doctrinam, quæ, apostolica affirmante auctoritate, libera ad instructionem omnium redditur ; cum unius fidei auditores vario discretos talento, diverso præceptorum accendit oraculo : et ibi acriorem spiritu patientiæ virtutem demulcet, ubi mitem vivido jubentis imperio perarmavit : uni dicens : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina (II. Tim.* IV, 2) ; alteri vero præcipiens : *Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat* (*Tit.* II, 15). Unde parati estote omni homini reddere rationem, petere a vobis volenti de illa quæ in eo manet spe (*I Petr.* III, 15) ; ne (quod absit) stupido auditu sanæ doctrinæ dogmata respuentes, illius quou am apostolicæ imputationis sententiæ obdoxii judicemini, qua dicitur : *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (*II Tim.* IV, 3, 4). Quia sicut nobis incumbit officiositas prædicandi, ita vobis subest necessitas audiendi. Nec propter hoc quod nos inordinate degimus, turpiq e conversatione dejicemur, respuendum verbi Dei documentum arbitremini : quoniam plerumque in magna domo patrisfamilias novimus [a] haud ambigue conversari asseclas deploratæ vitæ, quorum ministerio familiares dominarum interdum expediuntur necessitates. Nam et imperatoribus mundi plumbeis adducitur cuniculis unda ; et inter sacra Domini vasa auro argentove conflata, pretiosorum lapidum ornamentis percompta, etiam non abjicienda ha-

A bentur testacea. Solet enim peccator sorti Dei immistus quotidie in aures populi hæc dicere : Dominus ait, Proclama : de transgressionibus præceptorum Dei plebem argue : de severitate judicii, quæ peccatorum debetur excessibus, contestare : de redditu veniæ, et spe promerendæ clementiæ admone ; cum tamen ille ipse nec modum sibimet in criminibus ponat, nec terrorem futuri examinis metuat, et quod aliis prædicat, moribus ipse impugnat : verbo autem ejus nonnulli intenti, ab illicitis abstinent, et perfectioribus adhærent. De quibus in Evangelio dicitur : *Omnia quæcumque dixerint vobis observate et facite : secundum opera vero illorum nolite facere ; dicunt enim, et non faciunt : alligant onera gravia et importabilia, et*
B *imponunt ea humeris hominum, digito autem suo nolunt ea movere* (*Matth.* XXIII, 3, 4). Unde congruit ut, cum Ecclesia possidet rectorem vitæ moribus dejectum, non contemnendam ejus prædicationem existimet, quamvis hanc ipse pravis actibus impugnet. Officium itaque vulgi est intendere ad concionantem, et audire dicentem, et doctoris prædicationem operando exsequi, et non proprium judicium de præpositorum meritis ferre, quos suo Dominus distringendos examini reservavit, dicens: *Propheta namque et sacerdos polluti sunt, et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus. Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris : impellentur enim, et corruent in ea. Afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum* (*Jer.*
C XXIII, 11, 12). Et iterum : *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* XXXII, 35), Et licet hæc, quamdudum digessi auctoritas, meriti mei defensionem inquirat, et quibus modis justorum legem evadere non possim ostendat ; plus tamen simplicem religiosorum conventum accendere anhelat, ne sancta sanctorum, quamvis ore improbo edita, respuat.

5. In horum igitur certaminibus confessorum tanto alacrioribus animis est exsultandum, tantaque libertate cordis et vocis gloriosum consummatæ victoriæ cursum ferendum ; quanto his divina vox indulgentissimæ sponsionis verum salutis confert solatium, dicens : *Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22). Quoniam veraciter
D cognovimus non inchoantibus deberi præmium, sed perseverantibus. Adeo illa primordialis abrenuntiatio rerum, mundique contemptus præcipuis votis et studio ardentiori ab eis exercitatus est ; ut contuendi velocius Deum, et beatorum fruendi consortio desiderium haberent, ut etiam labentis vitæ obnixe occasum appeterent : melius putantes sub unius puncti spatio ferre sententiam hominum, quæ illico, nulla intercedente dilatione, eos ferret ad cœlum, quam per varia et longa discrimina temporum cum gravi molestia sustinere versutias dæmonum. Et Dominus quidem ad officium prædicandæ veritatis discipulo imbuens, impavida eos audacia jubet esse contentos, dicens : *Euntes per universum mundum prædicate Evangelium omni crea*

[a] *Haud dubie, procul dubio.* SCHOT.

turæ, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, Et Spiritus sancti, Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur (*Matth.* XXIII ; *Marc.* XVI). Et iterum : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, quia non habent quid amplius faciant ; sed potius eum timete, qui potest corpus et animam perdere, et mittere in gehennam* (*Matth.* X, 28). *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi super montem posita : neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio* (*Matth.* V, 14, 15). *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quæ in aure audistis, prædicate super tecta* (*Matth.* X, 27). Quod in mysterio cognovistis, apertius enarrate ; quod didicistis abscondite, publice loquimini : quod vos erudivi in parvo judeæ loco, in universis urbibus, et in toto mundo audacter dicite. Docet fiduciam prædicandi, ne apostoli abscondantur ob metum, et sint similes lucernæ sub modio ; quoniam hi qui libertatem faciendi verbum in populis divinitus acceperunt, nequaquam resilire a prædicatione veritatis, etiam periculis imminentibus, debent, ut non lucernis sub modio, sed supra candelabrum positis comparentur.

6. Et licet formidolosis facultas collata sit declinandi rabiem persecutionis, non tamen passim hoc observandum est a [a] perfectis, qui jam præscia Redemptoris potentia denotati et conscripti, quasi ab [b] immensis legionibus ad exercitium præliorum Dei electi sunt. Ut si propter veritatem mors cruenta eis occurrat, non curandum est de jactura membrorum, ubi sine dubio solatium vitæ perennis acquiritur animarum, dicente domino : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam* (*Matth.* XVI. 24, 25). Inde sancti viri placidis auditibus veritatem evangelicam capientes, eam totis nisibus adimplere contendunt : scilicet viam sanctæ confessionis virtutem hujus præconii esse solummodo arbitrantes. Qui illico relictis urbibus, et his quæ mundani hærent affectibus, avida rapiendi regnum Dei cupidine conflagrantes, circuierunt in mellotis, et in pellibus caprinis : egentes, angustiis afflicti, quibus dignus non erat mundus : in solitudinibus errantes, in montibus, et in speluncis, et in cavernis terræ (*Hebr.* XI, 37, 38) : exspectantes Dominum, qui salvaret eos a pusillanimitate animi, et tempestate (*Psal.* LIV, 9). Sed ista pro nihilo computantes, imo vero contra spiritalis nequitiæ hostem dubium quotidie agonem gerentes, nutu Dei mortificatione subita temporalis vitæ accenduntur, et secundum Apostolum dissolvi cupiunt, et esse cum Christo *Philipp.* I, 23) : viam compendii requirentes, qua de corpore mortis hujus eruti, propere ad cœlestem patriam pervenirent, et pia violentia regnum Dei arriperent. Sic quoque armati lorica justitiæ, in forum prosiliunt, prædicantes Evangelium Dei principibus et nationibus mundi. Super Christum montem excelsum contemplatione mentium elevati, didicerunt confessores beati ex Psalmistæ oraculis justitiam Domini in Ecclesia magna fore annuntiandam (*Psal.* XXXIX, 10) : et ideo perfecto odio contra adversarios Ecclesiæ insurgentes arguunt impios de falsidica vatis iniqui doctrina, præstigiis, sacrilegiis, et vanitatibus sæculi plena : detestantur quoque, et maledictionibus auctorem tantæ perversitatis impugnant, eumdemque cœtum talibus inservientem culturis perenni anathemate damnant : et ita interriti contra hostem publicum apertum veritatis erigentes vexillum, utpote ante fores prætorii, et in ipso accessu palatii proferentes testimonium in ducem perditionis, confusionis et ignominiæ : non verentes, quod suppliciorum pro eadem veritate subirent tormentum, aut qualibus periculis vitæ hujus haberent occasum. Quippe quos immensus urgebat ardor migrandi ad cœlum, festinantes videre faciem ejus, cui servierunt. Stimulatur zelo ultionis cohors iniqua gentilium, celerisque adimadversionis emergit vindicium in obtrectatores sectæ suæ. Nescientes quia illi, ut hunc [c] præcocem obitum exciperent, liberis vocibus inimico justitiæ et adversario Ecclesiæ Dei progressu ultroneo restiterunt : loquentes de testimoniis Domini in conspectu regum (*Psal.* CXVIII. 46), et nihil verentes, quia nihil aliud mortem suam, quam vitam perpetuam existimantes, sponte interitum carnis exoptant, voluntarium Deo animarum suarum sacrificium offerentes. Quibus recte prophetica voce cantatur : *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Dominum* (*Judic.* V, 2). Ac per hoc veri imitatores Pauli apostoli mihi esse videntur, qui ait : *Si quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I, 9). Cujus testimonii informati oraculis, prosiliunt contra angelum Satanæ et prævium Antichristi, patule ea quæ sancta sunt contitentes, quæ nunc etiam omnis (3) Ecclesia Hispaniæ, quanquam clandestinis, ut oppressa, prædicat vocibus.

7. Nam idem perversi dogmatis auctor, et multarum animarum perniciosus eversor, inter cæteros post Ascensionem Domini hæresum institutores solus novæ superstionis sectam instinctu diaboli condens, procul ab unione catholicæ Ecclesiæ separatur. Prophetarum vaticinia respuens, et apostolorum doctrinas infamans, sancti quoque Evangelii veritatem conculcans, piorumque doctorum dogmata abnegans, et ridiculum potius quiddam, quam rerum necessariarum causas per eamdem sectam suam insinuans ; docuit Christum Dei Verbum esse, et prophetam quidem magnum, nulla tamen potentia divinitatis subnixum, cæteris hominibus similem, sed non

[a] Ita fere auctor Indiculi Luminosi : *Fugiant debiles et infirmi, certent fortes et animi honestate præcincti.* Tom. XI. Hisp. Sacr. pag. 223. *Si infirmus, debilis, inanis, timidus es.. quiesce.... si habilis, si fortis, si audax, si constans.. . contra hostes ut strenuus, et non ut ignavus contra tuos jacula torque.* Pag. 238.

[b] Pro *numerosis.* Schor.

[c] Quasi ante temporarium præmaturum. Schot.

Deo Patri æqualem (4). Comessationes quoque in A paradiso, et carnis proposuit voluptates. Quam quæstionem vir disertissimus, magnum temporibus nostris Ecclesiæ lumen [a], Speraindeo Abbas, cum contra nugas hujus nefandi stylum admoveret, et uno opusculo ex ejus deliramentis nonnulla niteretur arguere, in sexto ipsius libelli capitulo, quasi ex voce cultorum ejus objectionem inducens, ac deinceps suam proponens sententiam, ita disseruit, dicens : Futuro, aiunt, in sæculo cuncti ovantes asportabimur in paradisum : ibi namque nobis a Deo erunt mulieres concessæ pulchræ, et supra hominum naturam speciossisimæ, atque nobis in voluptatem præparatæ. R. Nequaquam ergo vestri in paradiso beatitudinis obtinebunt statum, si eorum uterque sexus vacaverit exercitio fluxæ libidi- B nis. Hoc non erit paradisus, sed lupanar, et locus obscenissimus: cum Dominus, sciscitantibus Pharisæis cujus in resurrectione illa mulier conjux existeret, quæ septem fratres, secundum legem Moysi, acceperat ad suscitandum proximi semen, responderit: *Erratis nescientes Scripturas, nec virtutem Dei* (*Matth.* XXII, 29). *Filii hujus sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias*: *in resurrectione autem nec nubent, nec tradentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Luc.* XX, 34, 35). Taceam sacrilegium illud, et totis catholicorum auditibus immane facinus respuendum, quod de beatissima Virgine, mundi regina, sancta et venerabili Domini et Salvatoris nostri genitrice Maria canis impurus dicere ausus est. Protestatus enim est (salva loquor C reverentia tantæ Virginis) quod ejus foret in sæculo venturo ab se violanda virginitas. O vacuum cerebro caput, et [b] privilegio Satanæ occupata præcordia ! O vas perditum, et habitaculum spirituum immundorum ! O frustatim præscindendam ense bicipiti linguam ! O organum dæmoniorum, et symphoniam zabuli ! Quis furor, quæve dementia tantis te blasphemiis inquinari compulerunt ? Quis te, o sordium cloaca, laqueus perditionum, gurges iniquitatum, et omnium vitiorum sentina, sensibus privavit humanis, ut non modo tibi sat fuerit tot nationibus inferre interitum, quibus præstigiosum documentum suasisti, et totis nisibus nunc et in futuro luxuriarum obscenitatibus inservire; sed etiam in Creatore scelus operari agressus es, impius temerator asserens D cœleste hospitium et receptaculum Spiritus sancti incontaminatum, incoinquinatum, purum, sanctum, et mundum, sacrilegiis immunditiæ tuæ in futuro sæculo contaminandum? Quæ nutu superno Verbum Deitatis utero suo excipiens, carne sua Creatorem vestivit, salvoque pudore ipsum Verbum ad redimendam in morte creaturam præcipitem edidit. Quæ omnis tactus aspectusque expers virilis expavit salutationem angelicam ; et licet sine viro nullam fetari posse cognosceret, tamen superno credula numini, sed ad hujusmodi inusitatum conceptum electam Deo revelante sciens, consentit, et dicit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I, 38). De cujus gloriosa parturitione olim Dominus per Ezechielem prædicare dignatus est, dicens : *Converti me ad viam portæ sanctuarii, quæ respiciebat ad Orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc, quam vides clausam, non aperitur, et vir non transit per eam, quoniam Dominus Deus Israel egredietur per eam, et erit clausa* (*Ezech.* XLIV, 1, 2. »

8. Multa denique alia inaudita vanitatis figmenta scelerosus idem instinctu maligni spiritus, a quo obsidebatur, transfigurando se illi in angelum lucis Gabrielem componens, delubra in quibus pessimum dogma coleretur, exstruxit. Cujus quidem erroris insaniam, prædicationis deliramenta, et impiæ novitatis præcepta (5) nonnulli nostrorum philosophorum zelo Dei armati, commentariis, et voluminibus exponentes, justitiæ arietibus illiserunt. At vero confessores beati non leviter spurcitiam ejus ferentes, præstantius illum ejusque sectam patulis assertionum congressibus expugnarunt. Quia nimirum noverant quod propter eamdem veritatem, quam de ipso cæcorum duce proferrent, gladio vindice protinus erant ruituri.

9. Et licet primo sanctus Perfectus presbyter exemplar detestandi fidei hostem omnibus exhibuerit metumque moriendi pro veritate robur confessionis ejus a multis excluserit (de quo in libro secundo nos plenius locuturos, propitio Deo, spondemus), non tamen parvipendenda est (6) invictissimi illius Joannis constantia præconabilis, qui inter sæva ac dira flagella forti animo durans, plurimos documento suo ad martyrium incitaverit. Super quem inimici Dei viventis falsum coram judice testimonium proferentes, hujuscemodi contra eum crimen deponunt. « Novimus hunc, o judex, in subsannationem doctoris nostri semper insistere, eumque maledictis verbis irreverenter impetere. Ita ut cum forte negotium mercimonii sui in nundinis vellit exercere, non alias illicere potest ementes, nisi cum sacramentum nostrum dictis parvipendulis subtilissimus irrisor proposuerit. Cujus rei nos testes sumus, et in veritate dignum hunc morte confitemur. » Verum quia minus

[a] Hunc virum quem Alvarus initio Vitæ D. Eulogii commemorat, et Eulogius hic et in vita sanctarum virginum Floræ et Mariæ, fuisse utriusque magistrum ipsi dicunt. Ejus Opusculi contra Mahometum nihil amplius habemus quam hocce fragmentum ab Eulogio translatum. Scripsit etiam acta martyrum Adulphi et Joannis Hispalensium, quæ laudat idem Eulogius in prædicta Vita ; sed omnino periere. Aliud opus dogmaticum adversus quosdam hæreticos mysteria Trinitatis et Incarnationis labefactantes composuit, quod hucusque delitescens, in lucem a nobis proferetur in Appendicibus hanc sancti Eulogii editionem subsecuturis.

[b] Privilegium hic pro imperio usurpat Schottus; sed nos considerantes hanc vocem Eulogium, Speraindeum, et cæteros medii ævi scriptores non pro quocunque imperio, sed pro tyrannico accepisse, ut videre est, lib. II Memorial., cap. 1, et tom. I. nostræ Collection., pag. 11, minime dubitamusquin hoc loco privilegium Satanæ ejus significet tyrannidem.

idoneorum accusatione testium impetebatur, nec poterat reus mortem inferre objectio testationis eorum, damnatur Dei servus acrioribus flagris, et crudeli verbere laceratus cogebatur Christum negare. Ille vero non se talibus obnoxium criminationibus solummodo confitebatur, sed etiam neque usque ad mortem religionem Crucifixi deserturum clamabat. Cujus obstinatione judex vehementi furore commotus, quingentis et eo amplius hunc macerandum tradens flagellis, tandiu verberibus jussit insistere, quousque exanimis inter cædentium manus in solum prorueret. Sicque semivivum vix palpitantem, retrorsus asello impositum, totam circuire urbem ac plateam fecit, præcedente sacrilega præconis voce, dicentis : Hæc merebitur exprobrator vatis nostri, cultusque irrisor perferre. Postquam vero ad vindictam sui doctoris talia exercuerunt, ad ultimum gravissima ferri onere coarctatum ergastulo deputarunt. Quem nos ibidem religatum, adhuc dorso ejus vigentibus plagis invenimus, nostroque contubernio per idem tempus, quo detrusi sumus, accivimus. Nam beatissimus Perfectus presbyter, de quo supra meminimus cui Joannes ad vincula et cædes successit, violenter ad passionem tractus, posteaquam carcerem adiit, divinitus illustratus, ad præliandum armatus est. Ita ut necessitatem in voluntatem convertens, vim illam cœlesti quodam respectu esse considerans, quo martyrio dignus haberetur, totus in superna erigitur, alienatur præsentibus, futurorum commoda præstolatur, et totius mundani expers affectus, ad ea quæ diligentibus Deum promissa sunt, futurus martyr aptatur. Hinc sæculo mortuus, et Deo vivens, quod primo se dixisse negaverat, postmodum ultroneus confessor, et athleta fortissimus coram judice asserebat. Magis eligens mori pro veritate, occasione inde sumpta proferendi justitiam Dei gentibus, ac detestandi adversarium fidei, quam negando veritatem tanto se præmio abstrahere.

10. Horum igitur duorum et spontaneus et violentus ad passionem cursus cæteros in unum eumdemque consensum dimicandi ultro venire coegit, Quia non erant de corona ambigui, qui noverant etiam vi protractos regni perpetui coronam percepisse. Quapropter ordine, quo in præfatione voluminis hujus digestum est, omnis turba sanctorum ad palæstram certaminis currens, dat repudium adversario Dei, et inimico justitiæ. Omnes summo ore Christum laudantes, cujus tanta virtute subnixi in certamine claruerunt, ut in nullo penitus terrenum formidarent supplicium, qui summi Redemptoris gratia illustrati, plus noverant æternum mutuere tormentum. Quod ideo in principio libri exposui, ut non deesset cognitionibus posterorum, quæ res confessoribus nostris obtulerit obitum : et cujus rei odio in molestissimam iracundiam excitata gentilitas, totum immanitatis furorem ad perniciem talia profitentium admoverit. Inde etiam prudentissimi lectores facile poterunt advertere, quam merito hoc opusculum in beatorum laudibus laboret, repagula opponens diffidentibus et dubitantibus, qui eos loco martyrum renuunt coli debere.

11. Cæterum eorumdem sanctorum corpora, qui primo conflictu occisi sunt, equuleis versis vestigiis affigentes gentiles, post sextum diem alllisionis eorum, id est pridie idus junias, inopinato scelere crudelitatis cuncta jam putredine resoluta atrocibus incendiis deputant. Quinetiam ne virtutum emolumenta præstarent Christicolis, deformes cineres quos legere e camino quiverant; minacis alvei ultimo conduntur abysso.

12. Instabat quoque universitas ethnicorum resultando, pietatis exprobrans cultum, quod in suorum ultione nullum adversariis daret opprobrium Lætabatur namque, quod in vindictam sui doctoris tot contemptorum corpora prostravisset, nulla novitate prodigiorum obstante, quæ horrorem posset scelerosis incutere. Dicebatque : « Si vere Deus est, in cujus nomine tantæ vos calamitati submittitis, et verum hoc esse martyrium creditis, vel si nulla veritate prophetiæ hic noster vates succinctus est (7), qui, ut idem docuit, angelo instituente Gabriele gentibus, totique orbi verbum Dei prædicare permissus est, lex quam cultores ejus meditarent, documento ipsius angeli promulgata est. Cujus vocabulum rudis protoplastus, cum adhuc olim paradisum incoleret, adnotatum in supernis, globoque micantis claritatis immistum contemplans, quæ esset illo lux cæteris præstantior in centro micans, quæ fulgoribus Dominum expiaret fertur Creatorem Adæ interrogasse, illumque respondisse : Hic verus propheta est futurus in mundo, qui ex semine tuo oriens, ipso quem radiare nomine obstupescis, Mahomad appellabitur, cujus quoque meritis tu creatus subsistere meruisti) ; quare non satellibus qualecunque prodigiorum infertis terrorem, vel quibuslibet astanti vulgo signaculis coruscatis ? quia dum vos improvisæ morti ob quamdam asssertionem superfluam destinatis, neque ulla virtute miraculorum, quæ sententiam nostram in vestrum latam exeidium infringere possit, præcellitis : cum partem vestram minime adjuvetis, nullum etiam cœtui nostro infertis dispendium. »

13. Et ob hoc ipsum plerisque nostrorum parvipendulis verum non esse videbatur martyrium, quod non ad confusionem incredulorum, vel roborationem fidelium aliquod ostentaret miraculum. Nescientes quia in fine sæculi, ut sanctus Gregorius refert libro Moralium (*Mor.* lib. XXXIV, n. 7), aberunt de Ecclesia signa virtutum. « Terribili quippe, ait, ordine dispositionis occultæ, priusquam Leviathan in illo damnato homine quem assumet, appareat, a sancta Ecclesia virtutum signa subtrahentur. Nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, prolixioris abstinentiæ virtus imminuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur. Quæ quidem nequaquam superna dispensatio funditus subtrahit, sed non hæc sicut prioribus temporibus

aperte ac multipliciter ostenduntur. Quod tamen mira dispensatione agitur, ut una ex re divina simul pietas, et justitia compleatur. Dum enim subtractis signorum virtutibus sancta Ecclesia velut abjectior apparet; et bonorum præmium crescit, qui illam pro spe cœlestium, et non propter præsentia signa venerantur; et malorum mens contra illam citius ostenditur, qui sequi invisibilia quæ promittit negligunt, dum signis visibilibus non tenentur. » Signa namque virtutum nec omnibus data, nec passim quocunque tempore sunt exercenda. Quia et hi qui hoc munus divinitus acceperunt, nisi spe et fide probatis nequeunt erogare, Evangelista narrante: *Et non poterat Jesus inter eos facere virtutes propter incredulitatem illorum* (*Matth.* XIII, 38). Et Veritas per semetipsum: *Multi*, inquit, *leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta: et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus* (*Luc.* IV, 27). Desistente enim fide quærentium, largitas erogantium quassatur. Nam cum idem Dominus ardentissimis persæpe multorum votis consolator occurrat, dicens: Ite in pace, fides vestra vos salvos fecit; tamen deficiente fide, virtus nihil proficit. Quam plerumque exigente fide languentium, etiam homines reprobi, et mente corrupti impertiuntur. Sicuti de illis in Evangelio legitur, qui in futuro ante fores Domini quæsturi sunt, dicentes: *Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus? et in tuo nomine dæmonia ejecimus? et in tuo nomine virtutes multas fecimus* (*Matth.* VII, 22, 23)? Quibus utique dicturus est Dominus: *Non novi vos: discedite a me operarii iniquitatis* (*Ibid.*). Et iterum: *Exsurgent pseudochristi, et pseudoprophetæ: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducant, si fieri potest electos* (*Matth.* XXIV, 24). Et in Exodo: *Fecerunt et malefici per incantationes, sicut et Moyses* (*Exod.* VII *et* VIII).

14. Miraculorum vero signa ideo olim per servos suos Dominus congruenti tempore præstabat mundo quoniam præscia Divinitate proficere nihilominus præstolantibus ea sciebat, nec in vanum currere operarios virtutum cognoverat. Ut saltem prodigiorum novitatibus cederent, qui sacræ legis præcepta salutaria respuebant. Eratque temporibus illis satis congruum Dei martyres signis coruscare virtutum, quoniam rudem diffusum christianismum nunc intructione verborum, nunc exhortatione Scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam tropæis inclytis passionum conabantur solidis radicibus fieri firmum in cordibus credentium populorum. Nam quia non omni tempore (ut supra relatum est) signorum exercitium congruat, neque omnes cœlestium contemplatione virtutum digni existunt, facile adverti potest ex comparatione eorum quæ gesta sunt ab apostolis. Qui cum vellent bonum nuntium Asianis prædicare, prohibiti sunt a Spiritu sancto (*Act.* XVI, 6, 7): et qui pridem annuntiare Evangelium omni creaturæ præceperat (*Marc.* XVI, 15), sciens in Asia nullum existere dignum percipiendi evangelicam veritatem, præsaga divinitatis auctoritate discipulos ab eorum salute inhibuit. Utpote qui verbum vitæ arroganti spiritu erant rejecturi, neque audirent, quoniam spernerent.

15. Miracula denique dum aut propter fidem credentium, aut propter futuram credulitatem astantium Dei providentia operatur; non tam nos in eorum admiratione debemus stupere, quam provida compensatione intueri, si eorumdem effectores signorum expulsis vitiis morum honestate præcellant; si sæculo mortui Deo vivant: si propter illam veram charitatem, quæ cuncta charismatum dona exsuperat, omnes affectiones mundi pro nihilo pensant; si acceptam virtutem non ad suam gloriam, sed ad beneficium referunt collatoris; si attentis auribus cordis, veri magistri admonitione percepta, non quia dæmonia eis subjiciantur (*Luc.* X, 17, 20), tripudiant, sed quia nomina sua scripta sunt in cœlis, exultant. Et idcirco hæc dinumeratio virtutum in illis prodigiorum auctoribus potius quam ipse signorum effectus est admirandus, et quod sit magis prævium specimen eundi ad regnum quærendum, non vero quod [a] signiferos ac notabiles nos vulgo ostentet. Quia sanctitas et timor Domini cultusque regni cœlestis nonnisi ab idoneis et perfectis procedunt. Signa vero atque prodigia et sancti et reprobi faciunt. Quæ nihil aliud quam notitiam vanam etiam aliquando hominum conferunt. Hinc provenit, ut qui fuerit hominibus notus, nisi fuerit justus, ad æterna supplicia perveniat condemnandus. Ille autem qui cœlesti gratia illustratus, sub notitia sui Creatoris vixerit sanctus, etsi mortalibus sit ignotus, in futuris tamen sanctorum gaudiis erit annumerandus.

16. Nec nos ita prosequentes, miraculorum penitus abdicamus insignia, cœlesti dono quibusdam collata, et congruenti tempore per Dei dispensationem nationibus ordinata; sed latratibus rabidorum canum obviam venimus, qui martyrum nostrorum intentionem exinanire attentant, dum eos de miraculis redarguere sperant. Quid potius generaliter sequendum sit, cunctis ex auctoritate divinorum librorum, vel dictis sanctorum Patrum ostendimus. Non (quod absit) funditus charismata cœlestium munerum extirpamus.

17. Radix itaque ac fundamentum omnium virtutum, signumque victoriæ fides est, per quam justi vivunt (*Habac.* II, 4), per quam sancti omnes *regna vicerunt, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello* (*Hebr.* XI, 33, 34). Quorum vestigia hi sancti veraciter prosequentes, intrepida confessione Deum et Dominum Jesum Christum in concilio principum profitentes, omnem quoque, quam evangelica auctoritas non recipit prophetiam ut furum et latronum detestantes ac maledicentes abjiciunt. Ob quam causam inauditis sævitiæ furo-

[a] Miraculorum auctores. SCHOTT. Quæ vocis interpretatio potest addi Glossario Cangii.

ribus illa frendens turba gentilium cunctos animadversione gladii præmittit ad cœlum, presbyteros, levitas, confessores, virginesque beatas (8). Et quoscunque confessio talis haberet, ut publice eorum subsannando prophetam, cultum ejus desiderent, mox amputatis cervicibus ruerent. Ac ne sibi quidpiam inesse humanitatis ostenderent, nonnullos quos gladio vindice hujus vitæ limen sub testimonio veritatis excedere coegerant, præ foribus palatii inhumatos relinquentes, canibus jusserunt exponi, adhibitis simul custodiis, ne quis catholicorum intuitu pietatis (9) carnibus etiam spoliata cadavera sepeliret. Quasi sentirent persecutoris supplicium, quorum animæ paradisi requie fruebantur : aut obesset animabus cœlo regnantibus temporalium pœna tormentorum illata corporibus : vel de inhumatis curare poterant membris hi qui vere sciebant quod, sicut nihil commodius foret impiis sepultura, auctis reverentiæ studiis solemniter præparata, ita beatis et sanctis nequaquam officere posset vilem, aut nullam sepulturam adipisci. Licuit etiam de hoc poetis plausibiliter ludere :

. . . Cœlo tegitur, qui non habet urnam [a].

18. Sunt autem plerique fidelium, et (heu proh dolor !) etiam sacerdotum, temere horum confessorum gloriam adimere non verentes, qui jubent eos non recipi in catalogo sanctorum, inusitatum scilicet atque profanum asserentes hujusmodi martyrium. Quippe quos nulla violentia præsidalis fidem suam negare compulit, nec a cultu sanctæ piæque religionis amovit; sed propria se voluntate discrimini offerentes ob superbiam suam (ita dicunt) quæ initium est omnis peccati (*Eccli.* x, 15), intercmpti, suarum parricidæ effecti sunt animarum. Præceptis etiam evangelicis eos arguendos esse credunt, quibus dicitur: *Diligite inimicos, vestros, benefacite his qui oderunt vos : et orate pro persequentibus, et calumniantibus vobis : ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est* (*Matth.* v, 44, 45). Et iterum : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis* (*Luc.* III, 14). Et : *Dominus quidem cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non comminabatur* : *tradebat autem se judici injuste judicanti* (*I Petr.* II, 23). Illud prætere objiciunt de Apostolo : *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 10).

19. Hæc et his similia ore pestifero contra Dei milites proferentes, multorum corda pervertunt : quia verba hæreticorum ut cancer serpunt (*II Tim.* II, 17) in mentes humilium ; et modico fermento sceleris facilius ingens massa panis corrumpitur (*I Cor.* v, 6), exturbatque quamproperc filios Dei lethalis assertio zabuli. De quibus beatus Apostolus dicit : *Quidam enim aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores ; nescientes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* I, 6, 7). Et iterum : *Docuerunt linguam suam loqui mendacium : ut inique agerent, laboraverunt* (*Jer.* IX, 5) : non verentes derogare gloriæ fortium, qui jam coram rege suo haud dubie extollunt victoriæ suæ vexillum. Nec contenti sunt Scripturas sano sensu intelligere, sed eas pro suo libitu exponentes, dum in superficie litterarum quasi concordantia suæ vesaniæ repererint testimonia, non modo Christiano more simpliciter eis utuntur, vel ab eruditioribus virtutem sensus earum explorant ; sed quasi inauditæ rei nuntii, et alicujus novitatis scioli, per forum, per plateas, per vulgus, per nundinas obdurata fronte easdem in summitate linguarum promendo, recensendo, atque cantando vehunt sententias. Et ut facilius agnoscantur cujus partis sint defensores, per devios intelligentiæ suæ calles veritatem Scripturæ torquentes, lineam sanæ doctrinæ proprio electionis judicio derelinquunt. Ut quandoque illis ad interitum animarum suarum proveniat, quod non sine gravissima indignatione propheta infert, dicens : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras : ponentes amarum dulce, et dulce amarum* (*Isa.* v, 20) : id est claritatem sacræ legis pravo errore nescientiæ interpolantes, ejusque suavitatem non recte conjiciendo, in fellis amaritudinem convertentes. Quod bonum et pium est, malivolis conjecturis inficiunt, expertes nos arbitrantes ab illorum intelligentia testimoniorum. quibus victoriosissimam extenuare intentionem sanctorum martyrum arbitrantur, vel nostram de eis sententiam (quæ semper in laude ipsorum exsultavit) enervare conantur (10). Quippe qui jam nos evidentioribus indiciis eorum passionibus communicare credamus, dum causa professionis eorum, et carceres, et vincula, insuper et damna rerum perpessi, ad ultimum gratia intercessionis eorum propitio Deo evaserimus

20. Ipsi denique sancti, qui hanc corporis cladem cœlitus compuncti propter veritatis professionem agressi sunt, in nullo a prædictorum custodia mandatorum se avertunt. Quia et propter Deum inimicos diligentes, de salute eorum valde solliciti ne diutius labyrintho impietatis detinerentur, arguere non destiterunt, et benefacientes his qui oderant Christum, melius visi sunt per effusionem sanguinis vecordiam eorum, quam per doctrinæ verba instruere : ut relicta vanitate superstitionis, non solum Christum credere, verum etiam usque ad mortem propter illum decertare contenderent. Sine dubio precibus et obsecrationibus etiam apud Dominum animarum impetrantes salutem illorum, qui sæpe et incessanter Ecclesiæ membra calumniantur. Quapropter exemplo veri magistri educati, cum ad passionem traherentur, maledicti non remaledicebant, flagellatii non murmurabant, comminati silentium observabant: hoc solummodo exprobrantes, quod Deo convicium infert, et quod majestatem tremendam impugnat : sacrilegum scilicet illius vanissimi ac perditi homunculi prophetismum. qui non veritus est spiritu diabolico perarmatus se loco prophetarum inserere, sanctisque prædicatoribus ut deificus evangelizator

[a] Carmen hoc citat Isidorus sine auctoris nomine, cum sit Lucani, lib. VII. SCHOTT.

adjicere. Et cum toto pene orbe evangelica præcelleret veritas, non deesset lux fidei Christianæ a notitia gentium (quia in omnem terram sonus ejus exivit (*Psal.* XVIII, 5), patentibus jam domui David, et habitantibus Hierusalem tinctionis gurgitibus in ablutionem peccatoris, et menstruatæ (*Zach.* XIII, 1), maxime in Oriente, quo mysterium incarnationis Christi speciali effectu quodammodo operatum est, ubi quoque et hic sceleratissimus ac perversus vates exortus [a] et enutritus est) ; nescio qua præreptus insania, clarentibus jam in mundo lucernis, tanto se perditionis laqueo dare præcipitem non extimuit, tantarumque animarum irreverenter parricidam se fieri non expavit, cum scriptum sit : *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). De quo olim Zacharias propheta locutus est, dicens : *In die illa, dicit Dominus exercituum : Disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra : et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra. Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus, et mater ejus, qui genuerunt eum : Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et confringent eum genitores ejus, cum prophetaverit* (*Zach.* XIII, 2, 3). Idcirco huic perdito atque spurcissimo vati resistere, virtus mactæ coronæ est ; summumque tropæum tanti derisoris cultum evertere : adeo ut si illum ætas nostra superstitem haberet, nequaquam ab ejus esset interitu Christocolis resiliendum ; quanto magis non sit dignum ejus hodie dogma venenosum infringere, meledicere sectam, detestari sententiam, qui tantæ multitudinis perditionem inducens, perenni eam dedicarit barathro ? Foretque (ut reor) tunc melius pœnitudinem unius occisi homunculi gerere, quam tot nationum luere perniciem : congrue universo gregi consulendum arbitrantes, dum unius pecudis e medio conati fuissent avellere contagium. Quoniam quemadmodum sine culpa non est maledicere justos, pios persequi, adversitatem parare electis ; ita magni meriti esse credo subvertere impios, Ecclesiæ hostibus contraire, bellum parare incredulis, et framea verbi Dei concidere adversarios fidei, ut, secundum Psalmistam (*Psal.* CXXXVIII, 22), contra Deo invidentes perfecto armati odio exsurgentes, non curemus de inimicitia eorum, quibus est amica impietas. Neque enim sine culpa patitur fieri Patrum doctrina eos, qui improbo silentio erga dogmata torpent hæreticorum, et e regione hostibus fidei non occurrunt, aut zelo Creatoris vindictam in hæreticos non exercent. Quod bene Arnobius [b] rhetor, dum centesimum tricesimum nonum psalmum interpretaretur, dicit : « Qui pepercerit hæresiarchis, aut prædicatoribus falsitatis, et non eos gladio fidei suæ jugulaverit, hoc ei evenire quod evenit Sauli, quis ambigat ? Aut qui misericordiam suam putaverit si in hæresi permanentibus exhibere, quis neget similiter a regno Dei excludi, sicut Saul a regno humano probatur exclusus (*I Reg.* XV, 1 et seqq.)? » Qui vana miseratione Amalecitis parcens, subito semetipsum Dei benedictione, et regni sceptro privatum ingemuit. Et si hoc iis qui contradictoribus veritatis non resistunt, promittitur ; quod vel quale erit ultionis discrimen iis qui derogant electis ? quia non solum expugnare hæreticos nolunt, verum etiam expugnantibus maledictionum armis accincti occurrunt.

21. Aiunt præterea non debere esse martyres, aut haberi, qui non violenter tracti sunt ad martyrium, sed sponte sua venientes, his convicium intulerunt, qui eos in nullo molestia affecerint. Nullam opinantes esse molestiam diruptiones basilicarum, opprobria sacerdotum, et quod (11) lunariter solvimus cum gravi mœrore tributum : adeo ut expedibilius nobis sit compendium mortis, quam egentissimæ vitæ laboriosum discrimen. Si ergo exosum Deo est maledicere diabolo et ejus ministro ; frustra utique Ecclesia contra omnem diabolicum incursum utitur exorcismis. An quia domesticis fidei maledicere inhibitum est, nullumque oportet pusillanimem de membris Ecclesiæ scandalizare ; idcirco hospitem diaboli, et habitaculum Satanæ non necesse est maledicere; et ubi est quod scriptum est (*Tob.* XIII, 16) [c] : *Maledicti omnes, qui spernunt te, Hierusalem, et omnes qui blasphemant te*; *maledicti omnes qui oderunt te, et omnes qui dixerunt in te verbum durum*, etc., quod dictum esse pro Ecclesia nullus ambigit. Et quis inter cunctos persecutores fidelium cruentius quam hic infandus Ecclesiam insecutus est ? Quis tanta in eversione catholicorum, quanta idem exaggeravit infaustus ? Quia (ut ita dixerim) nemo nostrum inter eos securus ingreditur, nemo quietus permeat, nemo septum eorum nisi dehonestatus pertransit. Etenim cum nos cujuslibet rei familiaris necessitas ire in publicum coegerit, et instante domestica necessitate ex angulo tugurii nostri in forum prosilire contigerit, mox ut (12) stigmata in nobis ordinis sacri advertunt, acclamatione derisionis ut amentes et fatuos impetunt, præter illa puerorum quotidiana ludibria, quibus non satis est inferre linguæ convitium, turpia exaggerare scurrilitatum, verumetiam tergo nos lapidibus insectari non desinunt. Quid illud memorem, quod in contumeliam signi venerabilis proferunt, quod cum forte competens tempus psallendi signum

[a] Nemo nescit Mahometum in Felici Arabia genitum. MORAL.

[b] Hunc Arnobium alium esse ab eo qui floruit tempore Diocletiani, recte animadvertit Sixtus Senensis, quem hodie sequuntur eruditi, adversus Trithemium, et Erasmum, quibus astipulatur Laurentius de la Barre, existimantes Arnobium qui Psalmos commentatus est, eum esse cujus meminit Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 79. Sed Arnobium Hieronymi fere duobus sæculis alterum præcessisse omnes norunt; cum hic circa annum quadringentesimum sexagesimum scripserit, orta jam et damnata Eutichetis hæresi, senior vero desinente sæculo tertio.

[c] Hæc Tobiæ verba, quæ frustra in Vulgata requiras, leges in Breviario Mozarabico, in Vigilia Epiphan. ad Cantic., in Laudibus, et pag. 82, edit. noviss. Cantic. LII. *Vide* Schol. in not. 21.

fidelibus dare compulerit, et imminens hora obsecrationis indicium populis facere consuetum poposcerit, mox ut illectum superstitione mendaci vulgus clangorem tinnientis metalli aure captaverit, in omnem maledictionem et spurcitiam linguam admovere non differt. Ergo non incongrue maledicuntur, qui tanto odio adversus Dei sortem sequipedas suos informant. Sæpe ab eis et incessanter calumniamur, causaque religionis eorum sævitiam ubique perpetimur, Adeo ut multi ex eis tactu indumentorum suorum nos indignos dijudicent, propriusque sibimet accedere exsecrentur. Magnam scilicet coinquinationem existimantes, si in aliquo rerum suarum admisceamur. Cum utique milites Dei veritatem coram eis magis confessi fuerint, quam maledicta injecerint, veri magistri præcepta servantes, quibus olim discipulos informaverat, dicens (*Marc.* VIII, 38) [a] : *Qui enim me confessus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, hunc et Filius hominis confitebitur, cum venerit in gloria Patris sui, et sanctorum angelorum.* Quis ille tam vecors est, qui laudibus deroget beatorum obviantium pro defensione justitiæ cultoribus impietatis ? Dictum sane fuerat eis : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum : estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16). Cujus præcepti sensum hunc esse arbitror quod immista gentibus caterva fideli, quasi innocentia prædita ovium, truculentiam ferre cogeretur luporum. Ac ne segnitiei dediti facilius versutiis succumberent inimici, congrue divinitus admonentur, ut essent cum adversariis fidei opportuna semper cautela subnixi, et contra astutias hostium erecti ubique et providi. Ne pravæ doctrinæ verbis illecti protinus corrumperentur sensus eorum, et discederent ab æquitate. Porro etiam Christiani admonentur : Confratribus vestris et domesticis fidei exhibete vosmetipsos, *ut Dei ministros in multa patientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei : per arma justitiæ a dextris et sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam : ut seductores et veraces : sicut ignorati et cogniti : tanquam morientes, et ecce vivimus* (*II Cor.* VI, 4 et seqq.) Et iterum : *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis* (*Ephes.* IV, 32) : ut vere columbarum sectantes simplicitatem, eodem intuitu quo vestram, proximorum quoque affectetis salutem. De quorum constantia, simplicitate, et fortitudine, discretione, et prudentia Eusebius Cæsariensis episcopus rerum ecclesiasticarum historiam texens, ait : « Erant ergo martyres Christi inter fratres humiles, inter persecutores elati, suis mites, adversariis terribiles, Christo subjecti, diabolo erecti. » Sed et Arnobius (de quo supra memoravimus) aliquid huic simile in eodem psalmo disseruit, dicens : « Age ergo, et cum pugnantibus pugna ; et si auxilium poposcis a rege, repugnantem te ostende. Linguæ contra te pugnant, quas acuunt hæretici, sicut serpentes ; his et tu esto sicut serpens astutus, et te simplicem ut columbam esse civibus tuis, id est catholicis solis ostende. [b] Cæterum hæreticis, et cunctis contra veritatem venientibus, ipsis serpentibus esto astutior. Noli timere : jussum tibi est a Domino tuo. Tam bona est astutia contra malitiam, quam benigna simplicitas circa justitiam. Occide hæreticos, et Domini tui spirituali gladio interfice inimicos. »

22. Sic nimirum beati martyres (13) Emetherius, et Celedonius, cum tradere pro Domino animas anhelarent, tali sese invicem ad passionem astantes hortatu impellunt : « Feriat [c] ubique hostem missilibus suis vibrata confessio, et latentem fidei inimicum, ubicunque fuerit, inquiramus. » O incomparabilis magnanimitas, et fortitudo admiranda, laudanda, atque imitanta sanctorum ! Qua, etiam si torpeat inimicus, ac persequi Ecclesiam Dei sinat, irrumpere tamen latebram ejus, et incitare ipsum ad bellum jubemur ; ut hostem frigidum strenuus agonotheta accendat, proferat latentem, erigatque ad conserenda certamina desidem. Et quanquam effuso cruore consternatis membris succumbat, feret tamen ad sedem patris captum ex hoste triumphum, spiritus belliger victoriæ laurea potiturus. Quia in eo vires militis comprobantur egregiæ, quo non requisitus ultro se obtulerit palæstræ martyrii, sancta Scriptura testante (*Judic.* V, 2) [d] : *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Dominum.* Si ergo qui zelo charitatis nostræ adversariis nostris fidelis expugnator occurreret, arma sumeret, ensibus deseviret, animam ponere contenderet, nequaquam eum immunem condignis pateremur donariis, ejusque liberalitatem largo munificandam beneficio censeremus ; quanto potioris gloriæ honore ferendi sunt, qui obtentu capessendi gratiam Regis æterni, vigore aucti justitiæ, ad obitum quoque resistentes infensis, crudeli morte perempti sunt ? Ille denique angelus

[a] Textum evangelicum credimus Eulogium adduxisse secundum Marcum, quamvis nullam Bibliorum versionem usque dum legerimus quæ non habeat, *confusus.... confundetur*, pro *confessus.... confitebitur*, ut est apud SS. Matthæum et Lucam. Nihilominus si quis asseruerit locum evangelicum ex duobus tribusve evangelistis conflatum esse, non repugnabimus, *Vide* Documentum Martyriale, num. 14, not. 3.

[b] *Cæterum* correximus ex Arnobio, cum antea *cæteris* legeretur.

[c] Quæ notamus verba, ea sunt quæ Morales in Scholiis ait reperiri in Codice Toletano ab Eulogio desumpta ex Actis martyrii sanctorum Celedonii ac Emetherii, primum editis a Joanne Tamaio Salazar in Martyrologio ad diem 3 martii, postea eodem die ab Antuerpiensibus, demumque ab Emmanuele Bisco, tom. XXXIII Hispaniæ sacræ, Append. 2, quibus omnibus in locis videtur numeri vel sectionis 3 verba illa : *Feriat ubique hostem missilibus suis vibrata confessio*, unius esse duorum martyrum, et juxta nonnullos mss. Emetherii : reliqua vero alterius, nempe Celedonii.

[d] Ex hoc loco potest repleri lacuna, quam hic habet antiqua Versio apud Petrum Sabatier.

veritatis et præco justitiæ, Redemptoris præcursor, et nuntius pacis, Baptista Joannes, cum regem iniquum de stupro Herodiadis commoneret cumque adulterino incestu thorum violare fraternum inhiberet, ergastulo propter veritatis professionem detruditur, ibique absque ulla fidei persecutione truncatur (*Marc.* VI, 17). Nec tali succumbere recusavit dispendio, qui sine dubio noverat, divino revelante Spiritu, tantumdem esse propter justitiam mori, quam pro fidei confessione prosterni. Unde et Dominus vitalia discipulis doctrinæ ministrans præcepta, sic eos de monte alloquitur : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* v, 10). Et quid aliud ad omnia beatitudinis præmia, quam cœlorum affectandum est regnum ?

23. Calumniantur etiam inimici ultroneum ad mortem eorum progressum, quos [a] passim liberalitas regis suum incoli jusserat Christianismum. Sed præcessit hoc reor exemplum (14) in illis septem fratribus, quod gesta beati Juliani commemorant. Qui ideo quod Augustalibus præpollebant natalibus, ex decreto principum libere exercebant religionis catholicæ cultum. Sed tamen in agone sudantem beatum Julianum cernentes, illico ad bellum prosiliunt, et amore martyrii voluntarium obitum expetunt. Legitur quoque de Domino in Evangeliis : *Obfirmavit faciem suam, ut iret in Hierusalem* (*Luc.* IX, 51). Quod ita sanctus exponit Hieronymus (*Quæst.* 5 *ad Algasiam*) : « Obfirmatione enim et fortitudine opus est ad passionem sponte properanti. Unde et Ezechieli, cui dixerat Deus : *Fili hominis, in medio scorpionum tu habitas, ne timeas ; obfirma* (inquit) *faciem tuam. Et dedi faciem tuam æneam, et frontem tuam ferream* (*Ezech.* II, III, IV), ut si forte surrexisset contra eum malleus universæ terræ, quasi incude durissima resisteret, malleumque contereret. De quo scriptum est : *Quomodo confractus est, et contritus est malleus universæ terræ* (*Jer.* L, 23) ? » Idem quoque doctor in supradicto opere quamdam Evangelii sententiam exponens, ait (*Ibid.* IX, 3) : « Non est delicata in Deum, et secura confessio : qui in me credit, debet suum sanguinem fundere. Qui enim perdiderit animam suam in præsenti, lucrifaciet eam in futuro. » Denique Agabus propheta, cum venisset ad apostolos tollens zonam Pauli, alligavit sibi pedes et manus, et ait (*Act.* XXI, 10 et seqq.): *Hæc dicit Spiritus sanctus* : *Virum cujus est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem Judæi, et tradent in manus gentilium.* Quod cum audissent apostoli, et qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam, cum lacrymis precabantur. *Tunc respondens Paulus, dixit : Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu Christi.* Et cum ei suadere non possent, quieverunt dicentes : *Domini voluntas fiat.*

[a] *Publice, palam*, Schott., sed minus recte.

24. Sic namque et (15) felicissimus Felix cum fideli relatu persecutionem catholicorum, quæ apud Gerundam Hispaniæ urbem continem Galliæ gerebatur, comperiret, crudeliterque Ecclesiam Dei ibidem a paganis infestari cognosceret ; extemplo litteraturæ liberalis studium derelinquens, quod in Cæsarea Mauritaniæ positus excolebat, præpeti navigatione æquore transmisso, prædictum oppidum adiit, ibique martyrium, quod patriæ suæ deerat, devotus miles Christi triumphabiliter consummavit (16). Sic sanctus Sebastianus, sic beatissimus Thyrsus, sic electus Adrianus, sic Justus et Pastor (17), sic Eulalia virgo Barchinonensis, sic Babylas pontifex, multique alii sponte se obtulerunt, et coronati sunt. Et idcirco, ut quidam sapientium meminit : « [b] Inter primas dignitates regnorum cœlestium sunt ponendi, qui ad passionem venerunt non quæsiti : et excellentis voti est, inter tormenta prosilire, ubi non est criminis latuisse. »

25. Sed in veritate (18) crimen esse fatendum est latitare, si virtus excellentis meriti est ultro procedere ; quando fidei nostræ confessio prædicationem exigit, et testimonium postulat. Nam si audito verbo veritatis, fidem incredulus non accommodet, magisque exprobret evangelizanti quam credat ; cum sit ante cognitam veritatem inculpabilis, fit postmodum sanctæ prædicationi obnoxius. Quia non poterit de ignorantia se excusare, ubi veritas elucubrata responderit, Domino et magistro testante : *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur : si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum : quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* XV, 20).

26. Objiciunt etiam adversarii corporum eorumdem corruptionem. Sed, quæso, respondeant quid obest cœlesti jam præmio coronatis, quasi illi carnis affectarint honorem, qui vere noverant perlatam olim mortalibus legem, quia dictum est Adæ (*Gen.* III, 19) : « *Pulvis es, et in pulverem redigeris*, aut per supplicia tyrannorum, quibus datum est corpus occidere, quandoque finem accipere ? Quia *omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri* (*Isa.* XL, 6). Et cum omnem dicit, nullius carnem ex humano semine orientem reliquit (et licet audenter, dicam tamen) non patriarcharum, non prophetarum, non apostolorum, non martyrum. Legant apostolorum Actus, qui ista somniant, et invenient, testante Petro, David illum a Deo electum, et secundum cor suum fidelissimum servum, sepulturæ corruptionem esse perpessum, iis verbi Apostolo disserente : *Viri fratres, licet audenter, dicam de patriarcha David, quia et defunctus est, et sepultus est : et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem : et caro*

[b] Verba sunt ex eadem illa historia Emetherii et Celedonii desumpta, MORAL.

ejus vidit corruptionem (*Act.* II, 29). Considerent A patriarcham Job vermibus scatentem (*Job.* II, 7, 8), et Lazarum evangelicum ulcerosum præ foribus purpurati divitis mendicantem (*Luc.* XVI, 20). Percurrant cæterorum sanctorum, adinstar siderum cœli, diversarum victoriarum fulgentia gesta, et insultet, si audet, sacrilegus eorum putrida membra, doloribus tormentorum, pœnisque consumpta. Sed hæc temporalis corruptio corporum in nullo detrimentum infert animabus sanctorum : quæ tamen incolumis materies carnis prodesse non poterit in futuro iniquis. Nam cur vana sollicitudine de corporum integritate distenderentur, qui vere noverant omnem temporalem salutem etiam cum ipso mundo perire, et illam protoplasto Adæ sententiam mortis collatam generaliter cunctis mortalibus congruere : *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III, 10)? Sancti etenim, qui expertes ejus legis non sunt, quod in terra sua, id est Hierusalem cœlesti, duplicia [nacturi sunt præmia ; non magnopere corporalem pensant jacturam, quam veraciter in illa generali hominum resurrectione de quibuscunque labefactationibus, locis, antris, et speluncis, seu ex aliorum elementorum abditissimo sinu, quo dilapsa cadevera perierint, in temporis puncto reddenda, et reintegranda ex legali auctoritate cognoscunt et credunt : ut ipsi quidem sancti duplici præmio congaudentes, bina confusione conterant impios ac peccatores.

27. Unde obsecro vos, o sancti fratres nostri, et sorores in Christo beatæ, ne stultorum assertionibus exturbemini, aut conjecturis creduli nescientium aliquo saltim scrupulo (quod absit) contra Dei milites moveamini. Hi sunt enim qui piæ religionis ardore non compunguntur, et idcirco non solum veritati favere non possunt, verumetiam fidem sanctam, quam leviter et non alto credulitatis fundamento cordibus gerunt, defendere nequeunt, magis derogantes si propter illam quis ultroneus moriatur, quam dolentes si ab ea plures recedendo laqueum prævaricationis incurrant. Et hinc ad sacrilegium impietatis facile prolabuntur, dum quod a Deo, justificatum est, isti condemnare non vereantur. Plebs sine disciplina, de quibus scriptum est : *Et impie agent impii, neque intelligent omnes impii* (*Dan.* XII, 10): qui, ut sal infatuatus, a cœtu catholicorum foris projiciendi, et ab omnibus conculcandi, ac velut nemus infructuosum securi evangelica præscindendi, igni perpetuo deputandi sunt.

28. Pensandum est, fratres, cui dispendio subjacebit, qui tantæ victoriæ laudem infamare non metuit, qui tot virorum triumphis obvius venit. Illi quidem prædicationis apostolicæ non immemores, non erubuerunt testimonium Domini nostri Jesu Christi, et veritatem sancti Evangelii ad confusionem impii doctoris et cultorum ejus palam proferre. Quem unum, et magnum ex pseudoprophetis, ore Dominico olim per Evangelium denotatis, esse cognoverant, dum cauta circumspectione apostolos intentos fore juberet, dicens : *Videte ne quis vos seducat; multi enim pseudoprophetæ venient in nomine meo, et seducent multos* (*Matth.* XXIV, 4, 5) : et nos formidine amittendi temporalem honorem, quos martyres non colimus, hæreticos protestamur. Væ illis qui ista sectantur ! Væ eis qui bonum putantes malum, et lucem convertentes in tenebras (*Isa.* V, 20), quod patulis refutarunt blasphemiis, occultis etiam convitiis insequuntur ! Ne inter martyres habeantur, ne debita eis reverentia exhibeatur, qui contumaciori spiritu contra inimicum fidei ore blasphemo venientes, digna ultione consumpti sunt (19). Ac ne cæteri ad hujusmodi palæstram discurrant, schedulis anathematum per loca varia damnari jubentur. Si ergo ab iis Dominus abstrahit præmium, eo quod apertum et sponta- B neum adversus hostem religionis gesserint bellum, quanto longius aberunt ab æterni Regis consortio qui in occultis murmurationibus timore carnis depressi quotidie agunt ? Nunquid ori nostro hæc prædicatio deest ? Nunquid vacua est catholicorum professio tali præconio ?

29. Resistendum est igitur omnino justitiæ adversariis, et nullatenus pro defensione veritatis corporalis interitus differendus. Merito namque hoc ab illis exercitatur, qui aucta virtute magnanimitatis divinitus illustrati sunt, uberioremque pensant certaminis fructum, quam securæ confessionis profectum : non interim penitus imbecillia contemnentes Ecclesiæ membra ; quia scriptum est : *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 41) (20). Nec violenter ad hoc sta- C dium pertrahendi sunt, qui cœlitus non compuncti sunt : scriptum est enim : *Qui potest capere capiat* (*Matth.* XIX, 12). Et iterum : *Eligentur, et dealbabuntur, et quasi igne probabuntur multi* (*Dan.* XII, 10) : non omnes. Quamobrem terminis donorum, quæ Deo dispensante unusquisque sibi inesse cognoscit, contentus sit, nec supra mensuram collati muneris quisquam temere conatum extendat. Hinc congruit, ut qui se destitutum viribus ad præliandum non ignorat, et minus posse proprio judicio considerans, aciem hosti non paret, e regione sponte præparantibus non resistat, Ut quem non habent certamina expeditum, pavorque bellandi efficit timidum, hunc justa non inveniat detractionis ultio puniendum. Quoniam scrip- D tum est : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36), Quod si omnis vaniloquus condemnandus veniet in judicium, qua sententia punietur infamator sanctorum ? Qui enim sui non imperitus grandia non exsequitur, gradientibus ad celsiora non adversetur : hæreatque imis, et solo proclivibus, qui nequit meditari sublimia. Ut est illud apud Salomonem : *Altiora te non investigaveris, et profundiora ne exquisieris* (*Eccli.* III, 22). Et consequenter (21) Cato infert philosophus :

> Quod potes, id tenta operis ; ne pondere pressus
> Succumbat labor, et frustra tentata relinquas

30. Certe si quosdam palam quæ sancta sunt pro-

fitentes infernus tenet, multo magis qui in abscondito veritatem prædicant claustra possident inferorum. Quia si oberit palæstricum luctamen justitiæ assertoribus, profecto nihil proderit clam veritatem fatentibus. Et quæ mens religiosa hanc insaniam credat, ut ex eo in opprobrium veniat veritas, reprobans malum, ex quo non violenter trahimur ad gentilitium malum? Et inde ipsa justitia martyriale non habeat præmium, quæ in auctorem sceleris patulum infert convicium? Unde libenter a cultoribus ejusdem vatis inter regni eorum privilegia fidei Christianæ sinimur gestare vexillum. Quasi eorum patientiæ sit deputandum, quod inter ipsos sine molestia fidei degimus, et non potius divinæ dispensationi sit referendum, quæ patriarchas, prophetas, et apostolos suos inter feritates gentium conservavit, honoribus extulit, dignitatibus sublimavit. Qui etiam pia promissionum spe discipulos consolans, ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Quapropter non hujus impiæ gentis beneficio, in cujus ditione nostro compellente facinore sceptrum Hispaniæ post excidium et evulsionem regni Gothorum translatum est (quod felicissimo fidei Christianæ pridem cultu pollebat, venerabilium sacerdotum dignitate florebat, et admirabili basilicarum constructione fulgebat); sed gratia Redemptoris sui, et ejus assiduo comitatu, Ecclesia custodiri meretur, qui dixit: *Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.* II, 2). Et iterum: *In medio nationis pravæ et perversæ: inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo* (*Philipp.* II, 15).

31. Sed noverint ipsi, qui hæc obstinata mente de martyribus Dei sentiunt, impurisque linguis gloriam sanctorum mutilare non verentur, quod cum eisdem sanctis causas in futuro examine sunt acturi, et, nisi fructuosa præcesserit satisfactio, rationem ante tribunal Domini reddituri. Nam qua fronte clarificatum gloria passionis tunc vultum eorum aspiciet in contubernio Regis æterni ob meritum constantiæ glomeratorum, quos hic tantis impetiit blasphemiis, tantis laceravit opprobriis, tantisque affecit injuriis? *Tunc* utique *cum justi in magna constantia adversum eos* astiterint, *qui se angustiaverunt*, et gloriam martyrii eorum non coluerunt, *et qui abstulerunt labores eorum*: reor, *videntes turbabuntur terrore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentque inter se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos* (22) *sors illorum inventa est.* (*Sap.* V, 1 et seqq.).

32. Vellem responderent mihi Christi militum derisores utrum amor mortis eos ad mortem perduxerit, an non magis oblectatio paradisi, ut æternæ mortis evaderent incendia, ad supplicium ire coegerit? Quantum reor, nullus responderet quod intuitu moriendi obitum expetierint sancti, sed ut per temporalem interitum ignes evitarent perpetui lethi. Quapropter eos incunctanter eadem remuneratio nihilominus consequetur, quæ fuit causa moriendi, non quæ exstitit voluntas moriendi. Unusquisque ergo eorum quod vult credat, dicat, vel sentiat: me tamen ea pars firmum obtinet defensorem, quæ cum summa reverentia eorum cultum veneratur, et extollit honorem: Ibique fidelem sub testimonio Domini nostri Jesu Christi dono assensum, ubi eorum præcipuis titulis sublimatur tropæum. Quapropter in posterorum notitiam hunc decrevi manere tractatum, ut qualem de dominorum meorum tulerim agonem judicium, et ætatis nostræ vulgus noverit, et futurum.

33. Vos autem, viri fratres, credite mecum, imo cum omnibus pie religioseque beatorum certamina venerantibus credite beatos esse martyres talia exsequentes, et feliciores animas sub eorum testimonio morientes. Armate credulitate fidei pectora vestra, solvite divinis laudibus ora, sammique Redemptoris beneficia extollentes, præconate et dicite: Moriantur animæ nostræ morte istorum, et fiant novissima nostra horum similia (*Num.* XXIII, 10). Qui dat lassis virtutem, et iis, quibus nullæ suppetunt vires, potentiam potenti dextera roborat in certamine, det mihi ut usque ad mortem pro eo fortiori animo cum his militem, qui perfecto desiderio in ejus amorem exæstuant. Quia non erit immunis coram Domino intentio, quæ pro veritate exeritur: neque ullatenus repudianda mors, quæ pro justitia irrogatur. In tali igitur conflictu laudatur Christus, detestatus remanet hostis iniquus, atque sub eadem professione necem excipit furibundam miles strenuus.

34. Ideoque non solum ii qui talia confitendo sub ictu gladii ceciderunt, digno præconio celebrandi sunt, verum etiam illi digna laude efferendi, qui talium laudibus oblectantur. Quia cum martyrum gloriæ passionibus acquisitæ recoluntur, et beatorum certamina edita reserantur, debitus honor martyribus redditur, ac piæ mentes exemplorum incentivis armantur. Et si martyrium nequeant adipisci, ad participium tamen merebuntur honorandorum præmiorum promoveri; ut quorum ascribi triumphis cupiunt consentiæ voluntate, non imparem sumant ex devotione mercedem. Nam si pessimis factis animum accommodare perversitatis est, quomodo optimis communicare non est virtutis? Et cum Deus omnipotens judicem se non solum factorum, sed etiam votorum insinuet, cur piissimum in martyribus semper votum intentum non conciliet gaudia beatorum? sancto David approbante: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus* (*Psal.* CXXXVIII, 17). Et iterum: *Qui vos diligit, me diligit, et qui vos recipit, me recipit* (*Luc. et Matth.* X).

35. Ipsi denique sancti corpora sua gladiis offerentes, perennem animarum incolumitatem capes-

sunt; et acquirentes sibi in regno Christi electorum consortium, relinquunt nihilominus persecutoribus æternæ pœnalitatis incendium. Quia licet scriptum sit : *Posuerunt mortalia servorum tuorum escam volatilibus cœli : carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem : et non erat qui sepeliret* (*Psal.* LXXVIII, 2, 3) [a]; tamem ad puniendum sævitiam eorum occurrent, qui ista fecerunt ; non ad derogationem virtutum proveniet eorum qui talia sustinuerunt : ut ea ipsa crudelitas cumulum perditionis lictoribus augeat, martyribus vero sanctis præmium sempiternæ felicitatis acquirat. Nam quamvis hæc obtutibus hominum dira et aspera videantur, tamen pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal*. CXV, 15).

36. Vos autem, fratres, et sanctæ in Domino Jesu Christo sorores, gaudete et exsultate, quod manipulos messis vestræ in horreum Domini recondendos jam præmisistis. Jam fructus seminis vestri Sion illa beata civitas habet : illa pacis visio Hierusalem cœlestis domesticos cognationis vestræ in pace suscepit. Pergite securi, properate exsultantes. Itui vestro nullus adversari quibit, nullus contradictor assistet : pervenientesque ad patriam, procedet in occursum vestrum non solum illa cohors sanctorum, qui nuper coronati sunt, verum etiam cætera turba electorum, quorum consortio isti novitii martyres annumerati sunt.

37. Ergo libet mihi, fratres, paululum jucundantis more loqui vobiscum : et pro charitate sufferte verbosum, quem ex dilectione Christi cernitis in laudibus versari sanctorum. Quoniam ut meritorum meorum evaderem debitum, et beatorum adipiscerer intercessionis suffragium, hoc opus victoriis dedicans martyrum, decrevi appellare *Memoriale sanctorum :* ut ex quo vinctis compatimur, et Dei amicos veneramur, saltim eorum patrociniis adjuvemur. Dicitur enim in Psalmo : *Mihi autem honorificati sunt amici tui, Deus, quia valde confortatus est principatus eorum* (*Psal.* CXXXVIII, 17). Quamobrem, fratres carissimi, et sorores beatæ, jubete me vestris admitti tripudiis, quem non sinit abesse talibus gaudiis hujus confessio operis. Nec invida affectatione vobismet solummodo vindicetis sanctorum patrocinia martyrum, quos nostis pro totius Ecclesiæ membris subiisse discrimina passionum. Sed quare ego diutius his gaudiis immorari delector, quasi vestrum sit nostro satisfacere optatui? Certe ut saltim non sine consultu vestro adsint nobis Dei testes in tribulatione quæsiti, qui generaliter pro grege catholico coram Patre et angelis ejus manent solliciti. Itaque et vestri et nostri sunt. Ex vobis carne prodierunt, sed nobiscum uno baptismatis fonte renati sunt. Nihil est quod de eorum gloria vobis privatim vindicetis, quia omnes in Christo unum sumus. Nam et nos quosdam ex illis ad prælium incitavimus : et si ipsi pugnare desivimus, arma tamen quibus militarent suggessimus. Quosdam vero ex consanguineis inter ipsos martyres in cœlum præmisimus. Paulum loquor levitam egregium, carne nobis connexum, et Sanctum [b] auditorum nostrum, qui secundo conflictu post beatum Isaac perrexit ad Christum [c]. Sed nunquid soli de perfectione eorum gloriabimur, quia quos informavimus, quos fratres habuimus, vicisse videmus? Sit commune omnibus gaudium : sint cunctis indiscrete truenda felicium monumenta virorum. Misceamus utrique vota, et paribus studiis laudum Deo persolvamus libamina, cujus dono reddita sunt nobis inoliti temporis felicia sæcula. Quibus olim tempestatibus persecutionum crebrissimis Christiana Ecclesia lapides in illius cœlestis Jerusalem coaptabat digniter structuram ad Dei gloriam, cujus munere pugnant sancti, et vincunt; oppetunt mortem, et vivunt : cujus gratia roboratur constantia martyrum : cujus virtute quidquid sævitia protulit impiorum virili animo prægrediuntur. Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram glopiam, quæ revelabitur in eis (*Rom*. VIII, 18). Nec pendunt, quo mortis genere hanc vitam amittant, quandoquidem per hujus defectum perennis regni felicitatem exspectant.

38. Verum quia semper laudabilis est mediocritas, faciliusque lectorem oblectat succincta brevitas quam fastidiosa prolixitas, ideo finali claudendus est limite liber. Ne præter unam, et summam incultionis suæ absurditatem, alium parturiat meditantibus ex longa verbositate laborem. Hinc vos instanti jam voluminis termino, o corona sanctorum, ego ipse licet indignus vestri laudator Eulogius postulo, ut hoc opus vobismetipsis probatum efficiatis, acceptum sanctificetis, sanctificatum Deo libetis, neque inordinatam narrationis ejus seriem pensetis; sed velle meum potius quam posse considerantes, voluntatis votum, non impossibilitatis remuneremini defectum. Quia ideo primitias hujus commentarii (24) præ omnibus philosophis patriæ nostræ vobis offerre curavi, ut ejus obtentu vestrum habeam patrocinium, vestroque interventu omni caream vitio : quod Dominum contra me pro peccatis offensum merear et nunc et in æternum invenire propitium.

[a] Quare hunc locum corruptissimum dixerint Morales et Schottus, nos certe latet ; plane enim sensus illius apparet, si legatur : *Occurrent tamen ad puniendum sævitiam eorum qui ista fecerunt* : quasi diceret : Quidquid moliantur persecutores in sanctorum martyrum corpora, non proveniet ad eorum derogationem virtutum, sed in persecutorum supplicium. Cui rei occurrent in die judicii : nam *stabunt justi in magna constantia adversus*

(24) Et *eos qui se angustiaverunt.*

[b] *De his lib.* II, *cap.* 3 *et* 6, *scribit.* MORAL.

[c] Bene hic notat Schottus propterea Eulogium hoc loco non meminisse Ludovici fratris Pauli, quod dum hæc commentaretur, Ludovicus martyrium nondum passus fuerat. Hic enim interfectus est pridie kalendas maii anni 855, ut patet in lib. III, cap. 13 ; et librum primum scribebat Eulogius anno 851, ut jam diximus.

licet inde gravioris culpæ me obnoxium conscientia mea remordeat, quia res præconabili stylo ad posterorum notitiam ordinandas temere infecerit eloquii mei inculta barbaries; tamen ex eo tanti [a] deliquii remedium adipisci spero, ex quo omnem vim suam brevitas ingenii nostri in laudem vestram expenderit. Sed et susurrationibus maledicorum obvius veniens, acies perfidorum prostravit, fundamenta subvertit, vires confregit. Ac veluti canes, qui ardentissimo zelo pro dominis suis sæpe rixare non desinunt, eo amplius in importunis latratibus exacerbantur, quo forte impugnatoris fuerint verbere lacerati; ita nos licet asperrimi temporis angustia coarctemur, et immiuentibus periculis obruamur, nullatenus tamen linguam de vestris laudibus abstraximus, aut de perfidorum insectatione cessavimus. Hæc nos quadam spe cogunt lætos existere, et de clementia boni Parentis confisos manere. Et idcirco non me desperare hujus faciet oratio inculta, et vilis oblatio muneris de obtentu gratiæ Redemptoris; quia plus coram ipso votivum novi valere affectum, quam segnem affluentiam munerum. Quapropter iterata supplicatione vos quæso, milites Dei, bellatores egregii, testes idonei, martyres Christi consortes regni perpetui, ut me hic fideli servitute Deo jungatis, et post debitam pro sceleribus in futuro examine ultionis sententiam a me auferatis. Ut qui liber *Memoriale sanctorum* a nobis appellatus, vestrorum actuum gloriosam memoriam præconatur, memoriam meam coram tribunali futuri judicis favore suæ acceptionis in sortem ovium præscribat. Quo a læva in partem dexteram demutatus, pii Redemptoris aspectibus sine confusione merear perfrui: nulloque præpediente reatu, illi cœtui communerari promerear, cui idem Redemptor pia voce dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* xxv, 34).

[a] Pro *criminis*. Schot.

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Contigua hujus secundi operis brevitas martyrum tantummodo beatorum gesta exponens, nomina, ætates, ortus, diesque allisionum fideli proferet relatione: quo prudens lector per paululum prioris libelli seriem protelatam compensans, quos præconio suo extulerit, sive econtra quos zelo Dei armatus incesserit, facilius possit conjicere. Nam quod ille vario disputationis ambitu obvolute disponit, iste enucleatim compendiosa disserit brevitate. Quem per capitula ideo digessimus, ut uniuscujusque martyrum agonis principia liberius se meditantibus exhiberent.

CAPUT PRIMUM.

De Perfecto, presbytero Cordubensi, martyre.

In nomine Domini. Regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, anno incarnationis ejus octingentesimo quinquagesimo, æra octingentesima octuagesima octava, (1) consulatus autem (2) Habdarrahagman vicesimo nono: cujus temporibus rebus et dignitate gens Arabum in Hispaniis aucta, [a] totam pene Hiberiam diro privilegio occupavit (3); Cordubam vero, quæ olim Patricia [b] dicebatur, nunc sessione sua urbem regiam appellatam, summo apice extulit, honoribus sublimavit, gloria dilatavit, divitiis cumulavit, cunctarumque deliciarum mundi affluentia (ultra quam credi vel dici fas est) vehementius ampliavit: ut in omni pompa sæculari prædecessores generis sui reges excederet, superaret, et vinceret. Dumque sub ejus gravissimo jugo Ecclesia orthodoxorum gemens, usque ad interitum vapularet, venerabilis memoriæ Perfectus presbyter, Cordubæ natus, et sub pædagogis basilicæ sancti Aciscli clara eruditione nutritus, plenissime ecclesiasticis disciplinis imbutus, et vivaci educatione litteraria captus (4), necnon ex parte linguæ Arabicæ cognitus, totam pene juventutem (5) in prædicto transegit cœnobio.

2. Quodam vero die dum ob rei familiaris necessitatem iter perageret, et rerum domesticarum commodis consulens, per urbem ingrederetur, quorumdam gentilium sciscitationibus de fide catholica exploratur, suumque coram eis de Christo, et propheta Mahomat testimonium proferre jubetur. Qui continuo diffuso ore divinitatis Christi potentiam profitens, et esse Deum super omnia benedictum in sæcula præconans: « Vatem (inquit) vestrum qualiter apud catholicos habeatur exponere non audeo, quia gravi molestia propter hoc vos vulnerari non ambigo. Verum si fœdus intercesserit amicabile, et pacificam fidei pactionem accommodatis, dicam quo Evangelii testimonio denotetur, vel qua veneratione a christicolis excolatur. » Illico fraudulenter fidem spondent, et quidquid de illo apud religiosos tenetur, omni pulsa formidine enarrare compellunt. Ad hæc prudens sacerdos Arabice illos reciprocans pseudophetam illum et falsissimum dogmatistam, quia plures seduxerit, ex Evangelio protulit, dicens: « *Multi pseudoprophetæ venient in nomine meo, et multos seducent: et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* xxiv, 24). » « E quibus inter cæteros summus hic propheta vester hostis antiqui præsti-

[a] Videsis notam lib. i, num. 7.

[b] De utroque urbis nomine multa jam diximus. Itidem de regni Arabici sede ibi collocata. Moral.

giis occupatus, dæmoniorum figmentis illectus, maleficiorum sacrilegiis deditus, multorum parvipendentium corda lethali veneno corrumpens, æternæ perditionis laqueis mancipavit. Sic nulla spiritali discretus prudentia, principi Satanæ eorum fidem accommodat, cum quo ipse asperrima inferorum luiturus tormenta, vos quoque sequipedas secum arsuros, inexstinguibilis camini deputavit incendiis. Nam quo pacto inter prophetas reputabitur, aut quare non maledictione cœlesti plectetur, qui Zeinab uxorem vernaculi sui Zaid specie decoris ejus obcæcatus, jure barbarico auferens, sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus (*Psal.* xxxi, 9), adulterina sibi copula nexuit, seseque ex jussu angeli hoc (6) egisse prædixit? » Multa deinde beatus Perfectus de fœditatibus et libidinibus quæ lege Mahometica præcipiuntur, superaddidit; et tandem finem his verbis fecit: « Sic fautor immunditiæ, et libidinum voluptatis serviens, omnes vos perennis luxuriæ impuritatibus dedicavit. » Alia etiam plura, prout noverat, de ipsius nefandissima doctrina eis exponens, multaque auditui exosa coram omnibus denuntians, licet non tunc illum superbo oculo impetierint, accensum tamen ultionis furorem in corde ad perniciem ejus reponunt.

3. Perficit Dei famulus sibi hinc necessariæ rei utilitatem; et expleto sui itineris cursu, propriæ quietis cellulam repetens, securus aliquandiu permansit. Cæterum post non longam digressionem temporis, dum occasio familiaris necessitatis eum aliquo ire compelleret, casu per eosdem, cum quibus dudum conflictum gesserat, habuit commeatum. Quem æmuli venientem ab eminus contuentes, æternum adversus eum sub pectore vulnus servatum, in apertum produnt incendium, et in vindictam sui vatis circumastantium hoc modo hortantur conventum: « Ecce quem temeraria pridem impellente insania, tanta coram nobis adversus vatem ([7] psallat Deus super eum, et salvet eum) maledictionis verba protulit, quanta nullus vestrorum auditus potest perferre. » Hoc autem genere benedictionis semper ad honorem ejus utuntur: Zalla, Aliah, Halla, Anabi. V. A. Zallen. Quod Latine dicitur, Psallat Deus super prophetam, et salvet eum. Et ita quasi apes stimulatæ, tota illa cohors perditionis in eum furibunda consurgens apprehensum sub omni celeritate judici vix plantis solum tangentem offerunt, atque hujusmodi de eo testimonium proferunt: « Hunc, quem tuis reverentissimis tribunalibus, judex, attraximus, maledixisse prophetam nostrum, ejusque cultoribus exprobrasse comperimus. Quæ vero sententia tales ausus compescat, furiamque retundat, melius tua novit prudentia cogitare. » Tunc judex iniquitatis ergastulis futurum Dei martyrem tradit, ferroque vinctum importabili

A
pondere vinculorum coarctans, victimandum in eo die differt, quo profanis ritibus festivum paschæ gaudium apud eos excolitur. Vadit miles Christi exsultantibus animis abdita carceris petens, lætusque illum reorum specum, quasi ad epulas invitatus, ingreditur. Ubi summa timoris et sanctimoniæ reverentia præditus, vigiliis, orationibus, atque jejuniis inserviens, fertur suam sententiam, quam dudum ante judicem formidine mortis negaverat, fortiori mente in virtute sancti Spiritus confirmasse. Et priusquam foro plectendus educeretur, tradunt prophetico vegetatum spiritu de quodam eunucho vocabulo Nazar, claviculario proconsule (qui eo tempore totius reipublicæ in Hispaniis administrationem gerebat), dixisse:
B
« Hunc quem hodie super omnes Hiberiæ primates fastus principatus extollit, et cœlotenus gloriosa potestas in hac parte occidua sublimavit, revoluto venturi anni curriculo ipsum, quod me prosterni die decreverit, non attinget. » Quod ita divina virtus, ut confessori suo jam quidem per squalores carceris elimato revelaverat, implere non distulit.

4. Exactis igitur non multis in carcere mensibus, post expleta jejuniorum suorum tricenna diecula, in quibus gastrimargiæ crapulis, et flexu libidinis, sicuti in [a] primo libro digestum est, propensius solito insistunt; illuscescit martyri cæteris temporibus gloriosor dies: ille scilicet, quem solemni veneratione summoque tripudio ritu vanæ
C
legis gerunt dicatum. In quo se magnum Deo suo præstaturi arbitrantes obsequium, eductum ex antro gladio vindice trucidarunt confitentem Christum in gloria Deitatis manentem, et Ecclesiæ inimicum liberis vocibus exprobrantem atque dicentem: « Prophetam vestrum et maledixi, et maledico, virum [b] dæmoniorum, magnum. adulterum, et mendacem: sicuti professus sum, et profiteor. profanationes sectæ vestræ commenta diaboli esse denuntio. Vos quoque cum ipso duce tenebrarum æterna luituros tormenta protestor. » Turba vero gentilium, quæ intuitu tantæ festivitatis (8) in campum ultra pontem fluminis, in parte ab urbe Australi situm, latissima planitie ad exorandum processerat, ovans præpeti regressu ad necem
D
martyris contemplandum sese divertit. Quæ jam prostratum ante fores prætorii, suoque se volutantem sanguine cernens, illitis quoque et ipso extincti sacerdotis cruore vestigiis, aucta jucunditate, ad exsolvendum sacrilegium voti compos regreditur. Nihilominus commoda se facilius potitura confidens, quæ tanti hostis sanguine combinatis gressibus incedebat.

5. Sed ad propositum redeamus, et quod ad laudem sui martyris, ipso die quo decidit, divina pietas fuerit operata, sicut plurimorum fideli relatione comperimus, referamus. Nam celerem ad vindicium sui

[a] Hæc inde resecata fuerunt ab Ambrosio Moralesio; quare locus subobscurus. *Schol.* Videsis Schol. in lib. i, num. 7.

[b] Forte *dæmoniosum*, ut in Apologet., num. 12, et in Docum., num. 15. Utroque autem modo hispanismum vulgarem sonat *hombre endiablado*, aut *hombre de los diablos*. Schott.

militis ultionem effundens, nonnullos de pessimo- A rum caterva gurgite fluviali immersit. Regredienti namque vulgo a loco orationis, quo ritu sacrilego irrita vota persolverat, plerique ascensis navibus [a] dorso vectantur æquoreo : sectoque carinis et præpeti navigio amne, domum revertunt. Inter quos una fluctuatione undarum eversa navicula, quæ octonis homunculis vehiculum inter fluctus præstabat, gremio interioris abyssi reconditur. Vix inde nando sex evadentibus, bini naufragio pericrunt. Ut non esset vacua Scriptura, quæ dicit : *Ego Dominus dabo impios pro morte tua, et divites pro sepultura tua* (*Isa.* LIII, 9). Unum enim in cœlum crudelitas persequentis præmisit, et duos inferis sæva tempestas fluminis dedicavit. Corpus autem sancti martyris piis religiosorum officiis B (9), dignoque præsulis et sacerdotum obsequio in Basilica beati Aciscli (10), in eo titulo, quo felicia ejus membra quiescunt, humatur. Illudque prophetismum divinitus ore ejus prolatum de proconsule eunucho claviculario Nazar, ita (Deo dispensante) impletum est ut carcere adhuc religatus convinctis prædixerat. Nam priusquam in anno altero profanæ solemnitatis paschale gaudium perituris occurreret, multis ante diebus eunuchus idem occubuit. Ignita namque febre intrinsecus viscera ejus adusta, et (ut nonnulli ferunt) toxica potione corrupta, ante obitum, dum urgente corporali necessitate ad purgandum alvum secretius cubiculum peteret, disco effusa sunt, et interiit. Sicuti quidam poeta christicola Arii finem describens, heroice lusit, dicens [b] : C

Visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit.

Sic namque Dominus utroque miraculo militem suum glorificans, magnæ spei solatiis fidelium vota corroborat, impiorumque sacrilegam vanitatem stupore vehementi exturbat. Hæc nos perpauca ex gestis beati Martyris dixisse sufficiat, quæ viris catholicis referentibus, qui ejus contuberniis a principio in vinculis adhæserunt : sed et ipsorum ethnicorum relatione vera esse cognovimus, dum nos tempore compeditionis nostræ omnes, cum quibus ille Martyr futurus morabatur, vix paucos solutos reperimus. Consummavit autem vir Dei cursum agonis sui in pace (11) quarto decimo kalendas maias, die sexta feria, æra, qua D supra adnotatum est.

6. Res vero tanti facinoris in sacrdote commissi, multos otio securæ confessionis per deserta montium, et nemora solitudinum in Dei contemplatione fruentes, ad sponte et publice detestandum, et maledicendum sceleratum vatem exsilire coegit, majorisque ardoris fomitem moriendi pro justitia cunctis ministravit. Et quod ab isto uno infida persecutorum executio primitus violenter extorsit, et quod in hunc calida circumventione suadendo ulciscitur ; postmodum in plurimos ultro se tali discrimini offerentes exhorruit. Adeo namque terrore nimio ethnicorum universitas in horum progressu concussa est, ut perditionem reipublicæ (12) regnique sui excidium jam imminere arbitraretur, ac nostros athletas ab hujusmodi intentionibus inhiberi suppliciter exoraret. Sed nos, sicut hujus voluminis præfatio continet, nostrorum agonistarum ætates, ortus, temporaque decisionis fideli prosequamur stylo ; ut quod divino munere nobis, nostræque ætati conjunctum est, propriis scilicet obtutibus sanctorum contemplari agonem, venturis etiam sæculis pura libelli series innotescat. Ut nostri quoque gaudii futura generatio particeps fiat, dum mente credula vera esse non abnuat, quæ sibi catholicorum mandasse industria lectitat.

CAPUT II.

De Isaac monacho martyre.

Beatus itaque Isaac ex civibus Cordubensium nobilibus, et locupletioribus parentibus natus, dum primævos adolescentiæ annos ingrederetur, atque inter opes bonaque genitorum tenerrime degeret, adeo ut peritus et doctus lingua Arabica (1) exceptoris reipublicæ officio fungeretur : ex improviso spiritali flagrans ardore, monachorum vitam optans (2), Tabanos viculum petiit, qui in partibus aquilonis inter prærupta montium, et condensa silvarum septenis ob urbe milliaribus distans, formosissimis in exercitatione vitæ monasticæ virorum atque ancillarum Dei rumoribus decoratur. Siquidem in eodem cœnobio virum summa timoris Dei reverentia præditum Hieremiam patruelem habebat : qui etiam inclytus opibus, rebusque abundans, et conjux ejus venerabilis Elisabeth, ac liberi, totaque pene cognatio sumptu proprio fundamenta ipsius cœnobii jacientes, divinarum legum perenni adhæsuri obsequio, pridem sese eo contulerant. Ibi per triennium beatus Isaac sub regularibus disciplinis, seu sub reverentissimo abbate Martino prædictæ feminæ fratre, in sancto proposito militans, extemplo divinitus illustratus, forum adiens, judicem petiit, et ordine quo in præfatione libri disposui, felici obitu sub testimonio Domini nostri Jesu Christi (3) in eadem regia urbe, (4) tertio nonas junias, feria quarta, æra octingentesima octuagesima nona [c] occubuit. Cujus corpus equuleo suspensum, post aliquot [d] dies cum cæteris, qui eum imitando decisi sunt, rapacissimo igni commissum, usque ad ultimam favillam minutum est, ac deinceps amni perdendum immersum est.

[a] Fluviales lintres naves per abusionem quamdam vocat. MORAL.

[b] Sedul. lib. I Oper. Paschal. circa fin.

[c] Usuardus in Martyrologio ad diem 3 junii occubuisse ait sanctum Isaac, anno ætatis vigesimo septimo : quod licet Henschenius ignoraverit, unde ille acceperit nos credimus eum Henrico Florezio bene potuisse Usuardum eam rem Cordubæ inquirere, cum ibi fere duos menses permansisset anno octingentesimo quinquagesimo octavo, quo asportavit Parisios ex illa urbe corpora sanctorum Georgii monachi, Aurelii, et Nathaliæ. *Vide* tom. X. Hisp. sacr., pag. 369, 387, et seq.

[d] Morales et Schott. hic edidere *dierum* ; sed nos cum Henschenio *dies* reponimus ob id maxime quod Eulogius in præfation. *Memorial* num. 2. in fin. eodem modo legerit.

CAPUT III.

De Sanctio martyre.

Sanctus vero Sanctius auditor noster, laicus adolescens (1), ex Albensi oppido Galliæ Comatæ olim captivatus, nunc autem (2) inter militares regis pueros liber præscriptus, et regalibus annonis nutritus, in eadem urbe regia sub eadem professione, (3) nonas junias, æra qua supra, feria sexta, prostratus est [a], et affixus.

CAPUT IV.

De Petro, Walabonso, Sabiniano, Wistremundo, Habentio, et Hieremia martyribus.

Veniamus nunc ad illum mysterii [b] senarii sacratissimum martyrum globum, qui uno die, unaque hora sub ictu sævientis mucronis ob testimonium veritatis occisi sunt.

2. E quibus Petrus sacerdos (1) in urbe Astigitana progenitus, (2), et sanctus Walabonsus diaconus ab (3) Eleplensi civitate exortus, utrique prioribus coævi martyribus, Cordubam studio [c] meditandi adeuntes, liberalibus disciplinis traditi sunt. Sed Deo fautore scientia, et doctrina Scripturarum pollentes, sub Frugello abbate monasterio sanctæ et gloriosæ Virginis Mariæ præficiuntur. Quod (4) in vico Cuteclara, non longe ab urbe in parte occidentali, præclaro ancillarum Dei proposito enitescit. Sanctus quoque Sabinianus (5) ex vico Froniano montanæ Cordubensis, jam plenæ juventutis monachus, ortus, et Wistremundus ex Astigia adolescens strenuus, e cœnobio (6) sancti Zoyli Armilatensi, quo dudum sub regula, vel abbate se dederunt : unus a tempore longo in castris Domini militans : Wistremundus vero nuper se in idem cœnobium conferens, ad martyrium ambo discurrunt. Qui locus pene a Corduba in parte septentrionis triginta et amplius milliaribus distans, vastissimam horret inter deserta montium solitudinem : ad cujus collis radices, quo idem situm est, (7) flumen Armilata discurrens, magno pisciculorum solatio inediam refovet monachorum. Ex quo etiam Armilatense cœnobium appellatur.

3. Beatissimus vero Habentius virili jam ætate perfectus, e civibus Cordubensibus, monachorum vitam oblectans (8), sancti Christophori monasterium incoluit, quod situm est in spectaculum urbis, in parte australi super crepidinem ulteriorem Betis. Ibique sæculo mortuus, Christo autem sub arctissima regula degens, utpote spontaneo carceri se tradens, altis macceriarum sepibus circumclusus, ferreisque laminis intus ad carnem obseptus, per fenestras se adventantibus exhibebat visendum.

A Iste talis ac tantus cum beato sene Hieremia (9) (de quo supra affati sumus, quique etiam inter cæteros Dei servos [d] *fuit* acrioribus stimulatus flagris) occubuit. Hi sex viri fortissimi et præclarissimi, simul ad expugnandum hostem improbum descendentes, omnes quasi ex uno ore clamaverunt, dicentes : « Et nos sub eadem professione, o judex, manemus, quapridem confratres nostri sanctissimi Isaac et Sanctius deciderunt : exerce sententiam, credulitatem exaggera, et in ultionem tui vatis totis exardesce furoribus. Quoniam Christum Deum veraciter confitentes, prævium Antichristi, et auctorem profani dogmatis vatem vestrum esse profitemur, Vosque lethali succo prophetismi ejus infectos, et virulento prædicamine
B Zabuli propinatos, æterna postmodum luituros tormenta scientes dolemus, vestramque orbitatem, et ignorantiam satis deflemus. » Hæc cum animoso spiritu sancti Dei professi sunt statim decollari jubentur. Pius tamen beatum senem Hieremiam, nescio ob quam assertionem flagellis graviter cæsum, et inter ipsa verbera (ut ferunt emortuum, vix hærentem gressibus foras traxerunt. Qui martyres dum ad locum mactationis accederent, invicem sese quasi ad epulas invitarunt. Et primoquidem reverentissimi Dei ministri Petrus, et Walabonsus ruentes, cæteri deinceps sub eodem jugulantur momento, (10) septimo scilicet idus junias, feria prima, æra qua supra. Quorum corpora stipitibus defigentes post aliquot [e] dierum va-
C stissimo consummarunt incendio, eorumque cineres perpendos flumini tradiderunt.

CAPUT V.

De Sisenando levita martyre.

Deinque levita sanctissimus Sisenandus (1) ex Pacensi oppido ortus, Cordubam intuitu discendi advectus est, ibique apud beatisssimi Aciscli basilicam, qua corpus ejusdem martyris requiescit, digniter enutritus, ut ipse familiaribus retulit, invitantibus se beatissimis Petro et Walabonso jam cœlo martyribus collocatis, martyrium quoque et ipse aggressus est. Qui dum in carcere religatus maneret, traduut quod prophetico illustratus spiritu, patibuli sui horam præscius nuntiaverit. Nam quodam die cum respon-
D sum cuidam amico se interroganti aptaret, eique reciprocationis schedam scriberet, tribus aut quatuor jam digestis versiculis, subito nimia hilaritate perfusus, cælesti quodammodo gaudio vegetatus, et loco sessionis suæ consurgens, astanti puero schedulæ portitori, cui miles Chriti reciprocari intendebat, semiscriptam, ut erat, accom-

[a] Per prostrationem et affixionem modum illum supplicii indicat, ait Papebrochius ad diem 5 junii, *quo hodiedum apud Turcas et Hungaros, rei proditionis, qualis censebatur Sanctius, extenduntur humi, transacto per corpus palo confingendi, cum eoque in altum erigendi in longam mortem et credule spectaculum, quod* impalationem *illi vocant.*.

[b] De senarii numeri mysteriis multa Joannes Tamajus Salazar in martyrolog. Hispan. ad diem 7 junii horum martyrum passionem commemorans. Ea nobis transcribere placuit in Scholiis, quando Papebrochius ad ea nos rejicit.

[c] Litteris incumbendi. *Meditationem* pro *studio* D. Eulogius usurpat hic et infra, cap. 10. Schott.

[d] Addimus *fuit* ex ipso Papebrochio ad eumdem diem, cum aliunde sensus imperfectus maneat.

[e] Suppleas hic *intervallum*, ut fecit Papebrochius ; vel lege *dies*, ut antea monuimus.

modans, multis audientibus ait: « Recede modo, fili, ne impetu satellitum opprimaris: quoniam jam potestas tenebrarum vinculis me extrahere præcipiens, nunc decollandum sibimet exhibebit. » Post hanc prophetiam immobili semper gressu ipso persistente, eodem momento vociferantes lictores adveniunt, eumque præcipiti furore ad locum, quo martyrium erat consummaturus, pugnis alapisque cædentes perducunt. Pergit Dei famulus lætantibus animis de corona victoriæ certus, qui ad cœleste convivium exhortantibus sanctis fuerat invitatus. Sic namque judici præsentatus, eadem qua prius constantia in sancta confessione perdurans, delicatus ephebus gloriosa morte peremptus est, atque inhumatus præ foribus palatii derelictus est, (2) septimo decimo kalendas augusti feria quinta, æra qua supra. Cujus ossa post multos dies, donante Deo, a quibusdam mulieribus inventa inter lapillos alvei, in prædicti martyris Aciscli aulam deportata reconduntur.

CAPUT VI.

Pauli diaconi Cordubensis, et Theodemiri monachi martyrium.

Sanctus vero Paulus [a] contribulis noster, el hic levita dignissimus, cum primo adolescentiæ flore venustaretur, e civibus Cordubensibus progenitus, simplex affatim, obediens, et humanus, semper carceratis opum miserationis impendens, apud basilicam (1) quæ corporis beati martyris Zoyli præsentia illustratur, spiritalibus enutritus est disciplinis. Qui exemplo sanctissimi Sisenandi verboque instinctus, principibus et consulibus assistere non extimuit, eosque de vanitate culturæ suæ, et scelerosi vatis insania arguens, Christum quoque Deum veraciter confitendo, peremptus est. Fertur tamen, cum adhuc carcere detineretur, imploratus a Tiberino Pacensi presbytero, qui ei ita dicebat: « Obtine solutionem meam coram Domino, beate minister, et digno interventu tuo, dum coronatus Christo perveneris, longævum a me carceris squalorem amove.» Erat enim idem sacerdos pene viginti annos ergastulo mancipatus, nescio ob quod crimen accusatus ab inimicis coram rege. Qui presbyter florentissima adhuc juventute præpollens, ac virili præditus venustate (2), illi subterraneo specui deputatus, pene decrepitus, et senio confectus inde eductus, publicis demum carceribus mancipatur. In his martyres Christi usque in horam mortis degebant: in his parricidarum, homicidarum, latronum, et scortatorum improbi ausus, et execranda temeritas, ac diversorum criminum rei sub arctissima macerabantur custodia: in his positus prædictus sacerdos, causam sui carceris beato Paulo commisit. Cui martyr sanctus de corona victoriæ confisus, satisfacere [b] optioni ejus promittens, non post multos dies martyrii sui, fidelis sponsor cum carcere absolutum, Deo fautore, propriæ urbi restituit. Consummavit autem Dei servus martyrium suum in pace (3) tertio decimo kalendas augusti, feria secunda, æra qua supra. Cujus cadaver inhumatum, et ante fores palatii derelictum, post nonnullos dies quorumdam fidelium curiositate clam sublatum, cum beati Theodemiri (4) Carmonensis monachi corpore, apud sanctuarium prædicti martyris Zoyli conditum est. Qui et ipse juvenis post sexta die, qua sanctus decidit Paulus, id est (5) octavo kalendas augusti, feria septima, æra qua supra, occubuit, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui sanctos suos adjuvit, et coronavit in pace in sæcula sæculorum. Amen. [c]

CAPUT VII

Nunilo et Alodia, virgines et martyres.

Hucusque finem libri secundi esse decreveram, hucusque terminum sanctorum ad hujusmodi palæstram currentium esse putaveram. Nec quemquam post tot discrimina Ecclesiarum nostrumque carcerem talia certamina opinatus sum aggressurum. Verum quia sanctorum numerum præsaga divinitas adhuc disponebat augeri talium professione, ideo postmodum quorumdam mentes multiplici ardore inflammans, plures prioribus ad illud destinavit certamen. Et simili quidem voto ac magnanimitate cæteros imbuens, viros, mulieres, et parvulos ad exercitium præliorum suorum armavit. Nec quisquam ad talem tantamque præscriptus militiam, resilire a certamine poterat. Cujus vocabulum cœlestis liber notatum a principio sæculi retinebat, suasque vires ad hujusmodi palæstram divinis ausibus crescere cernebat. Quorum nomina, ætates, gestaque bellorum suo loco ac tempore disponenda sunt. Prius autem illa sanctorum tropæa elucubranda sunt, quæ ratio (1) et cursus mensium ordinatim ut acta fuerunt adducit, licet in aliis regionibus gesta exstiterint. Sed quia una est confessio quæ utrosque coronavit, idemque tempus quod utrosque per feralem impietatem in cœlum præmisit; reor absurdum non esse, quod competens annotatio nostra sanctorum agminibus eos inseruit, et coelectorum cœtui adunavit. Ut pari magnificentia laudis a nobis attollerentur in terris, qui uno sunt annotati codice in supernis. Hac de re actum est, ut brevitas succincta hujus opusculi modum promissæ contiguitatis excederet. Et liber, qui dudum parcius se locuturum sperabat, aliis supercrescentibus ex improviso rebus, in longam devolveretur seriem scripturæ.

2. Igitur referente viro sanctissimo ac venerandæ

[a] Sanguine aut cognatione affinis, cum lib. I carne ipsum connexum dixerit; sibi fratremque Ludovicum eodem modo postea contribulem nominarit, lib. III, cap. 13. Quod etiam constat ex cap. 17 ejusd. lib. III cum S. Aurea a suis ut contribula invisitur. SCHOTT.

[b] Forsam *optationi*, si credimus Bollandist. ad diem 20 julii.

[c] Quam optime Henricus Florez, tom. 10 Hisp. Sacr., pag. 435, hanc vult hic subjici notam: Hucusque scripsit Eulogius ante finem novembris anni 851. Quod sequitur omne posterius est anno 853, et anterius 857.

paternitatis Venerio Complutensi episcopo (2) didicimus (3), in urbe Osca apud oppidum Barbitanum duas sorores virgines fuisse (quarum una (4) Nunilo, altera vocabatur Alodia) patre quidem gentili, matre vero Christiana progenitas. Quæ dum post mortem impii parentis, mater earum secundum et [a] gentilitium inire connubium, nec libere possent fidem Christi tenere, obstante cervicoso victrici paganismo (jam enim animi puellarum a pio Christi fonte irrigabantur); spreto materno cubili (5) nutritione materteræ suæ fidelissime refoventur. Illico earum sancta infantia Christo Domino cœpit fideliter adhærere, et paterni oblitæ ritus, Crucifixi religionem tenerrimis et sanctificatis mentibus reponentes, illibate custodire. Et quoniam natalium infulis præpollebant, summisque dignitatum facibus enitescebant, non potuit delitescere urbi illarum propositum, redolente ac relucente conversatione sanctæ fidei quam gerebant. Siquidem primævum adolescentiæ florem jam attigerant, et totam pene provinciam rumor sanctitatis earum impleverat: cunctique stupebant, geminum rosarum prosiliisse decorem ex vepribus. Hinc zelotypus hostis antiquus suorum membrorum dolens jacturam, dum per terrores præsidum invido arbitratu posse immutari jam præsignatas ad thalamum sponsi æterni confidit, dilatum præmium per mortes asperas accelerando, virginibus sacris adducit. Ideoque sanctarum virginum causam instantia satellitum suorum præfecto urbis insinuat, qui illico suis eas assistere obtutibus jubet. Quas vana promissione munerum illicere tentans, ac proinde de rerum copiis, et clarissimorum juvenum connubiis adhortatur, si ab hac religione Christi animos avocassent, propriis utique natalibus redditæ, insuper multarum divitiarum affluentia ditarentur. Si vero pertinaciori spiritu consultum præsidis conculcassent, in ultimo die excruciatione tormentorum addictæ, ad ultimum gladio vindice interirent. Cui beatæ virgines sancto Spiritu animatæ, constantes et intrepidæ sub una confessione dixerunt: « Quomodo nos, præses, a pietate Dei jubes avertere, quas pietas sancta suo lumine perlustrando fecit cognoscere nihil esse Christo ditius, nihil fide Christiana felicius per quam justi vivunt, per quam sancti regna vicerunt? Sine quo vita nulla est, sine quo mors perpetua viget. Cum quo manere, et in quo vivere, solatium verum est; a quo recedere æterna perditio est: a cujus consortio jam nos in hac vita nullatenus discedemus, quia ipsi integritatem nostram credentes, ejus quandoque thalamis speramus admittendas. Nam rerum labentium commoda, quibus nos illicere autumas, pro nihilo reputantes, eo intuitu spernimus, quia cognovimus omnia vana esse sub sole. Nec de pœnarum comminatione turbamur, quam ad modicum valere cognoscimus: quinimo ipsam mortem, quam ultimo terrore proponis, eo gratissimo exoptamus affectu, quo credimus nos per illam incunctanter ad cœlum ascendere, Christum adire, ejusque inconvulsibiliter inhærere amplexibus. » Quarum constantiam fidei præses virtutemque professionis advertens, quibusdam mulierculis profani ritus peritia præditis, sigillatim eas instruendas commendat, et terroribus quibus potest, ne alternis aut cujuslibet fidelium fulciantur colloquiis, admonet. Mulierculæ vero suscipientes virgines Christi, sacrilegi cultus quotidie venenosum dogma eis exponunt, ac pervigili cura cœlesti jam manna refectis cloacæ putrientis poculum propinantes, casso consumuntur labore. Sed hanc illarum pertinaciam præsidi referentibus mulierculis, post nonnullos dies virgines in forum eductæ, in spectaculum publicum constituuntur, et Christum confitentes, et hostem fidei detestantes (6), sub ictu gladii [b] corruerunt (7) undecimo kalendas novembris, æra qua supra (8). Quarum corpora loco, quo deciderant, derelicta, summo militum observantur studio, ne Christiani ad emolumentum patrocinationis furtim eas surriperent, et reconderent. Ferunt tamen quod illa virginalia cadavera in loco, quo ab ethnicis altis scrobibus magis abscondita quam humata sunt, signis et miraculis coruscant, et gloriam emeritæ consolationis virtutum efficientia tam fidelibus quam gentilibus ostentant. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit cum Patre et Spiritu sancto unus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

A

B

C

D

CAPUT VIII.

Vitam continet et passionem sanctorum virginum Floræ et Mariæ.

Consulto omittimus præsens caput illud inferius edituri una cum Documento martyriali S. Doctoris: cujus consilii rationem supra reddimus in monito nostro.

CAPUT IX.

Gumesindus Toletanus, et Servus Dei, Cordubæ passi.

Sanctus Gumesindus presbyter ex oppido Toletano olim cum utroque parente puer adhuc parvulus Cordubam veniens, votivo genitorum affectu per sacrum clericatus ordinem cœlesti ascriptus militiæ apud basilicam sanctorum trium (1), qua Faustus, Januarius, et Martialis martyres præsentialibus corporum suorum favillis quiescunt, digna pædagogorum educatione in Dei timore clarescit. Ubi post aliquod tempus in sancto diaconii ministerio consecratus, demum cujusdam (2) Campaniæ Cordubensis Ecclesiæ sacerdos adolescens præficitur. Inde ad urbem descendens cum beato Servo Dei monacho, qui tunc in supradicto sanctuario [c] adhuc juvenis cum Paulo presbytero reclusus manebat, principibus et judicibus ambo assistentes, sub confessione cæterorum occubuere idibus januarii (3), æra octingentesima nonagesima. Quorum corpora furtim a Christianis sublata, in basilica sancti Christophori martyris, quæ est ultra amnem in parte meridiana, religioso cultu exstant recondita.

[a] Schott. *gentilium.*

[b] Schott. *corruunt.*

[c] Sanctorum trium Fausti et Comitum templum intelligit.

CAPUT X.

De sanctis martyribus Aurelio, Felice, Georgio, Sabigothone, et Liliosa.

1. Fuit præterea (1) quidam juvenis, nomine Aurelius, natalibus et rebus plurimis antecellens. Hic in infantia matre Christiana, et patre gentili orbatus, tutela amitæ suæ fidelissime usque in annos adolescentiæ fovebatur, docebaturque Christum veraciter credere Deum; nec præter Ecclesiam salutis viam, et iter regni cœlestis alibi posse reperiri, imbuitur. Quod documentum venerabilis puer apprime ebibit, ita ut licet Arabica erudiendus litteratura traderetur cogentibus affinibus insontibus tamen præfixam cœlitus animis fidei sanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta immutare quiverunt sed corde semper christianismum suum retentans, cum ad solam derisionem [a] meditationi periturarum insisteret litterarum, eo amplius in amorem Christianæ fidei exardescebat, quo liquidius deliramenta perversi dogmatis probans, subtilem [b] dæmoniosi illius fallaciam advertebat. Et cum non posset publice cultum fidei gerere, ubique tamen Dei sacerdotibus sese commendans, pro se efficacius exorari poscebat.

2. Interea provehitur in annis juvenilibus strenuus adolescens, et florentibus genis, virili facies exornatur decore. Hinc adhortatione affinium condignum suæ nobilitati connubium appetere cogitur. Hinc unusquisque suorum, prout noverat, illius vel illius [c] optimam esse sobolem asserebat; ipse autem interius aliter ruminans, Christo sui connubii negotium committebat, crebris interventibus precum cœleste numen exorans, ut talibus præpollens votis conjux sibi daretur, quæ secretum suum in melius proficere contenderet, faveretque mente et corpore cultori latenti. Cujus favore tandem adjutus, reperit honesto germine virginem constipatam, rebus inclytam, moribus comptam, specieque pulcherrimam. Quæ cum præcipuo venustatis habitu extrinsecus decoraretur, præstantius tamen introrsus spiritali enitebat decore. Quia omnis gloria filiæ regis ab intus (*Psal.* XLIV, 14), id est in penetralibus mentis. Ibi enim sanctitate in fimbriis aureis, varietate scilicet amicta virtutum, Christum regi placitum exhibebat famulatum.

3. Hæc namque puella parentibus paganis progenita, adhuc cunabulis incubans, patre orbata est. Cujus genitrix alium virum ducens, [d] qui fidem Christi occulte retinebat, conjugem impietatis errore exstirpans, privignam Christo assignare studuit, eamque ex sacramento baptismatis [e] Sabigotho A appellans, licet publice paganis admiscerentur, gestabant vero animo firmiori utrique pietatis religionem. Hanc sibi puellam venerabilis juvenis, jure conjugalitatis asciscens, completis sponsalium titulis, arrharumque pignore alternanti in invicem exhibitione contradita legitima, ad ultimum ministerio sacerdotum ex more sacrantur, sicque pari commercio aliquo tempore clancule fidem Christi gerentes, non omnibus arcanum suæ fidei revelabant carnis infirmitate depressi, non diminutione utique voti.

4. Fuit autem beato Aurelio proximus genere vir quidam, nomine Felix sancta insuper eidem dilectione connexus, qui occasione diaboli in fide vacillans, cum postea lapsum prævaricationis suæ B altius suspiraret, ultra non potuit patulo congressu religionem Christi exercere. Qui et ipse filiam occultorum Christianorum, nomine Liliosam, in conjugem ducens, Christum in abditis tectius excolebat. Quapropter inconvulsibiliter invicem adhærentes, semper unam habuere familiaritatem, eamdem gesserunt dulcedinem, nec prosperis nec adversis casibus se disparantes, idem illis exstitit affectus; tantaque illa pietatis necessitas in utroque fratre perfectionem contulit charitatis, ut nec vita nec morte dividerentur, quos par religionis occasio glomeraverat, de quibus merito enarrandum est: Sancti, amabiles, et decori, quomodo in vita sua dilexerunt se in invicem, ita et in morte non sunt divisi (*II* C *Reg.* II. 23).

5. Exactis igitur non plurimis annis, accidit ut eo die in forum proficisceretur Aurelius venerabilis, quo Joannes ille (cujus in priori libro (*Num. 9*) meminimus) odio nominis Christi usque ad necem verberibus cruentatus, retrorsum asello evectus) immensoque vinculorum pondere coarctatus (2) ut in parte stramentum reclinaretur jumenti, qua ejus crura pendebant præcedentibus illusorum præconibus, totam circumendo urbem, satellitum ministerio ad spectaculum vulgi pertractus est. Et cum hinc inde voces exprobrantium resultarent, dicentes nullatenus dignam sui sceleris pœnam eumdem adhuc persolvisse, quippe quem tantæ reverentiæ vatem subsannatione impe- D tere non verentem, plectendum potius morte turpissima congruebat; exemplo futurus belliger amore compunctus martyrii, cœlesti quodammodo flamine aspiratur, ut illud pro se fieri spectaculum crederet, causaque admonitionis sibi fuisse ostensum, ne scilicet formidare deberet eos qui corpora trucidant, cum nihil anxietatis animabus pos-

[a] *Studio*, ut supr. cap. 4. SCHOT.

[b] Bene Sollerius notat hoc ad Mahometum referri, et apud medii ævi scriptores pro *dæmoniaci* usurpatum esse *dœmoniosi*. Qua de re vide, si placet, *Glossarium Cangeanum*, et Schotti animadversionem, supra in cap. 1, num. 4.

[c] Illius vel illius, *Hispanismus*. MORAL.

[d] Matrimonium inter virum et uxorem alterius religionis, ut supr. cap. 7, num. 2. SCHOTT.

[e] Sabigothonem, quam semper Nataliam appelant alii, ut Usuardus, Surius, Baronius et quique passim auctores exteri, binomiam fuisse recte suspicatur Henricus Florezius, tom. X. *Hip. sacræ*, credens Nataliæ nomen eam habuisse a nativitate, Sabigothonis vero a baptismate, sicut hic indicat Eulogius. Bollandistæ Sollerio visum est ferire nonnihil Sabigothonem nomen Christianum. Quicumque vero historiam nostram attente legerit, facile animadvertet Baddonam, Liubigothonem, Baldegothonem feminas Christianas ipsa nomina Gothica etiam post baptismum absque ulla offensione retinuisse.

sint inferre, sed illum potius pertimesceret qui potest corpus et animam perdere, et mittere in gehennam (*Luc.* xii, 4). A

6. Cujus fidei stabilitatem admirans : « Vere, inquit super angelicam petram tabernaculum credulitatis hujus viri fundatum est, quod tanta vis tormentorum non impulit, nec labilium pœnarum aura concussit. Quod si qui vexillum Christi revelatis gerit aspectibus, tot seria cruciamenta zelo Redemptoris sustinuit, cum utique cladem illius supplicii prævaricando posset evadere, et melius carnis suæ jacturam quam perniciem animæ judicans, non se passus est sub unius vocis articulo a Christi religione abstrahere ; quibus me ego dignum conviciis credam erudiendum, vel quo me arguendum supplicio debeo tradere, ut vigorem B illius damnati quem hodie intuitus sum capiam. fruarque constantia ? »

7. Hæc dum crebrescentibus supernis jam vocationis suspiriis ruminare animo cœpisset regressus domum, retulit piæ sodali cuncta quæ viderat, lætoque spiritu addit : « Tu semper, dulcissima conjux, cum ego mihimet viverem, et Deo mortuus essem, sedulo me adhortata ad confessionem trahebas; instabas quotidie me sæculi voluptatibus nitens avellere: tenebrosis mundi affectibus felicitatem æterni regni præferebas; labentia cuncta, et omne quod fine arctatur, suadebas relinquere; prædicabas monachos, mundum renuntiantes laudabas, religiosarumque conversationem oblectans, vitam sæpius suspirabas sanctorum. Sed C ego necdum supernæ gratiæ compunctione lustratus, omnino salutaribus non poteram acquiescere hortamentis; aut forte correctionis meæ præfinitam a Deo Patre nondum insistens admonitionem, differebam operibus exsequi, quod licet tenuiter, animo meditabar. Ecce jam nunc, charissima, tempus acceptabile venit: adsunt dies salutis, in quibus a retroactis et exterioribus resilientes, in id quod in ante est nos extendamus. Et primo omnium munditiæ et continentiæ perfectius studentes, vacemus orationi, quo facilius ad reliqua sanctitatis industria properemus. Fiat nunc soror, quæ exstitit conjux: in affectu germanitatis torus nostræ conjunctionis pertranseat ; proficiant sobobes animarum ; subcrescat spiritualium generatio, et spreta glutinatione membrorum cœnosa, noverit mens præstantius (adempta carnis delectatione) perpetuæ incolumitatis producere germina. Ut quoquo modo condigni martyrii præmio habeamur talium meditatione laborum. »

8. Suscipit lætantibus animis venerabilis mulier pium viri consultum, gaudensque multipliciter in subitatione insperatæ salutis : « Hæc est, ait, immutatio dexteræ Altissimi ; hæc sunt jam nostræ vocationis auspicia ; hæc sunt quæ semper optabam, æterni regis commercia ; ut carne morientes vivamus spiritu, quo illi facilius uniamur de quo scriptum est : *Spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* iv, 24). Quamobrem, domine mi, quia hoc tibi non humanitus revelatum est, sed Pater cœlestis te olim ad æternam præscriptum militiam, concitis vult jam gressibus properare, cunctis nos vinculis absolvamur, excutiamur a pulvere, desiderio vitæ perennis surgamus. »

9. Fit itaque utrorumque communis in Dei servitute assensus. Dividuntur cubilibus, votis conciliantur. Præfulgent lectuli fulcra vestium colorumque varietate, qua suam conversationem vulgo celarent. Illi autem in interioribus angulis tabernaculi super structum crudo [a] latere torum, hispidis tantummodo instructum ciliciis, dispares [b] incubabant. [c] Jejunabant sæpe ; sine intermissione orabant, et quoscunque voverant psalmos, noctu meditabantur. Vincebant tenebrarum chaos interjecto vigiliarum labore, omnemque dæmoniorum fraudem talibus evincebant studiis. Ministrabant egenis, curam pauperum omnino gerebant Et quoniam adhuc jam dictus Joannes carcere detinebatur, nos quoque ex antro educti his vinculis detinebamur ; utraque etiam virgo, Maria scilicet et Flora, tunc feminarum [d] latibulis causa fidei incolebant : aderat frequens eorum erga

[a] Hispanismus pro *nullo strangulo* aut *veste strato*. Schott.

[b] Scorsum alter ab altero. Id.

[c] In Surio legimus multa hoc loco interjecta, quæ in omnibus editis, et in Ms. nostro desiderantur. D Cujus codicis auctoritate nitantur, ignoramus : digna tamen putavimus quæ lectoribus exhiberemus. Itaque narrationem hoc modo prosequitur Surius: *Quod divortium sancti propositi divino est tali decoratum miraculo : Quadam nocte, cum in hujusmodi stratis membra quieti dedissent, jam noctis medio esse subito videt venerabilis mulier agmen candidatorum, patentibus foribus, in domum suam ingredi. Quæ turba cœlestis, dum pavimentum linteis niveo candore micantibus sternit, sole clarior simul inducitur splendor ; dehinc post paululum, subsecutus juvenis incomparabili nitore redimitus, quem nemo sine multo terrore humanis oculis intueri posset, accessit ad torum nobilis Aurelii, muniensque illum signo crucis undique, dixit ibi quædam solemnia verba, quæ illa professa est præ nimio metu se intelligere nequivisse. Postea vero ad Nataliæ stratum accedens, celebravit eadem, pariterque cum ipso splendore recessit. Nos quidem, juvenis tanto stipatus obsequio, quis fuerit lectoris arbitrio censendum relinquimus : non tamen absurde ille qui in suo sancto Evangelio promittit : Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine ipsius, ibi se fore in medio eorum* (Matth. xviii, 20), *suos milites ad tantum agonem destinatos visitasse intelligitur. Si quis autem, quod minime credimus, hoc fabulosum autumaverit, sciat testem esse Conditorem omnium et arbitrum, ita me ab illis accepisse, qui se illam hæc eadem sæpe audisse narrantem dicebant. Testabatur etiam eadem Christi electa, quia viderit nuper domum penetrari eamdem a turba monachorum dicentium :* Ecce venit Domina, ecce venit Domina. *Cumque hæc loquerentur, illico successisse quamdam virginem, inæstimabili specie cultuque vestium nimis vernantem. quæ confestim adiens virum ipsius, arrisit ei, hincque recessit. Hanc fatebatur Genitricem Domini nostri Jesu Christi fuisse, quæ semper castitatis amatrix, cunctos hujus gratiæ sectatores adjuvando circuit, foret, ac blande amplectitur. Igitur his tam magis rebus animati, non elationis permoti sunt stimulo, sed magis ac magis in Dei servitio fervebant.* Jejunabant, etc.

[d] Mallem legere, *latibula*. Soller.

compeditos discursus, ex eo videlicet tempore quo beatus Isaac monachus, seu cæteri sancti, qui præditam veritatis præconio linguam, principibus et judicibus confessuri, quæ vera sunt, astiterant, et propter eamdem veritatem occubuerant. Quorum constantia perdurabili, multiplici virtutum robore horum auctæ sunt vires. Nam ille viros perlustrans, illa suis retentas claustris feminas requirebat.

10. Ibi ego eum agnovi: ibi amicitiam ejus adeptus sum, ibique se a nobis institui deprecatur, quid agi deberet tam de rebus quam de gemino pignore, quod Deo donante acceperat. Si liceret tales destitui, quas utique post necem suam profano tradendas ritui altius condolebat; vel si illam divitiarum copiam protinus fisco agglomerandam, inordinatam relinquere congruebat. Cui cum omnia intuitu regni cœlestis, et causa retributionis æternæ non solum relinquenda, verum etiam fugienda fore censerem, potissimumque suarum potius animarum quam liberorum esse commodis consulendum, quibus utique Christus vindex, pater et tutor est: nihilque prorsus rerum temporalium præponi debere desiderio Redemptoris, seu fruendi sanctorum consortio docerem; confestim subjunxi: « Si provida facilitas suppetit, qua hæc omnia, magistra intercedente discretione, ordinentur; utile primo judicamus sobolem tutiori loco transponi, ubi Christo liberius assignetur; rebus quoque juxta mandatum Domini venditis pauperibus erogari, quo expeditior vobis pateat deinceps post Christum ingressus. Sic denique Veritas sancta sciscitanti se juveni quatenus vitam æternam possideret: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus: et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlis* (*Matth.* XIX, 21). Sed etsi pars aliqua in [a] stipendium relinquatur infantium, culpabile esse non poterit, quod multa Patrum insinuant documenta. Ideoque si ad hanc dispensationem potestis attingere, optima res, et perfectius opus est, quod vos, omnibus expeditis negotiis, securius ad militiam cœli ire compellet. Sin vero quorumdam difficultatum repagulis oblatrantibus, hæc dispensatio revellitur, et nulla interest libertas, qua hæc indulgentissime suppleantur, præsertim cum magis ex aliquo perturbationes emergere formidatis, quæ vestræ intentioni obsistant; non cunctandum est spernere patrimonium, quod multo melius et latius in cœlo, quo vos uitimini proficisci, reperitur. Non filiarum affectus societati sanctorum est præponendus, cum et illas potest Deus in sæculo enutrire, qui compactavit in utero; siquidem ei provida de omnibus cura est. Non omnes parvuli parentum industria refoventur, nec cunctæ proles nutritio educantur labore. Nascitur homo, orbatur in cunabulis solatio genitoris, non tamen Creatoris gubernaculo destituitur, qui est pater orphanorum, et judex viduarum. O quam multi parvuli nutricum cura delicatius educati, in deteriora deveniunt! Quam plures pupilli ab horribili egestate in magnarum affluentiam opum excrescunt, et fiunt multarum Domini rerum, qui vix pauperrimo pane provecti sunt. Multi ex Christianis progeniti, præpediente deliquio, Ecclesiæ membro privantur; et nonnulli filii paganorum, præveniente gratia Domini, ad redemptionem fidei salutaris recurrunt. Nec istis sacrilegium obest parentum, nec illis prodest religiositas genitorum: cum et hi a fide recedentes Deo alienantur, et illi credentes in Christum (per quem justi vivunt) eripiuntur diabolo, perenniter Deo cohærentes. Cujus rei testis est Dominus, qui in Evangelio protervam Judæorum arguens vanitatem, ait: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a futura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 7 *et seqq.*) Et iterum: *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum: filii autem regni projicientur in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium* (*Matth.* VIII, 11, 12).

11. Instructus igitur venerabilis juvenis quomodo processum martyrialis prælii meditaretur, vinctorum se precibus solatiandum implorans, animo lætiori in pace discessit. Et cum nos sæpius idem, quandiu illa horribilium claustra carcerum habuere, non desisteret visitare, frequenter tamen prudentisima Sabigotho latibulum illud feminarum, quo sacratissimæ virgines Flora et Maria, detinebantur, noctu quasi una e compeditis incoluit, ut vel consolaretur certantes, vel se affectui commendaret certantium; imo potius ut pugnandi pro Christo rege usibus [b] imbueretur, haberetque consuetudinem præliandi. Instabat precibus, obsecrationibus laborabat, ut memores sui existerent, adepto post triumphum sponsi consortio, quo saltim effuso cruore cœlum ingredi mererentur. Dant illico fiduciam hoc præstandi beneficium sanctæ virgines, quæ suas noverant in nullo [c] repugnari post victoriam preces, nec poterant commilitonibus quidquam negare, quæ se non dubitabant audiri.

12. Dum ergo ancilla Domini Sabigotho, proxime post martyrium virginum, infra domesticos parietes Christo servitutem mimus suspecta persolveret, fessoque exercitatione vigiliarum corpori consulens, paululum quievisset: ferunt, utramque virginem, Mariam scilicet et Floram, niveis amictas cycladibus, diversarum ligustrium manibus gestantes manipulos, cum choro sanctorum phialas palmis gerentium (quibus, ut puto, orationes eorum, qui ad prælium venerant informari, in conspectum Domini ferrent) omnes cælestium luminariorum claritate fulgentes, eidem per somnium astitisse. Quas cum illa, ut arbitrabatur, [d] sediliis se reclinari humil-

[a] Pro *victu quotidiano*. SOLLER.

[b] Vult dicere, inquit Sollerius, *experimentis edocta certare disceret*, quod etiam infra recurrit.

[c] An non melius *repugnare*? ID.

[d] Hic *sediliis*, inquit idem, supra *ligustrium*, infra *deflorate* pro *exponite*, et plura hujusmodi sæculo isti condonanda sunt.

lima supplicatione optaret, territa majestate cœlicolum, vix tenui allocutio aggreditur, dicens: « Quam fiduciam olim præmissæ obsecrationis, vobis in carcere, o sacratissimæ virgines, me habere jubetis? Et si votorum meorum commodis potitura sum, gratissimis deflorate responsis; ne frustra currentes, in vacuum decidamus; ne vires nostri conatus vano consummantur labore, dum aliud intentio quærat, aliud merita expetant. Quia cum Deus plus meritis quam precibus faveat, novit tamen idem abdicare congeminationem precaminum, quam non juvat dignitas meritorum. Idcirco, dominæ meæ, sponsæ Christi, si hactenus sustinendi præmium sponsionis vestræ spes nobis fida subsistit, enarrare jubete: quo promptius ad superna tendamus, quo validius in certamine roboremur. »

13. Tunc eam sanctæ virgines cœlestium diffusione gratiarum afflatibus præditis demulcentes: « Commoda, inquiunt, vestri laboris in æthereis reposita, tempore necessario vobis metienda, servata sunt. Nec labetur præscriptorum merces ad prælium, quod cogit athletas invictissimos ire ad regnum. Martyrium denique vobis a constitutione mundi divinitus præfixum, et prædestinatum est. Quod vos post paululum impleturas, congruit felicioribus solito sanctitatis studiis insistere. Quapropter libamina sacerdotum laboribus vestris asciscite; suffragia implorate sanctorum; ubique vos precibus servientium Christo committite; votivo veneranda Dei sanctuaria discursu incolite, et omnium religiosorum inquirite obsecrationes. Quia quamlibet præscripta vobis quandoque futura sint præmia, per hanc tamen industriam veluti quibusdam gradibus innitentes, tantæ bonitatis arcem vos verum est posse contingere, nostrumque sermonem hujuscemodi certum esse; indicio contestantes, instanti vobis certamine, adhæsurum contuberniis vestris cœnobitam [a] nostrum mittemus, qui vobiscum palma potiturus martyrii cœlitus ordinatus est. »

14. Post hanc visionem oculis intuentis abductam, vehementius tantæ rei miraculo beata Sabigotho ad perficienda bella Domini concitatur. Quæ mox hilarior e somno exsurgens, auget opera sanctitatis, fragilem ad pugnam erigit sexum, supernoque munere vires ad certandum corroborat. Hinc jam fiduciata spe firmiori virum informans, omnino terrenis exui edocet, quoniam a principio mundi cœlestibus dedicati militiis, continuo post victoriam cœlicolis admiscerentur.

15. Hinc magis magisque fruendi Redemptore, et collegis sanctis ignito desiderio conflagrati, natorum postponentes affectum, spernunt quidquid mundialis peritura species continet. Omnia distrahunt, vendi- A ditant universa, quo liberiores in assequendo Christum existerent: ex quo pretio quidquam infantulis relinquentes, totum aliud stipendiis applicant egenorum; virorum ac mulierum visitant monasteria, præcipue tamen Tabanense cœnobium, de quo sæpius memorabimus, quia summis monasticæ regulis disciplinæ cunctum honestæ famæ rumoribus illustrabat Occiduum. Inde athletæ fortissimi hauriunt documentum; inde instituta percipiunt; ibi se poculo vitæ perennis ingurgitant; ibi sanctissima Sabigotho frequenter cum ancillis Dei moratur; discit ibi totius sancti timoris industriam; ibi geminum pignus sub beatarum tutela constituunt.

16. O stupenda mundi renuntiatio, et admira- B bilis ardor divinus, quo filiorum affectus respuitur, quo opum affluentia repugnatur, quo proximorum dulcedo refellitur, quo mors pro vita eligitur, quo labentia cuncta contemnuntur, quo intuitu æternæ felicitatis vincla, cædes, cruces, carceres, verbera et tormenta pro summis habentur deliciis! Una siquidem filiarum octennio, lustro altera ducebatur. E quibus ego post necem parentum minorem reperiens, vix tenerrimo ore facundiam exprimens, me [b] infantissime abhortatur, ut genitorum gesta scriberem proderem actus, elucubrarem tropæa. Et cum propter hoc quid ab ea beneficii præstolarer, exquirerem (mira dicturus sum, tantillam ætatem talia quivisse in promptu advertere, nisi forte credendum sit, C quod ab illo imbuebatur interius qui ex ore infantium, et lactentium perficit laudem suam [*Psal.* VIII, 3]): Impetrabo, inquit, pater, tibi a Domino paradisum.

17. Verum quia competenti occasione, gratia disserendi parvitatem infantularum, paululum ab ordine directo recessimus, quo rem scilicet postnovenum martyrii eorum mensem patratam subjungeremus, nunc ærumnosæ et sub mundanis adhuc molestiis laboranti inseruimus historiæ. Non nos obinde fraterna infamare debet reprehensio, unde culpabiles argui non veremur a Domino Nec obstat ultimo, an priori, mediove loco veritas disseratur: quandoquidem veritatis assertor nullatenus benedictione privatur. Idcirco e vestigio D repedantes, ad reliqua beatorum studiosius gesta referenda curramus.

18. Cum ergo intenti cœlestibus, omni tempore vigiliis, orationibus, eleemosynis, et jejuniis incumberent (frequenter tamen superno sidere in cubiculo suo, quo ista meditabantur, respersi sunt, adeo ut illapsum jubar æthereum omnem præsentis speciem luminaris interpollans, horridum esse chaos sui comparatione autumari compelleret); divinis sæpe revelationibus eriguntur: fruuntur colloquiis ange

[a] Georgium intelligit. Ita recte Schot.

[b] Sic ediderunt Morales et Schottus; sed Sollerius *instantissime* legit. Infantium *infantissimus*, dixit Paulinus Nolan. epist. 12 (*Al.* 21), n. 5, et *infantissimum* se Prudentius nuncupat in hymno Romani martyris, quam vocem *ineloquentissimum* magistri lson in Glosss acct. Verum nec Paulini necm logii (si ita scripsit) hæc esse mens videtur. Quan brem in *Glossario Cangeano* alium sensum h voci aptari oportuit, satim ad exponendam m en m Paulini.

lorum, lætitia cœlicolis mente et spiritu adunati, A non sine gravi molestia corporale onus ferebant. Quodam namque die cum atrium (3) serenissimi præceptoris nostri [a] Alvari toto in Scripturarum scientia Occiduo laudati, gratia collationis mutuæ, nostraque alternanti propositione mentem erudiendi in Scripturarum problematibus, petivissem, reperi coram eo militem Christi Aurelium, consultum agonizandi quærentem, et quatenus arriperet martyriale auspicium implorantem. Quem idem doctor egregius, et temporis nostri fons sapientiæ profluus, Patrum exemplis instituens, jubet primo constantiæ vires perpendere, secretum suum advertere, considerare arcanum, et utrum imminentia magis nosset ferre, quam declinare supplicia, ultimo excepturus delicatis cervicibus B gladium : etsi magis merita martyrum adipisci, quam vocari martyr contenderet, etsi magis terris ignotus, florentibus cœlo meritis catalogo electorum sese allectaret describi, quam in supernis diminuto præmio, famosum temporalis martyrii anhelaret nomen habere.

19. Tunc ille se usque ad mortem dimicaturum spondens, nulla prorsus vi tormentorum intentionem suam superandam esse fatetur. « Mihi, mihi, inquit, maximum vitæ solatium Christus est, et mori lucrum. Cui terrena conversatio teterrimæ noctis caligo est, et memoria transitus mundialis perpetuæ lucis odorem aspirat. » Fit commune deinceps gaudium causa nostri adventus : de alterno admodum intuitu lætamur. Credimus inte- C resse consilio nostro Verbum Patris Altissimi, qui ubique nomini suo dicato collegio se illabi testatus est, dicens : *Ubicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII, 20). Et cum plura suo agoni competentia referremus, idemque gratissimis animis nostrum exciperet documentum ; satis, ut reor, collatione nostra juvatus, continuo bella Domini initurus, ad propria regreditur.

20. Beata vero Sabigotho nonnullis ante passionem diebus dum sola domo resideret, Christumque ob perfectionem martyrii sui, quibus posset [b] quæstibus obsecraretur, subito astare sibi miræ pulchritudinis virginem cernit, angelico vegetatam decore, primum, ut putabatur, adolescentiæ florem gerentem. Cui cum illa diceret : « Tu quis es filia ? Et si e vicino accedis, causas tui adventus edissere. » Protinus spectabilis virgo : « Soboles, inquit, amici vestri Montesis sum, quam tu mundialibus ærumnis scis olim exemptam, quamque eadem hora, qua supremis vexabatur angustiis, priusquam propius visitares, reperisti exanimem. Et cum te ego sæculo pene cleminata non novissem, ipso tamen obitus mei momento quis esses, Domino revelante, agnovi : et nunc, eo mittente, prævia nuntiatrix palmæ tuæ accessi. Instat namque jam vobis tempus exsequendæ victoriæ ; adsunt dies publice profitendi fidem catholicam, hostemque repellendi teterrimum. Quibus sedatis litibus, cœlorum penetralia vos coronandos assument, perpetua deinceps pace fundatos. »

21. Igitur scrutans cor suum venerabilis femina, secumque meditans eloquium assistentis, confestim revoluta memoria, rem gestam agnoscit, et priusquam grates evangelizanti sibi puellæ referret, labitur a conspectu ejus illa virginalis species ætheris nuntia, et præco sui martyrii. Fit læta tali præconio ; animatur cœlesti oraculo ; et tanto spe firmiori ad prælium excitatur, quanto sese patratæ actionis veritate cernit informari.

22. Verum ut magis magisque scopo prædestinationis suæ intenderent, essentque non dubii de mercede reposita, sive ut sanctarum virginum impleretur edictum ; octonis ante suam captionem diebus, dudum promissus ille confessor contuberniis eorum asciscitur, et inconvulsibiliter his quodammodo alligatus, felici martyrio omnes sub uno momento pariter coronantur. Idcirco congruum judicavimus, ejusdem monachi rationem, quia optio intercessit, exponere ; et quod vehementi admiratione ætatem nostram ejus causa concusssit, succiduis quoque generationibus opere dignum relegenda mandari : ut in eo catholicorum religiositas incremento fidei augeatur, in quo sui Redemptoris oraculum speciali quodammodo cernit esse veritate impletum. Prædixerat quippe magister noster et Dominus quod multi ab Oriente et Occidente venientes, recumberent cum Abraham, Isaac, et Jacob, in regno cœlorum (*Matth.* VIII, 11). Quod testimonium revelatis contuemur effectibus in ipso monacho atque levita Georgio omnino perfectum.

23. Huic rus Bethleemiticum ortum, et incolatum æthereum peregrina littora contulerunt : hic, inquam, vir ultra maria procreatus, ab adolescentia servitute Dei oblectatur. Viginti et septem annos apud (4) monasterium sancti Sabbæ, quod ab Ilie-

[a] Haud mirari non possumus, Cl. Sollerium adeo hic lapsum fuisse, ut post *Alvari* adderet *Tovari*, divinans hanc vocem esse Alvari appellationem adjectitiam, seu cognomentum. Erroris causam planissimam aperiamus. In editione Francofordiensi *Hisp. Illustr.*, desinit pag. 272, in Alvari prima syllaba *Al-*, reliquas excipit pagina subsequens, cujus est initium *vari toto in Scripturaram scientia*, etc. Illi autem syllabæ *Al-* subjecta est vulgaris illa typographorum nota, quæ apud nos dicitur *reclamo*, principium scilicet paginæ subsequentis, quo admoniti in compingendis paginis omnem errorem effugiant. Erat autem hoc loco prædicta nota *vari to* quam Sollerius una cum historiæ contextu perlegens, illa confecit verba : *Alvari Tovari, toto in Scripturarum*, etc., in quo cognomen Alvari sibi visus est reperisse, in Hispania satis notum *Tovar*. Jam vero antequam hinc abeamus, etiam animadvertimus, perperam ab ipso Scholia Moralis nostri ad Acta horum martyrum Andreæ Schotto attribui ; recte vero notari superfluam esse explicationem vocis *collatio* pro *colloquio* aut *conversatione*, a Moralesio paulo post adhibitam, utpote in re minime obscura.

[b] Pro *lamentationibus* aut *querelis*, unde vulgare nostrum *quexa* extractum. SCHOT.

rosolyma in parte Australi octo milliaribus distat, A cum quingentis (ut ipse nobis ore suo professus est) qui in eodem cœnobio morabantur fratribus adunatus, sub regulari magisterio deguit. Quem venerabilis abbas David, ejus ascisterii tunc procurator ob [a] stipendium monachorum Africam mittens, is nullo modo tot interjacentia terrarum mariumque distulit subire discrimina, quibus utique incunctanter commodum summæ virtutis obedientiæ noverat promereri. Sed cum ibidem vapulare asperius Dei Ecclesiam incursatione tyrannorum reperisset, Hispaniam quoque eorum, quibus missus fuerat consultu, aggreditur. Erat enim, ut ipsi de eo certissime approbavimus, summæ humilitatis, magnæque abstinentiæ vir. In omni eloquio suo, dicto, atque responso timor Domini re- B sonabat ; ocius semper de puro cordis fonte charitatem exhauriens, favum dilectionis promebat. Prædicabat cœlestis desiderii requirendam esse compunctionem ; mortificare cum vitiis et concupiscentiis membra jubebat, ut in adventum Domini recidivo virtutum animata vigore, gloriosiora cum ipso apparerent. Ita sobria præditus sanctitate justus videri, vel dici nimium recusabat. Jucundus admodum, hilaris, modestus, et abstinens, sic utebatur mundo tanquam non uteretur. Et cum forte fraterna impetrante charitate cibum sumere cogeretur, epulabatur parcius, bibebat sobrie, ut magis abstinentem judicares quam vescentem. Merum aqua tandiu temperabat, usque dum color inficeretur, sapor abesset. Insipidus namque ille C gustus (ita referebat) nec bibere nimium, nec temulari convivam patitur. Crebrius ad exorandum currebat, vigilabat attentius ; sæpius corde divinum carmen meditabatur, dicebatque : *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo (Psal.* XXXIII, 2). Et cum variis linguis peritus exsisteret, Græca scilicet, Latina, atque Arabica, nec qualemcunque saltem propter has gloriam affectavit. A die qua monasterium petiit, et cohortibus monachorum accitus est usque ad coronam martyrii sui (ut ipse quibusdam secretius retulit) nec lotus aqua, nec balneis usus est. Quandiu nobiscum conversatus est, nulli omnio ordinem suum revelavit, nisi cum jam carcere detineretur.

24. Commentatus est fratribus, ac propinquis D suis, cunctisque patriæ suæ civibus (5) martyrii sui breviarium, quod mihi causa expoliendi transmisit; ne incultior sermo fidem rei gestæ, quibus mittebatur, adimeret. Ibi in principio dictionis suæ, monachum se atque levitam fore testatus est. Verum quid opus est sermonem in longum protrahere ? Quasi non summam reverentiam vitæ hominis Dei martyrialis cruor adhibeat, præsertim cum quantus et qualis exstiterit effusus propter justitiam Dei ipse ejus martyrialis cruor insinuet, et quod peregrinus mundo peregrinam non renuens sepulturam, omnem penitus genitalis soli, affinium que affectionem repulerit ? Aut quæ potius laus militem Christi extollet, quam pro Domino mortem, pro vita animam, pro crucifixo cruorem dedisse ? Ut ipsum esset redhibitio famuli, quod exstitit victoria crucifixi.

25. Quomodo autem beatus minister cœtui sanctorum agglomeratus fuerit, melius ore ipsius sancti Georgii credimus posse innotescere, quo vel nostræ dictionis series, interposito martyris eloquio, quasi desuper benedictionis sale condiatur, vel præstantius commercium suæ connexionis cum cæteris sanctis eodem narrante addiscatur. Nam et ipsis diebus, quibus una cum sanctis habuit conversationem, sua ac prædictorum martyrum gesta brevi satis stylo exponens, ultimo nobis comprobanda direxit. Ex cujus dictis ea huic operi inserenda curavimus, quæ ad insinuandam eorum conjunctionem satis esse prævidimus. Cætera vero, quæ post defectum sermonum servi Dei sequuntur, nos obtentu, quo cœpimus, indagavimus. Inquit autem hoc modo :

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Universæ catholicæ Ecclesiæ a me indigno et peccatore Georgio monacho necnon et diacono, fratre et collega servorum Dei filiorum sancti Sabbæ quingentorum virorum perfectam in Domino Jesu Christo salutem. Cognoscite, o fratres charissimi, introitum meum in Hispaniam nihil aliud fuisse, nisi gratia stipendii vestri requirendi, qui sub arctissima regula, et regimine sancti patris David Hierosolymis degistis. A quibus Africam missus, deinceps in Hispanias commigravi. Sed hanc ipsam [b] [c] insulam [d] nimis afflictam reperiens, cœpi cogitationibus variis æstuare, ut aut proprium solum reviserem, aut regna Christianorum, id est Franciam peterem. Et cum proximos et charissimos super hac re consulerem, nonnulli peragrare jubebant, plerique ad cœnobium meum revertere cogebant. Hinc velut dubius diverso præpeditus tractatu, cui me primo cogitationi submitterem, nesciebam. Pergens autem de Corduba ad Tabanense cœnobium, quo fratrum et sororum benedictio iter meum comitaretur, dixit mihi abbas ille Martinus, et soror ejus domina Elisabeth : Veni, frater, et accipe benedictionem ancillæ Dei Sabigothonis. Quæ mox ut me intuita est : Promissus (inquit) nostri certaminis comes et collega hic monachus erit.

26. « Ego vero agnita causa ejus, et ratione comperta, illico pedibus ejus advolutus, pro me Dominum exorare rogavi, ut forsitan spiritus sancti respectu illustratus, ad ea quæ illa præstolabatur, pervenire meruissem. Et illa : Unde hoc nobis (inquit), pater, ut tu cum peccatoribus pergas ? Cumque eadem nocte ibidem mansissem, apparuit mihi in visione noctis ipsa venerabilis mulier Sabigotho, et

[a] Recte Sollerius : Non video intelligi aliud posse quam *eleemosynas* ad monachorum sustentationem, quæ hic *stipendium* appellatur.

[b] Quod per mare ex Africa in eam trajecerit, ita vocat. SCHOT.

[c] Catacrisis illorum temporum est, quales aliæ pleræque. MORAL.

[d] Soller., *minis*.

nescio quod genus odoramenti pretiosissimi ligni A accommodans referebat. Ditior ex hoc mihi thesaurus est. Mane autem facto, descendimus ambo in civitatem ad virum suum Aurelium, prostravique me pedibus ejus, petens ab eo ut oraret pro me, quod illis in martyrio socius essem. Qui statim præbens assensum, exarsit in me ignis cœlestis per orationes eorum, et factus sum unus ex illis; et ex tunc non sum ab eis separatus, sed omnes pariter in domo sancti Aurelii congregati [a], reddimus Domino cum jucunditate vota laudationis. Ibi apud illos reperi beatum Felicem cum conjuge sanctissima Liliosa, qui et ipsi jam omnia sua vendiderant, et locis sanctis, seu pauperibus erogaverant, parati omne genus tormentorum propter Filium Dei et dilectionem ejus suscipere. B Eadem hora, exivi ab eis, et causas, quibus præpediebar, in omni festinatione composui. Et sic demum valde jam roboratus, ad eos reverti. Qui læti et exsultantes de reditu nostro, gratias Deo referunt, dicentes: Scimus, frater charissime, quia Dominus te misit ad nos.

27. « Post hæc omnes in communi cœpimus cogitare quomodo ad desideratam perveniremus coronam; et ita Domino dispensante visum est nobis, ut pergerent sorores nostræ (6) revelatis vultibus ad ecclesiam, si forte nos alligandi daretur occasio, et ita factum est. Nam revertentibus de ecclesia mulieribus, quidam præpositus obvius adstans, cum causam religionis agnosceret in feminis, illico [b] viros interrogat, quid sibi vellet ille C recursus feminarum ad sanctuaria Christianorum? Qui responderunt: Fidelium mos est ecclesias visitare, et atria venerabilium Martyrum pio devotionis affectu requirere. Unde quia Christiani sumus, ideo nos ipsius fidei gestare vexillum profitemur. Statimque judici delator accedens, omnem rationem nostram coram eo dolosis linguis proponit. Post hæc vadit dominus Aurelius filias visitare, quibus pacis osculo valedicens, cœlesti virtute armatus ad prælium festinavit. » Sed hic jam sanctus Georgius stylum compescens, nos quæ restant, ut oecœpimus, prosequamur.

28. Ipso postea die, quo se beatus Aurelius noverat comprehendi, priusquam auroræ crepusculum respiraret, domo nos gratia valedicendi D revisens, precatur pro se Dominum exorare, suique agonis fautorem per nos fraternam fieri charitatem expostulat. Ibi nos illi commendavimus. Ibi patrocinium suum pro nobis et pro omni Ecclesia fieri (7), osculatis manibus ejus, impetravimus. Post hæc datis invicem osculis, separamur in pace.

29. Igitur cum prolatam adversum Dei sanctos judex quæstionem intenderet, sciretque auctorem hujus rei esse Aurelium, graviter ex hoc interius vulneratus præcepit eos quampropere suis conspectibus exhiberi. Tunc milites rapido cursu domum beati Aurelii occupantes, qua omnes sancti collecti manebant, præ foribus clamare cœperunt: « Exite, miseri; exite cominus morituri, quibus vita præsens tædium est, et mors pro gloria computatur. En judex vocat, instat decretum ultionis effundere; conterere vult recedentes a cultu, rebellia paratus colla præscindere; pergite vos modo jam debitum mortis exsolvere, et commissæ prævaricationis pendentem sententiam. »

30. Ex hinc viri cum mulieribus suis quasi ad epulas invitati procedunt; vadunt ovantes; læti prosiliunt: putares eos jam apud judicem sua inventuros donaria, qui nihil aliud habere poterant quam tormenta. Et cum se Georgius sanctus a militibus cerneret non teneri, illico sancta fretus audacia in exprobrationem lictorum conversus: « Quare (inquit) privilegium hoc fidelibus irrogatis, et vanum colere violenter cogitis numen, quos sancta fides proprios hactenus vindicavit? Ut quid alieni a Deo vero perditioni vestræ agglomerare nitimini prædestinatos ad vitam? An non poteritis vos infernalia claustra adire nisi nos comites habeatis? Nunquid sine nobis æterna vos cruciamina non adurent? Vos abite, vos illuc pergite perituri, quo simul cum duce vestro inferorum deliciis perfruamini. Nam quid nobis cum tartaro, quem Christus Deus noster penetravit, absorpsit, exspoliavit, et vicit, ut non jam auderet fideles addicere, qui pridem consueverat privilegio suo sanctos diripere? »

31. Vix ille sermonem compleverat, et jam furens dextra satellitum in injuriam monachi laborabat. Quem diversis laceratum stimulis solo allidens, calcibus etiam pugnisque acerrime tundunt. Cui cum sancta Sabigotho (jam emortuum putans): Surge, frater, eamus, clamaret; ille quasi nihil mali esset perpessus, respondit: Hæc omnia, soror, meritorum commodis prosunt, augentque coronam. Et ita seminecem a terra levantes, pari cum sanctis ducatu judici astare fecerunt. Quibus oblatis, cum primum ab eis blando affatu requireret, cujus rei causa a cultu suo recederent, vivere recusarent, niterenturque perdere temporalium commodum multiplici deliciarum flore vernans, quos utique postmodum in futuro non solum muliebris oblectatio admirabilis, verum etiam dignitatum, et ferculorum copia demulcendos exspectaret; protinus quasi ex uno ore: « Nulla (inquiunt), o arbiter, temporis affluentia lucris comparatur æternis, quorum gratia hanc vitam despicientes per fidem Jesu Christi, qua omnis sanctitatis operator justificatur; ejus denique in futurum benedictionis requie, quæ sanctis promissa est, nos potituros confidimus. Omnem vero cultum, qui a Christi divinitate dissentit, nec profitetur sanctæ Trinitatis essentiam, refutat baptismum, infamat Christicolas, sacerdotio derogat, omnino reprobum judicamus: pro nihilo rerum labentia computantes quæ non diu subsistunt. Quæ autem diligentibus se Christus promisit, cum sint ineffabilia, semper tamen inde-

[a] Haud dubie pro *reddidimus*. Soller.

[b] Aurelium profecto et Felicem, qui cum uxoribus processerant. Moral.

fessa jurgitate perdurant; et nec oculis contemplantur, nec aure captantur, nec corde perpenduntur. » Verum, ut credo, quiddam etiam aliud religiosius diffuso ore sanctis ante judicem asserentibus, sectamque impiorum fortiter expugnantibus, in furore maximo concitatur judex rapido tractu eos carceri applicandos insinuans, importabilium vinculorum onere aggravari decrevit.

32. Continuo exsultantibus animis beati martyres ergastulum adeuntes, gaudent auspicio passionis, parvipendunt supplicium, perstrepunt hymnos, insonant laudes, psalmos persolvunt, insistunt orationi, qua, favente Domino, victoriam adipisci prævaleant. Visitantur ab angelis, miraculis illustrantur, dissiliunt vincla, et non audent restringere quos Christus absolverat. Ibi etiam quam cœlis sortem haberent, revelante Deo, agnoscunt. Hinc de palma securi manentes, et Christum, cui fideliter servierunt, cernere festinius anhelantes, dilatant usque in quintum diem mortem suam, serumque putant se diutius elongari ab illa suavitate regni cœlorum, quam crebris jam corporeis [a] usibus ferme intuebantur.

33. At cum jam in forum prosternendi educerentur, venerabilis Sabigotho armare virum sanctis alloquiis cœpit, confortat, instruit, et confirmat. Introducuntur palatio, consulibus assistunt, adhibentur opes, exhibentur fasces, quibus si crederent fruerentur. Sed his oppido in professione sua demorantibus, lictoribus perimendos instituunt consules: sospitem abire sanctum Georgium decernentes, pro eo quod iidem ipsi optimates et priores palatii nihil conviciorum proferentem eum adversus vatem suum audiissent. Ille vero minister egregius, protinus ut se comperit derelinqui, nec sub uno cum sociis ictu mucronis perimendum institui: « Cur, ait, o principes, de professione mea, quam coram vobis non protuli, dubitatis, aut putatis me de discipulo Satanæ quidquam prosperum cogitare? Ego enim, ut verius agnoscatis, illum angelum, qui eidem præceptori vestro, transfigurando se in spiritum lucis, apparuit, dæmonem credo fuisse, et hunc cunctis abjectiorem hominibus adjudico, utpote diaboli credulum Antichristi ministrum, et vitiorum omnium labyrinthum: qui non solum se voragini barathri immerserit, verum et vos sequipedas sua per inania instituta æternis dedicarit incendiis. »

34. Tunc in insaniam proceres concitati prævalidam, una simul cum cæteris sententia necandum præcipiunt. Ac sic primo beatum Felicem, deinde sanctum Georgium trucidantes, post venerabilem Liliosam, ultimo egregios agonistas Aurelium et Sabigothonem interimunt (8) VI Kalendas Augustas, æra octingentesima nonagesima. Quorum corpora nostri Christiani furantes, diversis locis recondunt. Georgius namque cum sancto Aurelio (9) Pilemelariensi cœnobio [b] servantur. Beatus Felix sancti Christophori, quæ ultra flumen est [c], aulam tuetur. Sancta Sabigotho sanctorum trium [d] cineribus adunata est. Requiescit (10) apud Genesium martyrem venerabilis Liliosa. Capita vero Georgii (11) et Sabigothonis incolunt [e].

35. Hi sunt, qui propter testimonium Dei, et fidem Jesu Christi usque ad mortem certantes, nihil amori ejus præposuerunt: non filios, non parentes, non affines, non proximos, non amicos, non res, non vicos, non possessiones, non prædia. Sed omnia post tergum abjicientes, mortificatis cum vitiis et concupiscentiis corporibus, ad æternam immortalitatem producti sunt. Regnante Domino nostro Jesu Christo in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XI.

Christophorus et Leovigildus, monachi martyres.

1. Deinde Christophorus monachus (1) contribulis noster, ephebus adolescens Cordubæ natus, et a pueritia nostri auditor, qui post nostrum magisterium cœnobium sancti Martini, quod est in montana Cordubensi, loco qui appellatur (2) *Rojana*, ingressus, magnum pie volentibus conversari specimen sanctitatis ostendit. Hic agnita præcedentium nece sanctorum, concito gressu in urbem descendens, mox obviare judici non extimuit; et reddens coram eo testimonium veritatis, annuntiat Evangelium, sancta Domini prædicat, profanationibus deditum vulgus exhortatur, arguit male credulos, luituros cum auctore falsario æternum profert incendium. Quem continuo judex sævo commotus furore carceri deputat; arctioribus macerandum vinculis commendat.

2. Tunc etiam Leovigildus monachus (3), Eliberi primogenitus, plenæ juventutis, vir sanctus, justus, et timoratus ex cœnobio sanctorum Justi et Pastoris, quod est in interiori montana Cordubensi, loco qui dicitur *Fraga*, inter clivosa montium, et condensa sylvarum confini vinculi Lejulensis, qui a Corduba distat quinque milliarios lustros [f], quo se nuper moraturus contulerat, martyrio potiturus advenit. Et priusquam forum intraret, instituendi se gratia nos inquirens, obsecratur, precatur, exoptat, ut conatus suos nos precibus juvaremus, eique benedictionem consummandi agonem traderemus, promittens se nostri curam gerere ante Dominum. Cumque a nobis

[a] Quasi dicas quibusdam veluti experimentis. MORAL.

[b] Bene Sollerius: Scribendum videtur *Pinnamellariensi*, ut describit Eulogius ipse, lib. III, c. 11.

[c] Id cum Schot. *aulam*.

[d] Recte quoque id. Sollerius: *Nempe deposita in basilica sanctorum Fausti, Januarii et Martialis.*

[e] Corpora sanctorum Georgii et Aurelii caputque Nataliæ seu Sabigothonis, anno 858, translata fuere ex Corduba Parisios ab Usuardo et Odilardo monachis Gallis. Quorum translationem, quam Ambrosius Morales ignoravit, Mabillonius vero ex monacho Aimoino edidit sæcul. IV, Actor. SS Benedictinor., part. 2, visum est nobis transcribere pro Appendice, ut nec hoc desit nostræ editioni.

[f] *Viginti longo circuitu significat.* MORAL. Sed Schott: *Viginti quinque potius censendi sunt.*

firmatus in pace discederet, mox coram judice suam relaturus professionem assistens, dat testimonium fidei secundum cæterorum constantiam: qui cæsus alapis, conviciisque distentus, illico apud sævos carceres traditur alligandus. Ibi se famuli Dei alterno fovent consultu, roborantur in invicem: sicque pari voto connexi, cum jam mactationis hora instaret, præire sanctus Christophorus beatum Leovigildum reverentia ætatis exoptat, postmodum ipse ruiturus. Et ita hoc ordine uterque interiit, XIII Kalendas [a] Septembris, æra qua supra. Quorum corpora suppositis adusta incendiis antequam penitus urerentur, fidelium cura erepta, apud basilicam sancti Zoyli sepulta sunt.

CAPUT XII.

Emila et Hieremias martyres.

Post non longo iterum intervallo, duo adolescentes illustres ex civibus Cordubensibus, nobili familia procreati, ad palæstram martyrii concurrerunt. Emila scilicet et Hieremias, qui ab infantia sua apud basilicam sancti Cypriani litteras [b] edocentes, unus ad ministerium diaconi consecratus, alter in habitu laicali degebat simpliciter. Et quoniam uterque Arabico insigniter præpollebat eloquio, ferunt tanta per eamdem linguam in eorum vatem volubilitate egregium Emilam exaggerasse opprobria, ut præcedentium martyrum convicia obliviscerentur, cernentes horum prosecutiones contra suum dogmatistam acrius invalere. Et idcirco non jam solummodo de mortibus resistentium sibi excogitare cœperunt, verum etiam totam extirpare Ecclesiam ruminarunt. Quoniam nimio terrore tot hominum recurrentium ad martyrium concussa gentilitas, regni sui arbitrabatur excidium imminere, cum tali etiam virtute præcinctos parvulos prævideret. Quos per carcerem maceratos, postremum gladio vindice peremerunt. Et cum totus ille dies clara esset serenitate lustratus, subito eadem hora qua decollati sunt, vehemens tonitruorum fragor exurgens mundo incutitur: spargit radiantia lampadum fulgura æther; superos avelli cardines existimares. Armatur nube grandinum axis; fuscatur dies: turbinibusque inficitur aer: pios cecidisse athletas elementa fatentur. Quorum corpora equuleis suspendentes, ultra amnem statuunt (1), XVII Kalendas Octobris, æra qua supra.

CAPUT XIII.

De Rogelio et Servio-Deo martyribus.

A 1. Cum adhuc (1) præfatos martyres ergastula haberent, ecce alii duo supervenerunt, eamdem quam cæteri professionenem tenentes, eodemque voto hostem fidei expugnantes. Quorum unus Eliberi progenitus, ex vico qui dicitur [c] Parapanda, monachus et eunuchus jam senex provectæque ætatis, nomine Rogellius, advenit. Alter Servio-Deo vocatus, spado adhuc juvenis ante paucos annos ab Orientis partibus ultra maria in prædictam urbem habitaturus peregrinus accessit. Hi vero pari se fœdere colligantes, unum propter justitiam Dei, usque ad mortem certandi votum gesserunt, nullo casu ab invicem recessuri, quousque cœlestia sanguine mercarentur. Ideoque (2) fanum illud sacrilegorum petentes, in quo exceptum vulgus abominabiles ritus sæpius reddere convenit, transcendunt limina, turmis se ingerunt, prædicat Evangelium, sectam impietatis subsannant, arguunt cœtum. Appropinquasse regnum cœlorum fidelibus, infidelibus autem gehennæ proponunt interitum, quem proculdubio ipsi incurrerent, nisi ad vitam recurrerent.

2. His et hujusmodi verbis populum exhortantes, necdum ab ore eorum sermo recesserat, et ecce, qui crepitans in sentibus rogus, cohors malignantium adversus Dei famulos exardescens, cædit, lacerat, percutit, obruit, niti turque perimere sanctos, qui delubrum suum intrare præsumpserant (quod apud illos quoque grande facinus reputant), et nisi judex adesset, qui quodam privilegio potestatis insanientis populi murmur compescuit, tunc jam vitæ spiraminibus privarentur. Quos ereptos cædentium manibus, carceri deputans, astringi ferro gravius jubet, furibusque admiscet. Ibi etiam aduc prædicant, prophetizant, instare mortem tyranno annuntiant, laudant reli-C gionem, vanitatem refellunt. Et cum penitus vigor membris deesset, qui ferret supplicium, non tamen destitit lingua usque ad mortem a præconando veritatis oraculo. At vero pro eo quod templum suum evangelizando intrassent, decernunt eos tyranni et [d] consules, prius manibus pedibusque abscissis, decollari postremo. Gaudent tali decreto famuli Christi: exhilarantur oppido hujusce mortis sententiam excepturi. Instat ferocissimus carnifex, clamat, frendet, miratur, festinare ad pœnam jubet electos, quos utique cernebat majorem migrandi habere affectum, quam idem inferendi interitum gerebat. Quis illius horæ, fratres charissimi, crudelitatem exponat? quis referat clades? quis cruces annuntiet? quis denique ad-D mirabilem sanctorum enarret constantiam? Cum et ipsa gentilitas tali spectaculo stupefacta, nescio quid de Christianismo indulgentius sentiebat.

3. Igitur statuti in loco decollationis martyres sancti, antequam lictor admoneret, palmas extendunt, lacertos parant, injectumque [e] jugulum ulnis excipientes, in diversa manus dissiliunt. Deinde cruribus amputatis, nulla compuncti tristitia, abscissis denuo collis corruerunt. Quorum cadavera, ut erant truncata, patibulis affigentes, ultra flu-

[a] Dies in Usuardo, Adone, Equilino, et Cordubensi breviario concordat. MORAL.

[b] Fors. *addiscentes*.

[c] *Ignotus nunc vicus*, ait Morales: sed quam sit notus norunt fere omnes: de quo consulendus Henricus Florez, tom. XII *Hisp. Sacr.* tract. 37, cap. 6, num. 247. *Parapanda* Græca vox est, quæ Latine *ad omnia* sonat, inquit idem.

[d] Id est *magistratus*. BOLLANDI *ad* 16 *Septembris*

[e] Id est *gladium*, vel *securim*. ID.

rium crucibus cæterorum adsciscunt, XVI Kalendas [a] Octobris, æra qua supra.

CAPUT XIV.

Consilium Christianos disperdendi, quod rex cum proceribus iniit.

Præterea maryrum causa ethnici conturbati, ipseque rex in furorem maximum concitatus varia corde præmeditatur quibus posset intentionem sanctorum reprimere. Sciscitatur etiam sapientes, explorat philosophos, regnique sui consules super hac re percontatur. Qui omnes unanimiter in perniciem conspirantes fidelium, comprehendi Christianos et vinculari sub arctissimos carceres decreverunt (1). Tunc jam proculdubio enecandi eos difficultas fuit adempta, si quisquam vatis sui temerarius exprobrator ultra occurreret. Hac nos miseri opinione comperta diffugimus, abimus, evagamur, delitescimus, timidoque discursu et habitu demutato nocturna silentia carpimus. Decidente folio exturbamur, crebro mansiones mutamus, tutiora loca requirimus, ac tremebundi undequaque dilabimur, mori formidantes per gladium, quandoque morituri per debitum. Qui ideo forte martyrium fugimus, non quia timemus mortem, quæ quandoque ventura est; sed quia indigni sumus martyrio (2), quod quibusdam, et non omnibus datum est. Qui enim nunc martyrizantur et martyrizandi sunt, ab initio mundi præscripti sunt, dicente Apostolo: *Quos præscivit, et predestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, illos et glorificavit* (*Rom.* VIII, 29, 30).

CAPUT XV.

Christianorum perturbatio, et eorumdem variæ sententiæ in concilio episcoporum Cordubæ congregato.

1. Multi igitur horreo inutiles Dominico, ejecti foras de rete apostolica ab eo, qui non ut bonos vasis recondere, sed potius ut stipula exstinguibili meruerunt incendio deputari; nobiscum vel [b] fugere, vel compati, vel etiam delitescere recusantes, pietatem relinquunt, fidem prævaricantur, abdicant religionem, Crucifixum detestantur. Sese (proh dolor!) impietati tradentes, submittunt colla dæmonibus, blasphemant, detrahunt, subvertuntque Christicolas. Plurimi [c] etiam, qui pridem nobiscum sano sensu victorias martyrum prædicabant, constantiam efferebant, laudabant tropæa, extollebant agonem, tam ex sacerdotibus quam ex laicis; sententias mutant, aliter sentiunt, judicant indiscretos quos hactenus felicissimos asserebant, pro eo quod ipsi sancti infirmioribus nolentes compati, suæ potius tranquillitatis et pacis commoda, quæ in cœlestibus sanguine mercari fidebant, quam nutanti Ecclesiæ inter scopulos perfidorum consulere studuerunt: quibusdam ex lege sententiolis, immutationem oris sui, ac linguæ versibilitatem quasi roborare nitentes. Non perpendentes quod nullus tantæ præscriptus militiæ, et cœlesti curiæ annumerandus, instante hora vocationis, nexibus retineri posset mortalibus: cum quotidie in Scripturis sacris nobiscum perlegant, quod nec vita, nec sæva pericula, nec ipsa etiam mors sanctos a charitate Domini nostri Jesu Christi avellere unquam prævaleant (*Rom.* VIII, 35 *et seqq.*).

2. Illi autem, quid ab initio actus non destiterunt infamare sanctorum, fœdaque susurratione eorum conati sunt intentionem evertere; bellum quod militibus gloriosis nequiverunt inferre, in nos crudeliter vertunt (1): nosque auctores hujus rei existere asserentes, nostro instinctu illa omnia perpetrata fuisse accusant. Adeo ut quidam illius temporis publicæ rei exceptor, præpotens vitiis et divitiis, solo Christianismi nomine denotatus, operibus autem Deo et angelis ejus ignotus, a principio certaminibus beatorum infensus, detractor, derogator et infamator eorum, iniquus, tumidus, elatus, superbus et improbus; quodam die (2) præsenti consilio episcoporum multas adversum me, linguam commovens, exaggeraverit contumelias. Anathematizare sanctos decernit talia meditantes, maledicere imperat, persequi stylo jubet electos. Verens infelicissimus omnium, ne jacturam honoris patiatur. Qui non solum nullam reverentiam sanctis exhibere studuit, verum etiam prædicare sinistrum esse, quod agunt in populis, præcepit.

3. Et quanquam metu compulsi, seu metropolitanorum judicio, qui ob eamdem causam tunc e diversis provinciis a rege fuerant adunati, aliquid commentaremur, quod ipsius tyranni ac populorum serperet aures (3); inhibitum esse martyrium nec licere cuiquam deinceps ad palæstram professionis discurrere, præmisso pontificali decreto, ipsæ litteræ nuntiarunt: eademque scheda minime decedentium agonem impugnans, quod futuros laudabiliter extolleret milites percipitur: verumtamen allegorice edita, nisi a prudentibus adverti non poterat. Non tamen (4) inculpabile illud fuisse putamus similationis consultum, quod aliud gestans et aliud sonans, quasi a discursu martyriali plebem compescere videbatur (5). Quinimo, nisi legitima satisfactione, saltem pro plebe nullatenus remittendum esse confitemur.

CAPUT XVI.

Habdarrahgman rex subito moritur; filius ejus Mahomad in regno succedit.

1. Denique, cum ex omni parte Christianis immineret interitus, adensque immani furore comminatio principis multos electorum errare compelleret, plerique nobis illam exprobationem Israeliticam, cum se gravius opprimi cernerent, inferebant, di-

[a] In sequenti post Emilam et Hieremiam die hi martyres perimuntur, quos nullum Breviarium commemorat. MORAL.

[b] Hoc namque erat imbecillioribus, et qui martyrio impares erant, permissum divinæ legis indulgentia. MORAL.

[c] Contra hos tum primo libro, tum etiam in Apologetico Eulogius fusius disputat. ID.

centes : « Videat Dominus et judicet, quoniam A confetere fecistis sudorem nostrum coram hoc tyranno et servis ejus, et præbuistis eis gladium ut occiderent nos. » Crescente etenim numero martyrum, crescebat in majus iracundia principis, augebaturque fidelibus conturbatio, ut pene casus nostri olim Pharaoniticis contra Israel persecutionibus computarentur. Qui sicut ob interventum Moysis ad Pharaonem pro populo Dei acrius Ægyptii desæviunt, et operum gravissimorum importabili calamitate subditos opprimunt ; ita quoque et nos ex eo, quo sancti ad prælium descenderunt, ut loquerentur ex nomine Domini nostri Jesu Christi coram rege, et profiterentur consulibus et judicibus evangelicam veritatem, proderentque falsitatem vatis iniqui, solito asperius B evertimur, et funditus a ministris dæmoniorum perdendi insequimur.

2. Cumque tanta coarctati angustia crebrius gemeremus, et latentibus ac vagantibus nobis (1), denuo pontifex horribili carcerum specui traderetur, nullusque nobilium laicorum ingredi fores [a] auderet, futurum in perendie ergastulum metuentes ; cœpit rex alta ædium petere, scanditque sublime solarium, oppida lustraturus, confestimque e regione (2) pendentia stipitibus sanctorum corpora intuetur. Continuo suppositis ignibus cremari ea præcepit. Quorum cineres, Deo fautore, per loca sancta repositi sunt. Et, o admiranda potentia Salvatoris, et stupenda virtus Domini nostri Jesu Christi ! qui semper quæsitus in tribulatione C assistit, pulsatus aperit, invocatus exaudit. Nam os illud, quod sanctos Dei comburi præcepit, repente eadem hora divinitus obstruitur, lingua vero, angelo percutiente, repressa, suo hærens palato, ultra fari non potuit. Sicque portantium manibus in stratum reductus, quadam noctis ipsius hora spiritum reddens, priusquam rogus sanctorum cadaverum exstingueretur, idem vita exemptus, æterno clibano deputatus est, relinquens successorem imperii Mahomad primogenitum, hostem Ecclesiæ Dei, et Christianorum malivolum persecutorem. Qui ingenito quodam odio sæpius quæstionem adversus fideles proponens, non illo inferior esse meritis apparuit, cujus nomine insignitus ostenditur. Nam ipso die, quo sceptrum regni adeptus est, D Christianos abdicari palatio jussit, dignitate privavit, honore destituit : multa postmodum in nos mala irrogari disponens, si regni felicitate et prosperis potiretur eventibus (3). Nos autem, instanti fine opusculi, spem nostræ incolumitatis in Domino collocantes, non timeamus quid nobis faciat homo. Credentes nos ubique advocati nostri Domini Jesu Christi interpellatione salvari, qui dixit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Amen

———

[a] Hoc est : domi se continerent nobiles Christiani, pedem inde efferre non audentes. MORAL.

[b] OBSECRATIO AD CHRISTUM EJUSDEM EULOGII IN COMPLEMENTUM LIBELLI SIVE PRO OMNI LAPSU QUI IN HOC OPERE COMMISSUS EST.

Ecce, Domine Deus meus, Alpha et Omega, principium et finis, verus Emmanuel noster, initium vitæ meæ, plenitudo animæ meæ, perfectio salutis meæ, zelo tuo accensus, amore sanctorum tuorum compulsus, fratrum charitate coactus, parvipendentium [c] nutationi compassus, odio inimicorum tuorum commotus, tantillus scientia, ingenio parcus, exsilis intellectu, spectamine bonitatis ac misericordiæ tuæ magnanimus, fretus pietate, clementia roboratus, aggressum opus, te adjuvante, perfeci atque conclusi, sicut potui, non sicut debui imo sicut tu mihi posse dedisti. Aperui os meum, Domine, et locutus sum, quia tu jussisti ; et quantum voluisti, implesti, atque ad enarrandum justorum tuorum actus justissimos cor iniquitate dejectum coegisti. Armasti ad præconandum laudes tuas impeditam sceleribus linguam ; et os meum, quod sera vitiorum diu obstruxerat, subito quadam præditum agonia, ad tua elucubranda fidelia testamenta reserasti. Verebar, Domine Deus meus, opera mea, et sollicitus de proprio manens facinore, licet emendationis differrem remedium, meditabar tamen de iniquitatibus meis penes memetipsum probatum sæpius testimonium : perpendebam judicium, debitum mei reatus cogitabam vindicium. Et cum apud te notitiam facti sui mens consternata deliquiis manere cognosceret, vix cœlum audebat intendere. Tu vero linguam meam quasi ministeriis tuis aptam ad sacramenta cœlestia ordinanda dignaris impellere. Nam quod exiguis meis meritis materiam tanti meriti construere intentavi, et quod immundus munda disserui, et quod sordidus sancta sanctorum disposui ; non superbiæ tumore subnixus, sed humilis et abjectus, gratia acquirendorum præmiorum, et patrocinio potiendi sanctorum hoc egi : vel certe ut penes te ingratus non essem talenti collati, aut etiam ne res cœlo dignæ, nullo astipulante, oblivioni traderentur perenni.

Tu, Domine Deus meus, scisti affectum meum, penetrasti intentionem, votum intellexisti, et causam talia commentandi non ignorasti. Tu parvulo instinctum dedisti, miserrimum adjuvisti conatum, erexisti ad grandia imbecillem, et invalidum animosum fecisti. Neque enim, Domine Deus meus, ad tanta me præelectum fieri opinatus sum, ut ego tandem essem elucubrator gestorum sanctorum, qui eram gravium operator peccaminum. Nunquid si ego mentior, tu testis non es? si falsum astruo, nonne vides ? si aliter quam fuit affirmo, tu poteris ignorare? Si non profero veritatem, non latere te potest, qui omnia nosti. Certe tu cuncta consideras, penetras universa, secretum intelligis, vides profundum, omneque tibi patet arcanum, et totum in præsenti tibi manens, preteritum et futurum in tuo cuncta

[b] Sic fuit in exemplari hic titulus, quemadmodum et ille sequentis præcationis MORAL.
[c] Schott. *mutationi*.

volumine ascribentur. Et quod inspiratione tua A mens provocata ruminavit, et quod prædita cœlestium gratiarum virtute elicuit, et quod vanæ laudis stimulata compunctionibus affectavit, et quod ibidem lapsu linguæ nolens incurrit, apud te reposita manent, universaque tuis examinationum libris exarata sunt.

Hinc ad te, Domine Deus meus, vario corruptus facinore rediens, multiplicus scelere, iniquitate prælargus, quæso, peto, imploro, ut de illa ineffabilium clementiarum sede beata obsecrantem intendas, aspicias consternatum, adsis roganti, ut prius abdita cordis mei emundans, liberum in confitendo te semper statuas. Purgesque deinde satum opusculi hujus, si quid zizaniæ pravi sensus subtilis circumventio tentatoris in ea, me non B volente, aspersit; si quod loliorum deviæ prosecutionis, ignorante me, seminavit. Quidquid ibidem erroris casu respirat, quidquid resonat impolitum, quidquid a te alienum est, quidquid a te procul est, omne quod te ignorat, cuncta quæ tibi obstant, tuamque voluntatem refellunt, et nesciunt pietatem; tu cuncta, omnipotens Deus meus, erudera, ablue universa, totaque purificando sanctifica; ut tam sit Domino Deo meo hoc opus acceptum, quam sanctis angelis tuis gratiosissimum. Impetret mihi gratiam tuam, sanctorum hauriat benedictionem, obtineat pacem Ecclesiarum. Deferat tibi articulum temporis hujus, recenseat coram te populi tui calamitates, teque super latibulum meum, quo ista dicto, respectu miserandi convertens, diluat omne facinus, ad quod me tentatoris versutia ritu priori, cedente fragilitate, illexit. Sit custos coronæ meæ, sit tutor vitæ meæ, sit mei provector ad præmia sempiterna, ut idem per te sanctificatus, *Memoriale sanctorum* dicatur, et me inter memorias electorum tuorum sua conscribas obsecratione. Per te Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto unus, sempiternus, et immortalis es Deus in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

Cum igitur præcedentium voluminum series affatim impiorum crudelitatem, quæ diu inexpugna- C bilium virorum constantiam enisa est fatigare, digesserit, veroque assertionis gressu ortus, ætates, actusque belligeros percurrat sanctorum; plus aliquid reor, sævitiæ in nos commissum tertius hic liber non sine ingenti vulnere pandet. Nec me quidem supercilio arrogandi hac occasione uti intendant, quod tantæ materiæ parvi admodum, et (ut ita dixerim) vilissimi ingenioli fulcimen adhibuerim; aut forte non res veras nos elucubrasse condemnent, qui eo intuitu operis hujus concinnavimus structuram, quo nimirum omnia æquitate districti judicis in futuro novimus dijudicanda, quem nec fallere abdita cogitationum, nec qualitas operum potest. Nam ego, qui scio suo quemque oneri coram Domino subjacere, cur propriis diu gra- D vatam substantiam meam molibus externo pondere deprimere vellem? Aut quid commodi compicto mendacio mihi conferri sperarem, ex omni postmodum verbo rationem pensurus? Sed hinc agitatur tenuis scientiæ venulis mens contenta, quod rem, non dicam magni fluminis tantummodo, verum etiam immensi æquoris affluentia necessario irrigandam attentat, quæ vix parvissimi stillicidii sudorem irrorans, quasi quasdam coactitii et extorti liquoris guttulas profluit. Nec ab re fessi viatoris comparatione impetiar, qui vigore virium enervatus, sæpius in itinere sedens, eo vehementius conlassatur, quo crebrius per loca varia compausatur. Ita et nos totius ubertatis expertes scientiæ, quasi debilitato gradu per invia locutionis residemus, pigreque (ut ita dixerim) gressu vix opusculorum limitem contingentes, ubique finem loquendi optamus. Et tunc magis magisque debilis viator quassatur, cum se jam de perventione itineris gaudere sperans, denuo ex improviso emergere sibi adhuc inopinatum conficiendum cernit spatium. Unde et nos, qui jam finisse opusculum credebamus, ac veluti procellosum mare in naufragio transmissum remigio lætabamur, et optati portus salvi fruebamur quiete; nunc aliud fortuito contuemur supervenisse, quod operæ pretium præmissis opusculis sit addendum. Tendimus igitur parcitate facundiæ coarctati, tendimus imminentium persecutionum casibus, occupati; et quasi in contrarium vento surgente, in altum nos denuum devolutos pelagus inhorrescimus. Confidimus autem ejus non incunctanter bonitatis juvamine prosperari, qui dignos nos eorum visu et amicitia dijudicavit, ut quorum fruebamur dulcedine, etiam tropæis imbueremur.

CAPUT PRIMUM.

Initium regni Mahomad regis.

Cæterum, ut in fine secundi operis annotatum est, adepto Mahomad patris imperio, confestim in promptum odium contra nos prorumpens, ipso die, quo fascibus infulatus, solium regnaturus conscendit, Christianos omnes palatio abdicans, indignos aulæ principali ministerio promulgavit. Quos iterum post non longo intervallo sub tributario censu præscribens, plures præmio regali privavit, qui dudum militaribus[a] vescebantur annonis. Et quia scri-

[a] In Sanctio martyre de his Christianis nobilibus, Sarraceni regis tyronibus, jam dictum est. MORAL.

ptum est: *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus* (*Eccli.* x, 2); ipsis per idem tempus gubernacula urbis committit, qui consimili zelo controversiæ adversum Dei populum laborantes, eum ubique affligerent, everterent, et opprimerent; ut non solum vatem suum nullatenus infamari præsumerent, verum etiam terroribus compulsi abominabilem confiterentur culturam. Sic quoque mœror importabilis et persecutio truculenta undique nobis obvians, plerosque prævaricationis laqueo immergebat.

CAPUT II

Prævaricatio illius exceptoris, qui pridem sanctos anathematizari compulerat.

Multi autem sua se sponte a Christo divertentes adhærebant iniquis, sectamque diaboli summo colebant affectu, sicuti ille spurius, et sanctorum benedictione indignus, de quo in libro secundo meminimus, agit. Qui sæcularis reverentiæ pompam rebus præponens cœlestibus, inauditaque libidine pro Deo officium venerans, post bisseno mense, quo sanctos anathematizari decreverat, nosque fœdis conviciis impetierat, honore dejectus est. Gratia itaque dissertudinis linguæ Arabicæ, qua nimium præditus erat, solus e Christianis a consulibus in officio exceptoris detentus, post aliquos menses et palatio et ministerio est abdicatus. Quod factum non leviter ferens, cum se dejectum aspiceret, privatumque tanta dignitate altius suspiraret, præstantius Deo mori, quam non vivere sæculo eligens, continuo fidem sanctæ Trinitatis spernens, cedit sectæ perversitatis, et nequaquam se Christianum vult jam ultra videri. Quapropter in deteriora conversus, qui nusquam simplicia meditatus fuerat, exsul Christianis effectus, adunatus gentilibus, crebroque discursu illud impietatis delubrum, quasi unus e ministris diaboli frequenter ingreditur, expulsus de templo Domini, quod dum adhuc fidelis existeret, sera ac pigra visitatione incoluit. Scriptum est enim: *Non habitabit in medio domus meæ, faciens superbiam: et qui iniqua loquitur, non direxit in conspectu oculorum meorum* (*Psal.* c, 7). Idem vero post negationem in honorem pristinum restitutus, palatio reformatur, quo pedica et hamus cæteros illiciendi existens, foret aliis in prævaricationis scandalum, qui causa gloriæ temporalis sibi fuerat laqueus.

CAPUT III.

Destructio basilicarum.

Interea cum sæpius contra Dei catervam sæva principis conspiratio inolesceret, affligeretque ubique Christicolas, et nec sic omnes generali dilapsu, ut fidebat, ad ritum suum proruerunt, jubet ecclesias nuper structas diruere, et quidquid novo cultu in antiquis basilicis splendebat, fueratque temporibus Arabum rudi formatione adjectum, elidere. Qua occasione satrapæ tenebrarum inde capta, etiam ea templorum culmina subruunt, quæ a tempore pacis studio et industria patrum erecta, pene trecentorum a diebus conditionis suæ numerum excedebant annorum.

CAPUT IV.

De seditione provinciarum.

(1) Et quia undique dibellionum insurgentia bella magnam ei molestiam inferebant (nam libere in cunctis Hispaniæ urbibus, quas vigore potestatis et egregii potentia intellectus, largoque munere præmiorum pater suus acquirendo domaverat, et obsederat, hic privilegium dominandi gerebat: præsertim cum et ex aliquibus locis (2) cæsum et fugatum exercitum suum cernens ubique imminui, ubique se gemeret in deteriora converti); idcirco contra nos diu meditatum in futurum differebat perditionis interitum, tardoque ac pigro impetu ecclesiarum operabatur ruinas. Nam nullos credo Christianorum (nisi ista difficultatis obstarent repagula) secum pateretur morari, Quinimo, ut jam alibi præmissum est, si commodam regnandi haberet licentiam, Judæos etiam a se repelli compelleret. Quo solius gentis suæ comitatu vallatus, his præesse solummodo mereretur, cum quibus inextricabilia æterni barathri lueret tormenta, nec alterius diversitate religionis unitas damnabilis culturæ scinderetur. Ex qua, Deo vocante, et per splendentia fidei sanctæ mysteria compungente, plures admodum recedentes, et pietati adhærentes, mortemque spe firmiori propter Christum excipientes, idem ingemiscebat; præter eos, qui nimia carnis impediti formidine, ardua cordis contritione Christo regi sub chlamyde adhuc militant.

CAPUT V

De odio suorum adversum regem, et de ipsius avaritia, et de tributis Christianis impositis.

Cumque ecclesiam Dei flammis invidiæ inurendo, interno cogitamine corrosus tabesceret, et suorum pacem affectaret, hæc et hujusmodi contra nos exercere disponeret; in nullo attamen divinam dispensationem humana procacitas prævalet immutare. Quæ eum cunctis odibilem, universis exosum, omnibusque execrabilem reddens, etiam domestico, et ut ferunt, pellicum suarum odio, vel maledicto impetitur. Verum ut scriptum est: *Rex justus erigit terram, vir autem avarus destruit eam* (*Prov.* xxix, 4); hic idem inauditis cupiditatum fascibus ardens, militum annonas demutilat, tribunorum coarctat donaria, lunaremque præmiorum[a] discursum imminuit. Et cum sibi vilia admodum et pene exigua a vicinioribus locis reddi vectigalia cerneret (quia videlicet si culpa vulgi is ad sceptrum Deo dispensante admotus est, tamen hujus meritorum improbitate urbes ac nationes in stimulum recalcitrationis inductæ, non ad integrum tributis provinciarum cum

[a] Stipendium intelligo quod singulis mensibus militibus persolvebatur. MORAL. Hinc potest suppleri *Glossarium Cangcanum*.

perfrui patiuntur), ideo in nos arma districtionis A convertens, et ut lutum platearum dominii planctu contribulat, quorumdam Christianorum ejus optioni, favente, nequitia (si tamen Christiani, et non magis operarii iniquitatis appellandi sint) qui ut privilegium [a] chirographa exigendi obtineant, sortem Domini fideliumque conventum suo vadimonio vel crimine a rege mercantes, importabili census onere colla aggravant miserorum, quotidie plebem Domini pessimantes : illa proculdubio plectendi in futurum sententia, quæ talium condemnans excessus, ait : *Et qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem* (*Eccli.* XXXVI, 11). Quibus utique secundum veritatis edictum felicius erat gravatis molarum pondere collibus profundo mergi, quam tanto pusillanimes perturbari scan- B dalo (*Matth.* XVIII, 6), aut tantam vim gregi parvo inferre, cui Patri dare regnum complacuit (*Luc.* XII, 32) : in quorum conspectu Deus non est, et a quorum intuitu judicia Dei sublata sunt. Semper invidi, semper iniqui, ubique malitiosi ; in alterutrum iracundi, in aliorum eversione pacifici, in confœderationibus infidi, in conspirationibus conciti, in circumventione versuti, in apparatu noxietatis aptissimi pro se invicem disparati, ad perdendum cæteros adunati, ad decipiendum excitati, ad miserendum pigri ; in incessu tumidi, in assertione superbi, in promissione dubii, in datione avari, in largitione parci, in acceptione avidi. Id promittentes quod dari nequeat : id conferentes quo frui non liceat; qui non dormiunt, nisi malefe- C cerint (*Prov.* IV, 16), et consurgere ad iniquitatem festinant ; qui lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis (*Ibid.* II, 14) ; et cum se Christianos esse pronuntient, Christum quotidie in membris ejus crucifigunt, Judæ proditoris documenta sectantes, qui præceptorem, venaliter distrahendo pecunias, crucifigens, sibi quidem laqueum perditionis effodit, mundo autem libertatem debitam contulit. Hi vero se eidem incorporantes, cum redemptos ejus crudeli accusatione affligunt, et (quod non sine gravi cordis mei vulnere profero) quos tueri debuerant, quia sumus invicem membra Christi (*Ephes.* IV, 25), cum (proh dolor !) negare compellunt.

CAPUT VI.

De insultatione procerum contra martyres.

His interim imminentibus malis, et hujuscemodi D ærumnis Ecclesia vapulante, ferunt ob hoc regem ingenti crapulatum lætitia, ampliora fidelibus scandala irrogaturum se promittere, et, ut alibi [b] taxatum est, dira incursatione, molestiaque contriturum, si commodum regnandi successum diutius obtineret ; adeo ut plerique procerum olim decedentium martyrum subsannantes constantiam, nobis referrent : Quo nunc abiit illa vestrorum virtus agonistarum ? quo aufugit magnanimitas ? qua absorta temeritas delitescit ? ubi se enervata fortitudo abduxit ? Qui dudum concitis gressibus certatim ad expugnandum dogmatistem nostrum occurrentes, debita ultione perempti sunt ; nunc adsint, nunc veniant, modo properent, si divinitus inspirati, illud in veritate conservant certamen.

CAPUT VII

De Fandila martyre.

1. Dum ergo in nos hujuscemodi irrisionibus insultarent, et hoc deludio nostram pene consummatam cladibus fatigarent miseriam, adolescens quidam Fandila, ephebus aspectu decorus, honestate vitæ probabilis, sanctus et timoratus presbyter inter has cædes sævaque discrimina ostium aditumque primus exercendi martyrium sub hujus tyranni [c] privilegio patefecit. Hic itaque (1) ex urbe Accitano progenitus Cordubam discendi gratia veniens, totam pene pubertatem ibidem sub pædagogi traditione peragens, confestim ut adolescentiam adiit, monastica oblectatus conversatione, illico monachis se Deo jugiter militaturus admiscuit. Qui aliquibus locis peragratis ac demutatis, in quibus ardens devota mens requiescere non poterat, ultimo (2) se in Tabanense cœnobium contulit. Ibi aliquandiu sub regulari disciplina vel regimine abbatis Martini demorans, perfectius in timore Domini claruit.

2. Et quoniam summæ humilitatis magnæque obedientiæ erat, idcirco gratia sanctitatis, qua cœlitus refulgebat, diu implorantibus ac rogantibus monachis cœnobii sancti Salvatoris, quod haud procul a civitate Cordubæ in parte septentrionis ad radicem Mellaris pinnaculi situm est, ad officium sacerdotale præelectus invite et (ut ita dixerim) violenter instantia vel præjudicio abbatis sui sanctum ministerium suscipit, et nihilominus jejuniorum, vigiliarum, orationumque solito propensius labores adaugens, ambulat de virtute in virtutem visurus Dominum in Sion, scalis meritorum evectus. Cujus venerabilem vitam cunctisque necessario imitabilem conversationem, cum affatim digno laudum præconio eorumdem fratrum atque sororum, quibus præerat, relatione pandatur : eo tamen magnificentius declaratur, quo florentissimam juventutem animo robustiore transgrediens, gladio martyriali non cunctatus fuerit subdere.

3. Igitur, comitante ipsum perfectione timoris Domini, cum omnia terrena despiciens mentem cœlo suspenderet, cuperetque dissolvi melius et cum Christo manere, quam rebus hærere caducis : quodam die obfirmato vultu judici astans, prædicat Evangelium, impudicum exprobrat vatem, cœtumque noxiæ combinatum culturæ pædoribus (nisi resipiscens pietatis fidem apprehendat) ultricibus luiturum pœnarum incendiis protestatur. Hinc carcere trusus, et vinculis coarctatus, latronum mansionibus alligatur, principali postmodum sententia decollandus.

4. Quod factum judex regio intimari auditui non

[a] Hoc est, ut tributis per chirographa exigendis præficerentur. MORAL.

[b] Supra, cap. 1.

[c] Videsis not. sub num. 7, lib. I.

differens, accenditur igne furoris immensi, et quodam hebetatus horrore miratur stupidus, quæ esset illa victrix audacia, quæ tantæ gloriæ non expaverit regem, tamque sublime vanitate et superbia caput, atque (ut se putabat) super omnia excellens talibus non reverentiæ ausibus propulsaret. Quamobrem eodem momento sub voce terribili episcopum comprehendi decrevit; sed ipse, fugæ præventus remedio salvatur. Nam ferunt jam tunc eum nulla intercedente dilatione punire decreverat. Jusserat etiam omnes Christianos generali sententia perdere, feminasque publico distractu disperdere, præter eos qui spreta religione ad cultum suum diverterent. Et nisi hoc edictum consultu satrapum quassaretur (qui pro eo quod nullus sapiens, nemo urbanus, nullusque procerum Christianorum hujuscemodi rem perpetrasset, idcirco non debere universos perimere asserebant, quos non præit personalis dux ad prælium); [a] exhinc credo jam funditus Christianismum nostrum partim gladio, partim prævaricatione exstingueret (3). Fortissimum vero athletam gladio interficiens, patibulo ultra amnem suspendi præcepit.

CAPUT VIII.

Gesta Anastasii, Felicis et Dignæ martyrum.

1. Quem sequens (1) alio die Anastasius presbyter, qui ab ineunte ætate apud basilicam sancti Aciscli Cordubensis disciplinis et litteris eruditus, usque ad plenam juventutem ibidem in Diaconatus officio degens [b], postquam monasticam vitam, qua dudum fuerat spreto [c] ministerio oblectatus (2), in senibus egerat, demum sacerdotio applicatur. Concito gressu, palatium petens adstat consulibus, hostemque fidei veridicis assertionum stimulis feriens, gladio confestim abscissus, suspenditur. Cum quo et Felix monachus, ex oppido Complutensi progenitus (3), natione Getulus, et quadam occasione in [d] Asturias devolutus, ubi et fidem catholicam, et religionem monasticam didicit, eodem die hac professione decisus affigitur.

2. Cumque dies illa maximum cursus sui expiens metabulum, jam pene (4) in horam nonam divergeret, virgo quædam adolescentula, merito et nomine Digna, ex collegio venerabilis Elisabeth, cujus rationem liber secundus edisserit, Deo revelante et confortante, ad palmam processit. Paulo namque ante martyrium suum, assistere sibi per somnium videt puellam, habitu et specie percomptam angelico, rosas ac lilia manu gestantem. Quam cum de nomine causaque sui exploraret adventus: « Ego sum, inquit, Agatha, olim proper Christum diris attrita suppliciis, et nunc veni partem tibi purpurei muneris hujus conferre. Accipe libens donarium, et viriliter age in Domino; nam reliquias rosarum et liliorum, quas in manibus servo, post te ex hoc loco datura sum migraturis. » Tali denique virgo sacratissima visu ac munere illustrata, cum e dextera colloquentis rosam susciperet, ruris admista cœlestibus ab oculis intuentis elevabatur.

3. Hæc autem puella, cum pro summa humilitate atque obedientia inter convirginales ultima se judicaret, essetque incomparabili apparatu obsecundatrix, numquam tamen appellari se Dignam patiebatur, dicebatque cum lacrymis (5): « Nolite me Dignam vocare, sed magis Indignam; quia cujus meriti sum etiam nomine debeo insigniri. » Et cum a die revelationis suæ, amore compuncta martyrii, tacito cogitamine, quibus ad id posset indiciis aspirare, sæpius ruminare cœpisset, fit affatim lætior horum instructa martyrio, quo quasi his præcedentibus hæc firmiori gressus succederet ad coronam. Ideoque apertis silenter cœnobii claustris, cum jam beatos pendere comperisset martyres, concito gradu judicem petens, cur fratres suos præcones justitiæ trucidaverit, assertione intrepida percontatur. « An quia, inquit, Dei cultores existimus, sanctamque fideliter colimus Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum et verum Deum fatentes, et omne quod ab hac credulitate dissentit, non solum negamus, verum etiam detestamur, maledicimus, et confundimus; idcirco confodimur? »

4. Hæc et his similia sancto et immaculato ore disserente puella, nihil cunctatus arbiter, lictoribus decollandam committit, qui mox [e] delicatis inferunt jugulum collibus. Nec mora consternatis corruens membris, equuleo deorsum versa suspenditur, cæterisque trans flumen adsciscitur. Hoc namque ordine hi tres vocati, Anastasius, scilicet presbyter, Felix monachus, et Digna virgo beata eodem die dispariter ceciderunt, XVIII Kalend. Julii, æra DCCCXCI.

CAPUT IX.

Benildis matrona martyr.

Denique hos sequens Benildis femina ætate jam provecta, et ut ferunt, non medie timorata, sub professione cæterorum occubuit XVII Kalendas Julii, æra qua supra (1). Quorum cadavera post aliquot dies ingenti concremata incendio, ad ultimum fluvii projecta, dispersa sunt.

CAPUT X.

Sancta Columba martyr.

1. Cogimur vel numerositate certantium, vel debita sponsione votorum, in longam dictionis seriem

[a] *Exhinc* ponimus cum Henschenio ad diem 15 Junii, quamvis Morales, Schottusque ediderunt, *et hinc*.

[b] Hunc locum sequentes Henschenium ad diem 14 Junii sic restituimus, cum Morales et Schottus corrupte legant: *Post monastica vita .... incenibus egerat. Vid.* Sch.

[c] Diaconi ordinis cujus est præsertim, ut vocabulum ipsum Græcis sonat, in Ecclesia ministrare. MORAL.

[d] Hinc quidam hunc nomine et re ipsa Felicem martyrem in Asturiis passum scripsere. ID.

[e] Non hic astipulamur Henschenio, qui correxit: *delicati impetunt jugulum colli*.

stylum protendere. Hinc est, quod ultra quam putabamus in magnum codicem materies aucta opusculi, pene modum mediocritatis excesserit. Quia post tot funera et importabilium ærumnarum discrimina nullum prorsus talia opinaremur aggressurum. Nos tamen ab inchoatis nullatenus reticemus, quo cunctorum rationes, ut promisimus, enarremus.

2. Interea fuit virgo quædam nobilis et decora, Columba nomine ex oppido, Cordubensi progenita, præfati abbatis Martini, et Elisabeth, de quibus in præcedentibus memoravimus, soror. Quæ, cum inter bona parentum tenerrime in annis puellaribus degens, propositum Elisabeth sororis suæ, quod cum viro suo [a] Hieremia adhuc vulgo admisti gerebant, agnosceret (qui longe antequam monasterium peterent, multis se Christo religionibus inter conventus populi consecrarunt), persæpe genitorum relicto consortio, domum sororis frequentius visitans, talibus se consignandam votis exoptat, anhelaque hujus propositi [b] verna cupit existere. Confestim itaque terrena omnia spernere desiderat; sed adversatur puellæ intentioni genitrix repugnatura. Quæ etiam contra sobolem Elisabeth ejusque virum fœdis iracundiæ motibus excitata, graviter conqueritur, quod ita adolescentis illiceret animum, quod sicut se, et istam disperderet, mundumque flore suo vernantem dissipato matrimonio relinquentes, in solatio exterorum id cuperent congerere.

3. Inter hanc autem conflictationem (ut vulgi mos est), disquiritur ad copulam nuptialem puella, crebrisque interpellationibus secularitate involvere exoptant cœlestium thalamorum nuptiis divinitus assignatam. Et cum nec illa consentiret, nec mater desisteret, quo nihilominus nuptui traderetur; ipsa mater (Dei providentia) ex improviso molestia ægritudinis occupata, sub celeri vocatione mundo exempta recessit. Remanet Dei famula, non tam matris obitu contristata, quam lætior gratia suæ devotionis sine cujusquam præjudicio adimplendæ.

4. Verum nonnullo tempore in sancta religione apud urbem utrisque sororibus versantibus continuo expleto jam propriis (ut diximus) sumptibus Tabanensi cœnobio, eo se viri cum mulieribus Christo militaturi conferunt. Ibi sancta virgo terrenis se exuens, hæret cœlestibus, et mentem ad studium Scripturarum convertens, fit admodum eruditior investigandi ac disserendi sententiarum obscura. Crescit beatæ virginis sanctimonia, et late diffusa cœnobii fama etiam procul sitarum ad se urbium discursus invitat, quo talium exemplorum magisteriis imbuerentur. Hæc autem virgo sub fratris sui Martini et Elisabeth regimine manens, præcellit meritis, et gratia honestatis omnibus præit. In conversatione laudabilis, in humilitate sublimis, in castitate perfecta, in charitate firma, in exorando attenta, ad obediendum apta, ad miserandum clemens, ad indulgendum facilis, ad prædicandum diserta, ad instruendum prompta. His quoque virtutibus clarens, cunctorum in se provocabat affectum, omnibus normam speculumque sanctitatis existens. Et quia crebro adversarii tentationibus propulsabatur, ideo frequentioribus se coram Domino fletibus mactat; verens, ne diu congesta laborum vilissimi prædonis irruptione perirent. Hinc ad majorem sanctitatis cautelam erigitur, metuque hostis adacta solertius ad summam virtutum districtiori vita contendit.

5. Hanc sæpe ægrimoniis tentator macerat, immittit fastidium, speciem virorum prætendit, longum astruit victum, diversisque fatigat phantasiis. Quibus horribili metu compulsa luget immaniter, ne lapsu mortis a consortio dirimatur sponsi, cujus tanto se ardore charitatis asserebat interius esse conflagratam, ut quasi excisæ carnis cicatrice pro ejus desiderio mente vulnerata existens, nisi solo ejus intuitu in cœlis, nullo modo [c] se perhibebat posse sanare. Nullum unquam peccatorem quamvis gravioribus oppressum peccatis sermone suo læsit, de nullius actibus judicavit, de nullius desperavit salute, nec quemquam licet fœdis infamatum despexit rumoribus. Scio (referebat) versutias dæmonum, scio insolentias hominum, qui interdum ipsum maledictionis subsannatione impetunt, quem probatum dignioribus meritis habet Omnipotens. Multa sunt enim judicio condemmata humano, quæ divino sunt probata et sanctificata consilio; et plerumque opinationibus suis transgrediuntur homines divinam sententiam; dum cujus meriti apud illum quisque permaneat, nesciant; et tamen jam quasi præsagi occultorum, vel dignum prædicent, vel reprobum infament. Cum utique inculpabilius, si ad se reverterent, judicarent, etsi quanto vel quali oneri unusquisque subjaceat, vel quo sit debito reus intenderet, nullanus culpabiliter de incognitis disputarent. Sed agunt nonnulli hæc, quo in veritate exprobratio divina contra nos olim prolata firmetur, qua ait: *Attendite et auscultate. Nemo quod bonum est loquitur: nullus est qui agat pœnitentiam propter peccatum suum, dicens: Quid feci?* (*Jerem.* VIII,6). Qui proprii facinoris trabe neglecta, de festucis aliorum solliciti permanentes, quod levi susurrationis aure captaverint verum nihilominus et nullatenus incredibile esse affirmant.

6. Nunquam autem virgo clementissima sine causa iram admovit, nisi cum forte aut infantulis, aut alis quam e sororibus negligentem aspiceret, quas solo intuitu oculorum redarguebat humiliter. Nunquam aliquando in cujusquam prorupit contumeliam, nunquam os ejus vaniloquio est occupatum nusquam aniles et otiosas fabulas suis passa est admitti auditibus. Christum corde, Christum ore sæpius meditans illam frequentius cum omni affectu canebat antipho

[a] Lib. II, cap. 4, aperte ostendimus hunc eumdem esse Hieremiam, qui martyr eo cap. scribitur. MORAL.

[b] Hoc est: cupiebat, relictis parentibus, in monasterium Hieremiæ transmigrare et tamquam vernacula ancilla ei adhærescere. ID.

[c] Recte Constantinus Suyskenus ad 17 Septembris: *Pro* perhibebat *lege* perhiberet, *uti et mox* sanari *pro* sanare.

nam, quam in laudem sanctorum beati Patres suavi cantu aptaverunt, « Aperi mihi, Domine, paradisi januam, ut ad illam patriam revertar, ubi mors, non est, ubi dulce gaudium perseverat. » Cum his colloqui delectabatur, quorum mens spiritali virtute succincta, mortificata cum vitiis et concupiscentiis membra gerebant, nec cuiquam se, nisi forte spiritualibus viris, et id perrarum ac serius, visendi præstabat accessum. Qui claustra feminarum a cellulis monachorum altis interjectis disparata maceriis, licet unius patris gubernaculo regerentur, hæ tamen sequestratis se mansiunculis retrudentes, nulli omnino contuendi se facultatem præbebant. Sed si subinde aut fratribus congrua instaret necessitas, aut hospitum pia [a] impetraret humanitas, sola venerabilis Elisabeth per fenestram se exhibebat cernendam, quæ prior et totius erat mater vera monasterii.

7. Quodam igitur tempore petiit a consororibus Columba, ut inter ipsa claustra in quodam angulo cellula sibi daretur, quo secum sola demorans immunis a cæterarum strepitu fieret. Annuunt pro rogatu sanctæ sorores, præbentque adminiculum suo consensu augendi virginis sanctitatem, quæ aliquam etiam inde percipere confidebant mercedem. Ut enim præmio dignum est sanctæ conversationis studium, ita et erga pie viventes religiosus affectus. Nec distat a factis bona consensio, quæ non virtute animi, sed virium quassatur defectu ; ut cum forte non fuerit vigor corporis talia exercendi, sit mentis intentio similibus delectandi. Communia sunt enim operis sancti commercia, et eo fiunt Christo gratissima, quo simpliciter in charitate perfecta ad nostrum referimus commodum fraternæ sanctitatis studium.

8. Denique indepta benedictione sororum, exsors omni cœnobialium actione curarum, virgo venerabilis in contemplatione Dei et meditatione Scripturarum multum temporis perseverans, post crebra suspiria et fletus immensos, in quibus speciali munere supra plurimos cœlitus eminebat, denuo ad instruendos divinis pastibus convirginalium animos revertitur ad cœtum. Ferunt namque illam persæpe ternas et quaternas horas, necnon usque in medium diem in oratione decumbere ; et cum nulla resonarent suspiria, nulloque singultu membra incuterentur, in magno tamen silentio fletum promebat : adeo ut subtus [b] matta, in qua illa prostrato corpore exorabat, humectum lacrymis pavimentum ostenderetur. Maximum etiam in obsecrationibus stando spendens curriculum, in tantam subito ferebatur [c] theoriam, ut geminatus ex utroque oculo rivulus lacrymarum ad mentum descendens, in unum conversus meatum, crebra stillatione guttatim quasi e tecto in humum influeret.

9. Interea cum furor persecutionis, qui in excidium ecclesiarum fremebat, hanc feminarum collectam urbi admoveret, in prædiolum, quod dudum sibi in confinio basilicæ sancti [d] Cypriani exstruxerant, sese conferunt retrudendæ. Hic jam constituta beatissima virgo incomparabiliter flebat, lugebatque ubertim, et suam quietem quam gerebat in montibus, et tumultus quos in urbe incurrerat. Semper tamen et corde et lingua clamabat : *Tu nosti, Domine, quia diem hominis non concupivi super terram* (*Jerem.* XVII, 16). Semper prædicabat, semper orabat, semper Psalmos canebat, semper in ore ejus laus et benedictio Domini resonabat. Et quia virginum mansio præfati sanctuarii parietibus cohærebat tantumque objectu maceriæ a vestibulo altaris dirimebatur ; si quem forte cantum sanctorum laudibus resonantem per natalia martyrum audisset a clericis psallentibus, confestim quadam jucunditate cœlestium desideriorum compuncta prorumpebat in lacrymas ; ut non minus illam introrsus crederes proclamare : *Sitivit anima mea ad Deum vivum ; quando veniam et apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?* (*Psal.* XLI, 3, 4). Ipsis etenim nexibus corporis, quibus in hac peregrinatione mens sancti cujusque retenta, ab illa ineffabili claritate sanctorum cum magna supernorum desideriorum siti exusta se jungitur, velut obstantibus murorum repagulis ne ad civitatem viventium concito, quo vult, gressu pertingat, quasi e regione onus membrorum sibi credens, resistere plorat et dicit : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?* Cum illo utique esse desiderat, cum quo Apostolus resoluta jam mortalitate cupiens permanere, dicebat : *Dissolvi et esse cum Christo melius est* (*Philipp.* I, 23).

10. Verum indesinenter his votis sancta Columba insistens, cum plus aliquid, ut reor, in semetipsam cruciatus ipsa inferret, quam furens [e] imploderet carnifex, vigiliarum, jejuniorum, atque orationum scilicet continuando labores ; quasi parva essent ista omnia, proprio et ultroneo in se voto illata tormenta, velut de suis etiam meritis, etsi majora exerceret, non confidebat. Ac metuens, ne centesimum virginitatis suæ fructum vacuum apud Patrem commodi reperiret, ad ineffabile martyrii indubia lucrum aspirat, quod peccatores etiam directo tramite in regnum mittit cœlorum, dicente Evangelio : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI, 12). Hinc jam ardentius in amore Christi succensa, concitis ad eum gressibus cui fideliter servierat anhelans pervenire, quibusdam etiam revelationibus ad id frequenter impulsa ; quodam die irrupto latibulo, reseratis tacite foribus in forum digrediens, licet [f] incognita viarum urbis existeret, provido tamen exploratu, quo judex moraretur, addiscit.

[a] Forte *imperaret* Suysken.

[b] Intextum ex sparto seu junco stramentum. Inde apud Ovid. in Fast. *Scripea matta*. MORAL.

[c] Græcum est vocabulum, quasi tu dicas, *contemplationem*. ID.

[d] Et hæc basilica intra urbem fuit. ID.

[e] Id est, *inflicturus esset*. SUYSKEN.

[f] Pro *ignara*. ID.

11. Ibi cum pervenisset, ejusque astaret obtutibus, dat professionem catholicæ fidei, profert evangelicam veritatem, iniquum dogma retundit, auctoremque magni esse sceleris talia præsumentem annuntians, ipsum denuo arbitrum, quare se talibus sacrilegiis combinaret, blandis admodum verbis hortatur. Cujus speciem verbaque miratus, illico eam in palatium ducens, satrapum concilio repræsentat. Ibi adhuc profitetur, prædicat, admonet, omnes suæ potius debere saluti consulere quam vanis insistere deceptionibus, quibus eam transvertere conabantur. Dicebat etiam, non talem Christus habet sponsam, quæ inmutari de pristina compactione ararum ejus prævaleat. « Nam quis ditior illo est, ut vos me copiis rerum credatis illicere? Quis pulchrior eo est, cujus speciei forma præ filiis hominum claret, ut vos me nuptu terreno arbitremini oblectandam? Quis cultus vel secta evangelicæ fidei veritate sanctior est, quæ per totum orbem apostolorum vocibus promulgata, æternæ spei credentibus præmium repromittens, omne prophetismum, quod ab illa dissentit, anathema esse in veritate non dubium est? Quamobrem relicta vanitate, verum Evangelii ducem requirite, quo melius filii lucis, quam genimina tenebrarum, mortisque soboles appellemini. Ille etenim dixit: *Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris: et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum* (*Joan.* VIII, 12, *et* XI. 26). »

12. Igitur cum fortissimam virginis constantiam [a] consules universi adverterent, neque immutari posse talibus imbutam oraculis cernerent, neque hortatum assertioni ejus ferre valerent: continuo ante fores palatii eam trucidari præcipiunt. Quam (1) cum summa reverentia (2) foro constituentes, (3) non se prius decollari permisit, quam præmio lictorem virgo sacratissima honoraret. Sicque pronior cervicem inclinans, in lapsu [b] juguli delicatum corpus sternitur. Nec mora, ut erat lineis indutum, cadaver sporta imissum alveo projici principes mandaverunt, nec sicut cætera occisorum cadavera, aut pro foribus neglexerunt, aut equuleo suspenderunt XV Kalend. Octob. æra DCCCXCI. Quod post sextum diem illæsum et integrum quorumdam solertia monachorum divinitus nobis allatum est, dignoque officio in Basilica (4) sanctæ Eulaliæ virginis et martyris, quæ in vico Fragellas constituta est, honorabilem meruit sepulturam. Hoc nobis ad fidem de ea relatum est.

13. Cæterum tu sacratissima, quæ utiliter Ecclesiam catholicam et vivens conversationis exemplo, et moriens celso meritorum instituis patrocinio, esto memor cultoris tui; erue me laqueis mundi, abstrahe perturbationibus sæculi, et confer post mortem requiem paradisi. Per Dominum nostrum Jesum Christum qui vivit cum Patre et Spiritu sancto, unus et immortalis Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XI.

Pomposa virgo et martyr.

1. Igitur cum ad multorum notitiam ipso die rumor consummati martyrii prædictæ virginis pervenisset, et non solum totam civitatem verum etiam viciniora loca inserperet, virgo quædam venerabilis, nomine Pomposa, ex cœnobio Sancti Salvatoris, quod ad radicem Pinnæ Mellariæ constitutum est, quo dudum se cum parentibus, fratribus et cognatis Christo militatura contulerat (ex quo antea beatissimus Fandila ejusdem loci sacerdos olim descenderat); mox ut illud martyrium a dicentibus comperit, alio die [c] cita occurrit. (1) Hæc namque virgo beata parentum et propinquorum sanctam conversationem, quam gerebant in Corduba, ex qua erant progeniti, cernens, confestim avida mente tali se voto assignans, cum his simul mundum spernit, labentia deserit, integritatem promittit, mansuraque perenniter toto nititur conatu appetere.

2. Quapropter parentes ejus, distracto patrimonio, præfatum cœnobium construentes, in eo loco, qui ex eo quia ab antiquitus congestos in illa celsiori rupe apum industria favos, (2) qui usque hodie permanent, majores nostri viderunt, Pinna Mellaria vocatus est. Ibidem autem se ad exercitium vitæ monasticæ collocantes, tradunt beatam hanc virginem inter illum suorum conventum pulchriorem gratia sanctitatis floruisse; et quæ ultimum per ætatem gradum tenebat, fit cæteris excellentiori culmine innocentiæ ac simplicitatis merito sublimata. Tantoque in Scripturarum meditatione fortissima permanebat, ut, si fieri posset, non diebus, non noctibus a lectione vacaret, nisi quarumdam ingruentium tempestatum impediretur procellis. Si quid forte ad suam exaggeratum sentiret injuriam, illa quæ macte [d] humilitatis gratia prominebat, cuncta patienti animo sustinebat. Instabat vigiliis, jejuniis, et orationibus crebrius incubabat, quibus favente Domino inviolabiliter votum posset conservare promissum.

3. Plura sunt, quæ de ejus sanctitate, referente nobis famulo Christi Felice monacho, ejusdem cœnobii abbate, cognovimus: quæ obtentu evitandi fastidium relinquentes, ad illud, quod eam sine dubio cœlo præmisit, quam propere festinamus. Cum enim summæ sanctimoniæ studium gereret, serviretque Deo fideliter, mox ut beatæ Columbæ martyrium comperit, illico interius igne conflagrata martyrii, fit admodum lætior tali nuntio recreata. Et quibus ad id posset pertingere passibus, tacito et singulari

[a] *Consules* hic pro magistratus vel gentis primoribus usurpavit. Sic lib. II, cap. 1, annum *consulatus* Abdarrahmi pro ejusdem *regni* anno adhibuit. SUYSKEN. Vid. ibi Moral.

[b] *Jugulus* hic pro *gladio* vel *securi*, qua jugulari solet, accipitur. ID. SUYSKEN.

[c] Hinc plane deprehendimus, cum alium diem (ut cap. 9) Eulogius nominat, crastinum debere intelligi. MORAL.

[d] Libenter hac voce cum Livio utitur. ID.

cogitamine ruminat. Et, o miram vocationem Domini, et supernæ dispositionis aditum patefactum, quo nullus prædestinatus [a] martyrio, martyrii gloria defraudatur; quo nemo cœtui Sanctorum ascriptus, humana potest illaqueatione teneri! Ferunt namque, quod multo satis ante hoc tempus hæc virgo ad martyrium convolasset, nisi quibusdam suorum impediretur repagulis, qui eam, causa sævientium persecutionum, alta servabant custodia.

4. Sed quid in se potest habere custodiæ conditio miserabilis, quando, sicut scriptum est: *Nisi Dominus custodierit, in vanum vigilant* (*Psal.* CXXVI, 1), qui humaniter se quippiam custodire arbitrantur? Etenim ipsa superveniente nocte, consummata in Dei laudibus nocturna vigilia, unus e fratribus suis, cæteris quiescendi gratia regredientibus ad cubile, quasi divinitus moneretur, et certe non sine providentia Domini, arrepta clave portam monasterii inconsuetus aperuit, minimoque tantummodo clavo superposito retrusit. Ad quam illa silenter accedens, et clam ostium reserans, vadit per tenebras noctis cœlesti lumine illustrata: totumque illud iter vasta horridum [b] solitudine ante lucis crepusculum transiens, clarescente mane urbem ingreditur, seseque obtutibus judicis præsentari non differt. Ad quem sanctæ fidei rationem proponens, vatemque impudicum simplici exhortatione confundens, confestim ille gladio trucidandam decernit, sicque ante fores [c] palatii constituta, exempto capite consternatur XIII Kalend. Octob. (3) æra DCCCXCI. Cujus cadaver in flumen projicientes, quorumdam [d] mercenariorum studio in quadam fovea [e] congestum desuper multo pulvere tumulatur. Ex quo iterum, Christo favente, post dies pene viginti industria quorumdam monachorum inde abstractum, ad prædictum beatæ virginis Eulaliæ sanctuarium reportantes, digno ibidem sacerdotum et religiosorum ministerio, ad pedes sanctæ Columbæ humatum est. Quod nihilominus divina credimus dispensatione peractum, ut quæ se in vita sua tanta charitate dilexerant, morte etiam ac sepultura indivisæ manerent, regnante Domino Jesu Christo in sæcula sæculorum.

CAPUT XII.

Abundius presbyter et martyr.

Ex hoc autem tempore, decem mensibus [f] interjectis, quidam presbyter, Abundius nomine, de vico [g] Ananellos, qui est in montana Cordubensi, exortus, ibidemque sacerdotium suum peragens (ferunt), quorumdam commento, vel fraude gentilium, ad martyrium fuisse [h] pertractum. Sed ille Dei famulus cum se quadam vocatione in sacrificium verum cœlitus aptari conspiceret, quo nolens ducebatur, grato animo adiit. Ac sic interrogatus a judice, intrepida responsione rationem fidei pandens, ultimo scelerosum dogmatistem ejusque cultores veridicis assertionum objectis inculcat. Ideoque sub celeri indignatione peremptus, canibus et bestiis devorandus exponitur V Idus Julii, æra DCCCXCII.

CAPUT XIII.

Martyrium sanctorum Amatoris, Petri et Ludovici.

Succedenti denique tempore, quidam presbyter adolescens, nomine Amator, qui olim ex oppido [1] Tuccitano cum genitore et fratribus suis Cordubam discendi gratia adventarat; et Petrus monachus, ac (1) Ludovicus contribulis noster, et frater Pauli diaconi, cujus martyrium liber secundus exponit, ex civibus Cordubensibus orti, uno se fœdere colligantes ad prædicandam evangelicam veritatem aptarunt; ideoque celeriter sub præcedentium professione perempti sunt II Kalend. Maias, æra DCCCXCIII. Quorum corpora fluvialibus immersa gurgitibus, Deo fautore, post aliquot dies littori exponuntur, et cum penitus nullam suæ quietis sanctus sacerdos notitiam dederit, manent tamen cæteri sancti venerabiliter in præcognitis locis repositi. Nam beatus Petrus in Pinnæ Mellariensis cœnobio tumulatur, Ludovicus in vico (2) Italicensis provinciæ, nomine (3) Palma, quæ Singilio flumine præsidet, digniter requiescit.

CAPUT XIV.

De Witesindo martyre.

Ea tempestate Witesindus quidam vir ætate jam plenus, ex provincia (1) Egabrensi, qui nescio ob quam persecutionem dudum fidei sanctæ lapsum incurrerat, dum ad exercitium nuper indepti cultus adhortaretur, abnegat se ejusmodi sacrilegio manere infectum: quod vel carnis infirmitate, vel circumventione diaboli subito sibi susceptum est. Illo momento cum talia fateretur, sub celeri indignatione peremptus est, æra qua supra.

CAPUT XV.

Heliæ presbyteri, Pauli et Isidori monachorum martyrium.

Præterea Helias presbyter jam senex ex provincia Lusitania, cum Paulo et Isidoro monachis adhuc juvenili ætate florentibus, sub priorum professione perempti sunt XV Kal. Maii (1), æra DCCCXCIV. Quo-

[a] Verbum *martyrio*, quod Schottus nescio quare omisit, occasionem dedit Constantino Suyskeno ad diem 19 Septembris hanc notam subjungere: *Non quilibet prædestinatus; sed quilibet ad martyrium prædestinatus, ejus gloria non fraudatur.* Superflua est animadversio in lectione textus quam edidit Morales.

[b] Et sufragoso etiam per clivos et saxa itinere præruptum. MORAL.

[c] Vides iterum forum ad arcem ipsam exstitisse. IDEM.

[d] Recte Suyskenus: *Passim creduntur illi mercenarii Christiani fuisse, aut a Chistianis conducti, ut venerabile corpus flumini... subductum, humi mandarent.*

[e] Forte *congesto*. SUYSKEN.

[f] Annus insequens jam nunc denotatur. Is fuit 854. MORAL.

[g] Frustra, quid de hoc viculo dicere possim, inquiram. ID.

[h] Hæc latinius emendanda; aut legendum: *fertur, pertractus.* SCHOTT.

[1] De hoc oppido retro dictum jam est. MORAL. Schol. in lb. II, cap. 8.

rum corpora patibulis elevata, post multos dies Bœtico sinu conduntur.

CAPUT XVI.

De Argimiro monacho et martyre.

Inde præterea Argimirus quidam (1) confessor, vir nobilis, et ætate jam plenus, ex oppido Egabrensi cognationem ducebat; et quodam tempore Cordubæ Patriciæ (2) censor a rege præfectus exstiterat. Cum semotus ab administratione judicii, otium cœnobii incoleret quietus, quorumdam ethnicorum dolo vel odio circumventus, accusatur coram judice de subsannio vatis sui, et exprobratur de professione divinitatis Filii Dei, quodque isto omnipotentiorem nullum alium fateatur, et illum vanitatis auctorem, ducemque asserat perditorum. Continuo Dei servus sub grandi et ferocissimo judicis motu conjectus ergastulis arctius coactatur. Quem coram se post aliquot dies jubens assistere, dum suis adhortationibus et [a] lenociniis quoddam verborum profano ritui mancipare studet nec prævalet: pertinacem in sancto proposito militem Christi equuleo viventem imposuit, enseque transfossum peremit IV Kalendas Julias, æra DCCCXCIV. Cujus corpus cum post multos dies ex præcepto judicis de patibulo deponeretur, cujusdam religiosi solertia sancti Acisceli basilicæ deportatur, ac digno sacerdotum ministerio prope tumulum prædicti martyris, et sancti Perfecti humatum est.

CAPUT XVII.

De Aurea virgine et martyre.

1. Ea tempestate virgo quædam nobilis, nomine Aurea, sanctorum Adulphi et Joannis martyrum, de quibus in præcedentibus memoravimus, [b] soror, quæ a tempore collisionis eorum, devotionis præmio fungebatur, cum revelatis sacræ religionis studiis in cœnobio Cuteclariensi, quod antiquitus sanctæ et gloriosæ virginis Mariæ nomini dedicatum est, commaneret (1) per annos ferme triginta et amplius, cunctis fidei suæ notitiam donans, nec ullis adumbrata pavoribus, conversationem Christianismi sui patulo gerebat congressu. Et quia erat stemmatis ortu præcincta, grandique fastu Arabicæ traducis exornabatur, nullus exterorum virginis fidem [c] incursare audebat, donec quidam suorum ex provincia Hispalensi, unde genus trahebat, divinitus, ut arbitror, concitati, quo jam debita ante mundi constitutionem virgini corona martyrii pararetur, et præstantius in cœlestibus de consummato lætaretur triumpho, causa explorandi ad se perlati rumoris fidem, ac propositum virginis, venientes, callide contribulam suam gratia [d] sospitandi sese invisere mentiuntur. Quam non solum Christianam, verum etiam sacræ devotionis (2) insignitam stigmate conluentes, confestim de ea judici referunt quæstionem. Qui et ipse jure nativitatis eidem virgini concretis adhærebat prosapiis.

2. Tali ergo stimulatus relatione, suis eam assistere jubens obtutibus, quare se tam nobiliter auctam famulatu fidei Christianæ degenerem reddiderit, vilique proposito tam præcelsi generis infecerit [e] infulam, clementi admodum exhortatu compellat. « Sed poteris, inquit, quampropere totis absolvi pædoribus, debitamque interpolatæ originis recipere claritatem, si tui gerens consultum, fidei nostræ cultibus intimis te votis admittendam elegeris, summisque nobis affectibus parens, quod sequimur sequaris, et quo ducimur, ire contenderis. Si vero et contemptos nos, et etiam quæ colimus abrogaveris, et illos quos hactenus æmulata es, intuitu fidei sectare decreveris; post varia diræ cruciationis tormenta, post multiplicium dolorum immensa supplicia, quæ merito tanti criminis rea rependes, postremo turpissimæ mortis supplicium incurres. » Ferunt eodem momento virginem sub judicis objurgatione cessisse, et omne sibi imperatum libenter exsequendum polliceri. Et quia melius de rebus non [f] expertis silendum est, quam procaciter incognita ventilare, cujus rei obtentu hæc ipsa negatio martyrem futuram subrepserit, utrum formidine carnis, an causa disponendi rem familiarem, incompertus testificare non audeo, nisi forte ex subsecutis eventibus, quibus postmodum obstinanter in professione perdurans, promeritam adepta est lauream, ut sese conjectura arbitratus humani habet, carnis illam infirmitate non succubuisse credamus.

3. Igitur post auditam judex oris ejus professionem, qua juxta omnes ritus legis suæ degere spoponderat; illico abeundi, quocunque vult, sibimet libertate collata, e vestigio domum regreditur, ac sicut prius militans Christo, nullatenus a proposito sanctæ fidei desuevit, nec a fidelium contubernio se passa est disgregari, quin potius illorum persæpe se cœtibus conserens, quos pietatis religio perlustrabat, condignis fletibus affectuque interno lapsum linguæ deplorans, spei suæ veram fiduciam ad Redemptoris alligat indulgentiam, si forte reatu prævaricationis obnoxiam famulam non repellat, qui adulteram ab exitio lapidationis eripiens (*Joan* VIII, 11), Petrum a maris fluctibus incubantem apostolico functurum primatu receptat (*Matth.* XIV, 31), furemque [g] patricidio coinquinatum suo comitatui paradisum lustraturus admittit (*Luc.* XXIII, 43). Nec obesse fidebat prælargæ et incomparabili Domini pietati inutilis famulæ momentaneum crimen, apud quem multimoda miseratio et redemptio copiosa et exuberans

[a] Forte *lenocinio quodam*, aut *lenociniis quibusdam*, aut *lenociniis quorumdam verborum*. Ita recte Schott.

[b] Artemiæ igitur, de qua lib. II, cap. 8, filia. MORAL. Hoc caput vitam continet SS. Floræ et Mariæ, quam nos post documentum martyrii edimus.

[c] Forte *incusare*. GUILLELM. CUPERUS ad 10 Julii.

[d] Schott. et cum eo Cuperus *hospitandi*.

[e] Bene Cuperus: *Per* infulam *hic metaphorice significatur turpis dignitas, ut ex sensu colligitur.*

[f] In veteri *expertis* tantummodo fuit, sed descriptoris haud dubie vitio, cum sensui aperte refragaretur. Ideo nos negationem adjecimus. MORAL.

[g] Vid. Schol. in Apologetic., num. 1.

prævenit gratiæ dono indignos, et quibus strenui laboris stipendia nulla suppeditant, consulta pietate justificat. Auget præterea virgo sancta compunctionem, studium lamentationis multiplicat, votis vota congeminat, et duplicato mœrore affectuque mentem perurgens, ne supremo examine aut de scelere condemnata æterno mancipetur supplicio, aut a consortio fratrum suorum, Adulphi scilicet et Joannis martyrum beatorum, congruis meritorum repagulis detrudatur, felicibus votis adnititur.

4. Exin claro intrepidoque processu frequenter ecclesiam adiens, jamjamque in virtute Domini roborata, terrenis abstracta contagiis et cœlesti curiæ anhelat ascribenda : si forte cujusquam recidivo contestationis eventu in jus denuo mitteretur. Sed hæc callidus veterator non leviter ferens, cum fideliori conciliatu nuper elapsam, Creatori suo nunc quam antea militare intelligit, nec in aliquo penitus profuisse circumventionis suæ præstigium contuetur, quin injecto stupore nescio cujus hebetudinis, transversam virginis linguam a professione veritatis leviter et perfunctorie contestaverat, ore, non corde fuisse sublatam advertens ; haud dubie condæmonibus de extenuato cursu conqueritur, dicens : « Hæc cælebs pridem me labiis fortuito honorans modo cor ejus præcinctum virtute superna, grandi objectu a meis disparatur illecebris. » Et idcirco quemdam in persecutionem beatæ virginis pruritans denuo, ad perquirendam tyronem fidei suæ compulit.

5. Nonnulli interea gentilium ejus explorantes conversationem, nihilominus juxta priorem habitum Christi famulam reperientes, illico de ea coram judice questum deponunt, crimen asserunt, dolosque prætendunt ; et ut tanti abusus præsumptioni vindex occurrat, talesque ausus legali auctoritate percellat, perversis linguis contendunt. Qui protinus vehementi ira commotus, ferocium truculento satellitum ministerio suis eam attrahere conspectibus jubens, illico exhibitam de contemptu nuper adepti cultus redarguit, de neglectu promissi comminatur propositi, et cur tanti [a] juris decretum non reverita sit, horrisonis percontatur clamoribus.

A Tum virgo, quæ se noverat ad tale jam divinitus electam certamen, ut erat prudentioribus diserta facundiis, sancto jam perlustrata respectu, judici refert : « Nunquam a Christo Deo meo seperata sum, nunquam a religione pietatis ejus discessi, nunquam profanationibus vestris vel ad momentum inhæsi, licet dudum coram te, lapsu quodam sermonis, lingua succubuerit. Erat autem cor meum fiduciam habens in Domino, qui me suarum promissionum introrsus adminiculis erigebat, dicens : *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet* (*Joan.* II, 25). Inde quamvis verbotenus laqueum prævaricationis incurrerim, vivido tamen sanctæ credulitatis tenore cor præmunitum gerebam. Nam statim quo a te digressa sum, et votis et affectibus B lacrymosis quem ab infantia mea didiceram cultum exercui, fidem servavi, propositum gessi. Restat ergo jam nunc, ut secundum profanationis vestræ ritum, aut gladio vindice puniar, aut si inultum præterire factum hujuscemodi potest, de reliquo tota me libertate ad cohærendum Christo Domino [b] prætermitte. »

6. Tunc immanissimus arbiter virginis assertione succensus, facturus de ea regi relationem, ergastulis mancipavit, ingentique vinculorum onere coarctavit. Quam alio die per decretum principis gladio trucidans, confestim exanime corpus ejus cujusdam homicidæ patibulo, qui ante paucos dies affixus fuerat, capite deorsum suspendi præcipit ; cujus beatum cadaver cum cæteris furum membris, C qui tunc ob flagitium interempti sunt, Bœticis immersum gurgitibus nullum hactenus comparendi vestigium præbuit. Christus autem Deus et Dominus noster, qui est adjutor bellantium et martyrum coronator, qui dat lassis virtutem, se quoque requirendi affectum insinuans, providam pulsandi januam misericordiæ suæ confert intentionem, multimodo rerum effectu secundum placitam sibi dispensationem præscitam et prædestinatam ante mundi principium ad coronam martyrii famulam suam in pace suscepit. Cui est honor et gloria, virtus et potestas in sæcula sæculorum. Amen. Coronata est hæc virgo XIV Kalendas Augusti, æra qua supra.

[a] Forsan *judicis*.

[b] *Connivendo sinito*. MORAL.

SANCTI EULOGII

ARCHIEPISCOPI TOLETANI ET MARTYRIS

DOCUMENTUM MARTYRIALE

EPISTOLÆ PRÆVIÆ.

EULOGIUS ALVARO.

Mittit ad Alvarum Documentum martyriale quod virginibus Floræ et Mariæ scripserat, priusquam eisdem legendum traderet, Christiana modestia et insigni circumspectione, ut in fine apparet, commotus.

Charissimo fratri meo ALVARO EULOGIUS.

Semper, mi frater, recordatione peccatorum meorum compunctus, luctum non amitto quotidianum; quoniam ex frequenti usu non deest a me peccandi affectus. Super his quoque vehementi carceris mœrore confectus, non minus ex improviso tædium mihi occurrit ex eo die (1) quo me Serenitas vestra præmonuit ne a glorificatione militum Christi desisterem, ne primam de eis sententiam meam irritam facerem (2). Quia propterea quod illi viriliter inimico justitiæ restiterunt, crudelitas nos tyranni carceralibus mancipavit ærumnis, nostris deputando hortamentis, quod in eos divinitus inspiratum est. Quasi futura foret hæc nobis occasio facilis vituperandi (quod absit) quos olim laudaveram, laudandosque verbo et stylo extuleram. Qua de re coactus sum hujus opusculi laborem aggredi, quod forte et nostræ credulitatis de victoria eorum futuris generationibus redderet testimonium, et istis virginibus propter veritatis professionem nobiscum devinctis, spei certandi præberet adminiculum. Quod ego pro arbitrio meo DOCUMENTUM MARTYRII credidi appellandum. Tuum est autem, frater charissime, huic volumini auctoritatem donare; quia priusquam earumdem virginum adiret obtutus, tuo elimari eum judicio volui; ne forte errore nescientiæ in aliquibus repugnaret catholico dogmati. Ave in Domino Jesu Christo, frater charissime.

ALVARUS EULOGIO

Laudat opus ad se missum, et judicium de eo ferre tum modestiæ causa, tum operis præstantia detrectat.

Luminosum vestri operis Documentum ex illis [a] Orientalibus, de quibus legitur, pomis valde bonis eleganter collectum, atque ex vitalibus succis, et ex quadrifido fonte virtutum operosa arte confectum, juxta congenitum litterarum studium mihi perlegi, et non discutiendo, sed admirando, textum totius opusculi laudabilis percurri. Et quod ex thesauro A sapientiæ Dei a docto scriba nova et veteri reconditione prolatum est, alte profundeque totum rimavi, nihilque dignum, quod tanto rependerem operi, in tenuissimo pectore pauperis tui inveni. Vere ad instar illius Joseph reconditum triticum tempore necessitatis dispensas, et fame veri laborantibus alimoniæ victum impertiris, atque adipe spiritali arida corda pinguescis. Quidquid enim de sanctis Scripturæ fontibus a quoquam potuit unquam hauriri, a te assumptum, discussum est, atque digestum. Et plane nobis omnibus aliquid mutire volentibus silentium deinceps manet impositum. Eloquenter namque, atque splendide oratorum more, imo scholastica eruditione totum opus digestum, et humana pariter ac divina instructione perfectum, B non discussione indiget, sed potius laudari inquirit. Nec egestate laborantibus scientiæ seipsum discutiendum committit, sed in corda (1) infularum præconiis digna, et virtutum laude [b] cothurnata alto se extollendum boatu infundit. Quod vero meo (quod sæpe probasti) scientia egeno judicio tantum fulgorem committis, licet humilitati vobis congenitæ hoc notum sit assignari; tamen cavendum est, ne fulgor materiæ et auctoris splendor furvo inficiatur horrore. Præsertim quia tenebræ discutiuntur a luce, et horrida semper caligo splendore fugatur nubium, quas densas grassedine aureum jubar serenat. Nec compertum est, ut vice contraria discutiant tenebræ lucem, aut densus aer suo subdat judicio solem. Ego vero, mi domine, opu- C sculum Dei Ecclesia dignum, et Christo opifici et coronatori martyrum in primordio sui votiva cordis oblatione sacratum non humano audeo subdere judicio, quod certum novi inspiratione divina ex arcano pectoris vestri prolatum. Et ideo sicut per vos Spiritus sanctus locutus est, ita et nomen, quod ipse auctor bonorum consensione, imo electione vestra imposuit ei, ut perenniter hæreat, et perpetua memoria vigeat, nostra quam consulis pusillitas videt. Raptim cursimque ipsum opusculum legi, sed ad rescribendum illud retinere dubitavi, ne forte culpabilis vestro fuissem amori. Peto autem, ut in alio quaternione apertiori manu illis sororibus scribatur, et istud ad me pro rescribendo denuo revertatur.

D

[a] Alludit ad paradisi terrestris descriptionem, quæ Gen. cap. II, habetur. MORAL.

[b] Elata et sublimia. Poetæ more loquitur, sumpta audacius ex tragicorum habitu metaphora, qui cothurnis sublimes efferebantur. ID.

IN NOMINE DOMINI

INCIPIT LIBER [a] DOCUMENTUM MARTYRII EULOGII PRESBYTERI,

Quod in carcere positus virginibus Christi Floræ *et* Mariæ *ergastulo mancipatis dicavit* [b].

PROOEMIUM.

Qui copiis rerum, et multiplici quæstu pecuniarum exuberant, quidquid in rebus terrenis affectant, facile consequuntur. Sed multo aliter est penuria et fame vexatis, qui vix quotidianum victum operoso sudore capessunt. Dives enim cogitavit et fecit; pauper cogitando defecit. Ast ego illis longe inferior egestate scientiæ laborantibus, et eorum, qui exigua litterarum parcitate subnixi sunt, nimium ultimus, hoc opus abjecto satis (ut ita dixerim) stylo sensuque digestum, ex eo *Documentum martyrii* appellavi, ex quo quorumdam virginum animos reorum mancipatarum specui ad consummandum cursum certaminis imbui; seu quia profuturum fore cæteris talia exquirentibus credidi. Non igitur facundiæ nitore quæ mihi oppido deest materiam libri succinxi, non leporem venusti sermonis in exstructione ejus intendi; sed quomodo per hujus instrumenti virtutem Deum possem propitiari, meoque me reatu absolvere [quoniam scriptum est: *Qui converti fecerit peccatorem, salvat animam ejus, et suorum cooperit multitudinem peccatorum* (*Jac.* v, 20). Et iterum: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* xii, 3):] inde hoc procemium et præsentibus et futuris precem humilem defert lectoribus, ut simplici studeant percurrere animo, quod simplex depromit oratio, simplexque dictavit intentio. Et si fortassis in aliquibus sanæ doctrinæ sententiam meam obstare repererint, nescientiæ id, non voluntario errori ascribant; meliusque emendando indulgeant, quam reprehendendo derogationibus vacent; quia non erit ad culpæ meæ titulum coram Domino referendum crimen, quod non est ultroneo lapsu commissum.

EULOGIUS SERVUS CHRISTI (1) VIRGINIBUS SACRIS FLORÆ ET MARIÆ CARCERE COMPEDITIS SALUTEM.

1. Parvum hoc opus instructioni vestræ, ut reor, necessarium, sanctæ in Domino Jesu Christo sorores, operæ pretium condere visus sum, quod Deo fautore vobis fiet proficuum, mihique et nunc et in futuro examine surget in testimonium; vel quia ipsius dono, et sancti illustratione Spiritus organum linguæ meæ præconio veritatis repleri confido: vel quia cœptum voluminis hujus laborem ab eo et perfici et sanctificari spero;

A vel quia fecisse vos magna et laudabilia verbis prædico, sensibus admiror, litteris effero, superasse vos viros, superasse clericos fateor. Excessit virtus vestra præclara monumenta virorum, et in excelsis elatum laboris vestri vexillum dat omnibus piæ orationis documentum: incitando desides ad triumphum, imbecilles armando ad prælium, debiles roborando ad bellum, tergiversantes hortando spe vincendi redivivum ad castra pugnatorum facere reditum, et universæ ecclesiæ specimen pro veritate moriendi exhibendo signiferum. Propterea non discedet laus vestra de ore hominum usque in sæculum. Siquidem præconabilis est virorum victoria, excellentior tamen feminarum extollitur palma; et cum magnum sit in viris

B victoriæ signum, plerumque gloriose efferuntur mares (2) triumpho adorearum; majoris vero est admirationis laude colendum feminas, [c] rem fecisse virorum; quippe quæ sexus sui fragilitatem oblitæ, celsa virtutum appetere non verentur, in qua subinde fortium vigor lassatur. Denique hac magnanimitatis virtute olim legales feminæ Esther et Judith subnixæ fuerunt, quæ propter salvationem populi Dei hostium sese periculis injecerunt. Num una earum Aman in perniciem Israel nefaria machinantem persuasit regi crucifigendum (*Esth.* vii, seq.): Altera sopitum quiete vitiorum Holophernem salvo pudore peremit (*Judith.* xiii, 4 seq.). Et sic eum excellenti victoria medias pugnatorum acies scindens, suum revisura populum

C voti compos regreditur.

2. Unde vos, quæso sorores meæ, ut, harum exemplo succinctæ, in excidium adversarii Dei animosum spiritum erigatis; et ut tam vos quam catervam fidelium a perditionis æternæ laqueis eruatis. Cœptum anhelate iter perficere, quia hæc via facilius et velocius vos ad thalamum sponsi vestri perducet. Est enim angusta et arcta semita, sed compendiosa celeritate vos sub unius horæ spatio ad sponsi vestri pervenire faciet gaudium. Non desit sacrario pectoris vestri primævus ardor bellandi, quin potius quotidianis incrementis intra mentium vestrarum recessus sit adauctus, solemniter crepitans, quasi ex uno ore ambæ [d] clamare: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus*

D *est, et ego mundo* (*Gal.* vi, 14).

[a] Scriptus circa finem octobris anni 851.

[b] Titulos, qui in exemplari fuerant, omnes reliquimus. Moral.

[c] Hispanismus Moral.

[d] Forte *clamantes*.

3. Non vos, sorores meæ, sæculi blandimenta de- A cipiant, qui Christum Dominum ore apostolico audistis dicentem : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit hunc mundum, non est charitas Patris in eo. Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum est, et superbia vitæ: quæ non ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transiet et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II, 15 seq.). Non vos copia rerum illiciat, quia scriptum est: *Nolite sperare in iniquitatibus, et in rapinis: nolite concupiscere divitias: si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* XLI, 11). Et iterum : *Nolite sperare in incerto divitiarum* (*I Tim.* VI, 17). Non vos carceris squalidus horror avertat, quæ vere scitis prophetas, apostolos, et beatos martyres per carceralia vincula ad cœlestem B patriam pervenisse: multisque secreta mysteriorum in antro positis revelata sunt. Non vos contubernium scortorum exturbet, quoniam scriptum est: *Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.* II, 2) : et Dominus quidem *cum iniquis deputatus est* (*Marc.* XV, 28), et inter utrumque latronem affixus est. Non vos furentis judicii terror immutet, quoniam nec capillus de capite vestro sine jussu Patris vestri avelletur. Non vos convicia injuriarum deterreant, quoniam scriptum est: *Nolite timere opprobium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; et sicut lana, sic deflorabit eos tinea* (*Isa.* LI, 7, 8). Non vos supplicia illata pœnarum marcescant, non immanitas dolorum exsupe- C ret, non vulneribus tormentorum vigor fidei vestræ succumbat quia scriptum est : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ vero in nullo possunt nocere; sed potius eum timete, qui potest corpus et animam perdere, et mittere in gehennam* (*Matth.* X, 28). Dominus et magister vester hoc jubet, sorores meæ ; et ex ejus deifico ore ista prolata sunt. Jam non est ultra quos metuas, *pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (*Luc.* XII, 32). Roboretur prorsus vehementius humana fragilitas, et exserta manu in certamine pro Deo suo exerceat pugnas. Ipse dabit auxilium, ipse victoriandi conferet meritum, qui tale auditoribus indixit præceptum : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). D

Comminatur certe hostis publica vos venalitate dimittendas, foroque imponendas, et nefariis vulgarium prostituendas obscœnitatibus, crudeli exsecutione nundinaliter distrahendas ; sed neque hujuscemodi obsecro sedatis furoribus : *Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas* (*Psal.* CXXIV, 3). Ipse enim vos providus scrutator secretorum vestrorum vestrique vigoris collator propulsari tentationum molestiis non sinet, quibus probari, et non succumbere posse vestrum spiritum sperat. Quod si (quod absit) persecutoris voluptas improba intercesserit, et vim corporibus inferens, dicata Deo membra libidinose invitas oppresserit; procul sit tantum ab appetitu animi perniciosa consensio ; quia non polluet mentem aliena corruptio, quam non fœdat propria delectatio.

5. Quapropter in harum tentationum discrimine, quarum gravi conflictatione hinc inde prominentibus bellis imbecillitas humana vexatur ; dum corporis integritatem amittere veretur, vel perditam periisse dolet etiam coram Domino præmia integritatis suæ meretur. Nec (dum inter homines vim perpessa, jam caro turpis notam infamiæ subiisse verecundatur) crimen est ; sed id potius intuendum, idque omnibus modis affectandum est, quod nos Deo inculpabiles reddat, non autem metuendum quod vulgus de nobis judicium feret. Quoniam non vacuabitur mercede incorruptionis mens, etiam carnis integritate adempta dummodo permaneat sub testimonio sui opificis castitas interioris hominis illibata.

6. Nam quantumlibet adversariis cedat infirmitas carnis, quibus datum est corpora trucidare, tormentis affligere, stupris coinquinare, pœnisque diversis addicere ; in nullo tamen animabus sanctitatis propositum conservantibus possunt nocere. Quia, ut beatus ait Hieronymus : « Corpus sanctarum mulierum non vis maculat, sed voluptas. » Et iterum sanctissimus Augustinus [a] : « Non amittit corpus sanctitatem manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso ; sicut amittitur corporis sanctitas, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto. » Sic Joseph, sic Jeremias, sic Daniel, et tres pueri, multique Hebræorum fideliter Deum colentium illa tempestate venundati sunt, et tamen a verbo Dei non recesserunt : quia nullum in statum devenerunt, quo Deum suum non invenirent ; illum utique [b] ipsum, cujus in mente et intentione passionem ferentes, et dum cæderentur, et dum secarentur, et dum lapidarentur, et dum venderentur, Christi passionem cogitabant, qui impio post multa sæcula proditoris discipuli distrahendus erat commercio.

7. Denique Jonas propheta Dei nutu ponto de navi projectus (*Jon.* I, 11 seq. ; II, 1 seq.), belluinis faucibus raptus, ex improviso carceri horrifico mancipatur. Sed tamen expers omnis rationis monstrum illud rationabiliter Creatori suo obsequens, mystice tantummodo conservandum sibi vatem creditum fore intellexit, et inde non demoliendam perniciter alvi sui specubus reverendam prædam reposuit. Ut quæ erat prophetæ causa periculi, fieret postea nationibus credituris in sacramentum mysterii : et ex eo infractus visceribus, et incolumis permaneret, ex quo triduani temporis se-

[a] De Civ. Dei, lib. I, cap. 18.

[b] Hic locus misere fuit in exemplari lacer et depravatus. Nullus prorsus erat sensus. Nos quo quo modo potuimus, emendavimus et supplevimus. MORAL.

pulturam mortis portendebat Dominicæ, quod A abrogans Dei sui mandatis parere, Tarsum maluit navigare. Sic [a] Malchus monachus in captivitate, victrici dextera castitatem tuetur, crudeliumque dominorum jugo exuitur, dum pro eo, intercedente pudicitia, armata ungula servit, immani feritate impium conterens Dominum, qui pudicum in antro suo immunem reliquerat Malchum. Sic Paulinus Nolanæ urbis episcopus, vir eximiæ sanctitatis et incomparabilis meriti, propter unicum viduæ filium sponte subiit [b] servitutem, exemplo veri magistri commotus, qui dum liberum et coæternum frueretur cum Patre et Spiritu sancto cuncta disponendi imperium, nec præiret genitoris potestas majestatem prolis coævæ (quia, natura Divinitatis indivisibiliter persistente, diversitas personarum B inconfusa manebat, una eademque Patris, et Filii, et Spiritus sancti substantia existente) *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniens, formam servi accepit, humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II, 6, 8),

8. Quapropter, sorores meæ, hoc Dominicæ passionis exemplar ante oculos cordis statuentes, et ejus vestigia jugi meditatione sequentes, omne temporale supplicium pro nihilo reputate ? Quia licet sit asperum et amarum, breve tamen est atque fini contiguum, et sub unius momenti spatio aut qui infert perit, aut sustinens deficit. Quia pœnæ si acriores [c] sunt, cito ingerunt patiendi defectum ; si vero leviores sunt, facilius tolerantur. C In utroque semper gloriandi vobis manet tropæum, in utroque semper felicitatis cumulatur profectus, dum per multimodam excruciationem veluti aurum igne probatum, puriores animæ vestræ decidentibus scoriis vitiorum redduntur, et acrius pœna grassante maturum laureandis vobis infert interitum, incunctanter vos nihilominus ad verum præmittens solatium, de quo per Prophetam dicitur : *Dabo eis solatium verum, pacem super pacem* (*Jerem*, XIV, 13).

9. In hujus igitur vitæ corruptione, quantalibet quisque nostrorum tranquillitate fruatur, commodis vegetetur, prosperitate feratur ; ex eo tamen quia peregrinamur a Domino, magis desolationem esse quam pacem in veritate fatendum est. Quia D cuncta, quæ temporalibus rebus hærent, et vario mundi lumine perlustrantur, nihilominus vanitati corruptionique succumbunt, et facile a statu suo labuntur, dicente Salomone : *Omnia vana sub sole* (*Eccle.* I, 14).

10. Hinc vehementius piis Deo affectibus supplicandum est, sanctisque frequenter studiis insistendum, et *quasi lucerna in caliginoso loco lucente* divinarum Scripturarum præcepta sanctorumque jura verborum e tenebris nostræ peregrinationis, quibus a Domino et beatorum consortio separamur, contemplanda sunt, et servanda, *donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris* (*II Petr.* I, 19). Unde, si libero aspectu Deum cernere anhelamus, prius fide corda purificanda sunt, operibus consecranda, et muro charitatis hinc inde vallanda, quibus profecto illius sacri Evangelii sponsione incunctanter condigni habeamur, qua dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matt.* V, 8). Inde quæso vos, beatæ virgines, ne perdatis coronam vobis paratam, nec vos a charitate Christi cujusquam rei mundialis oblectatio segreget ; sed æquo animo cum Apostolo prædicate dicentes : *Quis enim nos separabit a charitate Dei ? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius ?* (*Sicut scriptum est, quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut ovis occisionis.*) *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII, 35 seq.). Quin potius ista omnia propter æternam retributionem alacrioribus animis votisque ardentioribus et quærenda sunt, et ferenda. Manet enim unicuique apud Dominum reposita laboris sui corona, et pro qualitate certaminis repensabit ille fructum mercedis.

11. Equidem nec nos divino beneficio extorres fieri credimus, nec expertes, aut ingratos cœlesti munere speramus : quia, licet inviti, tamen pro nomine suo sumus devincti, et alto ergastulorum laqueo deligati. Repleta sunt penetralia [d] carceris clericorum catervis ; viduata est Ecclesia sacro præsulum et sacerdotum officio. Horrent divina tabernacula squalidam solitudinem, aranea texit templum, tenent cuncta silentium. Confusi sunt sacerdotes, et ministri altaris, quia *dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren.* IV, 1); et desinentibus in conventu hymnis cantionum cœlestium, resonant abdita carceris murmure sancto psalmorum. Non promit cantor divinum carmen in publico, non vox Psalmistæ tinnit in choro, (3) non lector concionatur in pulpito, non Levita evangelizat in populo, non sacerdos thus infert altaribus. Quia, percusso pastore, dispersionem intulit ad-

[a] Ejus Vitam S. Hieronymus egregie conscripsit, ait Baron. in not. ad Martyrolog. die 21 Octobris. Ab hoc diversus est, etsi in multis conveniat, monachus ille quem Sozomenus Malachionem vocat, qui iisdem temporibus vixit, de quo lib. VI, cap. 32.

[b] De hoc insigni charitatis exemplo quod S. Gregorius Magnus prius commemoravit, acriter in utramque partem disputant eruditi ; sed tu videas Dissertation. VII Joan. Baptistæ Le Brun ad calcem Operum B. Paulini edit. Paris. 1685. Danielem Papebrochium ad diem 22 Junii in Append. *de Tribus Paulinis*, § II, et cæteros quorum meminimus in tom. I nostræ Collection. ad cap. XVII. Opusc. S. Isidori *de Viris Illustribus*.

[c] Ex antiquorum philosophorum subtilitate hoc est desumptum, ut ex Ciceronis tertia Tusculana apparet. Et non absimile est illud Senecæ : *Dolor decidit, ubi quo crescat, non habet.* MORAL.

[d] Misera illa Reccafredi episcopi tempora deplorat, de quibus Alvarus in Vita D. Eulogii. MORAL.

versarius gregi catholico, privata prorsus Ecclesia A omni sacro ministerio. Et licet hæc inviti sustineamus, non esse tamen immunem coram Domino detentionem nostram confidimus.

12. Quanto vos nobilior gloria præstantiorque corona, o sanctæ sorores meæ, expectat, quæ sponte sæculo et fluxibus ejus renuntiantes, zelo Dei armatæ, intrepido gressu contra hostem fidei libero exsilistis processu! Digne quidem munere divino, condignæ autem prophetali oraculo, quo dicitur: *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino* (*Judic.* v, 2). Proferentes testimonium veritatis in auctorem sceleris, et institutorem perversi dogmatis, victricia contra eum arma assumite, jejuniis, vigiliis, orationibus, et clamoribus, diebus ac noctibus B insistentes. Rogo vos, sanctæ sorores, ne desistatis a cœptis, ne cessetis ab inchoatis, ne resiliatis a præliorum auspiciis; quia non inchoantibus præmium, sed perseverantibus datur. Ne respiciatis retro, nec primam fidem irritam faciatis, nec, manum super aratrum tenentes, ab itinere regio in devium declinetis, festinate ad mercedem laboris vestri vos accingere, contendite ad culmen perfectionis ascendere. Quia post victoriam miles coronatur strenuus, et jam consummato labore, conductis mercenariis merces dispensatur. *Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit* (*II Tim.* II, 5). Certare vero legitime est, omnibus a corde exclusis labentium rerum affectibus intuitu capessendi regnum cœlorum, aut cum C justitia vivere usque ad mortem, aut non timere propter justitiam mortem. Nam cum justus redivivam semper dæmoniorum usque ad obitum perferat litem, nec desint ab eo tentationes usque ad finem: recepturus pro qualitate certaminis in futuro mercedem, quantavis sanctitate præcellat, non pergit securus, non vadit ad Deum intrepidus. Ille vero, qui, sectando justitiam, pro justitia mori eligit, celerem instantibus bellis defectum imponit, æternumque indubius ad regnum ascendit. [a] Sit qualis vult, et ex quibuslibet vitiorum laqueis seu peccatorum sordibus venerit, etiamsi illotus [b] baptismate ad martyrium convolaverit, nihilominus coronatur.

13. Ne terreamini, sorores, furoribus persequen- D tium, neque formidetis a faciebus eorum, neque enim timere vos faciet Dominus vultum illorum. Vobiscum ille est qui vos armavit, idem propter vos pugnat qui incitavit. Nec adjuvare desistet ille ipse, qui vos ad hunc peragendum agonem elegit, quo devictis adversitatum stimulis, secum jure perenni conregnare faciat temporibus infinitis.

14. Verum ad eos veniamus (4), qui vos ab hac intentione inhibendas esse putarunt, et illam primordialem confessionem vestram infringere et negare jusserunt, quam vos incitante Christo sponte coram judice protulistis. Nos autem talia vos agere interdicimus, quia Deo est obediendum potius quam hominibus. Magister enim noster fundatores Ecclesiæ Apostolos nostros ad prædicationem Evangelii informans, hoc eis dedit præceptum: *Si quis me confessus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, hunc et Filius hominis confitebitur, cum venerit in gloria Patris sui, et sanctorum angelorum* (*Marc.* VIII, 38). Non oportet, sorores meæ, votum vestrum irritum facere, quia scriptum est: *Si quid vovisti Deo, ne tarderis reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa negare* (*Eccli.* v, 3, 4). Non erit Deo inultum, ut post confessionem veritatis denuo veritate repudium detis, illudque os, quod testimonium veritatis proferendo divinitus sacratum est, mendacio polluatis. Qui enim ista vos facere jubent, nihil aliud quam mentiri suadent. Et qui ad hoc mentes vestras inclinare contendunt, nihil aliud quam veritatem negare compellunt. Nulla itaque differentia est inter mendacem, et veritatem negantem; quia eodem reatu mihi videtur astringi vera abrogans, quo et falsa depromens. Mendax enim nititur falsum commentum loco veritatis inserere; vera autem obtegens, silentio suo falsitati administrat vigorem. Hinc evenit, ut veritas celata non pateat, et falsitas subnixa prævaleat. Utrumque vero unum sunt, et ob hoc impunita non erunt. Scriptum est enim: *Testis falsus non erit impunitus* (*Prov.* XIX, 5). Et iterum: *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 11). Quare ergo, sanctissimæ sorores, vosmetipsas interficere, vestrarumque animarum parricidas fieri non timeatis? Neque enim aliud agit quam hominem occidit, qui seipsum occidit; et gravioris culpæ criminibus obnoxius judicatur lictor animarum quam corporum. Quoniam elisa caro quandoque surgit pro meritis cum anima regnatura in gloria; vitiis autem anima interempta secum pariter carnem pertrahit ad gehennam.

15. Nunquid mentitæ estis in eo quod patulis assertionibus in adversarium fidei catholicæ protulistis? Nunquid omne convitium, quod in ipsum prævium Antichristi dixistis, non verum et certum est? Virum dæmoniosum, Satanæ ministrum, mendacio plenum, mortis ac perditionis perpetuæ filium. Nunquid non omnis catholica Ecclesia identidem quod et vos Deo testimonium refert?

16. Proponunt certe vobis expugnatores sancti propositi eremitatem ecclesiarum, compeditionem sacerdotum [c], dispersionem ministrorum; et quod non est nobis in hoc tempore sacrificium, *nec holocaustum, nec oblatio, nec incensum*, cuncta vastante sacrilega manu, omniaque turbante favore tyrannica (*Dan.* III, 38 seq.). Sed respondendum est eis, *sacrificium Deo* acceptabile esse *spiritum contribulatum* (*Psal.* L, 19): et quod in anima contrita, et in spiritu humilitatis ita a Domino suscipiamur, sic-

[a] Hispanismus, *séase qual quisiere*. MORAL.

[b] Theologi sacri baptismum Flaminis vocant *martyrium*. ID.

[c] Schot., *dispositionem ministeriorum*.

ut in holocaustis arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum: *quia non est confusio confitentibus eum* (*Dan. ubi supr.*) Vos ergo, sorores beatæ, jam in illo reti Dominico captæ estis, quod in dextera navigii ad præceptum magistri missum, plenum magnis piscibus littori expositum est. (*Joan.* xxi, 6), ad hoc reservatum, ut scrutinio apostolorum foris malis projectis, perenni vos societate jungamini electorum catalogis. Si vero sciscitante judice, negaveritis vos maledixisse vatem, maledicemini; nec detestatas fuisse quod Dominus detestatus est, duplici peccato eritis obnoxiæ. Unum erit mendacii, negando veritatem quam jam confessæ estis; aliud subtrahendo coram inimico justitiæ verbum confessionis. Et certe quæ non maledicimus e contrario benedicimus, quem non detestamur, quasi favendo nostræ societati admittimus.

17. Unde insistendum est, sorores meæ, ut cœpta bella cum divino auxilio in pace animarum vestrarum consummetis, nosque potiori interventu de cœlestibus tueamini. Quoniam si sic vobis pius Dominus non deest auditor, facilius tamen ejus contuberniis cohærentes, quidquid ab eo petieritis impertietur. Quia sic immaculata virginitas liberis passibus Dominum sequitur, sic munda castitas a Redemptoris sui consortio non avellitur, sic etiam purpureo martyrii aspersa cruore sertis diadematum victrix amicta comitatur. Deus enim Ecclesiam suam a molestia vastatoris defendet, nos quoque, sicut voluerit, invicta potestate de vinculis istis eruet, et custodiet, sedibusque propriis misertus restituet. Vos tantum, sorores, perseverate usque ad mortem carnis ut non solum animarum periculum evadatis, verum etiam in vitam æternam eas custodiatis, dicente Domino: *Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodiet eam* (*Matth.* x, 39).

18. Tunc autem quo pacto inculpabiles essetis, si communi cum nostra Ecclesia silentio in hac re uteremini, non de testando publice quem frequenti impugnatione blasphematis occulte? Nec statueret vobis Dominus ad reatum, quod sola cordis meditatione, non oris professione ipsum referretis in forum, æmulando magis prætextum hujus nostræ Ecclesiæ, quæ hoc tempore contra ipsum vatem iniquum clandestinis agit invectionibus? Pro eo quod [a] præpediente facinore, elapsa additione Gothorum respublica, quæ olim in Hispanis aucta felicitate Ecclesiarum, et summa dignitate pollente sacerdotum, ab eis moderantibus gubernabatur; in istius nefandi cultorum privilegium vatis occulto justoque Dei judicio transvecta est. Quoniam quæcunque Dominus nobis intulit, in vero judicio fecit, et hæc omnia propter peccata nostra, atque, ut scriptum est: *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos. Aquas nostras pecunia bibimus, et ligna nostra pretio comparavimus. Servi dominantur nobis, neque est qui redimat nos de manibus eorum.* Qui gravissimo jugo colla prementes fidelium, omne a regni sui finibus, sicuti cernitis, genus excludere moliuntur Christicolum; nunc pro suo libito tantummodo exercere nos sinentes Christianismum; nunc dira servitute fetere facientes ritu Pharaonitico sudorem nostrum; nunc intolerabiliter a nobis vectigalem extorquentes chirographum; nunc publicum imponentes miserorum cervicibus censum; nunc rebus nos abdicantes, crudeliter detrimentis atterunt rerum. Et ita vario oppressionis genere orthodoxorum fatigantes conventum, diversoque persecutionis incursu gregem affligentes Dominicum, gratum se Deo suo nostris jacturis credunt præstare obsequium. Quanto tunc præstantior nobis gloria a Domino præstaretur, si, desidiam respuentes, documento vestro excitati, talia peragere festinaremus, nec nos sub divino impiæ gentis laborare stimulo pateremur? Sed nos miseri eorum oblectati sceleribus non incongrue Psalmistæ denotamur oraculis, qui ait: *Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptibus eorum, et factum est illis in scandalum* (*Psal.* cv, 35, 36). Heu proh dolor! quia esse sub gentibus delicias computamus, jugumque cum infidelibus ducere non renitimur. Et inde ex quotidiano usu illorum sacrilegiis plerumque utimur, magisque ipsorum contubernia affectamus, quam ut exemplo Loth patriarchæ relicto Sodomitico rure in monte salvemur.

19. At vos, beatæ virgines, postquam strenue bellatrices ad publicum prosilistis certamen, et coram regibus et principibus mundi intrepida confessione repulistis justitiæ hostem; pugnandum est vobis usque ad mortem; quia hoc genus certaminis in morte glorificatur, et tunc bravium miles accipit, quando moritur; eoque fit de corona victoriæ certus, quo se ardentibus bellis injecerit moriturus. Sic vos, obitum distrahentes corporeum, æternum vitæ perennis emetis statum, luci perpetuæ mancipatum; dumque cœlestia pro terrenis mutando acquiritis, et dispensando labentia, in ævum mansura percipitis, præcipuis meritorum, vestrorum exemplaribus Ecclesiam catholicam informatis, quo mundana abdicando, supernis rebus intendat. Manet igitur vobis, sorores meæ, ex utraque parte victoriæ commodum: manet ex utroque latere præmiorum indesinentium lucrum; et hinc non indecenter illud Psalmistæ vaticinium vestris justis laboribus exstat paratum, quo dicitur: *Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* cxi, 3).

20. Sed jam me in portu silentii constituto, priusquam volumen finem appetat, et sancto inspiramine educatis arma præliandi ministrare desistat, tecum mihi paululum loqui libet, o virtutum meritis florens Flora sanctissima soror, ut nostræ familiaritatis verbum auditu placido captans, secretario cordis recondendum admittas, nostrumque consultum sanctificatis mentibus tuis, ut pii patris præceptum reponas. Audi ergo, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum pa-

[a] *Causante.* Ita infra, *præpediente deliquio*, ad episcopum Pampilonensem. SCHOT.

tris tui, quoniam concupiscit rex speciem tuam. Non itaque vocatio tua cæterorum similis est. Siquidem tu lupino creata coitu, et ove matre progenita, quasi ex sensibus rosa frondescis. In nullo tibi ethnicum semen obsistens, tamen Christiano edita partu conceptum divinitus, piæque matris magisterio Dominum Jesum Christum adeo credula mente colueris, ut propter nomen ejus acrioribus cæsa flagellis, pristinam nullatenus professionem repuleris. Noveras enim sponsum tuum dixisse: *Tradent vos in conciliis, et in synagogis flagellabunt vos; et ad præsides regesque ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 17, *etc.*).

21. Hinc jam proposita auspice Deo gloria cœpit te comitari martyrii. Hinc nominis tui magnifica toto orbe fama diffundi, hinc pro te rumor agonis, populos nationesque peragrans, cœpit pluribus innotescere. Denique evulsam [a] ictibus flagellorum venerabilis tui verticis cutem, rimamque qua cæsaries pulchra defluxerat, ego persecutionis tuæ tempore intuitus sum, dignante te illud mihi ostendere veluti proximo patri puritate reverentiæ tuæ. Et blanda manu attrectans, quia osculis ipsa vulnera non crederem esse demulcenda; postquam a te discessi, diu alteque memet reputans suspiravi. Exponente vero coram me diffusa cœlitus gratia oris tui ingentia dolorum tuorum, casusque periculorum, qui te presserant et quomodo septa custodiæ, qua mancipata exstiteras, divinitus patefacta, nocturna tibi silentia aditum effugiendi præstiterint; reputavi conformem te esse Petri apostoli passionibus per hæc eademque gesta quæ cunctis ostenderas. Quippe quæ tunc divinitus absoluta, post sexennium de civitate in urbe de vico in oppido per multa et varia exsilia, atque latibula remedio fugæ contenta fueras. Et quæ prius intuitu evadendi enormes moles transcenderas, nunc quasi monenti Christo sponso tuo ac tibi dicenti: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie* (*Cant.* I, soror mea? Iterum venio [b] crucifigi; redivivo præliandi aucta regressu, forum adis, publicum petis, teque intrepida, confitendo Christum, et detestando fidei adversarium, judici offers; fortiterque ei resistens, laudans Christum tuæ salutis auctorem, pietatis extollis religionem, ac deinceps impudicum vatem infamans, nullatenus vera potuisse prædicare, mendacio plenum denuntias. Et ob hoc congrue Davidicum carmen decantas: *Loquebar de testimoniis tuis, Domine, in conspectu regum, et non confundebar* (*Psal.* CXVIII, 46); et iterum: *Bene nuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna. Ecce labia mea non prohibebo, Domine: tu cognovisti. Justitiam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, et salutare tuum dixi. Non celavi misericordiam tuam, et veritatem tuam a synagoga multa* (*Psal.* XXXIX, 10 seq.). Ac si patenter diceres: Testimonium veritatis tuæ, Domine, hactenus timore carnis celavi; jam nunc, tuis armata viribus, patefaciam, quia sic timere nescit Deicola, sic trepidare ignorat mens tuo munere opima.

22. Hæc ideo, Christi famula, domina soror mea Flora, tibi disposui, ut tantarum virtutum beneficia recolens, ne tuis collata cœlitus meritis perdenda reputes, ne conculcanda pertractes. Festina ad bravium, curre ad præmium, dum tempus capessendi instat potissimum. Paratus enim est sponsus tuus Dominus Jesus Christus titulum tibi conferre perfectionis, si pugnare usque ad mortem non cessaveris, si pro eo mori sicut a principio elegisti usque ad supremum contenderis, si hanc perfunctoriam pœnalitatem gaudiis oblectata supernis, pro nihilo penderis. *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Certa bonum certamen, soror mea virgo beata, et si acrius vulnereris, non cedas. Quia hæc vulnera æternæ sunt felicitatis auspicia, et sempiternis conferunt defectum doloribus. Cuncta permanent incolumia. Mors hæc vitam donat, cœtibus sanctorum agglomerat, et statum perennitatis fideliter ac viriliter in agone perseverantibus præstat. Verum quia se pridem claudi jam liber speraverat, cum me tibi singulariter verbum facere, o soror Flora, olim gesta primordialis martyrii tui cogerent, nunc ad utrasque reditum faciens, adhuc paululum communiter vobis loquens, quod mereamini præmium disseram, et sic deinceps prolixo sermoni finem imponam.

23. Inenarrabilia sunt, sorores meæ, præmia vestra, egregia multum nimis reposita munera. Accipietis enim a Domino fructum virginitati centesimum et gloriosi martyrii inenarrabile commodum. Occurret vobis obviam sancta et venerabilis regina mundi Virgo Maria, florentissimis virginum choris ornata. Aderunt [c] etiam fortissimi milites Dei, confratres vestri, Perfectus, Isaac, Sancius, Petrus, Walabonsus, Sabinianus, Wistremundus, Habentius, Jeremias, Sisenandus, Paulus, et Theodemirus, qui vos præcesserunt cum signo fidei, et victoriam de hoste tulerunt, vobisque januam perveniendi ad regnum aperuerunt, dignum itineri vestro præparantes occursum, atque dicentes: « Venite, sorores sanctissimæ, ingredimini thalamum sponsi vestri, quem eatenus dilexistis ut propter illum mori non timeretis. *Jam enim hiems transit, imber abiit et recessit* (*Cant.* II, 11), quia temporalis tribulatio a vobis devicta discessit. Properate, sanctæ sorores, festinantes cum jucunditate faciem ejus cernere, cui in veritate famulastis, pro quo mori non recusastis, ut in æternum vivatis. Percipite mercedem vestri laboris, et sumite lauream gloriosi certaminis. »

[a] Quæ sequuntur, fusius in harum duarum virginum passione D. Eulogius narrat; ubi etiam de martyribus quos hic nominat, late perscripsit. MORAL.

[b] Vid. Schol. in Passion. Floræ, num. 6.

[c] Horum omnium martyrium sanctas has duas virgines præcesserat, ut lib. II Memor. constat. MORAL.

24. Quis tunc existimare gaudium tuum poterit A o soror Maria? Quis illius felicissimæ horæ diffusam cœlitus mentibus tuis lætitiam compensabit, cum inter eos Levitam agnoveris Walabonsum, quem tibi pia parentalis affectio germanum generavit? Quis utrarumque vestrarum tripudium mortalibus conjecturis aut verbis humanis expediet, quæ, divino jam gremio constitutæ, inter affluentia divitiarum paradisi locatæ, incunctanter illius remunerationis donaria capietis? Quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Dominus diligentibus se (*Isai.* LXIV, 4).

25. Unde obsecro vos, sanctissimæ sorores meæ, virgines prudentissimæ, quæ semper oleo castimoniæ redundantes, ornatissimo lampadum cœles- B tium emicastis fulgore, quando tabernacula Domini intraveritis, ut mei memores esse dignemini: dum thalamum vestri adieritis sponsi, ejusque amplexibus incessabili merueritis fruitione conjungi, tuemini me precibus, defensate meritis gloriosis [a]. Prosit mihi peccatori hujus mediocritas succincta libelli, quem spiritali vestro flagrans amore, vestræ saluti consulens edidi: quod per eum vos institui: quod ad perficienda bella Domini incitavi: quod ut in conflictu non deficeretis, ense prædicationis armavi: quod illecebras quas fugere debeatis ostendi: quod præmia quæ mereatis disposui: quod in laudibus vestris prout potui me versavi. Vos nostis quid a vobis petierim, quid charitatis intuitu vobis indixerim. Ut digno inter- C ventu vestro omni vitio caream, culpis exuar, nesciamque delinquere; quo fideli famulatu omnipotenti Deo meo cohærens, fruar post transitum tam vestrum quam dominorum meorum consortio, in quorum defensione et laude opus condidi *Memoriale sanctorum*, quod immanitas [b] persecutoris me compulit relinquere imperfectum, Christo fautore quandoque nihilominus consummandum. Opitulationem sane perparvam voluminis in fine adjeci, quam et verbis simplicibus edidi, et vestro necessariam proposito fore percensui. Ut crebra meditatione vestris eam memoriis alligantes, tam pro vobis jam cœlestis aulæ luminibus vestigium cordis super tenentibus, quam pro totius Ecclesiæ catholicæ commoditate Domino offeratis, nostrique mentionem, prout textus exorationis poscit, loco ultimo faciatis. Ita vos Deus pacis ad perfectum sanctificet, ut animas et corpora sine querela in adventum Domini Jesu Christi servetis: Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ITEM ORATIO EJUSDEM EULOGII AD SUPRADICTAS VIRGINES [c].

Domine Deus omnipotens, qui sperantibus in te es solatium verum, timentibus te remedium indefessum, et te diligentibus perpetuum gaudium, accende igne amoris cor nostrum, et flamma tuæ charitatis pectoris nostri exure recessum, quo valeamus cœptum consummare martyrium. Ut, dilectionis tuæ in nos vigente incendio, decidant a nobis incentiva peccaminum, et malesuadæ titillationes procul effugiant vitiorum. Ut, dono gratiæ tuæ illuminatæ, cuncta mundi oblectamina valeamus despicere, et te puris mentibus ac votis simplicibus usquequaque diligere, timere, desiderare, et quærere. Da nobis, Domine, in tribulatione auxilium, quia vana est salus hominum. Da fortitudinem prœliandi in hoc certamine, et de Sion intuitu liberandi nos respice; quatenus passionis calicem tua prosequentes vestigia, possimus jucundo ore ebibere. Tu enim, Domine, Israelitas tuos olim sub diro Ægyptiorum jugo gementes, non solum potenti dextera liberasti, verum etiam Pharaonem et exercitum ejus in medio mari demersum, ad gloriam et honorem nominis tui omnino contrivisti. Da fragilitati nostræ [d] in hac congressione invictum resistendi inimico præsidium. Confer inter acies dæmoniorum et hominum contra nos insurgentium inexpugnabile dexteræ tuæ auxilium. Oppone in defensionem nostram numinis tui scutum, et usque ad mortem propter te viriliter dimicandi præbe suffragium, quo valeamus effusione sanguinis nostri passionis tuæ reddere debitum. Ut sicut pro nobis tu ipse dignatus es mori, ita nos quoque condigno pro te martyriali obitu facias interire: ut tormenta æterni supplicii per temporalem gladium evadentes, deposita sarcina carnis, ad te mereamur pervenire felices. Adsit etiam, Domine, absque obstaculo catholicæ plebi tua virtus piissima, defendens Ecclesiam tuam a vastatoris molestia, omniumque sacerdotum tuorum corona sanctitatis et castimoniæ ope subnixa, post illibatum sacræ officiositatis ministerium cœlestem adire jubeas patriam. Inter quos servum tuum Eulogium, cujus post tuum munus documentis instruimur, litteris edocemur, solatiis confovemur, prædicationibus animamur; omnibus peccatis mundatum, sceleribus universis abstersum, fidelem tibi efficito famulatum, tuo perenniter obsequio mancipatum; quo in hac mortalitate placitum tibi exhibens famulatum, condignus tuarum in futuro habitus muneribus gratiarum, saltem vel ultimum requiescendi obtineat loculum in regione vivorum. Per Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Epilogus concinne adhibitus, et artis integumento artificiosior. ID.

[b] Quo tempore ab Reccafredo episcopo missus est D. Eulogius in carcerem, necdum secundum librum finierat, quem postea, ut ibidem narrat, explevit. IDEM.

[c] Ita legitur in omnibus editionibus; nobis aliter videtur inscribenda hæc oratio, scilicet *Orationis formula ab Eulogio composita, qua sanctæ virgines cum pro universa Ecclesia tum pro ipso Deum deprecarentur.*

[d] Sumptum haud dubie ex pia oratione, qua in sacratissimæ V. Mariæ officio, ut vocant, ad sextam utimur: *Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ*, etc. MORAL.

SANCTI EULOGII
ARCHIEPISCOPI TOLETANI MARTYRIS
DE VITA ET PASSIONE SS. VIRGINUM FLORÆ ET MARIÆ [a].

PRÆFATIO AUCTORIS

1. Cum ad laudem Christi pertineat cultus reverentiæ, qui martyribus exhibetur, respondet tamen fidelibus in remedium animarum, quidquid religiositer in festivitatibus agitur beatorum : præsertim, cum per hoc, et per ipsorum patrocinia martyrum et summi Redemptoris acquiritur præmium in cujus honorem virtutem recolunt sanctorum ; ergo nostrarum virginum Floræ et Mariæ tropæa digesturi insignia non facundiæ lepori, non tonantibus euphoniis verborum serviamus; sed quod fidelibus simpliciter rei gestæ veritatem insinuet, observemus : quia sufficere nostris credimus veritatem pura simplicitate digestam, quam vano infulatum cultu fallaciam. Et sat nobis est fideliter referre quod fuit; quia non congruit sub venustate sermonis rem quæ non exstiterit adhibere. Illibata namque veritas, quoquo modo proferatur, firmiori gressu consistit, et ornatissime fictum mendacium paululum perseverat. Nec patitur Christus assertorem justitiæ immunem esse benedictionis præmio, cum tamen reatu homicidii astringatur prolator mendacii.

2. Harum igitur vocationem virginum quæ dispari solo progenitæ, et pari mortis occasu cœlestibus adunatæ sunt, sigillatim exponi necesse est; et quibus modis unaquæque earum prædestinatæ sanctificationis culmen attigerit, Deo fautore, saltim exili digeramus stylo.

S. Floræ genitores et eorum patria. Corduba nascitur et patre mortuo, pie a matre educatur. Mira Floræ abstinentia.

3. Primum igitur specie decoris et venustate corporis nimium florens virgo sanctissima Flora, sed interiori habitu florentissima, matrem Christianam habens (1) ex vico Ausinianos, qui ex parte occidentali milliaribus octo a Corduba distat, purissimis et nobilibus, ut ita dixerim, perfunctam natalibus, patrem vero gentilem ex oppido habuit Hispalensi. Hi, nescio qua occasione, propriis locis exsules, Cordubam degendi gratia accesserunt. Qui ex ultimo partu suo hanc infantulam procrearunt, et sublato per mortem genitore, fidelissimæ genitricis tutela sponsa Christi nutritur. Quam pia mater sacræ religionis legibus imbuens, docuit fideli credulitate colere Christum Deum, qui per uterum Virginis Mariæ ad nos ultimo tempore veniens, et per assumptam humanitatem hominibus proximus factus, per ineffabilem quoque Deitatem suam invisibilis, incomprehensibilis, et inextimabilis semper exstitit. Venerabilis namque puella tenerrimis annis fidei pietatem ebibens, cœpit intra mentis recessum altare sanctum construere, quo placita operum bonorum holocautomata Christo semper offerret. Quæ ab ipsis rudimentis infantiæ cunctis se vanitatibus sæculi privans, totum quod illa ætas (utpote plenitudine scientiæ expers) puoriliter affectat, superno jam delibuta rore conculcat. Nam quodam tempore, cum genitricem ejus adirem causa dignoscendi principium hujus puellæ conversationis, ipsa genitrix inquit : « In veritate [b] vobis loquor, quod meuntibus annis Christi amorem pectore suo recondens filia mea, sæcularium oblectationum cultum usquequaque spreverit, ac semper quæ Dei sunt, corde meditari studuit, semper opera sancta adimplere non distulit. Adeo ut in infantia sua cum diebus Quadragesimæ parvitati ejus consulens, sive ut illa ætas contigua robustius convalesceret, esu quotidiano, competenti prandii hora cibum ei porrigerem; illa in virtute Domini positum habens cor, egentibus eum ministrans, furtim beatum exercebat jejuninum. Sicque diebus singulis ipsa agente, pene maximum abstinentiæ tempus elapsum erat, cum clandestina infantis devotio vix quibusdam revelatur indiciis. Quam talibus inhibere votis ipsa obnitens, ne prius quam illud tenerrimum corpus adolesceret, marcore abstinentiæ quassaretur, conata sum jam ad epulum suadere diurnum. Eam tamen non potui provocare ad vescendum, nisi sero, et comminatione continua; perfecit tamen votum suum electa Christi sponsa. »

4. Ex eo tempore mater solerti vigilantia sobolis mores procurans, eamque in omnibus rebus Christo assignatam esse considerans, nullatenus deinceps contraire piis puellæ affectibus audet. Venerabilis vero puella Deo duntaxat placere studens, provida observatrix Evangelii attendebat Christo monenti et dicenti : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Ita purissimum cœlestis exsecutione præcepti introrsus præparans habitaculum, nihilominus sanctæ et individuæ Trinitatis quotidiano frui meretur adventu.

5. Verum dum exercitio sanctitatis id quod clam meditabatur, uberius in amorem Christi proficeret, lætareturque se Christo per eamdem religionem pe-

[a] Hæc vita et passio in cæteris editionibus leguntur in cap. 8, lib. II Mem. Martyr., ut jam ibi monuimus.

[b] Hispanismus merus MORAL. Vide Scholia in lib. I Memor., num. 18.

rennius esse ascitam, nec tamen passim fidelium interesse conventibus auderet, eo quod fratrem pestiferi dogmatis perfidum haberet cultorem, qui ejus assidue conversationem exploraret; ut ipsa erat natura prudens, et calens ingenio, didicit a sapientibus nihil proficere obscuratam credulitatem, et celatam confessionem Trinitatis, præsertim cum scriptum sit : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10); et iterum in Evangelio : *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis : et qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis* (*Matth.* x, 32, 33).

Deserit paternam domum, ad quem postea revertitur

6. Igitur instructa utiliter quomodo se in confessione nominis Christi haberet, sciensque non leve esse discrimen latenter credere Christum, et publice existere vexillo Satanæ denotatam; matre hinc inconsulta domum relinquens, clam cum sorore sua fugam iniit. Seseque tutioribus locis inter Christicolas collocantibus, sævissima insectatione frater earum (quem supra meminimus) propter illas Dei lacerat Ecclesiam, adeo ut nonnullos clericorum carceri tradens, conventum ubique religiosarum feminarum persequeretur. Et cum agnoscerent infestationem, quæ erga sortem Domini grassabatur, indignum dijudicantes se esse tutas, et Ecclesiam Dei vapulare : illico sancta Flora, quæ se noverat ad tale prælium divinitus fuisse electam, publico regressu in domum revertens ait : « En ego, quam [a] quæritis, adsum in medio vestri, pro qua Dei sortem insectamini : assisto intrepida, Christo credula, religioni favens catholicæ, stigmata crucis gerens, et omnium quæ cultum pietatis insinuant affectatrix. Vos modo, si potestis, hanc enervate confessionem : satagite crudelioribus tormentis fidem meam evincere, et (quod fieri omnino dubito) a Christo me separari contendite : pro cujus amore quidquid ad supplicium meum sævus imploderit arbiter, gratissimis decrevi animis supportare. Credo, probabitis me inter pœnas fortiori pertinacia, quam nunc in prima congressione, Christum Jesum confiteri. »

A fratre torquetur, et accusatur ut Christiana, sed fortiter Christum confitetur : quamobrem dire verberatur.

7. Frater autem ejus ille perversus hæc audiens, cædibus ac minis interdum, et blandis eam nitebatur revocare sermonibus. Sed cum cerneret, nihil conatum suum proficere, quinimo se quasso aspiciens labore consumi, ad judicem eam pertrahit, dicens : « Hanc mihi sororem, o judex, ultimus partus matris ejecit, quæ simul mecum cæremonias A legis venerabiliter excolens, debitum semper erga cultum fidei nostræ obsequium exhibebat; sed Christiani crebro eam urgentes instinctu, vatem nostrum abnegare, ritumque detestari fecerunt, et quadam lenocinatione Christum esse Deum credere illexerunt. » Quam judex, utrum se sic haberet illa delatoris germani quæstio, sciscitatur. Extemplo ipsa fratrem impium abnegat, cultumque Mahometanum se nullatenus novisse testatur; et adjungit : « Christum ab infantia mea novi, ipsius documentis instructa sum, ipsum habere Deum decrevi, ipsique integritatem corporis mei ejus olim thalamis oblectanda promisi. » Hæc ubi virgo sanctissima protulit, mox sacrilegum pectus judicis furor immanis exagitat, et in cædem mar- B tyris iram admovens, inter utrumque satellitem apprehensis manibus eam extendi præcepit, diroque verbere caput ejus pertundens, tandiu flagris insistit quousque decisa cum cæsarie cute, os verticis nudum pateret. Perdurat nihilominus adolescens martyr et virgo in sua confessione. Tunc judex semivivam et pene exanimem impio fratri eam delegans, admonet, ut confota medicamine, et verbo legis instructa sibi demum, nisi se converterit, præsentetur.

Includitur domi a fratre, sed aufugit et delitescit usque ad tempus martyrii.

8. Perductam deinde in domum suam Christi virginem hostis, non frater, ille iniquus domesticis eam feminis demulcendam fomento et verbo com- C mittit, magnis solummodo trabibus catenarum [b] feras mansionis obtrudens. Quia ingenti maceria totius prædioli ambitus præmunitus, omnino de nulla evadendi sollicitudine quemquam arguebat. Ideoque non post multos dies vulneribus expiata fortis Flora, cum se sospitem esse sentiret, quadam nocte per contiguum (2) infra cortem domui hærens tugurium, celsum parietem juvante Domino scandens, inde se foris plateali solo projecit. Quæ nullo stimulata dolore, cœpit per tenebras noctis, angelico comitante ducatu, quo Dominus vellet ingredi; sicque cujusdam fidelis inter illud chaos nocturnum hospitio recreata, cum aliquandiu ibidem commaneret, deinceps præclarum (3) Tuccitanæ urbis viculum [c] Ossariam intuitu la- D tendi petens, ibi cum [d] sorore sua usque ad tempus, quo martyrium consummavit, delituit. Et ego, ego ille peccator, ego dives iniquitatum, qui a principio martyrii sui amicitia ejus fruitus sum, combinatis manibus meis cicatrices reverentissimi et delicati illius verticis attrectavi, cum ictibus flagellorum virginalis coma elapsa fuisset.

Sancta Maria Virgo et martyr. Traditur educanda in cœnobio Cuteclarensi.

9. Verum quia Deo fautore beatæ virginis Floræ

[a] Virgilii est hemistichium, quod sciens volensque Eulogius sicut alia hujusmodi interseruit. Moral.

[b] Catena aliquando in usum pessuli deservit. Moral.

[c] Hoc oppidum, quanquam præclarum dicatur, nullam sui memoriam reliquit. Id.

[d] Baldegothone sine dubio, ad quam post Floræ martyrium ipse Eulogius epistolam dedit. Schot.

auspicium conversationis ac martyrii adnotatum A est: operæ pretium reor, si itidem sanctæ Virginis Mariæ et martyris processum nativitatis, primordiaque religionis edisseram; ut quibus par fuit consensio præliandi idemque assensus pro justitia moriendi consimilis exstet in relatu vocationis etiam hujus virginis intentio calami. Hujus pater ex oppido Elephensi non infimus prosapia, Christianus tamen, huc adventasse perhibetur. Qui ex genere Arabum conjugem ducens, totius impietatis errore eam emundans Christi fidei consignavit. Quapropter cum eadem conjuge proprium incolere arvum non valens, per diversa profugus agitur, quousque divino gubernaculo ad oppidum Froniano pervenit, qui in montana Cordubensi in parte occidentali duodecim ab urbe milliaribus B distat, utroque pignore comitante, quod ex ea susceperat, Walabonso scilicet, et Maria. Ibi vitam suam pro viribus sustentarunt; ibi mulier illa luporum crepta faucibus, in fide Christi perseverans, post nonnullum tempus in Domino requievit; ibi superstes vir gradu confessionis potitus, arctissimum vitæ perennis callem gaudiis oblectandus cœlestibus ingreditur. Sed puerum ecclesiasticis regulis educandum, sortique Domini admiscendum piæ memoriæ Salvatori presbyterio tradidit, qui tunc præclaro regimine sancti Felicis monasterium, quod in eo loco fundatum est, gubernabat. Sanctam vero hanc virginem Deo devovens, Cuteclarensi cœnobio, quod gloriosæ et semper Virginis sanctæ Mariæ genitricis Domini fulget C memoria, consignavit, constituens eam apud quamdam summæ sanctimoniæ feminam (4) Artemiam nomine, quæ et ipsa geminum pignus per martyrialem obitum olim cœlo præmiserat, Adulphum scilicet, et Joannem, qui in primordio regni principis hujus viriliter de hoste triumpharunt. Quorum instar siderum cœli gesta micantia ad emolumentum Ecclesiæ sanctæ, et exemplum debilium, senex et magister noster, atque illustrissimus doctor (de quo in libro [a] primo meminimus) beatæ recordationis et memoriæ Speraindeo abbas stylo latiori composuit.

Quam pie educatur.

10. Artemia igitur gratia sanctitatis, provectæque ætatis, seu obtentu martyrum filiorum, cæte- D ris in eodem cœnobio commanentibus feminis antecellens, totius monasterii virginalis conventus jussu auctoritatis ejus intendebatur. Docuit autem puellam, sicut ipsa noverat, Deo servire in omni humilitate, castitate, et obedientia, et timore Domini animum ejus exercens. At non post multum tempus prædicto sacerdote Salvatore mundo recedente, puerum etiam ad se nutriendum pater reduxit. Qui duo futuri martyris gratia Spiritus sancti in Dei timore magnopere proficiunt. Tandem vero per gradus ecclesiasticos adolescens ille Walabonsus succrescens, honore diaconii fungitur (pollente nihilominus in omni honestate religionis sanctimoniali puella, cum se nimia charitate diligerent, et alternati germanitatis dulcedine in omni dilectione spiritali sibimet invicem obedirent). Quia vero præcedebat ætate Virgo sanctissima adolescentem germanum, loco genitricis soror ab eo excolitur, et in prolis affectum commutavit fraternum amorem.

Ejus fratre pro Christo interfecto, e monasterio sancta egreditur, eique Flora occurrit, et utraque judici se offert.

11. Igitur dum inter eos hæc assidue gererentur, dispensante Deo, Levita dignissimus Walabonsus cum beato Petro presbytero, seu cum cæteris confessoribus (sicut superius [b] comprehensum est) martyrio coronatur. Et qui ævo ultimus erat sorori, fit primus electione martyrii. Denique remanet destituta præsentiali solatio fratris Christi ancilla, quæ ante mundi constitutionem ad martyrium prædestinata, intus extraque semper tuebatur intercessione fraterna. Et (ut se habet conditio fragilis) cum crebrius fraternum suspiraret obtutum, cujus in proximo fruitura erat consortio per quietem quamdam sanctus martyr quamdam admonet religiosam, ut jam soror Maria pro se plorare desisteret, quoniam vicino tempore ad eum in supernis esset ventura. Ex eo die uritur cor virginis amore martyrii, et quæ fratris obitum impatienter lugebat, subito divinitus illustrata impatienti ardore ad martyrium anhelat.

12. Quodam igitur die, invitante ut credo, Christo, monasterium derelinquens, forum petitura descendit, quo sicut cæteri martyres, qui jam cœlesti præmio oblectabantur, hæc quoque virgo Christum confitendo, et fidei sanctæ adversarium repellendo, corona martyrii potiretur. Quæ dum ecclesiam beati Aciscli martyris in ipso adhuc itinere positam intuitu Dominum obsecrandi intrasset, Dei nutu ibidem sanctam Floram in suffragio suo preces martyrum advocantem invenit. Quæ et ipsa Christo dicenti sibi (5): Iterum venio crucifigi, redivivo præliandi studio calens, olim cœpti martyrii palmam e loco latibuli sui alacris inventura descenderat. Tunc se invicem datis osculis salutantes, alterno consultu explorant se. Et cum unum idemque votum suum existere mutua proderet confessio, dimidiante Christo qui dixerat: *Ubicunque fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII, 20); illico indissolubili fœdere charitatis nectuntur, nulla se ab invicem occasione divellendæ, nulla intercedente fortuna desciscendæ, nullisque ab alterutro, quamvis sævissimis, imminentibus casibus disparandæ, qui ad interitum earum pro confessione veritatis exaggerarentur, quousque et ista Christum, et illa in cœlestibus fratrem adiret Walabonsum. Sicque in ipso impetu judicibus assistentes, ita firmiori allocutione prima, ut reor, sanctissima Flora eos agreditur, dicens:

[a] Lib. I Memor., num. 7.

[b] Lib. II Memor., cap. 4.

13. « En ego illa sum, quæ, pro eo quod gentilitio semine procreata Christo adhæserim, dudum a vobis, ut eum abnegarem, diro verbere lacerata sum. Quæ hactenus infirmitate carnis huc illucque profuga delitescens [a], nunc jam in virtute Dei mei subnixa, vestris adstare non verens prætoriis, eadem qua primum constantia Christum Deum in veritate profiteor, scelerosumque dogmatistam vestrum pseudoprophetam, adulterum, magnum et maleficum esse protestor. » Tunc deinde virgo venerabilis Maria diffusione cœlestium gratiarum sanctificato protulit ore : « Et ego, judex, olim inter illos confessores magnificos habens germanum, qui non levi subsannatione vatem vestrum infamantes occubuerunt, similique audacia Christum esse in veritate Deum asserens, ritum vestrum legisque cæremonias dæmoniorum figmenta esse profiteor. » Extemplo sævissimus arbiter vesano concitatus furore, sub voce illa terribili frendens, virginale propositum asperrimo deterret boatu minis exprobrat, clamoribus arguit, adjiciens carceris squalorem, et contubernium scortorum.

Carceri mancipantur, ubi eos confortat S. Eulogius.

14. Suscipiunt denique abdita carceris sponsarum Christi membra tuenda magis quam eliminanda, quæ semper pudico honestata decore ab ipsis cunabulis actu sanctimoniæ præpollentes, præcipua virtutum gratia reluxerunt. In quibus aliquandiu sanctæ virgines permanentes, insistant jejunio, orationi incumbunt, totumque illum horrorum ergastuli cœlestium meditatione hymnorum expediunt. Tunc nos etiam ex antro [b] deducti, cum isti carceri deputarentur, Deo favente, ad instructionem illarum, librum *Documentum Martyrii* condimus; eisque jam pene a proposito suasione quorumdam labentibus, in solatium meditandi et consummandi prælia inchoata dicavimus, con- A nectentes in finem opusculi orationem suo certamini, omnique Ecclesiæ congruentem.

Inde eductæ occiduntur.

15. Igitur permanentes in laudibus Dei, et sacratissimæ virginis, post tertiam admonitionem prosternendæ in forum eductæ sunt. Taceam judicis sciscitationem vicibus allatam eis, vel una vel sigillatim ad beatissimam Floram (6), sicuti jam alibi [c] digessimus. Et intuitu mediocritatis aliquid silentes, ne fastidium protractus sermo legentibus generet, mors virginum pretiosa stylum competenti fine coarctat. Inde præcipiti ducatu ad locum decollationis ductæ, sacra signacula vultibus imprimunt. Et sic, extensis collis, post beatam Floram B sancta Maria prosternitur. Quorum corpora canibus devoranda ac volucribus discerpenda ibidem relinquentes, alio die in flumen projecerunt. E quibus cadaver sanctæ Mariæ virginis et martyris cœnobio Cuteclarensi, a quo ad martyrium descenderat, donante Deo reponitur; cum tamen corpus beatissimæ virginis et martyris Floræ, quo situ Dominus reposuerit, penitus ignoretur. Capita vero illorum in Basilica sancti Aciscli martyris reconduntur, quo præsentiali corporis sui favore populos Christianos tuetur.

16. Ultimo tantummodo historiæ loco insinuare curamus, quod, priusquam virgines beatæ deciderent, quibusdam consororibus promiserunt quod eo ipso, quo Christi coronatori suo assisterent obC tentu adeptæ gratiæ sponsum precantes, nos vinculis liberarent; quod ita Deo fautore peractum est. Nam illæ octavo Kalendarum Decembris martyrium consummantes, nos tertio earumdem Kalendarum compedibus resolutos ab squalore carceris eruerunt, æra qua supra. Per Christum Dominum nostrum, qui vivit cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Per integrum sexennium a fugæ suæ tempore ut constat ex Docum., num. 21. SCHOT.

[b] Diximus jam (Schol. in cap. 6, lib. II, Mem.) de utriusque carceris Cordubensis discrimine. MORAL.

[c] In epist. ad Alvarum quæ sequitur.

SANCTI EULOGII EPISTOLÆ [a]

EPISTOLA PRIMA

AD ALVARUM.

Martyrium duarum virginum Floræ et Mariæ celebrat.

Charissimo in Domino Jesu Christo fratri meo ALVARO EULOGIUS.

1. Magnificavit Dominus misericordiam suam nobiscum, mi frater, et facti sumus lætantes (*Psal.* CXXV, 3). Quia quibus verbum vitæ in lacrymis seD minavimus, in gaudio victoriæ fructum metisse videmus. Videmus enim virgines nostras, debellato principe tenebrarum, conculcatis mundialium oblectamentis affectionum, accensis [b] adorearum lampadibus, obviam prosilisse sponso ac regi cœlorum. Et quia semper se hostiam vivam, sanctam, Deo placentem præparaverunt, ideo cœlestis aulæ limina adeuntes intraverunt, invitante Christo ad nuptias, cantantes canticum novum, atque di-

[a] Nonnullas tantum S. Eulogii epistolas hic repræsentamus, cum cæteras suis propriis locis ediderimus, illis opusculis præfixas quorum occasione scriptæ sunt.

[b] Hoc est, palmarum et gloriæ triumphalis. Diximus de hac voce in ipso *martyriali Docum.* (Schol. num. 2). Manifestum autem est, quam Servatoris nostri parabolam respiciat. MORAL.

centes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere A gloriam et honorem, quoniam redemisti nos de potestate tenebrarum, et fecisti nos condignas sortis sanctorum tuorum, et transtulisti in regnum tuum æternum (*Apoc.* v, 9, 10). Et, cum hoc gaudium universalis Ecclesia de illarum victoriis habeat, præcipue tamen ego præ cæteris quodam tripudio jucunditatis extollor, quoniam non in vacuum eis, jam pene quorundam exprobatione [a] a gradu suo labentibus, *Documentum illud martyriale* porrexisse conspicio. Quia, licet ab initio mundi et vocatio et sanctificatio earum a Deo Patre nimirum processerit, habet tamen intentio nostra in earum instructione suam coram Domino mercedem repositam, qui largitionem algentis calicis remunerari promisit in nomine suo impensam B (*Marc.* IX, 40). Nam decimo et amplius die priusquam ad martyrium ducerentur, solam dominam meam Floram, instinctu fratris sui, judex ille iniquitatis auditioni suæ advocans, post agnitam ejus invictissimam professionem, qua ipsum judicem Christi ancilla denotans, adversarium fidei intrepida responsione dejecit, in carcerem eam jussit reverti. Quapropter claustra, quibus detinebantur, ego appropinquans, quæ judicis ad eam interrogatio fuerit, vel quæ ad judicem responsio ejus extiterit, dominam meam humiliter sciscitatus sum.

2. Illa vero, ut erat angelico decorata aspectu (1), supernæ claritatis gratia fulgens, hilari vultu, ore pudico, jam quasi quibusdam cœlestis patriæ gaudiis vegetata, subridens retulit mihi : C « Dum hodie judici præsentarer, præceptor, astante haud procul e contra fratre meo, illo adversario fidei nostræ, cujus persecutione in hunc lacum decidi, exquisita sum utrum eum agnoscerem. Quem ego fratrem meum esse carnalem proferens : Quare, inquit judex, iste cultor fidei nostræ probatissimus manet, et tu Christum profiteris ? Respondi : Ante octennium, o judex, et ego tenebris ignorantiæ occupata, paternis legibus serviens, gentilitio famulabar errori. Sed, illuminante me pietatis auctore, elegi fidem Christianorum, propter quam certare disposui usque ad obitum. Et quæ est, inquit judex, hodie sententia tua, in illud quod dudum coram me professa es ? Exprobrationem videlicet sui vatis abstrusis interrogationibus exprimens, qua ipsum auctorem sectæ perversitas olim D amota formidine detestata sum, cum iterum et latibulis meis ad passionem regrediens, forum petii, ac judicem adii. Identidem aio, judex, quæ et primo me exponentem audisti ; et, si me adhuc disquisieris, ingentiora prioribus de eo referam tibi. Tunc, inflatis buccis, turgenti gutture stridentibus lingua sermonibus de interitu me comminuans, in ergastulum jussit reverti. »

3. Hæc postquam melliflua oris sui relatione mihi domina mea retulit, verbis eam, quibus potui, confortavi, de spe promerendæ coronæ admonui, ejusque angelicum obtutum reclinis cervicibus adoravi; deinde precibus ejus et felicibus meritis me commendans, reverentissimis illius colloquiis recreatus, latibula carceris mei revisi. Unde, quæso fraternitatem tuam, charissime domine, ut ad posterorum memoriam gesta passionis earum brevi tantummodo ordinare digneris stylo, ita semper illarum protegi merearis suffragio. Ipso autem die quo gloriosarum nobis relatus est sub confessione nominis Christi interitus, omnes ad orationum arma currentes, horam nonam in Dei laude persolvimus. Ac deinceps auctis tripudiis vespertinum (2), matutinum, et missale sacrificium consequenter ad honorem et gloriam nostrarum virginum celebravimus, cunctique nos illarum patrocinio tutandos fovendosque commisimus. Et quia universorum spes non perfunctorie, in earum meritis collocata est, ideo sicuti cernitis, favens Christus earumdem victoriis et interventibus gloriosis, post sextum diem quo illæ coronatæ sunt, nos vinculis absolvit, et carcerali claustro exemit. Nam et quibusdam familiaribus hoc, antequam paterentur, condixerunt sororibus, ut mox, postquam Christo coronatori suo assisterent, pro nostra liberatione intervenirent. Et sic quidem illæ octavo Kalendas Decembris explentes martyrium, nos tertio earumdem Kalendarum sole dimittimur : magnificantes et benedicentes nomen Dei nostri, qui confortavit in certamine sanctas virgines suas Floram et Mariam, et vicerunt ; nosque per digna illarum merita liberavit in pace, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA II.

AD BALDEGOTHONEM.

Narrat Baldegothoni Floræ sororis martyrium, cingulumque ejus ei transmittit [b].

EULOGIUS servus Christi charissimæ in Domino Jesu Christo sorori nostæ BALDEGOTHONI salutem.

Notum tibi sit, domina soror, quia consummavit martyrium suum in pace domina et sanctissima patrona nostra soror tua Flora octavo Kalendas Decembris, die tertia feria, hora nona, una pariter cum consocia sua beata Maria Cuteclarensi religiosa (quæ inter illos priores martyres fratrem in cœlum præmisit Walabonsum diaconum), perseverantes in sancta professione usque ad mortem. Inde, charissima soror, jubemus te tanta consolationis ope suffultam manere, quanta sine dubio credimus illas inter cœlicolas et beatarum virginum choros collocatas manere, tenentes victoriæ palmas, quotidie ante thronum agni, canticum novum cantantes, atque dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem, quia redemisti nos de postestate tenebrarum, et per gloriosum martyrii tropæum transtulisti nos in regnum tuum (*Apoc.* v, 9 *et* 10). Tu vero, dilectis-

[a] Hoc nimirum est, quod retro jam in ipso ad has virgines opere (Schol. num. 4) adnotavimus. MORAL.

[b] Cum jam omnia fusius et narrata sint, libro secundo (id est lib. II Memor. cap. 8, quod nunc sigillatim editum est sub hoc titulo : *Vita et Passio SS. Floræ et Mariæ*) et Epistola superiore, atque utrobique, quæ necessaria visa sunt, adnotata ; nihil hic reliquum fuit quod scholiis indigeret. MORAL.

sima, stude vitam tuam dignis et Deo placitis moribus exornare, quibus in æternum valeas cum Christo regnare, et beatarum virginum consortiis inhærere. De cætero direximus tibi pro memoria venerabilis sororis tuæ Floræ cingulum, quo illa in carcere usa est. Vale in Domino, et ora pro nobis, charissima soror.

EPISTOLA III

AD WILIESINDUM EPISCOPUM PAMPILONENSEM

Cum in Galliam iter divus Eulogius faceret, apud hunc Antistitem fuerat diversatus, qui beati Zoyli martyris Cordubensis ab eo reliquias petierat. Ejus suæ peregrinationis historiam hic retexens, reliquias Zoyli et Aciscli etiam transmittit, calamitates, quas Cordubensis perpetitur Ecclesia, multorumque martyria recensens [a].

Reverentissimo et sanctissimo Dei ministro, domino et Patri meo WILIESINDO (1), Pampilonensis sedis episcopo, EULOGIUS presbyter salutem.

1. Olim, (2) beatissime papa, cum dira sæculi fortuna, quæ fratres meos Alvarum et Isidorum a genitali solo abducens, pene in ulteriores Togatæ Galliæ [b] partes apud (3) Hludovicum regem Bajoariæ exsulare fecit; cum me etiam propter eos diversas adire regiones, et ignota laboriosa itinera subire compelleret (quoniam stipata prædonibus via, (4) et funeroso quondam Willihelmi tota Gothia perturbata erat incursu, qui adversum Carolum regem Francorum eo tempore auxilio fretus Habdarraghmanis regis Arabum, tyrannidem agens, invia et inadibilia cuncta reddiderat) ad partes Pampilonenses diversus, putaveram me inde cito migraturum (5). Sed ipsa iterum, quæ Pampilonem et Seburicos limitat Gallia Comata, in excidium prædicti Caroli contumaciores cervices (6) lactionibus comitis Sancii Sancionis erigens, contra jus præfati principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat. Eo tempore magnam mihi consolationem Beatitudo Tua in ipsa peregrinatione exhibuit. Et vere summi magistri typum gerens, et in veritate ejus præceptis obediens, non distulisti hospitio recreare, quem tibi vera charitas Jesu Christi commendaverat, dicentis: *Hospes eram, et collegistis me* (*Matth.* XXV, 35). Ita thesauros meritorum apud patrem in cœlis collocare studens, præbes necessaria destitutis, foves omnia, universa tutaris; adeo ut in illo exsilio meo nihil præter affectuosam peregrinorum fratrum et destitutæ familiæ præsentiam suspirarem. Lugebam ego sæpe, sed tu, pater, assidue consolabaris mœrentem; flebam multum, sed tu pia compassione relevabas prostratum. Quandoquidem juxta apostolum mecum infirmabaris, mecum tristabaris, plangebasque ubertim, cum ego plorarem (*Rom.* XII, 15, et *II Cor.* XI, 29). Cumque me uno residere loco multiplex dolor non sineret, libuit mihi loca visitare sanctorum, quo dejectum summis mœroribus animum relevarem.

2. Et maxime libuit adire beati Zachariæ ascysterium, [c] quod situm ad radices montium Pyrenæorum in præfatæ Galliæ portariis (7), quibus Aragus flumen oriens, rapido cursu Seburim et Pampilonam irrigans, amni Cantabro infunditur; quod famosissimis in exercitatione regularis disciplinæ studiis decoratum, toto refulgebat occiduo. Sed tu, pater, juvas anhelantem, et salutari consultu instruis abeuntem, pioque fratrum comitatu foves pergentem. Prius autem quam ad eumdem locum accederem, plures apud (8) Legerense monasterium commorans dies, præcipuos in Dei timore viros ibidem manere cognovi. Deinde alia atque alia loca peragrans, tandem divino munere ad illud quod sæpius desiderabam perveni cœnobium. Præerat quippe ei tunc Odoarius abbas [d], summæ sanctitatis magnæque scientiæ vir, qui, ultra quam referri potest, nos digne suscipiens, omnem erga nos humanitatem exhibuit.

3. In illo etenim beatæ congregationis collegio, quod [e] pene centenarium numerum excedebat, veluti sidera cœli, alii quidem sic, cæteri vero sic, diversis meritorum virtutibus emicabant. Florebat in nonnullis perfecta charitas Christi, quæ foris mittit timorem; plerosque alta culmine extollebat humilitas, qua sese unusquisque juniore inferior reputans, imitatores præceptorum Dei fieri contendebant. Multi etiam, cum essent corpore imbecilles, virtute tamen magnanimitatis subnixi, alacrioribus animis injunctum exercebant obsequium. Sic quoque in aliquos principatum suum obedientia (quæ omnium virtutum magistra est) vindicans, suos non patiebatur exsecutores degenerare; sed supra vires grandia exercere compellebat, quoscunque suo munere illustraverat. Operabantur omnes certatim; alter alterum invitans, contendebat præcellere. Augebatur invicem ardor placendi Deo et fratribus, et unusquisque propriæ artis industriam ad communem profectum exercitabat. Exercebant alii peregrinorum et hospitum diligentius curam, et, quasi declinanti Christo ad hospitia eorum, omnibus adventantibus obsecundabant. Cum vero tot essent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat. Studebant cuncti silentio, totamque per noctem furtivis precibus incumbentes, nocturnum chaos pervigili meditatione vincebant; magna se circumspectione vallantes, ne Psalmistæ denotarentur oraculis, qui ait:

[a] Titulos in hac et in cæteris epistolis, quemadmodum in veteri codice fuerunt, reliquimus. Et hic ille Wiliesindus episcopus est cujus multam mentionem facit Inigui Aristæ regis diploma, quod in Navarrorum Historia Garibayus apposuit: de quo in Nunilone et Alodia jam diximus. MORAL.

[b] Cisalpina Galliæ pars quæ Italiæ conjuncta fuit, Togata ideo dicebatur, quod togis incolæ, quemadmodum Romani, uterentur. Plin, lib. III, cap. 14. MORAL.

[c] Diximus de hoc vocabulo schol. in Præfat., lib. I Memor., n. 2. MORAL.

[d] Sunt qui dicant hujus abbatis se quædam opuscula excusa vidisse. Certe Trithemius ejus inter scriptores ecclesiasticos non meminit. ID.

[e] Schot., *bene*.

Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt (*Psal.* LXXV, 6).

4. Sed quid referre de sanctorum virtutibus lingua potest mortalis, qui in terris positi angelice degunt? et qui, licet inter homines conversentur, propositum vero gerunt cœleste? Cum quibus paululum commorans, cum ab eis vellem discedere, omnes solo proruunt, pro se exorare deposcunt, et cur tam cito a me desererentur, supplici prece conquerebantur. Præstabat quippe tunc mihi charissimus filius [a] meus Theodemundus diaconus comitatum, qui ab exordio itineris mei usque in ultimum inconvulsibiliter contubernio meo cohærens, mecum totius discrimina illius peregrinationis confecit. Regredientibus ergo nobis præbent sodalitatem abbas ille venerabilis Odoarius, et Joannes præpositus [b], per totum usque in vesperum diem colloquium de divinis Scripturis gerentes. Sic quoque ab invicem datis osculis discedentes, ad te, apostole Dei, e vestigio repedavimus, cujus informatione tanta honoris venerabilitate ab illis patribus excipi meruimus.

5. Igitur cum proprium revisere arvum, piæ matris Elisabeth seu sororum duarum Niolæ et Anullonis, juniorisque fratris Joseph urgerer affectu; cogis ut adhuc remaneam, nec sinis abire mœrentem. Sed utroque vulnere percussum cor meum tu jam mederi non poteras, cui et peregrinatio fratrum et desolatio domesticorum quotidianum afferebant lamentum. Ita de nostra charitate confusus, rogas ut, Cordubam repetens, ipse (9) reliquias tibi sancti martyris Zoyli dirigerem, et hoc munere Pampilonenses populos illustrarem. Illico me satisfacere petitioni tuæ respondi; et hujus rei debitorem me vobis esse in veritate promisi.

6. Cumque a vobis egrederer, festinus (10) Cæsaraugustam perveni causa fratrum meorum, quos vulgi opinio negotiatorum cohortibus interesse nuper ab ulterioris Franciæ [c] gremio ibidem descendentibus jactitabat. Deinde, urbi appropingans, negotiantes quidem reperi, peregrinos autem meos eorum relatione apud Maguntiam nobilissimam Bajoariæ civitatem exsulasse cognovi. Et verum fuisse hoc negotiatorum nuntium, regredientibus Deo fautore succedenti tempore ab interiori Gallia fratribus nostris, didicimus.

7 Aliquandiu vero apud Seniorem Pontificem, qui tunc rectis vitæ moribus eamdem urbem regebat, demorans, postea (11) Complutum descendi, A raptim per Segontiam transiens civitatem, in qua tunc præsulatum gerebat vir prudentissimus Sisemundus. Et, cum ab antistite Complutensi Venerio digne susciperer, (12) post quintum diem Toletum reverti, ubi adhuc vigentem sanctissimum senem nostrum, facularn Spiritus sancti, et lucernam totius Hispaniæ (13) Wistremirum episcopum [d] comperi, cujus vitæ sanctitas, totum orbem illustrans, hactenus honestate morum celsisque meritis catholicum gregem refovet. Multis apud eum diebus degimus, ejusque angelico contubernio hæsimus.

8. Cumque in domum me revocassem, cuncta incolumia reperi, genitricem scilicet binasque sorores, et ultimum nostrorum omnium ætate Jo- B seph, (14) quem sæva tyranni indignatio eo tempore a principatu dejecerat. Suscipit peregrinum suum destituta familia, et quasi e sepulcro suscitatum lætantibus animis gaudet revisisse post longum tempus Dominum. Ego vero semper in omni colloquio meo te patrem [e] extollens, semper inter familiares sermocinationes tuam beneficentiam recolens, semper tuæ charitatis affectum corde gestans, mentis ulnis amplector.

9. Et quia, intercedente terrarum prolixa capedine, multis ab invicem disparamur spatiis, obstante quoque alio chaos immane, quo ego Cordubæ positus sub impio Arabum gemam imperio, vos autem Pampilona locati, (15) Christicolæ principis tueri meremini dominio, qui semper inter se C utrique gravi conflictu certantes, liberum commeantibus transitum negant; inde est, vel quod non debitum vestræ bonitati dependimus famulatum, vel quod non pio desiderio vestro satisfecimus in transmissione reliquiarum, seu quia non quibuscunque tales tantasque opes committere duximus ratum. Nunc autem, quia, Deo dispensante, [f] Donus (16) Galindo Enniconis ad propria remeans, suo revisere fines exoptat, per ipsum vobis præfati martyris reliquias destinavimus. Sed et sancti Aciscli, quas a nobis non postulastis, transmisimus, ut vos sponsionis vestræ votum feliciter adimplentes, (17) eorum beatæ memoriæ construendo basilicam, nobis Deo fautore propter hanc obedientiam patrocinium illorum occurrat ad ve- D niam, Christo vobis omnia repensante atque donante, quæ in nobis egistis, et quæ erga nos operati estis; quem vestrum in nos olim exhibitum non latet obsequium, et pia renumeratione centuplicatum vobis valet rependere commodum, qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit; et qui vos sper-*

[a] Spiritaliter filium nominat, quem in Christo, ut D. Paulus inquit, genuerat; erudiens, instituens, et ad eum usque dignitatis in Ecclesia gradum provehens. MORAL.

[b] Nostri temporis monasteria Benedictina et Cistercientia præter abbatem, *Priorem* etiam (ita appellant) ex prisco suo instituto habent. Hunc nimirum *præpositum* vocat D. Eulogius. ID.

[c] Bojariam seu Bajoariam Germaniæ superioris partem recte ulteriorem Franciam nominat; nam Francorum tunc et regnum et nomen ad Germaniam usque ultimam protendebatur. Est autem Maguntia notissima in Germania superiori civitas. ID.

[d] Perperam Baron., *Wistremonium*. Annal. ad ann. 844, num. 22.

[e] Schot., *excolens*.

[f] Ita recte Morales, quin opus sit corrigere cum Schotto, *dominus*. Nam *doni* seu *domni* appellationem pro *domini* frequenter usurpatum nemo ignorat. Aliunde strictissime loquendo vox *Dominus* Deo tantum, *domnus* vero sanctis vel clarissimis viris ac mulieribus tribuitur, abbatibus simul et monachis, ut videre est apud Glossarium Caugeanum.

mit, me spernit; et qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet (*Matth.* x, 40, 41). Cuncta tibi, Pater, reposita sunt coram Domino. Omnia apud illum, quæ piis laboribus tuis debentur, salva et incolumia perseverant, recipienda ab eo tempore necessario cum justus judex advenerit, unicuique reddere pro qualitate laborum, aut præmium aut supplicium.

10. [a] Denique, beatissime Pater, nolumus vos ignorare tribulationem nostram, quam his diebus nostro præpediente [b] deliquio sustinemus, ut solito nos propensius orationum clypeo defendentes, vestræ intercessionis irrepudiabili merito, quod multum apud Dominum valere confidimus, e profundo B tædiorum labyrintho erui mereamur. Etenim anno præsenti, qui est æra octingentesima octuagesima nona, exardescens sævus adversus Dei Ecclesiam furor tyrannicus omnia subvertit, cuncta vastavit, universa dispersit, retrudens carcere episcopos, presbyteros, abbates, Levitas, et omnem clerum, et quoscunque illa tempestate capere potuit, ferro devinctos, quasi mortuos sæculi subterraneis specubus immersit. Inter quos ego ille peccator amabilis vester devinctus sum, et una pariter omnes horridos ergastulorum luimus squalores. Viduavit Ecclesiam sacro ministerio, privavit oraculo, alienavit officio, et non est in hoc tempore nobis oblatio, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum, quo possimus placare Dominum C nostrum; sed in anima contrita et in spiritu humilitatis reddimus Christo vota laudationis, ita ut a conventu desinente psalmodiæ cantu, resonent penetralia carceris murmure sancto hymnorum. Quæ omnia prudenti relatione domnus Galindo vobis enucleatim poterit enarrare; quia nos partim mœrore depressi, partim fastidium impolitæ orationis vitantes, suis limitibus schedulam coarctavimus, ne in modum commentarii brevitas transiret epistolaris.

11. Propter futurarum autem generationum sæcula illustranda, et ut expertes nostrarum tribulationum et ærumnarum non fierent, saltim vel pauca plurimis perstringamus. Quidam enim præsbyterorum, diaconorum, monachorum, virginum, et laicorum D repentino zelo divinitatis armati, in forum descendentes, hostem fidei repulerunt, detestantes atque maledicentes nefandum et scelerosum ipsorum vatem Mahomat: et hoc modo contra eum animosum spiritum erigentes, testimonium protulerunt: « Virum hunc, quem vos summa veneratione excolitis, et cujus sectam præstigiosam, instinctu dæmoniorum elicitam tanto honore suscipitis, magum, adulterum, et mendacem esse cognovimus, ejusque credulos æternæ perditionis laqueis mancipandos confitemur. Quare ergo vos, cum sitis homines prudentissimi, talibus sacrilegiis communicatis, et non potius Evangelicam veritatem intenditis? »

12. Hæc et his similia, prout Spiritus dabat eloqui eis, in conspectu regum et principum confitentes, omnes gladio vindice interempti sunt. Quorum decisa corpora stipitibus suspendentes post aliquot dies igne cremarunt, eorumque cineres fluvialibus aquis perdendos meserunt, pleraque vero inhumata præ foribus palatii relinquentes, volucribus canibusque devoranda exposuerunt, adhibitis custodiis militum, ne quis Christianorum, intuitu humanitatis, carnibus nudata cadavera sepeliret, sicut scriptum est: *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ; effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret* (*Psal.* LXXVIII, 2, 3). Quorum nomina diesque allisionum in fine epistolæ digeremus. Hujus rei causa nos devincti manemus, propter hoc compediti existimus: nostro deputantes instinctui, nostræque informationi ascribentes quidquid illi divinitus illustrari egerunt. Unde, quæsumus ut suffragia orationum vestrarum in defensionem nostram adhibeatis, nostrumque carcerem omnibus monasteriis vestris innotescere faciatis, et ut proni pia exoratione invigilent jubeatis; ita post peractum luctamen mundi de æterno præmio exsultetis.

13. Sane salutationum officia, quæ dudum, alias [c] proferendo, omisimus, nunc cernua mente persolvimus vosque feliciori serie temporum vigere exposcimus. Petentes ut, salva honoris vestri reverentia, non dedignemini nobis salutare amabiles et charissimos patres nostros, id est Fortunium Legerensis monasterii abbatem, cum omni collegio suo, Athilium Cellensis monasterii abbatem, cum omni collegio suo, Odoarium [d] Serasiensis mona-

[a] Quæ sequuntur omnia de Ecclesiæ nostratis calamitatibus sanctorumque martyrio, retro lib. I et II, leguntur, atque ibi, si quid opus fuit, adnotavimus. Repetit vero hic eisdem verbis quædam D. Eulogius, quæ in *Documento Martyriali* posuit. MORAL.

[b] Fors., *delicto*.

[c] Apparet aliam ante epistolam sine salutationibus Eulogium ad hunc eumdem Wiliesindum scripsisse. Hoc credo intelligit. Ego verba hæc, ut erant in exemplari, reliqui. MORAL.

[d] Sub sancti Zachariæ nomine et tutela cœnobium hoc fuit conditum. Hoc alterum nomen Serasiense, quo nunc utitur, loci fuit aut regionis. ID. Eamdem sententiam amplectitur Yspesius, contra quam Ludovicus Bultellus Benedictinus e Congregatione S. Mauri distinguendum putat sancti Zachariæ monasterium a Sarasiensi, hoc potissimum adductus argumento, quod prioris patronus erat S. Zacharias, posterioris S. Petrus, ut ex duobus vetustis instrumentis probatur (Blanca, *Hist. Aragon.*, ad annum 969). Præfuerat quidem S. Zachariæ monastorio Odoarius abbas, *summæ sanctitatis magnæque scientiæ vir;* sed longe ante quam hanc epistolam scriberet Eulogius, in qua eum uti mortuum laudat, et in fine epistolæ. *Odoarium Serasiensis monasterii abbatem cum omni collegio suo* salutat. Quod argumento est eum superstitem fuisse, non alterum Odoarium, quem unum eumdemque fuisse, adeoque unicum monasterium esse opinati sunt Morales et Yepesius. Hæc omnia Mabillonius in Annalib. Ord. S. Benedicti anno 851, num. 26 in fine.

sterii abbatem, cum toto agmine suo, Scemenum Igalensis monasterii abbatem, cum omni collegio suo, Dadilanem [a] Hurdaspalensis monasterii abbatem, cum omni collegio suo. Salutamus etiam cæteros patres. quos in peregrinatione nostra tutores et consolatores habuimus, omnemque scholam dominicam in osculo sancto.

In nomine Domini, regnante in perpetuum Domino Jesu Christo, anno Incarnationis ejus octingentesimo quinquagesimo, æra octingentesima octuagesima octava, decimo quarto Kalendas Maias, Perfectus presbyter occubuit.

Sequenti vero anno, qui nunc est, æra octingentesima octuagesima nona, tertio Nonas Junias, Isaac monachus decidit, post quem Sancio Laycus de oppido Albensi, Nonas Junias, in hac ipsa æra, martyriali obitu triumphavit.

Deinde Petrus presbyter, Walabonsus diaconus, Sabinianus, Wistremundus, Habentius, et Jeremias monachi, uno die unaque hora, septimo Idus Junias, in æra supradicta interempti sunt.

Sisenandus vero diaconus decimo septimo Kalendas Augustas eadem æra prostratus est.

Paulus diaconus decimo tertio Kalendas Augustas, æra qua supra, allisus est.

Theodemirus monachus, octavo Kalendas Augustas, eadem æra, occisus est.

Isti sunt qui tradiderunt corpora sua in morte propter testimonium veritatis, ut in æternum viverent. Siquidem et duas virgines Christi Floram et Mariam, nobiscum ob eamdem professionem nunc in ergastulum detruserunt, et quotidie de interitu comminantur.

Data decimo septimo Kalendas Decembris per Galindum Enniconis virum illustrem, æra octingentesima octuagesima nona [b].

[a] Non dubito, quin in cœnobium intelligat, quod nunc de *Urdax* appellamus. Situm est trans Pyrenæos Galliam versus non admodum longe ab urbe Baiona dissitum. Et cum Eulogii tempore ordinis D. Benedicti fuerit, nunc est Præmonstratensis. MORAL.

[b] Sic fuit in exemplari. IDEM.

SANCTI EULOGII

ARCHIEPISCOPI TOLETANI ET MARTYRIS.

LIBER APOLOGETICUS MARTYRUM [a].

ARGUMENTUM OPERIS

Decreverat divus Eulogius in hoc opere vitam et martyrium sanctorum Ruderici et Salomonis tantummodo scribere. Id enim initio jam indicat, et tandem in fine operis apparet. Verum, quia instabant adhuc pusillanimes quidam Christiani, qui propter imbecilles zelo quodam, sed non secundum scientiam, commoti martyribus ultro sese judicibus passionis causa offerentibus detrahebant; iterum adversus eos hoc opere insurgit, tanquam non satis haberet in primo libro contra hos valide pugnasse. Tractat autem locos quosdam ex his quibus jam responderat, et denuo alia refutat argumenta. Erat autem misere corruptum exemplar, lassato nimirum jam descriptore, et negligentius omnia excipiente. Hinc fuit hic multo magis in emendando sudandum. Neque tamen nobis permisimus nisi unum aut alterum verbum addere, permutare, transponere. Diximus autem jam auctorem Indiculi Luminosi id opus in defensionem martyrum scripsisse iisdem rationibus dilutis.

PROLOGUS AUCTORIS.

Dum, studio promendi martyrum gesta, operis hujus brevitatem exstruere intentarem, meumque exilem in indagatione præliorum sanctorum stylum immitterem, confestim oblatrantium stolidorum opiniones recolens, qui proprium de eo pro captu scientiæ ferentes judicium, non, ut prioribus, his quoque reverentiam martyribus exhibendam esse decernunt; nisus sum in exordio operis adversus eos respondere. Quo contigit ut in vigorem Apologetici gestorum pertransiret materies. Et, licet suprema pars commentarii martyrum gestet agonem, et qualiter tropæis victoriam milites Dei claruerint penultima series libelli exponat; pro eo tamen quod in principio delatorum maledictis occurri, potius *Apologeticus Sanctorum*, quam gesta solummodo martyrum appellari decrevi, ut, totum pro parte designans, mox limen lectionis recessum aperiret voluminis; ne, pro toto nominans partem, in aliud, quod non existimaret, prudens lector impingeret, foretque tunc facilis detrahendi infensis occasio, dum aliud nomen, aliud proderet volumen. Percurrant ergo lectores mei simpliciter quod fidelis devotio nostra in defensione martyrum pio Redemptori dicavit; nec ritu belluino laborem nostrum malivola intentione subsannent, quoniam scriptum est: *Omnis detractor eradicabitur.* Licet enim opus nostrum reprehensionibus dignum sit, Deo tamen. non invidis, arguendi nos manet judicium, cui cum velle suppetit indulgenti, protinus subest facilitas exsequendi.

[a] Scriptus anno 857.

INCIPIT

TEXTUS OPUSCULI

1. Egregia beatorum certamina martyrum feliciumque monumenta virorum, qui Deo fautore totius

vanitatis respuentes affectum, specimen belligerandi præcipuum mortalibus reliquerunt, licet a prudentioribus timoratis indagare sit congruum, et jure a justificatis quodam privilegio sanctimoniæ exponi sit ratum; non tamen abnuenda est vox peccatorum vera promentium; quandoquidem non solum alienigenarum, ut Jethro et Hiram, consultum intenditur, dum et ab uno Moyses expositam judicii formam custodit, et ab alio Salomon in ædificatione templi industriam accipit; verum etiam irrationabili animali humaniter facundiam exercitare conceditur (*Exod.* XVIII, 13 seq.; *III Reg.* V, 2 seq.; *Num.* XXII, 28 seq.). Quare ergo culpabilis judicetur talia præsumens, cum in veritate dignus sit præmio benedictionis, veritatem enarrans? Et, si sanctitas renumerat justum, dignumque efficit concionari sancta sanctorum, quare non tueatur pietate peccator magnificans justum, dummodo ad multorum profectum studet patefacere victorias beatorum? Quæ si fuerint oblitteratæ silentio, nullum poterunt fidelibus piæ conservationis exhibere exemplum; ut elucubratis electorum tropæis tam possint desides excitare ad prælium, quam certantes informare perfectionis intendere terminum. Nam. cum omnes sancti terreno non egeant laudationis præconio, qui jam cœlestium exuberant muneribus præmiorum, necessario tamen eorum meritis applicatur quidquid bonitatis suorum gratia exemplarium mortalibus operatur.

2. Promam igitur dominorum meorum gesta victricia, et in quantum posse cœlitus mihi collatum est, in talibus rebus conatus meos expendam; quia non dubii de clementia Redemptoris, non solum culparum talibus studiis remedium speramus, verum etiam eorum, quos votivo celebramus stylo, consortium adispici confidimus, dicente Domino: *Qui vos diligit, me diligit: et qui vos recipit, me recipit, et qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* X, 40, 41). Et iterum in Psalmis: *Mihi autem honorificati sunt amici tui, Deus* (*Psal.* CXXXVIII, 17).

3. Sed prius quam eorum exsequar tropæa insignia, operæ pretium resistere credidi imperitis, qui ore basphemo horum temporum martyribus derogantes, non esse illos consimiles prioribus martyribus volunt. Illa denique, aiunt, gentilitas, olim simulacrorum cultibus dedita, variisque imaginum sacrilegiis occupata, milleno exstitit idolorum portento subacta; et quod mundialium mirata est species rerum, tot sibi instituit formas deorum; putans non alias obtineri posse temporarium commodum, ob quod suum miserabilem summis viribus expendebat conatum, nisi haberet numerosam observantiam numinum. Cujus errore decepta, creduli persecutione resistentem ac adversantem sibi Christianam vexabat militiam conviciis, lacerationibus, flagris, equuleis, incendiis, bestiis, fluctibus, ac diversis generibus tormentorum; sperans a cultu religionis revocari posse suppliciis animas, quas, spiritali conflictu introrsus jam eruditas, noverant etiam facillime materiales debellantium evincere pugnas. Sic hebes dum invictissimam fortissimorum militum virtutem admiratur, de immensis quoque miraculorum ostensis obstupescens, insultat, dæmonicis deputando præstigiis quæ cæcata mente pietatis nequibat effectum advertere. Erantque, ut apud plurima legimus exemplaria, beatorum occasiones convertendi ad Christum, prodigia ipsa signorum. Nam isti tirones, et nostrorum temporum confessores, ab ictu mucronis celerem tantummodo excipientes interitum, nullam furentium acerbitatem perpessi tortorum, non sub diutinum desudarunt stimulum. Præsertim cum ab hominibus Deum colentibus, et cœlestia jura fatentibus compendiosa morte perempti sint. Unde sat eis est si præteritorum curationem adepti sunt criminum, quod non tersit catenarum stridor, ferri onus, squalor carceris, nec diversa pœnalitas persequentis.

4. Igitur hæc vana parvipendentium adinventio congrua necesse est legum auctoritate retundatur, et, in quantum Dominus juverit, veridico assertionum ariete impellatur; ut mens religiosorum sacratissimis imbuta oraculis, discat ex veritate novitios, sicuti priscos venerari patronos, quos generali devotione per mortem gloriosam ire cernit ad cœlos.

5. Quid enim celere militibus sanctis excidium officit, per quod ad id cursim pervenit, quo per varia et aspera tormenta olim catalogus beatorum accessit? Aut quid interest quo mortis genere ex hac vita mortis excedat, quando, ut scriptum est: *Justus quacunque morte præoccupatus fuerit, anima ejus in refrigerio erit?* (*Sap.* IV, 7.) Aut quid obest utrum per longa cruciamina, an subitaneo obitu decidat, quando una eademque res est quæ utrosque coronat, zelus scilicet Dei, et amor regni perpetui? An non perfecti exsecutores præceptorum Christi censendi sunt, qui, subitanea mortificatione accensi, rerum oblectamenta spernentes, etiam parentum, filiorum, conjugum, fratrum, cunctorumque affectiones affinium ad punctum temporis abnegarunt? Et quid inter universa supplicia cruentius morte est? Quid terribilius, quam micantem ante oculos cernere gladium cervicibus confitentium protinus illapsurum? Aut quid per longa certamina nisi mors sanctis martyribus quæritur? Illa utique mors de qua Psalmista canit et dicit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV, 15). Non enim diu patienti, sed vincenti corona promittitur. Et feliciori pertinacia beati agonis terminum præstolans, de spe salutis æternæ quodammodo magis animatur, dicente Domino: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22). Sive autem dilationibus, sive fortuitis casibus passionum strenuis militibus propter Christum pugnantibus propera seu tarda mors occurrat, hoc solummodo

advertendum est, si causa fidei passiones excipiant, si propter Christum coronatorum martyrum, ut in æternum salventur, animas perdere anhelant, sicut scriptum est : *Si quis voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, et qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodiet eam* (*Ibid.*, 39). Nam. et si culpis obnoxii maneant. et ex qualibet sorde vitiorum infecti ad martyrium veniant, nihil impedit ; cum omnibus martyriali tropæo deletis ad Christum coronandi accedant. Idem enim est per multa tormenta in nomine Crucifixi animam in morte tradere, et semel uno ictu propter ipsum occumbere, qui dixit: *Si quis perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam.* Et licet scriptum sit, *quod per multas tribulationes oporteat nos conscendere ad regnum* (*Act.* XIV, 21), utique cum suppetunt, sustinendum est usque ad obitum ; sin vero celeritas persequentis intercidens expeditam confessoribus Christi intulerit mortem, et in hoc nullatenus gloria eorum mutilanda est, quia perseveraverunt usque in finem.

6. Frustra ergo zelo Dei accensus ad bravium festinaret miles egregius, et casso conatu in primordiali exercitatione vires suas expenderet, si ab imperatore emeritæ victoriæ triumphis defraudaretur, pro eo quod in procinctu et in ipso belli auspicio palmam de tyranno obtinuit, neque eam diutina et laboriosa conflictatione conquisivit, aut per multimodum concertationis discursum adepsit. Illis utique laboriosis vexationibus, et non expeditæ victoriæ corona deberetur, si magis prolixitas pugnæ, quam festinatum tropæum pensaretur. Qualitas itaque non quantitas intentionis observanda est discurrentis ad præmium, cum quoquomodo rei desideratæ capiatur effectus. Unus tamen idemque est rex æternus, pro cujus amore temporalibus se passionibus sancti omnes submittunt. Quid enim latroni evangelico obstitit, (1) quod fraterno cruore illitis manibus crucem ascendit ? Aut qualibus inter ipsa mortis dispendia miraculis coruscavit, qui (ut ita dixerim) totius vitæ suæ metam latrociniis, rapinis, prædisque exegit? Et tamen sub unius confessione momenti tanto scelere non solum eruitur, verum etiam dignus comitatu Redemptoris primus paradisi possessor habetur, dicente Domino : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Et si, nemo majorem habet dilectionem, quam qui animam suam pro amicis suis ponit (*Joan.* XV, 13), quanto excellentiori charitate ferendus est, qui pro Deo suo decertat usque ad mortem ? Nam et paterfamilias non una hora colonis in vineam missis æquam mercedem dispensans, non magnopere de temporis curat diversitate ; quia in exercitatione laboris non expertem a priorum intentione ultimorum mercenariorum operam compensat. Multi autem erunt novissimi primi, et primi novissimi (*Matth.* XIX, 30) ; et multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Ibid.*, VIII, 11.)

7. Miraculorum vero insignia ideo olim inter supplicia per eosdem athletas Dei virtus mundo præstabat, ut prodigiorum virtutibus vel mitigaret furentum insaniam, quæ beatorum constantiam fatigabat ; vel incredulum genus ab infidelitatis errore converteret, qui cœlestium jura Scripturarum obduratis præcordiis respuebat. Eratque illo tempore multoties necessarium Dei testes signis coruscare virtutum, quoniam rudem per ævum diffusum Christianismum nunc instructione verborum, nunc exercitatione Scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam tropæis inclytis passionum conabantur radicitus fieri firmum in cordibus credentium populorum, sicut scriptum est : *Euntes per universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint ; hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, et bene habebunt. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI, 15 seq.). Et iterum : *Euntes, prædicate, dicentes quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite ; gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X, 7, 8). Hæc prima fidei nostræ rudimenta fuerunt : harum exercitatione virtutum, quasi lactantium parvulorum auspicia, teneritudo ejus et confota est et nutrita : ut ministerio signorum vel augeretur multitudo fidelium, vel roboraretur fides credentium ; ac veluti quædam instrumenta ferramentorum fuerunt, per quæ ornamenta ex auro argentove, torques scilicet, monilia, regumque diademata componenda, aptanda, et compingenda, formata sunt.

8. Itaque, gratia confirmationis catholicæ fidei, in primordio sui portenta atque miracula Christo cooperante profusius esse ostensa videmus ; et ideo non miracula fidem præcedunt, aut fides miraculis cedit ad quorum efficientiam nisi per fidem non pervenitur. Sic Moyses legifer sanctus, alternatione divini colloquii dignus, fide grandis effectus est. Sic Deo credulus Abraham justificari promeruit, dicente Scriptura : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est* (*Gen.* XV, 6 ; *Jac.* II, 23) Sic justi ex fide vivunt, et omnes sancti per fidem regna vicerunt, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt, ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, fugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello (*Hebr.* II, 33, 34).

9. Videsne (o tu quisquis ille es, qui contra assurgis) quod hæc omnia instrumento fidei sunt, et quasi clientulo famulatu piæ religioni subjecta, ut ex hoc nunc jam te in veritate credere oporteat, non prodigiis atque portentis, sed integritate fidei, et professionis constantia excellentiores fieri martyres; illudque tantummodo in eis sit admirandum, quod

animo fortiori mortem exceperunt propter Christum, qui dixit : *Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam* (*Matth.* x, 39). Sane omnium virtutum radix ac fundamentum fides est, quæ certantes adjuvat, vincentes coronat, et cœlesti dono quosdam defectu signorum remunerat. Nihil est enim quod sinceræ fidei denegetur, quia nec aliud a nobis Deus quam fidem [a] exigit. Hanc diligit, hanc requirit, huic cuncta promittit et tribuit. *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit*. Et : *esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* (*Apoc.* II, 10). Nihil ergo fidei subtraxit, nihil ei impossibile esse depromit.

10. Nec magnopere de prodigiorum insignibus confidendum est, quæ plerumque ab infidelibus exeruntur, ut in Exodo scribitur : *Fecerunt et malefici per incantationes, sicut et Moyses* (*Exod.* VII, 11, 22, *et* VIII, 7, 15). De qua quæstione sufficienter, ut opinor in illo Memoriali [b] Sanctorum opere disputatum est. Sive enim Dei testes miraculis emicent, sive absque prodigiis beatum certamen expediant, nihil interest ; cum ab eis hoc cœlestis auctor solummodo expetat, ut usque ad finem constantiam spei suæ non deserentes, viriliter agonem consumment, quo in æternum catalogis adunati sanctorum, de perpetuitate salutis exultent, dicente Domino : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22).

11. Simplex profecta dispositio nostra exstiterat, ut, victorum victorias depromentes, compendiosæ brevitati studeremus : sed repagulis insolentium præpeditus, nisus sum hoc Apologeticum incertis assertoribus dare, et ideo forte, ultra quam debui, modum excessi historiæ. Contra quorum pravitates paulisper adhuc veniendum est, quo fidelis conventus discat votis ardentioribus plus amare quod credit, dum ex auctoritate sacræ legis et veritatem religionis et errorem impiæ novitatis compererit.

12. Dicunt enim quod ab hominibus Deum et legem colentibus passi sunt, nec ad sacrilegia idolorum, sed ad cultum veri Dei invitati, perempti sunt ; et ideo non ut priorum martyrum horum martyria veneranda sunt. Deum ergo et legem isti vanitatis cultores ullo modo habere credendi sunt, qui Evangelicæ institutionis per totum orbem vitalia diffusa præcepta non solum non credunt, verum etiam omni zelo perversitatis magnum discrimen ea fatentibus ingerunt, exosum et iniquum putantes Christum verum Deum et verum hominem credere ? Ac sic irrisione nefaria quotidie Dei sortem infamantes, ritum sacræ religionis ubique lacessunt, irrident et maledicunt, spem credulitatis et fidei suæ in cujusdam pestilentiosi ac dæmoniosi homunculi divinationibus collocantes. Qui ab spiritu immundo præreptus, iniquitatis mysterium ut verus Antichristi præcursor exercens, nescio quam novitatis legem pro suo libito, et instinctu dæmoniorum perdito vulgo instituit. De quorum impietate beatus Paulus apostolus patulis prophetismi oraculis sancto revelante Spiritu Thessalonicensibus dicit: *Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittit illis Deus spiritum erroris ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati in omni seductione* (*II. Thes.* II, 10, 11). Idem quoque ad Romanos refert : *Revelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem in injustitia detinent ; quia quod notum est Dei manifestum est in illis.* Et : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium ; et coluerunt, et servierunt vanitati potius quam Creatori, qui est Deus benedictus in sæcula. Propter quod tradidit eos in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt ; repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia nequitia ; plenos invidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate ; susurronei, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte : non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I 18). Nam et beatus Petrus, princeps apostolorum, firmissimum Ecclesiæ catholicæ fundamentum, utpote cui ab ipso Redemptore dictum est : *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Ita in suis Epistolis ait : *Fratres, habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco donec dies lucescat et lucifer oriatur in cordibus nostris. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia ; sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines. Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui subintroducent sectas perditionis, et eum qui emit eos, dominatorem abnegantes, superducent sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur ; et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non cessat, perditio eorum non dormitat* (*II. Petr.* I, 19-21 ; II, 1-3).

13. Quæ omnia, sicut hæc beata apostolorum annuntiatio continet, non solum eidem pseudoprophetæ, sed et illis qui eum reverenter accipiunt, con-

[a] Vividam nimirum et operibus plenam intelligit D. Eulogius, qui de martyrum fide loquitur, qua vividiorem nullam reperies. siquidem per ingentem charitatem operatur. Illam enim majorem charitatem esse Christus astruxit, cum animam suam ponat quis pro amicis suis. MORAL.

[b] Lib. I, num. 13 seq.

venire, multi peritissimorum mecum intelligunt, nec nos tanta de sanctis Scripturis contra eum ejusque sequipedas frustra congessisse advertunt. Quippe quem jam vident sacræ legis præconio prædictum, ac veri magistri docentis oraculo denotatum : *Multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos* (*Matth.* XXIV, 11). Nihil certe de nostra in eum exprobratione arguerent, quem tot Patrum auctoritate impugnari cernerent.

14. Quapropter (hoc in loco non mihi absurdum esse videtur si præcedentium de eo doctorum testimonium proferam, ut quomodo eum tunc ecclesiastici viri dijudicaverint, et qualiter illum fide et professsione coluerint, quantusque et qualis apud nostros exstiterit, melius ex eorum dictis agnoscant qui nunc eum non sano sensu legem illum adduxisse, aut Deum in veritate coluisse asseverant.

15. Cum essem olim in Pampilonensi oppido positus, (2) et apud Legerense cœnobium demorarer, cunctaque volumina, quæ ibi erant, gratia dignoscendi, incomperta revolverem ; subito in quadam parte cujusdam opusculi hanc de nefando vate historiolam absque auctoris nomine reperi :

16. « Exortus est namque Mahomat (3) hæresiarches tempore Heraclii imperatoris, anno imperii ejus septimo, currente æra DCLVI. In hoc tempore Isidorus Hispalensis episcopus in catholico dogmate claruit, et Sisebutus Toleto regale culmen obtinuit. (4) Ecclesia beati Euphrasii apud Iliturgi urbem super tumulum ejus ædificatur. (5) Toleto quoque beatæ Leocadiæ aula miro opere, jubente prædicto principe, culmine alto extenditur. Obtinuitque prædictus Mahomat nefandus propheta principatum annis decem, quibus expletis, mortuus est, et sepultus in inferno. Exordia vero ejus fuerunt talia. Cum esset pusillus, factus est cujusdam viduæ subditus. Cumque in negotiis cupidus fenerator discurreret, cœpit Christianorum conventiculis assidue interesse, et, ut erat astutior tenebræ filius, cœpit nonnullas collationes Christianorum memoriæ commendare, et inter suos brutos Arabes cunctis sapientior esse. Libidinis vero suæ succensus fomite, cum patrona sua jure barbarico in ira congressus est. Moxque erroris spiritus in speciem vulturis ei apparens, os aureum sibi ostendens, angelum Gabrielem esse se dixit, et ut propheta appareret, impetravit. Cumque repletus esset tumore superbiæ, cœpit inaudita brutis animalibus prædicare, et quasi ratione quadam, ut ab idolorum cultu recederent, et Deum incorporeum in cœlis adorarent, insinuavit. Arma sibi credentibus assumere jubet, et quasi novo fidei zelo, ut adversarios gladio trucidarent, instituit. Occulto quoque Deus judicio (qui olim per prophetam dixerat : *Ecce ego suscitabo super vos Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. Cujus equi velociores lupis vespertinis, et facies eorum ut ventus urens, ad arguendos fideles, et terram in solitudinem redigendam* [*Hab.* I, 6, 8]) nocere eos permisit. Primum namque fratrem imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt, et ovantes, de triumpho victoriæ gloriosi effecti, apud Damascum Syriæ urbem regni principium fondaverunt. Psalmos denique idem pseudopropheta in ore insensibilium animalium composuit, vitulæ scilicet rubræ memoriam faciens. Araneæ quoque muscipulæ ad capiendas muscas historiam texuit. Upuppæ præterea et ranæ cantus quosdam composuit, ut fœtor unius ex ejus ore eructaret, garrulitas vero alterius in ejus labiis non desineret. Alios quoque ad condimentum sui erroris in honorem Joseph, Zachariæ, sive etiam genitricis Domini Mariæ, stylo suo digessit. Cumque in tanto vaticinii sui errore duraret, uxorem vicini sui nomine Zeid concupivit, et suæ libidini subjugavit. Quod scelus maritus ejus sentiens, exhorruit, eamque prophetæ suo, cui contradicere non valebat, permisit. Ille vero quasi ex voce Dominica in lege sua illud annotavit, dicens : Cumque mulier illa displicuisset in oculis Zeid, et eam repudiasset, sociavimus eam prophetæ nostro in conjugium, quod cæteris in exemplum, et posteris fidelibus id agere cupientibus, non sit in peccatum. Post cujus tanti sceleris factum mors animæ et corporis illius simul apropinquavit. At ille interitum sibimet imminere persentiens, quia propria virtute se resurrecturum nullo modo sciebat, per angelum Gabrielem, qui ei in specie vulturis apparere, ut ipse aiebat, solitus erat, resuscitaturum se tertia die prædixit. Cumque animum inferis tradidisset, solliciti de miraculo quod eis pollicitus fuerat, ardua vigilia cadaver ejus custodire jusserunt. Quem cum tertia die fœtentem vidissent, et resurgentem nullo modo cernerent, angelos ideo non adesse dixerunt, quia præsentia suorum terrerentur. Invento igitur salubri ut putabant) consilio, privatum custodia cadaver ejus reliquerunt, statimque vice angelica ad ejus fœtorem canes ingressi, latus ejus[a] deforaverunt. Quod reperientes factum, residuum cadaveris ejus humo dederunt. Et ob ejus vindicandam injuriam, annis singulis canes occidere decreverunt : ut merito cum eo habeant illic participium, qui pro eo dignum meruerunt subire martyrium. Digne ei quidem accidit ut canum ventrem tantus ac talis propheta repleret, qui non solum suam, sed multorum animas inferis tradidisset. Multa quidem et alia scelera operatus est, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hoc tantum scriptum est, ut legentes quantus hic fuerit agnoscant. »

17. Ecce qualibus præstigiis deditum vulgus, quantæque impietatis ducem, plerique non metuunt sub nomine piæ religionis censeri. Asserentes quod ab hominibus Deum colentibus et legem habentibus isti tirones nostrorum temporum milites occisi fuere : nulla discreti prudentia, ut saltim provido cogitamine advertant, quia si talium cultus aut lex

[a] Schott., *devoraverunt*.

vera dicenda est, pro certo vigor Christianæ religionis infirmabitur.

18. Etsi, quod in veritate fatendum est, notitia sanctæ fidei totius mundi compita penetravit, cunctas nationes terræ peragrans, nullam jam partem orbis expertem luminis ejus fore confidimus. Præsertim quia in omnem terram exivit sonus apostolorum, et in fines orbis terræ verba illorum, et omne aliud Evangelium, præter quod apostoli gentibus tradiderunt, anathema magis esse quam verbum salutis fatemur, sicut dicit Apostolus : *Si quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I, 9). Et veritas ore suo discipulos contestatur, dicens : *Multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos ; et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 11). Et iterum : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt* (*I Joan.* IV, 1). Qua consequentia credendum est dæmoniosum et mendacio plenum veritatem proferre ? fallaciis obvolutum legem donare? nemus perversum fructus bonos exhibere ? Ille interim nefandus de malo cordis suo thesauro proferens malum, et vulgo insipienti ducatum impietatis ministrans, uterque præcipitium in chaos æternum pœnas luiturus incurrit. De quo atque ejus similibus Dominus per Oseam loquitur dicens : *Ipsi regnaverunt, et non ex me* : *principes exstiterunt, et non cognovi* (*Osc.* VIII, 4).

19. Denique inter cæteros post ascensionem Domini hæresum auctores solus hic infaustus novæ superstitionis sectam instinctu diaboli condens, procul ab Ecclesiæ sanctæ conventu desciscitur, auctoritatem priscæ legis infamans prophetarum vaticinia respuens, sancti Evangelii veritatem conculcans, et apostolorum doctrinam detestans (6), qui ridiculum potius quam rerum necessariarum causas per eamdem sectam suam insinuans, ore blasphemo docuit Christum Dei Verbum esse, et Spiritum ejus, et prophetam quidem magnum, nulla vero Deitatis potentia præditum, Adæ similem, non Deo Patri æqualem ; qui ob meritum sanctitatis sancto repletus Spiritu, per virtutem Dei miraculis claruit, signis atque portentis enituit, nihil ex propria majestate aut Deitate prævalens, sed ut vir justus et pia servitute Deo cohærens, votis supplicibus ab Omnipotente multa impetrare promeruit. Sed et alia inaudita vanitatis scelera prædicans, adinventione versipellis, a quo obsidebatur, inventa, qui se eidem tranfiguravit in angelum lucis, delubra in quibus pessimum dogma suum coleretur exstruxit, constituens in ultimo idololatriæ situ turrem, altiori pinnaculo cæteris ædibus prominente ex qua populis veneno nequitiæ suæ illectis sacrilegi furoris concionaretur decretum, quod hodie suæ impietatis sacerdotes ab illo edocti observant. Ita ut more aselli dissutis mandibulis, impurisque patentibus labiis horrendum præconium non prius emittant, quam obseratis utroque digito auribus, quod aliis exsequendum annuntiant, quasi quoddam edictum sceleris, idem ipse eorum propheta audire non patitur. Quem impietatis ruditum dum divæ memoriæ avus meus Eulogius aure captaret, ferunt continuo vexillo crucis frontem præmuniens, cum gemitu hunc Psalmum solitum fuisse cantare : *Deus, quis similis tibi? Ne taceas neque sileas, Deus, quoniam ecce inimici tui, Domine, sonuerunt ; et qui te oderunt, levaverunt caput* (*Psal.* LXXXII, 2, 3). Nos autem mox ut fallentis vocem præconis audimus, confestim oramus : *Salva nos, Domine, ab auditu malo, et nunc et in æternum.* Et iterum : *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis* (*Psal.* XCVI, 7).

20. Cujus quidem erroris insaniam, prædicationis deliramenta, et impiæ novitatis præcepta quisquis catholicorum cognoscere cupit, evidentius ab ejusdem sectæ cultoribus perscrutando advertet. Quoniam sacrum se quidpiam tenere et credere autumantes, non modo privatis, sed apertis vocibus vatis sui dogmata prædicant. Multa etiam apud quosdam nostrorum scriptorum inveniet, qui zelo Dei armati adversus ipsum vatem impudicum prudenti exarserunt stylo. Sed et nos in illo *Memoriali Sanctorum* opusculo hujus sectæ errores ex parte digessimus, refutavimus et confodimus.

21. Restat jam nunc, expeditis apologeticis Beatorum, ut aliquid de victoriis eorum ad æmulationem catholicæ plebis pandamus (7). Beatus igitur Rudericus presbyter ex quodam vico Egabrensi progenitus, in eadem urbe sanctæ legis doctrinam, gradumque sacerdotalem promeruit. Huic duo fratres fuerunt; sed ex his unus fidem Christi rectius tenens, alter gentilico depravatus errore, catholicam sprevit religionem. Qui, sicut discors a fide sancta manebat, ita semper discordanti conflictatione ob diversarum rerum occasiones cum fratre catholico movebatur. Nam quadam nocte, nescio qua occasione, tumultuaria in alterutrum litigatione se conserentibus, et in sese invicem fœda simultate bacchantibus sanctus sacerdos litem medius sedaturus intervenit. Qui omnes nimio jam furore accensi, cæca indignatione sacerdotem involvunt, et, magis nescientes quam volentes, cum usque ad necem lacessunt. Ex qua cæde valde contritus, dum omni destitutus vigore, confracta membra lectulo reponeret, profanus ille frater feretro illum imponens, per vicos et vicinia quæque vehentium humeris duci ac reduci fecit, et, ut verus imitator diaboli, fraudulenta machinatione super examinem sacerdotem testimonium iniquitatis composuit, dicens : « Hic frater meus presbyter, visitatione Dei compunctus, fidei nostræ cultum elegit, et sicut cernitis, jam in ultimis agens, noluit prius mundo discedere, quam vobis id notum existeret. » Ita cum eo loca diversa peragrans, hæc et his similia criminosis de eo verbis narrabat, nesciente ipso prorsus, imo nec sentiente, quid contra se vir ille iniquus aptabat. Dei vero dispensatione, post nonnullos dies molestiis ægritudinis sacerdos erutus, ac viribus reformatus, cum subdola nefandi

fratris molimina cognovisset, exemplo Domini, qui A ad informandos nos insidias declinavit Herodis (*Matth.* XIV, 13), sive sancti Evangelii non surdus auditor, quo de civitate in civitatem, causa vitandæ persecutionis, delitescere jubemur (*Ibid.*, X, 13), relicto proprio rure, alibi se Christo libere contulit serviturus. Quasi posset temporale evadere supplicium, cui divinitus a constitutione mundi prædestinatum parabatur martyrium; aut sicut ad tempus sese occulendo insecutorem fefellit profanum, ita quoque abesse posset oculis pii Redemptoris, et vocatoris sui ad regnum.

22. Per idem ergo tempus graviter in nos præsidialis grassabatur insania, ita ut nonnullas apud Cordubam, olim Patriciam, nunc autem florentissimam regni Arabici urbem basilicarum turres B everteret, templorum arces dirueret, et excelsa pinnaculorum prosterneret (8), quæ signorum gestamina erant, ad conventum canonicum quotidie Christicolis innuendum. Denique cum exoptatum patris sui libitum progenies iniqua [a] cognosceret, ut quibuscunque modis ac viribus posset, Ecclesiam infestaret, omnem crudelitatis adnisum erga filios lucis tenebrosa proles alacriori voto exercet, minusque se putat adipisci meritum, nisi summo furore exarserit in eversionem fidelium. Prædixerat quippe hoc Veritas sancta auditoribus suis, dicens: *Absque synagogis facient vos; et omnis qui interfecit vos arbitrabitur se obsequium præstare Deo.* Et iterum: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo autem pressuram* C *habebitis* (*Joan.* XVI, 2, 33).

23. Igitur, dum ob rei familiaris necessitatem ex interiori montana Cordubensi, quo se pridem beatus sacerdos intuitu latendi contulerat, in nundinas descendisset, in quibus rerum distractio exercebatur, ab iniquo fratre obvius agnoscitur. Quem ut cernit stigmata piæ religionis ferentem, non modicis [b] lacessitum injuriis (9) ad vicem exquisiti muneris judici offert, deponens adversus eum coram arbitro questum prævaricationis sectæ Mahometanæ, quam se dudum veraciter coliturum fuerat confessus. Dei vero miles, cœlesti jam munere illustratus, non sicut olim adversariis tergum exponit, sed magna præditum fortitudine, nunquam se a Christo fuisse decisum, nunquam per- D verso dogmati aliquando consensisse, judici refert; seseque non solum Christianum, verum etiam Christi fatetur esse ministrum. Quem primo judex blandis revocare affatibus putans: « Poteris, inquit, rerum affluentiis et dignitatum fascibus honorari, et, quæ tibi imminet, sententiam mortis evadere, si te pristinis votis redivivo ardore reformans, missum ab Omnipotente in veritate prophetam nostrorum credideris, Christumque testaveris Deum non esse. » Cui beatus sacerdos ait: « Illis, inquam, judex, hæc observanda propone, qui forte legibus vestris dediti, ritibusque profanis immersi, potiori intuitu commodum temporale, quam æternum affectant honorem. Nos [c] autem (*quibus vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* I, 21), cui sanctus ille Clavicularius regni futuri dicebat: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes* (*Joan.* VI, , 69), (10) qui discipulum in carcere commonebat, dicens: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me* [*Matth.* II, 6]), ut quid perennis fontis poculum relinquemus, hausturi gurgitem cœno mendacii ac vitiorum sordibus turbulentum? Aut qua ultione procacitas punienda est filiorum, qui, pia parentum jura spernentes, injustum victrici contubernium expetunt? » His verbis judex vehementi furore commotus, applicari martyrem ergastulis jubens: « Abeat, inquit, cum damnatorum custodia; horrida macerandum antra carcerum excipiant; parricidarum et furum solatio fruatur; et omni penitus solatio destituta, vel sic pervicax elidatur temeritas. »

24. Adit Dei famulus hilari vultu, exultantibus animis, specum illum reorum, qui vere sciebat auctorem suæ salutis ubique invocatum adesse, nec aliquo posse abesse situ, cujus dominatio omnem penetrat locum; qui etiam potenti divinatis imperio olim sectatoribus suis fidele promissum dederat, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). (11) Hæ sunt, diabole, minaces sævitiæ tuæ leges, hi sunt exquisiti terrores. Sed dictum est nobis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, quia non habent quid amplius faciant; sed potius eum timete qui potest corpus et animam perdere, et mittere in gehennam* (*Ibid.*, X, 28). Et iterum: *Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad præsides et reges ducemini propter me in testimonium illis, et gentibus. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Ibid.*, XVII, 18). Si ergo potes, congredere adversus animam, et pertinacem in confessione sua spiritum supera, videbis me magis per tormenta proficere: et cum tu plus exarseris, plus semper deficies, et feliciorem me facies pervenire ad gloriam.

25. Reperit vero in carcere Rudericus beatum Salomonem quem ob confessionem nominis Christi dudum crudelitas persequentium ibidem religaverat. Simili quippe et ipse crimine impetebatur [d], eo quod, sanctæ religionis cultum spernens, aliquo tempore sectæ Mahometanæ adhæsisset. Extemplo individuo voto nectuntur, ac sibimet invicem consolationis suffragia ministrantes, ab alterutro se ad peragendum agonem armantur; id in commune statuentes ut, calcatis mundi affectibus, pia quotidie servitute Deo inhæreant. Fit concors in Dei timore utrorumque assensus; macerantur membra jejuniis, fatigantur vigiliis, limantur ciliciis, meditationibus com-

[a] Abdarrahman patrem et Mahomad ejus filium reges intelligit. MORAL.

[b] Ita recte Bolland. ad diem. 13 Martii; perperam autem Moral. et Schott., *non mediis*.

[c] Male *nobis* in Moral. et Schot.; bene *nos* in Bolland.

[d] Schot,. *impediebatur*.

punguntur, orationibus refoventur; sicque, ardore quodam cœlestis patriæ conflagrati, dissolvi cupiunt et esse cum Christo, festinantes faciem ejus videre, cui servierunt: pro cujus amore defectum temporis non verentes, vitam hanc, ut quoddam discrimen immane, refugiunt.

26. Igitur permanentibus sanctis in exercitio officiorum cœlestium, et reddentibus quotidie pio Redemptori cæremonias laudum, pro summis deliciis antrum illud habebant. Quapropter zelo ductus iniquissimo judex, ferali edicto custodes carceris arguit, eosque ab invicem divelli præcepit, et ne a quoquam visitationis gratia illustrarentur, totis vesaniæ suæ furoribus jussit. Sed in nullo te juvas, diabole, quando per hoc discidium constantiam putas fatigari sanctorum, quibus unum B idemque pro Christo moriendi manet indissolubile votum. Nam hi confessores beati, (12) ordine et natione dissimiles, charitate non impares, diverso licet tempore certaminis campum aggressi, uno tamen eodemque fidei ardore flammati, specimen beatæ passionis egregium orbi instituunt.

27. Interea, non post multos dies, obtutibus suis judex eos exhiberi præcipiens, illico ad ritum suum invitat, ac de rerum copiis [a] et dignitate honorum suadendos attentat, quos ante mundi constitutionem electos et prædestinatos in adoptione filiorum Dei divinitas sancta perscripserat. Quorum pertinaciam in Dei professione considerans, post secundam et tertiam exhortationem ex decreto regis fore plectendos statuit. Prius tamen quam C egrederentur ad publicum, convinctorum se pedibus advolventes rogant ut continuis obsecrationibus juvarentur, ne, tentatione humana prærepti, retrorsum respicerent, et ab intuitu percipiendi vexillum victoriæ turbarentur. Ita pacis osculo reconciliati, qui nunquam fuerant litigio separati, omnes præ gaudio lacrymantes, sanctorum se favoribus tueri exorant. Sicque, urgentibus ministris, voto alacriori prosiliunt, celerius properantes ad locum quo passionem consummarent.

28. Et cum jam hora decisionis instaret, iterum a judice blandius exhortantur cum specie divitiarum, honorumque sublimium, quibus utique fruerentur, si reverterentur. Abnuunt sancti, sicuti a principio, judicis optionem, ita ut sanctissimus D Rudericus quadam vegetatus animositate, superno jam munere perlustratus, audacter ei responderet, dicens: « Quomodo nos cogis relicta pietate declinare in devium, qui sanctæ fidei sacramentis instructi, fortiter ignorantiam vestram deflemus, quos tanto videmus errore infectos? Nam nos adeo hanc sectam detrectabilem judicamus, ut ne nostris quidem eam incolendam canibus pateremur, quanto magis nosmetipsos fallacissimis ejus figmentis subdamus. Aut quare copiis rerum aut dignitate honorum labentium oblectemur, in ipso forsitan objectationis momento, intercidente morte, protinus omnia amissuri, qui novimus apud Christum coronatorem nostrum rerum ineffabilium opes manere, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendunt, se diligentibus repromissas? Ideoque celeriter crudelitatis tuæ in nos exsere ultionem, quos cernis nullatenus a confessione Christi desistere usque ad mortem; ut et quæ debentur hostibus Dei, tibi accrescant in cumulum, et diu nobis dilatum cito proveniat præmium. »

29. Hinc acrioribus frendens scelerosus judex clamoribus, ultimam suæ crudelitatis sententiam promens, « Perduellium, inquit lictoribus, properate abscindere colla, et debitam in capite contemptorum celerius retorquete vindictam. » (13) Sic super crepidinem alvei constituti, crucis signaculo se præmuniunt, et sic denuo ense prostrantur. E quibus prior Dei sacerdos occumbens, prævius triumphator cœlum intravit. Quod ideo judex fieri voluit ut si forte horrore decisi cadaveris beati Salomonis animus flecteretur; quem post varias deceptionum illecebras constantem et fortissimum comprobans, ultimo gladio vindice trucidari præcepit. Hæsit tamen suo collo non funditus vertex incisus, quia expeditiorem beato Ruderico quam huic Salomoni framea intulit obitum.

30. Sed quia cœlorum regna adeuntibus animabus nequit obsistere callidus serpens, adhuc contra exanimata corpora bellum exsuscitat; quasi mortua superare posset cadavera, cum jam nullus esset spiritus, qui potius irrideret quam sentiret tormenta; aut quasi aliquis titulus putaretur victoriæ, cum defunctis bellum inire. Ut ergo passionibus Christi communicarent martyres, instinctu ferocitatis a diabolo præses armatus, sub cujus dira crudelitate totius dignitas Cordubensis tunc graviter vexabatur, jubet corpora martyriali cruore perfusa, vestigiis inversis configi, ac deinceps fluviali abysso recondi. Eadem nocte ingenti lapidum onere alligata, separatim vastissimo gurgiti immerguntur. Sperabat miser elementis imperare undarum, quæ præstantius intendere noverant Creatoris imperium, ut creditas sibi opes martyriales non solum a belluis conservarent, verum etiam erepta saxorum pondere membra placido remigio fluctuum ad locum quietis veherent.

31. Ego interim peccator Eulogius, qui gesta beatorum meo elucubranda stylo dudum decreveram, cum rumor consummatæ passionis eorum ubique discurreret, expletis missarum solemniis, ipsorum invisenda corpora quadam vegetatus audacia adii, (14) ac proprius quam cætera spectantium turba accedere non veritus sum. Et testis est Redemptor meus, qui hoc commentarium discussurus est, quia non mentior, quod tanta decoris pulchritudine decisa illa cadavera fulgebant, ut crederes, si a quoquam sciscitarentur, protinus locutura.

32. Nonnulli etiam e turba gentilium venientes, sumebant lapillos fluminis, qui cruore martyrum

[a] Deest *et* in Schot. et Bolland., sed habet recte Morales alia enim est tentatio divitiarum, alia honorum, quas semper hic discernit Eulogius.

erant aspersi, et lymphis abluentes projiciebant (15) in pelago, ne Christianis in emolumentum existerent lipsanorum [a]: nescientes quod nihil obesset ab his partem adimere, quibus totam decreverat Dominus passionem [b] donare. Nam credita algarum latibulis membra, et altis abyssorum gremiis deputata, quæ tam celanda quam pabula piscibus ministranda susceperant, illico divinitus ad superos revocata, non solum nequeunt retineri, verum etiam leniori spiramine reciprocanti fluctuum alternatione, quæ dispersa tenebantur, incolumia littoribus exponuntur. Sane beati sacerdotis suis non hæserat cervicibus caput, quia semel illud uno ictu satelles avulserat. Et ideo alibi vertex, et alibi corpus jactatum, unoque in loco sabulo opertum ab accolis viculi [c], quo vehentibus undis expositum fuerat, reperitur.

33. Interea, dum situs quietis sanctorum notitia pene dierum viginti tempus excederet, nec ullum apparendi darent indicium; quorumdam ex improviso relatione gentilium proditur, referentibus hoc quidam presbytero, (16) apud viculum Tertios commanenti, quo monasterium sancti Genesii fundatum est. Quo nuntio idem sacerdos compulsus, beatum cadaver suæ deportandum Ecclesiæ pergit. Cui redeunti ingens fidelium turba occurrit, utpote summo triumphatori debitum honorem dependere anhelans, qui talia pro Deo suo in exemplo catholicorum non contempserit sustinere. (17) Et quia defectu solis crassum tenebrarum chaos illabebatur, totumque mundi aspectum nox cæca mutaverat; ministerio obviantium populorum multimoda lampadum face tenebrosus horror expellitur, adeo ut, nimio splendore omnia illustrante, redivivum ostentaverit nox illa diem emergere. Flebant omnes præ gaudio, miscebatur tripudiis luctus, et nulla contrahente mœstitia vultum, pium refundebat pupilla lamentum.

34. Adest et venerabilis pontifex, felicium stipatus agmine clericorum, votis ardentioribus talibus interesse festinantes exsequiis, qui mox sanctas reliquias adeunt, (18) et inclytus papa [d] caput detegit, et osculis sancta membra demulcet. Redolent secreta cubiculi, quo prius beatum corpus sacerdos intulerat, miro suavitatis odore, cunctaque cellulæ pavimenta etiam ablato pulvere ferunt aliquandiu suavissimi odoris olfactu respirasse. Fit omnibus in stuporem, quod inhumatum corpus nulla putredo insumpserit, nulla pestis infecerit, nulla tabes corruperit, nulla bestiarum altiliumve rabida fames discerpserit, nec propriæ cutis qualitatem tot dierum interjecta capedo degenerans immutaverit. Sicque sacerdotum et religiosorum officio sanctum corpus e cellula sacerdotis humandum ecclesiæ inferentes dant cuncti hymnorum cœlestium clamorem egregium, resonant ora fidelium congruenti carmine melos, præstrepunt omnes divinæ cantionis euphoniam, implentur atria Domini murmure sancto psalmorum, feliciumque laudum odam omnes quasi ex uno ore persolvunt; et suavi concentu omnibus percrepantibus, largoque fomite luminum totius aulæ penetralibus reducentibus, regem Christum militia comitante cœlicolum ad spectaculum illud, exsequis innuebat interesse sanctorum.

35. Expleta igitur functione sanctissimi Ruderici, fit ardentior cunctis intentio requirendi beati Salomonis corpusculum, quod relatione multorum impetu fluminis salo credebatur esse transmissum. Nam hæc opinio providum magis Christicolarum ausum inhibuerat, quam furens conspiratio præsidis, quæ acrioribus ulciscendum legibus exploratorem reliquiarum promiserat. Etenim, cum nullum latentis corporis instaret indicium, moveretque omnes spes beneficentiæ Dei, qui revelare abstrusa et aperta condere consuevit, prærogativa quodam modo divinitatis potentia, qua in cœlo et in terra, in mari et in abyssis omnia quæcunque vult ordinat, disponit et facit; subito per quietem, quo situ corpus martyris delitescat, prædictum admonet sacerdotem. Cumque sacerdos monontem de loco sui latibuli sciscitaretur, seque instrui quæreret, quod explorandi tenere debuisset indicium: « In illa, inquit, ripa fluminis, quæ vico Nymphiano adsciscitur, ibi a commeantibus inter fructeta tamaricum projectus, cespitis limosi perfruor vili sepulcro. » Pergit securus ad locum sibimet divinitus demonstratum ille sacerdos, nec aliter quam quod ei revelatione ostensum est, reperit. Quod illico summis reverentiæ obsequiis comptum, ad vicum Colubris deportans, venerabilium Dei sacerdotum officio in basilica sanctorum Cosmæ et Damiani honorifice tumulatur. Consummaverunt autem beati martyres agonem suum tertio Idus Martias, (19) æra DCCCXCV, regnante Domino nostro Jesu Christo in sæcula sæculorum. Amen.

Ecce patroni mei reverendissimi, milites Christi, testes idonei, bellatores egregii, victores potissimi, tutores gregis catholici, detractoribus vestris obvius veniens, eisque pro vigore virium mearum resistens, gesta quoque victoriarum vestrarum ad exemplum fidelium ordinavi; ut tam proficeret cupientibus ire ad regnum, quam mihi occurreret ad expiationem facinorum. Quia non displicere vobis, quæ de vobis vera diposui, existimo, quinimo grata vobis, Christoque digna obtentu vestro futura credidi cuncta quæ in hoc opere edidi. Unde obsecro vos ego peccator Eulogius, pauper meritis, exiguus sanctitate, et culpa multimodus, ut digna intercessio vestra tuitionem mihi et inter ingruentia mundi scandala præ-

[a] Libenter D. Eulogius Græcis nominibus utitur. Græce idem est quod apud Latinos *reliquiæ*. MORAL.

[b] Imo *possessionem* legendum videtur Bollandianis post Baron.

[c] Deesse nomen proprium oppiduli existimo: nunquam enim ipsum auctor solet prætermittere. ID. — Nisi *Viculi* proprium isti tractui fuerit. BOLLAND.

[d] Deest *caput* in Schol. et Bolland., proindeque alius est orationis sensus, nempe quod episcopus Cordubensis reliquias martyris, quas secum presbyter asportabat, detexerit. In lectione autem nostra significatur, pontificem ad occursum SS. reliquiarum proprium caput discooperuisse, sanctaque membra osculasse.

beat, et inter supplicia inferorum, quæ pro meritis expavesco, defensionem exhibeat, sanctificando me gratia hujus opusculi, dignumque efficiendo quod sordidus sordidavi. Et, si fortassis error contrarius fidei in qualibet parte libelli emersit, A Dominus, vestro interventu, mihi parcat, vos quæso, quibus innocentia cordis mei non latet. Præsertim cum non nesciam prudentes plerumque incurrere sermonis lapsum, ubi animus non gerit errandi affectum.

Explicit Deo fautore Liber apologeticus pro gestis sanctorum Eulogii peccatoris [a].

[a] Ita fuit in exemplari. MORAL.

AMBROSII MORALIS
SCHOLIA
AD OMNIA SANCTI EULOGII OPERA.

I
IN MEMORIALE SANCTORUM.

IN PRÆFATIONEM.

(1) *Ego quidem.* Instituti sui reddit rationem : et gustum (quantum credi potest) futuri operis in ipso vestibulo præbiturus, Isaac martyris vitam et interitum memorat.

(2) *Ascyteriis.* Græcum verbum, unde hoc nomen derivatur, mentem in rerum divinarum contemplatione exercere significat. Inde ascysteria monasteria dicuntur. Usus est eo vocabulo imperator Justinianus in L. *Omnia* 33, *c. de episc. et cler.* Iterum etiam id ipsum D. Eulogius (*Epist. ad Wiliesind. episcop. Pampilon.*) usurpat : et D. Basilius, D. Gregorius Nazianzenus eo frequenter utuntur.

(3) *Qui prior.* Præcesserunt haud dubie multis annis Adulphus et Joannes, ut lib. II, [a] cap. 8, apparebit. Sed enim de his tantum nunc loquitur, qui per tres hos aut quatuor annos martyrio coronati sunt. Et, quamvis nunc etiam Perfectus presbyter præcessisset, ipse tamen Eulogius paulo post rationem est redditurus, cur ipso priorem Isaac referat. C

(4) *E Tabanensi cœnobio.* Monasterii hujus crebra mentio deinceps occurret. Eo autem potissimum sese receperat sanctus Isaac, quia patruelem Hieremiam, mox martyrem, inibi habebat, qui cum uxore Elisabeth monasterium ipsum construxerat : in quo ipse etiam monachus factus, ut suo loco apparebit, degebat.

(5) *Ephebus ille* Viginti septem annorum fuisse in Usuardi martyrologio memoratur. Eulogius in II lib. hoc ipsum ejus martyrium repetens, cum primævos adolescentiæ annos ingrederetur, monachum factum, et post triennium martyrium subisse scribit.

(6) *Ita maledictionibus tabescat.* Imprecatio est Hispanis nostris quam Latinis inter loquendum hac forma usitatior. Diversa enim sunt illa (Virgil., *Æn.* III, v. 620) :

... Di, talem terris avertite pestem

Item illud ejusdem (*Ibid.*, lib. II, v. 189) :

... Quod di prius omen in ipsum
Convertant.

(7) *Feria quarta.* Annus Domini octingentesimus B non quinquagesimus primus, dies Junii tertius notatur. Et recte prorsus : incidit enim is ejus mensis dies illo anno in feriam quartam. Habuit enim litteram, ut vocant, dominicalem D.

Eo porro ipso die in Usuardi martyrologio festum ejus apponitur : quod etiam Romanum nuper locupletatum, et Venetis apud Juntas excusum, inde transtulisse videtur. Cordubensis Ecclesia eumdem diem eidem sancto martyri dicatum celebrat.

(8) *Hieremiam martyrio.* De his lib. II, cap. 4. Item de Perfecto presbytero, cap. I. Cujus ideo hic mentionem inseruit, ut qua ratione eidem tempore Isaac anteferret, demonstraret.

IN LIBRUM PRIMUM.

(1) *Peritissimorum virorum.* Sancta Ecclesia, ut fuit, eritque semper (quemadmodum ab ejus auctore Jesu Christo Domino nostro prædictum est) sagena bonis et malis promiscue piscibus oppleta, ita in ipsis etiam Christianis pravos quosdam habere nunquam destitit, qui ipsam importune conturbarent, et zelo quodam improvido instigati affligerent. Quod etiam divi Eulogii tempore contigit. Non satis erat Hispanam Ecclesiam captivam in misera et truculenta servitute versari, et ab immanissimis tyrannis infanda mala assidue perpeti. Quod unum Christianis in tot calamitatibus insigne solatium esse poterat, nimirum non deesse qui fortiter mortem pro Christo oppeterent, et, constantia sua alios instimulantes, Dei Ecclesiam exhilararent ; hoc ipsum tot malorum levamen impii quidam et insipienter providi eripere illi nitebantur. Martyres criminabantur, eo nomine indignos judicabant, et obesse potius in commune Ecclesiæ Hispanæ, quam prodesse affirmabant. Eis respondere hoc I lib. D. Eulogius voluit, ut martyrum, de quibus deinceps esset acturus, famæ consuleret, contra calumniantes defenderet, veramque et solidam illorum gloriam initio astrueret. Nihilo secius tamen destinato in hoc ipsum opere Apologetico, idem postea argumentum plenius tractavit. Nec solus tamen martyres ita defendit. Quisquis enim fuit auctor Indiculi luminosi (de quo in D. Eulogii Vita, de Alvaro loquentes [b] diximus).

[a] Nunc vacat hoc caput : continebat enim Vitam et passionem sanctarum virginum Floræ et Mariæ post *Documentum Martyriale* a nobis editam, ut non semel monuimus.

[b] Videsis quæ nos ibidem adnotavimus sub num. 5

totum illud opus ad eorumdem martyrum defensionem conscripsit, ut Apologeticum prorsus posset jure optimo appellare. Et neque hoc D. Eulogii sæculo solum martyrum fuere detractores, sed priscis etiam Ecclesiæ temporibus. Concilium enim Carthaginense primum sub Sylvestro primo hujusmodi martyrum obtrectatores canone secundo graviter compescuit [a].

(2) *Sed nescio quo tendere.* Insignis ubique apparet in D. Eulogio modestia, atque profecto magis conspicua, quo homo, ut illa tempora ferebant, doctissimus nullam habet de ingenio et litteris, nullam probatissimus de virtute fiduciam.

(3) *Ecclesia Hispaniæ.* Corruperant jam hæc sæcula multa in propriis præsertim nominibus vocabula, ut in hunc, quem nunc habemus, Hispanum sermonem paulatim transformarent. Inde *Spaniam*, non *Hispaniam* : *Cordobam* non *Cordubam* : *Eglesiam*, non *Ecclesiam* proferebant. Neque recens post Arabum in Hispaniam ingressum ea fuit corruptela, sed retro ab Gothorum temporibus derivata, quod ex nummis jam in D. Eulogii Vita ostendimus. Scribebant autem quemadmodum et pronuntiabant. Itaque *Eglesiæ*, non *Ecclesiæ* fuit semper in veteri scriptum. Nos tamen in excudendo Latini sermonis proprietatem in *Hispaniæ* et *Ecclesiæ*, quemadmodum in *Cordubæ* nomine retinuimus.

(4) *Comessationes quoque.* Late in hoc loco D. Eulogius quæ pessime de Christo salvatore, et sacratissima ejus matre Mahometus tradidit, ex nefando Alcorano prosequebatur. Verum nos lineas aliquot justis de causis dempsimus [b]. Nam quæ illo tempore ad detegendam sectæ abominandæ turpitudinem erant necessaria, nunc piorum aures poterant offendere. Et providentissimis sanctæ Inquisitionis decretis cautum est, ne Alcorani nefaria dogmata passim legantur. Neque nos tamen pro libito quidpiam de sancti martyris opere, quod digne suscipimus, et reverenter attingimus, adimere voluimus : quin potius id ipsum de sapientissimorum virorum consilio fecimus. Hæc ideo hic annotare voluimus, ut, si quis in D. Eulogii exemplar inciderit, cur hic paucula quædam desint intelligat. Et, quantum ego existimo, Speraindeo abbatis verba sunt, usque ad illa, *et erit clausa.* Hic enim vehementioris orationis impetus, A nescio quid commotius, et ab cæteris in hoc opere diversum, dignumque facundiori artifice molitur.

(5) *Nonnulli nostrorum philosophorum.* Christianos, qui doctrina præstarent, quive doctores in Ecclesia essent, philosophos vocat. Habetque catacrisis nonnullam ex similitudine rationem.

(6) *Invictissimi illius Joannis.* Auctor Indiculi luminosi Joannis hujus supplicium late descripsit. Et, quoniam liber nondum est typis excusus [c], operæ pretium fuerit ipsa ejus verba hic apponere. Post martyrium igitur Perfecti presbyteri ita inquit : « Pergamus secundi iterum exponere casum. Post anni revolutionem aut aliquid amplius, ille livoris gentilium oculus non quievit, sed, ut solitum est illis Christianismum irridere, et nobis omnibus christicolis insultare, hunc Joannem, quem multo tempore carceris [d] retinuere claustra [e], negotiationem et mercimonia nundinandi in eo exaggerare conati sunt, et [f] ipsum vexare : et ob gratiam mercimonii livore usti, multa exprobrando [g] ingerere, B dicentes : Parvipendens nostrum prophetam, semper ejus nomen in derisione frequentas, et mendacium tuum per juramenta, ut tibi videtur, nostræ religionis falsa, auribus te [h] ignorantium Christianum esse sæpe confirmas. Ad quos ille [i] confidenter, et nihil erga se doli suspicans, cum se immunem ab ipsis quæ contra eum opponebantur, vellet ostendere, furor crepitans et præceps ira eadem repetens, inculcans et replicans, crebrius quæ sæpe dixerat intentavit. Tunc ille non ferens, ex hac generationum talium nube stomachabundus, et faceta satis urbanitate accinctus, eleganti mente respondit elatus : Maledictus sit a Deo, qui prophetam vestrum nominare desiderat. Illico clamor ingens factus, et perditorum cuneus constipatus, iniquitatis [j] exosæ conventus, velut apes in unum perfidiæ aggerem congregati, unius massæ cumulo malitiæ [k] conspiratione respersi, semivivum ad C judicem perduxerunt. Et testibus minus idoneis ab ipsa perfidorum massa surgentibus præsentatis, potiora et majora contra ipsum testatione propria intentarunt. Quæ ille tota negavit, et æmulationem invidiæ ipsorum aperto in se sermone retexuit. Sed judex iniquitatis quadringentis cum ictibus verberat flagellorum, et per omnium ædes sanctorum sub voce præconia fecit discurrere : talia pati debere, qui prophetæ derogat Dei. Ac deinde carcerali mancipat arcta custodia,

[a] Quisquis longiorem de hac re disputationem desiderat, adeat Benedicti XIV doctum et eruditione omnigena plenum opus *De servorum Dei beatificatione, et beatorum canonizatione*, lib. III, cap. 16, num. 7 et seq., ubi more suo quæstionem versat, discutitque, *An martyri liceat se offerre martyrio, et an spontanea ad ipsum oblatio obstet ejusdem merito*? Non pigebit exempla ex omni antiquitate ecclesiastica ibidem congesta legere, in quibus et D hoc martyrum Cordubensium occurrit, laudato insigni eorum apologista ac vindicatore, Eulogio nostro, cujus verba ex hoc ipso libro primo *Memorialis* non semel exscribit : causam procul dubio aptam, et fortasse necessariam eam putans sese ultro martyrio offerendi, qua hi Eulogio teste permoti sunt : cum nempe ex silentio fides periclitaretur, ejusque depressio consecutura fuisset, nisi veritatis testes suæ fidei professionem hostibus vel nolentibus ingessissent, hostesque etiam ipsos generosa confessione provocassent.

[b] Ob id reprehendit Moralem perdoctus vir Thomas Malvenda in Opere *De Antichristo*, cujus verba ex edition. Lugdun. 1647, a Fabricio transcripta tom. II, Bibliothec. med. et infim. ætat., pag. 124, edition. Patav. 1754, hic exprimere placet : *S. Eulogius... multa de abominandis et turpissimis Mahometi operibus et dogmatibus percensuerat, quæ magna ex parte sustulit Morales.... quod sane ab eo non satis recta ratione nobis factum videtur, quantuvis id ipse excuset. Opera enim Patrum non sunt eo modo attingenda aut mutilanda ; nam nec Gnosticorum fœdissima et spurcissima exempla a sancti Epiphanii libris erasa sunt ; et apud alios Patres et scriptores antiquos ejusmodi detestandæ et horrendæ hæreses descriptæ reperiuntur : siquidem et eas nosse non parum intererat, nec sine valida et forti refutatione referebantur. At sanctus Eulogius acerrime semper, ut tantum virum decebat, in pravos Mahometi errores invectus est.*

[c] Cum jam editus fuerit Indiculus ab Henr. Florezio tom. XI Hisp. sacræ, pag. 219, ut diximus ad Schol. in Hymnum et Epitaphia Alvari pro Eulogio num. 5, hic subjiciemus quæ ibidem adnotavit.

[d] Florez melius ad mentem Alvari : *retinuit claustra* ; recteque animadvertit, vocem *claustra* feminini generis et numeri singularis scriptores infimæ latinitatis usurpare.

[e] Id., *negotiationum mercimonia.*

[f] Apud Florezium deest *ipsum.*

[g] Notat idem hic fortasse legendum *ingessere.*

[h] Id., *ignorantibus.*

[i] Id., *cum fidenter.... suspicans se immunem.*

[j] *Exosæ* posuimus ex Florezio, cum Morales corrupte legerit *ex ore.*

[k] Florez *conspartione* : et notat sic retinendum, seu *consparsione*, quoniam veteres *consparsum* dicebant pro *aspersum.*

minitando illi inferre majora. » De hoc Joanne iterum etiam D. Eulogius, lib. II, cap. 10. In vetusto vero Michaelis Ruizii Azagræ codice epigrammata etiam Cypriani Cordubensis Ecclesiæ archipresbyteri fuerunt et inter cætera hoc quoque distichon cum hoc titulo : A

Item super tumulum sancti Joannis confessoris.

Carceres, et dira Joannes ferrea vincta
Christi amore tulit. Hæc functus in aula quiescit.

Hunc eumdem Joannem esse credo, quem D. Eulogius commemorat. Quanquam pauciora epitaphium, quam potuit, ac debuit, retulit. Sed ejusmodi erant tempora, ut versum quoquo modo clausisse, magnum etiam haberetur. Vixit autem et scripsit Cyprianus hic, quod ex aliis ejus epigrammatis apparet, quadraginta ut paulo amplius post D. Eulogii mortem annis.

(7) *Qui ut idem docuit.* Longa admodum est parenthesis et trajectione etiam (quod Fabius damnat) plusquam tarda. Sed nos nihil immutare hic ausi sumus. B

(8) *Et quoscunque confessio.* Jam hinc est animadvertendum Christianos per totam Hispaniam, et Cordubæ præsertim, ea lege, quemadmodum initio scripsimus, fuisse relictos et toleratos ut, Mahometi sectæ non detraherent. De hoc ipso in Indiculo luminoso legimus ad hunc modum : Ecce lex publica pendet, et [a] legalia jussa per omne regnum eorum discurrunt. ut qui blasphemaverit flagelletur, et qui percusserit occidatur. Et ecce quotidie horis diurnis et nocturnis in turribus suis et montibus [b] caligosis dominum maledicunt, dum vatem impudicum, perjurum, rabidum, et iniquum, una cum domino testimonii voce extollunt. » De cæteris vero quæ ab Sarracenis paterentur Christiani, hic ab Eulogio commemoratis, auctor ille in hunc modum : « Quotidie C opprobriis, et mille contumeliarum fascibus obruti, persecutionem nos dicimus non [c] habere. Nam ut alia taceam, certe dum defunctorum corpora a sacerdotibus vident, ut mos est ecclesiasticus [d] humanda portare, nonne apertis vocibus, et impurrissimis [e] gemitibus dicant : Deus non miserearis illis ? et lapidibus sacerdotes Domini impetentes, ignominiosis verbis populum Domini denotantes spurcitiarum timo christicolas transeuntes pædore infando aspergunt, majora minitando ringentes ? » Et paulo post : « Sic itidem, et cum sacerdotes Dei [f] casu quopiam cuiquam obviaverint per viam, lapides coram ipsis cumulantes, testasque aridissimas ante vestigia eorum revolventes, ac improperioso et infami nomine derogantes, vulgari proverbio et cantico inhonesto sugillant, et fidei signum opprobrioso elogio [g] detruncant. Sed cum basilicæ signum, hoc est tinnientis æris sonitum qui pro conventu Ecclesiæ adunando horis omnibus canonicis percutitur, audiunt : derisione et contemptu inhiantes, moventes capita, infanda iterando congeminant, et omnem sexum, omnemque ætatem, totiusque Christi Domini gregem non uniformi subsannio, sed milleno contumelarium infamio impetunt, et derident. Nunquid non isti sunt qui Hierusalem maledicunt, et muros sanctæ Sion destruunt, et succendunt ? De quibus dicitur : [h] *Maledicti omnes qui spernunt te, et omnes qui blasphemant te. Maledicti omnes qui destruunt muros tuos, et omnes qui subvertunt turres tuas, et omnes qui succendunt habitationes tuas* (*Tob.* XIII, 16). Et licet hæc omnia ab illis per contemptum vel derisionem. vel odium, ut diximus, impleantur, tamen etiam carnaliter in habitationes Domini, et in sanctuarii ædes quotidie perpetrantur, dum Ecclesiæ Dei destruuntur, et antiqua soliditatate templa firmata terratenus coæquantur.

(9) *Carnibus etiam spoliata.* Hic paulisper oportet immorari, ut melius quid hic lege cautum dicat

[a] Florez pag. 228. *legatis jussa... discurrit ;* notatque *legalis jussa* feminini generis et numeri singularis sicut *claustra* esse ; vel legendum *legalis jussio.*

[b] *Caligosus* idem ac *caliginosus.* Florez recte ex Cangeano Glossario.

[c] *Hæc et alia,* inquit Florezius, *melius interrogationis signo clauduntur. Quia tamen nunquam notatur in Codice, et possunt ex adversariorum mente dicta accipi, nihil nobis permisimus.* Ego vero illud signum cum Morali retinere volui.

[d] Flor. *humo dando.*

[e] Id. *genis ;* observatque non esse improbabilem lectionem, cum postea idem auctor bis eam usurpet.

[f] Flor. *casu quo quem obviant perviantes lapides testaque avarissima ante vestigia,* etc., notatque moralesium de suo texuisse quod legit, quamvis *testas aridissimas* melius quam in codice *testa arvissima,* restituerit. D

[g] Perperam, *ait Florez detruncant* pro *decolorant* edidit Morales.

[h] Jam diximus, sub num. 21 lib. I, hæc verba esse Tobiæ, frustra requirenda in Vulgata, attamen exhibita in Breviario Mozarabico. Nunc addimus ex Alvaro in hunc locum quem Morales adhibet, quod *hanc maledictionem annue Ecclesia super odientes se non occulte, sed patenter ac luminositer clamat :* cujus vestigia disciplinæ, nempe ut singulis annis hostes Ecclesiæ maledictis obruerentur, ad hæc usque nostra tempora Ecclesia Romana servavit in anniversaria publicatione famigeratissimæ bullæ, ut aiunt, *Cœnæ Domini.* In qua primi omnium excommunicabantur hæretici, apostatæ, schismatici cæterique hostes Ecclesiæ jam inde a tribus et amplius retro sæculis. Sed Clemens XIV pontifex maximus anno 1770 ab ea publicanda primus abstinuit; cujus exemplum, qui ei successit SS. D. N. Pius VI feliciter regnans, secutus est. Hujus originem bullæ perscrutatus perdoctus vir Marchio *del Risco* in ejusdem bullæ Historia legali, nullum reperit ejus antiquitatis vetustius monumentum Romano Cæremoniali sancti Gregorii X, edito a Joanne Mabillonio, tom. II Musæi Italici. Verum nos attendentes Alvarum aperte loqui de more quem saltim Hispana Ecclesia servabat, palam quotannis inimicos maledicendi, nec obscurum, nec leve illius bullæ fundamentum deprehendibus in hujusmodi ritu sive nostræ, sive alterius Ecclesiæ particularis, unde Romana eam disciplinam acceperit. Hæc enim Ecclesia, quamvis omnium mater et magistra sit, aliarum consuetudines quæ sibi non improbabiles videntur, amplecti non dedignatur. Nam ut præclare Gregorius Magnus, in Epist. 12 lib IX : *Si quid boni... altera Ecclesia habet, ego et minores meos... in bono imitari paratus sum.* Neque quod inimicos ab Ecclesia maledici bonum asseramus imperitus quisquam nobis exprobrare audeat. *Aliter enim,* egregie idem mitissimus pontifex, lib. IV Mor., num. 2, *maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. . Cum vero sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt,* etc., quæ digna sunt ut legantur. Jam vero qua die in Hispania hæ maledictiones fierent, nec Eulogius nec Alvarus nec ullus alius nos edocet. Græci, ut ex verbis Leonis Allatii, refert Marten. cap. 19 lib. IV de Antiq. Eccles. Ritib., prima Dominica Quadragesimæ, *legunt Synodicon, in quo hæretici fere omnes anathematizantur* ; Latini autem, ut ex prædicto Cæremoniali Gregorii X constat, in diebus Cœnæ, Ascensionis, et in festo Dedicationis basilicæ duodecim apostolorum eas excommunicationes publicabant. Quamobrem si quis conjectando dixerit aliqua ex his diebus, præterquam in festo dedicationis, hujusmodi ritum apud nos celebrari solitum non repugnabimus.

sanctus martyr intelligamus. Vivebat Cordubæ A hocque ipso tempore presbyter (abbas postea sancti Zoyli fuit) Samson nomine, vir doctus et subtili ingenio, in philosophiæ et sacrarum litterarum studiis versatus. Id abunde declarat ejus Apologeticum opus, quod tribus libris distinctum scripsit contra Hostigesium Malacitanum episcopum, ut ipsum in concilio Cordubensi hæreticum cum convicio dixerat, quemadmodum ipse in præfatione libri secundi late commemorat. Ibi se abbatem Ecclesiæ sancti Zoyli martyris æra nongentesima prima, hoc est anno Domini octingentesimo sexagesimo tertio factum ostendit. Is autem annus est post Eulogii martyrium tertius aut quartus. Me etiam juvene, in montibus Cordubensibus, decimo ab urbe milliario, non admodum longe ab oppido quod *Trassiera* vocant, in eo agro qui Comitatus *de Espiel* dicitur, dum vetulum puteum rustici repurgant, cimbalum æreum parvum pedis ferme altitudine extraxerunt. Id nunc B etiam in D. Hieronymi cœnobio asservatur. Forma est ab cæteris, quibus nunc utimur, longe diversa : literas sequentes non fusiles, sed celte excavatas in orbem habet ; sed tot nexibus inter se colligatas, et aliis alias inclusas, ut typis eorum species exprimi nequeat.

Offert hoc munus Samson abbatis in domum sancti Sebastiani, martyris Christi. Æra DCCCC et XIII.

Est autem hic annus Domini octingentesimus septuagesimus quintus. Obiit autem idem Samson anno postea octingentesimo nonagesimo. Quod ex ejus epitaphio constat ab Cypriano archipresbytero composito, et inter reliqua ejusdem epigrammata in eodem illo Azagræ codice reperto cum hoc titulo :

EPITAPHIUM *quod idem in sepulcro domini Samsonis edidit metro heroico.*

Quis quantusve fuit Samsou clarissimus abba,
Cujus in urno manent hac sacra membra sub aula : C
Personat Hesperia, illius famine fota.
Flecte Deum precibus lector nunc flecte peroro,
Æthera uti culpis valeat conscendere tersis.
Discessit longe notus, plenusque dierum,
Sextilis namque mensis die vicesima prima,
Sextilis namque mensis primo et vicesimo sole.
Æra DCCCCXXVIII.

Æra ad hunc modum fuit infrascripta. Illud autem ejus opus Apologeticum Toleti in sanctæ Ecclesiæ bibliotheca gothicis litteris descriptum in pervetusto codice habetur. Hæ omnia satis indicant Samsonem hunc divi Eulogii temporibus floruisse. Quod nos exquisitius astruere voluimus, quia de hoc ipso periculo, quod martyres sanctos sepeliendo imminebat, in præfatione libri secundi de Servando comite Christiano, sed nefario homine, ita inquit, postquam multa mala, quæ Christianis viventibus intulerat, recensuit ; « Deinde vivorum mortibus non contentus, quiescentium, quorum anima- D bus impedire [a] requiem non potuit, ne vel ipsis parcere videretur, corpora, ut fuerant sub [b] arcis Dei posita, e suis loculis insignis [c] vespilo traxit, et fidelibus regis, ut fuerant ancipiti ense truncata, monstravit : ut hoc facto animos regios in nostrorum perniciem excitaret. Quatenus probarentur [d] apud eum debito mortis obnoxii, qui ausi essent humare illius prostratos pugione. » Hucusque Samson [e]. Nec dubium credo alicui esse possit, quin de sanctis martyribus superioribus annis interemptis loquatur.

(10) *Quippe qui jam nos.* De seipso loquitur Eulogius, qui ut Alvarus scripsit, ipsequemet postea non semel narrabit, in carcerem missus fuerat. Inde autem sanctarum virginum et martyrum Floræ et Mariæ precibus, ut ipsæ contestatæ ante martyrium fuerant, cum cæteris Christianis est eductus. Hoc innuit. Attende autem scripsisse divum Eulogium hunc librum post suam illam liberationem.

(11) *Lunam iter solvimus.* Lunariter, quemadmodum et lunatim, adverbia sunt illis temporibus novata. Significant autem per singulos menses. Hujus menstrui tributi meminit etiam Leovigildus [f] presbyter Cordubensis, qui hoc ipso etiam sæculo vixit, et de habitu clericorum opusculum scripsit. Causas autem cur scriberet reddens, ita inquit : « Ut qui ex nobis ad remanentes doctores imbecillitate corporis præpediente dirigere gressus nequiverit, aut quem inquisitio, vel census, vel vectigalis, quod omni lunari mense pro Christi nomine solvere cogimur, retinuerit : saltem nocturno tempore inter ecclesiastica munia, qui necessarium duxerit, legat. » Meminit hujus Leovigildi Samson abbas. Est autem peracerbum et lacrymis dignum, miseriam Christianorum, qui tot tantaque ludibria et detrimenta paterentur, reminisci.

(12) *Stigmata in nobis.* Sacram tonsuram intelligit. Stigmatum autem vocabulum, quod alioqui in servis solummodo erat proprium, divus Paulus eo usus, fecit Christianis etiam venerabile.

(13) *Emeterius et Celedonius.* Prudentius poeta in horum sanctorum hymno spontaneam corum ad appetendam mortem satis indicat voluntatem, cum ita loquentes inducit :

Sit satis, quod capta primo
Vita sub chyrographo
Debitum persolvit omne,
Functa rebus Cæsaris
Tempus est Deo rependi
Quidquid est proprium Dei :
Ite, signorum magistri.
Et vos, Tribuni absistite :
Aureos auferte torques,
Sauciorum præmia.
Clara nos hinc angelorum
Jam vocant stipendia.
Christus illic candidatis
Præsidet cohortibus :
Et throno regnans ab alto,
Damnat infames deos,
Vosque, qui ridenda nobis
Monstra divos fingitis.

Cæterum sancta Toletana Ecclesia pervetustum codicem habet, quo vitæ nostratium martyrum continentur. Ibi in Emeterii et Celedonii historia hæc ipsa verba, quæ paulo post adducit? Eulogius, habentur. Sunt autem Celedonii Emeterio adhortanti, ut ad judicem procederent, respondentis. Et olim profecto sancta Toletana Ecclesia hanc ipsam historiam in matutinis legere consueverat, et nonnullæ hodie per Hispaniam legunt. Et magnopere est animadvertendum quam sit antiqua illa historia, quæ tempore etiam Eulogii jam fuerat conscripta.

(14) *In illis septem fratribus.* Hoc ipsum iisdem verbis in vulgata sanctorum Juliani et Basilissæ historia legimus in episcopo [g] Equilino, in sanctoralibus vetustissimis, et ubicunque est plene descripta Ecclesiæ enim ferme omnes in matutinis brevitatis avidæ indidem multa præcidere. Quod in omnibus

[a] Deest in Florez *requiem.*
[b] Id., melius, *aris.*
[c] Id., *vespilio.*
[d] Id., *penes.*
[e] De Samsone abbate verba nos fecimus in Monito ad Antikimenon et duplicem Orationem sancti Juliani.
[f] Hujus presbyteri vitam satis accurate scripsit laudatus Florezius cap. 4 in tom. X Hisp. Sacr. circa finem.
[g] Horum sanctorum festum solemniter celebrabat Ecclesia nostra, ut patet in Missal. et Brev. Gothic. ad diem 9 Januarii, quo triplicem in Brev. habemus hymnum eorum martyrium pangentem. Acta prosaica quæ Bollandus ad eamdem edidit diem, quamvis *auctorem præsentem ac videntem præ se ferant,* inquit Papebrochius, tom. 1. Maii, pag. 8, col. 1, *conficta tamen ea esse nunc* arbitramur *ob causas facile a posteris vestigia nostra pressuris agnoscendas.*

etiam fere sanctorum historiis accidisse dolemus. A Hinc autem præstiterit intelligere quanta sit in multis sanctorum historiis auctoritas, quantaesse debeat ex antiquitate veneratio. Quis crederet has sanctorum Juliani et Basilissæ, Emeterii et Celedonii historias ante octingentos annos fuisse scriptas, nisi hic cerneret ab divo Eulogio citari? Nos vero passim multa ejuscemodi contemnimus, et tanquam nova inventa superbe fastidimus.

(15) *Felicissimus Felix.* [a] Hæc omnia in hujus martyris, qui sancti Cucufatis fuit frater, in matatinis per omnes fere Hispaniæ ecclesias leguntur. Est autem Gerunda in extremis Hispaniæ finibus, qua per Pyrenæos cum Narbonensi Gallia conjungitur, in Ausetanis sita. Non omnino deleto nomine, *Gironam* nunc vulgo nuncupamus. Parvam eam urbem Prudentius appellavit, cum in hymno Cæsaraugustanorum martyrum Felicis etiam meminisset. Mauritaniæ vero Cæsarea eadem esse putatur, cujus nunc ruinæ ingentes cum nomine perseverant. B

(16) *Sic sanctus Sebastianus.* [b] Exempla sanctorum martyrum sunt, qui se sua sponte, non quæsiti, martyrio tradiderunt. Longum esset persequi singula. Satis sunt nota horum omnium sanctorum gesta, ut quivis vel quid Eulogius innuat, intelligat, vel eorum legere possit historias.

(17) *Sic Eulalia virgo Barchinonensis.* Jam hinc facile intelligas Emeretensem Eulaliam non sponte sua ad confessionem fidei Christianæ [c] processisse, sed judicis imperio fuisse adductam. Alioqui et ejus etiam exemplum Eulogius protulisset. Sunt porro qui aliter narrent. Et qui unam eamdemque esse volunt utramque Eulaliam. Jam hinc divi Eulogii testimonio refelluntur. Barchinonensis vero urbis tanta est celebritas, utde ipsa hic plura dicere non sit necessarium.

(18) *Sed in veritate.* Acute satis testimonium quod adduxerat, expendit, et quo pacto sit intelligendum demonstrat. Quod est frequenter in divo C Eulogio eximium, ingeniique et judicii ipsius egregium indicium. Est autem Hispanismus eadem phrasi ad hæc usque tempora conservatus. Frequenter enim quippiam asseverantes incipimus: *en verdad.*

(19) *Ac ne cæteri.* Zelus ille quorumdam episcoporum insipiens hucusque processerat. Nam episcopos etiam ad hunc modum commotos fuisse, in Apologetico postea ostendit.

(20) *Nec violenter.* Prudentissime et cum ingenti circumspectione omnia sanctus martyr pertractat. Ideo quod in commune statuerat, adhibito necessario temperamento comprimit, et veluti coercet.

(21) *Cato infert philosophus.* In tanta Hispanæ Ecclesiæ calamitate et misera servitute, magna etiam doctores Christiani librorum penuria laborabant. Inde cogitur Eulogius non admodum nobilis auctoris carmina, gravia alioqui et veræ sapientiæ plena præceptis interserere. D

(22) *Sors illorum inventa est.* Quanquam in vetusto codice vacuæ membranæ hic aliquantulum fuit relictum, quod octo decemve lineas posset recipere; verumtamen nihil prorsus defuit. Nam totum illud folium laxe admodum exaratum, et multo paucioribus quam cætera lineis distributum, aperte demonstrat descriptoris, occupare totum folium satagentis, anxietatem. Quod cum assequi plene non posset, et sequentia novum haberent initium, dignaque folii principio viderentur, satis habuit, oppleta una pagina alteram occœpisse, et aliquot lineis continuasse.

(23) *Præ omnibus philosophis patriæ nostræ.* Iterum philosophos doctos viros, nominat, eadem, quam supra docuimus, catacrisi. Et cum anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo scriberet tribus annis ante auctorem *Indiculi luminosi* scribebat. Quod ipsum argumento esse possit, illud opus Alvari non esse, [d] qui post Eulogium profecto non fuit scripturus.

(24) *Et licet inde.* Iterum ad insignem suam modestiam redit Eulogius. Humilitatis suæ seipsum diutius non sinit oblivisci. In sanctorum martyrum laudibus tripudianti, et sanctissimis gaudiis seque et pios omnes cœlitus exhilaranti, humilitatis subit cogitatio, memoria occursat, cœlestique fruentem lætitia sistit, et quasi indignum eo jubilo revocat. Omnia pectus spirant vere Deo dicatum, omnia futurum martyrem jam redolent.

IN LIBRUM SECUNDUM.

CAPUT PRIMUM

(1) *Consulatus.* Et hoc etiam ex illa est Latini sermonis licentia, de qua superius diximus. Regnum *consulatum*, summos regni magistratus *consules*, honores etiam et dignitates *fasces* vocat. Idem facit Samson abbas Cordubensis, de quo antea diximus.

(2) *Habdarrahgman vicesimo nono.* Libri nostratium historicorum *Abderramen* semper scriptum habent, ubicunque et hic, et alii reges cognomine nominantur. Ego veram hanc, quæ in utroque fuit exemplari, hujus nominis prolationem esse existimo. Nam Arabicum quiddam prorsus stridet, et illa altera ad Hispani sermonis dulcedinem videtur lenita. Est autem hic Habdarraghman hujus nominis tertius, ut ex Rasis Mauri [e] et ex peculiari Ruderici Toletani archiepiscopi de rebus Arabum historia constat.

Cæterum cum multa sint eademque sanctissima horum divi Eulogii librorum commoda, quæ sanctorum martyrum rebus gestis commemorandis exhibentur; tum etiam illud non vulgatis eruditionis et utilitatis hinc comparatur, quod clara et ferme indubitata ratio annorum in Hispana historia ab tempore regis Pelagii ad Ordonium primum Ramiri primi filium ex hoc loco et ex libri tertii principio certissime digeritur. Quo pacto id fiat, non est hujus loci disserere. Quanti autem momenti sit in annorum ratione et omni chronologia certum aliquid et fixum, tanquam cardinem, in quo cætera vertantur, invenisse, hi nosse solummodo possunt, qui in hac re sese aliquantulum defatigarunt. De quo nos initio Gothicæ historiæ in nostro Chronico late disseruimus.

(3) *Cordubam vero.* Rasis non Cordubam seorsum, sed omnem Hispaniam hujus regis inclytis operibus scribit fuisse nobilitatem. « Hic, inquit, aquas ex montibus in urbes invexit, templa exædificavit, et textrinas panni pretiosioris auro intertexti per Hispaniam instituit. » Toletanus narrat Cordubenses plateas lapideo stramento ab hoc rege fuisse munitas; item aquam ex vicinis monti-

[a] Felicis passionem solemniter recolebant Hispani, ut ostendunt iidem libri ecclesiastici ad diem 1 Augusti. Adeas, si velis, Joannem Baptistam Sollerium ad eumdem diem.

[b] Iisdem in libris, ad 20 Januarii, acta Sebastiani reperies, inque nova editione Breviarii Gothic. hymnum alterum, cujus auctor multus est in laudando Sebastiano. Pag. 94. Hujus quoque sancti meminit beatus Ambrosius in Psal. cxviii, serm. 20, num. 44, ubi ait Sebastianum advertisse Mediolani nullum esse aut tepere certamen, ac ideo Romam profectum, ut ibi pateretur, ubi fervebat persecutio propter fidei studium.

[c] Labitur Morales hæc conjectans, cum ex Prudentio, exque Missali et Brev. Gothic. ad 10 Decembris constet Eulaliam Emeritensem sponte ad martyrium prosiliisse. Videsis Florez, tom. XIII, tract. 41, cap. 12, per. tot.

[d] Videsis notam nostram ad Scholiam in Hymnum et Epitaphia.

[e] De his duabus historiis jam diximus in not ad Scholia in Vitam D. Eulogii.

bus in templum, arcem et alia celebriora urbis loca plumbeis fistulis fuisse perductam. Influit adhuc in hæc ipsa loca aqua, sed non magna copia. Unde constat diversum fuisse hunc aquæductum, quo nunc eo aqua perducitur, ab illo altero stupendæ structuræ qui plurimis locis interruptus conspicitur. Per hunc multo major aquæ vis in urbem dimanabat, decimo ferme milliario procul perducta. Parum est toto hoc itinere montes amplissimos fuisse perfossos, profundasque valles pontibus æquatas: ipsa montium incredibilis moles, ne pondere suo subterraneum opus deprimeret, crebris turribus, quæ ex ipso vasto canali, tanquam castella excitantur, et in sublime montium emicant, sustentatur. Et cum recta in arcem et templum brevi itinere possit is aquæductus pervenire, longo circuitu per eum agrum, qui ab ranarum cantu nomen est, incurvatur, ut superioribus etiam urbis partibus aqua impertiretur. Hoc opus hujus esse regis ego semper credidi. Neque enim ullus alius auctor memoratur. Et illa arcis et templi aqua, quæ nunc perdurat, exigua est: hæc vero ingens profecto fuit, et tanta scriptorum celebritate digna.

(4) *Necnon ex partæ linguæ Arabicæ cognitus.* Hispanimus plane est. Non enim significat beatum Perfectum mediocriter linguæ Arabicæ fuisse peritum. Significat profecto Hispana phrasi, insignem Arabicæ linguæ cognitionem qua pollebat, causam exstitisse ut notus Mauris esset et in pretio habitus. Ita frequenter loquimur: *Por parte de su virtud era muy bien querido.* Hujusmodi autem nonnullos alios Hispanismos jam antea annotavimus.

(5) *In prædicto transegit cœnobio.* Quam basilicam antea nominarat, nunc cœnobium vocat. Ecclesiæ nimirum tunc omnes, monasteria etiam promiscue et erant pene, et dicebantur. Ab Gothorum temporibus manserat, ut ex conciliis et ex Pauli Emeretensis historia præsertim intelligimus. Habebant insignia quæque templa suos abbates, qui præessent, gregemque diaconorum, et aliorum, qui in minoribus Ecclesiæ gradibus constituti, interdiu noctuque inibi ministrarent. Hoc semel dictum oportuit, ne quempiam sæpius obvium conturbaret. Paulus hic Emeretensis diaconus, cujus mentionem alicubi facimus, cum Emeretensis Ecclesiæ et antistitum ejus historiam scripsisset, tum etiam de aliis sanctis viris quædam adjunxit. Exstat etiam ejusdem confessio catholica. Quæ duo opera manuscripta non parum antiqua in sanctæ Ecclesiæ Toletanæ bibliotheca habentur. Eadem multo vetustiora in nonnullis aliis bibliothecis conspeximus [a].

(6) *Egisse prædixit.* Eodem consilio, quo in primo libro quædam de obscœnitatibus legis Mahometicæ dempsimus: eodem hic quoque pauca quædam omisimus, iisdem pene verbis iterum repetita. Et ipse etiam divus Eulogius quædam se hic subticere profitetur, quæ horrorem piis auribus possent præbere [b].

(7) *Psallat Deus.* De imprecationibus nostralibus diximus in primi libri præfationem. Ad eumdem modum e converso vota quoque prospera et honorifica conspiciuntur. Tale illud est in comœdiis: *Dii meliora*, et quædam ejuscemodi. Sed nos Hispani et frequentius et apertius ad hunc modum medio sermone, bene ominamur.

(8) *In campum ultra pontem.* Ea nunc planities *Veritatis campus* appellatur.

Scripsit de hoc martyre Perfecto etiam quisquis fuit *Indiculi luminosi* auctor. Ejus autem verba apponam, ut, quantopere cum divi Eulogii narratione consentiant, appareat: « Et primum sacerdotem intueamur Perfectum gentilitio zelo peremptum, fidei constantia decoratum, martyriali gloria infulatum, et vere in electorum numero aggregatum: et quo pacto ad occisionem venerit, sinceriter proferamus. Nempe ad aliud pergentem, aliisque sæcularibus operibus intendentem, nihilque, de quo gestum est, pertractantem, dæmonicolarum incursionibus impulsatur. A quibus ille caute et circumspecte, ut istis videtur, ut vero mihi, timide fidem petit; et ne ex responsionibus propriis impediretur, oravit dicens: Multa erant mihi, ex quibus abundantissime vestras poteram confringere nænias, vel destruere aniles historiæ fabulas, si vestræ ultionis non vererer ultrici gladio currentes ultro citroque incurrere sententias. Cui cum fidem dedissent, et ei ut quæ sibi videbantur exponeret, juramento anteposito [c] imperarent, ille accepta dicendi fiducia, et eorum pro vero juramento sumens mendacia, post multa et varia sententiarum certamina, prophetæ eorum voluptuosam lasciviam, et lenocinationis [d] luxuriam sermone, quo potuit, exprobavit, et oratione splendida comprobavit. At illi [e] aliqua super ejus meretricationis subsannium, vel conjugatorum [f] adulterii colludium habita conflictatione verborum, frendentes dentibus, et caninis sævientes rictibus, ore vipereo sibilantes, et leonum ferocitate frementes, abire eum propter datum noviter juramentum [g] permiserunt illæsum. Sed post aliquod temporis cursum dolorum semper pectoribus retinentes venenum, et quasi vetustate temporis reputantes abolitum prius illi injectum infidum pactum, dolo eum circumvenientes, apprehensum judici, sævissime mendacio inhiantes, quasi destruentem fidei illorum ritum, impie protulerunt: cumque maledicentem eorum vatem suo testimonio vilissimi homunculi firmaverunt. Ille inopinato casu perterritus, et inusitata [h] circumventione perplexus, illorum fraudulenta ignorans consilia, quæ contra eum instruxerat commentatio fraudulenta, se hoc penitus non dixisse, infirma satis prosecutione retexuit. At ubi in carcerem missus in se exstat conversus, audaci proposito et virili congressu cœpit ipsorum totam legem infringere, et non solum quod pridie dixerat, quæ super eum imperitiæ factio asserebat, verum etiam alia potiora ingerere, mortisque magis gloriam quam interitum exspectare. Tunc eductum in ipsum diei sui horrendum pascha, quo soliti sunt pascua frui carnalia, et ventri libidinique alimenta ministrare satura, gladio vindice peremerunt. Et quasi victoriam hostium potiti, ad orationis conventiculum, obsequium Deo se præstasse credentes, [i] elati, et innocentis cruore perfusi, ritum suum perficiendum, ut soliti sunt, annue pervenerunt. »

(9) *Dignoque præsulis.* Cum Cordubensis episcopi, qui suo tempore Ecclesiæ præerat, alicubi divus Eulogius meminerit, nunquam tamen nomen [j] ejus scriptum reliquit. Id qua ratione fecerit non possum intelligere.

(10) *In eo titulo quo.* Possumus hinc suspicari, non unum divi Aciscli templum tantummodo tunc Cordubæ fuisse. Nunc duo priscæ etiam recordationis visuntur. Exiguum delubrum unum, in quo educatus sanctus martyr cum sorore Victoria fuerit; alterum ad flumen vetustissimæ in vestibulo structuræ, ubi

[a] Opus Pauli Diaconi cujus est titulus *De Vita et miraculis Patrum Emeritensium* primum in lucem prodiit Matriti anno 1633, postea Antuerpiæ 1638: quam editionem recussit Card. Aguirre tom. II Concil. Hisp.; demumque Henricus Florez tom. XXIII Hisp. sacr. idem opus multo correctius edidit.

[b] Videsis quæ notamus sub num. 4 Sch. lib. I.

[c] Florez, *imprecarent.*

[d] Id., *passivam luxuriam.*

[e] Id., melius *post aliqua.*

[f] Id., post *adulterii* habet *factionis.*

[g] Id., *dimiserunt.*

[h] Id., *circumvectione.*

[i] Id., *delati.*

[j] Jam diximus in not. ad Schol., in Vitam divi Eulogii, hunc præsulem Saulum esse.

sepulti ambo fuisse creduntur. Inde id templum magna veneratione colitur, et paucis antea annis fratribus ordinis sancti Dominici tributum, cœnobium ibidem instituerunt.

(11) *Quarto decimo Kal. Maias.* Dies est Aprilis decimus octavus, qui quidem eo anno octingentesimo quinquagesimo in sextam utique feriam incidit. Fuit enim is annus cycli solaris trigesimi primi decimus nonus, post bissextum secundus. Inde constat litteram dominicalem E habuisse. Recte igitur sibi omnia consonant.

(12) *Regnique sui excidium.* Latius de hac regis formidine libro primo, et alibi sæpe. Et alius est terror ille de quo in fine hujus libri secundi, quod ex capitis septimi principio hoc ipso libro manifestum est. Sed nos interim Dei virtutem, Christianæ veritatis robur, vim legis evangelicæ reverenter suspiciamus. Consumit, disperdit, mactat Christianos impius tyrannus: sed pusillus grex, cui complacuit patri dare regnum, dispersus et trucidatus validior insurgit, ingentemque regiæ potentiæ terrorem immittit. Hunc nimirum ignem, quem Christus venit mittere in terram, nihil malens, quam ut ardeat, si velis exstinguere, major inde flamma erumpit: et frumenti grana emortua in terram cadentia ingentem fructum semper in Ecclesia attulerunt.

CAPUT II.

(1) *Exceptoris reipublicæ.* Scribas publicos hoc nomine intelligi debere Budæus in prioribus in Pandectas adnotationibus docuit [a].

(2) *Tabanos viculum.* Hujus oppidi nullum manet vestigium, neque est unde conjecturam ejus situs capere possimus. Id postea cœnobium ab Mauris est dirutum, ac monachi intra urbem confugerunt, ut libri tertii capite undecimo Eulogius scribit. Fuit autem sancta Columba, ut ibi refertur, eodem consanguinitatis gradu quo Martinus et Elisabeth cum sancto martyre Isaac conjuncta. Cætera vero hujus martyris gesta plenius in libri primi præfatione narraverat.

(3) *In regia urbe.* Hoc cognomen olim post Constantinum Constantinopoli, quod ex illorum temporum auctoribus patet, fuerat tributum. Inde videntur Gothi Toletanæ urbi, postquam inibi regni sedem et veluti caput statuerunt, idipsum dedisse. Eadem prorsus ratione Corduba regni in Hispania Arabici caput, regia etiam urbs simili antonomasia D. Eulogii tempore appellabatur. Et hoc ipsum in hujus libri secundi principio sanctus martyr retulit.

(4) *Tertio Nonas Junias feria quarta.* Annus et eo amplius inter Perfectum martyrem et Isaac transierat. Tertius enim Junii dies anni octingentesimi quinquagesimi primi hic notatur. Recte porro feriam quartam fuisse memoratur. Habuit namque is annus cycli solaris vicesimus D litteram dominicalem. Quæ omnia ex superioris capitis supputatione astruuntur. Et libro primo hoc ipsum confirmatur, cum quintus post hoc martyrium dies dominicus fuisse scribitur. Inclusive enim utrinque computatur.

At vero de Isaac martyre ita in Indiculo luminoso: « Ad nostros sponteanos martyres properemus. A Zelo Dei Isaac religiosus non humana instigatione, sed divina commotus, nec usitatum callem nostris temporibus, sed oblitteratum incedens, antiquum persecutionis fumum non sufferens animo, judicem adiit, et ea quæ [b] alter flagello diro vexatus negabat, quæ inter verbera me non dixisse jactator debilis personabat athleta fortis, belliger miles abundantiori prosecutione firmavit, potiori prælio intentavit, et ingenua mente inchoavit, [c] ingenua morte peregit, consummavit, implevit; ut ostenderet hominibus fidei se zelo commotum, non timore necessitatis præventum: ut constanti fiducia Ecclesia præliens bella aperte proferret et patule, quod quibusdam indiciis super comprehensum satagebant firmare. Ut [d] etiam produceret Dominus athletarum suorum mundo victoriam, et militum suorum rudi [e] sæculo propalaret constantiam: et ostenderet quod in novissimis temporibus [f] etiam victores haberet, qui bella Domini B et instinctu, quo [g] primi intentaverant, præliarentur [h]. »

CAPUT III

(1) *Ex Alabensi oppido. Albensi* libentius lego ex Plinio et Strabone: cum Alabense fuerit in exemplari.

(2) *Inter militares.* Hos pueros nobiles Tyrones vocat auctor Vitæ et martyrii sancti Pelagii. Quod opusculum suo loco apponetur. [i] Et Joseph divi Eulogii frater natu minimus, ut ego existimo, inter hos palatii Tyrones regi inserviebat. Hoc postea apparebit.

(3) *Nonas Junias.* Duobus tantum post Isaac diebus patitur Sanctius die Junii quinta. Feria igitur sexta recte signatur. De ejus sancto cadavere aut sepultura nihil tradit Eulogius, quoniam cum sequentibus martyribus igne fuit concrematum.

CAPUT IV.

C (1) De senarii numeri mysteriis, quem *sanctissimum martyrum globum*, dixit Eulogius, nihil Morales: forte quia communia symbola illi, aliis forte ignota. Aliqua nos subjiciemus recondita, ne in tam mystico numeri symbolo, et a sancto martyre commendato, lector e nostris scholiis jejunus discedat. Senarius enim numerus, sive sacros evolvas codices, sive philosophorum libros consulas, amplam ad mysterii significationes segestem exhibebit. 1° Senarius numerus perfectior est omnibus, eo quod Deus summus artifex in ipso sua perfecerit omnia opera. Nec enim senarius sacer et perfectus solum perhibetur, quod hoc dierum numero conditæ sint universæ rerum species, ut opinatus est Guillelm. Hamer. Comment. in Genes. secutus sanctum Gregorium Magnum lib. XXXV Moral., cap. 20 sed etiam ea de causa *sex* diebus Deus opera sua perfecit, quia senarius perfectus est ac sacrosanctus. Itaque etiam si ista non essent, D ille perfectus esset; nisi autem ipse perfectus esset, ista secundum eum perfecta non fierent, quemadmodum sentire visus est Hugo de sancto Victore de Sacramentis scribens: *Senarius, quia ex partibus suis constat, signum perfectionis est, et idcirco voluit Deus sex diebus complere opera sua, ut ostenderet se in his quæ fecerat,*

[a] Florez, tom. X Hisp. sacr., tract. 33, cap. 7, num. 55, credit hic Exceptoris nomine non scribas, sed publicanos intelligi; verum nos Budæo, quem Morales sequitur, astipulamur. Quamvis enim alibi Exceptor publicanum significet, quod minime negamus, certe beatus Isaac (nisi omnino fallimur) scribæ non publicani officium gessit. Videsis Glossarium Cangeanum.

[b] Florez, *ille*. Ut sit, videtur Alvarum alludere ad sanctum Perfectum de quo supra in Scholia ad caput primum, num. 8, ubi inquit, Perfectum negasse quod Mahometum ejusque sectam maledixisset.

[c] Deest in Florez *ingenua morte*.

[d] Deest *etiam*.

[e] Id., *mundo*.

[f] In eod. deest *etiam*.

[g] Id., *prisci*.

[h] Id., *præliarent*.

[i] Morales post opera sancti Eulogii edidit Acta nonnulla martyrum qui passi fuerunt Cordubæ sæculo decimo, nempe Eugeniæ, Pelagii, Dominici Sarraceni et sociorum. Sed cum nihil hoc ad Eulogium spectet, ab eorum editione abstinuimus, quippe qui duntaxat Eulogium, et quæ illum illustrent, typis dare conamur.

nec supervacaneum aliquid posuisse, nec imperfectum reliquisse. Confirmat hoc axioma sanctus Augustinus, de Trinit. lib. IV et in Genes. ad lit. lib. IV, his verbis : *Senarii perfectionem nobis a sacris litteris commendatam, in eo maxime quod Deus sex diebus perfecit opera sua, et die sexta fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam.* Sicut igitur perfecto nihil deest, ita neque ordinationi, aut rebus ordinatis quidquam, aut addi tanquam diminuto, aut detrahi tanquam a superabundante potest, non potestate quidem terminata, sed ipsa rerum serie sibi terminos prescribente, id fuit, ac si dixisset, per senarium illum eorum quæ creata sunt, ordo melior, ac dispositio non potuit assignari, aut esse : quare die sexta subdit propheticus sermo: *Vidit Deus universa quæ fecerat, et erant valde bona : et factum est vespere et mane dies sextus.* Cum ergo audis sex diebus constructum fuisse mundum, non intelligas de numero dierum tantum, sed de perfectione universi, quæ per senarium perfectum numerum designatur. Unde cum ad hunc absolutum numerum opus Dei pervenisset, dixit divini verbi scriba : *perfecti sunt cœli, et terra et omnis ornatus eorum.* Et sic (inquit Petrus Bung. de numeror. Myster., fol. 269) Orpheus Mystarum princeps, hymnos jubet sexta generatione finiri, cum ait :

Ætate in sexta studium finite canendi.

Quod de rebus creatis non ultra cani possit, cum ibi tota sit terminata perfectio. Cognita ergo hujus numeri perfectione, ad mysteria sacra veniamus. Tabernaculum sex erat cubitorum ex utraque parte. Sex diebus gloria Domini inclinavit super monte Sinai, cooperiens illum nube ; quo significatur hujus vitæ tempus. Sex alæ Cherubim tempus sæculi demonstraut. Sextus mensis fuit, in quo factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ. Sex tribulationes apud Job sunt hujus vitæ passiones. Sex annis serviebat Domino suo servus Hebræus. Sex annis seminanda terra. Sex diebus licebat operari. Sex diebus colligendum manna, et Sexto duplum legendum, et alia plurima a Bungo excogitata. Hactenus de numero hoc.

(2) *In urbe Astigitana.* Nobilis Romanorum tempore colonia, *Julia Firma* post Julii Cæsaris tempora nominata, conventum habuit juridicum. Priscum illud nomen *Astigi* ex sono ipso minime Romano, magnam ejus astruit antiquitatem. Singili flumine alluitur, qui post Bætim tota Bætica est amplior. Urbs ipsa et fluvius prisca, sed nonnihil immutata retinet nomina. *Ecija* enim et *Xenil* appellantur. Ager ejus urbis, non magnus alioqui, feracitate tamen ditat magno opere accolas. Insignis est olei opulentia. Gossypium magna copia seritur. Horti cum fructuum omnis generis exuberantia utiles, amœnissimum præterea totum tractum reddunt. Episcopum olim habuit, quod ex conciliis Toletanis et Hispalensibus constat. Distat a Corduba triginta duobus milliaribus, ab Hispali paulo pluribus. Ejus Plinius, Pomponius Mela et Ptolomæus inter alios meminerunt.

(3) *Et sanctus Walabonsus.* Erat hic Mariæ martyris, quæ una cum Flora passa est, frater, ut capite octavo apparebit.

(4) *Eleplensi.* Cum *Ilipa*, aut *Ilipula* (nam auctores variant) verum sit nomen urbis, indeque *Ilipense* et *Ilipulense* exoriatur ; nummum tamen pervetustum vidi, in quo MUN. ELEPLA erat scriptum. Ilipulæ autem duæ fuerunt, quod ex Plinio et Strabone et Livio constat, in Lusitania altera, altera in Bætica. Ego de hac postrema hic puto intelligi. Eam vero eo loco sitam fuisse, quo nunc non admodum magnum oppidum [a] *Penaflor* dicitur, medio ferme inter Cordubam et Hispalim itinere videmus, longa disputatione in Hispaniæ antiquitatibus, chronico nostro adjunctis, probavimus. Inde qui velit, petat. Hic locus plura non postulat.

(5) *In vico Cuteclara.* Hoc oppidulum et in eo cœnobium latius cap. 8, describitur [b].

(6) *Ex vico Froniano.* Et hujus vici postea cap. 8, mentio cum majori explicatione fiet.

(7) *Sancti Zoyli.* Suus quoque peculiaris locus de hoc divo dicendi in divi Eulogii ad Pompelonensem episcopum epistola interveniet.

(8) *Flumen Armilata.* Paululum immutato nomine nunc *Almellato* appellatur : et superaddita Sarracenorum more in principio Arabica voce *Guad*, quæ fluvium significat, integrum fit nomen *Guadalmellato*. Ex montibus progressus hic fluvius, duodecimo ferme supra Cordubam milliario Bætim intrat. Trigenta autem et eo amplius milliaria, quæ divus Eulogius memorat, plane docent situm hoc monasterium fuisse non longe supra insigne illud, quod nunc videmus et veneramur, Franciscanorum cœnobium, cui sanctus Franciscus *de Monte* nomen est. Nempe vicesimo quarto et eo amplius milliario ab nostra urbe ad ripam ferme hujus fluminis loco edito, ad Septentrionem est collocatum.

(9) *Sancti Christophori.* Sancti Juliani templum operis pervetusti ex adverso ferme urbis nunc conspicitur. Potuit id nomen immutasse. Certe nullius alterius apparent vestigia.

(10) *De quo supra affati sumus.* Hinc plane apparet hunc Hieremiam martyrem eumdem esse, qui supra cap. 2, Tabanensis monasterii conditor dicitur. Ejus etiam mentio est libro primo, et libro tertio cap. 11.

(11) *Septimo scilicet Idus.* Apparet quanto tunc sancti Cordubenses ferverent amore martyrii, siquidem tam frequenter paterentur. Duo tantum dies sabbatum et dominica inter Sanctium et hos sex martyres intercesserunt. Hic namque dies Junii octavus notatur Libro autem primo pridie idus Junias sexto post martyrium die cremata, in flumen etiam projectis cineribus, fuisse eorum cadavera tradidit. Horum sex sanctorum martyrium in Usuardo, sed præcedenti die apponitur. Sunt et apud Equilinium libri undecimi capite ultimo.

CAPUT V.

(1) *Ex Pacensi oppido.* Colonia Pacensis in Lusitania olim, quod ex Plinio constat, etiam juridico conventu nobilitata, Arabum Hispaniam occupantium vastatione ad parvi oppidi formam, ut nunc conspicimus, fuit redacta. Pertinet ad Portugaliæ regnum. *Beja*que nuncupatur. De ejus nomine, situ, et antiquitate multa egregie, ut semper solet, Andreas Resendius ad Vasæum scribens. Ejus urbis excidium Rasis prosequitur.

(2) *Septimo decimo Kal.* Is est Julii dies decimus sextus, qui eo anno feriam quintam occupavit, quod ex superioribus jam quivis poterit deprehendere. Quadraginta enim et eo amplius dies sine martyrio processere.

CAPUT VI.

(1) *Quæ corporis.* De hac sancti Zoyli basilica tunc erit dicendum, cum de ipso martyre in epistolam ad Pompelonensem episcopum scribemus.

(2) *Illi subterraneo specui.* Maurorum fuit mos subterraneos specus in putei fere vastioris formam excavatos, tanquam ergastula ad servitia noctu concludenda, reosque asservandos habere ; quales per omnem Bæticam in arcibus præsertim conspicimus. *Mazmorras* proprio ejus gentis vocabulo nos etiam nunc appellamus. Cordubæ in summi templi compluvio duo ejusmodi putei hodie quoque ostenduntur.

[a] Imo *Cantillana*, ut astruit sæpe laudatus Florezius tom. XII, tract. 36, cap. 1.

[b] Sæpe jam diximus hoc caput vitam nunc esse Floræ et Mariæ post documentum Martyriale.

tur et in carceris hujusmodi usum fabrefactos ab Mauris omnes affirmant; sed illos ego ad continendam et diutius asservandam aquam fluminis potius crediderim fabrefactos. Nam, ut erant Arabes ejus templi superstitiosi veneratores, crederent profecto, reis, captivis, eorumque fœditate et pædore contaminari. In arce, aut alicubi fuisse hunc subterraneum carcerem crediderim. Ductus est mos ab Græcis et Romanis, qui hujusmodi subterraneos carceres habuerunt, et usitato vocabulo *putealia* vocitarunt. Et de puteali, quod Romani Cordubæ habuerunt, jam suo loco [a] diximus. De utriusque etiam carceris discrimine alicubi præterea meminit [b] divus Eulogius.

(3) *Tertio decimo Kal.* Dies erat Julii vicesimus, qui eo anno revera in secundam feriam inciderat. Habuit Paulus fratrem Ludovicum nomine, qui et ipse martyrio postea fuit coronatus. Libro sequenti, cap. 13.

(4) *Carmonensis monachi. Carmona* etiam nunc eidem oppido nomen est. Romanorum temporibus *Carmo* tantummodo appellabatur. Id veteres nummi testantur, in quibus a tergo inscriptum est: CARMO inter duas spicas, agri feracitatem proculdubio denotantes. Est præterea munitissimi situs, ergo ab Julio Cæsare, libro II Commentariorum ea urbs commendata. Ejus etiam mentionem apud Strabonem et Ptolomæum reperies. Sed in hoc auctore *Carmoniam* perperam legitur. Sita est Carmo vicesimo quarto ab Hispali milliario, eo itinere quod ad Astigitanam urbem ducit, ab qua milliaribus triginta sex distat.

(5) *Octavo Kal.* Omnia prorsus concordant. Is enim dies Julii vicesimus quintus, ut ex superioribus liquet, sabbatum necessario fuit: quem septimam feriam divus Eulogius vocat, qui inclusive (ita dicunt) ab Pauli martyrio dies computat.

CAPUT VII.

(1) *Et cursus mensium.* Hinc jam apparet divum Eulogium existimasse eodem anno quo superiores martyres, octingentesimo videlicet quinquagesimo primo, has duas virgines passas fuisse. Id in fine hujus capitis manifestius patebit, quod tamen necesse fuit jam hinc ad rectam computationem, quæ mox ineunda est, annotare.

(2) *Igitur referenter.* Quoniam divus Eulogius hic aperte scribit, hoc anno octingentesimo quinquagesime primo Nunilonem et Alodiam martyrium subiisse; et revera decennio antea occisæ pro Christo fuerant; ut quo pacto cohærere hæc possint, intelligamus, necesse fuerit diligenter hic et exquisite temporum rationem seriemque inire.

Cum igitur divus Eulogius hoc ipso anno passas fuisse has duas virgines scribat, et Venerii relatu de earumdem martyrio se certiorem factum dicat illud in primis compertum est, hoc ipsum non eo tempore intellexisse, quo apud hunc episcopum Cæsaraugusta rediens (quod suo loco videbimus) fuit. Manifestum enim est ante undecim annos divum Eulogium Compluti apud Venerium fuisse. His adde quod cum Eulogius sanctorum sui temporis martyrium studiosissimus semper fuerit, et Pompelone, et in Legerensi sancti Salvatoris monasterio immoratus aliquantulum fuerit; si passæ jam eo tempore hæ virgines fuissent, audisset utique de earum martyrio, vel ab Pompelonensi episcopo, vel ab abbate monachisque Legerensibus. Nam et non longe ab Urbevetano oppido et Bosca aberant, et quæ consecuta postea sunt, docent, magnam utrobique harum martyrum rationem semper habitam fuisse. Restat ergo, ut post divi Eulogii reditum passæ sint, et Venerius ad ipsum de his scripserit, non coram retulerit. Jam vero paulo antequam hæc de his sacris virginibus scriberet Eulogius, epistolam Venerii pervenisse, profecto ex ipsis auctoris verbis verisimile. Primum ex prima et secunda hujus capitis periodo. Nam pene manifeste indicat, se nihil antea de harum duarum virginum martyrio intellexisse. Deinde ex illis verbis paulo post: « Prius tamen illa sanctarum tropæa elucubranda sunt, quæ ratio et cursus mensium ordinatim, ut acta fuerunt, adducit, licet in aliis regionibus gesta exstiterint. » Sequitur illud etiam, quod multum juvat hanc conjecturam: « Sed quia una est confessio, quæ utrosque coronavit, idemque tempus quod utrosque per feralem impietatem in cœlum præmisit, » etc. Non idem tempus diceret, si annis antea aliquibus passas fuisse intellexisset. Hoc igitur ipso anno apparet Venerium episcopum ad Eulogium de his duabus martyribus scripsisse. Et idem episcopus longe ab Urbevetano oppido positus (quinquaginta enim ferme Hispanis leucis Complutum inde distat) Sarracenorum præsertim truculentia Christianorum præpediente discursus et itinera, temporis in quo interfectæ fuerant ignarus, superiori anno occisas fortasse scripserat. Aut si nihil scripserat de tempore, divus Eulogius, qui nunc tandem cognosset, proximum annum his dedit, ratus in eo periisse. Et illa divi Eulogii postrema verba: « Ferunt tamen, quod illa virginalia cadavera in loco quo ab ethnicis altis scrobibus magis abscondita quam humata sunt, signis et miraculis coruscant, et gloriam emeritæ consolationis virtutum efficientia tam fidelibus quam gentilibus ostentant »: hæc, inquam, verba aperte indicant Eulogium et Venerium pauca, subobscura, et incerta de his virginibus comperisse, qui hoc tempore ibi sepultas credant, neque intelligant octo jam antea annos, quod mox videbimus, inde fuisse translatas. Hæc ita conjectari et rimari cogimur, ut divum Eulogium excusare possimus, cum constet has sanctas virgines ante annos decem pro Christo interemptas. Anno namque Domini octingentesimo quadragesimo secundo, Junii mensis die decimo octavo, ipsarum corpora in Legerense monasterium sancti Salvatoris translata sunt. Id ex diplomate regis Innigui Aristæ constat, quod Stephanus Garibayus in suo diligenti satis rerum Navarricarum chronico apposuit. Et cum de tempore martyrii earumdem virginum prave sentientium opiniones opportune idem auctor ibidem confutaverit, annum tamen ipse astruere non potuit. Neque ego tamen possum; sed conjecturis non legibus ducor ut credam anno octingentesimo quadragesimo pro Christo occubuisse. Etenim divus Eulogius, ut suo loco ostendemus, Pompelone, et in Legerensi monasterio anno Domini octingentesimo trigesimo nono fuerat; et (quod paulo ante probavimus) nondum martyrium subierant. Et tamen anno quadragesimo secundo post octingentesimum earum corpora transferuntur. Paulo post etiam ex astronomica supputatione multo evidentius hoc ipsum confirmabimus.

(3) *In urbe Bosca.* Mira est Breviariorum, ut vocant, in nominandis his oppidis varietas. Illuc constat passas has duas virgines fuisse non longe ab Najara urbe, in oppido, qui nunc appellatur *Castro viejo.* Quod Latine Castrum vetus redditur. Ibi sepulcrum sanctarum martyrum ostenditur, ibidem

[a] De puteali Morales loquitur in tractatu *de Cordubæ urbis origine, situ, et antiquitate*, quem Eulogii editioni subjecit. Inde nos sequentia transcribimus. *Habuit etiam Romanorum tempore ad Romanæ civitatis et aliarum magnificentissimarum civitatum imitationem puteal Corduba.* Tum unum repræsentat inibi asservatum, et prosequitur: *Aristoteles porro in Politicis docet, nonnulli magnas urbes puteal, hoc est, subterraneum carcerem ad putei similitudinem excavatum, habere solitas fuisse. Et Libonis puteal Romæ tum ab oratio celebratum non uno loco legimus, tum etiam in argenteis nummis depictum et inscriptum videmus.*

[b] Infra, cap. 8.

alia sunt priscæ recordationis vestigia, et ibidem A tanquam alumnæ et indigenæ summa totius regionis veneratione coluntur. Hoc omnino compertum et indubitatum possum affirmare. Nomina illa *Berbetanum* seu *Urbecetanum* et *Castro Bigeti*, quæ in Breviariis nostratibus leguntur, ex Castro veteri videntur corrupta. Bosca quæ urbs fuerit, non possum explicare. In veteri exemplari [a] Osca non Bosca fuit : ego usitatum magis nomen reposui. Nam Oscam remotam admodum in Aragonensibus urbem, non credo fuisse traductas sanctas virgines.

(4) *Nunilo et Alodia. Elodia* fuit in veteri. Nos *Alodiam* substituimus, vulgata consuetudine multarum per Hispaniam Ecclesiarum, quæ festum harum sanctarum martyrum celebrant, earumdemque historiam in matutinis legunt.

(5) *Materteræ nutritione.* Longe diversum narrant matutinales per Hispaniam lectiones, et sanctoralia, quæ vocant, manuscripta. Orbas nimi- B rum propinquum quemdam tutandas suscepisse ; cumque is Mahometico errore teneretur, neque a Christi fide sanctas virgines posset avertere, ab eodem delatas et ad præsidem ductas.

(6) *Sub ictu gladii corruerunt.* Lectiones in Breviariis plura eademque pientissima de cæde et sepultura sanctarum sigillatim commemorant. Et in manuscriptis præsertim, ut vocant, sanctoralibus latius continentur. Inde nos apponemus, quia scitu sunt dignissima, et non plene assecutum divum Eulogium historiam harum virginum confirmant.

« Tunc præcepit rex lictori dicens : Percute gladio et abscinde earum capita. At lictor tertio regem interrogat an feriret? Et ut feriret tertio cum audisset, dixit majori : Extende cervicem. Tunc sancta Nunilo dixit ad sororem suam minorem : Vide, germana, ne aliter facias quam ego factura sum. Cui sancta Alodia respondit : Nihil dubites, germana, quod ego aliter faciam. Statimque sancta C Nunilo alacri animo prosiliens, apprehensis crinibus caput sibi circumligans, dicit ad lictorem : Feri velociter. Ille elevatum in altum gladium deposuit super eam : non in medium cervicis locum, sed in mandibulas illud deponens ; unde nec penitus caput ejus abscidit. Cadenteque in terram corpore, paululum crura ejus nudata sunt. Quod cernens soror ejus, festinans, protracta veste contexit. Quo facto multitudo hominum miratur. Fideles gaudebant, infideles tabescebant. Dixitque iniquus rex carnifici : Sine modo : nec ferias. Tunc ad sanctam Alodiam dixit : Quid proderit tibi, si moriaris? Consenti nobis, et vives nobiscum cum multo honore. Quibus martyr respondit : Non consentiam : festina, percute me ne sola pergam. Et elevans oculos, vidit animam sororis suæ in columbæ specie angelis circumdatam, et dicebat : Exspecta me, germana, exspecta me modicum. O mira virtus Altissimi ! Puella quæ gladium non D longe micantem cavere non poterat, in propriam cervicem descensurum non pertimuit, sed apprehensam syndonem, qua vestiebatur, sibi in cruce alligavit, et capillis suis faciem suam extersit. Inde flexis genibus super corpus sororis suæ, præbuit se percussori, qui uno ictu caput ejus amputavit. Sicque martyres una die, una hora, martyrium suum victrices consummaverunt in pace, quinta feria [b] duodecimo Kalend. Novembris. »

Hæc nos ex vetustissimo Sanctorali codice ante sexcentos annos Gothicis litteris in membrana descripto transcripsimus. Is fuit inclyti cænobii sancti Petri de Cardenna Benedictinorum, nunc in regio sancti Laurentii Hieronymianorum servatur. Ibi in titulo scriptum fuit passas fuisse sanctas virgines sub Zumahil præside, æra tamen aut annus signatus non fuit. Sed cum Octobris dies vigesimus primus ibi signetur, et in quintam feriam eo anno incidisse sit superadditum, ex consueta nostra astronomica computatione constat, anno Domini octingentesimo quadragesimo sanctas virgines in Christi confessione fuisse coronatas. Is enim annus post triginta integras, cycli solaris conversiones nonus fuit in trigesima prima. Fuit autem bissextus, habuitque litteras dominicales D C. Et cum C mensi Octobri deserviret, dies vigesimus primus in quintam feriam incidit.

(7) *Undecimo Kal.* Cum divus Eulogius in anno, ut ostendimus, aberrasset, inde etiam dies non potest recte signari. Et in Usuardi quidem martyrologio vigesimum secundum Octobris diem festum harum sanctarum virginum occupat, quod et in Breviariis nostratibus servatur ; sed regum Diplomata, ut mox apparebit, diem vigesimum primum astruunt. Et omnes ferme Hispaniæ Ecclesiæ earumdem virginum festum concelebrant. Tanta fuit in eisdem martyrii præstantia et illustris claritas.

(8) *Quarum corpora.* Hinc postea educta in Legerense sancti Salvatoris cœnobium, quod non procul admodum distat (ut diximus) sunt translata. Et quanquam uno illo Innigui Aristæ regis, quod supra retulimus, diplomate satis hæc sit testata translatio, libet tamen duo alia apponere, quæ ex eodem Legerensi monasterio descripta cum multis aliis habuimus. Et quorum altero constare poterit 21 Octobris non 22, sanctas virgines occubuisse.

« Æra millesima sexagesima de duodecimo Kal. Novembris [c], Sanctius major rex Navarræ, et Castellæ, et Aragoniæ facit ad corroborationem ordinis sancti Benedicti domino et magistro suo Sanctio episcopo donationem et Legerensi cœnobio, quod est fundatum in honore sancti Salvatoris, et continet membra virginum et martyrum Christi Nunilonis et Alodiæ cum innumerabilibus sanctorum reliquiis. Considerans enim semper de inimicis suis triumphasse, et omnes illos per circuitum suum sibi subjugasse ; videns etiam, quod post Maurorum invasionem laici sæcularisque ordo Ecclesias totius Hispaniæ habuerunt, eas ecclesiasticis viris tradere decrevit. Et audiens beati Benedicti doctrinam ubique rutilare, cogitavit qualiter in regionibus suis eam posset transplantare. Et mittens ad Cluniacense cœnobium, evocavit inde abbatem Paternum et cum illo gregem monachorum, quos in ascysterio sancti Joannis Baptistæ constituit. Nunc vero prædictus rex Sanctius prædicto Domino et magistro suo Sanctio episcopo devota mente commendat et concedit prædictum monasterium Legerense cum possessionibus, quas antecessores reges ei dederunt,

[a] Quod sic fuerit in veteri exemplari nos penitus induxit, ut *Osca* non *Bosca* in textu posuerimus, quem parum recte Morales emendavit : nam præter vetustum Eulogii exemplar, quod eas virgines Oscæ passas refert ex confessione ejusdem Moralis, omnes martyrologi, præeunte Usuardo et agmen claudente Baronio, qui eas commemorant, idem confirmant. Ubi autem hæc sita fuerit Osca, variant auctores adhucque sub judice lis est. Franciscus Didacus Aynsa et Iriarte pro notissima Osca Aragonensi decertat in ejus historia, lib. II, cap. 34 et 35, cui licet remissive astipulatur perdoctus vir Emmanuel Risco tom. XXXIII Hisp. sacr., tract. 69, cap. 19, num. 7. RR. Fr. Mohedani tom. V Histor. Litter., lib. IX, § 2, sub num. 16. not. 1 affirmare non ambigunt, Oscam cujus Plinius meminit, circa urbem fuisse Tucci (hodie *Martos*) in regno Giennensi ; aliis vero examinandum relinquunt, an hæc fuerit osca Eulogii. Nos in tam dubio argumento sententiam rejicimus Moralis ad Rucones sanctas virgines ablegantis, sed inter Bæticos et Aragonenses litem dirimere non audemus.

[b] Potius *undecimo*, ut Eulogius, cui congruit quinta feria et littera D anni 851.

[c] Anno Domini millesimo vigesimo secundo, die octobris vigesima prima.

et alii quatenus in eo ordinem monachorum constituat, ubi corpora parentum regis requiescant. Facta charta ut supra in præsentia multorum, qui venerant adorare Deum, et celebrare festivitatem sanctarum martyrum in prædicto monasterio, regnante clarissimo rege præfato Sancio in Castella, in Pampilonia, in Alava, in Aragone, in Suprarbi, in Ripacorcia, in cuncta Gasconia, in Leyeut. Testes :

« Eximena regina, mater regis,

« Regina donna Munia Major Garsia,

« Ranimirus Gundissalvus,

« Bernardus Mattus Aragonensis episcopus,

« Sancius, abbas Lejerensis, et episcopus Pampilonensis,

« Paternus, abbas Sancti Joannis,

« Enneco Abbas Honniensis,

« Senior Exemeno Garces,

« Senior Garcia Lopciz, et Fortunio Sainz, et Accnar Fortunionis, et Fortunio Ossuaz, et Garcia Fortunionis, et Lope Sainz. »

Anno etiam millesimo trigesimo secundo, idem rex eidem monasterio hujusmodi diploma concessit.

« [a] Æra millesima septuagesima, septimo Kal. Januarias feria tertia. Ego Sancius, gratia Dei rex, dono vobis domino et præsuli sanctissimo domino Sancio, vel omni collegio monachorum cœnobio Lejerensi, sub aula sancti Salvatoris, ubi sunt corpora beatissimarum virginum et martyrum Nunilonis et Alodiæ, necnon reliquiæ apostolorum et martyrum, quæ ibi reconditæ sunt : Dono, inquam, vobis in valle de Ostella, prope villam quæ dicitur Porticlla, monasterium, quod dicunt Sancti Joannis, cum suis terminis : et in Pampilonia parrochiam de Sancta Cæcilia, et in valle de Garonio, monasterium quod dicitur Zeyazahassa.

« Ego rex Sancius serenissimus regnans in Pampilonia et Aragonia, in Suprarbi, et in Ripacorcia, et in omni Gasconia, atque in cuncta Castella, et Legione, sive in Astorica, confirmo.

« Munia Mayar, regina, conf. Ranimirus, proles regis, confirmo. Garsia, frater ejus, confirmo. Gundissalvus, frater ejus, conf. Fernandus, germanus ejus confirmo.

« Manctius, Aragonensis episcopus, conf. Sancius, Pampilonensis episcopus. Arnolfus, Ripacorciensis episcopus. Munio, Alavensis episcopus. Julianus, episcopus Castellensis. Pontius, episcopus Ovetensis.

« Fortunius Sancii, dominator Caparroso. Fortunius Sancii dominator Falces. Acenarius Fortunionis dominator Ugarte. Garsia Fortunionis dominator Funes. Lope Eneconis dominator Arruesta. Fortunio Uxuaz Cantabriensis. Don Pedro sub imperio regis imperans Najara.

« Valassius Fenestella ex palatio regis exaravi, et accepi pretium propter hanc scripturam quinque modios tritici.

« Eximena regina Vetula ancilla Dei, degens in Reperus, confirmo. »

Paucis post martyrium harum sanctarum virginum annis regina fuit Hispaniæ, quæ alterius nomine Nunilo vocaretur. Id cum in nostris historiis non sit scriptum, Oveti in camera sancta, de qua jam diximus, video esse testatum. Ibi namque inter prisca regum nostrorum donaria arca etiam est duorum pedum longitudine, tabellis pretiosissimis achatitis lapidis auro circumclusis coagmentata et fabrefacta, gemmis etiam undique dives. In fundo, qui est argenteus, hanc habet inscriptionem, quam ipse fidelissime transcripsi :

SUSCEPTUM PLACIDE MANET HOC IN HONORE DEI,
QUOD OFFERUNT FAMULI CHRISTI FROYLA ET NUNILO
COGNOMENTO SCEMENA.
HOC OPUS PERFECTUM ET CONCESSUM EST SALVATORI
OVETENSI.
QUISQUIS AUFERRE HÆC DONARIA NOSTRA PRÆSUMPSERIT,
FULMINE DIVINO INTEREAT IPSE.
OPERATUM EST ÆRA DCCCCXLIX.

Neque dubium esse potest quin donum sit Froylæ regis secundi. Nam præter opulentiam, quæ regia plane est, multa sunt alia quæ id aperte testentur.

Corpora harum sanctarum virginum hinc postea Bononiam fuisse translata Vasæus scripsit. Sed nemo dubitat nunc etiam in eodem sancti Salvatoris Legerensi cœnobio asservari.

CAPUT IX.

(1) *Qua Faustus.* De inclyta Toletana urbe jam diximus [b]. De sacris his tribus martyribus Cordubensibus celeberrima est in omnibus Hispaniæ Ecclesiis memoria insigni festivitate consecrata, et copiosa historia in lectionibus matutinis repetita. Martyrologia omnia, et cuicunque de sanctis scripserunt, eorum insignem habent mentionem ; sed variat alicubi festus dies : alibi vicesimus octavus Septembris : alibi Octobris tertius decimus signatur. Ubique leguntur exusti. Illud diligenter est animadvertendum horum sanctorum martyrum cineres ad hæc usque divi Eulogii tempora Cordubæ asservatos fuisse.

(2) *Campaniæ Cordubensis.* Campaniæ nomen peculiariter ab Romanis olim ei Italiæ regioni fuit attributum, quæ Neapolim, Capuam aliasque vicinas urbes habebat : et quod campestris tota esset et plana, ita est appellata. Alioqui Campania pari ratione quæcunque similis regio dici potest. Nos certe Hispani id nomen in plana quæque transtulimus. Nam planities illa in Vaccæis, quæ longo tractu protensa *Campos* nunc, olim *Campi Gothorum*, ut est apud Rudericum Toletanum, nuncupabatur ; *Campaniam* vocatam in Compostellana [c] historia, ante quadringentos annos scripta reperio. Sed peculiare magis fuisse videtur, ut Cordubensis planities tantopere ab Strabone fertilitatis nomine commendata, Campania diceretur. Nomen adhuc paululum immutatum cum *Campinam* vocemus, perdurat.

(3) *Æra* octingentesima nonagesima. Hoc loco in vetusto codice ad signandum numerum nonagesimum nota quædam fuit et litterarum colligatio peregrina, nobisque Hispanis penitus ignota, ut Gothicam fuisse appareat. Ea fuit hujusmodi : T lit-

[a] *Æra millesima septuagesima, septimo Kal. Januar., feria tertia.* Ita edimus emendantes typographi Complutensis errorem, in cujus editione legitur : *Æra millesima, septuagesima septima,* etc., unde ad editionem Francofurtensem manavit. Neque non facile nobis fuit errorem deprehendere, cum immediate ante ipse Morales hujusmodi diploma concessum scripserit, anno 1032, quod etiam ad marginem annotavit. Id si animadvertisset Gabriel Cossartius a castigando Ambrosio proculdubio abstinuisset, quem in eo lapsum putat (in notis ad concilium Pinnatense, habitum in monasterio Sancti Joannis *de la Pena* in Aragonia), ideoque legendum conjectatur *æra* 1067, seu *anno* 1029, quo adhuc regnabat in Aragonia Sancius major : verum irrito conatu, nam eo, quem Morales designavit, anno 1032 et regnabat Sancius, et dies 26 Decembris simul assignata incidit in feriam tertiam. In eo vero, quod legendum putat *Manctius Aragonensis episcopus*, ubi privilegium habet *Martinus*, lubenter illi assentimur, et cum eo emendamus. Productis enim gravissimis testimoniis evincit, nullum tunc temporis exstitisse Aragonensem episcopum, *Martinum* appellatum, nec *Sanctum*, quorum utrumque legitur in aliquibus hujusmodi privilegii exemplaribus.

[b] Scholia in Eulogii Vitam, num. 29.

[c] Lib. I, cap. 16, 26, 30, et lib. III, cap. 53, tom. XX Hisp. sacr.

tera quinquagesimi numeri nota vulgaris, fuit posita. Inde x adjuncta, sed cui minutula altera i. superiori ex parte superioris apicis cohæreret : ita ut quadragesimi numeri hæc vulgaris nota XL compleretur, et ex notis utrisque quinquagesimi et quadragesimi numeri integer nonagenarius esset perfectus. Eam ergo notam ad eum modum innexam in vetustis quatuor sacrorum conciliorum codicibus, quos habent sancta Ecclesia Toletana et regium divi Laurentii monasterium ordinis sancti Hieronymi ad oppidum *Escurial* vocatum, jam antea observaveram, et quæ esset liquido deprehenderam. Quæ omnia mihi hic sigillatim demonstranda fuerunt, ut si quis in vetustum divi Eulogii codicem incidisset, minime hæreret, aut dubitaret : sed manifestam veritatem illico intelligeret, sequentiaque omnia probe digesta conspiceret [a].

CAPUT X.

(1) *Fuit præterea* Ex satis humili exordio sublimiori postmodum oratione divus Eulogius insurgit, ut juxta Horatii præceptum fulgorem ex fumo proferret. Voluit enim plenius stylo grandiori horum martyrum historiam continuare, et spiritus vere Christiani vere ad martyrium anhelantis ardorem dicendo proferre. Id non sine pia animorum commotione pii lectores non uno loco animadvertent.

Videtur Fr. Laurentius Surius Carthusiensis in fragmentum divi Eulogii incidisse. Tomo enim quarto, *de Probatis sanctorum historiis*, totum hoc caput cum nomine auctoris inseruit. Ibi semper Natalia non Sabigotho Aurelii uxor nominatur. Surius autem more suo dictionem hic quoque et sancti martyris stylum limavit. Id monuisse oportuit, ut nemo miretur nimium illa orationis filo ab his discordare, quæ nos religiose admodum nihil prorsus immutando, ut erant in exemplari conservavimus. Si quæ autem diversa in Surio referuntur, suis hic nos locis annotavimus.

(2) *Ut in parte stramentum.* Obscure significat pondere catenarum asini clitellas subversas et dejectas, ita ut in caudam defluerent : eo enim crura retrorsum asello insidentis inclinata fuisse videntur. In Laurentio Surio, longe diversa hæc referuntur, et paulo post cœlestes per somnium visiones annectuntur [b]. Ego nihil prorsus in nostro exemplari deesse video, ut hæc superaddita olim ab aliquo existimem. Postmodum etiam filiarum Aurelii nomina Felicitas et Maria apponuntur. Desunt vero quæ de consulto Alvaro Eulogius prosequitur. In supplicio tamen Sabigothonis plura referuntur.

(3) *Serenissimi præceptoris.* Diximus qua modestiæ ratione Alvarum, qui condiscipulus fuisset, præceptorem suum vocet Eulogius, Serenissimi etiam titulum additum, nobilitatem in Alvaro astruere demonstravimus.

(4) *Monasterium sancti Sabbæ.* Celebratur in libris de sanctorum Patrum Vitis hoc cœnobium : et ipse sanctus Sabba ubicunque de sanctis eremi cultoribus agitur, est notissimus.

(5) *Martyrii sui breviarium.* Hac voce Plinius et Suetonius utentes docent quodcunque opus et in historia præsertim, summatim et per compendium scriptum sit, ita solere appellari.

(6) *Revelatis vultibus.* Apparet profecto Christiani moris tunc ex Pauli apostoli doctrina fuisse, ut non in ecclesia solum, sed in itinere ad ecclesiam caput feminæ velarent. Poterant etiam honestatis causa et ne ab Sarracenis pulsarentur, velatis capitibus feminæ Christianæ misero illo captivitatis tempore incedere.

(7) *Osculatis manibus ejus.* Cum sacerdos non esset, reverentiæ tamen ergo ab martyre futuro veluti benedictionem sacerdos etiam Eulogius petebat. Nisi credas jam tunc hunc morem hodiernum cœpisse,ut nos Hispani osculari manus et dicamus et facere aggrediamur.

(8) VI *Kal.* Multis locis apparet Adonem archiepiscopum hos divi Eulogii libros legisse, et in horum martyrum mentione præsertim : siquidem quamvis sub compendio, omnia tamen digniora retulit quæ hic ab Eulogio commemorantur. Cæterum referente Equilino episcopo, non Sabigothonem, sed Nataliam ejus loco nominat. Sed neque Ado, neque Surii fragmentum recte diem aut mensem notarunt, qui Augusti vicesimum septimum his martyribus tribuerunt.

(9) *Pilemelariensi cœnobio.* Cum iterum fusius hujus cœnobii mentio occurrerit, tunc nos de ejus situ, quæ oportet dicemus: id erit libri tertii capite undecimo. In Surio prædictum ab Aurelio refertur. se ibi sepeliendum [c].

(10) *Apud Genesium martyrem.* Metonymia, qualis illa Horatii :

Scripta palatinus quæcunque recepit Apollo.

Et multa hujusmodi, quibus Christiani frequenter utimur.

(11) *Et Sabigothonis incolunt.* Locus hic in veteri codice fuit mutilus, et linea integra cum dimidia vacua relicta, ut si quando posset suppleri. In Surio neque capitum saltem mentio est.

CAPUT XI.

(1) *Contribulis noster.* Tum hic, tum etiam superius hac voce usus Eulogius, indicat plane habitationis tantummodo vicinitatem [d].

(2) *Rajona.* Neque hic quid dicam, tametsi exquisierim, reperio. Eodem quoque silentio *Fraga* locum et Lejulensem vicum, qui paulo post nominantur, prætereo

(3 *Elberi.*Corruperant nomen hujus urbis Gothica

[a] Miramur sane, qui fieri potuit, ut Morales, qui hoc ipso loco se tandem hujus notæ X vim deprehendisse fatetur, quæ in codicibus Gothicis mss. tam frequenter occurrit, non animadverterit in suorum Chronicorum editionibus hac notitia posterioribus quamplurima facile corrigi potuisse, quæ alioqui nimis perturbata reliquit. Cum enim ubi hæc nota occurrebat X pro decem accepisset, non pro quadraginta, ut fieri debuit, factum est ut imprudens nesciensque in varios chronologiæ errores inciderit, quos nec hujus loci, et nimis prolixum esset indicare.

[b] Videas sub textu in nota nostra cœlestis visionis narrationem quam Morales commemorat.Enimvero et nos arbitramur eam superadditiam esse ; sed cum in animum inducere nunquam potuerimus, fuisse a Surio pro habitu inventam, sed ab ipso potius in aliquo repertam codice, placuit eam transcribere.

[c] Cum æque persuasum habeamus et hanc alteram Surii accessionem non commentum ejus esse, sed eam ipsum ex codice aliquo eruisse, en illam tibi subjicimus : *Prædixerat.. idem martyr Christi Aurelius, quod in eum locum esset deportandus post mortem, atque ibi tumulandus. Nam veniens eo causa orationis, tribus fere diebus antequam comprehenderetur, una ex iis Deo sacratis feminis, quæ ibidem erant inclusæ, dixit ad eum* : Domine, Aureli, ecce habes nunc ad martyrium pergere. Quid ergo mihi dabis ? *Et ille*: Non habeo, inquit, quod possim modo donare tibi : dabo tamen postea memetipsum, annuente Domino. *Factumque est, ut sæculo mortuus, quod promiserat, jam vivens cum Christo adimpleret præstante ipso, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.*

[d] Recte Petrus Dolmans ad diem vigesimum Augusti : cum eadem vox cap. 6 ejusdem libri cognationem sanguinis significet, non video cur ad alium sensum hic debeat transferri. Videas in eo capite notationem Schol.

tempora; cum *Iliberi* Romani protulissent. Ex illa corruptela majorem postea Arabes invexerant, *Elbiriam* nominantes, unde nos tandem nunc *Elviram* pronuntiamus. Fuit enim urbs hæc non longe ab inclyta urbe Granata, in colle qui nunc *Elviræ mons* appellatur; cum urbis etiam porta quæ eo ducit, *Elviræ* nominetur. Illud animadversione dignum, vero simillimum videri, *Ili* prisca Hispanorum lingua oppidum significavisse. Inde tot urbium, sed in Bætica præsertim, nomina id in principio retinebant. *Iliturgi*, *Iliberi*, *Ilipula*, *Ilipa*, et alia hujusmodi. De quo nos in Hispaniæ antiquitatibus.

CAPUT XII.

(1) XVII *Kal.* Dies est Septembris quintus decimus, qui aperte in veteri exemplari notatur. Usuardus, Breviarium Cordubense, Ado, et Equilinus paucis diebus variant. In Adone et Equilino *Emilianus* non *Emila* scriptum legitur. Et recte sane non longo intervallo post Christophorum et Leovigildum hos duos martyres coronatos scripsit Eulogius.

CAPUT XIII.

(1) *Cum adhuc.* Notat hic quoque modicum temporis intervallum; et nullus equidem dies intercessit.

(2) *Fanum illud.* Templum hoc Cordubense intelligit Arabicæ structuræ, quod hodie perdurat, majorisque Ecclesiæ dignitatem obtinet, et sua magnitudine, columnarum multitudine, marmorum præstantia, operis subtilitate, et multis aliis sui partibus admirationem, atque adeo stuporem spectantibus præbet. Jam enim fuerat ædificatum a rege Habdarrahgmam secundo, et Issen ejus filio. Auctores sunt Rasis et Rudericus Toletanus, antistes in Arabum historia.

CAPUT XIV.

(1) *Tunc jam procuidubio.* Aut significat neminem deinceps tam ex Christianis quam ex Sarracenis ausum fuisse non deferre ad judices quecumque audisset pseudoprophetæ Mahometo maledicentem: aut ante permissum Sarracenis fuisse, ut quem Christianum ita maledicentem audirent, ipsi protinus, non spectata publica damnatione, impune interimerent.

(2) *Quod quibusdam.* Docent ad hunc modum sacri theologi, martyrium donum Dei esse, quibusdam peculiariter a Deo tributum. Illud autem est animadvertendum, diversam hanc esse Ecclesiæ Hispanorum persecutionem ab illa Cordubensi, in qua captus est divus Eulogius. Tempora id docent evidenter. Et libri primi capite primo nos exquisitius docuimus.

CAPUT XV.

(1) *Nos quoque auctores.* Hanc gravissimam insectationem pertulit divus Eulogius, quasi futuri martyrii præludium. Ut non subito gladii ictu tantummodo macteretur, sed carnifices quoque ejus ipsi Christiani, ipsi fratres existerent, quotidiano convicio illum proscindentes.

(2) *Præsenti concilio episcoporum.* In tanta calamitate et dira Ecclesiæ persecutione, convenerant prælati, ut de remedio, si possent, quoquo modo providerent. Et rex etiam jusserat undique metropolitanos, quod mox apparet, convenire. Nationale ergo, uti vocant, concilium hoc fuit: nisi conciliabulum tali auctore congregante malis appellare. De hoc sceptore postea lib. III, cap. 3.

(3) *Inhibitum esse martyrium.* Hæc quæ sequuntur ad finem usque periodi, decretum ab concilio editum continent, subobscure tamen. Consilium enim præsulum in concilio fuit (ut misere laboranti et periclanti Ecclesiæ hac ratione prospicerent) edicere quidem et præcipere quod regi, quod proceribus placere posset leviter intuentibus. Cæterum cum vererentur quippiam, quod Dei summi A majestatem et Christianam religionem offenderet, constituere; ita decreti verba attemperarunt, et consulto quasi fabrefecerunt, ut nihil impium, si quis penitius rimaretur, assererent. Hoc est quod in sequentibus prosequitur divus Eulogius. Et multo quidem erant omnia in exemplari obscuriora, et quæ multo cum labore, adhibito etiam sapientissimorum hominum judicio et lima, fuerunt dilucidiora aliquanto, una aut altera voce tantummodo adjecta, reddenda.

(4) *Inculpabile.* Hoc est, culpa prorsus non caruit. Sententiam enim suam jam hic profert divus Eulogius. Ei de hoc ipso edicto libellis etiam et schedis evulgato locutus videtur libro primò ad finem. Quanquam manifestum est de altera diversa ab hac Sarracenorum perturbatione initio libri hujus capite primo scribere: ut ipsius sancti verba tum hoc, tum etiam illo loco, et initio septimi capitis aperte declarant.

B (5) *Quinimo nisi legitima satisfactione.* Hoc ait: Necesse fuit profecto imbecillibus satisfacere, ne edicto scandalizarentur, si forte id tantummodo quod ab Sarracenis volebat concilium intelligi, ipsi etiam intelligerent. Oportuit ergo ut iis, imbecillibus inquam et pusillis, satisfieret, tum legitima interpretatione ad eos et propter eos adhibita, tum etiam causis explicatis, quæ ad eum modum edictum conformare compulissent.

CAPUT XVI.

(1) *Denuo pontifex.* Cordubensem episcopum intelligo, quem nusquam proprio nomine designat. Apparet autem iterum antea hunc ipsum præsulem in vincula fuisse conjectum, Reccafredi tumultu, ut ego existimo.

(2) *Pendentia stipitibus.* Quatuor martyrum Emilæ et Hieramiæ, Rogelli et Servio-Dei, qui postremi passi sunt, intelligi necesse est. Cæterorum namque, ut ex superioribus liquet, non supererant, exusta C partim, partim sepulta. Quod ad sequentem temporis pervestigationem hic jam annotasse oportuit.

(3) *Nos autem.* Hinc apparet divum Eulogium hunc librum secundum hoc ipso tempore quo Mahomad regnare cœpit, scripsisse. Nondum enim sequentia, quæ tertio libro prosequitur, gesta fuerant. Quod plenius etiam superaddita hoc loco ratio demonstrat, in qua præterea latere se dicit, cum scriberet.

(1) IN ORATIONEM.

Mos fuit ab Gothorum temporibus ductus, ut Hispani scriptores opera sua oratione ad Deum fusa aut inciperent aut clauderent. Id in divi Ildefonsi opere de Laude virginitatis sacratissimæ Virginis Mariæ, et in sancti Juliani archiepiscopi Toletani libris apparet.

IN LIBRUM TERTIUM.

CAPUT IV.

(1) *Et quia undique.* Rasis Omarum Hacanis filium contra hunc Mahometum regem rebellasse scribit, ipsumque ab regis exercitu in prælio interemptum. Vixit deinceps, eodem auctore, quietus in regno. Rudericus, Toletanos adversum regem insurrexisse, in Arabum historiæ scripsit. Victi sunt, et magna strage deleti Toletani cum rege Ordonio, qui suppetias eis ferebat. Crediderim Omarum Toletanorum ducem fuisse.

(2) *Cæsum et fugatum.* Ego divo Eulogio magis crediderim quam Rasi, qui omnia ei pacata et prospera ubique evenisse commemorat. Quanquam cum primo prælio fusus ejus exercitus fuisset, potuit deinde et ipse vincere et rebelles domare.

CAPUT VII.

(1) *Ex urbe accitana.* Urbs hæc nunc *Guadix* in Granatæ regno vocatur. Nec est hujus loci causas et testimonia afferre, quæ in Hispaniæ antiquitatibus

congessimus, ut eamdem esse Guadixiensem urbem, et Accitanam Romanorum olim coloniam probaremus. A

(2) *Se Tabanensi.* De hoc monasterio, de isto etiam altero sancti Salvatoris superius crebra fuit mentio. Pinnæ Mellariæ retro quoque meminit, sed suus adhuc erit locus de illa dicendi capite undecimo.

(3) *Fortissimum vero athletam.* Diem et annum hic prætermisit Eulogius. Ex Usuardo, Adone, et Equilino Idus Junii fuere, hoc est tertius decimus ejus mensis. Et siquidem die insequenti Anastasius est passus, ut proximo capite scribitur; planum etiam ex Eulogio fit tertio decimo Junii sanctum Fandilam fuisse trucidatum.

CAPUT VIII.

(1) *Quem sequens alio die.* Insequentem nullo interjecto diem, hoc est crastinum intelligi debere, ex die cædis sancti Fandilæ indicatur. B

(2) *In cenibus egerat.* Locus, quantum ego capere possum, est corruptus; nam neque *cenibus* vocabulum quid significet reperio, neque tamen quo pacto emendare possim, succurrit. Et in veteri ita plane fuit scriptum : nisi forte quis legendum credat *scenibus* per *s*, et tabernacula velit intelligi, unde et Scenitæ Arabes dicuntur.

(3) *Natione Getulus.* Getulia Africæ pars est. Hinc autem opinio illa ortum habuit, ut ex Sarracenorum progenie editum hunc divum credatur. Potuit profecto ex parentibus Christianis nasci. Erant enim in Africa, tametsi a Sarracenis occupata, Christiani, quemadmodum in Hispania Mozarabes.

(4) *In horam nonam.* Computatio est Romanorum in sacris etiam Evangeliis usitata. Hujus autem sanctis martyris festum nonnullæ Hispaniæ Ecclesiæ celebrant, totumque hoc de Dignæ virginis insomnio iisdem pene verbis in lectionibus referunt. Unde constat divi Eulogii libros legisse, quicumque C ei festivitati historiam compararunt. Et nos etiam quædam in libro de sanctis martyribus Justo et Pastore scripsimus : sed cum nondum D. Eulogii scripta vidissemus.

(5) *Nolite me Dignam.* Vera humilitas ex sui cognitione dejecta, in cœlum tamen usque ad Dei cognitionem effertur. Multa sunt autem, quæ perfectam nobis nostri cognitionem præstare possint. Sed illud unum est, quod ad eam ipsam me sæpe perducit. Numquam me totum mihi plene cognoscendum offero : introspicere me undique omni ex parte non sustineo : et aliquid incompertum reliquisse, meipsum misere fallens, pene exsulto. Hoc, qualis sim, demum mihi ostendit. Hic miserabilis pudor me conspiciendi, memetipsum mihi plene conspicuum facit. Hoc ipsum olim miseriam nostram deplorantes, hoc epigrammate complexi sumus :

Si quando interno me totum lumine lustrem,
Vestigansque animum cernere me cupiam : D
Conscia mens qualem sit me ostensura, veretur,
Atque mei partem subtrahit illa mihi.
Cum delusa tamen meme occultasse putabat :
Me miserum ! tunc me plenius aspicio.

In commune autem ad sui cogitationem mentem etiam tetrasticho olim excitavimus, ex illa Sponsi in Canticis adhortatione : *Nisi te noveris, o pulcherrima mulierum, egredere post vestigia gregum tuorum, pasce hædos tuos* (*Cant.* I).

Tu nisi te agnoscas (mens o pulcherrima rerum,
Quas toto pulchras condidit orbe Deus),
Pro desiderio, quod tete ad sidera tollet,
Turpis terrarum sollicitabit amor[a].

CAPUT IX.

(1) *Quorum cadavera.* In sancti Zoyli, apud Carrionem nobile oppidum, monasterio ordinis Sancti Benedicti corpus sancti martyris Felicis Complutensis[b] in argentea theca servatur, et magna religione colitur. Eo fuit cum sancti etiam Zoyli corpore translatum, quod in vetustis cœnobiis monumentis, quæ ego ibidem legi, traditur. Et tamen his videmus ejus cadaver per ignem et aquam fuisse dissipatum. Potuit tamen pia Christianorum diligentia ossa non penitus incendio consumpta de flumine extrahere. Id utique fuit facile, cum igne dessiccata supernatarent.

CAPUT X.

(1) *Cum summa reverentia.* Intellige sanctam martyrem cum summa gravitate et modesta vultus constantia ad martyrium vadentem, ministros et carnifices traxisse. In quibus quæ potuit esse reverentia ?

(2) *Foro constituentes.* Manifestum hinc est forum ante fores palatii exstitisse, ut id plateæ fuerit, quod arcis muris obseptum, ante tamen quam ipsam arcem ingrediamur, cum fluminis prospectu expanditur. Aut illud forte vacui soli, quod inter turrim, quam Leonum vocant, et episcopalis domus hortos interjacet, forum fuit. Sed illud alterum vero propius est.

(3) *Non se prius.* Tamquam quæ summum in morte pro Christi fide obeunda beneficium esse intelligeret, etiam carnifici, quanquam immerenti, aliquid eidem largiendo, voluit gratificari. Hoc innuit, nec tamen quid ei dederit explicuit.

(4) *Sanctæ Eulaliæ.* Duas habuit olim Hispania hoc nomine martyres. Emeretensem alteram, alteram Barchinonensem. Neque enim audiendi sunt, qui unam ex utrisque facere voluerunt. Contra quos in nostra historia fuse disputavimus[c]. Neque tamen utrius fuerit basilica indicavit; neque de oppidulo *Fragellas* habeo quod dicam.

(5) *Cæterum tu sacratissima.* Quemadmodum sanctæ hujus martyris vitam et cædem copiosius atque etiam facundius divus Eulogius perscripserat, ita etiam pia prece hic in finem voluit ipsam compellare. Et utroque quidem fuit virgo dignissima. Ut enim ejus vita eximiis sanctitatis exemplis plena, constantiaque in morte admiranda majorem historiæ seriem, præstantiorisque styli splendorem promerebantur ; ita quoque ingentem in cœlis dignitatem adepta, præsentius et majus suis ferre patrocinium apud Deum poterat, quod avide deberet exposci. Et hæc profecto insignis vitæ mortisque in hac virgine præstantia, hæc digna ejus invocatio, cui principium jam hinc fecerat Eulogius; faciunt ut credam, hanc nostratem Cordubensem Columbam, non illam alteram ex Sennonibus Gallicanam esse, quam tanto opere ubique insigni cum religione Hispania tota concelebret. Et sunt præterea plures etiam aliæ causæ quæ me promoveant, cum nulla sit, quæ contrarium possit persuadere. Quæ enim, rogo, causa nos potuit incitare, ut Gallicanam martyrem longe ex Sennonibus, hoc est, ex remotissima Galliæ, quantum ad Hispaniam pertinet, regione solummodo auditam, tanto cum cultu veneraremur ? Celebritas,

[a] Quam hæc omnia, quæ Morales interserit de propria cognitione, superflua sint ad illustrandum Eulogium, nemo non videt.

[b] Ipse auctor in Chronic. lib. XIV, cap. 13, ingenue hunc locum sic correxit : *Aunque..... en los Escolios sobre San Eulogio dixe, que el cuerpo santo que estaba en Carrion, era él de S. Felix..... de Alcala ; no es sino él de este otro S. Felix companero de los demas :* id est, Felicis qui socius fuit Aurelii, Georgi, Sabigothonis et Liliosæ. Videsis etiam Florez tom. X, tract. 33, cap. 11, num. 88 et seq.

[c] Consulas velim de duabus Euraliis Alexandrum Lesleum, pag. 481 et 566 in Not. ad Missale Mozarab., edit. Romæ 1755; Cl. virum Franciscum Perez. Bayer., in Dissert. Histor. pro SS. Laurentio et Damaso, sub. pag. 96, 110, 136 et seq., atque sæpe laudatum Henricum Florez, tom. XIII, tract. 41, cap. 12, et tom. XXIX, cap. 8.

credo, martyrii ejus, cujus Martyrologia uno pene A verbo meminerint, Equilinus paucula scripserit: cum breviaria nostratia minime in lectionibus, aut in die festivitatis ejus concordent. Fuit profecto Sennonica Columba virgo sanctissima, martyr strenua; sed ipsa in cœlis residens inde nos nunc libenter audiens, optat nos veritatem invenire et confirmare, et illum legitimum cultum, qui ut ab Hispanis Hispanæ divæ debetur eidem asserere. Is vero cultus tantus est, et tanto opere insignis, ac pene singularis, ut non alienigenæ, sed alumnæ tributus debeat videri. Delubra sunt in agris per Hispaniam quamplurima sanctæ Columbæ nomine sacrata, quæ populorum eximia veneratione statis diebus solemni ritu frequentantur. Parentes, devotione in hanc divam permoti, ejus nomen filiabus imponunt. Burgensis Ecclesia inter dignitates, ut dicunt, habet sanctæ Columbæ abbatem. Habet eodem nomine et honore primariæ dignitatis sacerdotem Ecclesia Segoncina. Sacellum quoque B hujus divæ ibidem in summo templo est structura nobile, cultu eximium, et proventibus insigniter locuples. Quanquam utrobique corrupto jam nomine sancta *Coloma*, non Columba vocetur. Hæc tanta veneratio, tam varius cultus religionis, plurimorum tot signis testata devotio, tot testimoniis declarata, et tam pia animorum propensione semper exaucta; cur externæ, et non patriæ, cur alienigenæ, et non civi, cur peregrinæ, et non domesticæ et pene tutelari divæ tribueretur? Indigenam habebamus: quæreremus externam? Propria aderat: alienam advocaremus? Nostratem profecto divam nos colimus, Hispanam martyrem veneramur, et vernaculum in ea, jureque quoddam communis patriæ nobis debitum patrocinium merito exquirimus legitima religione. Sed dies, inquis, quo sanctæ Columbæ festivitas in Hispania celebratur, Decembris nimirum ultimus, sanctæ Columbæ Senonensis est natalitius, non Cordubensis, C quæ si coleretur, septimum decimum Septembris debuit occupare. Dicam equidem quod sentio. Primum variant hic Breviaria. Segoncinum namque octavo Januarii die, Cauriense tertio Aprilis sanctam Columbam habent. Sed ego credo, cum sanctam Columbam Cordubensem nostratium aliqui celebrare vellent, nec diem quo passa esset martyrium scirent, et ultimo Decembris Columbam coli cernerent; Dordubensem arbitrati, eum diem ei sine discrimine attribuerunt. At lectiones Senonensis martyrium referunt. Nimirum quemadmodum dies natalitius nostratis divæ erat incognitus, ita etiam vita et passio, quæ non passim in divi Eulogii libris legebatur. Inde quod ad manum erat, nomenque idem veluti proprium dabat, arripuerunt. Hoc ipsum in sancta Marina nostrati, hoc est Galliciensi, factum videmus. Nihil erat proprium quod legerent: divæ Margaritæ historiam ex parte ei accommodarunt. Hæc habui quæ de nostræ hujus sanctæ Columbæ D cultu dicerem, liberum interim judicium eis relinquens, qui aliter sentire maluerint [a].

CAPUT XI.

(1) *Hæc namque sacra virgo.* Hæc omnia usque ad studia et sacrarum Scripturarum meditationem tantopere in veteri exemplari fuere corrupta, ut nullus pene sensus eliceretur. Nos quoquomodo potuimus emendavimus, unum atque alterum verbum superaddentes.

(2) *Qui usque hodie permanent.* Permanent etiam usque in hoc tempus, in quo hæc scribimus. Neque enim dubium est, quin de eo sublimiori colle et rupe divus Eulogius intelligat, quæ quarto ab urbe milliario in vicinorum montium vertice supereminet supra nobilem fundum, qui dicitur *el Albayda*, Saxum ipsum Sancii Mirandæ rupes appellatur. Ibi apes in petræ foraminibus quotannis mellificant. Ad culminis ejus radices fons dimanat permagnus, qui vicinos hortos citriorum omnis generis arboribus consitos rigat. Situs est monasterio admodum opportunus, et vestigia ædificiorum cum ruinis non uno loco apparent. Meminisse autem oportet, capite septimo divum Eulogium, hoc monasterium haud procul ab urbe constituisse. Ideo hanc rupem ipsum signare credendum est. Alioqui insignem locum ad Guadiati fluminis ripas intelligere potuimus, qui ab apum per rupes mella conficientium multitudine, *Apiaria* vulgo nominatur. Sed locus vigesimo ferme ab Corduba distat milliario.

(3) *Æra* DCCCXCVII. Ita aperte fuit in vetusto codice, sed describentis vitio manifesto. Siquidem sanctæ Columbæ martyrium Pomposam eodem ipso die concitavit. Et capite etiam sequenti is scriptoris lapsus plane convincitur.

CAPUT XII.

(1) V *Idus Julii.* Is est dies ejus mensis undecimus. Perendie celebratur hujus martyris festum: quia nimirum superiores dies aliis erant sanctorum festivitatibus impediti. Usuardi Martyrologium antevertit, et Junii octavo reposuit.

CAPUT XIII.

(1) *Ludovicus.* Aspirationem habuit semper in exemplari hoc nomen. Et ita ex diplomatibus imperatorum, qui hoc nomine fuere, scribit semper F. Onuphrius Pavinius in Cæsaribus.

(2) *Italicensis provinciæ.* Longum esset referre, quibus rationibus probari possit Italicam urbem eo ipso olim situ exstitisse, qui nunc cum magnis ruinis Hispalis vetus appellatur, et ex adverso pene ei urbi trans flumen opponitur. In nostris Hispaniæ antiquitatibus, quidquid ad dipsum invenire potuimus, congessimus.

(3) *Palma.* Retinet hoc ipsum nomen id oppidum, quod Comitatus caput, et emporium est admodum celebre. Illud etiam ad celebritatem et singularem in primis amœnitatem habet insigne, quod interamnium est, Singili fluvio Bætim ab altero ejus oppidi latere intrante. Distat a Corduba milliaribus triginta duobus. Palmam autem provinciæ Italicensis, hoc est, diœcesis fuisse intellige. Nam episcopum eo tempore quemadmodum superioribus retro sæculis habebat. Sic capite sequenti Egabrensem diœcesim provinciam appellat.

CAPUT XIV.

(1) *Egabrensi. Ægas* Græce *capra* dicitur. Latini olim Græcum hujus urbis nomen retinebant. Nam quo loco Plinius libri tertii capite primo oppida Cordubæ viciniora commemorat, pro *Bæbro* emendatiores codices, antiquis adjuvantibus exemplaribus, *Ægabro* habent. Nos Hispani Græcum vocabu

[a] Quidquid dicat hoc loco Morales, quidquid alias in Chronic. congesserit ut probaret Columbam illam quam tantopere Hispana Ecclesia olim celebrabat Cordubensem fuisse non Senonensem, nobis certe illud nunquam persuadebit. Ut enim verum sit quod de hodierna solemnitate scribit, postquam ipse Eulogium edidit; fateamur necesse est duobus aut tribus et amplius ante nonum sæculis, Columbam coluisse Hispanos, quæ absdubio Cordubensis hæc esse non poterat. Siquidem Officium quod habent hujus martyris Breviarium et Missale Gothicum, anterius est septimo sæculo, ut norunt omnes qui nostri ritus disciplinam callent. Cum enim non solum in antiquissimis Hispaniæ codicibus id exstet Officium, sed etiam Veronensis a Blanchino editus, quem nec Cajetanus Cennius ad sæculum septimum pertinere negare ausus est, hymnum et orationes Breviarii complectatur; liquido apparet Columbam Gallicanam celebrasse Gothos. Sed hoc argumentum egregie discutit R. P. Emmanuel Risco, tom. XXXIII Hisp. sacr., tract. 69, cap. 19, num. 114 et seq., cujus nos sententiæ libentissime subscribimus.

lum interpretiat *Cabra* [a] nunc id oppidum nominamus. Pene namque manifestis testimoniis in præfato de Hispaniæ antiquitatibus opere ostendimus, Ægabrum priscum, idipsum quod nunc Cabra est, oppidum fuisse. Distat a Corduba milliaribus sex et triginta. Insigne est oppidum, quod Comitatus nomen et titulum præbeat, quod situs amœnitate præcellat, quod celebratissimam illam voraginem prope habeat, quam nos *Simam* appellamus : quæ inter tesqua et rupes hians, nullum vulgo fundum habere creditur. Itaque in proverbium jam abiit. Montes huic oppido vicinos Rasis florum et odoris causa magnopere celebrat. Et ea suaveolentia hodie quoque jucundissima verno tempore persentitur. Episcopum olim habuit. A

CAPUT XV.

(1) XV *Kal.* Is est dies Aprilis decimus septimus : quod eodem eorum meminit Usuardus, apud quem *Helæus*, non *Helias* legitur. Adonis Martyrologium eodem die habet : item Romanum nuper a Maurolico exauctum. Meminit etiam libri undecimi ultimo capite Equilinus B

CAPUT XVI.

(1) *Confessor vir nobilis.* Apparet Argimirum publice aliquando ante martyrii tempus Christianam fidem, et Mahometi pseudoprophetæ falsitatem professum fuisse, unde confessoris nomen et gloriam jam retulerat. Nam confessores, ut notum, est nomine a primævis nascentis Ecclesiæ temporibus usitato dicebantur, qui ita esse apud judices gessissent, nec tamen mortem subiissent, quamvis suppliciis essent gravibus affecti.

(2) *Censor.* Qui fuerit apud Arabes hic magistratus ignoramus. Umbram aliquam saltem Romanæ censuræ forte habuit, ex civium censu : unde hoc ei nomen potuit divus Eulogius accomodare [b].

CAPUT XVII.

(1) *Per annos ferme triginta.* Probe omnia consonant. Initio enim regni Habdarraghmanis passos Adulfum et Joannem retulerat, et nunc post eorum martyrium consecrasse se Deo Auream in monasterio memorat.

(2) *Insignitam stigmate.* De stigmatis metaphora jam diximus libri primi Scholio 12. Erat autem sacrarum virginum insigne, ut alibi etiam diximus, velum capitis, aut nigrum, aut rubeum, ut ex conciliis Toletanis constat. Nigrum nunc gestant : tristiam videlicet de morte Domini nostri Jesu Christi testantes. Rubeus color sanguinis etiam ejus pretiosissimi, quod redempti sumus, memoriam potuit respicere.

(3) XIV *Kal. Aug.* Julii dies undevigesimus anni octingentesimi quinquagesimi sexti, in quem usque diem divus Eulogius produxit historiam. Eam videtur postea continuasse, cum in Apologetico sanctos martyres Salomonem et Rudericum adjecit, qui anno insequenti quinquagesimo septimo mense Martio passi fuere. Inde totis duobus annis, quos divus Eulogius supervixit, nullum martyrem fuisse crediderim. Neque enim scribere de his prætermisisset.

[a] Qui sint quibus *parum apta fortassis videbitur istiusmodi derivatio*, ut ait Papebrochius ad 28 Junii, nos certe latet. Ea placuit Henrico Florezio, tom. XII, tract. 35, cap. 1. num. 4.

[b] Bene Joannes Tamaius in Martyrolog. Hisp. ad diem 29 Junii : *Miror Ambrosii nostri hæc dicentis errorem, cum illi qui* censum *apud Romanos exigebant, non* Censores *sed* Censitores *dicerentur.* Qui C de censura ejusque officio plura voluerit, adeat lib. XIII Cod. Theod., tit. 10, *de Censu*, et tit. 11 *de Censit.*, Rosin. Antiq. Rom., lib. VII, cap. 10 ; Laur. Polym., lib. III Syn. 4, § 4, et alibi. Ita Benedicti sanct. Ambrosii editores, lib. II in Luc. n. 38. Hic addidit Schottus : *Judicem apparet fuisse ex eodem capite, cum semotus Argimirus ab administratione judicii dicatur. Tum etiam ex Præfat. lib.* I.

II.

SCHOLIA IN DOCUMENTUM MARTYRIALE.

IN EPISTOLAM AD ALVARUM.

(1) *Quo me serenitas vestra præmonuit.* Hæc serenitatis compellatio, qua non semel utitur auctor ad Alvarum scribens, facit, ut eum nobilem admodum fuisse credam. De ea autem postea in Veremundi regis diplomate dicemus [a].

(2) *Quia propterea.* Eamdem causam vinculorum morum hanc fuisse in superiori epistola retulerat [b]. Alvarus in ejus Vita ab Reccafredo episcopo missum in carcerem tradit Eulogium. Nimirum in idem utrumque recidit. D

IN EPISTOLAM ALVARI.

(1) *Infularum præconiis digna.* Hoc, quantum ego assequi possum, intelligi vult episcopis potius, et summis sacerdotiis dignis doctoribus opus tradi debuisse judicandum. Ipse enim Alvarus laicus (ita loqui consuevimus Christiani) cum esset, ad eum judicium sacrorum operum, quale hoc divi Eulogii erat, pertinere non poterat. Quæ sequuntur in hac periodo, misere fuerunt in veteri codice depravata. Nos quoquomodo potuimus, restituimus.

IN DOCUMENTUM.

(1) *Virginibus sacris Floræ et Mariæ.* Diximus jam Gothorum tempore sanctimoniales feminas variis nominis fuisse compellatas, quod in conciliis Toletanis ostenditur. Inter cætera, sacrarum virginum nomen fuit eisdem tributum. Sed enim non hinc has duas sacras virgines appellat divus Eulogius, cum altera tantum fuerit sanctimonialis ; sed quia martyrio jam destinatæ, tanquam sacræ victimæ, multo justius hoc nomen promerabantur.

(2) *Triumpho adorearum.* Verrius Flaccus seu Festus Pompeius. Adora, laus, quia gloriosum putabant, qui farris copia abundabat. Sed præsertim ea gloria hoc vocabulo postea significabatur, quæ bellicis rebus fuisset comparata. Inde videlicet, quod imperatores re bene gesta, frumenti genere, quod *adoreum* vocant, solerent donari. Plinius lib. XVIII,

[a] Diploma de quo loquitur Morales editum est ab ipso in fine Operum Eulogii, utpote unicum documentum quo nititur historia Vitæ Dominici Saraceni et sociorum, quam jam diximus illum publicasse. Ibi in Schol. num. 13 de compellatione serenitatis hanc apponit notam : *Hæc honorifica compellatio, sicut etiam illæ* : Gloria nostra, Sublimitas nostra, *ab Gothis plane sunt desumpta, ut ex conciliis Toletanis et Gothorum legibus constat. His titulis reges seipsos nominabant, et alii honoris causa ad reges eisdem utebantur.*

[b] Epistola cujus meminit Morales ea est quam scripsit ad episcopum Pampilonensem et nos edimus postscriptam ad Baldegothonem.

cap. 3. Gloriam denique ipsam a farris honore *adoream* appellabant. Et capite octavo eodem libro, meminit publicorum donorum, quæ ex farre constarent. Et divus Eulogius amat plerumque ejusmodi inusitatiora vocabula, quod alibi etiam annotavimus [a].

(3) *Non lector concionatur in pulpito.* Concionari vocat, aliquid in ecclesia aut ex sacris litteris, aut ex sanctis doctoribus et conciliis ad fidelium institutionem legere. Hoc erat proprium lectorum. Nam inter missarum solemnia epistolam subdiaconus, diaconus, quod utrumque nunc etiam fit, Evangelium legebat. Homilias, hoc est, sacras conciones ad populum habere, hoc episcoporum et doctorum tantummodo fuit.

(4) *Verum ad eos veniamus.* Eos nimirum innuit, contra quos primo libro, et seorsum in martyrum Apologetico depugnavit, qui male sanis argumentis retrahere Christianos a publica confessione volebant. Et has duas virgines horum vesanis, ut apparet, monitis lubrico vestigio veluti labantes nutasse, in ipsarum passione, et in epistola ad Alvarum scripsit. Ideo validius confirmandas, et hoc errore fortius extrahendas putavit.

[a] Eadem voce utitur sanctus Ambrosius in lib. de Viduis cap. 4, ubi idem quod Morales, notant monachi Benedictini e congregatione sancti Mauri, nempe quod adorea *præmium erat militare ex farris genere* constans, *quo Romani anno ab Urbe condita* 300 *victitarunt. Unde adorea per tropum pro laude atque honore sumitur, ac potissimum militari.* Sed et Horatius lib. IV Carm., od. 4, hanc vocem usurpat; Plautus in Amphitr. Act. I. Apuleiusque lib. III, qui omnes, præter eos quos Morales citat, argumento sunt, perquam recte Eulogium eo verbo usum fuisse.

III

SCHOLIA IN VITAM ET PASSIONEM SS. VIRGINUM FLORÆ ET MARIÆ

(1) *Ex vico Ausinianos.* Meminit hujus oppidi etiam alibi, nullibi tamen plenius. Nos quod de eo præterea dicere possumus, nihil prorsus habemus. Multa autem seorsum de Floræ martyrio in epistola ad Alvarum secunda commemorat.

(2) *Infra cortem.* Latinum vocabulum probatis auctoribus notum, regum nostratium vetustiora diplomata frequenter usurpant. Significat autem illud patentis loci in domo spatium longius ab habitatione semotum, quod gallinis alendis et aliis hujusmodi usibus sepitur.

(3) *Tuccitanæ urbis.* Non pauca Romanorum monumenta, inscriptique lapides, qui in oppido, quod nunc *Martos* in Bætica, non longe ab urbe *Jaen* vulgò dicta vocamus, plane docent Tuccitanam olim coloniam inibi fuisse: quemadmodum in Hispaniæ antiquitatibus plene docuimus.

(4) *Artemiam nomine.* Præter hos duos filios, habuit etiam Artemia filiam nomine Auream, et ipsam quoque martyrem: de qua in fine libri tertii. Adulphi vero et Joannis martyrium multis modis est celebratissimum. Multæ per Hispaniam ecclesiæ eorum festum diem celebrant. Is est Septembris vicesimus septimus. Usuardi martyrologium eodem die Cordubæ passos fuisse memorat. Inde in Romanum nuper ab Maurolico abbate exauctum, videtur traductum. Ado Viennensis in Gallia præsul eosdem etiam eodem die in suo martyrologio posuit, unde Equilinus episcopus in suo catalogo retulit. Manifestum autem hic ex divo Eulogio est, eos viginti annos et eo amplius hos omnes martyres præcessisse; siquidem initio hujus regis passos commemorat.

(5) *Iterum venio crucifigi.* Verba sunt Christi ad Petrum apostolum, Romam, cum ibi crucis supplicium passus est, venientem: ut in martyrii ejus historia legitur. Quam hinc jam intelligimus esse vetustissimam [a]. Et sacellum hodie etiam Romæ visitur, eo ipso in loco quo Christus est dicens divo Petro apparuit.

(6) *Sicuti jam alibi.* In epistola ad Alvarum, quæ suo loco reddetur, ibi latius hæc omnia perscribuntur. Ibi etiam die vicesimo quarto Septembris occisas fuisse tradit. Annus vero facile astruitur ex epistola ad Pompelonensem episcopum. Cordubensis Ecclesia eodem die festum harum sanctarum celebrat. Usuardi, Romanum exauctum, et Adonis Martyrologia, Equilini etiam antistitis catalogus earumdem meminerunt. Sed desiit hic (am Eulogius hebdomadæ dies nominare, unde indubitata certitudo temporis poterat sequentibus adhiberi. Sed satis ad fidem et historiæ veritatem est sanctum martyrem hæc retulisse.

[a] Vetustissima sane est historia martyrii beati Petri, utpote sæculo Ecclesiæ secundo sub Lini scripta nomine, sed nihilominus ab eruditis tanquam apocrypha rejecta. Ex ea sæculo tertio verba hic ab Eulogio adducta citat Origenes tom, XXI in Joan. pag. 239, edit. Paris. 1604: sæculo quarto Ambros. Serm. contra Auxent. de Basilic. tradend. num. 13, col. 867, tom. II, edit. Paris. 1690: postea pseudo-Hegesipp. Hist. de Excidio Hierorolymitan. urb. lib. II, cap. 2, tom. V Bibliothec. Patr. edit. Lugdun. 1677: sæculo sexto Greg. Magn. in quintum Psalm. pœnit. (qui est 101) v. 2, num. III, tom. III, part. II, col. 512, edit. Paris. 1705. Ea quoque habent Acta sanctorum Processi et Martiniani apud Bollandian. tom. I Julii, die 2, apud quos tom. V Junii legi potest historia illa sancto Lino supposita, melius quam in cæteris qui eam ediderunt, Videas, si placet, hac de re, virum eruditum, Vincentium Alexandrum Constantium cap. 12 App. Monum. ad lib. card. Cortesii de roman. Itin. Gestisque principis apostolor. edit. Romæ 1770.

IV

SCHOLIA IN EPISTOLAS EULOGI

IN EPISTOLAM AD ALVARUM

(1) *Illa vero ut erat.* Hujusmodi piæ commemorationes, quibus frequenter utitur divus Eulogius, quamvis martyrum ardore caleant, tamen in ipso sancti hujus pectore qualis divini amoris ignis exardesceret, satis ostendunt. Flagrat profecto his

perlectis pius animus, sed cum de martyris flamma accensum se videat, majus profecto incendium ex verborum hujuscemodi face subdi sibi persentit: ut auctor de suo prorsus igne ignem in lectorum cordibus videatur ascendere. Esto namque tepide alius absque hoc devotionis fervore hoc ipsum commemoraret; res eædem cum essent, tamen nullam pene in lectorum pectore scintillam excitarent.

(2) *Matutinum et missale sacrificium.* Non facile possit quispiam intelligere, quo pacto in carcere retrusi Christiani missam celebrare, aut ipsi decenti loco et apparatu possent, aut ab impiis custodibus sinerentur. Horarias preces solemni more submissa voce concinnere certe potuere. Verum enimvero Deus optimus maximus piæ suorum devotioni non deerat, et quo pacto consolari seipsos et armare divini sacramenti perceptione possent, benignus providebat [a]. Nam in Documento martyrii plane dixit horarias preces Christianos Ecclesiæ ministros in carcere positos solitos fuisse decantare.

IN EPISTOLAM AD EPISCOPUM PAMPILONENSEM.

(1) *Pampilonensis sedis episcopo.* Verum nomen urbis est Pompelo, ut est apud Strabonem, Plinium, et Ptolomæum. Paulatim autem corruptum in Pampilonam fuit; nos Hispani corruptius adhuc proferimus *Pamplona.* Est autem urbs in Vasconibus Hispanis notissima, regni Navarræ caput et arx munitissima. Strabo, quamvis in plane non scripserit, satis aperte tamen ab Pompeio conditam fuisse dicit, siquidem Pompelonem, quasi Pompeiopolim, hoc est Pompei civitatem dictam docet. Et nomen ipsum urbis suum profecto refert conditorem.

(2) *Olim beatissime papa.* Quantum ex his, quæ paulo post memorat divus Eulogius, colligi potest; apparet hanc ejus peregrinationem in Caroli Calvi regis Francorum initia incidisse. Cæpit autem, mortuo patre imperatore Ludovico, regnare hic Carolus anno Domini octingentesimo quadragesimo, ut in priscis Annonii annalibus habetur. Decem igitur postea annis, aut paulominus hæc epistola scribitur, ut in fine notatur, et in Nunilone et Alodia nos disquisivimus. Unde non immerito *olim* potuit hic dicere, et *quondam* etiam paulo mox dicet. De nomine autem papæ retro jam diximus.

(3) *Ludovicum regem.* Præposita ad hunc modum aspiratione scriptum fuit in exemplari. Quam lectionem ex antiquis monumentis ubique sequitur F. Onufrius Panvinius. Necesse est autem hic Ludovicum Ludovici Pii imperatoris filium Caroli Calvi Francorum regis fratrem nominari. Illi enim moriens pater Germaniam hæreditario nomine reliquit, et postea etiam eidem est in arbitraria divisione post bellum inter fratres confirmata. Auctores A ex antiquis sunt Rhegino Prumiensis, et Annonius annalium scriptores. Unde Paulus Æmilius et Robertus Gaguinus desumpsere. Wolfangus porro Lazius lib. de Gentium migrationibus septimo diplomata etiam hujus Ludovici regis adducit, quæ per hosce annos concessa sint: in quibus se Bajoariæ regem compellat. Ideo Bajoariæ regem hunc divus Eulogius vocat. Est autem Bajoaria corruptum nomen, quo Paulus diaconus et cæteri inde scriptores utuntur. Verum nomen *Bojaria* est a Bojis populis, qui ad Noricum in Germania habitarunt, quorum Cæsar libro primo et septimo, Plinius lib. III, cap. 24 et alibi meminit. Eam suis finibus undique clusam describit Paulus Diaconus lib. Rerum Longobardicarum tertio, cap. 29.

(4) *Et funeroso quondam Wilihelmi.* Nihil prius in hac epistola quam series temporum, et ratio chronologiæ est attendenda. Hinc enim et nihil discors apparebit in Gallorum Historia, quod alio- B qui poterat lectorem diligentem interturbare. Rursus etiam recte sibi constare divum Eulogium, nec discrepans quippiam narrasse apparebit: cum tamen nisi tempora cum rebus gestis ita dilucidentur, diversum quiddam et repugnans sanctus martyr recensere videatur. Temporum autem et rerum gestarum seriem ex his potissimum annalibus Gallorum desumemus, qui sunt cum vita Caroli Magni jampridem Coloniæ excussi. Illorum auctor nomen suum non prodidit: satis autem apparet, sui temporis historiam texuisse: quo pluris est ejus fides et auctoritas facienda. Is igitur anno octingentesimo vigesimo septimo de Ludovico. « Imperator Helysacharem presbyterum et abbatem [b] et cum eo Hildebrandum atque Donatum comites ad motus Hispanicæ Marcæ componendos mittit. Ante quorum adventum Aizo Sarracenorum auxilio fretus, multa ejusdem limitis custodibus adversa intulit, eosque assiduis in- C cursionibus adeo fatigavit, ut quidam illorum relictis, quæ tueri debebant, castellis recederent. Defecit ad eum filius Beronis nomine Willemundus, et alii complures novarum rerum gentilitia levitate cupidi: junctique Sarracenis, Ceritaniam et Vallensem rapinis atque incendiis quotidie infestabant. Cumque ad sedandos ac mitigandos Gothorum atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos Helisachar abbas cum aliis ab imperatore missis, multa et propria industria et sociorum consilio prudenter administraret: Bernardus quoque Barcinonæ comes Ayzonis insidiis, et eorum, qui ad eum defecerant calliditati, ac fraudulentis machinationibus pertinacissime resisteret, atque eorum temerarios conatus irritos efficeret; exercitus a rege Sarracenorum Habdarraghman ad auxilium Ayzoni feren-

[a] *Quia detenti in carceribus confessores* (ait recte Marten de Antiq. Ecclesiæ ritib., lib. I, cap. 3, art. 5), *divinis participare mysteriis una cum aliis Christi fidelibus nequibant: ne tanto munere ac gaudio privarentur, pontificum erat sollicitudinis presbyteros.. cis immittere, qui in carceribus ipsis immolata salutis nostræ hostia, cœlesti convivio eos reficiebant... Quando vero ipsi confessores erant presbyteri aut pontifices, ipsi sibi aliisque in vincula conjectis celebrabant.* Post hæc Martenius subjicit exemplum sancti Luciani, presbyteri Antiocheni et martyris, qui festo Epiphaniæ dicitur supra pectus suum, altari deficiente, sacra mysteria in carcere peregisse, cum ipse jaceret supinus, et ita vulneribus attritus esset, ut vix posset moveri. Quoniam vero nec Eusebius Cæsariensis, nec sancti Patres Hieronymus et Chrysostomus hujus rei meminere, cum de sancto martyre loquerentur, præsertim Chrysostomus, qui ejus laudes egregio encomio celebravit; haud injuria Tillemontius et Ceillerius eam revocarunt in dubium. Ut ut sit, certum est quod Martenius astruxit de presbyteris et episcopis in vincula conjectis, ibique D missam agentibus, quorum exemplo Eulogius utpote omnis ecclesiasticæ disciplinæ callentissimus missale sacrificium, sicuti ait, ad honorem et gloriam sanctarum virginum Floræ et Mariæ in carcere celebravit, post vespertinum matutinumque peractum: id est, ut nos credimus, postquam sanctissimus doctor vesperas et matutinum persolverat: proindeque summo mane sacrum fecit in honorem virginum. Hanc missam quæ matutina vocabatur, præter alios memorat sanctus Gregorius Turonensis libro de Gloria confessorum, cap. 65, ubi refert mulierem quamdam missæ matutinæ interfuisse, in eaque percepisse divinam Eucharistiam.

[b] *Monasterii sancti Maximi prope Treviros*, hic interserit Pagius ad Baron. ann. 827, num. 12, qui Pagius ad ann. 844, num. 11, iterum loquitur de hac seditione Aizoniana: *Incertum est,* idem ait ad ann. 826, num. 7, *quis fuerit hic Aizo, nisi quod ex Annalibus Fuldensibus discimus eum fuisse Gothum: et ex rebus ipsis patet illum familiaritatem habuisse cum populis Ausonensibus, a quibus, etsi astu veteratorio delusis, facile susceptus est.*

dum missus, Cæsaraugusta venisse nuntiatur. Super quem Abumarban regis propinquus dux constitutus, ex persuasione Ayzonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem imperator filium suum Pipinum Aquitaniæ regem cum immodicis Francorum copiis mittens, regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, ni ducum desidia, quos Francorum exercitui præfecerat, tardius quam rerum necessitas postulabat, is, quem ducebant, ad Marcam pervenisset exercitus. Quæ tarditas intantum noxia fuit, ut Abumarban vastatis Barcinonensium et Gerundensium agris, villisque incensis, cunctis etiam, quæ extra urbes invenerat, direptis, cum incolumi exercitu Cæsaraugustam se reciperet, priusquam a nostro exercitu vel videri potuisset. » Et quia tot retro annis hi Guilhelmi [a] motus cœperant, ideo divus Eulogius *quondam* dixit. Intelligo autem bellum, quod tunc seri cœptum fuerat, ad Caroli Calvi regis tempora, dum aliud ex alio germinat, succrevisse. Fratres etiam Eulogii Ludovici tempore in Galliam abierant, ibi usque ad Carolum Calvum ejus filium perstiterant. Hoc Carolo jam regnante Pompelone Eulogius fuit. Aliter temporum, quæ ipse magis innuit, quam signat, ratio constare non potest. Et de Carolo Calvo loqui Eulogium liquet. Is enim ab anno Domini octingentesimo quadragesimo ad octingentesimum septuagesimum octavum regnum Francorum tenuit. Gothiam autem vocat eam Galliæ ad Narbonem partem, quæ quod Gothis fuerat semper subdita, Gallia gothica fuit appellata.

(5) *Sed ipsa iterum, quæ Pampilonem.* Seburici populi sunt, ut hinc et paulo post apparet, in Pyreneis, et inter Vascones computandi. Ab Seburi civitate nomen, ut mox videbimus, habuere. Eorum in antiquis geographis nulla mentio. Longe enim diversi sunt ab Sebusiis seu Sebusianis, quorum Cæsar et Cicero in oratione pro Quintio meminere. Illi ad Narbonem, hi ad occasum longe dissiti fuere. Illi Galliæ, hi erant Hispaniæ. Intellige vero Galliam Comatam, quæ ab comæ nutriendæ studio nomen accepit, cum Seburicis ita conjungi, ut in finibus Hispaniæ ea parte Seburici essent postremi. Aragus enim fluvius totus est Hispanorum. Et ad Aragum Seburim urbem fuisse confestim Eulogius memorat.

(6) *Factionibus comitis Sancii Sancionis.* Comitis hujus nomen Hispanum esse videtur, et illorum plane temporum, in quibus jam apud Navarros et proximos Celtiberos patris cognomen filii retinebant. Inde sunt usitatissima priscis temporibus solemni hoc more cognomina, *Fernandez*, *Rodriguez*, *Gonzalez*, et multa hujusmodi a patre in filium derivata. Sed quis hic Sancio fuerit, aut qua de causa adversus Carolum Calvum rebellaverit, nusquam in priscis Gallorum, aut nostris, aut Aragonensium annalibus legitur. Neque ego quid hic possim dicere aliunde habeo [b].

(7) *Quibus Aragus flumen.* Paululum immutato nomine nunc *Arga* vocatur. Non longe ab Vayona Galliæ urbe prope Azpeletam oppidum oritur. Ut recte ab divo Eulogio dictum sit, in Galliæ ingressu nasci. Inde Pompelonem veniens, infra Lerim oppidum Egam flumen intrat. Unde manifestum est Egam eum esse fluvium quem hic divus Eulogius Cantabrum [c] nominat. Seburis autem urbs ad Aragi ripam et ante Pompelonem profecto, ut hinc apparet, fuit: ejus tamen nec nomen nunc exstat, nec situs, qui fuerit, intelligi potest.

(8) *Legerense monasterium.* Hujus etiam cœnobii meminit in martyrum Apologetico. Nunc vero *San Salvador de Leyre* appellatur, et octavo ab urbe Stella, vigesimo quarto ab Pompelonensi milliario distat. Vidi autem multa priscorum regum Navarræ et Aragonensium monumenta eidem monasterio concessa, qui ibidem servantur, in quibus Legerense monasterium semper nominatur. Et fuerat jam antea ab rege Innigo Arista constructum. Quod in Caroli principis Navarræ historia, et in Aragonensium annalibus legitur. Et inter cætera illud Sancii Majoris diploma in Nunilone et Alodia jam retro appositum, oppidorum meminit, et prædiorum, quibus superiores reges idem cœnobium ditaverant.

(9) *Reliquias tibi.* Alibi jam annotavimus, corpora sanctorum martyrum Zoyli et Aciscli Cordubæ ad hæc usque tempora perdurasse. Quod etiam hinc et ex fine epistolæ astruitur. Nam neque illustrari Pompelonenses, nisi insigni aliqua missa reliquiarum portione poterant, nec basilica aliter ædificanda, quod postea fit, peteretur. Neque pleno dono ditare episcopum Eulogius potuit, nisi horum martyrum corpora integra pene Cordubæ haberentur. Fuit autem sanctus Zoylus Romanorum imperatorum tempore martyrium Cordubæ perpessus. Puteus nunc religiose suspicitur. in quem pars viscerum ejus projecta fuisse memoratur. Ejus corpus Agapio Cordubensi episcopo Gothorum regum tempore fuit revelatum. Unde etiam translationis ejus festum celebratur. Carrionem demum multis post Eulogium annis (quemadmodum in Felice Complutensi martyre diximus) fuit translatum.

(10) *Cæsaraugustam perveni.* Hujus urbis magna nunc est celebritas, et ejus Plinius, Ptolomæus, Antoninus, et alii meminerunt. Cum *Salduba* antea prisco et Hispano nomine diceretur, ab Augusto Cæsare facta colonia, nomen accepit. Quod ipsum cum cæteris ejus urbis antiquitatibus egregie ut alia omnia, Hieronymus Zurita indidem civi, in suis Aragonensium annalibus persequitur. Neque tam ea commentatione patriam suam illustrat, quam quod tam inclyto alumno possit gloriari. Suavissimum namque ingenium, judicium in litteris rarum, Latinæ et Græcæ linguæ singularis cognitio, peritia totius antiquitatis insignis, egregia in scribenda suorum historia laus, et diu in magnis negotiis probata prudentia dignissimum effecere, ut Philippus rex catholicus summi in sacro Inquisitionis senatu secretarii, ut vocant, munere virum gravissimum exornaret, postquam jam pridem ab suis Aragonensibus publici historici provinciam publico regni totius decreto accepisset. Ego etiam jure optimo glorior, magnam mihi cum illo multis jam annis et benevolentiam et familiaritatem intercedere, historiæque meæ, et hujus etiam ex parte laboris censorem ab regio senatu mihi tributum ; ut merito possint jam

[a] Bene notat post Baron. Marcam et Pagium sæpe laudatus Henric. Florez. tom. XXIX Hisp. sacr., tract. 65, cap. 5, num. 25, Moralem confundisse hunc Guillielmum, seu Wilihelmum, ut eum nominat Eulogius, filium Bernardi comitis Barchinonensis cum Wiliemundo Beræ etiam comitis filio. De motibus Wiliemundi ad partes Ayzonis deflectentis loquitur annalista Eginhardus, cujus nomen ignoravit Morales ; Eulogius vero de rebellione Guillielmi adversus Carolum regem, quæ post annum 844, quo ejus parentem Bernardum occidit Carolus, exorta est ; cum Ayzonis insurrectio ann. 826 et 827 contigerit. Demum Guillielmus Ampuriis et Barchinona captis interficitur anno 850, ob idque Eulogius circa finem anni sequentis 851 ad episcopum Pampilonensem scribens aiebat, quod funeroso *quondam* Wilihelmi incursu tota Gothia perturbata erat : nimirum loquitur de anno 848, quo iter suum fecit, et quo seditio Guillielmi effervescebat.

[b] Sancius hic est primus dux Vasconiæ Hispanæ, germanus frater Aznarii seu Asenarii ducis Vasconiæ Gallicæ, cui etiam in hujus dominatione successit ab anno 836, quo *morte horribili Asenarius interiit*, ut inquiunt Annales Bertiniani, ad annum 864. Videsis Emmanuelem Risco tom. XXXII, Hisp, sacr., tract. 68, cap. 4, § 7, num. 3, § 8, num. 13. et cap. 18, num. 3 et seqq.

[c] Egam minime esse, sed Iberum fluvium hic nominatum Cantabrum ab Eulogio, idem auctor monet tom. XXXI, tract. 67, num. 185.

mihi quæ scripsi, cum tanto viro placuerint, non A displicere.

(11) *Complutum descendi.* Recto itinere Cæsaraugusta Cordubam proficiscentibus Segoncia primum, inde Complutum. Toletum tandem est pertranseundum. Segonciæ nomen in Tito Livio non semel legitur. Strabo etiam et Plinius ejus urbis meminere. Nunc immutato pausliper nomine *Siguenza* dicitur, cui suus episcopus dominatur. Insignisque est eo præsertim titulo cathedralis ecclesia, quod sanctæ Liberatæ corpore et magnificentissimo tumulo illustratur. Altera fuit Segoncia in Bætica versus fretum Plinio nominata. Visuntur ejus ruinæ non longe ab Lethæi fluminis ripa, hodieque *Guisgonza* loco nomen est. Complutum id plane oppidum esse, quod nunc *Alcala de Henares* appellatur, in quo nos hæc commentamur, multis iisque gravibus testimoniis astruximus in opere, quod de sanctis martyribus Justo et Pastore superioribus annis evulgavimus. Hinc autem, cum B episcopum etiam hoc oppidum adhuc tempore divi Eulogii haberet, maxime probatur id quod nos etiam ibi contendimus, sanctam illam basilicam, qua divorum Justi et Pastoris corpora olim condita fuerant, semper Christianorum fuisse, neque eis ab Mauris fuisse ademptam. Quoniam vero divus Urbicius pio furto eadem corpora Oscam jam hoc tempore asportaverat; ideo divus Eulogius ipsorum hic non meminit [a] procul dubio, si adforent, non prætermissurus : supplici veneratione eadem sancta corpora reveritus, suæ quoque devotionis participem Wiliesindum effecisset.

(12) *Post quintum diem Toletum reverti.* Reverti, inquit, quia Corduba primum egressus, illac quoque iter fecerat. Quintum diem memorat, vel ab eo, quo Segoncia fuerat profectus, vel ab eo, quo Complutum intraverat. Aliqui Compluto Toletum bidui iter tantummodo est. Toletum vero urbs Hispaniæ celeberrima non semel ab Tito Livio nominata, ab Plinio et Ptolomæo memoratur. De qua, ut de Carthagine Sallustius, præstiterit nihil hic, quam pauca referre. Cum præsertim suo loco, in Hispaniæ nimirum antiquitatibus, multa fuerimus exsecuti.

(13) *Wistremirum episcopum.* Ingenti gloriæ Toletanis Mozarabibus Christianis profecto fuit, talem ac tantum virum hoc tempore episcopum habuisse : sed Cordubensibus meis inde etiam multum præstantissimæ laudis derivatur, divum videlicet Eulogium eodem ipso tempore habuisse, qui multorum episcoporum suffragio et Toletani populi sanctis studiis dignus haberetur, qui Wistremiro (quali, bone Deus! antistiti) succederet. Idque circumspecto judicio et matura deliberatione factum prorsus est : cum ex hac apud se commoratione Toletana Mozarabum Ecclesia nobili experimento didicisset, quem virum dignis studiis et populi voluntate requireret. Debet autem sancta Ecclesia Toletana plurimum divo Eulogio, quod sanctissimi præsulis hic memoriam conservaverit : Alvaro itidem Cordubensi, qui ad hoc usque sæculum nostrum notitiam electi antistitis transmiserit, qui martyr esse tandem promeruerit. At vero cum *hactenus* dicat Eulogius, intelligere licet, eo ipso anno, quo scripta hæc fuit epistola, vivere adhuc Wistremirum archiepiscopum. Itaque sequentibus annis electum fuisse divum Eulogium Toletanum antistitem, hoc est, martyrio suo propiorem, manifesto deprehendimus [b].

(14) *Quem sæva tyranni indignatio.* Quemadmodum primo libro vidimus, Habdarraghman rex quoscunque Mozarabes Christianos, qui muneribus publicis fungebantur, aut sibi in palatio quaqua ratione inserviebant (quorum non erat exiguus numerus) magistratibus privari, palatio ejici, annonis regiis carere præcepit. Inter hos Joseph quoque divi Eulogii frater, ut apparet fuerat mulctatus. Hoc profecto vocat a principatu dejici, ad sanctum Joseph patriarcham, Ægyptiorum olim principatum vicarium obtinentem, alludens. Quem enim alium principatum potest in misera Mozarabum Christianorum servitute innuere ?

(15) *Christicolæ principis tueri meremini dominio.* Carolus magnus imperator, Caroli Calvi, qui nunc regnabat, avus Pompelonem Mauris jam pridem ademerat, et aliquoties rebellantem ipse et Ludovicus Pius ejus filius restituerant. Qua de re innominati illius auctoris annales ita habent. « Anno septingentesimo septuagesimo octavo imperator Carolus Magnus Pompelonem Navarrorum oppidum aggressus, in deditionem accepit. Et paulo post : Pompelonem revertitur. » Cujus murum, ne rebellare posset, ad solum usque destruxit. Et anno octingentesimo sexto. « In Hispania vero Navarri et Pompelonenses, qui superioribus annis ad Sarracenos defecerant, in fidem recepti sunt. » Et anno octingentesimo vigesimo quarto jam sub Ludovico Caroli Magni filio imperatore et Gallo- C rum rege. « Æblus et Asinarius comites cum copiis Vasconum ad Pompelonem missi : cum peracto jam sibi injuncto negotio reverterentur. » etc. Ubi manifeste apparet Pompelonem recuperatam hac expeditione, si forte defecerat ; sin minus pacatam in tumultu, si quis fuerat exortus, fuisse.

(16) *Galindo Enniconis.* Hic Galindo Iniguez aut Navarrus, ut vulgaribus nominibus utar, aut Aragonensis fuit. Nam in utrisque gentis priscis annalibus Galindi nomen, et inde ductum cognomen sæpe in proceribus legitur. Hieronymi Zuritæ annales libro primo non semel testantur. In antiquis etiam regum vetustissimorum diplomatibus Galindi nomen inter cæteros proceres reperitur. Ex his mihi sequentia videri contigit. Æra DCCCXIX, hoc est, anno Domini octingentesimo octuagesimo [c] primo, die Aprilis vigesima secunda, Hordonius rex hujus nominis secundus cum Gelvira uxore donaria quamplurima auro et argento pretiosa, item vicos et alia Ecclesiæ Compostellanæ, ubi divi Jacobi corpus est tumulatum, dedere. Subscribit et confirmat inter cæteros proceres *Galindus*. Item Geloyra regina, Veremundi regis

[a] Pium hoc furtum divi Urbicii quod late refert Morales in opere cujus meminit, de sanctis martyribus Justo et Pastore quod evulgavit Compluti anno 1568 : recte impugnatur ab Henrico Florezio tom. VII, Hisp. sacr., tract. 13, cap. 5.

[b] Creditur, ut alibi dicemus, Wistremirum vixisse usque ad finem anni 858, quo desinente, vel ineunte sequenti Eulogius electus, obviantium rerum, ut Alvarus ait, adversitate impeditus non potuit consecrari. Cumque demum eo ipso anno 859, die Martii undecima, decollatus pro Christo fuerit, abs dubio ante consecrationem obiit.

[c] Quod æra 819 sit annus 881 nemo non videt mendum esse immane quod Morales correxit in erratorum catalogo, assignans æram 919 quæ illi respondet anno. Sed quod eo jam fuisset nupta Ordonio Gelvira, plus habet difficultatis quam videtur credidisse Ambrosium. Quoqu o anno statuatur matrimonium contraxisse parentes Ordonii, cum illius celebratio posterior esse debeat anno 867 et aliunde Ordonius natus non fuerit ante annum 870 utpote filius secundogenitus, manifeste patet uxorem eum minime ducere potuisse anno 881. Quamvis autem indubiæ fidei fuerit (quod merito ambigitur) scriptura hujus regis quam exhibent Sandovalius et Yepesius, ille in tractatu Cœnobii sancti Petri *de Montes*, fol. 21, hic in tom. II Chron. Scriptura 14, quæ anno 898, die 27 Aprilis jam natos commemorat quinque filios Ordonii ; nemo, cum aberret, affirmabit regis matrimonium præcesisse annum. 890 ut videre est apud omnes qui hocce argumentum pertractant. Crediderim in diplomate Ordonii æræ numerum sic esse DCCCCXLIX (949), Moralemque errore apud eum frequentissimo non attendisse ad valorem hujus notulæ XL.

secundi, ut ipsa de se inquit, uxor. Alfonsi quinti mater, die Augusti decima octava æra MLV, hoc est, anno Domini millesimo decimo septimo, eidem Ecclesiæ plurima donavit. Inter cæteros præsules subscripsit et confirmat *Galindus abbas*. Et his omnibus magis amplum est Froylæ regis Alfonsi quarti patris diploma vigesimo quinto Octobris æra DCCCL, hoc est anno Domini nongentesimo duodecimo eidem Ecclesiæ concessum, in quo cum cæteris proceribus *Galindus* etiam confirmat. Quæ tria diplomata in archivo ejusdem sanctæ Ecclesiæ asservantur. Libuit autem hic hæc congessisse, ut nobilis hujus apud nos familiæ, cui *Galindo* seu *Galindez* cognomen est, antiquitas certis testimoniis astrueretur. Cum autem et hoc loco, et paulo post in exemplari *Galindo* in nominativo fuisset scriptum ; in fine denuo *Galindum* in accusativo habuit.

(17) *Eorum beatæ memoriæ construendo Basilicam.* Usitato tempore divi Augustini vocabulo, quo et ipse, et alii nonnulli utuntur *Memoria martyrum*, locus dicebatur, ubi martyres colebantur. Hic diverso aliquantulum sensu, consueto nimirum et vulgari, ponitur. Videtur autem divus Eulogius ex concilii Africani seu Carthaginensis quinti decreto hoc ipsum deposcere. Ejus hæc sunt verba : « Item placuit, ut altaria quæ passim per agros, aut vias, tanquam memoriæ martyrum constituuntur, ut quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur. » Et paulo post : « Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. »

V.

SCHOLIA IN LIBRUM APOLOGETICUM

(1) *Quod fraterno cruore.* Adverte receptam illorum temporum fuisse opinionem, sanctum latronem fratrem interemisse. Nam aliis etiam locis hoc ipsum divus Eulogius innuit [a].

(2) *Et apud Legerense cœnobium.* Hujus monasterii meminit etiam in epistola ad Pompelonensem episcopum, ubi nos de ipso, et de urbe plura dicemus : perdurat enim adhuc incolume.

(3) *Exortus est namque Mahomat.* Annus Heraclii imperatoris septimus idem fuit Jesu Christi Domini nostri sexcentesimus decimus septimus. Annus æræ hic notatus annum unum superadjicit. Neque ulla tamen est repugnantia. Nam unius anni discrimen inde potuit provenire, quod unus Heraclii annos emergentes, ut aiunt, alius computet usuales. Sed non est hujus loci hæc exquisitius rimari. Hæc autem quæ de Mahometi initiis, progressibus, et fine ex eo codice Legerensis cœnobii Eulogius se refert habuisse, iisdem verbis leguntur in parvulo, eademque vetustissimo codice litteris Gothicis in membrana descripto, qui est in bibliotheca hujus nostræ academiæ Complutensis, quanquam abscissum folium aliquot lineas in principio abstulit. Exemplar etiam conciliorum ante sexcentos annos scriptum, quod ex monasterio sancti Æmiliani *de la Cogolla* in regium divi Laurentii *del Escurial* advectum est, eamdem hanc habet historiam.

(4) *Ecclesia beati Euphrasii.* Divus Euphrasius unus ex septem episcopis fuit, quos primos Petrus et Paulus apostoli Roma in Hispaniam miserunt. Multi divi Jacobi Zebedæi apostoli discipulos fuisse tradunt. Ego in hoc ex probatis auctoribus nihil compertum habeo. Quod potui in nostra historia pervestigavi. Illud omnes affirmant Hispanorumque Ecclesiæ ferme omnes in Matutinis legunt divum Euphrasium Iliturgi et prædicasse, et obiisse. Fuit autem Iliturgi oppidum ad Bætim fluvium supra Cordubam, cujus Livius, Polybius, Strabo, Plinius, et Ptolomæus meminerunt. Eo autem loco situm fuisse Plinius memorat, ut credi recte possit, eodem situ, aut non longe collocatum fuisse, quo urbem nunc, *Andujar* dictam, esse videmus. De quo latius nos in nostris Hispaniæ antiquitatibus disseruimus. Illud hic operæ pretium fuit advertere, tempore etiam Gothorum, hujus divi beatum corpus cum templo eidem dicato ibidem permansisse. Nunc nec aliqua saltem in ea civitate ejus memoria retinetur. Juxta opulentum illud divi Benedicti cœnobium *Samos* appellatum, de quo plura in Cordubensibus dicemus antiquitatibus, hujus divi corpus in oppidulo dicitur asservari. Et sepulcrum quidem magna religione vidimus ab accolis venerari.

(5) *Toleto quoque.* Rudericus Toletanus, et Lucas Tudensis, atque alii rerum nostratium auctores hujus templi stucturam ab hoc rege cœptam, et miro opere, ita enim scribunt, perfectam celebrant. Et sequentibus deinceps temporibus, neque antea unquam, concilia in eo templo celebrata fuisse videmus. Creditur autem hoc ipsum esse templum sanctæ Leocadiæ, quod extra urbem hodie perdurat non longe ab flumine Tago. Nam duo alia ejus divæ intra orbem visuntur.

(6) *Qui ridiculum potius.* Iisdem verbis libro primo usus divus Eulogius fuerat. De illo autem Sarracenorum ex turribus clamore, de quo paulo post divus Eulogius, mentionem etiam Indiculi luminosi auctor fecit.

(7) *Igitur beatus Rudericus. Rudericus* verum est nomen, quod in *Rodriguì* nos Hispani corrupimus. Nam nummum aureum Ruderici ultimi Gothorum regis vidi, qui cum ejus vultu has in orbem litteras habuit inscriptas : *In. Dei. nomine. Rudericus, rex.* Et parte aversa circum crucem. *Ægitania Pius.* In antiquissimis libris manuscriptis semper *Rudericus* legitur. Ruderici archiepiscopi Toletani subscriptiones autographas nonnullas in publicis archivis per totam hanc Metropolitanam Toleti ditionem vidimus, ubi *Rudericum* se, non *Rodericum* nominat.

(8) *Quæ signorum gestamina erant.* Mirum est Arabes hujusmodi ænea cymbala in templis Christianorum ante hanc direptionem permisisse, qui alia multo magis impietati suæ tolerabiliora, ut apud hunc auctorem cernimus, vetarent. Petrio antea redemptum hoc ipsum, et tributo imposito donatum crediderim ; nunc vero impietatem cum avaritia certantem vicisse. Et de cymbalo ejus temporis, quod hodie perdurat, suo loco diximus [b].

(9) *Ad vicem exquisiti muneris.* Hæc verba quem sensum habere possint, nec divinando assequi possum, nec quomodo emendari possint succurrit.

(10) *Qui dicipulum in carcere.* Hoc ideo dicit, quia divus Joannes Baptista cum jam in vinculis positus discipulos suos ad Dominum Jesum misisset,

[a] Bene hic Schottus : In num. 3, cap. 17, lib. II *Memorial. sanct.* non *fratricidam* sed *patricidam* sanctum latronem Eulogius appellat.

[b] Schol in lib, I Memor, num. 9.

hæc ipsa verba eidem quem hic discipulum appellat, nuntiare jubentur.

(11) *Hæc sunt, diabole.* Verba esse videntur Ruderici dæmoni insultantis. Deesse vero aliquid videtur, quo hæc ab illo dici significaretur. Alioqui pro subito irrumpens, constare non potuit.

(12) *Ordine et natione dissimiles.* Non dubito, quin desint etiam aliqua, quæ de patria et vitæ instituto Salomonis tradiderat. Nam qui potuit nunc Eulogius hæc referre, nisi securus se jam necessaria, ut hæc intelligi possent, retulisse?

(13) *Et super crepidinem alvei.* Hinc perspicue intelligitur, forum ad Bætis littus fuisse. Nam cum in forum essent hi duo martyres, ut occiderentur, deducti, ad ripam decollantur. Et divi Eulogii cadaver in alveum fluminis præcipitatum non longe ab arce, ut in ejus vita annotavimus, jacuit. Ante arcem platea haud dubie forum habuit et tribunal, ut ibidem dictum est.

A (14) *Ac propius quam cætera turba.* Hæc erat sancta divi Eulogii audacia, hæc digna futuro martyre magnanimitas. Cum cæteri Christiani infidelibus immisti se continerent, ne mortis periculum adirent, si ad contemplanda martyrum cadavera propius accederent; ipse unus, contempto mortis metu, Deum in sanctis suis laudaturus, turba se eximens ad patibulum ferme ipsum progreditur. Satis vero apparet quantum discrimen illa ejus adirent fortia vestigia, cum Arabes adstarent, nomini Christiano et martyrum gloriæ tanto opere infensi, ut (quod sequitur) etiam minutulis eorum sanguinis guttis irascerentur.

(15) *In pelago.* Ita fuit in veteri: et quamvis credam fluvii aquam qualecumque significare, non tamen tacebo, quod ea Bætis pars, quæ a solis porta aut paulo superius ad pontem aut paulo inferius, hoc est, ad arcem, veteris urbis mœnia, ut suo loco diceemus, aluit, peculiari nomine nunc vocatur *pelagus*. Et cum ex re ipsa hoc nomen inditum, aut potius adaptatum fuerit; quia nimirum toto eo tractu flumen ipsum laxius stagnet, et in pelagi formam protendatur credi facile potest eodem etiam tempore ita fuisse nuncupatam, proprioque nomine hic divum Eulogium usum fuisse.

(16) *Apud viculum Tertio.* Et vici et monasterii meminit Alvarus in divi Eulogis Vita: et idem divus alibi non semel. Sunt autem Genesii duo, martyres ambo in Dei Ecclesia perceleberes: Romanus alter, alter Arelatensis, utriusque martyrium uno eodemque die, hoc est Augusti 25 recolitur.

(17) *Et quia defectus solis.* Assurgere tentat hoc loco oratio, et pectus illud divi Eulogii Deo plenum, et sanctorum gloriæ cupidissimum, interna devotione instinctum, ferventibus prorumpit. Nec deest eloquentiæ nativa vis, sed verbis, quod fuit temporis destituitur, et modo, quod fuit regionis, caret.

B (18) *Et inclytus papa.* Aliquot etiam retro sæculis papæ nomen, quod patrem significat, episcopis quibusque jam commune fuerat. Prudentius ad Valerianum episcopum scribens in Hyppolyti martyris passione. *Rorantes saxorum apices vidi, optime papa.* Et multæ Sidonii Apollinaris epistolæ episcopis scriptæ hunc titulum præferunt. Postea usus tenuit, ut hoc nomen summo Pontifici Romano totius Ecclesiæ Christianæ capiti solummodo per antonomasiam quamdam tribueretur.

(19) *Æra* DCCCXCV. Octogesima quinta fuit in veteri, sed perperam profecto. Æra enim nonagesima quinta fuit notanda, quandoquidem Mahomad rege regnante, quod supra dixerat, interfecti sunt hi duo martyres, qui postremi omnium passi hoc tempore ante Eulogium videntur, anno Domini octingentesimo quinquagesimo septimo.

EPISTOLÆ DEDICATORIÆ

EDITIONI AMBROSII MORALIS PRÆFIXÆ.

I.

PHILIPPO secundo regi catholico regum omnium maximo et potentissimo, PETRUS PONTIUS LEONIS a Corduba, episcopus Placentinus, summus per ejus regna et ditiones fidei Christianæ Inquisitor, salutem et veram felicitatem.

Inter multas præclaras, Christianoque principe dignissimas virtutes, quibus catholici cognomen et merito retines et perpetuo tueris, Philippe Maxime, illud unum cum ingenti lætitia et vere cœlesti gaudio Hispani tui suspicimus, et semper recolimus, quod inter gravissimas tot regnorum regendorum curas, belli pacisque varias sollicitudines, nostratium sanctorum gloriæ et veneratione semper studes, incensaque in ipsos devotione, eo mira providentia magnoque sumptu jugiter incumbis. Et longum sit hujus tuæ in Hispanos divos religionis et observantiæ testimonia celebrare. Pauca percurram. Magnificentissime transferendis illorum corporibus, et qua decentia sepulti ubique sint, quaque veneratione eorum cultus vigeat, missa etiam ad id ipsum legatione pientissima, perquirendo et intelligendo, publicam etiam inter divos relationem ab summo pontifice expetendo, hanc pietatis tuæ partem abunde testaris. Illud vero unum in hoc genere prætcrea est, quod ego præsertim admiror, et publicæ utilitatis ergo exsultanter reputo. Scripta Hispanorum sanctorum diligenter undique conquisita, et ex misera oblivione extracta, ut integra, emendata, scholiis aucta, et debito suo nitori restituta in vulgus exeant, non solum cupis et jubes; sed eruditissimis hominibus ea cura semel jam de- C mandata, Majestas tamen tua neque providentiæ neque liberalitati interim parcit. Quæ in tanta celsitudine insignis religio et pientissimæ providentiæ voluntas vel eo magis me delectat, et ut inde gratias Deo Optimo Maximo ingentes referam cogit, quod eodem ego jam olim desiderio flagraverim, sanctorum nostratium multa scripta undique ex vetustis bibliothecis congregaverim, et munus tandem hoc, quod hic supplex offero, sacro isto tuæ Majestatis studio et sancta propensione dignissimum comparaverim. Divi enim Eulogio Cordubensis martyris, doctoris, et electi archiepiscopi Toletani opera nunc primum in lucem eruta tibi (princeps sanctorum Hispanorum et hac præsertim ex parte amantissime) offerimus, quæ non dubito quin futura sint gratissima. Unum enim tantummodo martyris nomen auditum, scio quam Majestati tuæ futurum sit jucundum et venerandum. Quid si paulisper libeat recolere martyris ardorem in his suis D scriptis mirifice expressum? Quid si ipsummet redivivum, loquentem, docentem, adhortantem ad te venire reputes? Quid si delituisse per septingentos et eo amplius annos hæc martyris opera, spemque omnem pene ablatam earum reperiendorum fuisse cogites? Ea præterea, quæ his sanctissimi martyris scriptis continentur, ejusmodi sunt, ut ab quovis homine scripta plurimi profecto fierent, et magni cujusdam thesauri loco inventa haberentur. Etenim quinquaginta ferme nostratium martyrum vitas et passiones, quorum aliunde præter nomen nihil ferme habebamus, ab Hispano homine qui ipse pene omnibus interfuerit, luculenter scriptas et plene traditas, quanti inter Hispanos fieri æquum fuerit? Martyr

præterea de martyribus, martyrii doctor de discipulis martyribus testis oculatus scripsit. Hæc ut nemo digne possit æstimare, ita te, principem vere catholicum, vere augustissimum, et in hoc ipsum studio et religiosa cura incumbentem, grato animo, uti decet, excepturum et veneraturum aperte intelligimus. Et reliqua quidem divi Eulogii, præter martyrum historiam, opera, ejusmodi esse lector plane intelliget, ut præterquam quod historiæ ejusdem maxima sunt adminicula, flagrantissimum martyris pectus undique spirare, et vivam quodammodo ejus imaginem exprimere videat. Hic vero thesaurus ideo mihi divina benignitate videtur ostensus, ut Cordubensis civis Cordubensem martyrem invenirem, Majestatique tuum oblatum meæ civitati et orbi Christiano sub tuo nomine felicius communicarem. Codicem horum operum miræ vetustatis, et divo martyri, ut credi potest coetaneum Gothicis litteris in membrana descriptum ex bibliotheca sanctæ Ovetensis Ecclesiæ habuimus, quo nimirum cum sancto ejusdem martyris corpore Corduba, non multo post ipsum coronatum, fuerat delatus. Quo nomine sanctæ eidem Ecclesiæ plurimum debet Hispania, cum opulentissimum thesaurum per sexcentas et eo amplius annos servaverit, et nunc opportuno tempore benigne mihi, et per me omnibus communicaverit. Verum ut alia omnia Cordubenses civi nostro sanctissimo præstaremus, opportune præsto fuit Ambrosius Morales Cordubensis, tuus, rex potentissime, historicus, qui divi Eulogii opera omni ex parte illustraret, et scholiis plane necessariis locupletaret. Idem etiam quædam de aliis Cordubensibus martyribus paulo post tempore ob Christi fidem interfectis, nova, et nunc primum adinventa, superaddidit. Accipe igitur, Philippe regum maxime, divum Eulogium vere tuum, in Hispania tua natum, edoctum, martyrum ibidem doctorem et incentorem, ac demum martyrem.

II.

Idem dominus Petrus Pontius Ecclesiæ civitatique Cordubensi bene in Domino valere, martyrum suorum gloriam digne suscipere, et ipsorum patrocinio invocantes, digne perfrui.

Quanquam studia nostra omnia, et diutinos in litteris impensos labores, dignitatis, in quam me immerentem Dei benignitas evexit, et muneris injuncti ratio suo jure assidue vendicent; nos tamen in divorum Hispanorum scripta pervestiganda et illustranda vehementer propensi, partem aliquam studiorum nostrorum, curam etiam et diligentiam eo semper libenter contulimus. Cumque divi Benedicti per Hispaniam monasteria propter insignem vetustatem hujusmodi opibus ditissima esse reputarem; tum etiam sanctam Ovetensem Ecclesiam iisdem in primis locupletem esse semper existimavi. In misera enim Hispaniæ nostræ Gothorum tempore vastatione, fugientibus nostris, et tutiora loca petentibus, eo convectos pariter cum sanctorum reliquiis libros etiam quamplurimos memineram. Utrobique igitur priscos nostrorum auctorum, et sanctorum præsertim codices per annos aliquot indagare summa industria et diligentia curavimus. Nec defuit studio huic nostro felicissimus eventus; piamque sedulitatem benigne Deus juvit, atque provexit. Nam præterquamquod multa in sacris nostratibus conciliis scitu dignissima, neque tamen unquam antea visa invenimus, commentaria etiam in sacros libros egregia nonnulla sumus assecuti. Unus tamen divus Eulogius a nobis hac indagine repertus, omnem nostrum laborem, tametsi multo major fuisset impensus, abunde profecto compensasset. Quis enim sperare saltem auderet, tanto se thesauro beandum? Audieram ego sane, et alicubi legeram, hujus divi nomen; et quæ scripsisset tenui quadam memoria tantum veluti olfeceram: sed nec votis quidem concipere poteram, me cujus aliquando scripta adepturum. Et cum nullum alium mihi dari mallem, de

A nullo tamen minus cogitabam. Tanti igitur thesauri compos tandem factus, Deo Optimo Maximo in primis gratias agebam, qui mihi homini Cordubensi Cordubensis divi scripta sanctissima, et in his tot Cordubensium martyrum triumphos nunquam speranti et minime reputanti repente obtulisset. Sed enim quamvis scripta ipsa per sese erant dignissima, quæ multis de causis plurimi fierent; me tamen illa vehementer commovit, quod præstantissimam alioqui civitatis nostræ gloriam, hinc mirum in modum augeri videbam: donumque etiam hinc me habere, quod digne ego eidem tribuerem, quodque illa libentissime acciperet, magno opere gaudebam. Nam præterquam quod Cordubæ natus, educatus, et primis litterarum rudimentis Latinæque linguæ cognitione institutus, tantum eidem me debere intelligo, quantum patriæ clarissimæ quisquam unquam potuit: quod etiam paterna stirpe totus ex primo urbis Maurorum tem-
B poribus expugnatore progredior, nescio quo majoris charitatis et propensissimi affectus incitatione in ipsam semper feror, et cujus gloria mirifice recreor. Gratias deinde sanctæ quoque Ovetensi Ecclesiæ, quas potui persolvi, quæ has nobis divitias per tot sæcula conservavisset, et mecum nunc easdem libenter communicasset. Verum enim vero quoniam nos Cordubæ nostræ laus et gloria impensius sollicitabat, ne diutius hoc illam ejus incremento carere permitterem; edendi cupidus operam dedi, ut quamprimum exemplar ipsum, quod mihi Ovetenses benigne commodaverant, describeretur. Id magno nobis et domesticis nostris labore constitit. Gothicis enim litteris scriptum cum esset, nisi longo usu legi multa non poterant. Adde incredibilem codicis vetustatem, qui cum aliis, quos ante sexcentos pene annos scriptos fuisse constabat, collatus, paucis retro annis illi prorsus scripti fuisse videbantur. Tanta erat vetustas, et priscorum
C characterum, atque membranæ et ipsius etiam compaginationis manifesta differentia, quod quemadmodum ad codicis fidem et auctoritatem multum habuit momenti, ita ad describendum ingentem attulit difficultatem. Itaque desperantibus aliquando domesticis nostris, quibus eam curam et operam demandaveramus, nos ipsi suppetias in præclaro labore attulimus, et nostra manu nonnulla, in quibus ipsi hærebant, descripsimus. Et quemadmodum hunc laborem libenter nos ipsi suscepimus, ita etiam illum alterum multo majorem emendandi, et scholiis illustrandi revera non subterfugissemus, nisi nos pastoralis cura, et Ecclesiæ nostræ Placentinæ, cui nos, et si indignos præesse Dominus voluit, varia negotia distinerint ac præpedirent, et nisi vicariam operam in hac parte Ambrosius Morales civis noster et Corduba dignus, idemque regius Philippi secundi, domini nostri, historicus præstitisset. Is, quo est in divorum His-
D panorum vitas et res gestas illustrandas studio et diligentia, hunc laborem non impar suscepit; qua vero est in Cordubam nostram charitate, avide amplexus est. Ut totum hoc, quidquid hic est, est autem permaximum dignitatis et gloriæ Cordubensis incrementum, non alii eidem quam Cordubenses tribuerent. Divus Eulogius primum seipsum dedit, nobilitate, doctrina, labore vere Christiano, scriptis libris, memoria nostratium martyrum conservata et demum suo martyrio præstantissimum. Nos ejus scripta ex perpetuæ oblivionis tenebris eruimus, et nunc in lucem damus: quod Dei munere nobis contigisse et pie credimus, et magno opere lætamur. Noster Ambrosius, quod totus liber ubique declarabit, ut emendatiora, locupletiora, et magis perspicua sancti martyris opera ederentur, nullum laborem recusavit. Vestrum erit, sacerdotes gravissimi, Patres reipublicæ nostræ amantissimi, munus hoc nostrum ad veram Cordubæ communis patriæ gloriam comparatum, benevolo et læto animo suscipere: sanctorum martyrum vestratium gloriam pene redivivam jucundissime recolere, et jugi semper ve-

neratione revereri: Dominum in ipsis assidue laudare, ipsorum exemplis insistere, patrocinia subinde implorare et promereri, eximiamque hanc nostræ civitatis laudem, ac vere cœlestem præstantiam digno cultu et Christianis obsequiis semper magnificare. Ita demum fiet, ut et vos hinc magnum religionis fructum, pietatisque emolumentum capiatis; nosque nostro hoc munere, digno illo equidem per sese, majus tamen aliquid, Deo bene fortunante, tribuisse lætemur. Valete, viri præstantissimi, clarissimæ urbis cives dignissimi.

III.

Illustrissimo ac reverendissimo domino PETRO PONTIO LEONIS a Corduba, episcopo Placentino, summo Christianæ fidei per regna et ditiones Philippi secundi regis catholici Inquisitori, divinæ legis et sacrorum canonum consultissimo, humaniorum studiorum amantissimo, AMBROSIUS MORALES Cordubensis, regius historicus, salutem plurimam reverenter dicit.

Permultum tibi, præsul illustrissime, multis nominibus se debere Corduba nostra semper fatebitur. Cum enim ejus gloria, quæ quamplurimis naturæ bonis extollitur, civium tamen clarissimorum multitudine et singulari celebritate majorem in modum præcellit, præclara semper et sublimis exstiterit; amplitudo tua suo splendore, morum sanctitate, doctrina, et celsis magnarum virtutum meritis, ut maxime hoc nostro tempore sit inclyta, perfecit. Eum namque te civem præstitisti, qui patriæ clarissimæ, et magnorum virorum fecundissimæ eximio decori et ornamento esse possis. Ut enim nobilitatem tuam, et generis claritatem prætercam (quanquam quidquid pene claritatis in duabus magnificentissimis civitatibus Cordubensi scilicet et Hispanensi seorsum pœnitet, in tuis parentibus conjunctum præfulserit) illud quod vere tuum est, oculatus ab infantia pene tua testis prosequar. Educatus a tenebris sanctissime apud D. Petrum Pontium patrum tuum Cordubensis Ecclesiæ primicerium et canonicum (cujus egregias virtutes vitæque probatissimæ exempla nunquam nostræ civitas desinet cum sancta quadam admiratione recolere), Latinæque linguæ cognitione jam imbutus, Salmanticam majoribus studiis imbuendus, ejusdem clarissimi viri cura et sumptu transmitteris. Sacrorum ibi canonum instituta, sanctorumque patrum consulta in primæva adeo ætate feliciter perdidicisti, ut cum publica studiorum tuorum experimenta et veluti specimina de gymnasii illius more præberes, peritiam tuam omnibus admirantibus, etiam nondum confirmata ætas esset stupori. Quod etiam in magnis tuis, sed admodum præcocibus honoribus, magistratibus et dignitatibus mox contigit. Electus namque ab imperatore Carolo V Cæsare in augustissimum ac supremum, uti vocant, sanctæ Inquisitionis senatum, cum collatum homines cum honorem merentissimo gratularentur, juveni admodum contigisse admirabantur; eadem virtutis, doctrinæ, ac meritorum celeritate festinans, episcopus Civitatensis crearis. Cumque in ea dignitate in Tridentino concilio et in censura Vallisoletani conventus, aliisque gravissimis Hispaniæ reipublicæ negotiis prudentissime amplitudo tua se gereret; ab Philippo secundo rege catholico in Placentinum episcopatum, majoris præmii, et amplioris in Dei Ecclesia fructus ergo evehitur. Et ut dignus tandem amplitudinis tuæ, atque præstantiæ cumulus accresceret, nuper in summum fidei catholicæ Inquisitorem ab eodem rege catholico delectus fuisti. Cujus magistratus dignitate nihil habet Hispania nostra sanctius, magis augustum, aut venerandum. Hæc tuam dignitatem, præsul clarissime, cum magno opere adaugeant, Cordubam pariter nostram tali alumno jure optimo gloriantem plurimum nobilitant. Illud vero quantum veræ gloriæ patriæ nostræ accumulat, quod in hac sublimioris dignitatis magnitudine, in hoc clarissimo fortunarum et splendoris fastigio, amatas olim, et diutissime cultas bonas litteras tanto studio retines, tanta assiduitate frequentas, ut si sola ea laus infimo homini, et vulgari contingeret, multum commendationis promeritus jure optimo videretur? Illud etiam insigne et ampliore dignum laude in tuo hoc bonarum litterarum amore resplendet, quod non sui unius commodis aut voluptati præstantia tua vult inservire sua studia; sed omnibus in commune prodesse cupit. Proinde cum in conquirendis, et undequaque pervestigandis sanctorum Hispanorum libris multum curæ, diligentiæ, et sumptus etiam semper reposuerit, quis non videt publicæ ipsam utilitatis causa in hoc genere tanto opere elaborare? Nam opes has avidissime congeris, sed in omnium mox usum profusurus. Multa hoc ipsum propediem testabuntur: nunc unus divus Eulogius, amplitudinis tuæ industria repertus, et veluti e sepulcro in vitam revocatus, abunde manifestat. Quamvis namque sancti hujus martyris opera in publicum offerendo, typisque evulgando Cordubæ nostræ præclarum hoc munus destinaveris, eidemque uni veluti tribueris: quantam tamen inde utilitatem tota Hispania, atque adeo exteræ nationes consecuturæ sint, pii homines, et meliorum studiorum amatores tanto Christianæ opulentiæ thesauro dites, tanti boni magnitudine fruentes, melius postmodum prædicabunt. Cum vero me tua amplitudo partem ejus præclari laboris subire voluerit, cum ejusdem divi Eulogii operibus emendandis, scholiis illustrandis, et demum edendis præesse jussit; eo nomine ingentes tibi gratias ago. Summi enim beneficii loco duco, sanctissimo martyri qualicunque mea opera inservire, gloriæque Cordubensis hic aliqua ex parte veluti fabrum esse. Et tametsi neutrum non sine ingenti labore possem perficere, utrumque cum summa jucunditate ad me recipi. Quid enim sanctissimo martyri, martyrum etiam multorum præconi, ingenii doctrinæ et industriæ ministerium, quod scio quam sit exiguum, sed qualecunque tamen id sit, non lætarer exhibere? Jam vero Cordubensem hinc gloriam augere, præclarum munus, quod ea de causa eidem comparabas, locupletare, perpolire, et aliquantisper illustrare non delectarer? Et quamvis Cordubæ nostræ causa, cui tanta hinc gloria quærebatur, jucundissimum mihi hoc ipsum acciderit; tum etiam sanctæ Ecclesiæ Toletanæ (cujus majestas primatu totius Hispaniæ sublimis, multis etiam aliis nominibus summam merito venerationem habet) dignitatem et sanctum splendorem inde præterea ignoto antea et redivivo incremento exauctum delector. Ex iisdem enim divi Eulogii operibus intelliget, ipsummet sanctum martyrem Antistitem suum fuisse, atque Wistremiro sanctissimo archiepiscopo, et per universam Hispaniam celebratissimo successisse. Horum duorum suorum præsulum tanta gloria præcellentium, quemadmodum antehac notitiam nullam habuerat, ita nunc habuisse magno opere lætabitur. Ego vero utroque nomine quidquid habui libens impendi, quidquid potui propensus contuli, Deo in primis auctore, quem in hoc ipsum supplici prece obsecraveram. Id quale fuerit, labor ipse noster indicabit: ut hic commemorare opus non sit. Tantum id ipsum Deo optimo Maximo in primis consecro, divo Eulogio et celebratis ab illo martyribus dedico, Cordubensi gloriæ cœlestibus emolumentis hinc adauctæ offero: et præstantiæ tuæ, antistes celeberrime, tuis auspiciis, tuo etiam beneficio cœptum laborem, quanto opere potui, cumulatum refero. Vale, præsul illustrissime, et hoc tuo tanto bono diutius fruere. Compluti, anno Domini 1572, mense Novembri.

EXCERPTA EX AMBROSIO MORALI.

I

DE VOCABULIS FICTIS ET NOVATIS, ET TOTO DIVI EULOGII SERMONE

Divi Eulogii, ingenium quantum fuerit, quanta doctrina excultum, ipsius opera plene satis edocebunt. Insignem præterea sacrarum litterarum peritiam cum multis indiciis possis in sancto martyre deprehendere, felix tamen in explicandis et ex professo exponendis testimoniis, quæ adducit, dexteritas illam in primis declarabit. Stylus etsi pius semper et sæpe suavis, longe inferior est tanta ingenii et nativæ etiam eloquentiæ magnitudine : eamque sentias multoties hac ope destitui. Degeneraverat nimirum jam ubique Latini sermonis præstantia et puritas, ejusque claritatem multæ sordes obscuraverant, et nostræ clades apud nos magis obruerant. Ut potius in tam dira captivitate et miseria, quam per centum ac quinquaginta ferme jam annos tempore divi Eulogii perpetiebamur, laude dignum sit,quod vir sanctus præstare in hoc genere potuit, quam culpæ imputandum, quod non est assecutus. Quemdam etiam proprium et peculiarem stylum jam diu sibi illa tempora effecerant, in quo laudis et gloriæ fuit eminere. Argutiam, subtilitatem, vehementiæ nonnihil, atque aliquem in rebus magnis sublimitatis impetum non passis non suscipere. Sed verborum et totius sermonis neglectu egregios conatus doleas retundi et obscurari. Nos religione quadam reverenter tacti, nihil emendare voluimus : tantum fictorum et novatorum verborum et phraseon catalogum hic apponere duximus necessarium.

Una atque alia vice. Dico vobis in veritate: Hispanismi. *Monachorum vitam oblectans*, pro *oblectari vita monachorum. In ante. In amplius. Consultum gerens* pro *consulens*, aut *prospiciens. Libri series has causas innotescet*, ut sit activum. *Præconabile. Præconari. Parvipendulus. Gloriositer. Deicola. Decisus* pro *occisus*, aut *obtruncatus. Itus* pro *itinere* seu *via*. Et *itum* neutro genere pro *incessu* in Nonio Marcello reperitur. *Prophetismus*, ut *Christianismus. Incultio* pro *ruditate* seu *barbarie* sermonis. *Adepsit* pro *adeptus est. Medie* pro *mediocriter. Epistolatim* per *Epistolas. Lunatim* per *singulos menses*, *Metabulum* pro *spatio. Victoriare. Pausare* verbum, nam *pausam* pro *quiete* antiqui dixere. *Eremititas* pro *eremo* seu *solitudine. Officiositas* pro *munere. Oramen* pro *prece. Victimare*, tanquam *victimam offerre. Sospitare, salutare. Deliquium* pro *peccato. Optio* pro *occasione*, item pro *petitione. Vindicium* pro *vindicta. Grassedo* pro *crassitudine. Sol* pro *die. Multiplicus* pro *multiplex. Versibilitas* pro *mutabilitate* et *inconstantia. Inconvulsibiliter. Combinatus* pro *imbutus. Jugitas* pro *perpetuitate. Dibellio* pro *rebellio. Potestative. Præsentialiter. Dulcoratus. Repriorans. Anticeps. Fulcimen. Noxietas. Taxatum* pro *narratum. Compactare* pro *formare*, et veluti *fabrefacere. Pusillitas* pro *parvitate. Mundialis. Disertitudo*. Et quædam alia ad hunc modum.

Genera confusa, casus perversi, numeri in nominibus et verbis neglecti : et tota inde Latini sermonis structura dissipata, describentium ; non auctoris fuisse vitia, est manifestum. Idcirco nos omnia ejusmodi emendavimus, cum in reliquis nihil nobis permiserimus.

II

QUI STATUS CHRISTIANÆ RELIGIONIS CORDUBÆ SUB ARABUM IMPERIO D. EULOGII TEMPORE FUERIT.

Occupata ab Saracenis Hispania,multis de causis barbari victores Christianis pepercerunt; illudque eos in primis commovit, quod magnas lateque diffusas Hispaniæ provincias accolis ipse implere non poterant. Ut igitur essent, qui agros colerent, consueta mercimonia exercerent, et tributa principi persolverent, Christianos in Hispania, quoscunque potuerunt, conservavere. Relictus iis fuit religionis cultus, templa multis locis intacta permanserunt, libereque permissum, ut Christiano ritu eadem frequentarent. Cordubæ vero major Christianorum numerus relictus, majorem etiam religionis cultum retinuit. In universum namque ea civitas multis modis ab Mauris jam inde fuit nobilitata. Sedes regni totius, quæ Hispali paucis annis constiterat (referentibus Rasi et Ruderico Toletano antistite in Arabum historia, quæ nondum est excussa) per Abdalazim Muzæ in Hispaniæ administratione successorem eo fuit translata. Ibi arcem, ibi templum, nunc etiam inter tot ingentia ædificia toti orbi admirandum, erexerunt : scholas ibi philosophiæ, et publica doctrinæ gymnasia (ut est in Alfonsi regis historia, quam generalem dicunt) esse voluerunt : et regni caput constitutam sublimi undique magnitudine et majestate extulerunt. Sed longum sit, si omnia percensere velim quæ eo tempore ad Cordubensis civitatis amplitudinem et majestatem collata sunt. Verumenimvero quanquam quidquid Barbari poterant claritatis nostræ urbi eo tempore certatim inferrent ; multo tamen illam Deus Optimus Maximus majori splendore inclytam esse voluit, cum captivam, oppressam et multis malis afflictam Christianorum ibi Ecclesiam religionis cultu, fideique catholicæ amore maxime fecit excellere. Ut quæ martyrum cæde jam diu antea irrigata nobilissima fidei Christianæ germina, et uberrimos fructus protulerat ; nunc sacri cruoris exundantibus rivis plenius imbuta, præstantiorem sibi gloriæ coronam in cœlis pararet, civibusque suis firmum certumque apud Deum patrocinium majori cumulo in omne ævum compararet. Id quale quantumque fuerit divinæ largitatis beneficium, divi Eulogii libri fusius et uberius declarabunt.

Etquoniam Cordubam cum imperii Arabici domi-

cilio et sede ibidem constituta, summa omnia Hispaniæ jura tam sacra quam profana immigrarunt: A Christianæ religionis dignitas atque potestas, quæcunque fuerunt, eo etiam ex tota provincia sese transtulerunt. Non quod Toletana Ecclesia, ut fuit olim, et nunc quoque est, eo tempore totius Hispaniæ primas esse desierit, caputque Christianæ apud nos religionis haberi: non quod metropolinum suum Hispalensem Cordubensis Ecclesia non agnosceret; sed quia tyranni cum omnia possent, et ad sese omnia revocarent, eo convenire ad concilium reliquos antistites cogebant, ibique de quibuscunque cuperent rebus, et consultare, et statuere volebant. Indicio sunt duo concilia Cordubæ per illa tempora congregata. Alterum, cujus divus Eulogius meminit [a], ab omnibus Hispaniæ metropolitanis cum subditis episcopis celebratum: alterum, cujus in Samsonis abbatis Cordubensis, de quo suo loco dicemus [b], Apologetico mentio fit. Et quoniam hanc, quam dico majorem potestatem B miserabili profecto de causa habere Cordubensis Ecclesia videbatur; ideo multo plura ibidem templa, basilicæ, monasteria virorum ac feminarum et permansisse, et denuo exædificata fuisse, divi Eulogii scripta testantur. Operæ prestium fuerit ad Dei omnipotentis gloriam catalogum hic jam sacrorum locorum, qui Cordubæ fuere, ex divi Eulogii præsertim libris opponere. Et intra urbem quidem hæc fuisse memorantur.

Sancti Aciseli martyris Cordubensis basilica, ubi sanctum ejus corpus requiescebat.

Sancti Zoyli martyris Cordubensis basilica, in qua sanctum ejus corpus erat tumulatum.

Sanctorum trium martyrum Cordubensium Fausti, Januarii, et Martialis basilica, ubi eorumdem cineres asservabantur. Hujus templi mentio etiam est in priscis Annalibus, quos initio liber ille Compostelanus habuit, de quo in Dominico Sarraceno martyre [c] dicemus. Ibi ita legitur: « Æra C MXXXIII. Octavo Kalendas Januarii captus, et lanceatus fuit comes Garsia Fernandi Saracenis, inter Alcocer et Langa in riva de Dorio. Et quinta die mortuus fuit, et ductus ad Cordubam, et sepultus in sanctos tres, et inde ductus fuit ad Caradignam. »

Basilica sancti Cypriani.

Basilica sancti Genesii martyris.

Sanctæ Eulaliæ virginis et martyris basilica [d].

EXTRA URBEM.

Sancti Christophori monasterium, ubi trans flumen propinquum [e].

Cuteclarense monasterium in montibus urbi vicinis, divæ Mariæ virgini sacrum.

Tabanense cœnobium, ipso divi Eulogii tempore constructum in iisdem montibus.

Pilemellariense [f] *monasterium sancti Salvatoris*: et ipsum etiam eodem tempore iisdem in montibus conditum, cujus etiam hodie ruinæ visuntur. D

Armilatense cœnobium, ad Armilatæ fluminis ripam in montibus sancto Zoylo dicatum.

Sancti Felicis martyris monasterio in oppido *Froniano* eorumdem montium.

Monasterium sancti Martini in montibus ad oppidum *Roiana*.

Sanctorum martyrum Justi et Pastoris cœnobium in montibus ad viculum *Leiulense*.

Palma oppidum, *Annanellos* vicus, et alia quædam oppidula, quæ nominantur, sua templa habuere, inter quæ *Colubris* dictus vicus, sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani habuit ecclesiam.

Fuit etiam prope Cordubam templum sancti Sebastiani.

In his atque aliis multis templis, quæ nominare divus Eulogius non potuit, præterquam quod sacra fierent, docendi quoque cura et erudiendi quam plurimos consuetudo perseverabat. Id docet multis locis divus Eulogius, et in ejusdem Vita Alvarus: ubi etiam apparet non vulgarem illum doctrinæ cultum, sed supra captivitatis et miseriarum, in quibus degebant fideles, tempora præcellentem. Ipsa templa etiam intra urbem suas turres, ænea sua cymbala habuere, quibus Dei plebem assidue convocabant. Et durat adhuc Cordubæ exiguum unum, ab illis usque temporibus, ut suo loco referemus, [g] conservatum. Sacerdotes, monachi, sacræ virgines peculiari veste legitimoque cultu amicti, detonsi etiam in publico conspiciebantur. Quæ omnia ex divo Eulogio atque aliis duobus ejusdem sæculi scriptoribus, sunt manifesta. Neque sine pretio tamen, et recentibus semper exactionibus, ut idem sanctus martyr et alii tradunt, concessa fuere. Unum illud tantummodo mortis etiam interminatione fuerat Christianis vetitum, ne pseudoprophetam eorum Mahometum maledictis incessrent, aut legi suæ cum probro detraherent. Hoc uno fideles Christi abstinerent, Arabum templa non intrarent, tributa persolverent, tuti et pene liberi poterant permanere. Nam et comitum dignitas semper Cordubæ inter Mozarabes perseverabat; ut ex Samsone abbate, et Cypriani Cordubensis epigrammatibus, per hæc ipsa tempora scriptis constat: et quod in divo Eulogio legimus, publico exceptorum munere iidem fungebantur Christiani, atque inter tyrones regios, de quibus suo loco dicemus, [h] regiis annonis, ut ipsis sancti martyris verbis utar, vescebantur. Et Samson abbas, cum de Servando comite initio libri secundi agit, aperte comitatum Cordubensem nominat. Ut intelligere debeamus, Gothorum more comitem Cordubæ Mozarabibus Christianis datum, qui eis præesset, jus inter eos diceret, et controversias alias leviores neque ad publicam regis majestatem, fiscumve regium pertinentes, decideret. Ejus enim dignitatis Gothorum tempore, quod ex eorum legibus præsertim constat, hoc fuit proprium et peculiare, ut urbes regeret, cum militiæ munia duces in primis obirent. Et inter sacerdotes etiam præter abbates, qui, ut diximus, templis præerant; archidiaconi, atque archipresbyteri nomen et dignitas perdurabat. Cyprianus enim in illorum suorum epigrammatum titulis archipresbyterum sedis Cordubensis se appellat. Archidiaconi mentionem ab eodem factam mox referemus. Illud etiam scitu dignum, in templis etiam nostrorum publicas Cordubæ bibliothecas fuisse: ut facile quivis possit intelligere quanto doctrinæ ardore nostri flagrarent. Unam scriniis etiam insignem, quam in sancti Acisceli templo Adulphus comes reposuerit, idem Cyprianus archipresbyter longo epigrammate celebravit. Alterius etiam meminit quam ipse Saturnino archidiacono magna ex parte præscripsit [i].

Sed enim cum hæc ita sint, Christianorum tamen contactum, referente divo Elogio, tanquam in ipso

[a] Lib. II Memor., cap. 14.

[b] Schol. in lib. I Memor., num. 9.

[c] Jam diximus Moralem edidisse sancti hujus Vitam, ubi in Monito commemorat codices Compostellanos *Tumbos* nuncupatos. Unus eorum Annales complectitur, quos postremo typis excussit sæpe laudatus Henricus Florezius tom. XXIII Hisp. sacr., pag. 317, cujus editio habet *Æra* MXXXVII. Sed simul hanc et diem VIII *Kalendas Januarii* bene corrigit perdoctus ille vir pag. 296 ejusdem tom., num. 20 et seq., statuens comitem captum octavo Kalendas Augusti, et mortuum quarto Kalendas ejusdem æra 1033, ut legit Morales.

[d] Hic recte Schot.: *Ex 10 cap. lib. III Mem. sanct. hæc astrui non potest intra Cordubam.*

[e] Id. hic quoque recte: *in parte meridiana.*

[f] *Pinnamellariense.*

[g] Schol. in lib. I Memor., num. 9.

[h] Schol. in lib. II Memor., cap. 3, num 2.

[i] Labitur Morales existimans Cyprianum loqui in epigrammatibus de Bibliothecis, quatenus hoc ver-

contaminarentur, Sarraceni prorsus devitabant: et ab illorum pueris nostri indigna multa in publico patiebantur. Tributa vero gravissima fuisse idem sanctus martyr ingemiscit, et illud in primis quod singulis mensibus solvebatur. Novis etiam tributis Christiani Mozarabes onerabantur. Adeo ut de oblationibus omnium ecclesiarum partem solvere, novo tributo excogitato, cogerentur. Quod Samson de Servando Christianorum Cordubæ comite, sed nefario homine loquens, his verbis deplorat: « Exinde omnes basilicas urbis prædictæ tributarias fecit esse, et impurus hostis de purissimis oblationibus fidelium in usus templi collatis Dominici, thesauros fisci inhiatus est ampliare: ut spoliando mensam Christi, et ditando palatia fisci videretur aquam sitientibus auferre, et amplissimo maris sinu infundere. Sicque actum est, ut venale sacerdotium sustinentes ipsæ basilicæ non more solito dignos recipere et indignos A queant sacerdotes repellere. » Et quæ sequuntur. Hæc autem sex octove annis post divi Eulogii martyrium facta fuisse, suo loco, [a] plenius de Samsone agentes, demonstrabimus.

Cæterum quamvis Christianorum ecclesia Cordubæ congregata divi Eulogii temporibus, ut dicebam, in dira captivitate tot tantisque solatiis templorum, monasteriorum, doctrinæ et exemplorum in sanctissimis viris allevaretur, ut non omnino capta aut deserta videri posset; illud tamen habuit verum ac solidum de divina benignitate solatium, illo majori beneficio magnam persensit Dei misericordiam; quod multi ex ea martyres eo tempore prodiere, qui veram fidem in vivis sua morte confirmarent, mortui etiam viventibus suo patrocinio Dei clementiam propitiam redderent, Qui autem quotque fuerint, divi Eulogii libri, et quæ his nos adjunximus, [b] latius ostendent.

B

bum locum significat, ubi libri reponuntur. Nomen *bibliotheca* veteres frequentissime usurparunt pro sacris bibliis seu libris utriusque Testamenti, ut late probat dominus Ducange; atque ex lectione epigrammatum Cypriani constat hoc sensu perscripta esse. Primum sic ait:

Hoc opus illustri comitis clarescit Adulfi
Qui sumptis propriis librorum theca notavit,
Qua novi habentur veterisque in ordine libri
Testamenti veri.......
Hinc fons perspicuus paradisi surgit a lymphis..

In secundo autem, cujus est titulus. *Ad petitionem Zoyli filii sui in finem bibliothecæ quam scripserat Saturnino archidiacono*; nemo non videt intelligendum esse, Zoylum scripsisse bibliothecam Saturnino, id est, sacra biblia, ad quorum calcem apponendum erat epigramma. Hoc et cætera Cypriani epigrammata edidit Henricus Florez tom. II, cap. 5, quemadmodum, ut jam diximus, Samsonis Apologeticum. Ibi pag. 381, num 5, exstant verba mox allata a Morali.

[a] Schol. in lib. I Memor., num. 9.

[b] Adjunxit Pelagium, Eugeniam et Dominicum Sarracenum, quos jam diximus ad sæculum decimum pertinere, Actaque eorum nos omittere quoniam nihil conferunt ad illustrandum Eulogium.

III.

CHRONOLOGIÆ RATIO EX D. EULOGII OPERIBUS.

Ante annum Dominicæ nativitatis octingentesimum quinquagesimum, unde chronologiam opportune ordimur, Adulphus et Joannes Hispalensis originis Cordubæ jam fuerant martyrio coronati. (*Ex libri* II. 8.) [a] Annun signare non possumus, nisi quod ante annum Domini octingentesimum trigesimum plane videntur occisi. C

Ante hunc etiam annum divus Eulogius in Galliam profectus, Pompelonensem episcopum, et Navarræ abbates quamplurimos invisit. In reditu Cæsaraugustanum, Segontinum, Complutensem et Toletanum episcopos, apud eos diversatus, cognovit. (*Ex ejus epistola ad Pompelonensem episcopum.*) Quo anno peregrinatus fuerit, non satis constat. Nos suo loco, quantum datum fuit, ratiocinabamur [b].

ANNUS DOMINI DCCCL.

Primus hic est annus, quem divus Eulogius initio libri secundi notat. Fuit autem post triginta integras cycli solaris conversiones, in trigesima prima decimus nonus: secundus post bissextum secutus, litteram Dominicalem E habuit. Quæ omnia hic in primis signanda fuerunt: siquidem divus Eulogius aliquando hebdomadæ etiam dies nominat: unde nos certam temporis rationem astruximus, et manifesta veritate confirmavimus. D

Leonis quarti pontificis maximi quartus fuit hic annus: qui per quinque etiam sequentes supervixit. (*Ex F. Onuphrino Panvinio.*)

Lotharius, Romanorum imperator, adhuc vivebat, ad eosdem quinque annos præterea pervenit. (*Ex eodem et multis aliis.*).

Michael Porphyrogenitus, Theophili successor, Constantinopolitanus imperator, cujus hic nonus erat annus, annum octingentesimum sexagesimum septimum attigit. (*Ex eisdem.*)

Initio hujus anni Oveto et Legione in Hispania regnabat Ranimirus, hujus nominis primus, Alfonsi Casti regis successor. Mortuus vero ipso primo Februarii die filio suo Ordonio primo regnum reliquit. Id aperte constat ex ejus tumulo, quem in regio Alfonsi Casti vocato templo Oveti vidimus, cum hoc epitaphio:

OBIIT DIVAE MEMORIAE RANIMIRUS REX
DIE KAL. FEBR. ERA DCCCLXXXVIII.
OBTESTOR
VOS OMNES QUI HAEC LECTURI ESTIS,
UT PRO REQUIE ILLIUS ORARE NON DESINATIS

Et Sampyrus Astoricensis, [c] Lucasque Tudensis episcopi hunc annum mortis Ranimiri scripserunt. Vetustissimus etiam tumulus docet, non multo post regis mortem fuisse epitaphium insculptum.

Navarræ et Aragonensium montium regnum Innigus Ximenez cognomento Arista obtinebat, ut ex magis versimili illorum temporum supputatione colligitur. Quanquam in magna auctorum varietate nihil certi et indubitati potest hic affirmari.

[a] Nunc Vita et passio Floræ et Mariæ post Documentum martyriale.

[b] Schol. in Eulogii Vitam num. 14 in cap. 7 lib. II Memor. num. 2; et in epist. ad episcop. Pampilon. num. 2.

[c] Fallitur Morales: nam Sampyri Chronicon incipit in Alphonso III Magno nuncupato. Verum constat anno 850 obiisse Ranimirum ex Chronicis Albendensi, et Sebastiani Salmanticensis episcopi.

Carolus cognomento Calvus, Ludovici imperatoris filius, Caroli Magni imperatoris nepos, in Gallia regnabat. (*Gallorum omnes historici?*) Eratque hic regni ejus annus undecimus. Idem Carolus, quidquid pater atque avus ab Sarracenis in Catalunia, Aragonensium montibus, et apud Navarros ademerant, retinuit. (*Aragonensium annales, Gallorum historici.*)

Regnabat late in Hispania, regni sede Cordubæ constituta, Habdarraghmam Sarracenus hujus nominis tertius. Eratque hic regni ejus annus vicesimus nonus. *Ex divo Eulogio initio libri secundi, et ex Rasis Mauri Historia: item ex Ruderici Toletani antistitis de Arabibus historia nondum excusa*[a].)

Hoc ipso anno, decimo octavo [b] Aprilis die, qui in sextam feriam inciderat, Perfectus presbyter Cordubensis martyrio coronatur. *Lib.* II *cap.* I.)

Post hunc Joannes pro Christi fide pene ad mortem cæditur, et ludibrii publici causa asino vectus per urbem circumducitur, confessorisque gloriam adipiscitur. (*Lib.* I.) Tempus liquere non potest, nisi quod hoc anno, potiusquam sequenti, factum apparet.

ANNUS DOMINI DCCCLI.

Littera hoc anno diem Dominicum signans, D fuit. Die Junii tertia, qui quarta feria evenerat, sanctus Isaac monachus Cordubessis jugulatur. (*Cap.* 2, *lib.* II).

Sancius laicus natione Gallus duos post dies martyrio coronatur, feria nimirum sexta insequente, ejusdem Junii mensis die quinto (*Libri ejusdem cap.* 3.)

Duobus tantum interjectis diebus, dies ejusdem mensis octavo, et hebdomadæ sequentis feria prima, sex pariter sancti martyres trucidantur: Petrus presbyter Astigitanus, Walabonsus diaconus Ilipulensis, Sabinianus monachus, vico Froniano prope Cordubam natus, Wistremundus Astigitanus monachus, Habentius Cordubensis monachus. Hieremias itidem Cordubensis monachus. (*Capite ejusdem libri* IV.)

Mense Julio, die decimo sexto, qui in quintam feriam inciderat, sanctus Sisenandus diaconus Pacensis ex Lusitania martyrium jugulatus complevit. (*Capite sequinti.*)

Veneris die, sabbato, et insequenti Dominico tantummodo interjectis, secunda feria, quæ diem Julii vecesimum occupavit, paulus Cordubensis martyrii palmam adipiscitur capite truncatus. (*Capite* 6.)

Sabbato insequente et Julii die vicesimo quinto Theodemirus monachus Cormonensis patria, martyrio laureatur. (*Ibid.*)

Interea Beccaffredus episcopus jussu tyranni Dei Ecclesiam Cordubæ misere conturbat, divum Eulogium in carcerem conjicit. (*Ex ejus Vita per Alvarum scripta, ex epistola ad Ponpelonensem episcopum, et ex secundo libro pluribus locis.* — Ubi nos hoc ipsum adnotavimus.) Et tempus quidem quo captus fuerit divus Eulogius, non possumus exquisite signare. Tantum colligi alicunde potest, per hosce menses, quod suo loco videbimus, contigisse. Causam, cur in carcerem fuerit missus, ipse in Documento Martyriali et in epistolis reddit. Quia nimirum martyres adhortaretur, et ad martyrium ipsos incenderet.

Hic martyrium sanctarum virginum Nunilonis et Alodiæ divus Eulogius retulit, quæ non Cordubæ passæ sunt. Et tempus suo loco investigabimus.

Flora Cordubensis, Maria Ilipulensis, Walabonsi martyris soror, virgines ambæ, martyrio simul coronantur mensis Novembris die vicesimo quinto. (*Capite sequenti.*

Post sextum diem divus Eulogius carcere educitur. (*Ibid., et in epistola ad Alvarum.*)

ANNUS DOMINI DCCCLII.

Gumesindus Toletanus presbyter, et Servus-Dei monachus die Januarii tertia decima mortem pro Christi nomine sustinuerunt. (*Cap.* 9.)

Sancti martyres Aurelius, Felix, Cordubenses, cum uxoribus Sabigothone et Liliosa, comitante etiam Georgio monacho ex Syria, vigesimo. (*Cap.* septimo Julii die occisi sunt. (*Capite sequenti*).

Christophorus Cordubensis, Leovigildus Iliberitanus monachi, pro Christianæ fidei confessione jugulantur, die mensis Augusti vicesimo (*Cap.* 11.)

Emilia et Hieremias Cordubenses die Septembris quinto decimo martyrio coronantur. (*Capite sequenti.*)

Rogellus Iliberitanus monachus, Servio-Deo ex Syria monachus varie excarnificati die sequenti, septembris videlicet sexto decimo, capite truncantur.

Habdarraghman rex tot martyrum constantia territus, impedire martyrium cogitat, et congregati episcoporum atque etiam metropolitanorum concilium Cordubæ imperat. (*Ex capitibus sequentibus.* Et hæc diversa omnino est regis perturbatio, et Ecclesiæ persecutio ab illa, quam jam superius retulimus. Hoc manifeste ex ipsa temporum serie in divo Eulogio, et ex ejus verbis constat.

ANNUS DOMINI DCCCLIII.

Initio hujus anni Habdarraghmam rex subito moritur. Mahomat ejus filius in regno succedit. (*Capite libri secundi decimo sexto.*)

Mahomat regni sui initio Christianos acerbissime persequitur, templa diruit. *Quatuor primis libri tertii capitibus.*) Hæc jam tertia est Ecclesiæ Cordubensis persecutio: et hujus mentionem fieri credo in sanctorum Ruderici et Salomonis historia, (*Ex annis ibidem in Apologetico adnotatis.*)

Arabum principum nonnuli in Hispania contra regem Mahomat rebellarunt. Ipse Christianos tributis gravat, suorumque odium in se suscitat. (*Duobus sequentibus capitibus.*

Fandila presbyter et monachus Accitanus die Junii tertio decimo martyrio coronatur. (*Capite octavo.*)

Die sequenti, Junii quarto decimo Anastasius monachus presbyter, Felix monachus Complutensis, Digna virgo Deo dicata martyrii lauream accipiunt. (*Capite sequenti.*)

Benildis matrona quinta decima ejusdem mensis pro Christi fide jugulatur. (*Capite decimo.*)

Sancta Columba Cordubensis virgo Deo dicata decimo septimo Septembris die capite truncata martyrio coronatur. (*Capite sequenti*).

Pomposa virgo et martyr Cordubensis Octobris die decimo sexto gladio Sarracenorum occubuit. (*Capite duodecimo.*)

ANNUS DOMINI DCCCLIV.

Abundius presbyter ex vico Annanellos prope Cordubam die Julii undecimo martyrium subiit. (*Libri tertii capite decimo tertio.*)

ANNUS DOMINI DCCCLV.

Amator Tuccitanus adolescens, Petrus monachus Cordubensis, Ludovicus item Cordubensis, die Aprilis ultimo omnes pariter martyrio coronantur. (*Capite decimo quarto.*)

Witesindus senex Egabrensis eodem anno martyr est factus. Diem divus Eulogius non commemorat (*Capite decimo quinto.*)

ANNUS DOMINI DCCCLVI.

Helias presbyter senex Lusitanus, Paulus et Isi-

[a] Alibi loquimur de Rasis Mauri et Ruderici Toletani historii hic memoratis.

[b] Perperam hic Moral. et Schol. *primo mensis Maii* die.

dorus monachi, Aprilis decimo septimo die passi sunt. (*Libri tertii capite decimo sexto.*)

Argimirus Egabrensis monachus in Christi confessione vigesimo octavo Junii die occiditur. (*Capite sequenti.*)

Aurea virgo Deo dicata, Adulphi et Joannis martyrum soror, die Julii decimo nono martyrii palmam accepit. (*Capite ultimo.*)

ANNUS DOMINI DCCCLVII.

Rudericus Egabrensis et Salomon martyrium patiuntur Martii die tertio decimo. (*Ex Apologetico sanctorum.*)

ANNUS DOMINI DCCCLVIII.

Nullum martyrem habuit hic annus, neque ulla ejus est apud divum Eulogium mentio.

ANNUS DOMINI DCCCLIX.

Divus Eulogius Cordubensis, presbyter et doctor, et electus archiepiscopus Toletanus, fit etiam hoc anno martyr, Martii mensis die undecimo, qui eo anno sabbatum occupavit. (*Alvarus in ejus Vita.*)

Leocritia virgo Cordubensis, cujus causa, et fidei Christianæ præsertim ergo, divus Eulogius mortem fuerat perpessus, quarto postea die, hoc est, Martii quinto decimo, ipsum doctorem suum sequitur martyrio coronata. (*Ex eodem ibidem.*)

ANNUS DOMINI DCCCLX.

Hoc anno, die Junii primo sancti martyris Eulogii corpus ex basilica sancti Genesii in Basilicam sancti Zoyli martyris translatum est. (*Ex altero exemplari, in quo Vita sancti Eulogii solum fuit.*)

Hoc tantummodo decennium sancti Eulogii Opera enumerant.

Hæc Morales. Quæ postea addit, cum nihil ad illustrandum conferant Eulogium, consulto duximus omittenda.

IV.

DE CORDUBÆ URBIS ORIGINE, SITU ET ANTIQUITATE.

Tam multa sunt, quæ divus Eulogius de Corduba nostra suis operibus interseruit : atque adeo frequenter multarum in ea urbe regionum, oppidorum, agrorum, fluminum, similiumque rerum meminit; ut fuerit necessarium, de ejus situ et antiquitate multa hic apponere. Et Cordubæ quidem urbis originem, situm, ejusque mutationes, cum reliquis quæ ad ejus antiquitatem pervestigandam poterant pertinere, in eo opere, quo l de Hispaniæ antiquitatibus historiæ nostræ adjunximus, plenius sumus prosecuti. Inde huc nonnulla transferemus.

Sita est Corduba in ipso ferme Bæticæ provinciæ meditullio, atque in his ejus populis, qui Turduli ab Ptolemæo, Plinio et Strabone nominantur. Ab ortu ea regio ad Bastulos seu Bastetanos usque protenditur : ab occasu Turdetanos contingens, Hispalensi tractu terminatur. Habet ad meridiem late patentes campos, qui ad Mediterraneum mare et Herculeum fretum expanduntur. Qua vero parte Septentrionem Corduba spectat, posita est ad ipsas Marianorum montium radices, quos nunc Hispani, prisco nomine corrupto, *Sierra Morena*, hoc est, *Morenos* montes dicimus. Ea vero horum montium pars, quæ Cordubæ imminet, aut saltus Castulonensis est portio, aut cum eo ad ortum conjungitur. In his montibus, auctore Plinio, Bæturia regio a Bæti flumine nomen accipiens, in duas regiones divisa, ad Anam usque fluvium excurrit. Ipse Bætis, qui Cordubam alluit *Cirtius* olim et *Tartessus* etiam (ut apud Plinium, Livium et Strabonem est) dictus, tanta semper celebritate fuit, ut toti provinciæ nomen dederit : tanta porro est magnitudine, ut ingentia flumina exsorbens, ab Mauris inde nomen acceperit. *Guadalquivir* namque, quod huic fluvio nunc nomen est ab iisdem impositum, magnum flumen ipsorum lingua significat. Ab ortu vero ad occasum latus Cordubæ australe lambens, ita montes a planitie disterminat, ut id sibi studio habuisse natura videatur : quo diversissima soli discrimina sejungeret, et eo tanquam limite separaret. Hinc montana quæ ipsa suburbia pene contingunt, celsis collibus elata, duris cautibus prærupta, hortis, vineis, olea, et omnium generis arboribus sunt consita. Inde campestris regio trans flumen complanata, nuda, glareis et luto friabilis, frugibus tantummodo ferendis est accomoda. Hujus vero tractus quæ sit feracitas, inclyta nostræ civitatis horrea, tota Hispania celeberrima satis ostendunt. Alterius vero soli montibus prætenti quanta sit amœnitas cum insigni fertilitate conjuncta, vix quisquam satis digne possit explicare. Ipse præcisæ rupes, scopuli ipsi, ubi planum quidpiam non soli (neque enim solum est illud, sed lapidum strues) verum quidquid id est plani, Loton suavissimam et siliquam sponte nascentes, sativas vero oleam, vitem, ficum, cerasum, mala Punica et Persica, prima et quod magis mirandum sit, citria mala omnis generis abunde producunt. Præstant hoc ipsum magna ex parte fontes copiosæ, purissimæ, suavis et ad potum salubis aquæ, quibus passim pene erumpentibus, irrigua omnia circumcirca fiunt. Hinc valles urbi propiores non nisi ab *pulchritudine*, ab *paradisiacis*, ab *regiis hortis*, ab *rosarum multitudine*, aut ab *florum aspectu* nomen invenere. Hinc vini et olei Cordubæ tanta est copia, atque adeo exuberantia, fructuum omnis generis tanta ubertas, ut hoc unum aliam quantumvis celebrem civitatem magno opere posset nobilitare. Mala autem citria omnis generis tanto opere in ea urbe exuberant, advenis et ut peregrinis hominibus frequenter sint stupori, non cumuli solum, qui per plateas venales vili pretio cernuntur, sed etiam qui novorum fructuum adventu, per agros et sterquilinia projiciuntur : decussis non modico impendio ex arboribus malis, ne superfetantes flores impediant Florum autem ipsorum in his arboribus tanta undequaque intra urbem et per vicina suburbana est copia, tanta verno tempore fragrantia ; ut non jam, quod de iisdem floribus Virgilius dixit.

. . . . . Animas et olentia cives
Ora illis foveant, sensibus medicentur anhelis ;


sed suavissimo odore urbs tota, vicinique agri perfundantur, et ad eam suaveolentiam captandam noctu homines pervigiles discurrant. Neque tamen diutius in Cordubæ amœnitate et ubertate celebranda sit immorandum. Unum satis sit testis præstantissimi testimonium. Ipse sit Muza dux Arabum, Hispaniæ totius victor, quique eam omnem perlustraverat, et undique percognitam habuerat, De eo Rasis Maurus in Arabum historia his ipsis verbis latine fideliter redditis, scribit : « Abibus Aluydi filius, homo qui nullatenus in re ulla mentiretur, ita scripsit : cum Muza Cordubam egressus, in Africam navigaturus, summis Hispaniæ proceribus deducentibus, iter occiperet, et in collem, unde urbis totius prospectus patebat, venisset; mula, cui insidebat, retro conversa, aliquantulum consistens, urbem tacitus contemplabatur, et tan-

dem in hæc verba cum gemitu prorupit. Heu! Corduba, quantum es insignis! quæ et quantæ tuæ sunt deliciæ! Quantum tibi bonorum Deus voluit conferre! Hæc locutus, mærens iter continuat. » Hucusque Rasis. Probum autem hunc æstimatorem nemo non possit digne censere, ab quo videat ipsam rei veritatem ipsam nativi soli præstantiam tales gemitus, talem vocem, tantum encomium extorsisse.


Metalla Cordubensia sunt etiam inter auctores celebratissima. Auriferam, quod mox apparebit, poetæ Cordubam vocant : et æs Marianum, hoc est, quod prope eam urbem in ejus montibus effoditur, maxime Plinius laudat : cum argenti vivi et stibii ditissimas fodinas hodie in eius tractu conspiciamus.

Habuit ea civitas duo nomina, quemadmodum apud Plinium legimus. Corduba enim, atque eadem Colonia Patricia est appellata. Sed Cordubæ nomen priscum fuit et pervetustæ originis ; illud B alterum, quo tempore ei fuerit inditum, suo loco dicemus. Et verum rectumque vocabulum Cordubam esse Silius Italicus, Martialis, Prudentius, atque alii poetæ attestantur. Lex enim carminis incorruptiora et incontaminata vocabula conservat. Potuit sane nominis hujus veritas fidelius ex nummis, et ex lapidibus astrui. Sunt qui se nummos vidisse affirment. Sed ego harum rerum non indiligens pervestigator, et omnis patriæ meæ antiquitatis in primis studiosus, Romanum nummum adhuc vidi nullum, qui Cordubæ nomen habeat inscriptum : cum Coloniæ Patriciæ nomen in quamplurimis Augusti, Tiberii et Germanici etiam, quorum nonnullos ipse habeo, conspexerim. Lapides, in quibus utrumque, et alterum seorsum nomen insit, quinque apponam, quorum quatuor primos omnes ipse vidi et ipse descripsi ; ultimum relatu doctissimorum hominum habui.


C In oppido Linares basis marmorea, nigra, ex ruinis Castulonensis urbis admodum vicinæ advecta, his litteris inscripta.



A Superioribus annis Cordubæ cum capite et muliebris statuæ fragmentis basis marmorea cum hac dedicatione est eruta.




Cordubæ in divæ Marinæ templo, ad usum aquæ benedictæ, cippus marmoreus candidus.



Loræ, quod oppidum in medio itinere ferme est, quo Corduba Hispalim itur, in basi marmorea pro foribus templi.

D



Hispani in vico, cui ab Serpente nomen est, cippus cum hoc epitaphio visitur. A

Q. FABIUS .Q. F.
QVIRINA FABIANVS ILURCONENSIS . IDEM
PATRICIENSIS
ANNORVM
XXXXIIII. IVST.
IN SVIS. H. S.
E. S. T. T. L.

Patriciæ vero nomen libentius in usu fuit tempore Romanorum imperatorum, tanquam honorificentius et illustri de causa, ut postea videbimus, Cordubæ impositum. Cordubæ vero nomen incorruptum credo cum Romano imperio et lingua, ad Gothorum usque tempora permansit. Tunc demum cœpit permutari, ut *Cordova*, quemadmodum nunc Hispani proferimus, diceretur: nec subito tamen, sed paulatim immissa corruptela. Testimonio sunt aurei nummi Gothici duo, quos ego habeo, diversis satis typis percussos. Reccesvinthi regis Gothorum sunt, et altera parte cum regis ipsius facie inscriptum habent RECCESVINTHUS REX. In C aversa vero parte scriptum in orbem est: CORDOBA. PATRITIA, ut jam u versum in o esset; b autem nondum esset in v permutatum. Ad eumdem etiam modum, tam in divi Eulogii veteri exemplari, quam in quibusque libris Gothicis litteris, quos vidi plurimos, descriptis, scriptum semper *Corduba* reperitur. Et de nostræ urbis nominibus hæc satis: nunc de ejus antiquitate est dicendum.

Priscam admodum, et pervetustam urbem Cordubam fuisse, cujusque originis propter summam antiquitatem, nullum exstet in hominum memoria principium; duabus potissimum de causis adducor ut credam. Primum enim quæcunque urbes in Hispania duobus nominibus olim Romanorum tempore compellabantur, alterum Hispanum nomen, priscum, vetustissimæ originis, et quasi vernaculum peculiaris linguæ habuisse constat; alterum vero tanquam Romanæ ditionis et imperii stygma eisdem fuisse impressum, aut adulatione D dominantium imperatorum certe expressum. Tales luere in Celtiberia *Illurcis* ab Tiberio Graccho, mutato nomine, ut auctor est Verrius Flaccus *Graccuris* dicta. *Salduba* in eadem regione Plinio teste, *Cæsaraugusta* postea nominata. Eodem auctore et priscis lapidibus etiam attestantibus *Obulco* municipium pontificense nomen accepit. *Attubi*, claritas Julia: *Astigi*, Julia Firma: *Tucci*, Augusta Gemella: *Iliturgi*, Forum Julium: *Hispalis*, Romulensis Colonia est dicta. Multa sunt ejusmodi apud eum auctorem, et in antiquis marmoribus et nummis nominum in urbibus geminationes. In quibus omnibus negare non possis, prius nomen vernaculum esse et Hispanum, æqualisque cum urbis primordio antiquitatis fuisse. Talis est Corduba, quæ colonia Patricia postea est cognominata: testemque suæ vetustatis priscum nomen habet, veluti nascendi sibi olim impositum. Illud deinde nostræ urbis vetustissimam potest antiquitatem astruere, quod cum Turduli populi omnium vetustissimi et sapientissimi in Bætica fuisse ab Strabone tradantur, Cordubensis vero situs feracitate et amœnitate tanto opere præcellat; credi per est, oppidum ibi non paucis retro sæculis fuisse conditum, neque neglectam ab ejus regionis accolis præstantissimam habitandi commoditatem. Quemadmodum igitur de Cordubæ origine nihil certi afferri in medium potest; ita etiam vetustissimam ipsam fuisse, merito creditur.

Quidam ab Persis, quos in Hispaniam etiam venisse Plinius ex Varrone tradit, conditam Cordubam fuisse asseverant. Ipsum urbis nomen eos, ut opinor, in eam sententiam illexit. Nam Cordubam etiam in Perside civitatem fuisse credidere. Sed enim levis est conjectura, et quam nullo veritatis fundamento subnixam, facile nobis fuerit in historia nostra, occasione oblata convellere.

Apud auctores nullam priorem Cordubæ mentionem invenias, quam quæ apud Silium Italicum B reperitur. In catalogo namque earum Hispaniæ civitatum, quæ Annibali in Italiam transeunti milites miserunt, Cordubam etiam connumeravit illo carmine.

Nec decus auriferæ cessavit Corduba terræ.

Sed neque quo in loco condita primum Corduba fuerit, satis constare potest, cum duo ejusdem situs nunc appareant: alter quem urbs ipsa occupat, alter, quem quarto ab urbe ad occasum miliario clarissimo divi Hieronymi monasterio vicinum cum veteris Cordubæ nomine desolatum cernimus. Ego non levibus conjecturis adducor ut credam, priscam urbem eodem quo nunc est junior ista, situ fuisse. Quod ipsum tunc ostendemus, cum quæ necessario præmittenda sunt persecuti fuerimus.

Sequens igitur post illum Silii Italici Cordubæ mentio insignis admodum est et illustris. Refert enim Strabo, Cordubam ab Marco Marcello quasi conditam, et paulo post magnificentissime auctam. Ejus libro tertio hæc sunt verba: « Corduba, Marcelli ædificium, eo magnitudinis crevit, ut nominis celebritate et potentia polleat. » Quæ verba doctos homines non paucos permovisse video, ut crederent, hanc primam esse urbis nostræ originem, et ejusdem Marcellum verum fuisse conditorem. Proinde necessarium fuerit totum hoc diligenter investigare, et subtilius expendere. Quod ex Livio atque Appiano Alexandrino constat, Marcus Marcellus, ejus Marci Marcelli, qui docuit Annibalem posse superari, sive nepos sive pronepos totam Hispaniam in Prætura sorte obtinuit eo ipso anno, quo Q. Martius Philippus secundum, et Cn. Servilius Cæpio consules fuere. Est autem is annus ante Jesu Christi Domini nostri nativitatem centesimus sexagesimus septimus. Totam autem Hispaniam is Marcellus hoc anno suscepit gubernandam, quoniam ex duabus una provincia duobus tantum antea annis fuerat effecta. Idem Cordubam et hoc ipso anno haud dubie exædificavit. Cum enim manifestum sit, hoc tempore ædificatam fuisse (siquidem crebrior jam hinc ejus mentio, ut statim apparebit, in historia Romana reperiatur, et Strabo Marcelli opus ipsam nominet, neque ullus alius Marcellus, neque superioribus annis, neque multis sequentibus in Hispaniam venerit cum magistratu) planum fit, huic urbis structuram esse attribuendam. Et hoc procul dubio anno quidquid id operis fuit, Marcellus perfecit: non quinto decimo postea, cum in tertio suo consolatu in Hispaniam rediit. Tunc enim divisa iterum denuo in duas provincias Hispania, Citeriorem tantummodo rexit, magnis videlicet bellis implicitam, et quæ consulari duce atque exercitu indigeret. Habuitque illo ipso anno ulterior Hispania, hoc est Bætica cum Lusitania, proprium seorsum prætorem, M. Accilium: ut est apud Appianum.

Sed quid illud tandem fuit quod Marcellus fecit, ut Cordubam aut condidisse, aut ædificasse dicatur? Dicam quod sentio, quodque manifesta pene

ratione adducor ut credam. Novam urbem in eo situ, qui nunc vetus dicitur, construxit, et a fundamentis totam erexit. Cum oppidum antea esset non admodum magnum, transferre inde, et alio situ amplificare, cogitavit: nova forma (Romana utique) denuo urbem condens, ab se ut esset, et dici posset ædificata perfecit. Urbem igitur, quæ nunc vetus dicitur Corduba, ædificavit. Docet hoc profecto ejus urbis forma, et tota, quam ruinæ adhuc ostendunt, structura, Romanum plane opus, et Romanorum consilio totum undique fuisse fabrefactum declarat. Situs namque totus quadrata forma est, ita ut filo protractus et circum signatus initio plane videatur. Duplo longior totus est quam latior ambitus. Ego enim probe funiculo dimensus, cum pedes in fronte duo millia quadringentos invenissem, ab latere quatuor millia octogentos adamussim comperi. Cum pedes dico, tertiam ulnæ nostratis, qua pannum linteum sericumque metimur, partem intelligo: quod ipsum cum pedis Hispani antiqui mensura probe congruit. Hæc autem tam exquisita diligentia situm quadrandi et conduplicandi, tota plane Romanorum fuit, non nostratium Hispanorum, qui vixdum hoc nostro tempore politioris ædificationis formam didicere. Prominet præterea media urbe quadrata etiam forma planities (sive arcem illa habuit sive forum) quam satis apparet ad perpendiculum fuisse productam. Tantumdem enim ab utraque fronte distat, superiori latere (nam acclivi solo tota urbs fuerat imposita) aliquantisper cum muro conjungitur. Eam curam, et subtilem formæ symetriæque diligentiam, quis non videt Romanorum esse, non priscorum Hispanorum? Apparent insuper quatuor magnarum turrium fundamenta, ejusdem industriæ Romanæ et studii in ædificando manifesta testimonia ut quæ quatuor angulis murorum adnectantur. Ejusdem symmetriæ Romanæ simul est indicium, via quadrato lapide constrata, quæ ab inferiori urbis latere, portæ, ut credi potest, conjuncta, in proximum colliculum ducit, ubi magni cujuspiam ædificii vestigia perseverant: fanumque insigne inibi fuisse licet conjicere, cui nobile stramentum et viæ major commoditas deberetur. Locus enim ab urbe divulsus, et in plano modice admodum elatus vetat præsidium cogitare.

Hæc omnia hominis sunt studiosissime ædificantis, et veluti otiose ad fabricam considentis. Multum autem otii Marcellum toto pene eo anno habuisse, Hispaniæ pax, de qua Livius et Appianus, declarat. Longum vero sit, si commemorare pergam, quanta ex situ ejus urbis monumenta Romana superioribus, et nostro etiam hoc sæculo sint eruta: quæ plane testantur, Romanam eam urbem fuisse, Marcellumque perinde Romanum hominem ejus fuisse conditorem. Cum vero jam ex superioribus satis constet, ante hanc Marcelli ædificationem priscum oppidum, quod Corduba diceretur, in iis locis fuisse; intelligere plane non possumus, num antiquum situm Marcellus suo opere complexus fuerit, an novum exquisierit. Nisi quod sequentia quædam indicabunt, contempto veteri oppido, ipsum in delectum a se situm totum penitus transtulisse.

Exædificata ad hunc modum denuo urbe, magnificeque amplificata, frequentiorem jam ejus urbis mentionem Romana habet historia. Creverat nimirum oppidum antea non admodum celebre, et Romana plane urbs cœpit jam ab Romanis nobilitari. Eo jam paulo post prætores ad hibernandum exercitum revocabant, et ad jus petendum populi conveniebant. Quæ omnia ex Romanis et Græcis scriptoribus collecta, late nos in nostra historia prosequimur. Hinc Metellus Pius devicto Sertorio gregem poetarum indidem civium secum Romam reduxit. Quod si, ut de eisdem Cicero dixit, *pingue quiddam et peregrinum* resonabant; temporum
A plane fuit vitium, non ingeniorum. Neque enim Roma cultiores poetas tunc temporis habuit. Hic etiam nobile illud continentiæ frugalissimæ exemplum prætor Piso, eodem Cicerone referente, edidit. Quod utique præstiterit, ipsismet summi oratoris verbis apponere *. Nihil, inquit, nimium vetus proferam. Sunt vestrum, judices, quam multi, qui Lucium Pisonem cognoverunt, hujus Lucii Pisonis, qui prætor fuit, patrem. Is cum esset in Hispania prætor, qua in provincia occisus est, nescio quo pacto dum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus est, et comminutus. Cum vellet sibi annulum facere, aurificem jussit vocari in foro, ad sellam, Cordubæ, et ei palam appendit aurum. Hominem in foro sellam jubet ponere, et facere annulum omnibus præsentibus. Nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentem. Hactenus reprehendat, si quis volet: nihil amplius. Verum fuit ei concedendum: filius enim Lucii Pisonis erat
B ejus, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone frugi dixerim. Verumtamen, quantum intersit, videte. Iste cum aliquorum abacorum faceret vasa aurea, non laboravit, quin non modo in Sicilia, verum etiam Romæ in judicio audiret. Ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, unde Prætori annulus fieret. Nimirum ut hic nomen suum comprobavit, sic ille cognomen.


Supervenerunt non multo post bellorum civilium inter Cæsarem et Pompeium tempora, in quibus caput provinciæ Bæticæ totius Corduba ab Aulo Hirtio, sive is Oppius est, appellatur. Et ad hanc Cordubam ab Marcello ædificatam, de qua nobis sermo nunc est, omnia illa gesta fuisse, multa sunt quæ aperte declarent. Illud in primis quod pertransito ponte prælium inter ipsum atque urbem non semel committitur. Sed non est hic locus de his pertractandi.

C Paulo post etiam Augusti Cæsaris temporibus, quibus Strabo et vixit et scripsit, vere jam is auctor potuit insigni cum præconio affirmare, eo magnitudinis Cordubam crevisse, ut nominis potentia et celebritate polleret. Colonia enim paulo ante fuerat effecta: nec cujusvis vulgaris Coloniæ dignitas eidem fuerat attributa, sed quæ nomine et majestate præcelleret, atque *Colonia Patricia* et esset res vera, et vocaretur. Qua de re idem auctor, de Corduba adhuc verba faciens, his verbis scripsit: « Eam sane initio habitavere et Romanorum et indigenarum viri delecti. » Nam prima hæc istos ad locos a Romano populo est dimissa Colonia. En tibi et primam in Hispania, saltem in Bætica Coloniam Cordubam fuisse, et cum magna dignitatis præstantia, et veluti prærogativa fuisse. Utrumque insigne quiddam est, et ad Cordubensem celebritatem et gloriam singulare. Neque vacat tamen hic, quantum hoc sit, fusius explicare. Illud unum tantum-
D modo non præteribo: tantam hanc dignitatem, ut non nisi viri Patricii ex Romanis et Hispanis deligerentur, qui in eam Coloniam immigrarent, et clarissimum utriusque nobilitatis domicilium ipsam redderent; eo maxime merito Cordubæ fuisse consecutam, quod fide et tolerantia singulari Julii Cæsaris partes eo in bello semper foverit, et cives Romanos sæpe protexerit atque servarit. Id ejus civitatis, ex quo primum Colonia facta est, nummi testantur, qui omnes cum *Colonia Patricia* in aversa parte habeant inscriptum, civica corona id ipsum præferunt inclusum. Civicam autem servati civis et præmium et insigne apud Romanos fuisse, quis ignorat? Unde et ab Julio Cæsare præmii causa Cordubæ, ut Colonia esset, tributum crediderim. Certe Seneca pater de bellis civilibus loquens, Coloniam jam Cordubam vocat: et in Cordubæ Coloniæ jam factæ nummis faciem et nomen Cæsaris Augusti cernimus. Et Carteiam quidem aliquanto vetustiorem in Bætica fuisse

* Vide Orationem pro Archia poeta, num. 10; et Act. II in Verrem, lib. IV, num. 25.

Coloniam, ex Livio prorsus intelligo. Neque obstare A
tamen hoc Strabonis dicto is plane intelliget, qui quo ex hominum genere, Partheniorum videlicet et Libertinorum, deducta fuerit, animadverterit.


Illi vero duo insignes admodum lapides ex Augusti Cæsaris temporibus ad hæc nostra usque Cordubæ perdurant, qui ipso eodem anno, quo Dominus noster Jesus Christus natus est, fuere inscripti. Habent enim hæc verba.



B

Est hic lapis in summo templo, alterque persimilis in D. Joannis Herediæ domo visitur. Amovent autem hæ columnæ omnem illam controversiam, quam divus Augustinus inter quosdam Ecclesiæ Christianæ scriptores narrat fuisse de anno Dominicæ nativitatis. Ignorantes enim Romani consulatus seriem, ut idem inquit sanctus Doctor [a], hic diversa sensere. Sed de hoc non uno in loco historia nostra pertractat. Ibi etiam quod hoc Jani templum Cordubense fuerit prosequimur. Duæ enim aliæ columnæ Tiberii Cæsaris tempore erectæ, eisdem etiam omnino verbis ejusdem meminerunt. Altera in ipso fano Majori, in divi Fransisci altera conspicitur. Illud vero in antiquitatis studiosorum gratiam non prætermittam: in his omnibus columnis numeri primam notam hanc esse ꓕ, quæ nimirum, L geminatæ vim habeat, et bis quinquaginta, hoc est centum milliaria signet. Neque enim potiora milliaria ab Corduba ad Oceanum, qua magis est propinquus quam centum quatuordecim reperies. Quod Francus Jurisconsultus antiquitatis studiosissimus primus, quod sciam animadvertit.

Habuit etiam Romanorum tempore ad Romanæ civitatis et aliarum magnificentissimarum civitatum imitationem puteal Corduba. Visitur namque hodie quoque in marchionis Commarensis ædibus marmoreum puteal cum hac inscriptione.



Aristoteles porro in Politicis (*Lib.* IV, *cap.* 16) docet, non nisi magnas urbes puteal, hoc est, subterraneum carcerem ad putei similitudinem excavatum habere solitas fuisse. Et Libonis puteal Romæ tum ab Horatio celebratum non uno loco legi-
C mus, tum etiam in argenteis nummis depictum et inscriptum videmus. Et hæc omnia cum multis aliis inscriptis lapidibus Romanis, qui multis in locis urbis visuntur, nemo unquam dubitavit ex veteribus ruinis fuisse huc diversis temporibus advecta.

In ea igitur Marcelli urbe nati sunt Senecæ duo pater et filius; Lucanus, Portius Latro, et alii insignes Cordubenses, quorum meminit Seneca pater. Illa eadem clarissimum et fortissimum civem Æmilium Regulum dedit, qui ei ipse cum aliis, ipsum tanquam ducem insequentibus, in Caligulæ imperatoris necem conjuravit. Et cum alios, inquit Josephus (*Lib.* XIX *Antiquit. cap.* 1), privata odia incitarent, hunc publica tantummodo mala permovebant.

Quandiu vero urbs illa vetus a Marcello condita perduraverit, quove tempore mutatione oppidi, in hanc, quæ nunc est, sit traducta, etsi maxime vellem, non possum tamen liquido explicare. Quod
D conjecturis assequi possum, in medium adducam. Tempore Tiberii et Caligulæ imperatorum vetus Marcelli civitas non solum stabat, sed inclyta admodum et celebris vigebat. Id nummi veteres indicant ibidem reperti cum Germanici vultu et nomine, quorum aversa pars *Colonia Patricia* habet intra civicam inscriptum. Neque multi simul unquam ejusmodi nummi sunt reperti, ut reconditi fuisse videantur; sed unus atque alter, ut casu prolapsi, et amissi appareant. Sed neque quisquam tamen sequentium imperatorum nummos, se ibi reperisse, unquam dixit. Tanta præterea urbis per illa tempora celebritas, repente utique non potuit concidere, cum in summa pace et tranquillitate nobis Romani imperarent. Non nisi maturo per multos annos consilio, non nisi longi temporis spatio opus fuit, ut inde penitus fuerit immigrandum. Nova etiam urbs fuit condenda, et magno molimine multa fuere comparanda. Migrationem namque

[a] Lib. II de Doctrina Christiana, cap. 22.

fuisse et oppidi mutationem, res ipsa testatur, et paulo post sumus ostensuri. Sexaginta igitur aut eo amplius post Caligulam annos eam urbem stetisse, possumus credere, et ad Trajanum usque perdurasse.


Ducenti deinde ferme anni ad Diocletiani usque imperium præteriere, in quibus Cordubæ nullam mentionem apud auctores invenimus. Tantum illa basis marmorea de qua jam diximus, cum fragmentis etiam muliebris statuæ in domo Garsiæ Mendesii de Soto Mayor fuit eruta cum Corneliæ Saloninæ uxoris Gallieni imperatoris inscriptione. Sed enim Diocletiani temporibus dubium esse non potest, quin urbs vetus jam periisset, et nova quæ nunc est, percelebris haberetur. Testimonio sunt sanctorum martyrum, qui eo tempore Cordubæ coronati sunt, monumenta, quæ supersunt. Ibi sanctorum Aciseli et Victoriæ domus in qua educati fuerint: ibi sepulcrum, quod ad portam fluminis fuisse, in eorum passione scribitur: ibi puteus, in quem pars viscerum sancti Zoyli martyris fuerit projecta, monstratur; atque omnia et singula magna religione ab tota civitate coluntur. Ita fit ut nemo pius ferre jam posset, si quis passos in veteri urbe hos sanctos martyres crederet. Et de sanctis tribus martyribus Fausto, Januario, et Martiale idem prorsus est statuendum: et cum Gothos hanc novam urbem tenuisse constet; et Sisebuti regis temporibus Agapius Cordubensis episcopus Zoyli corpus ibidem, ipso per somnium commonstrante, repererit, quod ab martyrii sui tempore delituerat, ibidem utique fuerat excarnificatus, et occisus. Nam ab ethnicis inter peregrinorum sepulcra cadaver ejus occultatum legimus, ne ab Christianis dignosceretur: et Agapio episcopo idem martyr (quemadmodum inventionis habet historia) et locum ubi passus fuit, et ubi suum corpus occultatum jaceret, indicavit. Quæ omnia liquido possunt probare, hanc novam urbem Diocletiani et sociorum imperatorum tempore, hoc est, circa annos Dominicæ nativitatis trecentos conditam jam veteri diruta, fuisse. Ille itaque marmoreus lapis ad divi Nicolai, quod vocant in urbe, templum effossus, ibidemque parieti insertus, qui basim Constantii Cæsaris (ut ejus indicat inscriptio) statuæ olim præbuit; in hac nova urbe dedicatus, non ex veteri adductus videtur. Quod etiam de Saloninæ statua et basi quispiam posset etiam existimare.

Causa autem ejus mutationis, et Cordubæ iterum renascentis occasio vulgo inter cives affertur aquæ penuria, qua vetus Marcelli urbs laborabat, longius a flumine quatuor pene milliaribus remota, Ego vero nihil minus in causa fuisse video. Nam et intra urbis ejus situm fontes non uno loco erumpunt: prope muros vero ad ortum fons est etiam bene magnus, cui ab laverum copia nomen est (*Fuente de los Berros*): et vicini huic fonti fratrum divi Hieronymi horti ab fontium copia nomen invenere (*Los Hontanares*): et amplior ille canalis, quo ipsum idem divi Hieronymi cœnobium nunc fruitur per vallem ipsam dorsumque prominens circumductus, in urbem influebat. Durat adhuc ad ipsum fontis caput ejus aquæductus portio, quadrato lapide constructa. Reliquum ipsa cœnobii structura, lapidum similium indiga consumpsit. Quicunque etiam putei inferioribus præsertim urbis partibus effoderentur, aquæ in omnem usum commodissimæ copiam profecto subministrarent. Quæ cum ita sint, loci insalubritatem, adde etiam ad inhabitandum incommoditatem, causas potissimas urbis transferendæ fuisse, credendum est. Eum enim situm Marcellus delegerat, qui ponendæ urbi esset multis modis importunus. A flumine primum tam longe removit, cum fluminis eo tempore navigabilis commoda essent quamplurima. Munita neque situ neque opere urbs esse potuit. Per eum enim clivum est in planum demissa, cui montium juga ita superimmineant, ut lapidibus rupibusque non admodum magnis, quarum est in sublimi ingens copia, tantum commotis obrui mœnia possent atque prosterni. Sed loci insalubritas in primis est insignis. Iidem præcelsi montes septentrionale urbis latus ita protegunt ut aquilonaribus ventis, qui salubriores existimantur, nullo modo possit afflari. Cumque ab ortu ad occasum in longum sit totus situs porrectus, ab septentrione vero in meridiem latitudine per clivum in planum excurrente protendatur; ad solis ardores, qui sunt in ea regione ferventissimi, urbs tota quanta erat, jacuit exposita. Neque inferiora ædificia tegere in clivo superiora poterant, aut æstus mutua conjunctione impedire: cum interim si quo algore Aquilones possent subvenire, prærupta montium culmina arcerent. Inde est quod nunc etiam scorpionum multitudine totus is veteris urbis situs abundat: ipsa venenatorum animantium fecunditate loci pestilentis vitium prodente. Quod ipsum maxime facit ut credam, priscam illam Cordubam, qui ante Marcellum fuerat, hoc situ, quo nunc est, exstitisse, salubritatisque memoria et experimento eum ipsum iterum nunc repetisse.


Instaurata igitur, seu denuo condita nova urbe, quadratam formam, quantum possum conjicere, retinuit. Duo enim muri latera adamussim producta cum antiqui operis, atque adeo Romani vestigiis perdurant. Ab arce ad Solis, quam dicunt, portam, lambente flumine australe: inde ad eam portam, quæ Angeli vocatur, orientale. Duo alia latera, Maurorum credo detrahentium, superaddentium et multis modis immutantium, substructiones confudere. Et præterquam quod quadrata ista forma, lapidesque quadrati Romanam indicant structuram: ipsa quoque portarum in illo ad orientem latere cum æque distante intervallo dimensio tota prorsus Romana est. Quinque enim portas cum adaperirent, in medio unam (quæ Ferrea dicebatur, ipsaque diruta, loco nomen manet) constituerunt, hinc inde binas æqualibus intervallis superaddentes. Perdurant hæ quatuor, Solis et Anguli, in ipsis angulis: reliquæ mediæ, quæ portulæ, voce diminuta, nuncupantur, altera ad Emporii vicum, altera ad Fontem Siccum est posita: et utraque ab suis locis nomen accepit. Nec dubitant nostri Cordubenses, quin ex veteri Marcelli urbe translata in novam hanc fuerint publicorum et privatorum ædificiorum omnia ornamenta. Hinc in urbe statuæ Romani operis non paucæ, inscripti lapides multi: hinc tot marmoreæ columnæ, multaque alia hujusmodi, quæ passim visuntur. Quanquam nonnulla hujus novæ urbis propria fuisse, superius probabamus.

Hinc jam liquet, quanto opere vulgus nostræ civitatis aberret, qui Senecæ domum eam fuisse affirmat, quæ nunc publici senatus ædibus ad austrum conjuncta, ex adverso pene divi Benedicti templum respicit. Emit eam olim vir clarissimus D. Petrus a Corduba primus Plieguensis marchio, ea fama commotus et doctori Antonio Morali patri meo medico præstantissimo dono dedit, dicens, Sapientissimi viri Cordubensis domum, non nisi ab sapientissimo Cordubensi debere possideri. In his ædibus ego natus sum: sed Senecæ eas nunquam fuisse, quis jam non videt? Qua de re latius in historia nostra et Hispaniæ antiquitatibus disseruimus. Cum vero Senecam nomino, patrem Senecæ philosophi semper intelligo. Hic enim Neronis præceptor, Cordubæ, nisi puer admodum, nunquam fuit: infans pene inde Romam ab patre abductus.

Sed enim silentio hic præterire æquum non est, quamvis Senecæ ipsius nulla mentio perduret in antiquis Cordubæ monumentis, ejus tamen familiæ cognomen in basi pervetusta reperiri. Eam nuper Hieronymus Morales filius meus patruelis, juvenis ingenio et litteris ornatissimus, antiquitatisque studiosissimus in patris sui, fratris mei, doctoris Augustini Olivæ, medici etiam præstantissimi domum transferre curavit. Habet autem inscriptum.



Habuit etiam hæc nova urbs suam Romanorum temporibus magnificentiam, cum præceptorem etiam Græcarum litterarum, qui grammatici nomen (quod erat eo tempore doctrinæ probatissimæ insigne) tueri posset, quique præterea illud habuit admodum singulare, quod supra centesimum annum pervixit. Exstat ejus jaspideus cippus in ejusdem fratris mei doctoris Augustini Olivæ domo, cum his litteris.



A Hujus autem posterioris temporis et rudioris esse hanc inscriptionem, tum characteres jam degenerantes, tum etiam verba ipsa et orthographiæ neglectus docent. Proinde novæ urbi hunc lapidem dedi.

Hæc igitur nova urbs, insignis etiam ipsa olim et celebris, sed inde multo celebrior, quod clarissimorum martyrum sanguine divino munere fuerat consecrata, ab Romanis ad Vandalos, inde ad Gothos tandem pervenit, apud quos in magno pretio semper est habita. Bellum videlicet adversum Agilam regem potuit sola suscipere, et ingenti prælio victum fugare. Eadem rebellanti adversum Leovigildum patrem divo Ermenegildo, principi tunc, postea martyri inclyto, sese conjunxit, et fidei catholicæ causam pio bello complexa est. Joannes enim, Biclarensis abbas, qui eo ipso tempore vixit, scriptum in suo Chronico reliquit sanctum principem, peracto bello, Cordubæ ab patre fuisse B comprehensum : ad amicam nimirum, et suarum partium civitatem confugerat. Nummum etiam aureum ejusdem principis habeo, et tanquam sanctissimi martyris egregium mominentum veneror, quem in hoc sacro bello constat esse percussum. Gratissimum autem lectoribus me facturum spero, si ipsum hic descripsero. Altera parte faciem habet principis ipsius juvenilem cum his litteris ERMENEGILDI : altera allatam victoriam præfert, ut ejus conspectu suorum animis validam ejus potiundæ spem Deo duce et adjutore immitteret. Inscriptio autem quæ victoriam circumdat, cum sit cœlestis prorsus et admirabilis, tunc etiam sanctum principem in eo bello eadem pro militari tessera usum fuisse, est admodum verisimile. Est enim hæc : REGEM DEVITA. Quam nemo vel leviter in sacris litteris versatus non confestim videt, ex illis divi Pauli ad Titum verbis fuisse desumptam. *Hæreticum hominem post primam et secun-* C *dam correptionem devita* (*Tit.* III, 10). Et omnia tam acute prudenter et pie excogitata sunt et adaptata, ut credi possit ab Leandro aut Isidoro fratre viris sanctissimis, litterisque et ingenio præstantibus, divi etiam Ermenegildi avunculis, fuisse excogitata, et principi pie rebellanti ad symbolum et tesseram tradita. Repertus vero fuit is nummus prope Cordubam tertio milliario, in eo agro qui *Casa Blanca*, hoc est Domus alba, nominatur. Et Cordubæ fuisse percussum possumus etiam existimare. Officinam enim nummariam in ea urbe fuisse tum ingens ejus celebritas, tum nummi illi Reccesvinthi regis, de quibus retro diximus, ostendunt. Nulla enim alia de causa Cordubæ nomen in illis ad eum modum potuit apponi, nisi quod ibidem fuissent conflati atque signati. Sed hæc omnia cum aliis nostræ civitatis fortunis in nostra de rebus Hispaniæ Historia late prosequimur.

HUCUSQUE MORALES

MONITUM IN SEQUENTEM APPENDICEM.

Postquam ea omnia recusa sunt quæ Ambrosius Morales in singula D. Eulogii opera commentatus est, una cum his quæ de Cordubæ antiquitatibus scripsit, ad majorem illorum intelligentiam, operæ pretium remque lectoribus gratam facturos putavimus, hæc duo sequentia monumenta adnectentes, quorum alterum sanctos martyres Georgium, Aureliam et Nathaliam, alterum abbatem Speraindeo spectat, de quibus multa mentio in scriptis D. Eulogii. Et primum quidem continet historiam translationis, e Corduba Parisios factæ, reliquiarum prædictorum sanctorum martyrum, quorum gloriosum certamen D. Eulogius describit D *cap. 9, lib.* II, *Memorialis SS., ab Aimoino monacho conscriptam, atque a Joanne Mabillonio primum editam : unde nos acceptam hic repræsentamus, quoniam martyrum illorum gloriam quammaxime illustrat. Secundum vero breve quoddam opusculum complectitur seu confutationem quorumdam hæreticorum negantium in Deo Trinitatem personarum in unitate substantiæ atque Divinitatem in Christo. Opus ab abbate Speraindeo conscriptum, qui cum magister exstiterit S. Eulogii et Alvari, iique nunquam sine magna virtutis et doctrinæ suæ laude illius meminerint, ut Eulogium legenti patebit lib.* I *Memorialis SS., num.* 7,

quo in loco alterius ejusdem præceptoris operis fragmentum inserit, et in Vita SS. Floræ et Mariæ, tum Alvarum in Vita SS. Eulogii, cap. 1, num. 2, nemo mirabitur, quod antehac ignotum, nunc vero recens repertum una cum discipuli charissimi operibus primum in lucem prodeat. Ediderat, jam equidem P. Florez tom. XI Hispan. Sacr., pag. 147, duas, quæ opusculum antecedunt, epistolas, quarum prima est Alvari ad abbatem Speraindeo, secunda hujus ad Alvarum responsio, dolens tamen quod opusculum dogmaticum hoc, quod ab eo Alvarus exigebat, nusquam reperiretur. Quod tamen nobis videre datum est, opera scilicet ac liberalitate R. P. M. Pauli Rodriguez, qui e suo regio monasterio S. Benedicti de Sahagun A *illius apographum nobis transmittendum curavit; quem virum honoris causa nominamus, cujus multa doctrina jugi lectione parta, singularisque ac recondita Historiæ Hispanicæ cum ecclesiasticæ tum civilis eruditio nobis præsto fuit. In præsenti SS. Patrum Toletanorum editione. Habuit autem hujusce opusculi exemplar vir hujus generis reliquiarum rimator diligentissimus, et peritissimus simul æstimator a D. Carolo Espinos. S. ecclesiæ Legionensis canonico, qui ut erat rei diplomaticæ atque totius historicæ nostræ callentissimus, tum in pervolvendis illustrandisque veteribus monumentis indefessus, ex vetustissimo illius S. ecclesiæ codice ipse transcripsit.*

DE TRANSLATIONE SS. MARTYRUM

GEORGII MONACHI, AURELII ET NATHALIÆ,

EX URBE CORDUBA PARISIOS.

Auctore Aimoino, monacho S. Germani a Pratis, ex codice ms. pervetusto S. Germ. apud Paris., n. 653.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ MABILLONII.

1. Aimoinus, monachus cœnobii S. Germani apud Parisios, cujus libros de miraculis S. Germani Parisiensis episcopi alias retulimus, historiam translationis sanctorum martyrum Georgii diaconi et Bethlehemitæ monachi, Aurelii, et Nathaliæ ejus conjugis, litteris mandavit uno libro, cui duos de eorumdem miraculis in translatione factis adjecit. Hos libros multis in locis mutilos edidit Jacobus Brolius, ejusdem monasterii cœnobita, quos hic integros ex veteri codice, qui auctoris ætate scriptus est, repræsentare visum est.

2. Horum martyrum Acta S. Eulogius, presbyter Cordubensis, descripsit in Memorialis lib. II, cap. 10, ubi Nathaliam Sabigothonem appellat. Hæc cum Aurelio viro suo facultates suas distribuit in pauperes, amboque virorum ac mulierum monasteria visitare solebant, sed præcipue Tabanense, quod famosissimum in illis partibus habebatur, utrique sexui aptum. Eo frequens recipiebat se Nathalia, quæ filias duas, Felicitatem et Mariam, ibidem Deo tradidit. Mariæ postea rogatu Eulogius Aurelii et Nathaliæ ejus parentum passionem retulit, quam Aimoinus, ut puto, in compendium redegit sub Eulogii nomine, qualis in ms. nostro codice habetur. His duobus, id est Aurelio et Nathaliæ, socius accessit Georgius, monachus Bethlehemiticus, qui ab adolescentia sua servitutem Dei amplectens, viginti et septem annis apud monasterium Sancti Sabæ, quod ab Hierosolymis in partem australem octo millibus disparatur, sub regulari magisterio cum quingentis fratribus conversatus est. Is a venerabili David, abbate ejusdem cœnobii, ob stipendium monachorum in Africam di- B rectus, cum ibidem vapulare Dei ecclesiam incursatione tyrannorum reperisset, cum consilio Carthaginensis episcopi in Hispaniam profectus est. Dein Cordubam adveniens, postea perrexit ad Tabanense cœnobium, quatenus fratrum et sanctarum sororum ibidem degentium benedictione in redeundo (nam reditum in patriam parabat) muniretur. Ubi abbas loci illius, vocabulo Martinus, ejusque soror Deo dicata Elisabeth eum Nathaliæ exhibuerunt, cum qua die sequenti Cordubam reversus est. Demum cum illis ac Felice, necnon et Liliosa, comprehensus, gladio una cum iisdem anno 852 interemptus est: quorum corpora variis in locis sepulta sunt, et quidem Georgii et Aurelii in cœnobio Pinnamellari, quo ex loco hæc translatio facta est. Translationis seriem rescivit Aimoinus ab Usuardo et Odilardo, monachis Germanensibus ejus auctoribus: ex quibus Usuardus ipse est Martyrologii scriptor. Miracula facta apud Aremantum (quæ villa est diœcesis Senonicæ cœnobio S. Germani subjecta, quo tunc Germanenses ob metum Northmannorum cum sancti Germani corpore confugerant) suis ipse oculis contemplatus est Aimoinus ex libri III capp. 16 et 29. Hujus translationis mentionem faciunt Annales Bertiniani ad annum 858, his verbis: « Quidam monachus ex monasterio S. Vincentii martyris, vel S. Germani confessoris a Corduba civitate Hispaniæ rediens, corpora beatorum martyrum Georgii diaconi, et Aurelii, caputque Nathaliæ secum detulit, atque in villa Aremanto in loculis servanda collocavit. » Hæ reliquiæ hactenus penes nos in cœnobio S. Germani asservantur.

INCIPIT PRÆFATIO

TRANSLATIONIS SANCTORUM CORDUBENSIUM MARTYRUM GEORGII ATQUE AURELII.

Si miraculorum cuncta quæ Deus et Dominus omnium fidelibus suis facere contulit, impossibile est verbis explicari; multoties sane apicibus com- D prehendi creditur, et superoperosum, testante apostolo et evangelista Joanne, hæc universa velle perstringi, qui multa quidem et alia signa Jesum fecisse

in conspectu discipulorum suorum asserit, quæ non sunt scripta in libro Evangelii. Sed quoniam quæ credulitatis et vitæ æternæ sunt, illic inserta esse perhibentur, delictum putatur si omnia sanctorum opera miraculis florida silentio contegantur, ac si divinæ eruditionis specula avaræ taciturnitatis nube obscurentur. Idcirco ad sanctorum martyrum Georgii atque Aurelii translationis actus explanandos, licet immeritus, uti laborans in domo, merito tamen accessi rogatus, quo domesticis animatibus Christum fide portantibus vel ramos in via substernere possem. Neque præsumptione, vel temeritate sophistica, sed scriptorum magis canonicorum imitabili provocatus exemplo, A et reverendis Patrum monitis cum dulcissimis adductus imperiis, quibus usquequaque resistere multimoda mihi indagatione nefas inclaruit. Attollitur et divina cooperatrix majestas personante grege divino, et cum Psalmista dicente : *Mirabilis Deus in sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis ;* si ea recensentur acta, quibus sancti amici Dei post triumphalem etiam carnis exitum, laudabili virtute radiasse probantur, qui et eos post momentanea passionum bella, veluti qui in cœlestis militiæ castris desudarunt, perpetuæ consolationis præmiis munerans præstat, quatenus victoriali redimiti bravio se ibi esse, quo idem est, sempiterna amœnitate jucundi lætentur.

INCIPIT

TRANSLATIO EORUMDEM SANCTORUM MARTYRUM,

Quæ celebratur xii Kal. Novembris,

SEU

LIBER PRIMUS TRANSLATIONIS.

Hilduino abbate cum rege procurante, mittuntur qui ex Hispania corpus S. Vincentii exquirant, sed incassum.

1. Agente Incarnationis Domini nostri Jesu Christi annorum cursu octingentesimo quinquagesimo octavo, regni vero Caroli, gloriosi Ludovici imperatoris filii, duodevigesimo, sanctorum martyrum corpora Georgii atque Aurelii educta Corduba, memorabili ordine Galliis sunt invecta. Nam apud monasterium Sanctæ Crucis beatique Vincentii martyris, ubi pretiosus confessor Dei sanctus Germanus Parisiorum pontifex virtutum fulget honore, pervulgatum est quod ejusdem sancti martyris et Levitæ corpus a Valentia, in qua passus est civitate, facile posset haberi, propter videlicet miserabilem ipsius civitatis a Sarracenis vel Mauris factam desolationem : ex quo prædicti monasterii nostri fratres cum favore et animo domni abbatis Hilduini secundi ordinant, regali etiam auctoritate percepta, quos illuc dirigerent anhelantes tantum tamque diu desideratum pignus ad se, Christo largiente, transponere.

2. Assumptoque itinere, ad Hunfridum, marchionem Gothiæ (*le Languedoc*), illis tunc in partibus principantem missi [a] fratres venerunt, cujus adjuti auxilio ad hoc pium proficisci debebant negotium. Quos cum ille in pago Bellensi (*de Beaune*) sibi præsentatos more primatum nobiliter excepisset, suæ inde promissionis haud immemor; mox de illorum adventus causa, quomodo qualiterque fieri deberet, suos advocans, diligenter tractare cœpit. Inter quos quidam ejusdem viæ loca hujusmodi fatebantur importunitatibus passim præpedita, quatenus nec magno comitatu quisquam vallatus illud iter secure aggredi valeret. Contra vero nostri nitentes, ac illud Apostoli ponentes : *Si Deus pro nobis, quis contra nos* ? necnon et illud : *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* ; pariter inde cum ipso per- B gentes ingrediuntur aliquando pagum Uzecensem (*d'Uzès*), ubi ab episcopo viro religioso nomine Walefrido comperiunt (quod Vivarias [*Viviers*] quoque civitate jam audierant) corpus memorati almi Vincentii martyris a supradicta urbe Valentia Beneventum esse transmissum, quod quidem aliter erat. Nam cuidam in Aquitaniæ finibus monacho (qui divina revelatione monitus, ut nobis ipse narravit, Valentiam properans, illud ab inde secum detulerat) a Seniore [b] Cæsaraugustæ civitatis episcopo per vim sublatum. apud eamdem Cæsaraugustam sub reverentia cujusdam Marini martyris non modicæ venerationis miraculis præfulgens habebatur. Hoc ei nomen professus monachus fuerat : neque ab eo etiam tormentis affecto, nomen proprium Vincentii episcopus extorquere prævaluit. Sciebat autem eum ejusdem civitatis archidiaconum fuisse : ideo illum episcopo chariorem, sibi vero metuebat irrecuperabilem. C Quocirca nostros, æque ut episcopum, quod præsens ejus sanctum corpus illic esset, omnimodis latuit. Æstimabatur enim Marinus præclari apud eos meriti martyr. Illud tamen certo scierunt quod jam nullo modo Valentiæ haberetur. Sed qualiter id actum sit, et quomodo a monachis monasterii beati Benedicti Albiensis post annos receptum, atque ad eumdem locum translatum fuerit ; in ejusdem sancti Levitæ et martyris translatione a nobis [c] quoque, digestum sufficienti narratione, videri poterit.

De alio sancti corpore tractant

3 Indolebant utique nostri anxie collacrymantes tanto itineris spatio elaborato, se vacuos redituros. Cujus mœstitiæ morbo, dum apud Barcinonem castrum morantes (ut sic eorum verbis eloquar) diutino quasi languore demolirentur, neque super hoc quid consultius arbitrari oporteret, secum deliberare possent : adeunt novissime quemdam sibi D familiarem virum, nomine Sunifridum [d], ejusdem

[a] Scilicet Usuardus Pater et Odilardus. Infra num. 6.

[b] Seniorem hunc laudat Eulogius in epistola ad Wilesindum Pampilonensem episcopum.

[c] Hinc apparet præsentis Historiæ scriptorem esse Aimoinum, tametsi nomen ejus in codice ms. non exstat, quandoquidem is est auctor librorum de translatione S. Vincentii in Castrense monasterium. Ita Mabillonius. Sed hanc Vincentii translationem ejusque Historiam indignam prorsus omni esse fide ostendit Henricus Florez tom. VIII, tract. 25, cap. 7. num. 142 et seqq.

[d] Sunifridus hic primus Barcinonis civis post comitem, qui Hunfridus dicitur n. 5.

civitatis post comitem primum, eum de hac ratione quemadmodum sibi necessarium duxerant, suppliciter consulentes. Et quia nullo modo propter quod venerant beati Vincentii corpus adipisci valebant; fatentur se decrevisse alicujus sanctorum membra, quem et actio commendaret et passio, perquirere, secumque, ne inanes redirent, ad locum deferre satagere.

S. Georgii et S. Aurelii reliquiis comparandis dant operam, nequicquam dissuadentibus amicis.

4. Interea contigit ut idem Sunifridus de enormi fidelium interfectione, sub Abdiramæ regis Cordubæ persecutione nuper facta sermonem sumeret, exponens eorum quosdam et maxime quos tenemus Georgium atque Aurelium, ea ipsa tempestate nobiliter passos, ac sanguine triumphali acie passionis coruscante, magnifice laureatos, æterni Regis palatium victoriose subiisse. Ad quod, inquiens, si ullatenus (quod non credebatur) evadere possent, iter prosperum se sumpsisse, felici eventu confiderent. Qua relatione nostri suscepta, ita gaudiis exhilarantur immensis, ac si jam optatis potirentur profectibus: neque hoc sibi nisi cœlitus relatum fuisse credebant. Eorum ardet animus, atque illuc eundi cita festinatione, cursus disponitur. Hujus plane fervor amoris, posthabita prioris mœstitiæ amaritudine, tantus illorum desideriis excreverat, quo nullo modo nomen Cordubæ (ut ipsi testantes aiebant) vel audire vel nominare possent, absque socia interdum lacrymarum effusione. Divinitatis namque respectu animæquiores se factos esse gaudebant.

5. Proinde Usuardus Pater (nam eorum alter Odilardus vocitabatur) Athaulphum ejusdem Barcinonis episcopum, atque Sunifridum præfatum aggreditur virum, eis conceptum animi secretum aperientes, quod minime quiescerent, donec Cordubam usque perrumperent, si eis Dominus vel quandoque largitatis manum dignaretur porrigere. Illi audientes omnino expavere mirantes: et quod id fieri nequaquam possit, causas impossibilitatis inferendo, et etiam protestando asserebant. Dicebat et Sunifridus eorum se perditorem, cujus verbis ad hoc accensi percurrerent. Sed cum non eos ab hac mentis determinatione avocare possent, Timemus, inquiunt, vobis. Ingressum tamen eis liberiorem Cordubæ, et ad quem maxime illic declinare, seu apud quem tutius commorari deberent, si forte eo pertingeretur, Leovigildum sibi amicum, non illum parricidam Visigothorum regem Arianum, sed virum Christianis legibus sanctisque moribus eruditum, insinuant. Cumque hoc ita præfixum jam dicto comiti Hunfrido ex ordine intimatum fuisset, componitur, ipso jubente, epistola ad Magnatem Cæsaraugustæ, vocabulo Abdiluvar, quatenus memor inter se juncti fœderis, eos de quibus loquimur fratres penes se degentes servaret, indeque pergendi Cordubam, quantumcunque posset, solamen præberet. Sic post emensum, superna opitulante clementia, prolixi nimiumque laboriosi itineris tramitem, offeruntur una cum directa epistola suprascripto principi Abdiluvar, qui interprete advocato lectore, dum rem cognoscit familiarem, parat, quamvis barbarus, religiose amicis obedire mandatis; jubetque illos in civitate manere usque ad tempus inde consilii. Non enim id ei perficere statim facultas sinebat, multis sibi ad præsens diversisque impossibilitatibus denegata.

Cordubam pergunt.

6. Post hæc accidit (quod minime in circuli octo et eo amplius annorum volubilitate provenerat) quatenus aliqui Cæsaraugustani, visa proficiscendi occasione, Cordubam inde per rectum ire disponerent. Quod sciens memoratus princeps Abdiluvar, eos continuo ad sui præsentiam venire rogavit, imperatque postulans ut fidei suæ creditos homines, Cordubam secum euntes, civili affectione servarent: gratiam proinde a se ac mercedis debitam remunerationem sperantes. Quibus ab urbe simul exeuntibus nostros quidam Christianorum veluti exsilio damnatos, lacrymabundi prosequuntur, bonum esse hortantes ut spem suam illi dicarent, qui non dat fluctuationem justo, et qui omnibus se invocantibus in veritate semper præsto est, novitque benignissimus potiora quam petantur vel sperentur donare. Itaque pariter cœptum legentes iter, quibus quantisque in via angustiati fuerint periculis, quibusque necessitatibus comitati, quoniam perlongum est dicere, aggressum æque librantes cursum, citius transilire statuimus: ne nobis, licet stupenda, utpote admirationis plena, dici possint, a proposito narrationis compendio deviare contingat.

Ecclesiam S. Cypriani adeunt; Leovigildo secretum pandunt.

7. Post multos igitur exactos dies veniunt, Jesu prævio, innumeris mundanorum fluctuum eruti procellis, Cordubam, quo tendebatur, ad urbem. Pergunt illi duo ad ecclesiam beati magnique testis Cypriani, in qua sanctorum martyrum corpora Adulfi et Joannis tumulata quiescunt. Et hoc sollicita consideratione juxta illud Dominicum: *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et reliqua omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33). Nam famulos illamque supellectilem, partim Barcinone, partim vero Cæsaraugustæ, soli euntes reliquerant. Ubi a quodam diacono ejusdem loci primario, nomine Hieronymo, pia devotione recepti, manserunt ibi: evolatque percurrens fama, quosdam illuc ex Francia adventasse divulgans. Fit conventus certatim fidelium, eos miro seu incredibili affectu venerantium, qui tantam eorum obstupescentes constantiam, ineffabilem circa illos omnipotentis pariter admirabantur clementiam. Adfuit et præfatus Leovigildus, cognomento Abadsolomes, cujus a supradictis sibi familiaribus viris, Athaulfo, inquam, episcopo et Sunifrido, nominis tantum et religionis notitiam perceperant. Is illorum adventus causam scrutari, ac juxta sui nominis manifestam etymologiam perquirere vigilantius curavit. Cumque amicorum valere, atque notitiarum ei verba secretius retexissent, et quod idem esset cui se omnimodis credere oporteret, Dei manifesta dispositione in brevi pervidissent; sese illi suamque mentem, multiplices Christo gratias agentes, aperiunt. Suscipitur arcanum, manetque intra viri pectus sepultum. Inde vero congruus quæsitæ rei præstolatur eventus: ipsique sub ejus interim tutela commodis aluntur subsidiis.

Semsoni presbytero res committitur, qui abbas Pinnamellaris, monachos habet repugnantes.

8. Denique post aliquot dierum spatia prædictus Abadsolomes, quodam ejusdem civitatis presbytero bonæ indolis, vocabulo Samson, ascito, sollicite cum ipso indagare cœpit, qualiter veluti suæ providentiæ a Deo (ut certe putabatur) delegatum opus perficere possit. Procurabat itaque quatenus eis ad votum, nobilis triumphi palma sanctorum corpora insignata darentur; qui tot terrarum terminis fidei calore transcursis se propter hoc capessendum emerserant: compatiebatur equidem eorum et animis et longo satis itineri: nec obliviscebatur amicorum Athaulfi episcopi, ac honorabilis viri Sunifridi, multas ei preces super hoc delegantium. Unde claustris arcani sacerdoti retectis, beatorum reliquias Georgii Bethlehemitæ monachi, atque Aurelii Cordubensis viri popularis, si tamen posse præstaret, utrisque sumere libet, quorum animas felici bello decoras ad cœlos martyrum sociandas collegio transisse, pulcherrimo passionis eorum textu firmante didicerant; quam memorabilis et Deo dignus sacerdos

Eulogius, qui et ipse postea glorioso donatus martyrio, Regem Christum consummatus miles ovando petivit, veraci relatione, pluribus (ut ipse nostris retulit) prætermissis, litteris informavit.

9. Dum hæc revolvuntur, divinitus (quod sine dubio fatendum est) contigit, ut memoratus Samson presbyter eidem loco vocabulo Pennamellari, quo eorum corpora SS. martyrum tumulata jacebant, quodque disparabatur a civitate plus minus milliariis quinque, abbas præficeretur. Et ecce quasi parta facilitate, a Leovigildo evocatus unanimes deliberant, quia tempus aderat locusque patens, rem optatam ad effectus culmen Christo favente perducere. Cumque diutissime aliquibus etiam locis ibi fratribus associatis, ut fieret, consulendo insisterent; reperiunt cæteros ita suis adversos conatibus, quod hoc nullatenus concedi posse tristes existimarent. Importune tamen agentes, et quod hoc ut beatorum martyrum corpora celebriori cultu haberentur, quæreretur, multis argumentationibus inculcantes, id tandem fieri communi deliberatione omnibus placuit, tantum ut assensus (veluti decebat et factum est) proprii daretur episcopi. Sanctorum vero corpora, dum tempus revertendi veniret, eodem in loco sub hac concessione, ut erant, jacuerunt humata. Proinde quid eis difficultatis tempore egressionis ab urbe, de qua non nisi multo freti solatio exire audebant, ingruerit, reor esse dicendum.

Bellum Mahomathidis. Saul, episcopus Cordubensis, monachis favet.

10. Rex siquidem ejusdem Cordubæ Sarracenorum primæ egregiæque civitatis Mahomath adversus Toletanæ urbis tyrannum suis rebellem decretis hostiliter properans, jussit omnes adesse. Et ne vel civis, vel peregrinus, excepta custodia, qui secum non iret, in civitate remaneret, publicis imperat edictis. Interea prædicti fratres nostri, cum de concessis martyrum corporibus (quoniam exeundi locus ab urbe patebat) effari monachis supranominati loci Pennamellaris cœpissent, ipsi rursus nihil se ex hoc facturos penitus denegant, maxime abbatis sui venerabilis Samson absente præsentia: contigerat enim illum abesse. Quapropter admodum tristes effecti, quosdam fidelium ad episcopum ejusdem urbis virum modestum, nomine Saulem, dirigunt, postulantes ut sanctorum corpora quæ illis Samson abbatis, suaque benignitate concessa fuerant, apud ejusdem loci habitatores quos ibi darentur suo ipso obtinere dignaretur adventu. Qui suscepta hujusmodi oratione actutum properant, atque imploratum ita mandatum pastori perferunt, efflagitantque succurri peregrinis, simulque subveniri desolatis. Inquiunt ergo ad episcopum: « Pater, pietatem tuam voto supplici deprecamur, quo beatorum martyrum corpora Georgii atque Aurelii, ut olim cum Samsone abbate sanxistis, Gallicis donentur monachis. Cur igitur vexatione fatigati itineris injusta vexantur dilatione concessi pignoris, non est æquum ad religionis vestræ notitiam, quæ tali potest infamari calumnia. » Nec mora, properatur, ad locum. Dumque prolixius concertatum, plurimumque precibus ab episcopo colluctatum fuisset, præbetur, dure quidem, uti ab invictis, vix tollendi consensus.

Sacræ exuviæ inde levantur, non tamen S. Aurelii corpus et S. Nathaliæ caput.

11. Advocati namque tunc alacri gressu ipsi nostri petitores accedunt, atque una cum cæteris, nec segnius tamen, sanctorum corpora avulso desuper altari accelerant effodere. Ut autem ventum est ad apertionem sepulcri, remotis aliis, soli ab episcopo designati adsunt presbyteri, a quibus, ipso quidem excipiente, sacra de eisdem tumulis cum hymnis ac litaniis membra levantur. Qui mundis ea semper linteaminibus involvens, congruis quoque ad efferendum imposuit perulis. Ita,

A divino suffragante auxilio, opus secretum honeste perficitur; et ne illorum integritas a quolibet petente, quavecunque occasione usque ad destinatum locum violaretur, episcopum rogant ea sub assignatione regis Caroli proprio claudere sigillo. Quod cum fecisset, eis ferenda atque cum multimoda testificatione colenda, occulte tamen propter paganos, donantur. Non enim quos martyres faciunt, venerari Sarraceni permittunt. Qui tanti muneris præmium gavise tollentes, comitantibus se nonnullis inde fratribus ad civitatem festini remeant, cupidi cum quibusdam Toletum pergentibus, illuc usque reverti.

12. Præterea quid et huic facto destinabili modo provisum sit, si taceatur, nefas non ambigo. Cum etenim illa sanctorum corpora in agone cœlestis pugnæ fortia, ministri diaboli gladiis animadversa morte stravissent; Christiani dum potuerunt, solito amoris officio excitati, nocte venerunt, atque
B ea sibi furtim rapientes diviserunt. Et quidem beati Georgii corpus ex integro, Aurelii vero sine capite tollentes in ecclesiæ loco sub altari quemadmodum significavimus, sepelierunt. Sanctæ vero Nathaliæ corpus, dum aliorsum ab aliis truncum sublatum fuisset, caput illius in eadem ecclesia, ubi viri corpus, collatum est. Unde accidit quatenus tempore effossionis eorum beati athletæ Aurelii caput cum suo corpore minime inveniretur, ac sacræ Nataliæ corpus quo humatum fuerit, nesciretur. Sed ut impleretur in eis etiam post mortem, quia erunt duo in carne una, corpori beati Aurelii caput Nathaliæ suæ conjugis subrogatum est, atque cum nimia admiratione quærentibus datum, quod deifice factum neminem qui audit, latere putamus. Ut quia unius conjugalitatis viventes, necnon et æqualis martyrii socii existerant, morientes ejusdem essent merito venerationis in terris, quemadmodum et unicæ felicitatis
C compotes sunt in cœlis. Et quoniam sacramenti mysterio συνεκδοχικῶς quidem dicto quasi ab incœpto parumper deflexímus, juvat manum in id ipsum reducere.

Corduba pergunt Toletum, dein Complutum et Cæsaraugustam, mox Barcinonem, post Gerundam et Narbonem, denique Biterris.

13. Cum vero vigiliæ Ascensionis Christi roseo se jubare jam dies lotis quadrigis terris influeret, parant a civitate regis supramemorati Mahomath procedente exercitu egredi, non parvo ad illos fratrum catholicorum eis vale dicere cupientium adunato collegio, qui quanta eos charitate per dies quinquaginta sex, quibus cum illis sunt cummorati, tractaverint, nemo qui dicat. Præsens tamen devotio seu lacrymabilis ipsorum pandebat exsecutio, quo cernere quis posset, nec illos a se unquam pacto quolibet velle disjungi. Sic namque Corduba, Hiberiensium civitatum nominatissima, et cum ci-
D vibus, tum etiam et rerum opibus fecunda, egressi, quorumdam fidelium cum rege ad pugnam euntium tutelis aliquantisper crediti, iter suum alacres resumunt. Inde post dies reperit illos inter agmen exercitus Leovigildus, vir frequenti memoria dignus, qui tempore egressionis eorum a civitate, regiis occupatus negotiis præsens non fuerat; isque, dulcissimo pectoris vinculo eos amplectens, suos deinceps comitatui usque Toletum (quod ex beatæ Leocadiæ virginis confessione præclarum habetur) non est passus deesse. Babila siquidem ejus soror, virgo Deo sacrata, illis quidquid in itinere visum necesse fuit, pallia quoque duo, quibus vicissim sanctorum cooperirentur corpora, pro qua valebat facultate abunde paraverat.

14. Rege denique Cordubensi contra Toleti adversum sibi tyrannum, ob quod processerat, belli copias accelerante, multi ejusdem civitatis viarum insidiatores ad eamdem urbem redeunt, se quantocius castelli præsidio muniri curantes: pacata red-

duntur itinera, fitque viantium secura quacunque A progressio. Tunc nostri cum magna benignitatis affectione omisso procinctu a sæpedicto Leovigildo disjuncti Complutum agressi sunt oppidum gloriosorum martyrum germanorum Justi et Pastoris insignitum tropæis. Inde nobilissimam ac sanctorum et præcipue decem et octo martyrum triumpho laureatam Cæsaraugustæ applicant ad arcem, ubi a superius nominato Seniore episcopo rursus, quemadmodum euntes humane recepti, optima apud ipsum, quousque libuit, sunt quiete donati. Nec tunc quidem de beato Vincentio, quem idem episcopus (ut supra retulimus) sub nomine Marini martyris retinebat, aliquid vel dignoscere certius vel audire quiverunt. Non enim erat, fugato Audaldo translatore monacho, qui hujus facti notitiam panderet. Repræsentantur et Abdiluvar præmemorato ejusdem civitatis principi, gratias agentes, quod ejus essent auxilio in eundo, vel redeundo adjuti. A quo etiam discedentes salutatio- B nes ad Hunfridum epistolas vero ad castellorum custodias perceperunt: quatenus absque impedimento vel discussione ulla munita suæ potestatis loca transirent. Nam ne forte eis improvisis aut legatio fraudulentium fiat, aut certe magis hostilis impetus superveniat, cunctarum ad sese viarum aditus continuis satagunt obfirmare custodiis, atque ea permaxime loca, quæ ab angusti tramite callis exclusas appellant.

15. Itaque proficiscentes Barcinonis ad mœnia, quamvis multipliciter fatigati, perveniunt in urbem sanguinis sanctorum martyrum Cucuphatis et Eulaliæ virginis madore circumlitam. Sed quæ lætitia de consecutis præmiis, quæve fuerit admiratio de eorum subita, utque ita dixerim, inopinata reversione ab Athaulfo episcopo et Sunifrido memoratis venerabilibus viris, mirum est dicere, glorificantibus quoque plurimis Deum ac benedicentibus, qui sic mirifice ad laudem et gloriam nominis sui protegit sperantes in se. Auditis et Leovigildi amici prosperitatibus, suisque eis propensis beneficiis, gavisi sunt in omnibus, a quibus decem et duobus elapsis solibus læti dimissi veniunt festinato cursu Gerundam, sancti Felicis martyris cruore madentem: cujus linquentes confinia, adeunt Narbonam civitatem metropolim. Quo citra ejusdem muros ad sancti Pauli confessoris sepulcrum divertentes, post subeunt Bitteris urbem, ex beati Afrosidii præsulis membris illustrem, in qua gratanter, utpote a noto et cognato viro ipsiusque civitatis primate [a], nomine Gerino, suscepti, sanctorum martyrum corpora in oratorio beatæ Dei genitricis Mariæ servanda reponunt.

[a] Id est vice comite. Infra lib. I. de Miraculis, cap. 3.

INCIPIT LIBER PRIMUS DE MIRACULIS SS. MARTYRUM, QUI EST TRANSLATIONIS SECUNDUS.

Caput primum.

Hinc igitur digna gestorum ratione compellimur, quæ in eadem Biterris civitate, quæque per C eos in sequenti itinere, superna agente clementia, patrata cognovimus, litteris secuturæ generationi memoranda signare. Dum autem illi præfato Gerino eos retinente quietis gratia aliquandiu morarentur, homo quidam Brictius nomine, per annum fere dimidium in tibiis sive superioribus membris genitalibus totus elephantino insanabili morbo ulcerosus jacebat: qui non solum ea debilitate quantum ad corpus inutilis, verum etiam et vitæ solatio, tali in se afflictione grassante, destitutus videbatur. Is sub unius tempore noctis in ecclesia qua inerant sanctorum martyrum corpora, jacere permissus, sic eorum interventu divina miseratione curatur, ut statim in crastino sanitati redditus, ad proprium cunctis stupentibus staret officium. Erat enim charus domini sui ejusdem Gerini pincerna.

Caput II.

Quæ vero dicta quæve dicenda sunt, eorumdem D sane relatu didicimus, qui ea uti inter agendum præsentes, propriis inspexere obtutibus. Insuper et his sacris jam prælibari videbatur miraculis, quæ per eos erat Dominus mira populis collaturus. Ea siquidem ipsa nocte sanctorum martyrum geminato præconio hæc quoque virtus inclaruisse dignoscitur. Juvenis quidam, vocabulo Guisandus, typo febrium per tres menses ægre laborans, nihil revera de se aliud quam mortis casum suspicari valebat. Frigoris enim et caloris acerrimis per horas, nunc his, nunc illis urgebatur stimulis. Hic ad memorata sanctorum corpora in noctis spatio simili sanitatis fide excubare permissus, non dissimili est virtute pulsa febre curatus. Gratias namque referens, et ipse non mediocriter sospes factus regreditur.

Caput III.

Quamvis et alios ibidem a diversis infirmitatum languoribus sanctis eorum meritis noverimus curatos, unum adhuc miraculum, quod ibidem laudabilius enituit, ad non relinquenda festinantes enarrare censuimus. Præfatus itaque Gerinus ejusdem civitatis vicecomes, dum subito gravissima dolorum pœna totum per corpus cruciaretur, sumptis duabus suæ staturæ candelis, et uno (quod est adhuc in testimomonium) non vilis quidem pretii pallio, jubet se, nimium vivere diffidens, ad eorum devehi præsentiam: sicque jacens, seque humi volutans, et quod in eos commiserat, unde labor, humiliato spiritu publice confitens, in primo noctis sopore almi Georgii salutifera visitatione subitam cœlitus est in eadem ecclesia indeptus medelam. Aiebat etenim eumdem sanctum martyrem in monachali, ut olim fuerat, habitu pyxidem auream manu ferentem suis conspectibus astitisse, atque ex ea nivei coloris effuso unguento, caput sibi, oculos manusque, ut cernebatur leniter perfudisse. Ita prorsus quemadmodum sese deinceps inscium assereret, utrumne adhuc placidum oculis somnum colligeret, sanitas quippe membris diffunditur, omnique recreatus corpore gaudens domum Gerinus revertitur, non eos ultra martyres dubitans, imo martyrum potentissimos prædicans.

Caput IV.

Post denique tempus quasi duorum mensium resumptis viribus, et quæ in itinere necessaria erant paratis, ea ab urbe nostri subinde memorati fratres digredientes, in pagum Vivariensem (*le Vivarais*) nec sine miraculis quidem ipso Gerino secum comitante, deveniunt: ubi audita revelatione corporis sancti martyris Andeoli discipuli magni Polycarpi qui auditor beati Joannis apostoli et evangelistæ fuisse dignoscitur, quoniam non longior erat ad hoc accessus, illud se studio contulerunt orandi: ex quo et proprii corporis acceptis reliquiis, ad quod restabat iter complendum remeant, transactisque inde

diebus incolumes eos pagus excepit Belnensis [a], a A quo in villa quæ Arziliacus dicitur, ab Hunfrido gaudenter recepti exponebant hoc, utique illi multum audire sitienti, quid in via contigisset, quidve divinæ largitatis munere impetratum esset : quibus compertis et ipse comes cum admiratione gratias agens, jussis dari necessariis, eos muneratos dimisit.

Caput V.

Sed quoniam suos Dominus fide et confessione probatos famulos virtutibus magnificare, cujusque apud eum meriti essent, signorum indiciis monstrare decreverat ; hoc quod in eodem Vivariensi pago et villa ipsa Arziliaco miraculum constitit, dignum referre fuit. Quædam igitur vidua, nomine Theothildis, cujusdam raptoris spiritu superbiæ tumentis iniqua violentia equum amittens, lugubris sese fletibus contorquens, desperabili contritione languebat. Cumque nullo ingenio nulliusque B solatio suæ flebilitati eum restitui posse existimasset, ad eorumdem sanctorum martyrum expectanda suffragia cum omni recuperandæ spei fiducia se contulit : ibique tandiu flens et perseverans in rogando Deum facientem judicium injuriam patienti permansit, donec die tertia terrore inspirationis supernæ raptor perculsus, satisfaciens viduæ cogeretur sponte reddere quod visus erat nequiter abstulisse. Sic fides meretur, et ita timor operatur divinus.

Caput VI.

Properantes itaque ac finem hujus libelli volentes attingere, quid in vico quodam qui Cora (*Core*) nuncupatur, in pago jam Antisiodorensi acciderit, commemorando narremus. In ecclesia vero ejusdem loci cum fuissent illati, necnon et in altario veneranter expositi, quidam juvenis, custode ad modicum absente, latenter ingrediens, pallium subito quo eorum sacræ tegebantur reliquiæ, furtim abstulit. Sed æquissima summæ rectitudinis operatio, nec hunc longius inultum abire, nec injustitiam sanctos martyres pati sustinuit. Porro in humero sub quo illud absconderat, pustulæ morbo percussus, mox revertens pallium clam ecclesiæ projecit ad ostium : sicque impunitatem quam non merebatur requirens, aufugiendo delituit. Incommoditate tamen exorti ulceris ingravescente tumendo cogitur, vitæ desperatione ac tormenti dolore admonitus, confiteri delictum : quo patefacto cunctisque audientibus denudato, opem plenæ sanitatis, etsi diu vexatus, sanctis eorum consequitur beneficiis, præstante Deo ac Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat omnipotens per infinita sæcula sæculorum. Amen.

[a] De pago Belnensi, sic dicto a Belna, oppido diœcesis Cabilonensis, egit item superius Aimoinus in lib. I num. 3. Exstat in eo pago villa Arziliacus (*Argilly*), de qua mox infra.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI SECUNDI MIRACULORUM.

Quoniam hactenus sanctorum martyrum Georgii atque Aurelii translationis ordinem, et quæ, divina largiente gratia, in via gesserunt miracula, ipsorum suffragantibus meritis, ex parte cucurrimus; C modo ad id quod residet, et si imperitus, fidus tamen vertatur articulus, quæ idcirco duobus gratum fuit dividi libellis, quatenus nec avidis lectoribus superflua, nec piis auditoribus ea quæ dicerentur, forent onerosa. Nam et in prolixe dicendis, quas quoddam præstatur levamen, dum unum finitur, atque aliud inchoatur volumen, quodque præcedens libellus non humana, verum fateor, præfinitione solum bis ternis miraculorum titulis radiatur, quantum eorumdem sanctorum martyrum perfectam insinuet consummationem, ipsius senarii ratio arithmeticis nota declarat.

INCIPIT LIBER SECUNDUS MIRACULORUM,

QUI EST TRANSLATIONIS TERTIUS.

Caput primum.

In prædicto igitur pago Antisiodorensi, Basgernam vicum, compressantibus se hinc inde turbis, cum appropinquare cœpissent ; advenerunt illis quidam ex nostris obvii, eos ibidem officiosissime, prout decuerat, excipientes : quorum animæ ex- D sultatio, sive lætitiæ fletus, gratiis hymnizatis divinis pro desiderio fuit. Unde sequenti die simul profecti, levatis in eodem loco corporibus sanctorum feretris Autisiodorum veniunt urbem, plurimorum tropæis sanctorum insignem. Quo agnito cœnobitæ almi confessoris Christi Germani, ejusdem olim civitatis antistitis, eos quam honorificentissime cum Dominicæ passionis memoriis omnique digno apparatu susceperunt, collocantes eadem martyrum corpora super altare beati Mauricii martyris, Thebææ legionis principis, ea sub nocte servanda : ad quorum ingressum, unum a claudicatione, ad egressum vero hominem alterum a continuo capitis dolore ibidem curatum didicimus. In crastinum autem (neque enim tempus eos ibi amplius immorari sinebat) haud secus quam sunt excepti a memoratis sanctis fratribus, sive ejusdem loci civibus honeste deducti, pagum ingrediuntur Senonicum, quem etiam quibus et quam manifestis decorarint miraculis, laboriosum ex toto, gratum vero si ex parte narretur, existimo.

Caput II.

Dum namque pro agendis missarum solemniis in villam quæ in eodem pago nuncupata fertur Puteolis (*Puteaux*) declinassent, quidam infantulus inter reliquos beneficia requirens infirmus accessit. Tunc nonnulli ut puerum adhortantes, monebant quatenus pro adipiscenda sanitatis medela ad martyrum patrocinia, prout valebat, accederet. Quod cum fecisset, seque rependo magis quam ambulando ante eorum reliquias prostratus jactavisset, extemplo, videntibus qui aderant universis, medicinam adeptus est plenissimæ sospitatis. Nec aliter, inquam, nisi ut eos inde prosequeretur rectus, qui utriusque pedis imbecillitate advenerat claudus.

Caput III.

Nec sit pigrum audire quæ Christo bonitatis cooperatori pro suorum meritis militum libuit operari. Facimus enim alienum bonum, si complacet, nostrum. Anus igitur quædam, nomine Tedelgrimnis, a parvo (quod multi vicinorum ejus noverant) surda pariter jacebat et muta. In domo enim cu-

jusdam religiosi viri, vocabulo Bovonis (in quam A etiam forte eadem sanctorum corpora ad manendum declinaverant), causa ipsius sustentabatur misericordiæ. Attendebat quod eleemosyna quæ datur in terra pauperi, a Christo, teste Martini semichlamyde, recipitur in cœlis. Illa de remedio optandæ valetudinis caute secum permeditans, locum ubi beatorum martyrum corpora venerabantur ascendit. Sed illico ut orationem fudit, ea sanitatis gratia donatur : quatenus evangelico una eademque hora renovato miraculo, et loqui simul et audire mereretur, exivitque gaudens universæ domui gaudium inferens.

CAPUT IV.

Quæ vero idem Bovo in eorum martyrum adventu sibi contigisse cum sacramenti fide dicebat, res digna miraculo præteriri non sinit. Cum ergo fuissent horum delatores sanctorum monachi, qui ea nocte una cum suis fere triginta ab eodem hospitio B sunt excepti ; illis necessaria non surdus auditor apostolicus, hilari animo distribuens prærogavit. Sed ut tantæ tamque copiosæ charitatis superabundans opus remuneraretur, ipsius vinarii vascula sic sunt mane reperta ac si nihil exinde sero potatum fuisset. Universis namque omnique suæ domus familiæ ac advenientibus causa sanctorum martyrum ita ubertim propinatum fuerat, quatenus omnes pro sobrietatis competentia ad plenum vino satiati lætarentur. Penum siquidem eidem subjectum erat solario (benedictionem desuper hauriens) quo beatorum corpora martyrum illa nocte ad quiescendum fuerant admissa.

CAPUT V.

Is etiam Bovo sæpe admirans referebat non huic dissimile factum. A cujus denique domo sanctorum eductis corporibus, evenit diem post quartum, ut ex Hludwici Bejwariorum regis exercitu in eam intrarent, atque illam per aliquot dies ibidem con- C morantes inhumane vastarent. Ergo licet merito hac spe frustratus, ad hoc idem Hludwicus [a] a quibusdam proceribus invitatus exierat, quatenus fratris sui domni Caroli contra Danos navali tunc classe in Sequana [b] decertantis, regnum usurpans invaderet ; sed et victoriam, proh dolor ! veluti jam præ manibus suspectam, hujusmodi infelicissima visus est distulisse tyrannide. Nam rege insalutato cum paucis in navi relicto, omnes ei subdole adhærentes discedunt, et præcisis ejusdem navis funibus, ne rex quolibet auxiliaretur præsidio, ad eumdem Hludwicum eum sibi regem facientes accedunt, quod eis dignam in contumeliam cessit. Rex ergo, divinitus liberatus, statim parvo, quem fides sibi retinuerat, exercitu collecto, fratrem a regno nobiliter expulit ; atque cum vivum capere posset, ei locum abeundi venerabiliter indulsit, suosque fugaces (cum in eis regali censura ulcisci potuerit) sublimi collectione ad D se revertentes, solita pietate recepit, sceptro potitus et regno. Itaque supradicti hostes substantiam domus quam intraverant præter mensuram exterminantes, ex supra memorati viri Bovonis vino non minus (ut fuit putatum) quam sexaginta modios abstulerunt. Sed illis recedentibus rursus sanctorum meritis, Bovone teste, quantitas totius vini integra reperitur. Nec cunctandum charitate illud augente sic excrevisse, quæ in viri corde diffusa, gemino pollebat bono.

CAPUT VI.

Fuit in Villa-Nova (*Villeneuve l'Archevêque*) ejusdem pagi Senonici quædam puella, nomine Arohildis, ab annis octo cæcitatis orbitate damnata, quæ ad beatos virtutum luce conspicuos (de quorum beneficiis nobis est sermo) deducta, taliter semetipsam illis perpetuæ servitutis voto mancipans, subito est curata, ut omnes qui aderant hoc facto mirarentur attoniti. Cumque deinceps suæ professionis famulatum exsequi vellet, a patre velut de temeritatis præsumptione acriter invecta, coacta est quam pro salute noverat pollicitationis mutare sententiam. Itaque dum incipit, sermonibus genitoris magis favens, domum reverti, et pristinæ cæcitatis cladem et vim febrium insuper multam incurrit. Fit pater cæterique propinqui flebiles, necnon et ipsa admodum miserabilis jacens, remeantque veloces ad pia martyrum reposcenda suffragia. At ubi ipso jam patre omnimodis compellente, nunquam se quod promiserat rursus fallituram devovit, sanitatis summa quam prius meruerat recepta, sospes item efficitur, mansitque ibi, atque famulationis pensum statutis temporibus postmodum in ecclesiæ cultu gratanter exsolvit.

CAPUT VII.

Itum enim Acmantum (*Esmant*) villam nostræ possessionis (in qua tunc major pars fratrum ob infestam paganorum degebat persecutionem [c]) aggredientes, ab eis cum magna gratiarum actione et laudibus opimis satis digne recipiuntur : quam exceptionem ita Dominus virtutum floribus decorari voluit, ut nulli dubium quin ad eos non qualiacunque vel incerta, sed pretiosa deferrentur testium patrocinia. Quædam vero sanctimonialis, vocabulo Leutgardis, dum populorum obviam euntium admixta conventui, et ipsa candelam in sanctorum honorem tolleret accensam, subito eam luminis honore gemit orbatam. Quæ neglectus tacta pudore, eam in secreto pallii interim emunctam reposuit. Sed quid exinde Christus pro suorum martyrum ostensione operatus sit, ullatenus absentari non debet. Nam dum sic graditur, tempus operiens illam reilluminandi, mox eo ipso quo erat abscondita, in loco accenditur, partemque vestis qua tegebatur, corripuit. Quo viso, extimuit mulier, præconia tantæ virtutis voce qua poterat attollens : sicque actum est, ut, muliere etiam tacente, pars vestimenti adusta quod gestum erat, obstupefaciens videntes, magnopere declararet.

CAPUT VIII.

Deinde Boso ab Alseio villa a renibus deorsum ita paralysis morbo dissolutus jacebat, quatenus ei non solum ambulandi, verum et sedendi denegaretur facultas. Erat autem in eo videre laborem. Hic tantorum auditis insignium donis, manibus propinquorum inter plurimos deportatus, supplex advenit, accedensque ad sanctorum martyrum reliquias sic infirmitatibus proximas, ita statim postulatæ salutis perfunditur remediis, ut eos proprio gradiens annisu, usque ad ecclesiam, in quam erant inferendi, non desereret. Indeque plenius post dies factus incolumis, ad propria gaudenti animo repedavit : cui congratulantes vicini admirabantur, quia sic cito sibi salus acciderit.

CAPUT IX.

Ea ipsa nihilominus die adducitur quædam femina de villa Rethica ex nominis appellatione dicta Ragina. Hæc ab annis duodecim, non ut illa Syrophœnissa sanguinem fluens, sed contracta renibus jacens, quasi vitalibus jam cernebatur destituta solatiis, opprimebatur et nimia paupertatis inedia, ut puta manuum meditatione otiosa. At dum inter reliquum vulgi cœtum beatorum martyrum patrociniis

[a] Lege Annales Bertinianos ad annum 858, quo hæc contigerunt : ubi translationis sanctorum martyrum fit mentio. Totum hunc locum cum aliis pluribus mutilavit Brolius.

[b] Nempe in insula Oscello ex Annalibus Bertinianis : ex quibus corrigendi Annales Fuldenses, qui pro Sequana Ligerim habent.

[c] Et quidem cum corpore S. Germani, ut ex lib. II de Miraculis ejus, cap. 11, et ex seq. colligitur.

offertur sananda, priscæ felicitatis coram ipsis quæ A aderant turbis usum recepit. Igitur ambulans grátesque sanatoribus suis læta rependens, ad iter (quo aliorum adjuta manibus venerat) se sospitatis gressu comite reparat.

CAPUT X.

Adalbertus de Talsiniaco villa, hostilem multum pavens occursum, ad sanctorum martyrum luminaria pro tuendis aliis unum vas apum fide plena devovit, cum subito ex præfati Hludwici Bejwariorum regis exercitu quidam illius domum irrumpentes, ipsum alvearium natura mellis avidi, quia majus meliusque cæteris erat, primum auferre conati sunt, quod ita mirandum illis nequidquam laborantibus immobile perstitit, ac si funditus in quo erat loco haberetur affixum. Quo facto, hostes turbati nimiumque stupentes, didicerunt tandem illud sanctis martyribus pro conservandis aliis esse dicatum. Unde non solum hoc, sed nil ulterius in eadem domo B sanctos revereri præsumpserunt, animadverso divinam illi eorum meritis tuitionem inesse.

CAPUT XI.

Quia miraculorum veneranda concrescunt præconia, augeatur numerus pagellarum cum gloria. Multis denique ab annis Ingalbertus de villa Vimpopuli, cum esset utrorumque oculorum luminis dono privatus, agnitis tot tamque mirandis sanctorum virtutibus, jussit se quantocius illuc deduci. Sicque uxoris adminiculo insuper et multa comitatus fiducia gradiens, ad locum usque pervenit. Dumque diutius ecclesiam intrans, solo prostratus precibus gemens insisteret, quo sibi sancti martyres, licet indigno, misererentur, luctuosis vocibus expostulans precabatur. Tunc supernæ pietatis fonte eorum obtentu se influente ita confestim mederi promeruit, quatenus Deum sanctosque magnificans, inde valens vidensque uxoris manu oblita rediret.

CAPUT XII.

Adducuntur et duo cæci, villæ quæ dicitur Simportus incolæ, ad præclaram beatorum martyrum postulandam clementiam. Horum sane devotionem integram non modica divinæ miserationis consecuta est cæcorum illuminatrix bonitas. Ut autem intrantes domum qua sacræ martyrum digne venerabantur reliquiæ, se orationi dederunt; obductis post paululum fugatis tenebris, videndi posse recipere meruerunt : surgentesque a pavimento, remoto ductore p r sese hac illacque clare videndo discurrunt. Itaque Dei sanctorumque martyrum sibi providam collaudantes benignitatem, læti, ut illi quondam in Evangelio a Salvatore et Filio David illuminati, discedunt.

CAPUT XIII.

Hac itaque miraculorum fama per pagos late diffusa, se invicem præcedere festinantes confluunt plurimi. Unde quidam adolescens Acleulfus, ex D villa nomine Laudrado, mente captus, cum frequenter fieret jam per annum et insuper atrociter demens, quod vulgo lunaticus dicitur, ad sæpe memorata sanctorum martyrum corpora, licet vinculis nexus, fide parentum adducitur, qui etsi illam non habebant vocem : Domine, si quid potes, adjuva nos misertus nostri; infirmum tamen sibi poscebant mederi. Ubi aliquantulum ob salutis remedium detentus, ad plenum quod alienæ fidei devotione quæsitum fuit, eorum piis meritis adipisci promeruit. Itaque sensus pristini recuperato vigore, alacer recessit, atque de reliquo, uti prius fuerat, sanæ mentis compos permansit.

CAPUT XIV.

Ex eadem villa quædam procax puella, nomine Teutberga, casu quo solebat cum matre litigans, per sanctorum martyrum pignora, Georgii scilicet ac Aurelii, suam non est verita contestari proterviam. Dumque a quibusdam quare sic adversus parentem ageret, et quare sic temere per sanctorum nomina dejeraret, increpata minime quiesceret; ultione præsenti, ipsa quam ad jurandum evexerat, manus contrahitur. Exinde vero quos perjurando per indomitatem linguæ male præsumpserat, studiose rogando cogitur quærere sanctos, suique ab eis causam remedii veluti debitum munus incunctanter exigere. Dumque facti pœnitens ad eorum se limina devotissime contulit, debilis ipsius palma dictu velocius medicata extenditur, atque sana facta mulier ad genitricem ei de reliquo famulatura revertitur.

CAPUT XV.

Erat et quædam femina ex villa vocabulo Casellas, nomine Amaluvara, ab annis centum quadraginta quatuor mensium in cæcitatis nebulis perdurans : nec ulla ei medicinalis profuit manus, quam divina potestas his sanctis medendam servabat. Hæc a quadam pulcherrima feminarum intempesta nocte (ut sibi videbatur) admonita est, quatenus pro adipiscendo luminis usu ecclesiæ pavimentum qua eorumdem sanctorum martyrum corpora quiescebant, sedula scopis mundare satageret, donec eam sancti miserando respicerent. Quod cum adducta semel explesset, oculorum acuminis tantum recepit quod sibi usque hodie sufficiat, nec ductoris adminiculo, sanctimonialis etiam facta, quemadmodum prius indigeat.

CAPUT XVI.

Quid vero eidem in ipsa ecclesia quadam nocte cum cæteris excubanti revelatum sit, reticeri neglectum putamus. Ubi dum aliis dormientibus sola (quemadmodum sibi certum erat et nobis retulit) quasi vigilans resideret, respicit ad fenestram retro altare ejusdem ecclesiæ considerans per eam quasi maximum solis radium splendescere, et per radium quemdam inæstimabilis visus luce contectum pue- C rum ad ima usque altaris descendere, qui manum porrigens ubi sanctorum corpora quiescebant, sublevato paululum quo tegebantur pallio, cœpit diligenter introspicere : cum ecce columba, cujus nitor mirabilis in cornu dextro altaris apparens super eos volitans stetit, ipsum plurimum intentans juvenem, et quasi quiddam divinitatis in eo contemplans, quid agere vellet inspiciens. Qua visione perterrita, veluti fessa angustiis, plenius obdormivit : videtque per exstasim mentis duos venerabiles viros ecclesiam ipsam quibusdam et valde pretiosis decorare ornamentis, qui et aiunt ad illam : « Vade festinans ad hujus sanctæ domus custodes, ac dicito quatenus hanc propensius ornent, quoniam qui sunt in circuitu sancti, horum martyrum gratia huc modo convenient. Siquidem et nos ab Hispaniarum partibus, unde nuper allati venerunt, eos quomodo hic essent, visitare processimus. » Quibus sic effatis sublata visione evigilat mulier, atque hæc secum replicans hæsitat plurimum, utpote quid puer, quidve columba significaret ignorans. Prudens tamen lector, sive sagax auditor (credimus) puerum Christum, columbam vero Spiritum sanctum Patris Filiique consortem, circa sanctorum martyrum reliquias aspirantem intelliget.

CAPUT XVII.

Teutlindis ex Dedentio puellari monasterio, quia Dominica erat, et vacabat ab opere, veluti ex otio ad eorumdem sanctorum martyrum limina se puellariter videndi curiositate donavit. Ibant et alii devote promoti : et quamvis animo dispares, sociali tamen vestigio perveniunt ad ecclesiam, seque simul coram altari orationi dederunt : erigentesque se ac reliquorum qui prævenerant stationem adire properantes, loco quo steterat, cæteris abeuntibus, ita præfata Teutlindis adhæsit, quatenus pavimento immota persistens, universos hoc novo miraculo in non modicam admirationem attolleret. Ubi tandiu

cernentibus cunctis utroque pede immobilis facta permansit, donec pravitatis suæ reatum confiteretur, videlicet quod minus religiose illecebris gaudens accesserit, quodque minus debito pro ipsi obsecraverit delictis. Itaque orantibus pro se qui aderant fratribus, ac litanias agentibus, ineffabilibus sanctorum martyrum meruit absolvi suffragiis.

CAPUT XVIII.

Item homo quislibet, Altearius nomine, de villa Scau, contractus renibus multum per tempus mœrens jacebat. Audiens autem per sanctorum merita infirmorum multos curari, certam (ut iisdem postmodum referebat) spem promerendæ salutis sumens, parentum vel amicorum ducatu se ad eorum miserationem destinavit. Cumque surgens sedere utcunque tentavisset, quo cereum quem ad sanctorum luminaria secum deferret, suis manibus ipse fingeret, in propria domo optatum subito amissæ sanitatis recepit valere. Elevans namque se, sospitemque reperiens, opus quod ante conabatur debilis, jam Deo miserante incolumis effectus peregit. Occurrit ergo sanctis martyribus cum oblatione luminis gaudens, quodque sibi acciderat, læto ore universis exponens.

CAPUT XIX.

Hoc quoque dignum est ponere, quod admirationem pariter inferat et terrorem. Nam corriguntur alii aliorum casu, prophetia teste David, dicentis: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris* (*Psal.* LVII, 11). Igitur quidam serviens ex eadem Acmanto villa, vocabulo Ingalsardus, fuit et ipse quidem hortulanus fratrum. Hic accepta præbendæ suæ annona, ad ipsius villæ farinarium causa molendi perrexit, sicque ibidem cujusquam mulieris pauperis locum mente superbus præripere gestiens, super ipsius annonam, quæ jam molebatur, suam pervicaciter minabatur injicere. Quod illa quibus poterat viribus renitens, cum superare infirmior fortiorem non posset, elevatis ad ecclesiam manibus aiebat flens: « Adjuro te per hos sanctos Dei martyres Georgium atque Aurelium, ne mihi violentiam inferas. » Qua miser contestatione spreta, dum a loco exire cœpisset, continuo percussus intellexit ob tanti contemptus causam, vicinum sibi imminere discrimen: vixque efflagitans, uti moriens tenui qua poterat voce ejusdem molendini provisorem precabatur, quatenus superinjectam annonam festinus rejiceret. Qui post hanc vocem (quod admirationis est et timoris) corruens obmutuit, atque evidenter præsenti morte donatus exspiravit. Concurrunt plurimi (erat enim Dominica) talique spectaculo permoti stupescunt: quod tamen non ad futuræ damnationis casum, sed ad talium magis (ut prælibavimus) corrigendam temeritatem ei justo latentique Dei judicio hortamur provenisse credendum. Nam mors impiorum, ut beati Gregorii verbis dicatur, bonis est in adjutorium, malis vero ut se caveant in testimonium.

CAPUT XX.

Post denique mulier quædam ex villa quæ appellatur Civiacus, nomine Godohis, tanto tamque terribili detinebatur perlucidæ inflationis morbo, quod omnium competenti membrorum officio desolata miserabilis videretur. Patiebatur et aliud intrinsecus cardiacæ scilicet infirmitatis malum, quod eam assidue præfocando nimium exanhelabat. Dumque per momenta horarum quasi finitima sibi clade duceretur ad mortem, imponitur tandem suorum manibus propinquorum carpento, et sic perducitur ad clemens sanctorum auxilium. Exeubabat siquidem tali pœnarum acerbitate oppressa ante ecclesiæ fores, ut vix in ea animadverti saltem spiritus posset. Post triduum tamen serenato stomacho ita (quod est mirabile verumque) sanatur, ut propriis exinde plantis, remoto carpenti vehiculo, læta redire meretur.

CAPUT XXI.

Novimus et quemdam nomine Hieronymum, ex pago proximo Wastinensi, simili sanctorum virtute curatum. Hic totius corporis per annum fere dimidium obrutus debilitatis angore, parentum pietate ad beatorum martyrum evehitur solatium, cujus infirmitas plus ignorabatur quam curaretur a medicis. Qui vix invento consilio, qualiter eum ob omnium valitudinem membrorum in quodam vinario vasculo, quod tonna dicitur, super plaustrum imponerent: hoc facientes pervenerunt ad sacram eorum præsentiam; ibique multis qui adhuc supersunt contemplantibus, sic virtutis pristinæ sospitate roboratur, quo pro se sanus effectus assurgeret, domumque facta super se (quemadmodum speraverat) misericordia Dei gratulans recurreret.

CAPUT XXII.

Item quædam femina dolens se in prole non parvo caruisse solatio, filium mutum pariter et surdum secum sumens, ad sanctorum miraculis coruscantium duxit reliquias. Cumque, facta oratione, ipsa ab altari procul stetisset, innuit nato veluti surdo propius accedere, et candelam voti quam manu ferebat, ad altare sanctis offerre. Tum subito os infantis, quod fuerat a nativitate clausum, aperitur, atque illam vocem primam emittens, matrem interrogat cui deberet lucernam porrigere. Responsoque genitricis, ut eam altari inferret, accepto, per exsecutionem operis se etiam audire clare demonstrat. Quo agnito qui eum nudiustertius mutum cognoverant simul et surdum, per sanctorum merita evangelica revixisse miracula admirando proclamant. Nec mirum: cum Salvator non solum quanta fecit, insuper majora discipulis quod essent facturi promisit.

CAPUT XXIII.

Non igitur credimus displiceri si quod utile sit honestumque narretur. Enutritur siquidem fides fidei operibus crescens. Cum autem quadam die Dominicæ Resurrectionis ad ipsius ecclesiæ ostium mulieres quædam, aliæ salutis, aliæ vero sanctorum martyrum desiderio vigilias agerent, mira illis ac stupenda visio demonstratur: non ut pastoribus olim de Christi nativitate docendis, sed ut feminis prædicabili virtute devotis. Prima itaque noctis vigilia aspiciunt per ejusdem ecclesiæ ostii rimulas, videntque ab interioribus ad se usque nimium luminis splendorem procedere. Tunc una illarum vicinius accedens et quid illud esset, diligentius inspicere contendens, ecclesiam omnem ita incredibilis nitoris fulgore radiantem cernit, quatenus eo ipso lumine partim exterior qua residebant porticus reluceret. Et ecce diversas intus voces miræque suavitatis cantilenam audiunt, veluti multitudinis congratulantium, hymnidicasque Deo laudes cantabiliter jubilantium, quod subsilenter se catenus vicissim audisse fatebantur, donec ad nocturnalis debitum officii pulsato signo fratres evigilarent. Unde si miraculorum causas ordinabili providentia dispositas consideramus, illa superior visio completa decernitur, qua ostensum monstravimus, horum martyrum gratia qui in circuitu essent, sanctos illuc conventuros angelico duntaxat comitatu jucundos.

CAPUT XXIV.

Ex pago Parisiaco, et villa nuncupante Theodasio (*Thiais*), juvenis quidam annos, ut ferebatur, quinque in cæcitate gerens, se omni tempore nubilum fore gemebat. Supplicat ergo tot tantisque sanctorum martyrum compertis virtutibus, quatenus ad eorum pium perduceretur auxilium. Jam enim quasi fidei lumine catechizatus videre cœperat, quod cum factum fuisset, cito benigna eorum interventione, quod fidens quæsivit consequi meruit. Siquidem non post multum temporis expletis ibidem ad salutifera eorumdem sanctorum martyrum limina lacry-

mosis excubiis, præclaris ipsorum (quod est fatendum) meritis, invisis propulsis tenebris ei protinus virtus cœlestis lumen quoque diei refulsit. Rediit igitur videns, Deum magnificans ac gratias agens, homo innovatus, novum vicinis miraculum referens. A

CAPUT XXV.

Erat itaque ex pago Andegavensi homo quidam, nomine Adalsadus, ab annis fere quinquennii vitiata compage membrorum sic invalidus, quatenus ipsa calcanea posterioribus tenacissime haberentur innexa: qui tantorum cognita miraculorum virtute (divulgabantur enim a plurimis) ad eorum se martyrum gratiam quadam Dominicæ noctis die, prout potuit, transtulit: ubi nocturnali advenienle tempore, jamque fratribus eumdem officium angelica celebrantibus reverentia, tantos cœpit solventibus se (ut solet in talibus fieri) membrorum vinculis clamores emittere, quibus psallentium voces ejulans omnino perrumperet. Interea B recuperato mox partim salutis remedio, post paucos exinde dies priscæ sospitati redditus, ita eorum orationibus elevatus subrigitur ut per se rectus incedens, ad propria suo sospite gressu rediret.

CAPUT XXVI.

Ramnoldus denique de villa quæ vulgari appellatione *Fontanas* dicitur, ab anni circulo pede tenus a renibus claudus, ad eorumdem martyrum florentem clementiam miserandus venit. Venit, dico, non gradu proprio, sed peregrino evectus ingenio, ita plane miserabilis, miraque totius corporis debilitate tenuis, ut multiplicatis in se infirmitatibus, amplius putaretur mori quam posse mederi. Fide tamen accedens, atque ante sanctorum martyrum cineres, a quibus portabatur, expositus, continuo cum salutis munere superno respectus intuitu, piis ipsorum suffragiis factus C incolumis sanatur, utique renum ac tibiarum, necnon et pedum omnisque imbecillitatis fugato contagio, quemadmodum præsens adhuc ejus alacritas testatur. Sic valens redditur, quatenus ex eadem infirmitate nihil deinceps passus famuletur in eodem loco jugiter Deo.

CAPUT XXVII.

Ergo quia solet esse ut in suo sacro beatus Gregorius scribit Dialogo, quatenus majora aliquando fiant miracula, ubi minor portio sanctorum habetur reliquiarum; gratum fore putamus, si et hoc quod de eorum gestum est reliquiis, inseratur.

CAPUT XXVIII.

Gloriosus itaque rex Carolus, quantum de adventu horum martyrum relectis sibi passionis eorum titulis gavisus extiterit, non est nostrum exponere. Lætabatur quod regni sui tempore tales Gallia promeruerit flores: quorum ut a parte totum pos- D sideret, sumptis reliquiis hoc quoque sub exemplo religionis fidelibus agendum ostendit. Nec est oblitus delegans Mancionem Cordubæ hujus facti veritatem ex loco requirere: a quo regresso etiam illud eorum gestis mutilatum addidicit, quod memoria et inscriptione dignum habetur. Cæsis igitur sanctorum martyrum corporibus, atque in platea diffusis, jusserat Abdirama tyrannus ea ibidem servari, sepultura negata, quatenus illa canes volucresque cœli comederent, quod actum certe videmus, ut in eis quoque psalmodia adimpleretur David canentis: *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ* (*Psal.* LXXVIII, 2). Sed ut eorum dignitas meritique celsitudo declararetur, ita divinitus ab universis rapacibus sunt animalibus, ut olim Daniel a leonibus custodita, quo nullo vel muscæ appetitu per triduum quo taliter jacuerunt, fuerint attaminata. Hoc enim cum vero idem dicebat Mancio, et quod a fidelibus ejusdem Cordubæ civibus illud verissime audierit, testabatur. Similiter et quod viderit duas nobiles puellas, carne sorores, se præsente agonizantes martyrium complevisse pro Christo. Cumque major ante se minorem passionis calicem bibere vellet: « Non, illa inquit, soror, ita convenit; sequar te magistram ad bravium, quam secuta sum ad spectaculum: ne timeas, non te derelinquam. Fidem enim, et dilectionem moriens exhibeam, ut vivens solebam. Ita ambarum capitibus obtruncatis, angelorum solatio evectæ animæ migraverunt ad Deum, victuræ perenniter.

CAPUT XXIX.

Cæterum cum Eddoni comiti (ut ad nos, tempus enim est, revertamur) pars postulata sanctorum martyrum deferretur reliquiarum, accidit in via ut quidam presbyter postulans diutius sibi orare concedi, cubiculum domus quo servabantur, intraret, easque reliquias, hoc nemine meditante, furandum præsumeret: tollensque quod primum manui occurrerat, scilicet quidquid inerat capillorum beatæ Nathaliæ, festinat in ea ipsa noctis obscuritate ad mansionem furto jucundus redire. Sed antequam ei longius abire concederetur, in medio platearum mox amens horrendum concidit, sensu omnique vigore frustratus. Deinde quasi post horam ad se revocatus, ac delicti pœnitens, surgit, atque quasi qui ad aliquid necessitatis exierit, revertens, sanctæ martyris reliquias rursus orationem ex desiderio simulans, suo in loco reposuit. Qui si amando bene obtulit, tamen quia fraudem cui debebantur) faciendo bene non divisit, item coram qui aderant universis subito corruens, per terram rursus volutando torquetur. Assurgunt omnes horribili metu perculsi, atque manus in eum quibus teneretur, injiciunt. Videbant amentem, æstimabantque illico morientem: et ne res tanti celaretur miraculi, cogitur post mente recepta fateri commissum. Sic a ferente Usuardo Patre, sanctorum prius invocata miseratione, culpa donata reanimatus presbyter hilarior regreditur.

CAPUT XXX.

Igitur prætermissis plurimis, ponatur scribendi finis, admisso eo quo elucescat, beatum antistitem Germanum non solum de æterno, verum et de præsenti lætari consortio. Teutgaudus quidam in novo vico, qui est super Ligerim fluvium situs, cum adversa valetudine infirmus decubuisset, hoc insuper ei calamitatis accidit, quemadmodum a femoribus deorsum usque contraheretur: in quo contractionis vinculo, annis ferme duobus negato sibi penitus ambulandi officio, permansit. Deinde fama docente, ut cognovit horum sibi venerandorum martyrum subveniri posse meritis, exorat supplicans se illuc amicorum sive propinquorum manibus ferri. Quod ita factum festinatumque est. Cumque venisset, ac ibidem aliquandiu in orationibus degens permaneret, præfinitum suæ salutis præstolatus est diem. Jam instante sacra beatissimi patroni nostri domni Germani translationis festivitate, accessit maturius, quod devotione quæsierat, citius inventurus. Collocatus autem ante ejusdem magni præsulis altare, in quo superposita eorumdem sanctorum martyrum corpora servabantur, constitit, quemadmodum eorum simul, ut credimus, interventu celerem infirmus consequeretur salutem. Sospes igitur factus, ut vidimus, ibat cum magna gratiarum actione resultans: et universis omnipotenti Deo sanctoque Germano et martyribus virtutum magnitudinem acclamantibus, mansit ibi ad mortem usque deserviens, patria parentibusque et amicis, qui se detulerant, oblitis. Nec immerito eorum esse voluit beatus Germanus in terris patrati consors miraculi, de quorum societatis gratia exultans gaudet in cœlis: in illa desiderabili patria, in illa jucunditate splendida, in illa prorsus regione melliflua, in illa portionis humanæ viventium terra, in illa matre nostra cœlesti Jerusalem, in illis amœnissimis perennitatis pascuis.

Ibi enim qui semper viventes, et in eum prospicere desiderantes, Deo assistunt, spiritus applaudunt, in una eademque gloria ex hac mortalitate jam sibi consociatis sanctis, pariterque lætantes congratulantur etiam his, licet adhuc in terris peregrinantibus, quos sciunt et intelligunt per scientem et intelligentem omnia, suos post paulum communi A collegio fieri concives, quorum una erit et summa refectio, unius et pleni Dei inaccessibilis contemplatio: contemplatio quia visio, inaccessibilis quia impenetrabilis. Nam inquit, Psalmista: *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* LXIII, 7). Quia quo amplius Divinitatis rimantur secreta, eo amplius inspiciuntur profunda.

SPERAINDEO ABBAS

Contra hæreticos quosdam negantes in Deo trinitatem personarum in unitate substantiæ, atque divinitatem in Christo.

EPISTOLA ALVARI

[a] ABBATI SPERAINDEO DIRECTA.

Domno dilectissimo et in Christo Patri SPERAINDEO abbati, ALVARUS cliens.

Præscius et omnipotens Deus hæc in quæ devenimus tempora, et esuriem verbi Dei quam patimur, validam vos nobis opposuit destinam [b], qui et nostram cibaret inediam, et dapibus alimoniæ reficeret corda. Sed quia vos nunc scio tribulationibus deditum, vel amaritudinibus oppressum, quæso ut apostolicum dictum pro consolationis assumatis eloquio. Ait enim ex tribulationum periculis quæ sustinuit: *Periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus* (*II Cor.* XI, 26). Et post hæc alio in loco dixit: *Gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem nos non confundit* (*Rom.* V, 3). Ideoque, venerabilis Pater, et omnium sacerdotum optime sacer, noli ob tribulationum discrimina postulata reticere, sed clientulo quæsita largire, quia munus inde dando augetur, et negando minuitur. Instruxit me quippe Moyses legiferus, dum ejus intonat eloquium: *Interroga patrem tuum, et dicet tibi; seniores tuos, et annuntiabunt tibi* (*Deut.* XXXII, 7): et quia spiritalem te recolo Patrem, ideo spiritalem impetro opem. Scilicet quia, hæresis illa quam mea vobis jamdudum insinuavit inertia, Dei lacerat Ecclesiam, et per assertionem lethalem catervam post se trahit ad mortem; quia, juxta Apostoli dictum: *Sermo hæreticorum ut cancer serpit* (*II Tim.* II, 17), corda humilium præsertim, quia *venenum aspidum sub labiis eorum* (*Psal.* XIII). Ob hujus rei causam vestra flagitamus auxilia, et subsidii adminicula, qualiter hæresis eorum nebulosa et infanda, potentia cœlitus pereat, et sponsæ Christi clarissima dogma per vos fulgens eniteat. Eorum vero oppositiones illæ sunt quæ vobis jam a me intimatæ sunt.

Caput autem ipsorum nequissimorum, quod falce sit veritatis resecandum, illud est: quod trinum in unitate et unum in trinitate non credunt: prophetarum dicta renuunt, doctorum dogma rejiciunt; Evangelium se suscipere dicunt; et illud quod scriptum est: *Ascendo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum, ad Deum meum, et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17), male utique sentiunt: Christum Deum ac Dominum nostrum hominem tantum asserunt, propter illud quod de eo in Evangelio legunt: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque Filius, nisi Pater solus* (*Matth.* XXIV, 36). Cunctis tamen nisibus posco ut horum gentilium aniles quæstiones [c], quia mortiferos audientium generant casus, iis videlicet qui sunt imperiti et Scripturæ sanctæ non ventilant textus. Quas duas responsiones, ut soliti estis in aliis facere causis, amplius B Scripturarum flosculis adornetis. Et per unam quoque assertoris, quam vobis protulimus, locutionem, aptam promulgetis responsionem. Sic cum sanctis in æthereis regnis accipiatis a Domino fulgidam mansionem. Amen.

RESPONSIO ABBATIS SPERAINDEO.

ALVARO DIRECTA.

Illustrissimo mihi domno ac venerabili seu omni affectione Christi in charitate amplectendo inclyto ALVARO SPERAINDEO.

Dum a tribulationibus validissimis essem nimium occupatus, et mens mea extuaret vel animus, ac jaculis æmulorum irretitus telisque confossus sederem a vulneribus tædiorum sauciatus, et fluctuaret ut navis inter maris gurgites spiritus ab amaritudine circumseptus; subito gerulus vester ad me ingressus, litterarum mihi detulit munus. Ipsam vero scriptam concite perlegi, et eloquia C serenitatis vestræ illico agnovi, continuo ut luce clariora resplenderunt jam pene mortuo, et mox interior ille suscitatus est homo. Cœpi quis essem obstupefactus intueri, aut quis esset per quem talis ut eram mererer suscitari, vel pro tam difficilioribus ex sacris Scripturis quæstionibus sciscitari; dum nunc in tempore non ad hoc nonnulli, sed in locutionibus vulgaribus malunt immorari, non attendentes ad illum Domini dictum. *Omne*, inquit, *verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Aut in suorum sodalium detractionibus volunt linguam extendi, non reminiscentes illud sacrum Evangelium: *Festucam*, inquit, *in oculo fratris tui vides, et trabem in corde tuo non consideras* (*Matth.* VII, 3). Ea vero quæ nociva sunt, et inimici ob detrimentum fratris ingerant, nonnulli illico credunt, et Psalmistæ eloquium non recolunt: *Verba inimici iniquitas et dolus* (*Psal.* XXV, D 4). Ipsa vero inimicorum figmenta mox ipsi ventilant auditores, et aliis ea iterum in detractione fractis exponunt insultantes, verbaque sancti apostoli post tergum rejicientes. *Qui detrahit*, inquit, *fratri, et judicat fratrem, detrahit legem, et judicat legem* (*Jac.* IV, 11). A talibus enim casibus non solerte convenit abstrahere, ne vocem Domini per Jeremiam prophetam nobis intonet clare: *Attendi et auscultavi, dicit Dominus: nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo* (*Jer.* VIII, 6). Unde nostrum omnibus momentis contemplantes delictum.

[a] Perperam *Alvari* pro *abbati* in Florezio.

[b] Hanc vocem usurpat S. Isidor. lib. III Sent., cap. 40, ubi perdoctus vir Garsias Loaysa inquit: *Est autem destina fulcrum, quod parieti ruinoso, ne cadat, supponitur.* Eadem usus est Corippus poeta Afer de Laudibus Justini Junioris; Arnob., lib. II; et S. Braulio, Cæsaraugustanus episcopus, in Vita ejusdem S. Isidori. Videas Joannem Baptist. Perez. in not. ad cap. 47 de Viris illustribus, hujus sancti, p. 281, t. I nostræ Collectionis, et Florezium, tom. XI Hisp. sac., p. 106.

[c] Perquam recte Florez.: *Supple* oppugnes, *vel quid simile.*

et præstolantes universis prioris vitæ nostræ terminum; compassione piissima pro fratris lapsu flebilem debemus exhibere gemitum, et illud implere ac proferre apostolicum: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (*II Cor*. XI, 29)? Non ergo facile est credendum, dum quis cum verbis maledicis auribus insonuerit nostris, nisi ante utiliter discussis et fideliter agnitis, exemplum habentes in his quæ Dominus locutus est verbis: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatum est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam igitur, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam* (*Gen*. XVIII, 20). Omnipotens Dominus, omniaque sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quam probare? Et ideo ait: *Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.*

Sed hæc cuncta quæ per contritionem cordis locutus sum, omittam; et ad ea quæ vestra excellentia poscit, revertam. Quis enim in tam ineffabile rei negotium quodpiam quid fari audeat, cum beatus Hieronymus dicat: « Inenarrabilia sunt Dominicæ incarnationis mysteria, et nativitatis ejus sacramentum? Et ideo non quantum ipsa nativitas est, intimare curamus; sed quantum per sermonem exprimere valemus. Verum quantum ipsa nativitas est, non solum explicare non possumus, sed nec ipsi sancti evangelistæ plene dicere potuerunt. Et si sancti evangelistæ, qui sancto utique Spiritu afflati, dicere plene nequiverunt, ex ipso quod sub pleno in libris Evangeliorum adnotaverunt; melius est reticere, quam asserere. et recte ut dicta sunt credere, quam præscrutando litteris aliquid commendare, secundum sententiam doctoris quæ posita est vere. « Credimus, inquit, Patrem cum Prole ejus, ortumque Spiritum almum, in personis trinum, deitatis credimus unum. » Qualiter intactus processit Virginis partus, aut qualiter pati voluit natus, hoc tractare nulli liceat, sed credere tantum. Et si prohibetur hoc tractari, quis calamo scribere ergo, vel lingua, hoc quippiam audeat fari?

Et quia contra hæc capitula, quæ adnotata sunt in epistola vestra, testimonia ex Evangeliorum et apostolorum libris exquiris, pro eorum machinationibus dissipandis, et dubiis utique validissime confirmandis; eminentius tamen id agere vestra valet benignitas, quam nulla unquam tribulatio vel mundialis fatigavit adversitas. Ideo intellectui ac sensui vestro summa permanet integritas, quia jam me pene multis modis contrivit sæculi hujus acerbitas. Sed quia ad hoc opus vos valde sufficitis, ut reor non ob aliud hoc expetitis, nisi ut credulitatis meæ textum agnoscere valeatis. Ego vero humiliter ea proferam, quæ credo, atque simpliciter enarrem in quæstionibus sciscitatis, quæ sentio. Quidquid enim absque norma veritatis paternitas ibidem præsenserit domni nostri, vestri genitoris, mox illud emendet velocitas scriptoris: et me iterum clam instruat, ut olim fecit alios, gratia vestri honoris: et celet inscium atque ignarum vestra solertia cordis, ita ut errorem nemo sentiat foris: quia ad emendandum, vel demendum, atque addendum, celsitudini vestræ est destinatum. Ecce ut ab excellentia vestra exstitit imperatum, ut valui persolvi clientulus famulatum. Sed oppositiones illæ, quæ sunt in epistola vestra taxatæ, eas sub nomine assertoris exarando inducam, et textu vestro sanctarum Scripturarum testimonia, producam, et cum doctorum dicta, ut qui vero [a] conectam, quæ respondendo conscribam.

I

Respondet ad primam partem interrogationis Alvari, id est, confutat eorum errorem hæreticorum qui trinum in unitate, et unum in Trinitate Deum non credebant.

Fides unius substantiæ Trinitatis, hoc est Patris, et Filii, et Spiritus sancti sine initio temporum, super sensum atque sermonem est: una virtus, unus Deus, tria vocabula. Deum enim cum nomine, uno lumine in lumine ex tribus: tribus quidem secundum proprietatis essentiæ, una autem secundum substantiæ, vel deitatis rationem dividitur, ut ita dicam, indivisibiliter; una est enim in tribus deitas, et tria sunt, in quibus est deitas. Amplius autem aliquid vel minus relinquamus, ut neque fiat in Trinitate confusio, neque in divisione discidium. Verbum vero nascitur de Virgine Maria accipiens corpus animale. Sed quid dicitur sensum mittens suum verbum? Sed neque sermo comprehensus est a carne, sed in carne, et supra carnem: sicut dicitur præscius Dei, Dei virtus, Dei veritas: passus autem humana, sed sermo Dei impassabilis est. In passione quidem moritur homo, ut vivificaret protoplastum, qui ceciderat per inobedientiam. O homo! De Deitate quæris? Vitupero te. Si credis, bene facis; si autem dicis: quomodo pater? de lumine excidisti. Et si dixeris, quomodo Filius? similiter excidisti de lumine. *Nemo enim novit Patrem, nisi Filius; neque Filium quis novit, nisi Pater* (*Matth*. XI, 27)?

Qui tres virtutes inducit, tres deos confitetur. Nos credimus tres personas, unam vero virtutem, unamque deitatem. Quando autem nominaveris Patrem, glorificas Filium, et quando nominaveris Filium, adoras Patrem. Si iterum unam personam Trinitatis dicimus, judaizamus [b], quia Judæi unam personam dicunt, et unum Deum confitentur. Si tres deos dicamus, similes sumus gentibus. Sed confitemur Patrem in Filio, et Filium in Patre cum Spiritu sancto: non separatur, non dividitur Deitas, Deus enim de Deo virtus ex virtute, lumen de lumine, veritas ex veritate. Testis non est: non cœlum, non terra, non mare, non lux, non tenebræ, non angeli, non archangeli, neque cherubim, neque Seraphim: sed erat in principio Filius apud Patrem. Nemo cognoscet innascibilem, nisi qui natus est: ipse utique scit unde sit natus. Neque nascibilem aliquid scit, nisi qui genuit: Pater scit quid generavit: similis genitus genitori Patri. Consilium et sapientiam [c] una virtus, et una deitas. Nativitatem Filii Dei quæris? Habes propriam nativitatem ex virgine Maria; sed nativitas Filii Dei a principio apud Patrem.

Confiteor enim unum innascibilem, et unum natum. Confiteor Patrem omnipotentem sine initio, sine fine; qui omnia tenet, et a nullo tenetur; omnia gubernat, et a nullo gubernatur; omnia videt, ipse autem invisibilis est. Confiteor et Jesum Christum Filium Dei cum omni consilio et virtute paternæ deitatis: quantum autem habet virtutem [d], tantum et Filius: non diminuitur genitus eo qui [e] est innascibilis; una enim virtus et una deitas innascibilis, et nati. Spiritus vero sanctus neque natus, neque innascibilis, non est factus, neque creatus. Si autem dixero *natum*, duos filios statuo ex uno Patre, et non unum ex uno, aut solum ex solo. Et ubi est unus Pater ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia (*I Cor*. VIII, 6)? Et si dixero *innascibilem*, jam non unus Pater omnipotens innascibilis, sed duos omnipotentes statuo. Et si dixero *facturam*, gentiliter dico; gentes enim facturam manus adorant, et non factorem cœli et terræ. Quid ergo habeo dicere? Phantasma? Absit. Quoniam blasphemia Spiritus sancti non remittetur (*Matth*. XII, 31, 32). Quomo-

[a] Lege *cum doctorum dictis atque vero, etc.* FLOREZ

[b] Sic ms.

[c] *Sapientia.*

[d] Forte *virtutis*.

[e] Forte *quia*.

do ergo duo ligna conjuncta missa in fornacem ignis, et de duobus lignis flamma procedit inseparabilis, sic de Patris et Filii virtute procedit Spiritus sanctus, ipsam virtutem et deitatem habens, sicut beatissimus Paulus apostolus posuit, dicens: *Unus enim Deus, unus Mediator Dei et hominis homo Christus Jesus* (*I Tim.* II, 5); non Deus Dei Mediator, unus enim est usque ad trinitatem; sed accipiens corpus de virgine Maria, induens veterem hominem qui ceciderat per inobedientiam, Mediator factus est carnis Patris virtute, hoc est Jesus Christus.

Quando autem assumit apostolos, sicut Evangelia testantur (*Matth.* XVII, 1 seq.), et ascendit in montem excelsum, et mutavit virtutem deitatis, et ecce nubis candida operuit eum, nubis vero splendida virtutem Patris in eum ostendit. Sicut quidem [a] per vaniloquia docent, quomodo tres personæ in una substantia? Illi autem dicunt tres virtutes, nos credimus tres personas in una virtute: tria vocabula, sed unum Deum in tria vocabula: in unius vocis nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. Iterum illi dividentes virtutem, et deitatem Trinitatis dicunt. Sicut imperator perfectus et comis. Absit. Non trado ego hanc doctrinam, aut istam expositionem, aut fidem; sed magis anathematizo. Scriptum est enim in divinis præceptis: *Visibilia enim hujus mundi invisibilibus comparantur* (*Rom.* I, 20) Terrenus enim imperator de tribus constat, sed unum est imperium, Si deposuerit diadema de capite suo, Cæsar est, non imperator perfectus. Sic qui blasphemant Spiritum sanctum non sunt Christiani. Et si purpura [b] deposuerit, vir solus est. Sicut Judæi unam personam adorant, nos autem confitemur, sicut imperator terrenus, sic et cœlestis. Homo in purpura, et purpura in homine; corona autem capitis continens purpuram et hominem, unum imperium ostendit: sic Pater in Filio, et Filius in Patre, Spiritus autem sanctus ex Patre et Filio procedit. Deitatis virtus, et unitas Trinitatis.

II

Respondet ad secundam partem interrogationis Alvari, id est, oppugnat eorum impietatem qui Jesum Christum hominem tantummodo confitebantur ex perversa explicatione Evangelii.

Assertor dixit: Si vere est Deus, dum discipulis ita exorsus est: *Ascendo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum, ad Deum meum, et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17)? RESP. In una etenim persona unus et verus proprius Dei Filius ex duabus constat naturis, deitatis videlicet et humanitatis, et ideo in solo tantum corpore humanitatis hæc sustinuisse suis in Evangelio prædixit discipulis: *Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis: tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur: et postquam flagellaverint, occident eum, et die tertia resurget* (*Luc.* XVIII, 31, etc.). Quod totum in Christo secundum hominem dictum, non ad substantiam deitatis, sed ad naturam pertinet carnis: nam et in passione sua corripiens proditorem, dixit: *Osculum* [c] *Filium hominis trades* (*Luc.* XXII, 48)? Quem interrogat tradere proditorem, nisi hominem, quem et comprehenderunt, non Deitatem, quam cæcati perfidia nec agnoscere potuerunt? Nam et quod fatigatus est, quod esuriit, quod sitivit, quod dormivit, quod flevit, quod passioni proximus tristis fuit, quod mortis conditionem post passionem suscepit, quod in cœlis ascendit secundum quod ait: *Ascendo ad Deum meum et Deum vestrum*, totum hoc non ad incomprehensibilem pertinet substantiam deitatis, de qua ait: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); sed ad infirmitatem pertinet hu- A manitatis, in qua se minorem Patri asserit, dicens: *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Et ideo ait: *Ascendo ad Deum meum et ad Deum vestrum*, ut hominem quem e cœlis veniens, ex Virgine assumpserat, ad cœli thronum sublevasset, unde per Divinitatem nusquam discesserat.

Item ipse Dominus ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13). Non dixit, qui fuit in cœlo; ergo quanto in terra fuit, in cœlo fuit; sicut dixit, *Filius hominis qui est in cœlo*, et tamen in terra loquebatur, sed in terra homo fuit et Deus. Nam si Deus non fuit in terra, quomodo illi angeli ministrabant, sicut scriptum est: *Tunc reliquit eum tentator, et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei* (*Matt.* IV, 11)? Apostolus Paulus iterum dixit: *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia* (*Ephes.* IV, 10). Nam per hoc quod descendit, et semetipsum B exinanivit, formam servi accepit; hic [d], vox ejus est in psalmo, dum dicit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu* (*Psal.* XXI, 11). Per ipsum namque quod de utero matris assumpsit, dicebat: *Ascendo ad Deum meum et Deum vestrum.* Cum *meum* dicat *et vestrum*, quasi non communiter dicit *meum*, sed distincte ac separatim loquens indicat, quia eumdem Patrem et Deum dissimiliter habeat ipse quam nos. Dum enim dicit: *Ascendo ad Patrem meum*, scilicet generatione propria, ut vox Patris de eo est: *Ex utero ante Luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Et iterum: *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV, 2). Et in Evangelio: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Et ut in Symbolo credentes profitemur Filium Dei unigenitum ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Et ob hoc dicebat: *Ascendo ad Patrem meum*, vi- C delicet per naturam; *et ad Patrem vestrum* per gratiam, hoc est, adoptione voluntaria: vel quia, relictis simulacris, filii sumus per gratiam fidei ac baptismatis secundum illud de Evangelio: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (*Ibid.*, 12). Et quod dixit: *Ascendo ad Deum meum*; quia descendi, et carnem assumpsi: *et ad Deum vestrum*; quia per fidem ascenditis. Quia et ego homo, Deus mihi est; quia vos ab errore liberat, Deus vobis est. *Ad Deum meum*, unitate mysterii; *ad Deum vestrum*, potestate quidem cœlesti. Distincte ergo ac separatim mihi Pater et Deus est: quia quem ante sæcula Deum genuit, hominem in fine sæculorum meum creavit.

Assertor dixit: Hanc enim quæstionem dum ex Scripturarum dicta personas, aliam inducam, in qua nihil, ut reor, superest quod inferas. Id est: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli* D *cœlorum, neque Filius, nisi Pater solus* (*Matth.* XXIV, 36). Dum ille vero se declaravit nescire, quid nunc vales proferre? RESP. Valeo denique multa testimonia exhibere ac magnificentiora, per quod illum scire advertes diem utique et horam. Nam ex hoc apostolis Dominus sciscitatus: *Dic nobis*, inquiunt, *quod signum erit tui adventus, et consummatio sæculi istius*, respondit: *Videte, ne quis vos seducat. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ, et fames, et terræ motus per loca. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos: et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum.... Erit enim tunc magna tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi neque fiet.... Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et*

[a] Forte *quidam*.
[b] Forte *purpuram*.
[c] Leg. *Osculo*.
[d] Forte *hinc*.

apparet usque in Occidente: sic erit adventus Filii hominis. Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur: *et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo* (*Ibid.*, 3 seq.). Qui hæc cuncta narravit, diem ipsum et horam novit: quia tunc adventus illius ac dies judicii erit, quando signum, quem præfatus est in cælo paruerit. Sequitur.

Et tunc plangent omnes tribus et terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate. et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabuntur electos ejus a quatuor ventis, et a summis cœlorum usque ad terminos eorum (*Ibid.*, 30). Qui suos angelos dirigit, et electos suos a summis cœlorum usque ad terminos eorum colligit; diem vero ipsum in quo hæc acturus est, fideliter novit. Et qui se cum virtute multa et majestate prædixit venire, diem ipsum in quo venturus est non poterit ignorare. Aut quomodo diem ipsum, noverit qui Patri scire illum prædixit, et se unum cum Patre declarare maluit? *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Et iterum: *Qui me videt, videt et Patrem meum.* Et: *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan* xiv, 9, 10). Dum hæc cuncta igitur intulit, unumque se in Divinitatis natura cum Patre esse prædixit; diem utique novit, sed dicere apostolis noluit secundum quod illis post resurrectionem suam interrogantibus dixit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate Act.* i, 7). Quando dicit: *Non est vestrum*, scire ostendit quod ipse sciat; sed non expediat nosse apostolis, ut semper incerti de adventu Judicis sic quotidie vivant, quasi die alia sint judicandi.

Quod si in tuæ obstinationis sententiam, ut diem illum Dominus nesciat, perseveras; ergo secundum tuam oppositionem nec ipse Dominus sciebat ubi Adam se inter ligna paradisi absconderat, quando ei dicebat: *Adam, Adam, ubi es* (*Gen.* iii, 9)? Et ad Cain dixit: *Ubi est Abel frater tuus* (*Gen.* iv 9)? et Abraham ait: *Ubi est Sara uxor tua* (*Gen.* xviii, 9)? Qui hæc vero cuncta quasi ignorans narravit, ipse utique, ut in Evangelio scriptum est, Lazarum quem [a] resuscitare veniens sciscitavit dicens: *Ubi posuistis eum Joan.* xi 34? Et qui mortem longe positus discipulis jam manifestaverat, hic locum tumuli, ut nesciens, inquirebat. Sed ut tua est assertio, ergo nec Dominum iterum sciebat, quia Abraham Dominum timebat, sed postquam in sacrificio filium obtulit, tunc eum se timere utique prospexit, et ideo illi dixit: *Non immittas manum tuam in puero, nec facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Dominum, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me* (*Gen.* xxii, 12). Hæc vero cuncta adverte, et qualiter intelligenda sunt ne erubescas sciscitare: quia ille vere omnia novit, qui hæc (quasi nesciens) diversa mundi prædixtt et ipse cuncta visibilia atque invisibilia condidit atque creavit.

[a] Superesse videtur *quem*.

ANNO DOMINI DCCCLXI.

S. PRUDENTIUS

TRECENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN S. PRUDENTIUM.

(Apud Antonium, Biblioth. vet. Hisp.)

Alphonsi Magni regis tempore, et sub Carolo Crasso Galliis imperante, PRUDENTIUS, Hispanus natalibus, Trecensem in ea gente, ut Hispani alias alii, Ecclesiam obtinuit. GALINDONEM, seu GALINDUM, cognomento PRUDENTIUM, vocant eum Annales Bertiniani (*a*) ad annum 861, ut inde magis confirmetur natione Hispanum fuisse: quod in iisdem legitur Annalibus, auctoris fere æqualis, qui ad annum usque 882 res in Francia gestas persecutus est. Hispaniensem quippe hanc fuisse appellationem, Galindus Aragoniæ comes II, Azenarii filius, e monumentis hujusce regni antiquis affatim notus (*b*), dubitare nos haud sinit. Quid vero impedit ex eadem progenie cum Galindo nostro Prudentio fuisse? nam et vixisse pares; obitus Galindi comitis post annum sæcularem octingintesimum, ut fama est, contingens, evincit manifeste. *Galindo* item *Eneconis* apud Eulogium martyrem in epist. ad Wilicsindum Pampilonensem episcopum istius regionis homo fuit: ad quem Eulogium scriptis scholiis Ambrosius Morales in tabularii Compostellanæ Ecclesiæ tribus vetustissimis diplomatibus affixum Galindonis nomen sese vidisse ait.

De patria incertus auctor *Rerum Frodoberti abbatis*, quem Barthius *Advers.* lib. xviii, cap. 11, laudat: *Erat*, inquit *per idem tempus præfatæ sedis antistes Prudentius nomine, natione Hispanus, pontificalis vitæ institutione clarissimus, in divinis rebus undecunque non mediocriter eruditus.* Imo et ipse Prudentius in carmine quodam ad codicem Evangeliorum prævio *Hispania genitum se, ac Celtos deductum*, ibique *altum* ait. *Apprime litteris eruditum virum* anonymus idem Bertinianus auctor appellat. Multus quoque est Lupus Ferrariensis in eo laudando. Inter recentiores Barthius *sui sæculi litteratorum facile principem* vocat lib. xliv *Adv.*, cap 19, ubi et subjungit: *Eruditissimum eum episcopum fuisse clamant coætanei omnes, et imitatio optimorum auctorum eo ævo admodum rara.* Et lib. xviii, cap. 11: *Cordatum et scientem antiquitatis* vocat.

Interfuisse legitur pluribus Galliarum synodis episcopus, Arrisiensi anno 846; Turonensi iv (alias Pa-

(*a*) Hoc est, habiti ex Bertiniani monasterii codice, tomo III *Hist.Frnacorum*, pag. 212.

(*b*) Vide Blancam in *Aragon. Rerum commentariis*, tomo III *Hisp. Illust.*, pag. 596. Suritam in *Indicibus Aragon.*, eodem tomo, pag. 6, et lib. i *Hist. Aragon.*, vulgaris, cap. 4. Joann. Briz, lib. i *Hist. de D. Jan. de la Pena*, cap. 46, in fine.

risiensi ex observatione Philippi Labbei (*a*) anno 849; Suessionensi II, 853. Ad eum directam S. Leonis papæ IV epistolam habemus in Conciliorum editionibus (*b*); meminitque Baronius non uno loco (*c*). Alia autem, quæ ad Nominoium priorem, uti vocant, comitem scilicet Britannicæ gentis, a pluribus episcopis, e quorum numero Prudentius Tricassinorum est episcopus, directa, quæ inter alias Servati Lupi edita demum a Baluzio fuit: ipsa est synodalis concilii Turonensis sive Parisiensis, cujus antea mentionem fecimus. Sed et ejusdem Lupi ad Prudentium aliam (*d*) indidem habemus: ex qua destinatum a Carolo utrumque novimus visitandis ac reformandis regni sui cœnobiis: quæ quidem summæ ambarum dignitatis et apud regem existimationis præcipua quædam nota est. Scribit. et idem Prudentius cum Senonensis provinciæ aliis præsulibus epistolam 99 inter Lupi jam dictas, ad clerum et monachos Ecclesiæ Parisiorum, de Æneæ episcopi electione ab iis facta. Habitæ inter nostrum atque Remensem antistitem Hincmarum hujus ævi celeberrimum consuetudinis memoria exstat in Flodoardi Remensis Historiæ lib. III, cap. 21.

De scriptis vero ejus calumniose et inique censuit jam laudatus actor Annalium Bertinianorum. *Galindo, cognomento Prudentius* inquit, *Tricassinæ civitatis episcopus, natione Hispanus, apprime litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotescalcho Prædestinatiano restiterat: post felle commotus contra quosdam episcopos secum hæretico resistentes, ipsius hæresis defensor acerrimus, indeque non modica inter se diversa et fidei adversa scriptitans, moritur. Sicque, licet diutino labore fatigaretur, at vivendi ita et scribendi finem fecit* (*e*). Pensenda hæc sunt quæ de doctrina et scriptis præsumit: quæ quidem, uti diximus, calumniose et inique dicta contra Prudentium, Gilbertus Mauguinus (*f*) infra laudandus, et veritas ipsa jam explananda satis convincent.

Gotescalchus certe, monachus monasterii Orbei diœcesis Suessionensis, hoc tempore quosdam doctrinæ de prædestinatione Dei redemptioneque Christi articulos in medium proposuit, multosque sectatores habuit, usque dum in Moguntino concilio, cui Rabanus præfuit ejus urbis antistes, auditus fuit atque damnatus (*g*). Idem a Galliæ Belgicæ episcopis in conventu apud Carisiacum anno 849 denuo in judicium vocatus, iterumque condemnatus, ad Hincmarum tunc Remensem archiepiscopum fuit remissus, ut in custodia detineretur, ut ex epistola Hincmari ejusdem constat ad Nicolaum papam I, quæ apud eumdem Flodoardum legitur (*h*) Suscitasse hic dicitur ab Hincmaro Gotescalchus Prædestinatianorum aliquam hæresin, in Africa olim Galliaque damnatam, hoc est Pelagianæ membrum, de qua idem multis agit Hincmarus, *de Prædestinatione Dei et libero Arbitrio* ad Carolum Calvum scribens. Cujus Prædestinatianorum sectæ, quam Gotescalchus propugnare credebatur, Hincmaro isthæc erant præcipua capita: 1° *Deum prædestinasse quosdam ad vitam, pariterque alios ad mortem æternam*. 2° *Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed eos tantum quos ad vitam*

A *prædestinavit*. 3° *Christum non fuisse mortuum pro omnibus, sed pro his duntaxat qui salvantur*. Tria hæc unius commatis sunt et ordinis; sed et quartum addidit, *quod Deitas triplex sit*.

Adversus has hæreses Hincmarus prædictus calamum strinxit duabus editis lucubrationibus, quarum prioris pro defensione capitulorum Carisiacensis synodi adversus Gotescalchum, quæ Lugdunenses scriptis suis impugnaverant, nuncupatoriam epistolam servavit Flodoardus, lib III, c. 15. Altera lucubratio integra exstat inter hujus Hincmari opera, cujus etiam Flodoardus capite proxime sequenti recordatur. In his Prudentium nostrum carpit eo quod Gotescalchanis de prædestinatione capitibus consentanea senserit in quadam epistola ad Wenilonem Senonensem, atque hujus provinciæ episcopos, de ordinando Ænea Parisiorum episcopo: quam epistolam in præfatione hujus sui *De prædestinatione Dei* commentarii
B Hincmarus protulit, passimque toto opere traduxit.

Sed vere catholicæ sunt Prudentii sententiæ indignæque Hincmari censura. Dicit enim: 1° *Quosdam a Deo fuisse gratuito prædestinatos ad vitam quosdam imperscrutabili justitia prædestinatos ad pœnam*. Sed statim id explicat: *Ut id videlicet, sive in salvandis, sive in damnandis, prædestinaverit: quod se præscierat esse judicando facturum, dicente Propheta*: Qui fecit quæ futura sunt. Consule Suarezium lib. I *de prædestin.*, cap. 5; Macedum, *in doctrinæ S. Thomæ et Scoti* collat. 11, dissert. 3, sect. 1. — 2° *Sanguinem Christi pro omnibus fusum credentibus; non vero pro his qui nunquam crediderunt, nec hodie credunt, nec unquam credituri sunt*. Vide Lupum Ferrariensem, in Collectan., quæst. 3, *De sanguine Christi*, editum a Mauguino cum aliis *de Prædestinatione* auctoribus: qui Mauguinus videndus etiam in *Disser-tatione histor.*, cap. 29. — 3° *Deum omnipotentem*
C *omnes quoscunque vult salvare; nec aliquem posse salvari, nisi quem ipse salvaverit; et qui non salvantur, non esse Dei voluntatis ut salventur*. De voluntate antecedenti et subsequenti S. Thomas ad I *Sen.*, art. 6 ad 1; Scotus, I parte in 1, dist. 46, quæst. unic., § *ad primum*; Macedus ubi proxime, collat. 12, dissert. 2, sect. 1. Quæ omnia rectum sensum et catholicum habent (*i*).

Plane inter Galliarum episcopos, atque alios doctrina eximios theologos, magnis undique animis decertata hoc nono fuit sæculo *de Prædestinatione Dei* disquisitio ista Gotescalchi, atque ejus causæ et confessionum occasione, commisitque parti eorum partem, provincias provinciis, viros viris. Hinc Rabanus Moguntinus, Hincmarus Remensis, Pardulus Laudunensis antistes, excitatusque a duobus ultimis ad dicendam de scripto sententiam, tum Amalarius quidem, tum Joannes Scotus, cognomento Erigena, Caroli regis gratia flo-
D rens, stetere. Illinc Prudentius noster, Tricassinus episcopus, Lupus Ferrariensis abbas (duo enim sunt, non unus (*j*) quod Baluzius credidit), Ratramnus Corbeiensis monachus, S. Amolo et S. Remigius ejus successor, Lugdunenses archiepiscopi, Florus magister cum Lugdunensi tota Ecclesia, quorum sententiam concilium Valentinum

(*a*) Tomo VIII *Concil.*, edit. Paris. ann. 1671, col. 58 et 61.

(*b*) Ibid., col. 30.

(*c*) Tom. X, ad ann. 847, num. 23, et n. 19.

(*d*) Epist. 63.

(*e*) Annalium Bertinianorum partem quæ ad res Hispaniæ præcipue historicas pertinet, vulgavit cl. Florezius, tom X, a pag. 570; e Duchesnio tom. III *Hist. Franc. Script.* Elegiam integram de Prudentii patria et scriptis Barthius *Advers.* XVIII, c. 11, col. 911, 912.

(*f*) *Vindiciarum dissertatione historica* seu *Vindiciarum de Prædestinatione*, c. 44.

(*g*) Exstat Rabani de hoc epistola ad Hincmarum, *de Prædestinatione*, c. 2.

(*h*) Lib. III, cap. 13, *Hist. Remensis*, et apud Baron., tom. X, ad annum 848, n. 5 et seq.

(*i*) De tribus his Prudentii capitulis eorumque ὀρθοδοξίᾳ vide Cellierium tom. XIX, pag. 28, a n. 2. atque item de ejusdem doctrina, eloquentia et sanctitate.

(*j*) Mauguinus in dissert. hist. de qua infra, cap. 10 et *Vindiciarum* parte altera, pag. 10

m, anno 855 (*a*), et Lingonense paulo post celebratum (*b*), confirmavere.

At hujus controversiæ omnes quotquot sunt scriptores, et utriusque partis propugnatores, si Hincmarum demas (qui ex operibus ejus a Jacobo Sirmondo jam editis innotuerat) cum *Veterum auctorum qui sæculo nono* de prædestinatione *scripserunt* titulo Gilbertus Magninus Galliarum Regi a consiliis, et in suprem amonetarum curia præses, duobus voluminibus anno 1650 a se collectos in publicum dedit : quorum posterius ita inscriptum voluit : *Vindicias prædestinationis et gratiæ, continentes historicam et chronicam synopsin, cum gemina dissertatione, et pacifica operis coronide.* Nempe doluerat eum, et alios Galliæ doctos viros, Jacobum Sirmondum Hincmari partibus addictum in quo recentiorum societatis suæ *De gratia et auxiliis ejus*, seu *De prædestinatione* doctrinam adjuvare sibi visus fuit, *Prædestinatum, sive prædestinatorum hæresis, et libri S. Augustino temere ascripti refutationem,* tanquam ab auctore qui ante annos 1200 vixisset editam, anno 1643 publici fecisse usus ; et post biennium Hincmari *de Prædestinatione* opus ; anno autem 1647 *Historiam Prædestinatianam* et alia inde similia adjunxisse.

Meram enim fabulam esse hanc Prædestinatorum hæresin, ac Semi-Pelagianorum inventum, integris lucubrationibus contenderunt Sirmondo respondentes cum Avuræus, Theologiæ doctor Sorbonicus Gallice conscripta *Censura Prædestinati* Sirmondiani, quæ in Latinum postea fuit translata, annoque 1645 edita cum *Prædestinato* ipso ; tum nuper laudatus Maguinus in *Gotescalchanæ controversiæ historica et chronica*, cujus meminimus *Dissertatione*, in qua prolixe docteque Gotescalchum ab omni hæresis nota liberum contendit (*c*), Prædestinatianam hæresin Hincmari fuisse commentum asserit (*d*), Hincmarum accusat obstinationis, calumniarum, crudelitatis (*e*), Prudentioque sanctitatem, nec minus catholicæ doctrinæ præconium, in his quæ hac in causa elucubravit, multis consignat (*f*).

Scripta vero hæc Prudentii, absque illo esset jam laudata Maguino, in tenebris adhuc latuissent : adeo ut neque summa Gerardi Joannis Vossii industria in colligendis hujus controversiæ Gotescalchanæ uti Pelagianæ historiæ appendicis momentis et monumentis omnibus adepta sit navatæ a Prudentio alicujus in re operæ notitiam (*g*), nullus ex scriptorum ecclesiasticorum celebratoribus tam antiquis quam recentibus hujus viri recordatus sit ; neque (ut de Magdeburgensibus Centuriatoribus, apud quos de nostro altum silentium, nunc taceam) inter sæculi noni (cui, atque decimo, illustrandis, peculiarem commentarium panxit Bœclerus) aliquem inter ejus ævi litteris aut fama illustres viros Prudentio locum dederit. Imo Nicolaus Faber, sive Andreas Duvallius, Trecensem episcopum cum Floro magistro confundit (*h*).

Plane, ut hujus doctrinæ meritum ab Annalium Bertinianorum et quorumcunque aliorum similiter de re obscura diuque per Gallias decertata, pro ingenio aut partium amore scribentium imputatione et impressione longe habeamus : abunde erit sanctitatis Prudentii episcopi communis famæ testes advocare Democharem, Camuzatum, Ferrarium, Bollandum, Saussaium, Trecensemque ipsa ejus quondam ecclesiam, quæ in catalogis suorum præsulum *sanctum* vocat, et uti mirabilium operum a Deo impetratorem cultu atque officio prosequitur (*i*). Adjungimus Hincmarum ipsum adversarium, qui vel mortuum Prudentium, antequam is posteriorem *de Prædestinatione* commentarium qui superest scribere aggressus esset, etiam cum doctrinæ ejus derogare intendit, *dominum Prudentium* cum elogio honoris sæpius vocat. Sed Bertinianus Anonymus, Hincmari metropolitæ sui velificatus partibus, non cum hoc tantum Prudentio sed et cum Rothado Suessionensi episcopo, atque cum ipso Nicolao I, sanctissimo pontifice, quos omnes Hincmarus sibi adversantes habuit, indignissime atque iniquissime agit (*j*). Nec verum est Prudentium Gotescalcho obstitisse unquam, diversave aut Fidei contraria scripsisse, quod aiunt calumniosi Annales prædicti. Quod satis, ne actum a Maguino agamus.

Scripsit ergo Prudentius de hoc argumento ea quæ subjicimus.

I. *Opusculum ad Hincmarum Rhemensem et Pardulum Laudunensem*, scriptum anno 849, quod sua manu Jacobus Sirmondus descripsit ex ms. codice S. Arnulphi Metensis ; nec tamen edidit, contentus data Maguino supradicto facultate excribendæ ex isto ejus apographo præfationis quam ipse publicavit (*k*). Incipit : *Dominis prædicabilibus.* Meminit hujus opusculi Rabanus ad Hincmarum epistola (*l*), et Prudentius ipse auctor in opere statim laudando, Hincmarusque *de Prædestinatione*, cap. 34. Agit de hoc Maguinus *Vindiciarum* parte I, cap. 13. Cæterum excitato, Hincmari impulsu, ad scribendum contra Gotescalchum Joanne Scoto, seu Erigena, cujus *de divina Prædestinatione* librum Maguinus idem primus in lucem protulit : idem noster Prudentius reposuit (*m*).

II. *De prædestinatione contra Joannem Scotum, cognomento Erigenam; seu librum Joannis Scoti correctum a Prudentio sive a cæteris Patribus, videlicet a Gregorio, Hieronymo, Fulgentio atque Augustino* (ita concepta est epigraphe), *ad Guenilonem seu Venilonem, archiepiscopum Senonensem.* Incipit : *Blasphemias tuas, Joannes.* etc. Quæ duo Joannis et Prudentii scripta ex antiquissimo et integerrimo bibliothecæ Corbeiensis ms. codice Maguinus publicavit, desideratum a Barthio, ut videre est lib. 18 *Adversar.*, cap. 11. Scripsit opus suum Prudentius anno 852, de quo Maguinus *Vindiciarum* part. I. cap. 19 (*n*).

III. *Tractoriam* epistolam, quam per vicarium suum Arnaldum misit ad Senonensem synodum pro ordinatione Æneæ Parisiensis episcopi. Incipit : *Quantum ad meritum peccatorum.* Ordinandus nempe a Patribus fuit episcopus Parisiensis Æneas, quem debere priusquam ordinaretur profiteri, et subscribere quatuor propositionibus contendit et obtinuisse creditur Prudentius : quarum contrarias Hincmarus in palatio Carisiaco a rege Carolo et quibusdam episcopis subscribi curaverat ; meminit Hincmarus ipse *de Prædestinatione* cap. 5. Deque ejus historia consulere eumdem Maguinum cap. 34 pretium erit operæ, qui hanc

(*a*) Idem dissertat., cap. 36.

(*b*) Idem, c. 40.

(*c*) Per totam dissertationem priorem.

(*d*) In *Confutat. hist. Prædest.* Sirmondi, quæ est *Vindiciarum* dissertatio altera.

(*e*) Primæ dissertationis cap. 46 et seqq.

(*f*) Cap. 44.

(*g*) Ut apparet ex *Hist.* ejus *Pelagianæ* lib. VII, part. IV.

(*h*) In *Notis ad lib. Eccles. Lugdun. De tribus epistolis Vindiciarum* Maguini, parte II, pag. 170.

(*i*) Vide D. Maguinum, cap. 44.

(*j*) Ad ann. 858, 861, 865, 867.

(*k*) Parte II *Vindiciarum*. pag. 6, et parte I, pag. 107.

(*l*) *Veterum auctorum*, etc., tomo I, p. 5.

(*m*) Exstare in Escurialensi bibliotheca, lit. *r*, plut. II, n. 7, sub Anonymi titulo, indicat specimen characteris ex eo codice desumptum in quo legitur : *De Prædestinatione.* LVI. *Gemina est prædestinatio sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem. Utraque*, etc. In hoc verbo desinit.

(*n*) Extat in Bibliotheca regis Galliarum, part. III, tom. III, pag. 281, n. 2445, in codice sæculi X.

Tractariam edidit *Vindiciarum* parte altera (*a*). De *tractoriæ* epistolæ vocabulo videsis, post Franciscum Ferrarium, Philippum Priorium *de Litteris canonicis* dissertatione, cujus appendice *de Tractoriis et synodicis*, ubi de hac Prudentii loquitur (*b*).

Omnia dogmata hæc confirmasse Nicolaum papam in Annalibus Bertinianis legimus, auctoris licet Hincmaro addictissimi, nec minus Nicolao et Prudentio infensi, ad annum 859. Necnon et ipse confirmat Prudentius in Annalibus. Nam ad alia opera non dogmatica ut jam transeamus, scripsit etiam noster.

IV. *Annales* seu *Annale regum Franciæ*, teste Hincmaro in epistola 24, ad Egilonem Senonensem episcopum. *Qui etiam dominus Prudentius* (ait), *in Annali gestorum nostrorum regum, quæ composuit ad confirmandam suam sententiam, gestis anni Dominicæ Incarnationis* 859, *indidit dicens: Nicolaus papa pontifex Romanus* de Gratia Dei et libero Arbitrio, de veritate geminæ Prædestinationis, et B de Sanguine Christi, *ut pro credentibus omnibus fusus sit, feliciter confirmat et catholice decernit. Quod per alium* (Hincmarus infit) *non audivimus, nec alibi legimus.* Et mox: *Ipsum autem Annale quod dico rex habet, et ipse est liber quem coram vobis in ecclesia ubi vos nobis commendavit, coram vobis ab illo mihi præstitum ei reddidi.* Periit opus tamen aut latet adhuc.

V. *Præcepta* quoque *ex Veteri et Novo Testamento* A in usum et utilitatem publicam excerpta servari ms. in bibliotheca Petaviana, testis est laudatus toties Mauguinus *Vindiciarum* priore parte, cap. 44 (*c*).

VI. *Poemata* quædam et alios versus, quos ex ms. codice Evangeliorum Tricassinæ ejus Ecclesiæ publicavit Nicolaus Camusatius in catalogo episcoporum Tricassinorum sive Trecensium (*d*), dum de nostro ageret. Quoddam horum carminum, ut in codice predicto Evangeliorum legeretur ab eo scriptum, Gaspar Barthius illustrat lib. *Adversar.* XVIII, cap. 11, hortatus Camusatium, et exoptans ut quæ alia hujus nostri cum blattis hactenus rixantia haberet, publico non diutius invideret bono. Ab eodem habemus quoque.

VII. *Vitam beatæ Mauræ virginis Trecensis* (cujus Maurolycus, Felicius et Ferrarius in Martyrologiis meminere die 21 Septembris) prorsa oratione: quam idem Barthius vidit emendationibusque atque explanationibus nonnullis exornavit lib. LXIV *Adversar.*, cap. 19. Ob hanc, non propter Annales de quibus non audierat Vossius, historicis annumeravit Prudentium lib. III, part. IV, *de Hist. Latin.*, cap. 4.

Servantur mss. in bibliotheca regis Galliarum (*e*) Prudentii cujusdam *Collectanea ex* CL *psalmis*, quod non est alienum a nostri Prudentii more argumentum (*f*). Obiit diem suum Prudentius, ut ex Bertinianis Annalibus discimus, hujus sæculi anno sexagesimo primo.

(*a*) Pag. 176.

(*b*) Pag. 156, edit. Paris. 1675.

(*c*) Pag. 348.

(*d*) Fol. 163.

(*e*) Labbeus in *Biblioth, Ms.* p. 308,

(*f*) Habentur in ejus Bibliothecæ part. III, tom. III, p. 453, sub. n. 3761, hoc titulo: *Prudentii Tricassini Flores* CL *Psalmorum.* Cellierius hos psalmorum Flores Psalterio ven. cardinalis Thomasii, Romæ 1741 edito tomo II, part. II, pag. 464, subditos fuisse ait; atque eidem tribuit *Instructionem pro iis qui ad sacros ordines promovendi sunt*; additque sub Prudentii nomine citari *Penitentiæ canonem*, aliaque plurima quæ ad nos non pervenerunt. Fabricius *Bibl. med. et inf.*, tom. VI. pag. 19 Tractatum *Super ædificium*, sive: *Descriptionem domus Dei in Apocalypsi propositæ*, seu: *Commentarium in poema cui Prudentius* (et subdit *nescio quis*) *titulum ædificii præfixerat*, exstare ait in bibliotheca S. Martini Sagiensis (*de Seez*). Item Prudentii cujusdam librum *de Septem peccatis mortalibus et septem virtutibus oppositis*, inter mss. Quedlimburgenses Eckarti; quem tamen scriptoris Prudentio recentioris esse censet.

SANCTI PRUDENTII

TRECENSIS EPISCOPI

EPISTOLA AD HINCMARUM ET PARDULUM [a]

(Ex Bibliotheca veterum Patrum, sæc. IX, part. II).

PRÆFATIO AUCTORIS.

Dominis prædicabilibus, doctrina et sanctitate D præstantibus, honorabiliter nominandis, HINCMARO et PARDULO pontificibus, PRUDENTIUS, Beatitudinis

[a] Rabanus Maurus in epistola ad Hincmarum hæc habet de sequenti opere: Nam Prudentius Tricassinæ civitatis episcopus, ad vos et ad Pardulum scribens, plura testimonia præteritorum Patrum in quaternionibus suis collegit, in quibus aliquando sensui nostro concordat, hoc est, ubi dicit peccati auctorem Deum non esse, nec aliquem ad peccandum compellere; præmium vero justis immensa gratia misericorditer tribuere, pænam autem condignam iniquis pro malis eorum operibus juste reddere; quia *justus* est *Dominus in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis* (*Psal.* CXLIV). Sed quando dicit quod Deus sicut electos prædestinatione sua ad præmium æternum perducit, ita prædestinatione sua cogat peccatores in interitum ire, hoc mihi videretur in congregatione testimoniorum suorum facere velle, ut credamus et confiteamur, juxta traditionem Gotteschalci, geminam esse prædestinationem: scilicet quod, sicut electos præsciendo et prædestinando *Deus ducit ad vitam, ita reprobos præsciendo et prædestinando ducat ad pœnam.* Sed quia hoc nusquam in Scripturis sacris ita mixtim positum inveni, ejus traditionibus assentire non acquiesco. Singillatim autem cunctis propositionibus ejus per singula loca respondere, et sententiis illis quas ipse ex multis libris congregavit, contrarias sententias apponere non me permittit infirmitas corporis, nec ægritudo senectutis.

Hæc Rabani censura in Prudentium paulo videtur acrior: neque enim uspiam Prudentius asserit, in sensu Gotteschalci, *quod Deus sicut electos prædestinatione sua ad præmium æternum perducit, ita prædestinatione sua cogat peccatores in interitum ire.* Nam quod habet Prudentius cap. 3: *Prædestinavit,*

Vestræ amator cultorque fidissimus, æternam in Domino salutem.

Optaveram quidem, mi Patres admodum venerandi, fratresque in Deo et Domino nostro Jesu Christo plurimum diligendi, de propositis quæstionibus secreto amicabilique vobiscum tractare colloquio; et quidquid supernæ gratiæ dono sanius salubriusque videri posset, remota penitus vincendi pervicacia, propulsaque sua cuique studia tuendi libidine, diligenter exquirere. Verum obliquatis in diversa rebus, adeo aversus resilii, ut ne voluntatem meam saltem exponendi facultas suppeteret. Unde quoniam colloquendi libertas tantopere denegata est, coactus sum eo sincerissimæ charitatis affectu, quem vestræ unanimitati peculiariter debeo, litterariam, quantulacunque est, operam exhibere et quid votis conceperim, scriptis edicere.

CAPUT PRIMUM.

Encomium S. Augustini, et ejus doctrinam quanti fecerint pontifices Romani.

Hoc primum præcipueque vestram sinceritatem monens et postulans, ut doctrinam beatissimi Patris Augustini, omnium absque ulla dubietate undecunque doctissimi, sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippe nullus doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus, diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, effusius disseminaverit), vestri pontificatus tempore, commento quolibet impugnari non permittatis; quando tanto cœlestis gratiæ munere donata exsistit, ut nullo cujusquam conamine ullatenus evelli possit: cum eam et Apostolicæ sedis sublimitas, et totius Ecclesiæ catholicæ unitas auctoritate concordissima approbarint ac roborarint; adeo ut nullus ei singulariter, verum universitati Ecclesiæ catholicæ cum ea et in ea queat obniti.

Si enim adversam fidei orthodoxæ in quoquam conspiceret, nequaquam eam Romanæ Ecclesiæ antistes venerabilis Innocentius cum totius orbis episcopis suscepisset; neque prædictum Patrem memorabilem suarum epistolarum communiter privatimque officiis affecisset [a]. Neque successor ejus Zosimus eodem tramite cucurrisset. Neque A Bonifacius, ejusdem apostolicæ sedis præsul, epistolas Pelagianorum sibi delatas ei ad respondendum misisset; aut responsionem ejus, quatuor libris editam, probabiliter atque honorabiliter suscepisset. Cœlestinus quoque, memoratæ urbis episcopus, quid contra gallorum insaniam, super eo ejusque doctrina senserit, ex auctoritate apostolica, Decretorum scita declarant, quæ ita se habent [b]: *Nec tamen mirari possumus si hæc erga viventes hinunc tentare audent quinituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare. Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hoc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse* B *meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori.* Nec minus Leo papa beatissimus super ejus æstimatione sensisse credendus est, qui Eutychetis damnans vesaniam, cum fidem orthodoxam collectis catholicorum doctorum sententiis astrueret, B. Augustini sententias interponere non ambegit. Quantus etiam beatissimo papæ Gregorio fuerit, indicat ejus epistola quam ad Innocentium episcopum misit, in qua hæc ejus verba sunt [c]: *Quod vero in Expositione sancti Job transmitti codicem voluistis, vestro omnino studio congaudemus, quando illi rei Eminentiam Vestram studere conspicimus, quæ nec totos* C *foris vos exire permittat, et ad cor iterum sæcularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite, et ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis.*

CAPUT II.

Sancti Augustini doctrinam Fulgentius et Prosper defenderunt.

Sane S. Fulgentius, mirabilis doctrinæ episcopus, Monimo super perditorum interitu de Prædestinatione ex B. Augustini verbis sciscitanti, nequaquam librum responsionis in defensionem sententiæ tanti Patris ederet, si eum catholicæ fidei contraria sensisse vel certe scripsisse cognosceret. Quamvis non-

id est, præordinavit non ut peccarent, sed ut propter peccatum pœnis perpetuis interirent; prædestinavit, id est, præordinavit non ad culpam, sed ad pœnam: ita intelligendum est, ut non vi prædestinationis ad pœnam puniantur reprobi, sed ratione peccati ab æterno prævisi, et postea in tempore libere ab eis commissi. Unde nec favet Prudentius Gotteschalco, nec Calvino, nec doctrinæ Jansenianæ a summis pontificibus Innocentio X et Alexandro VII proscriptæ. Commode etiam explicari potest dum dicit, *Christum pro solis electis mortuum.* Loquitur enim non de sufficientia mortis Christi pro omnibus, sed de efficacia ejus pro solis electis. Item, dum dicit Deum non velle omnes homines salvos fieri; nam manifeste loquitur de voluntate absoluta et consequente, non de conditionata et antecedente, ut videre est ex locis SS. Patrum Augustini, Prosperi, Gregorii, etc., quorum hic plurimos congessit. Porro non D debet commovere Lectorem capitis tertii titulus, ad doctrinam damnatam specietenus accedens; forsitan enim his verbis usus est quia timebat Prudentius, quod et eodem tempore timuerunt ecclesia Lugdunensis et concilium Valentinum, ne Hincmarus faveret hæresi Origenistarum, qui Misericordes dicti sunt, arbitrantium voluntatem Dei pro salvandis omnibus omnino hominibus fuisse efficacem et Christum efficaciter pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, ita ut descendens ad inferos omnes retro damnatos inde liberasset, cæteros in fine sæculi liberaturus: hinc non mirum si ad oppositam partem inclinet Prudentius, sicut ecclesia Lugdunensis et concilium Valentinum.

[a] Epist. Pontif., tom. I.
[b] Cœlest., epist. 8.
[c] Epist. lib. x, indict. III, epist. 37.

nulli Gallorum (sicut quidam de eis ait [a], quod eorum sint semper repentina consilia) nequaquam Prædestinationem perditorum reprehenderint, sed sanctorum prædestinationi novo concludio derogare maluerint. Quorum insanæ præsumptioni memorabilis idem Augustinus doctor eximius, petentibus Prospero et Hilario, orthodoxe respondens, duos libros, alterum de Prædestinatione sanctorum, alterum de Bono perseverantiæ, plenissime fidelissimeque confecit; in quibus perpauca de prædestinatis ad interitum, quamplura vero de prædestinatis ad gloriam verissime disseruit. Cujus dictorum scriptorumque salubrium Prosper, Gallicæ provinciæ doctor præcipuus, sequax per omnia atque defensor, memorabili Patre ad cœlestia indubitabiliter transmigrato, ita suis, id est Gallis, furentibus catholica responsione obviavit, ut et doctrinam illius orthodoxam procul dubio assereret, et eum nihil contra veritatis regulam ullatenus vel sensisse vel scripsisse astrueret. Quam videlicet S. Prosperi responsionem propositis quæstionibus sufficere crederem, nisi quorumdam aliter opinantium pervicacia ad alia devocaret. Nam tunc omnis quæstio adversum sanctorum prædestinationem quibusdam confictis adinventionibus agebatur, quibus a venerandæ memoriæ Patribus satis abundeque responsum est, nunc in diversum nitentibus studiis, prædestinatio perditorum a quibusdam funditus abrogatur. Quasi vero aut incomprehensibilis perindeque irreprehensibilis justitia omnipotentis judicis evacuari queat, aut id sanctarum Scripturarum auctoritate stipulari nequeat; cum pie diligenterque legentibus, etsi non verbo eodem, aliis tamen tam vocabulis, quam sententiis itidem significantibus, minime taceatur, quemadmodum, Christo propitio, sequentia patentissime demonstrabunt. Adeone desipimus, ut putemus B. Hieronymum, utriusque Testamenti fidelissimum doctissimumque interpretem, eidem Patri, si qua deviare cognosceret, parcere potuisse; præsertim cum eum in quadam epistolarum suarum redarguerit, e vestigioque correctum susceperit, ac deinceps multis laudibus persæpe extulerit, amorique semper et honori habuerit? Quibus constitutis, tandem quod cœpimus, propitiante Domino, exsequamur.

CAPUT III.

Ingressu in disputationem tres proponit quæstiones: De prædestinatione reproborum; de Christo pro solis electis mortuo; de Dei voluntate non omnes homines vocandi et salvandi.

Sequentes igitur saluberrimam tanti Patris doctrinam, dicimus, ut cætera omittamus, Deum summe atque incommutabiliter bonum et justum hominem, sola bonitatis suæ abundantia de terræ limo conditum, anima rationali donatum, libertate quoque arbitrii decentissime decorasse, ut eo bene et liberaliter cum adjutrice Conditoris gratia utens, non mori posset; contumaciter vero perperamque abutens, justissime addictus mori posset arbitrio. Quo miserrime intumescens, qui prius gratuitam bonitatem liberalitatemque senserat, mox æquitatem justissimam, rectissime plexus, expertus est; damnataque ob culpam inobedientiæ in primis propagatoribus totius humani generis massa, et præscivit, et prædestinavit, id est præordinavit ejus omnipotentia quos per gratiam et sanguinem proprii Filii sui, Dei et Domini nostri Jesu Christi, ab eadem perditionis massa misericorditer secretos ad vitam, gloriam regnumque reduceret sempiternum; et præscivit, et prædestinavit, id est præordinavit, ut quoscunque gratia et sanguis ejusdem proprii Filii ejus, Dei et Domini nostri Jesu Christi, ex memorata miserabili massa non secerneret, justissime pœnis afficeret sempiternis. Prædestinavit, inquam, id est præordinavit, non ut peccarent, sed ut propter peccatum pœnis perpetuis interirent; prædestinavit, id est præordinavit, non ad culpam, sed ad pœnam; non ut malum quoddam vellet sive admitteret, sed ut propter malum, quod volens faceret, cum pœna sempiterna juste damnaret.

Quos autem sanguis proprii Filii ejus, Dei et Domini nostri Jesu Christi, misericorditer liberarit, utrumne pro omnibus quibuscunque hominibus, an pro quibusdam, id est prædestinatione electis, electione indebita prædestinatis, fusus fuerit? Ipsa omnipotentissima Veritas, quæ eum in unitatem suæ personæ misericorditer suscepit, et fudit, consulta nos doceat [b]. Cum enim (quemadmodum sancti evangelistæ, veracissimi videlicet dictorum ipsius factorumque stipulatores atque scriptores, testantur) inter cœnandum mysteria suæ, quam voluntate subiit, mortis prorsus indebitæ, nostræque redemptionis ediceret pro quibus pateretur intimavit. Dicit enim Matthæus: *Et accipiens calicem, gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI). Marcus autem: *Et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes, et ait illis: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur* (*Marc.* XIV). Lucas vero: *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cœnavit dicens, Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur* (*Luc.* XXII). His incorruptibilis Veritatis sermonibus, quantum mea fert pusillitas, omnes ambages et controversiæ defectiscunt, qui tanta claritate prolati resplendent, ut si quis secus intelligere contraque asserere moliatur, ipsius ineffugibili, ut ita dixerim, perspicuitate frustretur. Ecce enim Veritas, non pro omnibus sed *pro multis*; non pro aliis, sed *pro vobis* dicit.

Et quisquam tantæ majestati ogganniens aliter quocunque modo mutire præsumit, quam prædicator egregius doctor gentium, in fide et veritate immutabiliter sequens; de ipso clamat: *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II); quos enim Veritas *multos*, hos prædica-

[a] Cæsar, l. III *de Bell. Gall.*

[b] Hincm. l. *de Prædest.* c. 34.

tor Veritatis *omnes* nuncupat; quos etiam eadem Veritas *paucos* et *electos* appellat. Siquidem quonam modo *omnium* vocabulo *multi* vel *pauci* intelligendi sint, nullatenus ariditatis meæ rivulo imbuendi estis, quippe qui omnia efficaciter percepistis. Verum memorabilis Augustinus, ut optime recolitis, *omnes Deum velle fieri* salvos dicit; sed quoscunque salvat; vel *omnes* ex omni genere hominum, vel *omnes* velle fieri salvos, quia non facit velle fieri omnes homines salvos: alioquin, si generaliter et non specialiter *omnes* intelligendi sunt, ubi est illa omnipotentia qua *omnia quæcunque voluit in cœlo et in terra*, prorsus non quædam sed *omnia* generaliter *fecit*? (*Ps.* CXXXIV). De quo verissime canitur: *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo et in terra, in mari, et in omnibus abyssis*, et cui dicitur: *In voluntate*, vel *ditione tua, Domine, cuncta sunt posita; et non est qui tuæ possit resistere voluntati* (*Esther*, XIII). Et ubi erit quod jugiter diurnis nocturnisque confessionibus nos credere in Deum Patrem omnipotentem fidelissime dicimus? Si aliqua vult, et non facit, quod absit ab omnium salvandorum cordibus, impotentiæ arguitur qui omnipotens prædicatur: quod quantæ sit imprudentiæ vestra prudentia viderit.

CAPUT IV.

Tertia maxime propositio Scripturæ sanctæ auctoritatibus probatur.

Perpensis igitur diligentius sanctarum Scripturarum paginis, considerate quid B. Job dicat: *Et anima ejus quodcunque voluit hoc fecit.* Quid est quod Moyses in cantico Deuteronomii canit: *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel*, vel *angelorum Dei; pars autem Domini populus ejus; Jacob funiculus hæreditatis ejus* (*Deut.* XXXII). Et in libro Esther, qui duas sortes esse præcepit, unam populi Dei, alteram cunctarum gentium (*Esther.* III). Et Salomon: *Considera omnia opera Dei, quod nemo possit salvare quem ille perdiderit*, sive, *despexerit* (*Eccli.* VII). Et in Psalmo: *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel: non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis* (*Ps.* CXLIX). Et iterum: *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem* (*Ps.* LVIII). Et in libro Ecclesiastico: *In duobus contristatum est cor meum, et in tertio iracundia mihi advenit. Vir bellator deficiens per inopiam et vir sensatus, contemptus: et qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam* (*Eccli.* XXVI). In eodem: *Et omnes homines de solo et ex terra unde creatus est Adam: in multitudine disciplinæ Domini separavit eos, et immutavit vias eorum; ex ipsis benedixit et exaltavit; ex his sanctificavit, et ad se applicavit; ex ipsis maledixit et humiliavit, et convertit illos ad separationem ipsorum; quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud et disponere, omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus. Sic homo in manu illius qui se fecit, reddet illi secundum judicium suum* (*Eccli.* XXXIII). Et in Job: *Cum se moverit ad quærendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies* (*Job.* XV). Et Isaias: *Parata est enim ab heri Topheth, parata et dilatata* (*Isa.* XXX). In eodem: *Ubi vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Isa.* LXVI): Domino verbis eisdem in Evangelio secundum Marcum idem approbante (*Marc.* IX).

Perpendite, obsecro, quare uni det Deus gratiam, alteri non det. Quare post tot millia annorum pro redemptione humani generis Salvator venerit; et excepta gente Judæorum per tanta spatia temporum totus mundus sine gratia Dei in errore remanserit. Quare solum Abraham, et non totum mundum, ad misericordiæ suæ notitiam vocaverit. Cur in solo vellere populi Judæorum tot annorum millibus ros divinæ gratiæ manserit, et area totius orbis irrigari per Dei misericordiam non meruerit. Vel cur postea solum vellus, Judaicus videlicet populus, a Dei gratia aruerit, et gentium omnium aream ros divinæ misericordiæ perfuderit. Et cum Dominus Salvator noster in Evangelio dixerit: *Quia si in Tyro et Sidone, ac Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in Chorozain, Bethsaida, et Capharnaum, olim in cilicio et cinere pænitentiam egissent* (*Matth.* XI, *Luc.* X). Quare ibi fecerit virtutes, ubi non solum ei non crederetur, verum etiam pateretur; et ibi non fecerit, ubi erant pœnitentiam acturi et credituri? Et quod ipse dicit: *Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est* (*Matth.* XIX); *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII). Et iterum: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut non videntes videant, et qui vident cæci fiant* (*Luc.* VIII). Et: *Non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, ne forte videant oculis, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos* (*Isa.* VI), Et item: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII). Et: *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI). Et: *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo* (*Ibid*). Et: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV). Et: *Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI). Et: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Luc.* X). Et duorum se sequi volentium, alterum admiserit, alterum respuerit. Et: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V). Si igitur omnes homines vult salvos fieri, cur non omnes vivificat, qui quos vult vivificat? Quare Spiritus sanctus *ubi vult spirat* (*Ibid.*), non in omnibus? et quare non omnibus, sed *singulis dividit prout vult* (*I Cor.* XII)?

Et quod in Actibus apostolorum legitur quia *in præteritis generationibus dimiserit gentes omnes ingredi vias suas*, unamque tantum Judæorum gentem elegerit (*Act.* XIV). Et quod prædicantibus illi tantummodo crediderunt, qui præordinati *erant*

a Ratramnus, lib. I *de Prædestinatione.*

ad vitam æternam (*Act.* XIII). Et quod volentes Paulum et Barnabam prædicare in Asia, prohibuit eos Spiritus Jesu (*Act.* XVI). Et quod docente Paulo, Lydiæ purpurariæ, non cæteris audientibus, Deus cor aperuit, ut crederet his quæ dicebantur a Paulo (*Ibid.*) Et quod apostolus Paulus reliquias per electionem gratiæ salvas factas prædicat. Et, quia Deus *cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX). Et quod ipse tantis profunditatitatibus tremefactus exclamat, etiam ut cum ipso clamare non erubescatis : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quare me sic fecisti? An non habet figulus luti potestatem ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam?* (*Ibid*). Et illud : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* etc. (*Rom* XI). Adverte, quæso, quis sit populus, de quo in Evangelio dicitur : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I). Et in psalmo: *Redemptionem misit populo suo* (*Psal.* CX). Et rursum. *Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, de regionibus congregavit eos* (*Psal.* CVI). Et: *Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus* (*Ps.* CV). Si igitur omnia quæcunque voluit fecit, et omnes homines vult salvos fieri, ergo quod non fecit noluit, et quos non salvat, salvare non vult; occultissimo quidem, altissimo, incomprehensibili invituperabilique judicio, sed prorsus justissimo.

CAPUT V

Incipit collectio ex Patribus, qua prima propositio de gemina prædestinatione probatur.

Quibus studiose ac diligenter animadversis, tandem catholicorum doctorum qualiter eis consentiant, sententias subjungamus: non omnium quæ præmissa sunt expositiones, sed quemadmodum eorum sensa his vel verbis vel sensibus congruant, continentes.

Innocentii papæ, in epistola directa ad Laurentium episcopum, cap. 49 (*Epist.* XII): Sed ne ulterius debacchandi habeant facultatem, et animas simplicium et rusticanorum in gehennam, cui destinati sunt, trahant.

Ambrosii in expositione Epistolæ Pauli apostoli ad Rom. (*in* c. IX *ad Rom.*): Unum elegit præscientia et alterum sprevit. Et in illo quem elegit, propositum Dei manet: quia aliud non potest evenire quam quod scivit et proposuit in illo, ut salute dignus sit. Et in illo quem sprevit, simili modo manet propositum quod proposuit de illo, quia indignus erit. Hoc quasi præscius, non personarum acceptor: nam neminem damnat antequam peccet, et nullum coronat antequam vincat. Hoc pertinet ad causam Judæorum, qui sibi prærogativam defendunt, quod filii sint Abrahæ. Apostolus autem consolatur se, ut quia dixerat dolorem habere se cordis continuum causa incredulitatis eorum, quorum adoptio erat filiorum, et legis constitutio, et ex quibus Christus Salvator, sicut et ipse ait: *quia salus ex*

A *Judæis est* (*Joan.* IV), tractata lege, invenit quia non omnes qui in Israel sunt, credituri sunt; neque quia dicuntur filii Abrahæ, omnes Abrahæ filios dicendos, sicut supra memoravi. Minuit ergo dolorem suum, inveniens olim prædictum quod non omnes essent credituri, ut his solis doleat qui per invidiam in incredulitate laborant. Possunt tamen credere, quod ex subjectis aperit. Incredulis tamen prædictis non valde dolendum est, quia non sunt prædestinati ad vitam; præscientia enim Dei olim hos non salvandos decrevit.

Item in eodem (*Ibid.*): Præscientia vero est qua definitum habet qualis uniuscujusque futura voluntas erit, in qua mansurus est, per quam aut damnetur aut coronetur. Denique quos scit in bo-B no mansuros, frequenter ante sunt mali; et quos malos scit permansuros, aliquoties prius sunt boni. Unde cesset querela, quia Deus acceptor personarum non est (*Act.* X). Nam Saul et Judas Iscariotes antea fuerunt boni, dicente Scriptura de Saul : *Erat vir bonus et non erat illo melior in filiis Israel* (*I Reg.* IX). Et de Juda Iscariote dicit Petrus apostolus: *Qui sortitus est sortem ministerii hujus* (*Act.* I), id est apostolatus. Quomodo igitur ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? In sorte enim Dei judicium fuit, dignum illum fuisse tempore quo electus est.

Item in eadem: Manifestum est vasa aliqua fieri ad honorem, quæ ad usus honestos sint necessaria, alia vero ad contumeliam, quæ strumento sint C culinarum; unius tamen esse substantiæ, sed differre voluntate opificis in honore. Ita et Deus, cum omnes ex una atque eadem massa simus in substantia, et cuncti peccatores, alii miseretur, et alterum despicit non sine justitia. In figulo enim sola voluntas est; in Deo autem voluntas cum justitia; scit enim cujus debeat misereri, sicut supra memoravi. *Quod si volens Deus ostendere iram, et manifestare potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ præparata in interitum. Et ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam* (*Rom.* IX). Ipse sensus est, quia voluntate et longanimitate Dei, quæ est patientia, præparantur infideles ad pœnam.

CAPUT VI

Ex S. Augustino, in epistola ad Sixtum.

D Augustini ex epistola ad Sixtum presbyterum (*Epist.* CX). Unde et alibi dicitur : *Pax fratribus, et charitas cum fide*; quam ne sibi tribuerent, continuo subjunxit: *A Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo* (*Eph.* VI). Quia nec omnium est fides qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei. Sicut nec omnia germinant quæ plantantur et rigantur, sed quibus Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, et si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident; altitudo est divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia; et apud quem non est iniquitas, dum cujus vult miseretur, et quem vult indurat (*Rom.* IX); neque enim propterea sunt injusta, quia occulta.

Item in eadem : Et ne quisquam existimaret credentes sic ad ejus præsentiam pertinere quomodo non credentes, id est, ut non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodo voluntas eorum prænosceretur, mox adjicit atque ait : *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo* (*Joan.* VI). Hinc erat quod eorum qui audierant loquentem de carne sua et de sanguine suo, quidam scandalizati abscesserunt, quidam credendo manserunt: quia nemo potest venire ad illum nisi cui datum est a Patre, ac per hoc et ab ipso Filio et a Spiritu sancto. Neque enim separata sunt dona vel opera inseparabilis Trinitatis. Sed Filius sic honorans Patrem non affert ullius distantiæ documentum, sed magnum præbet humilitatis exemplum. Hic iterum isti liberi arbitrii defensores, imo deceptores quia inflatores, et inflatores quia præsumptores, non adversum nos, sed adversus Evangelium locuturi, quid aliud dicunt quam id quod Apostolus sibi, quasi a talibus diceretur, objecit : *Dicis itaque mihi, Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit?* (*Rom.* IX.) Hanc contradictionem sibimet ipse, tanquam ab altero opposuit, velut ex eorum voce qui nolunt accipere quod superius dixerat : *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat* (*Ibid.*). Talibus itaque dicamus cum Apostolo, non enim melius illo invenire possumus quid dicamus : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* (*Ibid.*) [a] Quærimus namque meritum obdurationis, et invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt nec merentur ; et potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, quia nullum est, ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur [b].

Item in eadem [c] : Sed si vasa sunt iræ quæ perfecta sunt ad perditionem quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, quia ex ea massa facta sunt quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, merito Deus justeque damnavit. Si autem vasa sunt misericordiæ, quibus ex eadem massa factis supplicium debitum reddere noluit, non se inflent, sed ipsum glorificent qui eis misericordiam non debitam præstat.

Item in eadem : Quæ si justa est excusatio, non jam gratuita gratia est qua liberantur, sed propter hujus excusationis justitiam liberantur [*al.* non jam gratuita gratia, sed propter hujus excusationis justitiam liberantur]. Si autem gratia est qua liberantur, profecto hæc excusatio justa non est. Tunc enim vera gratia est, qua homo liberatur, si non secundum debitum justitiæ retribuitur. Nihil ergo fit in eis qui dicunt : *Qui adhuc conqueritur, nam voluntati ejus quis resistit?* Nisi quod legitur in libro Salomonis : *Insipientia viri violat vias vitæ ejus, Deus autem causatur in corde suo* (*Prov.* XIX *secundum LXX*). Quamvis igitur Deus faciat vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram et demonstret potentiam suam, qua bene etiam utitur malis ; et ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ ; quæ fecit in honorem, non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum : tamen in eisdem iræ vasis, propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est, hominibus propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissime veritas improbat, damnare venit ipse, non facere. Sicut enim voluntati ejus tribuitur humana creatura, nullo dubitante laudanda, sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante damnanda.

Item in eadem : Ut hoc ergo interim omittam, et hoc solum de parvulis dicam, quod ipsi quoque auctoritate evangelica territi, vel potius Christianorum populorum concordissima fidei conspiratione perfracti, sine ulla excusatione concedunt quod nullus parvulus, nisi renatus ex aqua et Spiritu, intret in regnum cœlorum ; quam, quæso, allaturi sunt causam, quod alius sic gubernetur ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, exspiret? An hoc fato vel fortunæ daturi sunt? Non opinor eos in tantam dementiam prorupturos, quantulumcunque nomen Christianum tenere cupientes. Cur ergo in regnum cœlorum non accepto regenerationis lavacro parvulus nullus intrabit? Nunquid non ita sibi parentes [*al.*, Nunquidnam ipse sibi parentes] infideles vel negligentes, de quibus nasceretur, elegit? Quid dicam de inopinatis et repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præveniuntur et baptismo præripiuntur infantes; cum e contrario, sacrilegorum et inimicorum Christi aliquo modo in Christianorum manus venientes ; ex hoc mundo non sine sacramento regenerationis emigrent? Quid hic dicturi sunt qui, ut gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus? Quæ tandem hic merita præcesserunt? Si eorumdem cogitaveris parvulorum, nulla sunt propria, utrisque est illa massa communis. Si parentum attenderis, bona sunt illa quorum filii repentinis mortibus sine Christi baptismate perierunt : mala vero illa quorum filii per Christianorum aliquam potestatem ad sacramenta Ecclesiæ pervenerunt. Et cur providentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt, sine cujus voluntate non cadit passer in terram; qui ne fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec ulla iniquitate corrumpitur, ut renascantur ad hæreditatem cœlestem, non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, et nonnullis consulit etiam parvulis impiorum. Et iste infans de fidelibus conjugatis ortus, lætitia parentum susceptus, matris vel nutrici somnolentia suffocatus, fit exsors

[a] Hincm. l. *de Prædest.*, c. 9.
[b] I Sent., dist. 40, c. *Quicunque.*

[c] Hincm. l. *de Prædest.* c. 7.

et expers fidei suorum; ille infans de sacrilego A stupro nascitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum misericordi pietate colligitur, eorum Christiana sollicitudine baptizatus, fit æterni consors et particeps regni. Ista cogitent, ista considerent, hic audeant dicere Deum vel acceptorem in sua gratia personarum, vel remuneratorem præcedentium meritorum.

Item in eadem: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI) Non itaque misericordiæ gratuitæ Dei pertinacissima adversentur insania. Sciant [*al.* sinant] filium hominis in qualibet ætate quærere et salvum facere quod perierat; nec de inscrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in una eademque causa su- B per alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus. Qui enim sunt isti qui respondeant Deo, quandoquidem ille Rebeccæ habenti geminos ex uno concubitu Isaac patris nostri, cum illi nondum nati, nihil egissent boni vel mali, ut secundum electionem propositum ejus maneret: electionem scilicet gratiæ, non debiti, electionem qua eligendos facit ipse, non invenit; non ex operibus, sed ex vocante dicit, minori serviturum esse majorem? In quam sententiam beatus Apostolus etiam testimonium prophetæ longe posterioris assumpsit: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malach.* I); ut intelligeretur hoc apertum postea per prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. Quid C enim dilegebat in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et qui oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat: neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat.

Item in eadem: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia* (*Rom.* XI). Secundum hanc ergo gratiam, etiam propheticum testimonium consequenter assumens, *Sicut scriptum est*, inquit, *Jacob dilexi; Esau autem odio habui*; et continuo: *Quid ergo dicimus*, inquit, *nunquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Sed quare, *absit*? An propter opera quæ futura presciebat amborum? Imo et hoc absit? *Moses enim dicit:* D *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero. Igitur nec volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX). Atque ut in vasis quæ perfecta sunt in perditionem, quæ damnatæ debita est massæ, agnoscant vasa ex eadem massa facta in honorem, quid eis misericordia divina largita sit, *dicit enim*, inquit, *Scriptura ad Pharaonem: Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te patientiam meam, et ut glorificetur nomen meum in universa terra* (*Exod.* IX). Denique ad utrumque concludit: *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono, obdurat autem justissimo merito.

CAPUT VII.

Ex variis libris ejusdem S. Augustini.

Augustini contra Pelagium libro II (*contra duas epist. Pelag.* l. II, cap. 7). Nobis in duobus istis geminis unam procul dubio habentibus causam, difficultatem quæstionis cur alius sic, alius vero sic mortuus est, velut non solvendo solvit Apostolus. Qui cum et ipse de duobus geminis tale aliquid proposuisset, propter quod non ex operibus, quia nondum operati fuerant aliquid boni vel mali, sed ex vocante dictum est: *Major serviet minori:* Et: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX); et hunc [*al.* hujus] profunditatis horrorem usque ad hoc perduxisset, ut diceret: *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat*, sensit continuo quid moveret, et sibi verba contradicentis [*al. add.* quæ apostolica auctoritate coerceret] opposuit. Ait enim: *Dices itaque mihi: Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit?* Respondit que ista dicenti: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quare sic me fecisti? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam* (*Rom.* IX)? Deinde secutum tam magnum abditumque secretum, quantum aperiendum esse hominibus judicavit, aperuit dicens: *Si autem volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, et ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* (*Ibid.*). Hoc est gratiæ Dei non solum adjutorium, verum etiam documentum: adjutorium scilicet in vasis misericordiæ: in vasis autem iræ, documentum. In eis enim ostendit iram, et demonstrat potentiam suam: quia tam potens est bonitas ejus, ut bene utatur etiam malis, et in eis facit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quoniam quod ab iræ vasis exigit justitia punientis, hoc vasis misericordiæ dimittit gratia liberantis; nec beneficium quod quibusdam gratis tribuitur, appareret, nisi Deus aliis ex eadem massa pariter reis justo judicio condemnatis, quid utrisque deberetur, ostenderet.

Augustini contra Pelagium, l. IV (*Contra duas epist. Pelag.* l. IV, c. 6): Sed quare istos homines oves facit, et istos non facit, apud quem non est acceptio personarum? Ipsa est quæstio quam beatus Apostolus curiosus quam capacius proponentibus ait: *O homo, tu quis es ut respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quare sic me fecisti?* (*Rom.* IX.) Ipsa est quæstio quæ ad illam pertinet altitudinem quam perspicere volens idem Apostolus quodammodo expavit et exclamavit: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum* (*Rom.* XI). Non ita-

que istam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam, et ideo jam contra gratiam defendentes, priores volunt dare Deo, ut retribuatur eis: priores utique dare quodlibet ex libero arbitrio, ut sit gratia retribuenda pro præmio: et sapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod se putant priores dedisse, ab illo ex quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia, percepisse. Cur autem iste accipiat, ille non accipiat, cum ambo non mereantur accipere, et quisquis eorum acceperit, indebite accipiat, vires suas metiantur, et fortiora se non scrutentur. Sufficiat eis scire quod non sit iniquitas apud Deum. Cum enim nulla merita invenisset Apostolus quibus Jacob geminum apud Deum præcederet fratrem. *Quid ergo dicemus?* inquit: *Nunquid est iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus misertus ero et misericordiam præstabo cui misericors fuero. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX). Grata sit ergo nobis ejus gratuita miseratio, etiamsi hæc profunda insoluta sit quæstio. Quæ tamen eatenus solvitur, quatenus eam solvit idem Apostolus dicens: *Si autem Deus volens ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, et ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* (*Ibid.*) Ira quippe non redditur nisi debita, ne sit iniquitas apud Deum: misericordia vero etiam cum præbetur indebita, non est iniquitas apud Deum. Et hinc intelligunt vasa misericordiæ quam gratuita illis misericordia præbeatur, quod iræ vasis, cum quibus est eis perditionis causa et massa communis, ira debita et justa rependitur. Hæc jam satis sint adversus eos qui per arbitrii libertatem destruere volunt gratiæ largitatem [*al.*, largitorem].

Augustini de Prædestinatione sanctorum, ad Prosperum et Hilarium (*cap.* 16). Legimus in Actibus apostolorum, cum dimissi a Judæis apostoli venissent ad suos, et indicassent quanta eis seniores et sacerdotes dixissent, levaverunt illi vocem unanimes omnes ad Dominum, et dixerunt: *Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt: qui per os patris nostri David sancti pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Convenerunt enim in veritate in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pilatus, et populus Israel, facere quanta manus tua et consilium præordinavit fieri* (*Act.* IV). Ecce quod dictum est, *secundum Evangelium quidem, inimici propter vos* (*Rom.* XI). Tanta quippe ab inimicis Judæis manus Dei et consilium prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerant Evangelio propter nos.

[a] Augustini de bono Perseverantiæ, ad Prosperum et Hilarium (*cap.* 6): Nihil enim fit nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit.

In eodem (*cap.* 11): Proinde, sicut Apostolus ait: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Qui et parvulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo: daturus etiam eis gratiam gratis, id est nullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus: et majoribus, etiam his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros. Quibus non vult subvenire, non subvenit, de quibus sua prædestinatione occulte quidem, sed juste judicavit. Non enim est iniquitas apud Deum, sed incrustabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus; *universæ* enim *viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV).

Augustini ex libri Retractationum, de libro de diversis Quæstionibus LXXXIII, cap. 21 (*l.* I, *c. ult.*): « Utrum Deus mali auctor non sit. » Ubi videndum est ne male intelligatur quod dixi: « Mali auctor non est, quia omnium quæ fecit auctor est: quia in quantum sunt, in tantum bona sunt; » et ne hinc putetur non ab illo esse pœnam malorum, quæ utique malum est iis qui puniuntur. Sed hoc ita dixi quemadmodum dictum est: *Deus mortem non fecit* (*Sap.* I); cum alibi scriptum sit: *Mors et vita a Domino Deo est* (*Eccli.* XI). Malorum ergo pœna, quæ a Deo est, malum quidem est malis, sed in bonis Dei operibus est: quoniam justum est ut mali puniantur, et utique bonum est omne quod justum est.

Augustini in expositione psalmi VII (*post medium*): *Sagittas suas ardentibus operatus est.* Arcum ergo istum, Scripturas sanctas libenter acceperim, ubi fortitudine Novi Testamenti, quasi nervo quodam, duritia Veteris flexa et edomita est. Hinc tanquam sagittæ emittuntur apostoli, vel divina præconia jaculantur. Quas *Sagittas ardentibus operatus est*, id est, quibus percussi divino amore flagrarent. Qua enim alia sagitta percussa est, quæ dicit: *Inducite me in domum vini, constituite me inter unguenta, constipate me inter mella* [F. *mala*], *quoniam vulnerata charitate ego sum?* (*Cant.* II). Quibus aliis sagittis accenditur, qui redire ad Deum cupiens, et ab ista peregrinatione remeans, adversus dolosas linguas petit auxilium, et dicit [*al.* et ei dicitur]: *Quid detur tibi, aut quid adjiciatur tibi adversus linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus vastatoribus* (*Psal.* CXIX), id est, quibus percussus atque inflammatus tanto amore ardeas regni cœlorum, ut omnium resistentium, et a proposito avocare volentium linguas contemnas, et persecutiones eorum derideas, dicens: *Quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque pro-*

[a] Hincm., de Præd,, cap. 1.

fundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu *Domino nostro* (*Rom.* VIII). Sic ardentibus sagittas suas operatus est. Nam in Græcis exemplaribus ita invenitur : *Sagittas suas ardentibus operatus est ;* Latina autem *ardentes* pleraque habent. Sed sive ipsæ sagittæ ardeant, sive ardere faciant, quod utique non possunt nisi et ipsæ ardeant, integer sensus est. Sed quia non sagittas tantum, sed etiam *vasa mortis* dicit Dominum in arcu parasse, quæri potest quæ sint vasa mortis ? An forte hæretici ? Nam et ipsi ex eodem arcu, id est ex eisdem Scripturis in animas non charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt, quod non contingit nisi pro meritis. Propterea divinæ providentiæ etiam ista dispositio tribuenda est, non quia ipsa peccatores faciat [*al.* facit], sed quia ipsa ordinat cum peccaverint. Malo enim voto per peccatum legentes, male coguntur intelligere, ut ipsa sit pœna peccati ; quorum tamen morte filii catholicæ Ecclesiæ, tanquam quibusdam spinis, a somno excitantur, ut ad intelligentiam divinarum proficiant Scripturarum. *Oportet enim et hæreses esse, ut probati,* inquit, *manifesti fiant inter vos* (*I Cor.* XI) ; hoc est inter homines, cum manifesti sint Deo. An forte easdem *sagittas et vasa mortis* disposuit ad perniciem infidelium, et *ardentes* vel *ardentibus operatus est* ad exercitationem fidelium ? Non enim falsum est quod Apostolus dicit : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Et ad hæc quis idoneus ?* (*II Cor.* II.) Non ergo mirum si iidem apostoli et vasa mortis sunt eis in quibus persecutionem passi sunt, et igneæ sagittæ ad inflammanda corda credentium. Post hanc autem dispensationem justam [*al.* justum] veniet judicium : de quo ita dicit, ut intelligamus, unicuique homini supplicium fieri de peccato suo, et ejus iniquitatem in pœnam converti. Ne putemus illam tranquillitatem et ineffabile lumen Dei de se proferre unde peccata puniantur, sed ipsa peccata sic ordinare ut quia fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti.

Augustini in expositione psalmi IX : *De occultis Filii.* Quæ sunt igitur occulta Filii ? In quo verbo primum intelligendum est esse aliqua manifesta Filii, de quibus distinguantur hæc quæ appellantur *occulta*. Quamobrem quoniam duos adventus Domini credimus, unum præteritum, quem Judæi non intellexerunt ; alterum futurum, quem utrique speramus : et quoniam iste, quem Judæi non intellexerunt, gentibus profuit, non inconvenienter accipitur de hoc adventu dictum, *pro occultis Filii,* ubi cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo gentium intraret (*Rom.* XI). Duo enim judicia insinuantur per Scripturas, si quis advertat : unum occultum, alterum manifestum. Occultum nunc agitur, de quo apostolus Petrus dicit : *Tempus est ut judicium incipiat a domo Domini* (*I Petr.* IV). Occultum itaque judicium est pœna qua nunc unusquisque hominum aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem, aut si contempserit vocationem et disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. Judicium autem manifestum est, quo venturus est Dominus, judicare vivos et mortuos, omnibus fatentibus eum esse a quo et bonis præmia et malis supplicia tribuentur. Sed tunc illa confessio, non ad remedium malorum, sed ad cumulum damnationis valebit. De his duobus judiciis, uno occulto, altero manifesto, videtur mihi Dominus dixisse, ubi ait : *Qui in me credit, transit de morte ad vitam, nec in judicium venit* (*Joan.* V) : in judicium scilicet manifestum. Nam hoc quod transit de morte ad vitam, per nonnullam afflictionem, qua flagellat Dominus omnem filium quem recipit, judicium occultum est. *Qui autem non credit,* inquit, *jam judicatus est* (*Joan.* III) ; id est, occulto judicio jam præparatus est ad illud manifestum. Hæc duo judicia etiam in Sapientia legimus, ubi scriptum est : *Propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti ; hi autem hoc judicio non correcti, dignum Dei judicium experturi sunt* (*Sap.* XII). Qui ergo non corriguntur illo judicio occulto, dignissime illo manifesto punientur. Quo circa in hoc psalmo observanda sunt *occulta Filii*, id est, et humilis ejus adventus, qui profuit gentibus, cum cæcitate Judæorum ; et pœna quæ nunc occulte agitur, nondum damnatione peccatorum, sed aut exercitatione conversorum aut admonitione ut convertantur, aut cæcitate ut damnationi præparentur qui converti noluerunt [*al.*, noluerint].

Augustini in libro II de Baptismo parvulorum. Ad Marcellinum scribens (*De peccatorum meritis et remis.*, l. II, c. 7), inter alia sic dixit : Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum ordinat [*al.*, adjuvat] voluntates : qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint, propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam superbiam suam, judicandi, et erudiendi, si filii sint misericordiæ.

Augustini ex lib. XV de Civitate Dei (*cap.* 1). Arbitror tamen satis nos jam fecisse magnis et difficillimis quæstionibus, de initio, vel de fine mundi ; vel animæ, ipsius generis humani ; quod in duo genera distribuimus, unum eorum qui secundum hominem ; alterum eorum qui secundum Deum vivant. Quas item mystice appellamus civitates duas, hoc est, duas societates hominum quarum una est quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo ; altera, æternum supplicium subire cum diabolo.

Augustini de Perfectione hominis, ad Eutropium et Paulum. *Deus de cœlo respexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum* (*Psal.* XIII). Hoc ergo bonum quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum, sed in eo genere hominum quod prædestina-

tum est ad interitum. Super eos enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam.

Rescriptum sancti Augustini ad Hilarium (*Epist.* 89, *quæst.* 3). Itaque, *sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem*, de qua condemnatione parvuli per sacramentum baptismi liberandi sunt, *ita per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ* (*Rom.* v). Et hic omnes dixit, et ibi : Non quia omnes homines venirent ad gratiam justificationis Christi, cum tam multi abalienati [*al* alienati] ab illa, in æternum moriantur : sed quia omnes qui renascuntur in justificationem, non nisi per Christum renascuntur : sicut omnes qui nascuntur in condemnationem, non nisi per Adam nascuntur. Nemo quippe est in illa generatione, præter Adam; nemo in ista regeneratione, præter Christum. Ideo *omnes*, et *omnes*. Eosdem autem *omnes* etiam *multos* postea dicit, adjunges : *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; sic et per unius hominis obedientiam justi constituuntur multi.* Qui *multi*, nisi quos paulo ante *omnes* dixerat?

In eodem : Quoniam mors temporalis, quamvis et ipsa de originali delicto propagata sit, corpus in eis interimit, animum vero ad pœnam non trahit, ubi voluit regnum mortis intelligi, ut anima renata per gratiam, jam non moriatur in gehennam : id est, a vita Dei non alienetur, non separetur. Temporalis autem mors corporis, etiam iis qui Christi morte redimuntur, relinquitur interim ad exercitationem fidei, et agonem præsentis luctaminis [*al.*, luctationis] in quo et martyres certaverunt, absumetur vero et ipsa in renovatione corporis quam resurrectio pollicetur. Ibi enim penitus absorbebitur mors in victoriam, cui modo gratia Christi adimit regnum, ne secum animas ad pœnas Tartari trahat.

Augustini ex libro Enchiridion (*cap.* 100) · Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*, et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene utens et malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos jus prædestinavit ad pœnam; et ad eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad gloriam.

CAPUT VIII.

Ex sancto Fulgentio, libro de Prædestinatione ad Monimum.

Fulgentii, ex libro de Prædestinatione ad Monimum (*lib.* I, *cap.* v). Quantum igitur ipsa veritate (quæ verum lumen est) illuminante tenebras meas, in hujus quæstionis scrutatione, facultas mihi hactenus est intelligendi concessa, nihil aliud accipiendum existimo in illo sancti Augustini sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicii, non delicti : neque ad malum quod injusti admittunt, sed ad cruciatum, quem justissime patientur : nec ad peccatum quo primæ resurrectionis beneficium aut non accipiunt aut amittunt : sed ad tormentum, quod illis propria iniquitas male parit, et æquitas divina bene retribuit. Nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur parvuli, vel in quam (sicut beatus Jacobus dicit) concupiscentia sua abstracti et illecti recidunt criminosi : sed ad mortem secundam, quam necesse est patiantur, retribuente justissimo judice, sive qui ante perceptam baptismi gratiam discedunt de sæculo : sive qui in vacuum gratiam Dei recipientes, post acceptum baptismum, usque ad finem præsentis vitæ, malunt servi esse peccati, nec volunt, dum tempus est acceptabile et dies salutis, converti a via sua mala, ut vivant. Et ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducat, ipsi, secundum duritiam suam et impœnitens cor, thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei.

Item in eodem (*cap.* 7) : Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc quod male operantur a concupiscentia sua abstracti et illecti; sed ad hoc quod juste patiuntur inviti. Prædestinationis enim nomine, non aliqua voluntatis humanæ coactiva [*al*, coactitia] necessitas exprimitur, sed misericors et justa futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur. Deo autem misericordiam et judicium cantat Ecclesia, cujus hoc opus est in homine, ut occulto voluntatis suæ, non tamen injusto consilio, aut gratuitam misericordiam præroget misero, aut debitam justitiam rependat injusto : imo, aut misericorditer debitori, donet, quod si vellet juste posset exigere : aut juste cum usuris, quod suum est exigat, et iniquo debitori, quod debetur iniquitatibus, reddat.

Item in eodem (*cap.* 14) : In utrisque ergo, id est justis et injustis, tria quidem consideranda existimo initium voluntatis, progressum operis, finem retributionis : ut in his quæcunque justa et bona videmus, justo et bono Deo demus : illa autem Deo indigna noverimus, in quibus nec bonitatem, nec justitiam invenimus. Et considerata operum qualitate, illa credamus a Deo prædestinata, quæ misericordiæ vel æquitati divinæ condigna reperiuntur, et congrua, *Misericors enim, et miserator, et justus Dominus.* Ac primo totius bonæ voluntatis initium ab illa sempiterna Trinitate, qui unus solus, et verus est Deus, et prædestinatum confitemur et datum. Hoc enim homini gratuita justificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædestinatione preparaverat tribuendum.

Item in eodem (*cap.* 17) : Et ideo jam, ut libelli series temperetur, malorum quoque voluntatem, operationem ac retributionem considerare debemus; ut agnoscamus utrum malos Deus justus ad hoc etiam prædestinaverit faciendum, quod in eis puniturus est factum ? An idcirco iniquos ad supplicium juste prædestinaverit, quia eorum mala opera, licet futura præscierit [*al*, præscerit], non tamen ipse prædestinavit ut futura essent, quia non ipse fecit ut fierent.

item in eodem (*cap.* 19) : Ad voluntatem igitur A malam Deus hominem non prædestinavit, quia homini eam daturus ipse non fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit?

Item in eodem (*cap.* 21) : Porro autem cum negare non possimus a Deo bono factum hominem bonum, si dixerimus eum a Deo prædestinatum ad opus aliquod malum, nos Deo misericordi et justo tale opus, quod absit, ascribimus, ubi nec misericors possit inveniri, nec justus. Si enim cum a Deo fieret homo, sic erat in præsenti opere Dei, bonus, ut in prædestinatione ejus esset malus ; procul dubio Dei opere malus futurus erat, a quo ad peccandum prædestinatus fiebat. Ubi B statim illa consequitur absurditas, ut dicatur, quia Deus (de quo Propheta dicit, *qui fecit quæ futura sunt*) in se habuit (quod absit) iniquitatis originem, si hominem a se factum ipse prædestinaverat peccatorem. Prædestinatio enim ejus, præparatio est operum ejus. Et sicut competit Deo bono, ut causa sit totius operis boni : sic incongruum est ut in ipso putetur causa cujuslibet operis mali. Deinde attendamus, quia nulla ratio redditur, qua homo ad peccatum prædestinatus a Deo credatur. Si enim in his quos Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi benedixit in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo Jesu, sicut elegit eos in charitate, qui prædestinavit eos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in C ipsum. Si ergo in his causa prædestinationis quæratur, non utique alia, sed sola gratuita Dei misericordia reperitur.

Item in eodem (*cap.* 22) : In his autem qui putantur prædestinati, non ad luenda supplicia, sed ad perpetranda peccata, cum causa ipsius prædestinationis quæritur, non invenio quid respondere possit, quisquis hanc asserere meditatur. Nunquid enim, sicut recte dicimus, ad hoc prædestinatos sanctos, ut, Deo in eis misericorditer operante, ex malis fierent boni, et ex impiis justi? Quod cum dicimus, ad Dei gloriam dicimus : Nunquid sic recte dicere poterimus, ad hoc prædestinatos iniquos ut Deo in eis, etsi non misericorditer, saltem juste operante, ex bonis fierent mali, aut ex justis D fierent impii? Absit hoc a nobis, et ab omnibus Christianis, ut causam cujuslibet peccati quisquam deputare divinæ audeat æquitati : cum nec malitiæ, nec impietatis cujusquam causa esse possit.

Item in eodem (*cap.* 23) : Quis ergo putet a bono ac suavi Deo prædestinatum hominem aut ad malitiam voluntatis, qua bonum Deum relinqueret, aut ad amaritudinem contumaciæ, qua suavem Dominum non timeret? Proinde fidelibus congruit credere et confiteri, Deum bonum et justum præscisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum (neque enim vel futura essent si in ejus præscientia non fuissent) : non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum quia si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum justa punitio. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædestinare, quod ipse proposuerat et præcepto prohibere, et misericordia diluere, et justitia punire. Iniquos itaque quos præscivit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinavit supplicio interminabili puniendos, in quo sicut culpanda non est præscientia humanæ iniquitatis, ita prædestinatio laudanda est ultionis, ut agnoscatur, non ab eo prædestinatum hominem ad qualecunque peccatum, quem prædestinavit peccati merito puniendum.

Item in eodem (*cap.* 24) : Et licet in ejus prædestinatione non fuerit, ut malitiam humanæ voluntati dedisset, fuit tamen in ejus prædestinatione, quid humanæ voluntatis malitiæ reddidisset. Propter hoc, quia sicut Psalmista testatur : *Misericors est Dominus et justus* (*Psal.* CXI), prædestinavit justos ad gloriam, iniquos ad pœnam. Justificandis ergo atque glorificandis prædestinatum misericordiæ suæ opus prædixit pariter et promisit : iniquis autem prædestinatum justitiæ suæ opus prædixit tantummodo, non promisit (*cap.* 25). Quod si quis quærat cur Deus omnia quidem prædestinata prædixerit, non tamen omnia prædestinata promiserit? Respondemus promissionem dici non posse, nisi cum aliquid ad hoc prædicitur faciendum, ut possit ei cui promittitur prodesse jam factum. Et promissum semper esse doni, non semper esse judicii; cum promissi largitas semper beatificet, judicii vero severitas aliquando contristet. Quod Propheta metuens hujusmodi ad Deum orationem effundit : *Ne intres in judicio cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Sciebat enim cunctos pari retinendos punitionis vinculo, nisi Deus in quibus vellet misericordiam fecisse, superexaltaret judicio. Justificatio igitur et glorificatio, quæ non est homini ex homine, sed ex Deo, quia multum sanctis fuerat profutura, ideo prædicta est et promissa ; punitio vero, qui in æternum fuit impiis obfutura, prædicta est tantummodo, non promissa. Quod etiam divinis testimoniis facilius ostenditur. In illo quippe Prophetæ loco utrumque pariter invenitur expressum, ubi Deus per Isaiam eos qui sibi non serviunt, his arguit verbis : *Ecce, qui serviunt mihi manducabunt, vos vero esurietis : Ecce, qui serviunt mihi bibent, vos vero sitietis : Ecce, qui serviunt mihi lætabuntur, vos vero clamabitis præ dolore cordis vestri, et a contritione spiritus ululabitis* (*Isa.* LXV). In his omnibus, quæcunque ad iniquorum personam pertinent, prædicta sunt tantummodo, non promissa. Neque enim dicendum est bonitatis largitate promissum quod intentat iniquitatis merito severitas inferendum. Si qua vero ad personam servientium Deo pertinent, et prædicta sunt, et promissa. Tale aliquid est etiam in illo Salvatoris nostri sermone, quo ait : *Tunc illi ibunt in combustionem æternam, justi autem in vitam æter-*

nam (*Matth.* XXV). Prædixit et promisit præmium, quo fruerentur justi, non autem promisit, sed prædixit supplicium, quo punirentur injusti. Neque enim sicut prædestinavit sanctos ad justitiam accipiendam, sic prædestinavit impios ad eamdem justitiam amittendam : quia *misericors Dominus et justus*, potuit gratis a pravitate liberare quos voluit, pravitatis autem operator nunquam fuit, nisi in quantum a Deo discessit, nec discessum Deus prædestinavit, quamvis discessurum cognitione divina præsciverit (*cap.* XXVI). Deus itaque, licet auctor non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum, et de malo opere cujuslibet mali, non desinit ipse bonum operari : nec in ipsis injustæ voluntatis operibus, deserit operum suorum justum ordinem, quia et hoc in ipso ordine habet, quod malam juste deserit voluntatem. Quam tamen sic in suis malis operibus a se discedentem deserit, ut ibi permittentis Dei operatio bona non desit ? dum et in peccantis voluntate injusta, implet ipse justitiam ; et de malo, quo peccantem judicat, quibus ipse vult, beneficium prærogat.

Item in eodem (*cap.* XXVI). Tales ad interitum prædestinavit, quia talibus juste [*Al.* justæ] punitionis supplicium præparavit. Quod utique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo, quod a se ostendit paratum, non solum regnum ubi lætentur boni ; sed et ignem æternum, ubi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*Matth.* XXV). Malis autem dicturus est : *Ite maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Ibid.*) Ecce ad quod Dominus iniquos et impios prædestinavit, id est ad supplicium justum, non ad aliquod opus injustum ; ad pœnam, non ad culpam : ad punitionem, non ad transgressionem : ad interitum, quem ira justi judicis peccantibus reddidit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas provocavit. Quod beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos quos in æternum damnaturus est Deus, vasa vocat iræ, non culpæ.

Item in eodem : Non ergo iniqui prædestinati sunt ad mortem animæ primam, sed prædestinati sunt ad secundam, id est, ad stagnum ignis et sulphuris.

CAPUT IX.

Ex S. Gregorio papa in libris Moralium.

Gregorii papæ in Job, libro IX (*cap.* XII, *in cap.* IX *Job*) : In quo nimirum turbine, idcirco justus nequaquam conteritur. Perpendit namque adhuc in præsentis vitæ itinere constitutus, humanis actibus exactor operum quam districtus appareat : qui quosdam tunc reatu culpæ originalis astrictos, etiam sine operibus damnat. Unde recte vir sanctus ex humani generis voce protinus adjungit : *Et multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa.* Nonnulli enim prius a præsenti luce subtrahuntur, quam ad proferenda bona malave merito activæ vitæ perveniant : quos quia a culpa originis sacramenta salutis non liberant, et hic ex propriis nihil egerunt, et illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum malum est, corruptibiliter nasci, aliud corruptibiler mori : sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur occulto eis justoque judicio, *etiam sine causa vulnera multiplicantur* : perpetua quippe tormenta suscipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. Hinc namque scriptum est : *Non est mundus in conspectu ejus, nec unius diei infans super terram.* Hinc per semetipsam Veritas dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III). Hinc Paulus ait : *Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II). Qui itaque nullum proprium adjungens, ex solo originali reatu perimitur, quid iste in illo extremo examine, quantum ad humani sensus æstimationem, nisi *sine causa vulneratur ?* Sed tamen sub divina districtione justum est, ut propago mortalis, velut infructuosa arbor, et in ramis servet amaritudinem, quam traxit ex radice. Ait ergo : *In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea sine causa.* Ac si aperte humani generis damna considerans, dicat : Districtus judex qui eos animadversione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat ; si et illos in æternum percutit, quos reatus arbitrii non addicit.

Gregorii papæ in libro Job XI (*cap* 2, *in cap.* XII *Job*) : *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* Facile est hominem tunc divitias despicere cum habet : difficile vero est eas cum non habet, viles æstimare. Unde patenter ostenditur, quatenus contemptus terrenarum rerum in beati Job cogitatione fuerit, qui tunc dicit nulla esse quæ abundant reprobis, quando omnia amisit. Ait ergo : *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum.* Quia plerumque eo magis contra Deum superbiunt, quo ab ejus largitate, et contra meritum, ditantur, et qui provocari bonis ad meliora debuerant, donis pejores fiunt. Sed intelligendum nobis est, quomodo *prædones* appellentur, dum protinus additur. *Cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* Si enim prædones sunt, violenter abstulerunt : et dubium non est, quin violentorum non sit adjutor Deus. Quomodo igitur ipse dat, quod hi qui prædones sunt, nequiter tollunt ? Sed sciendum est, quia aliud est quod omnipotens Deus, misericorditer tribuit, aliud quod iratus habere sinit. Nam quod prædones perverse faciunt, hoc dispensator æquissimus fieri, non nisi juste permittit, ut et is qui rapere sinitur, cæcatus mente culpam augeat, et is qui rapinam patitur, jam in ejusdem rapinæ damno, pro alia quam ante perpetravit culpa, feriatur. Ecce enim quidam in montis fauce constitutus, insidiatur itinerantibus ; sed his qui iter agit, inique fortasse quædam aliquando perpetravit ; eique omnipotens Deus malum suum in præsenti vita retribuens, atque hanc [*al.* hunc] insidiatoris manibus tradens, vel spoliari rebus, vel etiam interire permittit. Quod ergo prædo

injuste appetiit, hoc æquissimus judex juste fieri A permisit, ut et ille reciperet quod injuste fecerat : et iste gravius quandoque feriatur, per cujus nequissimam voluntatem culpam omnipotens Deus in alterum juste vindicavit. Ille purgatur qui opprimitur. in isto reatus augetur qui opprimit, ut vel de fundo nequitiæ quandoque ad pœnitentiam redeat. vel non revertens, tanto gravius æterna damnatione feriatur, quanto diu est in sua iniquitate toleratus. Cum illo ergo misericorditer agitur, ut peccatum finiat : cum isto districte ut multiplicet, nisi ad pœnitentiam recurrat. In illo mala purgantur dum vim sustinet : in isto cumulantur, dum facit. Omnipotens itaque Deus quod fieri prohibet, justum est ut fieri sinat : ut unde nunc exspectat, et non conversos diu tolerat, quandoque inde plus feriat. Bene B ergo dicitur ; *Abundant tabernacula prædonum et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum* : quidquid iniqui tollant, eis hoc ipse dat, qui illis ad rapinam posset resistere, si misereri voluisset.

Ex eodem libro (*cap.* 5) : *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* Quia omnis homo per id quod male agit, quid sibi aliud quam conscientiæ suæ carcerem facit, ut hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exterius recusat ? Qui cum, judicante Deo, in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. Nam sæpe nonnulli a pravis actibus exire cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in C malæ consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes hoc quod recte se agere æstimant, in graviores culpas vertunt : fitque modo mirabili, ut quod exitum putant, hoc inclusionem inveniant. Sic videlicet reprobus Judas, cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis supplicia pervenit ; et pejus de peccato pœnituit quam peccavit. Dicatur ergo : *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* Quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, est clausis non aperire. Unde ad Moysen dicitur de Pharaone : *Ego obdurabo cor ejus.* Obdurare quippe per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non D emollit. Recludit [*al.* includit] itaque hominem, quem in suorum operum tenebris relinquit.

Ex eodem libro (*cap.* 8) : *Regum* itaque *balteum dissolvit*, quando in his qui bene regere membra sua videbantur, propter elationis culpam, castitatis in eis cingulum destruit. Quid vero in fune accipitur, nisi peccatum ? Sicut per Salomonem dicitur : *Iniquitates suæ capiunt impium : et funibus peccatorum suorum constringitur* (*Prov.* V).

Gregorii papæ in Job. libro XII (*cap.* 2, *in cap.* IV *Job*) : *Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt.* Nulla quæ hominibus in hoc mundo fiunt absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante sæcula decrevit, qualiter per sæcula disponantur. Statutum quippe jam homini est, vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum adversitas feriat : ne electos ejus aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Statutum quoque est, quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivat.

Gregorii papæ in Job, libro XIV (*cap.* 18, *in cap.* XIX *Job*) : *Et obsederunt in gyro tabernaculum meum.* In gyro enim tabernaculum obsident, quando ex omni latere suis tentationibus mentem cingunt, quam modo lugere de temporalibus, modo desperare de æternis, modo in impatientiam ruere, atque in Deum blasphemiæ verba jaculari, pessima suggestione persuadent. Quæ tamen verba, ut jam prædiximus, beato Job etiam juxta historiam congruunt : qui dum mala quæ pertulit ante oculos congessit, non quasi corrigendum filium, sed quasi hostem, percussum se esse indicavit. Per quem *sibi etiam latrones ejus viam fecerunt*, quia maligni contra eum spiritus licentiam percussionis acceperunt. Cujus *in gyro tabernaculum obsederunt*, quia sublatis rebus et filiis, etiam corpus ejus omne vulneribus attriverunt. Sed mirum valde est, cum latrones diceret, cur addidit *ejus*, ut videlicet eosdem latrones Dei esse monstraret. Qua in re si voluntas ac potestas malignorum spirituum discernatur, cur *latrones Dei* dicantur, aperitur. Maligni quippe spiritus ad nocendum nos incessabiliter anhelant ; sed cum pravam voluntatem ex semetipsis habeant, potestatem tamen nocendi non habent, nisi eos voluntas summa permittat. Et cum ipsi quidem injuste nos lædere appetunt, quemlibet tamen lædere, non nisi injuste a Deo permittuntur. Quia ergo in eis voluntas injusta est, et potestas justa, et latrones dicuntur, et Dei, ut ex ipsis sit, quod inferre mala injuste desiderant. et ex Deo, quod desiderata juste consummant.

Ex eodem libro (*cap.* 22) : *Et orabam filios uteri mei.* In Deo, qui corporis forma non circumscribitur, membra corporis, id est manus, oculus, uterus ita nominantur, ut ex membrorum vocabulis, effectus ejus potentiæ designetur. Oculos quippe habere dicitur, qui cuncta videt : manus habere describitur quia cuncta operatur : in utero autem proles concipitur, quæ in hac vita profertur. Quid ergo uterum Dei, nisi ejus consilium debemus accipere, in quo ante sæcula per prædestinationem concepti sumus ; ita ut creati per sæcula producamur ? Deus ergo, qui manet ante sæcula uteri sui filios oravit, quia eos quos potenter per divinitatem condidit, incarnatus veniens humiliter rogavit.

Gregorii papæ in Job. lib. XV *cap.* 24, *in cap.* XXI *Job*). *Et in puncto ad inferna descendunt.* Potest in puncto hoc quoque intelligi, quod sæpe hi, qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur ; ut nec flere ante mortem liceat quæ peccaverunt. Sed quia nonnunquam etiam vita justorum subito fine terminatur, melius illud accipimus, si hoc de eorum temporali vita sentiamus ; quia quidquid transire potuit, subitum fuit. Amicis autem beati

Job, qui idcirco hunc injustum esse crediderunt, quia flagellatum viderunt, recte ejusdem sancti viri voce, de iniquorum flore et perditione ostensum est, quia præsentis vitæ prosperitas, innocentiæ testis non est : quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, et plerique ad infinita judicia perducendi sine flagello moriuntur.

Ex eodem libro (*cap.* 30) : *Et sicut favilla quam turbo dispergit.* Ante Omnipotentis oculos, iniqui vita favilla est : quia etsi apparet ad momentum viridis, ab ejus tamen judicio jam consumpta cernitur ; quia consumptioni est æternæ deputata. Hanc favillam turbo dispergit, quia *Deus manifestus veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX).

In eodem libro (*cap.* 32) : Sed ecce cum hæc audivimus [*al.*, audimus], cordi nostro quæstio oritur, cur omnipotens et misericors Deus in tantam cæcitatem cadere rationem humanæ mentis permiserit ? Ne vero quisquam ultra quam debet, occulta Dei judicia discutere præsumat, recte subjungitur : *Nunquid Deum quisquam docebit scientiam, qui excelsos judicat* ? Cum in his quæ de nobis aguntur, ambigimus, debemus alia quæ nobis sunt certa conspicere, et eam quæ de nostra nobis incertitudine surexerat, cogitationis querelam placare. Ecce enim quod electos ad vitam flagella revocant ; et a malis actibus reprobos nec flagella compescunt : omnipotentis Dei judicia super nos valde occulta sunt, et injusta non sunt. Sed si tendamus oculum mentis ad superiora, in illis aspicimus, quia de nobis quid juste conqueri non habemus. Omnipotens enim Deus angelorum merita discernens, alios in æterna luce sine lapsu permanere constituit ; alios sponte lapsos a statu suæ celsitudinis, in æternæ damnationis ultione prostravit. Nobiscum igitur injuste nihil agit, qui et subtiliorem nobis naturam juste judicavit. Dicat ergo : *Nunquid Deum quispiam docebit scientiam, qui excelsos judicat* ? Qui enim super nos mira facit, constat procul dubio quia de nobis scienter omnia disponit. His itaque præmissis adjungitur, ubi humanus animus in requisitione fatigatur. Nam subditur : *Iste moritur robustus et sanus, dives et felix ; viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur : alius vero moritur in amaritudine animæ suæ absque ullis operibus.* Ista cum ita sint, quis omnipotentis Dei secreta discutiat, cur hæc ita esse permittat ? Sed electis et reprobis et vita quidem dispar est ; carnis autem in morte corruptio dispar non est.

Ex eodem libro (*cap.* 17 *in cap.* X *Job*) : *Devoravit eum ignis qui non succinditur.* [a] Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis nanque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur : nec valet nisi succensus esse, et nisi refectus subsistere. At contra gehennæ ignis, cum sit incorporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succinditur, nec lignis nutritur ; sed creatus semel durat inexstinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur : *Devorabit eum ignis qui non succenditur* : quia Omnipotentis justitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret.

Ex eodem libro (*lib.* XVI, *cap.* 16, 17, *in cap.* XII *Job*) : *Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus* (*Sap.* I). Nunquid non sunt angeli et homines, cœlum et terra, aer et mare, cuncta volatilia, quadrupedia, atque reptilia ? Et certe scriptum est, *creavit ut essent omnia*, Cum ergo in rerum natura tam multa sint, cur beati viri voce
B nunc dicitur : *Ipse enim solus est* ? Sed aliud est esse, aliud principaliter esse ; aliud mutabiliter atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt : quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Cuncta namque in illo subsistunt, a quo creata sunt ; nec ea quæ vivunt, sibimetipsis vitam tribuunt, neque ea quæ moventur, et non vivunt suis nutibus, ad motum ducuntur : sed ille cuncta movet, qui quædam vivificat, quædam vero non vivificata, in extremam essentiam mire ordinans servat. Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret. Omnia ita-
C que quæ creata sunt, per se nec subsistere prævalent, nec moveri ; sed intantum subsistunt, inquantum ut esse debeant acceperunt : intantum moventur, inquantum occulto instinctu disponuntur. Ecce enim peccator flagellandus est de rebus humanis : arescit in laboribus ejus terra, concutitur in ejus naufragiis mare, ignescit in ejus sudoribus aer, obtenebrescit contra eum inundationibus cœlum, inardescunt in ejus oppressionibus homines, moventur in ejus adversitate et angelicæ virtutes. Nunquid nam hic quæ inanimata, vel quæ viventia diximus, suis instinctionibus, et non magis divinis impulsionibus agitantur ? Quidquid est itaque quod exterius sævit, per hoc ille intuendus est qui hoc interius disponit. In omni igitur causa, solus ipse intuendus est [*al.*, metuendus], qui principaliter est, qui etiam ad Mosem dicit : *Ego sum qui sum : sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III). Cum itaque flagellamur per ea quæ videmus, illum debemus sollicite metuere, quem non videmus. Vir itaque sanctus despiciat quidquid exterius terret, quidquid per essentiam suam, nisi regeretur, ad nihilum tenderet : et mentis oculo suppressis omnibus intueatur unum in cujus essentiæ comparatione, esse nostrum non esse est, et dicat : *Ipse enim solus est.* De cujus mox immutabilitate, apte subjungitur : *Et nemo avertere potest cogitationem ejus.* Sicut enim immutabilis natura est, ita immutabilis cogitatione. Cogitationem quippe ejus nullus avertit, quia nemo resistere oc-

[a] Totum hunc locum pro se citat Hincmarus lib. de Prædestinatione, cap. 16

cultis ejus judiciis prævalet. Nam etsi fuerunt quidam qui deprecationibus suis ejus cogitationem avertisse videantur, ita fuit ejus interna cogitatio, ut sententiam illius avertere deprecando potuissent, et ab eo accipere quod agerent apud ipsum. Dicat ergo : *Et nemo poterit avertere cogitationem ejus*, quia semel fixa judicia mutari nequaquam possunt. Unde scriptum est : *Præceptum posuit, et non præteribit* (*Ps.* CXLVIII). Et rursum : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Luc.* XXI). Et rursum : *Non enim cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ, neque viæ meæ sicut viæ vestræ* (*Isa.* XXXV). Cum ergo exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur, quia de unaquaque re immutabiliter intus constituitur ; quidquid foris mutabiliter agitur. Sequitur : *Et anima ejus quodcunque voluit, hoc fecit.* Cum sit cunctis corporibus exterior, cunctis mentibus interior Deus ; ea ipsa vis ejus qua omnia penetrat, cunctaque disponit ; anima illius appellatur. Cujus videlicet voluntati nec illa obsistunt quæ contra voluntatem illius fieri videntur. Quia ad hoc nonunquam permittit fieri, etiam quod non præcipit, ut per hoc illud certius impleatur quod jubet. Apostatæ quippe angeli perversa voluntas est : sed tamen a Deo mirabiliter ordinatur, ut ipsæ quoque ejus insidiæ utilitati bonorum serviant, quos purgant dum tentant. Sic itaque *ejus anima quodcunque voluit, hoc fecit*, ut inde quoque voluntatem suam impleat, unde voluntati illius repugnari videbatur.

CAPUT X.

Ex SS Isidoro et Hieronymo.

Isidori ex libro I Sententiarum, de Gratia et Prædestinatione (*cap.* 22) : Sicut ignorat homo terminum lucis et tenebrarum, vel utriusque rei quis finis sit : ita plenius nescit, quis ante suum finem luce justitiæ præveniatur ; vel quis peccatorum tenebris usque in suum terminum obscuretur, aut quis post lapsum tenebrarum conversus, resurgat ad lucem. Cuncta hæc Deo patent, hominibus vero latent.

Hieronymi in Isaia lib. XI (*cap.* 6, *in c.* V) : Quam sæculi [*al.*, qui sæculi] deliciis occupati, nec respicientes opera Dei, captivi ducuntur in peccatum, et non habent scientiam Dei, et idcirco fame et siti pereunt bonorum operum, atque virtutum : et detrahentur in gehennam, ibique æternis cruciatibus deputati, potentiam et superbiam miseria cernent, et humilitate mutari.

Hieronymi in Isaia, libro III (*in I partem* c. IX) : Quomodo enim vestis quæ humano sanguine cruentata est, sanari non potest, sed infecta sanguine, igne comburitur, ut maculæ cum vestimento fœdi cruoris intereant : sic diaboli violenta prædatio, et tumultus ac turbæ quibus humanum sibi subjiceret genus, gehennæ ignibus deputatæ sunt.

In libro VIII (*in. c* XXV). Ut omnia opera ejus proferantur in publicum, et dispergantur habitatores ejus in diversa loca, præmiis vel suppliciis deputati [*al.*, destinati].

A Ex libro X (*in c.* XXX) : Ab heri quippe, et a præterito tempore præparata est a rege Domino Tophet, id est lata et spatiosa gehenna, quæ eos æternis urat ardoribus.

Hieronymi presbyteri explanationem in Ezechiel. libro IV (*in c.* XIV) : *Fili hominis, isti viri qui coram te sedent, posuerunt immunditias suas in cordibus suis*, sive *cogitationes* : et juxta Symmachum et Theodotionem, *idola et scandalum.* Nunquid hujusmodi hominibus debeo respondere, qui cum cogitationibus pristinis ad me veniunt, ne hoc quidem tempore impietatis suæ scelera relinquentes ? Quia igitur perverso ad te corde venerunt, responde eis, non ex persona tua, sed ex meo imperio, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus. B Est autem totius loci ista sententia : Homo homo, non aliarum gentium, quarum error potest habere veniam, sed domus Israel, qui cum pristinis vitiis, de quibus supra diximus, ad Prophetam venerit sciscitandum, ego respondebo juxta cor et immunditias suas ; ut juxta quod vult et credit, ita et audiat. Nec enim meretur correctionem, qui non discendi, sed tentandi animo interrogat : sed suo corde capiendus est, secundum quod scribæ et Pharisæi interrogantes Dominum, imo tentantes, audiunt : *Quid me tentatis?* et rursum : *Nec ego dicam vobis in qua virtute hæc faciam* (*Matth.* XXI).

In eodem : Quodque sequitur, et videtur facere quæstionem : *Propheta cum erraverit, et locutus* C *fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* Non putemus de vero propheta dici, sed de pseudopropheta, qui ὁμωνύμως propheta appellatur. Et de illo Scripturarum loco solvi potest, quando Achab rex Israel, vadens ad prælium, non vult audire Michæam prophetam, sed pseudoprophetæ consiliis acquiescit : dicitque Michæas, quod viderit Dominum sedentem in solio et erroris spiritum ultro se obtulisse ad decipiendum regem (*III Reg.* XXII). Diabolus quoque in volumine Job, circuiens terram, stare dicitur in conspectu Dei, et in substantiam primo Job, deinde in corpus ejus accipere a Domino potestatem (*Job.* I). Sed et Balaam ariolus a Domino mittitur, ut decipiat Balac filium Beor (*Num.* XXII). Hoc autem totum dicitur, ne pseudo- D prophetarum fortitudini reputetur, quod decipitur populus, et magis vult audire mendacium, quam veritati aurem accommodare : sed quod Dei iræ sit, ut perversus populus et incredus magis pseudoprophetas audiat, quam prophetas. Denique extendit manum suam super eum, subauditur prophetam, et deletur de medio populi ejus, ut portet iniquitatem suam, quia similis terroris, et pœna consimilis sit : ut tam ille qui interrogat, quam ille qui interrogatur, portent iniquitatem suam : nequaquam domus Israel, eorum qui Dei verba audire voluerint perversis vaticinationibus illudatur : sed sit populus Dei, et ipse Dominum habere mereatur. In eo quod dixit : *Ego Dominus decepi illum*, Salomonis verba consentiunt qui de Deo disputans ait : *Et illusoribus illudet* (*Prov.* III). Illud-

que testimonium : *Si ambulaverint ad me perversi, et ego ambulabo contra eos in furore perverso* (*Levit.* XXVI, *juxta LXX*.

CAPUT XI.

Ex Prosperi Responsionibus ad Capitula Gallorum.

Prosperi quarta decima quippe Gallorum objectio sic habetur (*ex Fulg. ad Monim.*, *cap.* 30 *et ult.*): [a] Quod qui Evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant. Et quod Deus ita definierit, ut quicunque non credunt ex ipsius constitutione non credant. Huic itaque pravitati, quæ beati Augustini dictis, non ex veritate sed ex livore objiciebatur, tali Prosper sermone respondit: Infidelitas non credentium Evangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei in semper bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ: *Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas.* Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. Quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea, quæ futura erat, infidelitate non potuit.

Quinta decima etiam objectio (*Ibid.* *c.* 15, 16) his verbis inserta est. [b] Quod idem sit præscentia, quod prædestinatio. Cui Prosper sic respondit :Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discerni, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum mala autem ad volontariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint : dubium non est, sine ulla temporali differentia, Deum et præscisse simul et predestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda ; præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. (*Hactenus est Fulg.*)

Ejusdem (*Prosper ibid.*, *c.* 9): [c] Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit ; quamvis ille natus sit in similitudine carnis peccati, omnis autem homo nascatur in carne peccati. Deus ergo Dei Filius, mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus et mortalibus contulit, ut qui nativitatis ejus consortes fuissent vinculum peccati et mortis evaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renovationi, natum esse hominem Jesum Christum, nisi in ipso, eodem de quo ipse ortus est, spiritu renascantur : sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei et consepeliantur in baptismo ; alioquin nato Salvatore in carne substantiæ nostræ, et crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium ut renasceremur, et similitudine mortis ejus complantaremur. Sed cum sine hoc sacramento nemo hominum consequatur vitam æternam, non est salvatus cruce Christi qui non est crucifixus in Christo, non est crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi, qui non per aquam et Spiritum sanctum induit Christum. Qui ideo infirmitate nostra communionem habuit mortis, ut nos in virtute ejus haberemus consortium resurrectionis. Cum itaque rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, et propter communem in primo homine omnium perditionem : potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Evangelista : *Quia Jesus moriturus erat pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum* (*Joan.* XI). *In sua enim venit, et sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri. sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I.) Diversa, ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur de quibus dicitur: *Mundus eum non cognovit ;* ut possit secundum hoc dici : Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, et mundus redimi noluit quia lucem tenebræ non receperunt, quibus dicit Apostolus : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Eph.* V). Ipse Dominus Jesus, qui dixit se venisse quærere et salvare quod perierat : *Non venit* inquit, *nisi ad oves quæ perierant domus Israel* (*Matth.* XV). *Neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen id est, non qui filii, carnis, hi filii Dei, sed qui filii promissionis, æstimantur in semine* (*Rom.* IX). In istis ergo sunt illi de quibus dictum supra memoravimus : *Quia Jesus moriturus erat pro gente, non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum* (*Joan.* XI). Quia non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, per eum qui vocat quæ non sunt, tanquam quæ sunt, et qui dispersos Israel congregat, filii promissionis in unam Ecclesiam congregentur, ut impleatur quod promissum est Abrahæ, cui dictum est : *quod in semine ejus benedicendæ essent omnes tribus terræ* (*Gen.* XVII).

CAPUT XII.

Ex Cassiodoro in Psalmos, et Beda.

Cassiodori in expositione psalmi IX : *Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator,* vera nimis et absoluta sententia ; quoniam tunc manifeste cognoscetur Dominus judicia facere, quando peccatoribus dabitur æterna cruciatione torqueri. Hic enim quia sunt eis libera scelera, creduntur forsitan impunita : sed ubi dies ille manifestationis advenerit, et throno majestatis suæ Dominus insederit, tunc generaliter agnoscetur operari judicia sua, quando humanum genus, sive a sinistris, sive a dextris, ejus fuerit arbitrio segregatum. Hoc est enim judi-

[a] Hæc frequenter usurpat Hincmarus.

[b] Hincmarus de Prædest., cap. 16.

[c] Id. ibid., cap. 3.

cia vera facere, uniuscujusque merita, sine ulla confusione discernere. Sequitur sententiæ hujus aperta declaratio : dicit enim unde cognoscitur Dominum vera judicia facere : scilicet, quando nexuosis operibus suis peccator astringitur, et secundum actuum qualitatem recipit ultionem. Nam sensus ille omnino vitandus est, qui putat peccatorem sola delictorum suorum recordatione cruciandum. Nam si hoc tantum sufficeret, quare diceretur : *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matt.* xxv)? Et illud : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* LXVI). Non enim hic loca tormentorum negat peccatoribus dari, sed per qualitates operum suorum nos dicit esse torquendos. Sentiamus igitur locum peccatorum suppliciis esse præparatum : intelligamus intrinsecus pœnale malum, quod sceleratis legimus imminere. Nam ut revera cognoscamus beatitudinem a damnationibus, quibusdam terminis divisam, recordemur divitem oculos sublevasse, pauperemque Lazarum in sinu Abrahæ fuisse conspectum, se autem flammis ultricibus deputatum (*Luc.* XVI). Unde ordo iste veritatis nullatenus diceretur, si peccatores malorum recordatio sola torqueret. Hæc sunt occulta filii, quæ titulus prædixit.

Cassiodori in psalmo LI : Destruit Deus in hac vita prosperrime, quos iterum ædificare decreverit. In fine autem qui destruitur, æternis suppliciis deputatur.

Cassiodori in psalmo LIV : Hos tales implere non [*al.*, non implere] dicit dies suos quando cum sibi longam vitam promittunt, exitum celerrimæ mortis inveniunt. Nam omnium dies in prædestinatione noscuntur esse definiti.

Cassiodori in psalmo LXV : *Imposuisti homines super capita nostra.* Imposuisti dicit, ut omnia ipsius voluntate facta esse constaret; sicut dicit Dominus Pilato : *Non haberes potestatem in me, nisi tibi data fuisset desuper* (*Joan.* XIX).

Cassiodori in expositione psalmi LXXVII : *Misit in eos iram indignationis suæ : indignationem, et iram, et tribulationem, et immissiones per angelos malos.* Ordo vindictæ verissima descriptione narratur. Prius enim Dominus peccatis nostris irascitur, quando nulla compunctione convertimur. Ac deinde malitiam hominis in sua indignatione, et ira, et tribulatione derelinquit, ut propriis adversitatibus affligantur, qui divinis jussionibus obedire contemnunt. Sicut scriptum est : *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut faciant quæ non conveniunt*, etc. (*Rom.* I, 1). Scelerati quippe hominis indignatio pertinet ad tumidam superbiam, ira ad audaciam nefandam, tribulatio ad confusam desperationem. Tunc per angelos malos ad immissiones præcipitantur illicitas, et quasi nudati defensione divina, in prædam ea fiunt perniciosissimarum bestiarum. Perscrutandum est etiam quod dicit, immissiones factas per angelos malos, quasi et per angelos bonos non debet peccatores. Per bonos enim angelos Sodomam subvertit et Gomorrham, quos Abraham et Lot suscipere suis hospitiis meruerunt. Tentatus est etiam transgressor per angelum malum, sicut in Regum volumine dicit : *Et introivit spiritus Dei malus in Saul* (*I Reg.* XVIII). Justi quoque tentati sunt a diabolo, ut Job, et Paulus apostolus, et cætera hujusmodi. Constat enim cuncta quæ creata sunt, Creatoris aut permissioni aut imperio subjacere.

Cassiodori in Psalmo LXXXI : Tantum est, ne refugientes malagma salutiferum, exitium vobis præparetis æternum.

Cassiodori in psalmos LXXXII : [a] *Et revereantur, et pereant.* Iste sensus est quem superius dixit, quia ibi reverendo non proficiunt, sed pereunt, qui ad æternum supplicium destinantur.

Cassiodori in psalmo LXXXVIII : [b] Frequenter emundat Divinitas quos flagellat, ut purgatum recipiat, quem peccatis sordidum respuebat; quos vero ad emundatione dissolvit, id est removit, hos jam et damnare decrevit.

Cassiodori in psalmo XCII : *Parata sedes tua, Deus.* Parata significat prædestinationem : quia totum in illa veritate consistit, quidquid in administratione mundi evenire contigerit.

Cassiodori in expositione psalmi CIII : In hac itaque nocte bestiæ silvarum, id est, dæmonia, et catuli leonum, quos diaboli corrupta voluntate genuerunt, ad devorationem quærentes aliquos, exierunt ut escam malitiæ, permittente tamen Domino, reperirent. Nihil enim a quoquam fieri potest, nisi quod ipse secreto judicio, aut ad probationem, aut ad vindictam faciendum esse permiserit.

Cassiodori in exposione psalmi CIV : *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus.* Venit ad quartam partem, ubi Ægyptios memorat Hebræis invidiam habuisse sævissimam, atque eos operibus subjecisse durissimis. Præstando enim felicia populo Israelitico, convertit Dominus ad odium, et ad dolos cor Ægyptiorum; non quia ipse mali auctor est, sed præstando aliis beneficia mentes excitavit obliquas. Necesse est enim, ut scelerati homines alienis prosperis intumescant, qui se norunt mereri non posse similia. Sicut in sacrificiis Cain et Abel factum est, quando unius sacrificium respuit, alterius libenter accepit (*Gen.* IV).

Bedæ presbyteri in libro Hexaemoron in Genesin : *Et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt*, etc. (*Gen* XIX). Ad sempiternum præparantur incendium, non inconvenienter insinuare [c].

[a] Citat Hincm. cap. 16.
[b] Hincm., ibid.
[c] Hoc loco deficit apographum, neque hujus loci expositio reperitur in Beda : paucis igitur verbis ad clausulam facientibus, cogimur esse contenti.

CAPUT XIII.

De gratia et libero arbitrio, ex diversis.

Venerabilis Innocentii papæ de libero arbitrio ista sunt verba ad Carthaginense concilium (*Innoc.* epist XXXI). [a] Liberum enim, inquit, arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus, et nihil quemadmodum exinde surgere posset invenit, suaque in æternum libertate deceptus, hujus ruinæ jacuisset oppressus, nisi eum postea Christi per suam gratiam [*al.* oppressa nisi eum post Christi pro sua gratia] relevasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem, præteritum omne vitium sui baptismatis lavacro purgavit.

Ex epistola Afrorum episcoporum ad papam Zozimum : Manifestissime sensus probus invenitur, non esse liberum arbitrium, etc., et operari pro bona voluntate [b].

Ex epistola Augustini ad Sixtum presbyterum [c]. Quod enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt, non se firmare liberum arbitrium ; sed impellere ut per inania feratur, non in Domino, tanquam in petra stabili collocetur : *Paratur enim voluntas a Domino* (*Prov.* VIII *juxta LXX ; Vulg.*, Hauriet salutem a Domino). Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quod sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, et quos dignatur, vocat, et quem vult, religiosum facit, parum attendunt, quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato; Ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur ; atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis et potius offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. Si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Sed injustum est, inquiunt, in una eademque mala causa, hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo justum est utrumque puniri. Quis hoc negaverit ? Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim omnis homo liberaretur, utique lateret quid peccato per justitiam debeatur; si nemo, quid gratia largiretur? Ut ergo in hac difficillima quæstione verbis potius utamur Apostoli : *Volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem : et ut notas faceret divitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, cui non potest figmentum dicere : Quare sic me fecisti ? cum habeat potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* (*Rom.* IX). Ubi quia universa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit justitia, et honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativa, non fati necessitate, non temeritate fortunæ, sed altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus, clamans : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consilarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen* (*Rom.* XI.

Augustini contra Pelagium libro I (*Contra duas epist. Pelagianorum,* l. I, cap. 2) : Dicunt, inquit, illi Manichæi, quibus modo non communicavimus, id est, toti isti cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est Adæ, liberum arbitrium perierit, et nemo jam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur. Manicheos appellat catholicos, more illius Joviniani, qui ante paucos annos hæreticus novus, virginitatem sanctæ Mariæ destruebat, et virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat. Nec ob aliud hoc objiciebat catholicis : nisi quia eos videri volebat accusatores, vel damnatores esse nuptiarum. Liberum autem arbitrium defendendo præcipitant, ut de illo potius ad faciendam justitiam, quam de Domini adjutorio confidatur, atque ut in se quisque, non in Domino glorietur. Quis autem nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere : libertas quidem periit per peccatum, sed illa in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII) ; utique liberi, ad bene justeque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, et amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Unde et Apostolus : *Cum essetis* inquit, *servi peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI). Ecce ostenduntur etiam peccato minime potuisse, nisi alia libertate servire. Liberi ergo a justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis : liberi autem a peccato non fiunt, nisi gratia Salvatoris. Propter quod admirabilis doctor etiam verba ipsa discrevit : *Cum enim servi essitis*, inquit, *peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in his in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum, mors est. Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam.* Liberos dixit justitiæ, non liberatos, a peccato autem non liberos, ne sibi hoc tribuerent ; sed vigilantissime maluit dicere, liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam : *Si vos Filius liberaverit. tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Cum itaque non vivant bene homines, nisi effecti filii Dei, quid est quod iste

[a] Hæc citat Hincmarus.

[b] Et hic deficit apographum, nec exstat epistola magni illius concilii Carthaginensis.

[c] Hincm., lib. de Prædest., cap. 6.

libero arbitrio vult bene vivendi tribuere potestatem, cum hæc potestas non detur, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, dicente Evangelio: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I).

Sed ne forte dicant, ad hoc esse adjutos ut haberent potestatem fieri filii Dei: ut autem hanc accipere mererentur, prius cum libero arbitrio nulla adjuti gratia receperunt. Hæc est quippe intentio, qua gratiam destruere moliuntur, ut eam dari secundum merita nostra contendant. Ne forte ergo hanc evangelicam sententiam sic dividant, ut meritum ponant in eo quod dictum est: *Quotquot autem receperunt eum*; ac deinde, non gratis datam, sed huic merito redditam gratiam, in eo quod sequitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; B nunquid si quæratur ab eis, quid sit, *receperunt eum?* dicturi sunt aliud, nisi, crediderunt in eum? Ut igitur et hoc sciant ad gratiam pertinere, legant quod ait Apostolus: *In nullo expavescatis ab adversariis, quidem est illis causa perditionis, vestræ autem salutis: et hoc a Deo, quia vobis donatum est pro Christo, non tantum ut credatis in eum, sed ut etiam patiamini pro eo* (*Phil.* I). Nempe utrumque dixit esse donatum. Item quod ait: *Pax fratribus, et charitas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo* (*Eph.* VI). Legant etiam quod ipse Dominus ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum* (*Joan.* VI). Ubi ne quisquam putet aliud esse venire ad me, quam credere in me, paulo post cum de suo corpore et sanguine loqueretur, et scandalizati essent plurimi in sermone ejus, ait: *Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt: sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Deinde subjunxit Evangelista: *Sciebat enim Jesus ab initio qui essent credentes, et quis traditurus esset eum, et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Et hoc propter credentes, et non credentes, se dixisse manifestavit, exponens quod dixerat: *Nisi Pater qui me misit, traxerit eum:* idipsum aliis verbis repetendo, in eo quod ait: *nisi datum fuerit ei a Patre meo.* Ille quippe trahitur ad Christum, cui datur ut credat in Christum. Datur ergo potestas ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur ut credant in eum, quæ potestas, nisi detur a Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit quod liberator non liberaverit; sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus, vel manifestus deceptor insevit, vel sibi ipse persuasit.

Augustini ad Vitalem: Rogo te quid operatur in filiis diffidentiæ princeps, nisi opera sua mala, et in primis, maximeque ipsam diffidentiam et infelicitatem qua sunt inimici fidei, per quam scit nos posse mundari, posse sanari, posse perfectissime liberos, quod eis vehementer invidet, in æternum regnare? Itaque aliquos eorum per quos amplius decipere affectat, sinit habere nonnulla, velut opera A bona, in quibus laudantur per quasque gentes, præcipueque in gente Romana, qui præclare gloriosissimeque vixerunt; sed quoniam, sicut veracissima Scriptura dicit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV). Et: *Sine fide impossibile est utique placere Deo* (*Hebr.* XI), non hominibus: nihil sic agit hic princeps, quam ut non credatur in Deum, nec ad Mediatorem, a quo solvuntur opera ejus credendo veniatur. Sed ipse Mediator *intrat in domum fortis* (*Luc.* VI), id est in hoc sæculum mortalium, sub potestate diaboli, quantum ad ipsum pertinet: constitutum, de ipso quippe scriptum est, quod *potestatem habeat mortis* (*Apoc.* VI). *Intrat in domum fortis:* id est, in suo dominatu habentis genus humanum; et prius *alligat eum*, id est, ejus coercet et cohibet potestatem, potestatis suæ fortioribus vinculis, et sic eripit vasa ejus, quæcunque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab ejus potestate liberans, ut illo non impediente credant, in istum libera voluntate.

Augustini ad Valentinum, de Libero arbitrio (*cap.* 15: Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, et tunc est mala: aut a peccato libera est, quando servit justitiæ, et tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ.

Augustini de Correptione et Gratia (*cap.* 1). Liberum itaque arbitrium et ad malum et ad bonum C faciendum, certum est nos habere; sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Nec ita ut cum quisque fuerit a peccati damnatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potius, ut ab illo audiens: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV), dicat ei et ipse: *Adjutor meus es, ne derelinquas me* (*Psal.* XXVI).

Gregorii papæ in Job libro XVI (*cap.* 10, *in cap.* XXII *Job*): *Salvabitur innocens; salvabitur autem munditia manuum suarum.* Quæ scilicet sententia, si de cœlestis regni retributione promittitur, veritate fulcitur. Quia cum de Deo scriptum sit: *Qui* D *reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II), illum in extremo examine justitia æterni Judicis salvat, quem hic ejus pietas ad immundis operibus liberat. Sin vero ad hoc salvari quisque sic munditia manuum suarum creditur, ut suis viribus innocens fiat, procul dubio erratur: quia si superna gratia nocentem non prævenit, nunquam profecto inveniet quem remuneret innocentem. Unde veridici Mosis voce dicitur: *Nullusque apud te per se innocens est* (*Exod.* XXXIV). Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus agat nobiscum, quod tamen per impensam gratiam in extremo judicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex

nobis. Quia enim divina non bonitas, ut innocen- A tes faciat, prævenit, Paulus ait: *Gratia autem Dei sum id quod sum* (*I Cor.* xv). Et quia eamdem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi* (*Ibid*). Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait, *Non autem ego.* Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, adjunxit: *Sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret *mecum*, si cum preveniente gratia, subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait: *Non ego;* ut vero se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret; adjunxit: *Sed gratia Dei mecum.* Munditia itaque manuum suarum innocens salvabitur; quia qui hic prævenitur dono ut B innocens fiat, cum ad judicium ducitur, ex merito remuneratur.

Gennadii episcopi Massiliensis (lib. *Defin. eccles. dogmat.*). Libertati arbitrii sui commissus est homo, statim a prima mundi conditione, ut, salva vigilantia mentis, adnitente etiam præcepti custodia, perseveraret si vellet in id quod creatus fuerat permanere [*al.*, statim in prima conditione ut sola vigilantia mentis annitente, etiam in præcepti custodia perseveraret, si vellet in eo quod creatus fuerat permanere]. Postquam vero seductione serpentis per Evam cecidit, bonum naturæ perdidit pariter, et vigorem arbitrii: non tamen electionem, ne non esset suum quod evitaret [*al.*, emendaret peccatum], nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, se admonente prius Deo et invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis; hoc est inspiratione Dei. Ut autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse libere confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est; ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris: ut non labamur in adepto [*al.*, indepto] salutis munere, solitudinis nostræ est cœlestis pariter adjutorii: ut labamur, potestatis nostræ est et ignaviæ.

CONCLUSIO.

Cum ipso pariter æterna beatitudine remunerandos et regnaturos exopto[a].

[a] Pauca hæc verba Gennadii testimonio subjicit apographum, quæ quia ipsius Gennadii non sunt, Prudentio videntur tribuenda, et aperte conclusionem epistolæ sapiunt.

SANCTI PRUDENTII

TRECENSIS EPISCOPI

DE PRÆDESTINATIONE

CONTRA JOANNEM SCOTUM COGNOMENTO ERIGENAM

SEU

Liber Joannis Scoti correctus a Prudentio, sive a cæteris Patribus, videlicet, a Gregorio, Hieronymo, Fulgentio atque Augustino[a],

PRÆFATIO.

Reverendissimo Patri et beatissimo pontifici in- C ter pastores Christi eminentia vitæ doctrinæque eximietate clarissimo GUENILONI, PRUDENTIUS æternam in Domino salutem.

Accensus, prout decet atque oportet, zelo catholicæ fidei et veræ charitatis affectu, Pater beatissime, misisti mihi quamdam schedulam decem et novem capitula continentem ex libro cujusdam Scoti selecta, a nostro ut ais, se quodammodo intellectu divertentia, rogans et monens ut quæcunque in eis a vero exorbitantia comperissem, unicuique de libris evangelicis et catholicorum doctorum auctoritatibus

[a] In prima pagina codicis manuscripti hujus operis, qui in monasterio Altivillarensi servatur, hæc reperitur observatio: Hic liber, qui quasi ad defensionem fidei contra infidelitatem loquitur, et testimonia Scripturarum et catholicorum nomina profert, caute legendus est, et in ejus lectione Apostoli est sequenda sententia, qua dicit: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Nam compositor ejus Prudentius de quibusdam ecclesiasticis dogmatibus non sensit catholice, sicut alia ejus scripta demonstrant.» Sed hoc judicium tanti viri sanctimoniam limatamque et sanam doctrinam minuere non debet, ex alicujus fortasse capite profectum, cujus non erat ea doctrinæ capacitas, ut operibus D. Prudentii perlegendis pervidendisque sufficeret, quæ mysteriis ex reconditissimis theosophiæ adytis ac penetralibus petitis refertissima sunt, quod perspicue palam erit, cum memoratus liber e tenebris in lucem prodierit. — NIC. CAMUSAT. TRICASSINUS, in *Promptuario antiquitatum Tricassinæ diœcesis*, fol. 163.

devianti capitulo congrua depromerem abunde responsa. Quibus decursis sollicitequc perspectis, reperi in eis Pelagianæ venena perfidiæ, et aliquoties Origenis amentiam, Collyrianorumque hæreticorum furiositatem, quorum merito a catholicæ fidei cultoribus ac propugnatoribus validissimis confutati, censuraque justissimæ severitatis multo ante nostra tempora damnati sunt.

Intremui, fateor, et expavi tot olim errores cum suis auctoribus jam sopitos nostris denuo temporibus pullulare, et deficientes quondam fumos nova rursum accensione erumpere, suique noxietale multorum oculos caligare: quibus ut jusseras refellendis cum animum pararem appellere, laboris difficultate perterritus deliberabam penitus omittendum. Verum monentis auctoritate perpensa, dixi satius cum fructu obedientiæ, etsi minus pleno, aliquatenus labi, quam paternæ reverentiæ timiditate stupida contraire.

Animatus itaque meritis rogantis, orationumque instantissima puritate scribentis, visum est librum eumdem, si qua forte inveniri posset, diligenti curiositate perquirere, cujus serie salebrosas tantorum errorum torsiones valerem facilius intueri: quo gratia Dei, sine qua nihil sum et nihil possum, ut optaveram assecuto, deprehendi quantum divinitus inspiratus potui, Pelagii, Cælestii, eorumque sequacis ac defensoris acerrimi Juliani, per omnia sectatorem Joannem videlicet Scotum tanta impudentia orthodoxæ fidei Patribusque catholicis oblatrantem, ac si unus spiritus Julianum Joannemque docuerit. Unus idemque Spiritus in eis fuerit, nec dispar Spiritus per eorum linguas, tot tantasque blasphemiarum nauseas evomuerit. Nam et gratuitam Dei gratiam pariliter impugnant, et Dei justitiam similiter denegant, et originale peccatum, quod nascentes trahimus quoque non nisi cœlesti gratia per mysterium baptismatis solvimur, indissimili garrulitate dissuadent, argutiisque dialecticis simillima vanitate desipiunt. Rectissimum etiam sanctarum Scripturarum intellectum, Patrumque catholicorum sensum sanissimum tam concinna varicositate pervertunt ac si nunquam adversus eorum errores quidpiam fuerit actitatum.

Quibus cum a Patribus, præcipueque beatissimo Augustino, competentissime abundantissimeque responsum fuerit, nequaquam me præsumptionis a piis lectoribus credidi judicandum, si tuis monitis dictante pietate libenter obsequens, offeram pro vili portione in donaria tabernaculi Domini mei, quæ possim, relinquens potioribus ac doctioribus, quæque melius valuerint et voluerint offerenda. Nec posse, ut ait S. Hieronymus, alterius opes, alterius paupertate fœdari.

Fidens igitur in ejus gratia qua prævenimur ut benevelimus, subsequimur ne frustra velimus, revolutis Patrum consonis per omnia paginis, quid quisque eorum antidoti contra eadem venena confecerit, decerpere fideliter curavi, præfixo cujusque doctoris nomine, libroque pariter intimato. Verba quoque ejusdem Joannis ut ab eo digesta sunt pluribus locis inserui, præposito etiam nomine ipsius cum præcedente illud nota quæ Græce dicitur θῆτα, quam sententiis capitalibus damnandorum aliqui præscribere solebant. In multis enim non verba ejus interposui, quæ loquacitate nimia legentibus fastidium ingerunt, sed sensibus eorum pro captu meæ pusillitatis veraciter obviavi. Ubicunque autem mei sermonis interpositio necessarium locum expetit, ne quid mihi tribuerem, si quid boni superna gratia per meæ linguæ organum loqueretur, notam superponere studui, quæ Astigraphis crisimon nuncupatur, quoniam velut monogramma nominis Christi effigiare quodam modo cernitur, ut ejus totum ostenderem quidquid benignitatis ipsius largitionis indebitisque muneribus imbibissem, illud etiam necessario credidi præmonendum, ut tuæ beatitudinis perspicacia subtiliter sollicitequc attendat, quantis se idem Joannes contrarietatibus impugnet, qui ea quæ nunc affirmat, post denegat, quæ modo loquaci vanitate diffitetur, postmodum loquacitate confitetur. Adeo ut aut non viderit qui dixerit, aut a nullo unquam videri putaverit.

Quæso igitur et omnia vigilanter studiose permetiens quidquid fideliter dictum judicaveris, auctori Domino gratias agendo deputes. Si quid vero (quod absit) secus reperies, imbecillitati meæ compatiens emendare ne differas. Sicque fructum piæ devotionis duplicato fenore consequeris, si et votis pie jubentis pie prolata respondeant, et alio nitentia ad suum tramitem dirigantur. Orantem pro meis multipliciter prævalentibus mentis et corporis infirmitatibus sanctissimam [paternitatem Tuam virtus omnipotentis gratiæ Dei vigentem ac sospitem servare dignetur.

INCIPIT LIBER

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Prudentius famulus Christi familiæque ejus.

CAPUT PRIMUM.

Quadruvio regularum totius philosophiæ quatuor omnem quæstionem solvi

Blasphemias tuas, Joannes, atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam justitiamque inflexibilem procax inveheris, percurso tuæ perversitatis libro, quem sub nomine cujusdam Gottescalchi adversus omnes catholicos effudisti, eo molestius accepi, quo te familiarius amplectebar, peculiarius diligebam: quippe qui in tantum vesaniæ proruperis, ut

gravissimam sanctarum Scripturarum auctoritatem A tuis pravis interpretationibus detorqueres, sensaque catholicorum Patrum perversis invertenda sensibus edoceres: nimirum quadruvium quoddam nobis intelligendi Scripturas affingens, quod patres nostri, videlicet omnes catholici tractatores divina humanaque sapientia præfulgentes, cum multa eruditissime loculentissimeque cœlitus imbuti exponendo, atque intelligendi regulas modosque locutionum multiplices aperiendo reliquerint, in quibus nullam tui quadruvii mentionem fecisse probantur, penitus comtempserunt: proponentes nobis videlicet et multo meliores, sanctiores doctioresque vias, quarum opitulatione subnixi, et stropharum tuarum feculentias evitare, et puritatem simplicissimæ fidei clarissimis ac suavissimis fontibus haurire et propinare in nomine et adjutorio auxiliatricis, imo præventricis, gratiæ Dei possimus.

JOANNES SCOTUS

(*Cap.* 1, *num.* 1, *sect.* 1.) Θ Conficitur inde veram philosophiam esse veram religionem, conversimque veram religionem esse veram philosophiam, quæ dum multifariam diversisque modis dividatur, bis binas tamen partes principales ad omnem questionem solvendam necessarias habere dignoscitur, quas Græcis placuit nominare Διαιρετική, ὁριστική, Ἀποδεικτική, Ἀναλυτική, easdemque latialiter possumus dicere divisoriam, diffinitivam, demonstrativam, resolutivam: quarum enim prima unum in multa dividendo segregat, secunda unum de multis definiendo colligit, tertia per manifesta, C occulta demonstrando aperit, quarta composita in simplicia separando resolvit. eorum etiam exempla in processu hujus operis, quantum ipsa lux, quæ illuminat cor quærentium se, nobis aditum rerum, quos conamur ingredi, aperuerit ostendimus: his enim tanquam utili quodam honestoque humanæ ratiocinationis quadruvio ad ipsam disputandi disciplinam, quæ et veritas, omnis in ea eruditus perveniri non dubitat.

CORRECTIO

† Quanta enim contra diversas hæreses majores nostri egerint, testantur concilia multis totius orbis Patribus sancto Spiritu aggregata, testantur acta synodica, attestantur etiam doctorum probabilium scripta veridica, quibus auctoritate insuperabili simplicitas atque soliditas de re fidei D defensa atque invincibiliter approbata non tui quadruvii tricis involuta ac deterius implicata dignoscitur. Nam quemadmodum gestorum ordine Patrumque litteris fideliter edocemur: cum et apud Nicæam et penes Chalcedonem, Ephesum, Constantinopolim, Antiochiam, Mesopotamiam, Africam, Romam, aliaque loca quamplurima, adversus catholicæ fidei impugnatores, diversis quidem modis, sed eadem fidei sinceritate unanimiter ageretur, et inter conflictandum pars adversa dialecticis, imo sophisticis conclusionibus niteretur, sancti procul dubio Spiritus incordatione a Patribus cautum est ut defensores propugnatoresque simplicis fidei, nequaquam sophisticis illusionibus, sed Scripturarum sanctarum evidentissimis allegatoribus uterentur: quæ quoniam multa sunt et tam notissima ut huic operi cuncta inserere longum ac superfluum judicetur, unius tantum Patris sententiam ponendam duximus, cujus astipulatione fidei cæteris nullatenus credulitas derogetur.

Leo episcopus Leoni Augusto (*Epist.* 164): [Multis manifestissime documentis probatum esse mihi gaudens quantum universali Ecclesiæ consulatis affectu, præceptis pietatis vestræ, ubi primum licuit, parere non distuli, dirigens Donatianum et Geminianum, fratres et coepiscopos meos, qui apud vos preces meæ sollicitudinis exsequentes, pro quiete vobis doctrinæ Evangelicæ supplicarent, et B libertatem fidei, in qua secundum eruditionem Spiritus sancti ipse præcipue emines, obtinerent; repulsis procul hostibus Christi qui etiamsi voluissent furorem suum tegere, non laterent, quia alia est Dominici gregis sancta simplicitas, alia sub vestitu ovium simulatio latentium bestiarum; nec possunt jam per hypocrisim irrepere, quos tantæ furor manifestavit insaniæ. Agnosce igitur, venerabilis imperator, in quantum totius mundi præsidium divina sis providentia præparatus, et quid auxilii matri tuæ Ecclesiæ debeas, quæ te filio maxime gloriatur, intellige. Non sinantur contra dexteræ omnipotentis triumphos redivivis assurgere motibus exstincta certamina, præsertim cum id damnatis jamdudum hæreticorum ausibus omnino non liceat, et hic fructus piis laboribus debeatur, ut omnis Ecclesiæ plenitudo in suæ unitatis soliditate secura permaneat, nihilque prorsus de bene compositis retractetur: quia post legitimas et divinitus inspiratas constitutiones velle confligere non pacifici est animi, sed rebellis, dicente Apostolo: *Noli verbis contendere: ad nihil est utile, nisi ad subversionem audientium* (*II Tim.* II, 14). Nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt qui veritati audeant reluctari, et de mundanæ sapientiæ loquacitate confidere: cum hanc nocentissimam vanitatem, quantum debeat fides Christiana vitare, ex ipsa Domini nostri Jesu Christi institutione cognoscat, qui omnes nationes ad illuminationem fidei vocaturus, non de philosophis aut de oratoribus, qui prædicando Evangelio famularentur, elegit, sed de humilibus et piscatoribus, per quos se manifestaret, assumpsit, ne doctrina cœlestis, quæ erat plena virtutum, auxilio videretur indigere verborum. Unde Apostolus protestatur, et dicit: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare; non in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi: verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; his autem qui salvi fiunt virtus Dei est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi Scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* (*I Cor.* I, 17-20)? Argumenta enim rhetorica, et institutæ ab hominibus versutiæ dispu-

A tandi in eo præcipue gloriantur, si in rebus incertis et opinionum varietate confusis ad hoc audientium trahant sensum, quod asserendum ingenio atque eloquio suo quisque delegerit; et ita fit ut quod majore facundia defenditur, verius æstimetur. Sed Christi Evangelium hac arte non indiget, in quo doctrina veritatis sua luce manifestatur, nec quæritur quid auribus placeat, ubi veræ fidei sufficit scire quis doceat.]

† Item post aliqua, Leo (*ibid.*). [Utatur, obsecro, ClementiaTua prædictorum fratrum meorum suggestionibus, quos, sicut jamdudum in præmissa epistola sum locutus, non disputaturos cum damnatis, sed supplicaturos vobis pro catholicæ tantum fidei stabilitate direxi.]

† Item ad eumdem Leo (*Epist.* 162). [Detestan- B dum ergo nobis est perseveranterque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, nec in aliquam disceptationem pie et plene definita revocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia propheticis et evangelicis atque apostolicis auctoritatibus consonare. Unde si qui sunt qui ab his quæ cœlitus sunt constituta, dissentiunt, suis opinionibus relinquantur, et ab unitate Ecclesiæ eum ea quam elegerunt perversitate discedant. Nam nullo modo fieri potest ut qui divinis audent contradicere sacramentis, aliqua nobis communione socientur. Jactent se in sui eloquii vanitate, et de argumentaionum suarum versutia, quæ inimica est fidei, glorientur: nobis placet Apostoli C obedire præceptis dicentis: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem hominum* (*Col.* II, 8).]† Quibus auctoritate et ratione indubitanter prolatis, certum est omnes catholicæ fidei astipulatores, magis Scripturarum sanctarum Patrumque lucidis explanationibus, quam vanæ inflantisque scientiæ colludiis agendum censuisse, quibus Christiana simplicitas offenditur, et humanæ jactantiæ typhus augetur.

JOANNES SCOTUS

(Cap. 1, num, 2, sect. 2) Θ *Cujus disciplinæ regulis necessario uti jubemur, dum adversus quemdam saphrophilum nomine Gottescalchum, suæ hæreseos et inventorem simul et assertorem, fautoresque ejus, si tamen sunt nescio, atque utinam ne sint,* D *respondere compellimur. Jubentibus videlicet catholicæ Ecclesiæ vigilantissimis Patribus, in quorum ovili tale venenum serpere molitur; annuenti præsertim orthodoxissimo principe domino venerabili Carolo, cujus maximum studium est pie recteque de Deo sentire; prava hæreticorum dogmata veris rationibus sanctorumque Patrum auctoritate refellere; ad ultimum penitus eradicare. Ne igitur defensores veritatis inermes cum assertoribus falsitatis confligere videamur, non incongrue regulis disputatoriæ artis utemur.*

CORRECTIO

† Gregorius in homilia paschali (*homil.* 22, *in Sabbato Paschæ, sub finem*): *Non comedetis ex eo crudum quid, neque coctum aqua* (*Exod.* XII, 9). Ecce jam nos ipsa verba historiæ ab intellectu historico repellunt, nunquid, fratres charissimi, Israeliticus ille populus in Ægypto constitutus comedere agnum crudum consueverat, ut ei lex dicat: *Non comedetis ex eo crudum quid,* ubi et additur: *neque coctum aqua.* [Sed quid aqua, nisi humanam scientiam designat, juxta hoc quod per Salomonem sub hæreticorum voce dicitur: *Aquæ furtivæ dulciores sunt* (*Prov.* IX, 7), quid crudæ agni carnes nisi inconsideratam ac sine reverentia cogitationis relictam illius humanitatem *significant*: omne enim quod subtiliter cogitamus, quasi mente coquimus: sed agni caro nec cruda edenda est, nec aqua cocta, quia Redemptor noster neque purus homo æstimandus est, neque per humanam sapientiam qualiter incarnari Deus potuit cogitandus. Omnis enim qui Redemptorem nostrum purum hominem credit, quid iste aliud quam agni carnes crudas comedit, quas videlicet coquere per Divinitatis ejus intelligentiam noluit: omnis vero qui incarnationis ejus mysteria juxta humanam sapientiam discutere conatur, carnes agni aqua vult coquere, id est dispensationis ejus mysterium per dissolutam vult scientiam penetrare. Qui igitur paschalis gaudii solemnitatem celebrare desiderat, agnum neque aqua coquat, neque crudum comedat, ut neque per humanam sapientiam profunditatem incarnationis illius penetrare appetat; sed assas igni carnes comedat, ut dispensari omnia per Sancti Spiritus potentiam sciat.

† Quamvis non ignoremus præcepto Domini vasa aurea atque argentea, vestiumque ac gemmarum variam pulchritudinem ab Ægyptis mutuata (*Exod.* III, 22), ejus tabernaculo fuisse oblata, et esse devotius offerenda (*Exod.* XII, 35): verum id quotiescunque contra eos agi necessitas summa coegit, qui talibus inflati gloriabantur in vanitatibus suis, et simplicitatem nostræ fidei stultitiam deputabant, exsequi pro tempore non est inhibitum, sed fideliter prudenterque a Patribus usurpatum. Tu autem a contrario de fide adversus fideles nullis sophismatibus innitentes impudentius scribens, quare ad sophistica te deliramenta verteris? In promptu est nimirum jactantiæ studens, et non jam philosophus, sed philocompos videri appetens, ea nobis ingerere delegisti quæ a nullo nostrum vel intelligi, vel deprehendi, vel certe confutari posse credideras. Et dum studes placere hominibus, quibus in cordi esse noveras (si tamen sunt aliqui, quod avertat Veritas sempiterna), nequaquam vel cavisti, vel formidasti illi displicere, de quo super talibus Propheta intentando prædicit: *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* (*Psal.* LII, 6). Nec metuisti cum Achan *auream regulam* ex Hiericonthino anathemate contra inhibitum castris Dominicis inferre (*Jos.* VII, 21), jamjamque cum ipso sententiam divinæ animadversionis, nisi citius humiliter resipiscendo pœnitueris, merito subiturus:

quicunque enim propheticas vel apostolicas nobis A litteras diligenter scrutati sunt, vivaciter intellexerunt; fideliter enodarunt, abstrusa aperientes, plana exornantes, nodosissima ennucleantes, allegorica detegentes, hoc potissimum sategerunt, ut illo loquendi genere quam maxime uterentur, quo etiam a simplicioribus absque gravi difficultate, quæ vel audirent, vel legerent, caperentur.

Quod cum ab omnibus provide fuerit observatum, præcipue beatissimi atque doctissimi Patris Augustini, venerandæ memoriæ episcopi opusculis specialius elucescit, quæ de Doctrina Christiana composuit, in quibus vel maxime tuorum tibique similium figmenta portentorum cavenda et fugienda eruditissima humilitate humillimaque eruditione et sanxit et docuit. Necnon in illis quos B quæstionum vel locutionum Heptateuchi mirabile elucidatione exaratos nomine voluit prænotari. Beatissimus quoque Hieronymus, tot linguarum atque librorum litteris incomparabiliter eruditus, in omnibus, tam in propheticis quam apostolicis, explanationibus, id sibi summopere studii fuisse crebrius replicando inculcat, malle per se sanctarum Scripturarum dicta intelligi quam rhetorum controversiis inservire. Instructus videlicet tremendi judicis verbere, quo propter nimiam Ciceronis lectionem adductus acriterque cæsus, tandem circumstantium precibus liberatus juraverat se Ciceronis libros nunquam de cætero meditaturum, nunquam lecturum, quin Epistola ad Galatas contemptum hujusce disputationis ita de- C prompsit dicens.

Hieronymus (*proœm. lib.* III *Comm. Epist. ad Gal.*). [Tertium ad Galatas, o Paula et Eustochium, volumen hoc condimus [*al.*, cudimus], non ignari imbecillitatis nostræ, et exilis ingenii rivulum vix parvo strepentem murmure sentientes. Jam enim et in Ecclesiis ista quæruntur, omissaque apostolorum simplicitate, et puritate verborum, quasi ad Athenæum et ad auditoria convenitur, ut plausus circumstantium suscitentur, ut oratio rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quadam meretricula procedat in publicum, non tam erudiitura populos quam favorem populi quæsitura, et in modum psalterii et tibiæ dulce canentis, sensus demulceat audientium; ut vere illud prophetæ Ezechielis nostris temporibus possit aptari, dicente Domino ad D eum: *Et factus es eis quasi vox citharæ suave canentis et bene compositæ. Et audient verba tua et non facient ea* (*Ezech.* XXXIII, 32, *sec. LXX*). Verum quid agam? Taceamne? Sed scriptum est: *Non apparebis in conspectu Dei tui vacuus* (*Exod.* XXIII, 15). Et Isaias (sicut in Hebræis tamen habetur voluminibus) ingemiscit: *Væ mihi misero, quia tacui* (*Isa.* VI, 5). Loquar? Sed omnis [*al.*, omnem] sermonis elegantiam et Latini eloquii venustatem stridor lectionis Hebraicæ sordidavit. Nostis enim et ipsæ quod plusquam quindecim anni sunt ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam gentilium litterarum quilibet auctor ascendit: et si quid forte inde dum loquimur obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur. Quid autem profecerim ex linguæ illius infatigabili studio, aliorum judicio derelinquo. Ego quid in me [*al.*, mea] amiserim scio. Accedit ad hoc quia propter oculorum et totius corpusculi infirmitatem manu mea ipse non scribo, nec labore et diligentia compensare queo eloquii tarditatem; quod de Virgilio quoque tradunt, quia libros suos in modum ursorum fetuum lingendo figuraverat [*al.*, lambendo figuraverit]. Verum accito notario, aut statim dicto quodcunque in buccam venerit, aut si paululum voluero cogitare, melius aliquid prolaturus, tunc me tacitus ille reprehendit, manum contrahit, frontem rugat, et se frustra adesse toto gestu corporis contestatur. Oratio autem licet de bonæ indolis ingenio sit profecta, et distincta inventionibus, et ornata flore verborum: tamen nisi auctoris sui manu limata fuerit et polita, non est nitida, non habet mixtam cum decore gravitatem, sed in modum divitum rusticorum, opibus suis magis arguitur quam ornatur? Quorum ista? Videlicet ut et vobis et cæteris qui forte legere voluerint, sit responsum; me non panegyricum aut controversiam scribere, sed commentarium; id est, hoc habere propositum, non ut mea verba laudentur, sed ut quæ ab alio bene dicta sunt, ita intelligantur ut dicta sunt. Officii mei est obscura disserere, manifesta perstringere, in dubiis immorari. Unde et a plerisque commentariorum opus explanatio nominatur. Si quis eloquentiam quærit, aut declamationibus delectatur, habet in utraque lingua Demosthenem et Tullium, Polemonem et Quintilianum. Ecclesia Christi non de Academia et licia [Lyceo], sed de vili plebicula congregata est. Unde et Apostolus: *Videte*, inquit, *vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt hujus mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia hujus mundi et contemptilia elegit Deus, ut quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret* (*I Cor.* I, 26, 27, 28). Quia enim ex creaturarum ordine, varietate, constantia, non cognoverat mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes; non in sapientia verbi, ut non evacuetur [*al.*, evacuaretur] crux Christi. Ubi enim scriba, ubi grammaticus, ubi causarum naturalium scrutatores? Nec in persuasibilibus sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis et spiritus, ut fides credentium non esset in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Quamobrem et ipse Apostolus ad eosdem Corinthios loquebatur. *Et ego veniens ad vos, fratres, veni non per subtilitatem* [al., *sublimitatem*] *sermonis et sapientiæ annuntians vobis testimonium Domini. Non enim judicavi scire me aliquid inter vos, nisi Christum Jesum et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 1, 2). Et ne forsitan putaretur, hæc dicens, esse insipientiæ prædicator, mente præsaga, quod opponi poterat, evertit. *Sed loquimur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est; quam*

nemo principum hujus sæculi cognovit (*Ibid.* v. 7, A 8). Quotusquisque nunc Aristotelem legit? quanti Platonis vel libros novere vel nomen? Vix in angulis otiosi eos senes recolunt. Rusticanos vero et piscatores nostros totus orbis loquitur, universus mundus sonat. Itaque sermone simplici simplicia eorum verba ponenda sunt [*al.*, pandenda]. Verba, inquam, non sensus. Cæterum si, orantibus vobis, illum possim in exponendis Epistolis eorum habere spiritum, quem illi in dictando habuerunt: tunc videritis tantam majestatem et latitudinem in his veræ fuisse sapientiæ, quanta in sæculi litteratis arrogantia et vanitas fuit. Breviter vobis meæ mentis fateor arcanum: Qui per me intellecturus est Apostolum, nolo ut mea scripta difficulter intelligat, et ad interpretem cognoscendum, alium B quærat interpretem.]

† Nec minus Cassiodorus in opere mirabili quod Psalmorum expositione contexit, cum plures earumdem artium figuras interponeret, non per illas Psalmos exposuit, sed eas sacris eloquiis inesse perdocuit, quatenus earum auctorem Dominum, qui eisdem divinis eloquiis prædicatur, non eos qui se inventores talium jactabant, eumque aut minime aut ex parte cognoverant, patenter ostenderet, de quo dicitur: *Omnis a sapientia a Domino Deo est et cum illo fuit semper et est ante eum* (*Eccl.* I, 1,) ubi necessario additur *omnis*, ut demonstretur quidquid bonarum artium atque ingeniorum recte utiliterque sapitur, illo auctore dari omnibus atque dispertiri; de quo legitur: *Dividens singulis prout vult* (*I Cor.* C XII, 12,) qui solus essentialiter, incommutabiliter ac sempiterne sapiens, imo sapientia veraciter creditur et fideliter prædicatur. De qua re cum in præfatione ejusdem amplectendi operis de eloquentia totius legis divinæ dissereret, ita locutus est.

Cassiodorus (*Prolog. in Psal.*, cap. 15: [Unde ad probationem pertinet maximam, quia lex divina per cunctas mundi partes cognoscitur fuisse suscepta. Hæc multis modo genera suæ locutionis exercet, et definitionibus succincta, schematibus decora, verborum proprietate signata, syllogismorum complexionibus expedita, disciplinis irrutilans; non tamen ab eis accipiens extraneum decorem, sed potius illis propriam conferens dignitatem. Hæc enim quando in divinis Scripturis splendent, D certa atque purissima sunt; cum vero ad opiniones hominum et quæstiones inanissimas veniunt, ambiguis altercationum fluctibus agitantur, ut quod hic firmissime semper verum, frequenter alibi reddatur incertum. Sic et lingua nostra dum psalmodiam canit, nobilitate veritatis ornatur; cum ad fabulas ineptas et blasphema se verba converterit, ab honore probitatis excluditur. Sicut apostolus Jacobus dicit: *Ex ipso ore benedicimus Deum et Patrem, et ex ipso ore maledicimus hominem, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus est* (*Jacob.* III, 9.). Hæc mundanarum artium periti, quos tamen multo posteri s ab exordio divinorum librorum exstitisse manifestum est, ad collectiones argumentorum, quæ Græci topica dicunt, et ad artem dialecticam et rhetoricam transtulerunt; ut cunctis evidenter appareat prius ad exprimendam veritatem justis mentibus datum, quod postea gentiles humanæ sapientiæ aptandum esse putaverunt. Hæc in lectionibus sacris tanquam clarissima sidera lucent, et significantias rerum utillimis compendiis decenter illuminant. Quæ nos breviter locis aptissimis admonebimus, quoniam res ipsæ commodissime deducentur ad medium, per quas concepti sensus clarius elucebunt. Nam et Pater Augustinus in lib. III, de Doctrina Christiana (*cap.* XXIX, ita professus est: Sciant autem litterati modis omnium locutionum, quas grammatici Græco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse. Et paulo post sequitur: Quos tamen tropos, id est modos locutionum, qui noverunt, agnoscunt in litteris sanctis, eorumque scientia ad eas intelligendas aliquantulum adjuvantur. Cujus rei et in aliis codicibus suis fecit evidentissimam mentionem. In libris quippe quos appellavit de Modis locutionum, diversa schmata sæcularium litterarum inveniri probavit in litteris sacris; alios autem proprios modos in divinis eloquiis esse declaravit, quos grammatici sive rhetores nullatenus attigerunt. Dixerunt hoc apud nos et alii doctissimi Patres, id est Hieronymus, Ambrosius, Hilarius; ut nequaquam nos præsumptores hujus rei, sed pedisequi esse videamur. Sed dicet aliquis: Nec partes ipsæ syllogismorum, nec nomina schematum, nec vocabula disciplinarum, nec alia hujuscemodi ullatenus inveniuntur in psalmis? Inveniuntur plane in virtute sensuum, non in elatione verborum: sic enim vina in vitibus, messem in semine, frondes in radicibus, fructus in ramis arboris, ipsas nuces contemplamur in nucleis. Nam et de profundissima abysso et deliciosus piscis attingitur, qui tamen ante conceptionem [captionem] suam humanis oculis non videtur. Merito ergo esse dicimus, quæ inesse nihilominus virtute sentimus. Nam et Apostolus vetat nos seduci per vanam sapientiam mundi (*I Cor.* III, 18); ista vero non abnegat in litteris esse divinis.

† Ac per hoc quandocunque, sicut diximus, talibus uti necessitas impellit, adversus eos sine dubio qui, illudentes sinceritati nostræ fidei, eis inflati tument, agendum pie humiliterque non improbatur, cum legamus Mosen prophetarum eximium omni Ægyptiorum sapientia eruditum (*Act.* I, 22), et Danielem ac socios ejus omnes Chaldæorum magos atque aruspices eorumdem scientia decuplum superasse (*Dan.* V, 14 et 15). Jam nunc in nomine [Dei] et adjutorio labyrinthum tuarum hæreseon adituri, gratiam ejus sine quo nihil sumus, scimus et possumus, invocemus, ut ipsa duce tuas inextricabiles moras penetrare easque inoffenso gressu evadere valeamus, nequaquam tui quadruvii innodationibus ac depravationibus, sed auctoritati et veritati medullitus innitentes.

Igitur per copiosam præfationis tuæ disputatio-

nem, qua veram philosophiam veram esse religionem veraciter astruis, sed inveniendam disciplinarum sæcularium eruditione fallaciter affirmas, cum vera religio fide et Dei gratia, non humanis adinventionibus assequatur atque approbetur; ponis sententiam Gottescalchi, qua affirmare conetur necessitate prædestinationis tam bonos ad bona, quam malos ad mala inevitabiliter impelli. Hoc utrum vel quare dixerit ipse viderit, nos destinatione Dei ad aliquid necessitate impelli, vel (sicut a multis dicitur) fataliter cogi neminem credimus et confitemur, sed ejus providentia sempiterna, et omnipotentissima præscientia omnia ordinari, disponi, dispensari, destinari, regi ac gubernari modis cuique congruis nullo modo dubitamus, dicente veraciter de eo Scriptura: *Quia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1); quibus verbis universa Dei sapientia præveniri, attingi, atque disponi breviter immutabiliterque definitur; nunquam enim attingeret atque disponeret, nisi præveniret: nunquam vero præveniret, nisi essentialiter ac sempiterne omnipotenterque exsisteret.

Constat ergo nihil esse nisi Creatorem et creaturam, Creatorem a nullo, creaturam a Creatore. Creatorem sine initio, mutabilitate et fine; creaturam cum initio et mutabilitate, partimque cum fine: rationalis enim creatura angelorum et hominum cœpit, nec desinit; cætera vero usibus hominum facta atque attributa, partim desinunt, partim permanent; nec tamen eadem permansione æternitati coæquantur Auctoris, de quibus nunc longum est disputare. Cum ergo constet nihil aliud esse quam Creatorem et creaturam, eamdemque non a seipsa sed a Creatore exsistendi sumpsisse principium, nihilominus ad Creatorem pertinuit disposuisse, ordinavisse, destinasse ac prædestinasse quod fecerat: quemadmodum dictum est, quod *attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter*: a fine videlicet invisibilis atque incorporeæ creaturæ, usque ad finem visibilis corporeæque creaturæ; id est, ab eo quod creaturis omnibus summum est usque ad id quod in creaturis omnibus infimum est; quod si negatur, aut invidus (quod absit) aut impotens Deus asseritur. Quia si non ordinavit, disposuit, dispensavit, destinavit, sive prædestinavit quod fecit, colligitur ut nullatenus facturæ suæ curam habuerit. Habuit autem curam creaturarum quas fecit, quia de eo verax Scriptura confitetur dicendo: *Cui cura est de omnibus* (*Sap.* XII, 13); et ad quem Propheta loquitur: *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi* (*Ps.* CXVIII, 91); Et cui in precibus orantes dicimus: *Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur.* Et qui in Evangelio loquitur: *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro?* (*Matth.* X, 29). Et rursum: *Si ergo fenum quod hodie in agro est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minimæ fidei?* (*Matth.* VI, 30) et cætera, quibus abundare divina eloquia nullus ignorat: quo conficitur Deum omnia sicut creasse, ita curasse, ordinasse, disposuisse, dispensasse, destinasse, seu prædestinasse quæ vel fecit, vel facturus est, juxta illud *qui fecit quæ futura sunt* (*Isa.* XLV, 11, *sec. LXX*). Qui enim omnes creaturas initio condidisse creditur, quid est quod facturus erat, nisi gubernatio, multiplicatio ac dispositio rerum quas fecerat? Unde et in Evangelio ipsa Veritas loquitur dicens: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, sive *fecit quæ futura sunt* (*Joan.* V, 17), quia in præscientia sua quæ falli mutarique nequit, prædestinavit, quid forinsecus operis effecturus, et ad quem finem opus quod faceret esset perducturus: quæ operatio nisi illius dispositio? Quod tantumdem valet, nec aliud prorsus recte intelligitur, quam si dicatur, destinatio: ac prædestinatio bifariam dividitur, in bona videlicet et mala; sed bona quæ non sunt nisi auctore bono et summo, id est Deo; mala nullatenus, ea quæ non auctore Deo, sed voluntate creaturæ rationalis a suo auctore deflexa, atque inde deteriora culpabiliter aversa fiunt.

Proinde bonorum omnium auctor est Deus; malorum autem, id est vitiorum atque peccatorum auctor Deus non est, sed præscitor providentissimus, examinator sapientissimus, judex potentissimus atque justissimus; eorum ergo malorum, id est tribulationum, afflictionum, atque infirmitatum seu quarumlibet pœnarum quas vel in hac interim vita, et justis et injustis mixtim ingerit: illic autem, id est in gehenna, solis impiis divina æquitas juste meritoque retribuit. Auctor dicitur Deus, dicente propheta: *Sic est malum in civitate, quod Dominus non fecit* (*Amos* III, 6); et iterum ipse Dominus per Isaiam inducitur dicens: *Faciens bonum, et creans malum; formans lucem et creans tenebras: ego Dominus faciens omnia hæc* (*Isa.* XLV, 7). Item idem in Evangelio dicturum se impiis in judicio testatur. *Ite*, inquiens, *in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Quid est quod ait *paratus*, nisi creatus atque destinatus? A quo autem creatus, nisi ab illo qui per prophetam dixerat sese *creasse malum et tenebras?* Ab ipso indubitanter etiam destinatus impiis dicitur, testante Isaia propheta: *Parata est enim ab heri a rege Topheth parata et dilatata* (*Isa.* XXX, 33), ubi et creationem et destinationem ignis gehennæ a Deo factam atque ordinatam patenter intimat. *Topheth* enim gehennam dicit, *ab heri* autem ab initio, *a rege* vero nihilominus ab omnipotenti Deo, sicut sanctus Hieronymus exponit, intelligitur. Cum igitur horum malorum Deus absque contradictione dicatur auctor, ordinator atque dispositor, quid, quæso te, obest veritati si dicatur etiam destinator ac prædestinator: cum nihil aliud destinare et prædestinare, quam ordinare et præordinare, disponere vel ante disponere, seu aliud quid simile, a sanis mentibus intelligatur; hinc Augustinus in libro primo de Libero Arbitrio.

Augustinus (*de Lib. Arbitr.*, *in princ.*): [Dic mihi,

quæso te, utrum Deus non sit auctor mali? Dicam A si planum feceris de quo malo quæras; duobus enim modis appellare malum solemus : uno cum male quemque fecisse dicimus, alio cum mali aliquid esse perpessum. De utroque scire cupio. At si Deum bonum esse nosti vel credis (neque enim aliter fas est), male non facit. Rursus si Deum justum fatemur (nam et hoc negare sacrilegum est), ut bonis præmia, ita supplicia malis tribuit : quæ utique supplicia patientibus mala sunt; quamobrem si nemo injuste pœnas luit, quod necesse est credamus, quandoquidem divina providentia hoc universum regi credimus; illius primi generis malorum nullo modo, hujus autem secundi auctor est Deus.]

÷ Quod autem ordinare, vel præordinare, pro B eo quod est destinare, vel prædestinare ponatur, liber Actuum apostolorum indicat, dicente beato Luca evangelista scriptore Actuum eorumdem : *Et crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam* (*Act.* XIII, 38). Quod nihil rectius intelligitur, quam prædestinat in vitam æternam, et quod destinatio, vel prædestinatio, Dei dispositio debeat intelligi sanctus antistes Fulgentius in libro de Prædestinatione ad Monimum declarat.

Fulgentius (*de Prædest., cap.* XXVI): In sanctis igitur, inquiens, perfecturus est Dominus, quod ut essent boni gratis dedit; quod autem daturum se præscivit, in æterna bonitatis dispositione prædestinavit. Ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio futuri operis Dei.]

C

÷ Quæ præordinatio, dispositio, destinatio, vel prædestinatio Dei certissima, scientissima, omnipotentissima, nullum ad peccatum adigit, nullum incitat, nullum cogit : sed voluntarie in crimina labentes, atque in eis obstinatissime perdurantes, juste punit, juste condemnat; nequaquam enim justitiam servaret, nisi a se voluntaria defectione aversos ac recedentes, neque ulla conversione ad se redeuntes prævaricatores, meritis pœnis addiceret. Quia autem justus est, justitiam servat, et tandiu inexhaustæ bonitatis suæ patientia malos tolerat, muneribus donat, præmiis invitat; nec tamen ullo tantæ benignitatis medicamine molliuntur, quin potius obduratione irrevocabili, et ingratitudine horribili in suis voluntariis iniquitatibus perseverant, æquitati ejus omnimodo dignissime competit, ut quos invicta bonitas nullatenus revocaverit a scelere, æterna æquitas puniat in tormentis.

D

Hanc justissimam, proindeque irreprehensibilem facinorosorum hominum damnationem Deum et præscisse, et prædestinasse a sanctis Patribus fideliter dictum, veraciter prædicatum, et dicimus et fatemur. Hinc Augustinus in libro III, de Libero Arbitrio (*cap.* XVIII) : [Nunc autem, quia ita est non est bonus, nec habet in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo, et non valendo esse qualem debere esse se videt, pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna, si justa est, peccati pœna est et supplicium nominatur: si autem injusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, injusto aliquo dominante homini imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei et justitia dubitare dementis est, justa hæc pœna est, et pro peccato penditur aliquo. Non enim quisquam injustus dominator aut subripere hominem potuit, velut ignorante Deo, aut extorquere invito, tanquam invalidiori, vel terrendo vel confligendo, ut hominem injusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo ut hæc justa pœna de damnatione hominis veniat. Nec mirandum est quod vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quid recte faciat, vel resistente carnali consuetudine, quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid recte faciendum sit, et velit, nec possit implere; illa est enim peccati pœna justissima ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet; id est autem ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit : et qui recte facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia et difficultas : ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit; sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.]

CAPUT II.

Argumento necessitatis colligitur duas prædestinationes fieri non posse.

Tu vero tantæ auctoritati impudenter obvians, secunda fetorum tuorum exhalatione conaris tuis argumentationibus obruere veritatem, et dicta luce clarius patentia nebulosis conclusionibus obfuscare. Nam agens adversus Gottescalchum, ut ita dixerim, inficiaris duas esse prædestinationes, quæ a Patribus in unum vocabulum rediguntur, ut dicantur prædestinatio bonorum et prædestinatio malorum. Sanctus enim Isidorus, Hispalensis episcopus (*Sent. cap.* XXVI) : [Gemina est, inquit, prædestinatio.] Quam tu occasione necessitatis evertis, cum nullus orthodoxorum necessitate prædestinationis quemquam ad aliquid vel bonum vel malum compelli, vel crediderit vel prædicaverit. Et ob id vel duas, vel geminam non esse prædestinationem affirmas, adhibitoque non necessario argumento, disputas multiplicius quam necesse est de divina essentia, eoque tuæ disputationis intentionem perducis, ut astruas; *Ita in Deo prædestinationis sicut essentiam debere intelligi, ne differre in Deo utrum essentia, an sapientia, an justitia, seu potestas, ac veritas, æternitas, voluntas, operatio sive prædestinatio nuncupentur*, Deinde infers :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 2, n. 1, sect. 6.) ÷ *Si impium est duas essentias in Deo doceri, vel duas sapientias, scientias, vir-*

putes cæteraque omnia quæ de Deo dicuntur, geminari, vel triplicari, vel quacunque multiplici specie cumulari, quicunque duas in Deo prædestinationes asserere convincitur, reatu impietatis ligatur: una est enim divina prædestinatio, sicut una est divina operatio, divina sapientia, divina substantia, divina voluntas.

CORRECTIO.

✠ In quibus tuæ disputationis verbis impios te denotavisse quicunque catholici atque orthodoxi prædestinatos ad interitum vel scripsere, vel sentiunt, impudenti superbia, superbaque impudentia demonstrasti. Deinde blasphemia intolerabilis aperitur, cum asseris nihil aliud esse Dei prædestinationem, quam substantiam, naturam atque voluntatem, et hoc tuis fenéis, ut ita dixerim, ratiunculis astipulari, non auctoritate, qua nostræ fidei veritas solidatur atque defenditur, astruere maluisti: cum te in tantum tua perversitas obfudit tenebris erroris, ut nec videres, nec consuleres veritatem. Negas enim geminari, vel triplicari, vel quacunque multiplici specie cumulari, ac per hoc pluraliter prædestinationes dici, sicut essentias, sapientias, scientias, virtutes, voluntates, operationes. *Una est*, inquiens, *prædestinatio, sicut una est divina operatio, divina sapientia, divina substantia, divina voluntas*, et subsequeris.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 2, num. 2, sect. 6.) Θ *Clamat enim Scriptura:* Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus (*Psal.* CX, 2).

✠ Et inferius.

(Cap. 2. num. 3, sect. 6.) Θ *Non dixit, in omnes necessitates ejus*, sed in omnes voluntates ejus.

CORRECTIO.

✠ Erige nunc mentis oculum, si tamen adest, ad intuitum veritatis; si autem abest, humiliare fideliter, petens ab ea, ut eum tibi vel mundare, vel illuminare, vel certe reddere dignetur. Dixisti voluntatem Dei, sicut essentiam, nec geminari, nec multiplicari posse, id est pluralitate carere, quod tamen ipsa, quam subjunxisti, prophetica sententia refellitur. Cum dicitur, *in omnes voluntates ejus*, ecce *voluntates* Dei multipliciter, ac per hoc pluraliter prolatas; tu ipse protulisti: et tamen impium esse dixisti, si quis voluntatem, quæ in Deo est, multipliciter, id est pluraliter, proferret. Nempe cum Pharisæo, quem evangelicus sermo jactantem sua merita reprehendit (*Luc.* XVIII, 11 *et* 12), ad inflatissimam tuam scientiolam oculum nebulosissimum, quantum in te fuerat, arroganter ostentandam aperuisti, cum publicano veraciter humiliari contemnens, a veritatis aspectu intelligentiam detorsisti. Quod si aliud esse dixeris in Deo voluntatem, atque aliud voluntates Dei, et in hoc quanta impietate insanieris auctoritate detegeris; quamvis enim et sciamus et fateamur in Deo nihil aliud velle quam esse, nihilque aliud esse quam velle: voluntas quippe illius essentia est, et essentia voluntas; tamen ipse, qui sibi est essentia, ipse voluntas, loquitur per Prophetam: *Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis* (*Psal.* XV, 3). Non enim aliud ipse est, et aliud voluntates ejus, quia si aliud sunt, extra eum sunt: si extra eum sunt, jam non ipse est voluntas sua. Est autem ipse voluntas sua; sua ergo intra ipsum voluntates suæ.

Falsum est igitur quod dixisti voluntatem in Deo non multiplicari, id est non dici pluraliter, cum id quod multiplicatur, pluraliter efferri necesse sit. Licet enim essentia Dei indubitabiliter simplex sit, neque ulla multiplicitate vel geminetur, vel triplicetur, vel multiplicetur: quædam tamen sunt quæ in Deo vel de Deo essentialiter prædicantur, quæ sine contradictione in divinis eloquiis pluraliter prolata reperiuntur. Dicitur quippe voluntas Dei essentia ejus, dicuntur etiam voluntates ejus pluraliter, nec tamen essentiæ ejus pluraliter proferentur, sed manente incommutabiliter remotaque ab omni multiplicitatis capacitate essentia illius, voluntas ejus pluraliter effertur; non ut ipsa essentia multiplicetur, sed ut voluntatis ejus effectus pro distributionum ejus congruentiis atque diversitatibus multiplices declarentur. Reclamat autem adversus te Scriptura sancta, quæ in libro Sapientiæ de Spiritu Dei, qui utique Deus est ita inter cætera potentiæ illius præconia: *Per me Spiritus*, inquiens *intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis* (*Sap.* VII, 22); itaque quomodo unicus idem dicatur et multiplex, etc.? Noli garrire contra veritatem. Prædestinationis etiam vocabulum, quod Dei subtantia est, coæquans dixisti nullatenus multiplicari. Beatissimus Gregorius, apostolicæ sedis antistes, et quemadmodum veraciter asseruisti, veracissimus Scripturarum explanator, tuarum conclusionum disputationes ante floccipendens, vel potius damnans quam legens, plurali er enuntiare non metuit; nam in libro XXIX admirandi atque amplectendi operis quod in beati Job explanationem eloquentissima suavitate composuit, inter cætera, Gregorius (*lib.* XXIX *in Job, cap. ult.*): Ordinem, inquit, cœli nosse est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre.

✠ Ac deinde quas prædestinationes dixerit, copiosa explanatione perdocuit; egit enim affluentiæ suæ dulcedine super bonorum gratuita electione, malorumque justissima reprobatione. Quod ut clarius enitescat, totam ejusdem loci continentiam proponamus.

Gregorius (*lib.* XXX, *c.* 32): [Pater quippe in suo tempore Luciferum produxit, quia, sicut scriptum est: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (*Gal.* IV, 4, 5); qui natus ex virgine, velut Lucifer inter tenebras nostræ noctis apparuit, quia, fugata obscuritate peccati, æternum nobis mane nuntiavit. Luciferum vero se innotuit, quia diluculo ex morte surrexit, et fulgore sui luminis mortalitatis nostræ tetram caliginem pressit. Cui bene per Joannem dicitur: *Stella splendida et matutina* (*Apoc.* XXII, 16).

Vivus quippe apparendo (*al.*, apparens) post mortem, matutina nobis stella factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur indicavit. Vesperum vero super terræ filios consurgere Dominus facit (*Job.* XXXVIII, 32), quia infidelibus Judæorum cordibus dominari Antichristum eorum merito exigente permittit. Qui idcirco a Domino huic vesperi juste subduntur, quia ipse sponte sua filii terræ esse voluerunt. Terrena quippe et non cœlestia requirentes, a perspicienda luciferi nostri claritate exæcati sunt; et dum præesse sibi vesperum expetunt, subsequentis damnationis æterna nocte merguntur. Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Ego veni in nomine Patris mei et non accepistis me. Alius veniet in nomine suo, illum* [al., *ipsum*] *accipietis* (*Joan.* V, 43). Hinc Paulus dicit: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (*II Thes.* II, 10, 11). Nequaquam ergo super eos Vesper consurgeret, si cœli filii esse voluissent; sed dum visibilia appetunt amisso cordis lumine, sub noctis duce tenebrescunt. Quod tamen si moraliter discutimus, quomodo quotidie agatur invenimus. Quia nimirum et electis Lucifer oritur et vesper reprobis Deo permittente dominatur. Unus enim atque idem sermo Dei in est ore prædicantis: quem dum isti gaudendo, illi vero invidendo audiunt, claritatem Luciferi sibi in vesperi tenebras vertunt. Dum isti humiliter vocem sanctæ prædicationis accipiunt quasi ad stellæ lucem oculos cordis aperiunt; dum vero illi benedicent invident, et non salutis causam, sed elationis gloriam quærunt, prorumpente iniquitate sua vespere in somnum mortis oculos claudunt. Per occultum ergo judicium is, qui electo [electis] est Lucifer, reprobo auditori (*al.*, reprobis auditoribus) fit vesper, quia exhortatione sancta, qua boni ad vitam redeunt, pravi deterius in culpa moriuntur. Unde bene per Paulum dicitur: *Christi bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam* (*II Cor.* II, 15, 16). Verbum itaque suum auditoribus esse Luciferum simul et vesperum vidit, per quod et alios ab iniquitate suscitari, et e contra alios sopiri in iniquitate conspexit. Quod quia occultis Dei judiciis agitur, quæ in hac vita ab hominibus comprehendi non possunt, recte illic subdidit: *Et ad hæc quis tam idoneus* (*Ibid.*, *vers.* 16.) Ac si diceret: Idonei quidem sumus ad hæc consideranda quia fiunt; sed idonei non sumus ad hæc investiganda cur fiant. Unde hic quoque Dominus, quia aliis produci Luciferum, aliis vero consurgere vesperum dixerat, ne perscrutari homo occulta Dei judicia audeat, illico subjungitur.

Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra? Ordinem cœli nosse est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre. Rationem vero ejus in terra ponere, est ante humana corda talium secretorum causas aperire. Rationem videlicet cœli in terra ponere, est supernorum judiciorum mysteria vel considerando discutere, vel loquendo manifestare. Quod utique facere in hac vita positus nullus potest. Ut enim a parvis ad majora veniamus, quis intelligat quæ esse ratio (*al.*, subtilitas) secretorum potest, quod sæpe vir justus a judicio non solum non vindicatus, sed etiam punitus redeat, et iniquus ejus adversarius non solum non punitus, sed etiam victor abscedat? Quis intelligat cur vivit alius insidians mortibus proximorum, et moritur alius qui profuturus esset vitæ multorum? Alius culmen potestatis assequitur, qui nonnisi lædere studet, alius tantummodo læsos defendere concupiscit, et tamen ipse oppressus jacet. Alius vacare appetit, et innumeris negotiis implicatur. Alius negotiis implicari desiderat, et coactus vacat. Alius male inchoatis [inchoans] usque ad vitæ suæ terminum pejora protrahitur; alius bene incipiens per longitudinem temporum proficit ad augmenta meritorum. Atque econtra (*al.*, At contra), alius male vivens diu reservatur, ut corrigatur (*al.*, ut se corrigat): alius vero bene quidem videtur vivere, sed in hac vita eo usque durat, quo ad perversa prorumpat. Alius in errore deficit; alius in catholicæ fidei rectitudine genitus, in catholicæ fidei rectitudine consummatur. Econtra vero alius catholicæ matris ventre editus, juxta vitæ terminum erroris voragine devoratur. Alius autem vitam suam in catholica pietate consummat, qui, ortus in perfidia, cum lacte matris hauserat virus erroris. Alius celsitudinem bene vivendi appetere et volet (*al.*, vult) et valet, alius nec volet nec valet; alius volet et non valet; alius valet et non volet. Quis ergo ista judiciorum cœlestium secreta discutiat? Quis intelligat discretam lancem æquitatis occultæ? Ad cognoscendos quippe istos judiciorum secretorum sinus, nullus ascendit. Dicatur ergo homini, ut se nescire cognoscat; nescientem vero se Cognoscat et timeat; timeat ut humilietur, humilietur ne præsumat in se; non præsumat in se, ut Conditoris sui auxilium requirat, et qui in se fidens mortuus est, auctoris sui adjutorium appetens vivat. Audiat itaque vir justus jam quidem se sciens, sed adhuc quæ supra sunt nesciens: *Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationes ejus in terra?* (*Job.* XXXVIII, 33) id est, nunquid occultos ordines judiciorum cœlestium comprehendis, aut aperire humanis auribus sufficis? Beatus igitur Job de judiciorum incomprehensibilium investigatione requiritur, ac si ei aperte diceretur: Cuncta quæ pateris tanto tolerare patientius debes, quanto secretorum cœlestium ignarus, cur hoc [*al.*, hæc] pateris, nescis].

Quem secutus tam fide quam sensu et verbis sanctus Isidorus, Hispalensis episcopus, eamdem pene sententiam dictis suis interposuit. Quos quisquis conferre voluerit, inveniet ita uno eos spiritu

atque ore locutos, ut eumdem Spiritum sanctum utriusque adfuisse, et per utrumque unanimiter locutum, minime dubitet. Isidorus (*Sent. lib.* II, *cap.* 6) : [Gemina est prædestinatio, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem : utraque divino agitatur [*al.*, agitur] judicio, ut semper electos superna et interiora sequi faciat, semperque reprobos, ut intimis et exterioribus delectentur, deserendo permittat. Sicut ignorat homo terminum lucis et tenebrarum, vel utriusque rei quis finis sit, ita plenius nescit quis ante suum finem, luce justitiæ præveniatur, vel quis peccatorum tenebris usque in suum terminum obscuretur, aut quis post lapsum tenebrarum conversus resurgat ad lucem. Cuncta hæc Deo patent, homini vero latent. Quamvis justorum conversatio in hac vita probabilis sit, incertum tamen hominibus esse ad quem sint finem prædestinati ; sed omnia reservari futuro examini. Mira dispositio est supernæ distributionis, per quam hic justus amplius justificatur, impius amplius sordidatur ? Malus ad bonum aliquando convertitur, bonus ad malum aliquando reflectitur. Vult quis esse bonus, et non valet ; vult alter esse malus et non permittitur interire. Datur ei qui vult esse bonus ; alius nec vult, nec datur ei ut sit bonus. Iste nascitur in errore et moritur, ille in bono quo cœpit usque in finem perdurat. Tandiu iste stat quousque cadat ; ille diu male vivendo in fine salvatur respectusque convertitur. Vult prodesse in bono justus nec prævalet, vult nocere malus et valet. Iste vult Deo vacare, et sæculo impeditur, ille negotiis implicari cupit, nec perficit. Dominatur malus bono, bonus damnatur pro impio ; impius honoratur pro justo. Et in hac tanta obscuritate non valet homo divinam perscrutari dispositionem, et occultum prædestinationis perpendere ordinem.]

† Quod enim beatus Gregorius prædestinationes pluraliter, hoc sanctus Isidorus geminam prædestinationem vocavit ; quoniam, sicut utriusque dicta testantur, intellexerat eum cum cæteris catholicis tractatoribus sensisse prædestinatos quosdam ad gloriam, quosdam ad ignominiam ; illos ad regnum, istos ad tormentum ; illos ad beatitudinem supernorum, istos ad supplicium inferorum. Perpende nunc quibus contradicas, quosque reatu impietatis notaveris, qui ante tuas nænias contriverunt quam nascereris. Ac per hoc constituamus te et beatum Gregorium, illum prædestinationes pluraliter efferentem, te pluraliter efferri impium judicantem. Quis te jam audiat ? Quis non horreat, quem in tantum vesaniæ prorupisse viderit, ut impios tantæ auctoritatis viros dixisse, et, quod est blasphemius, scripsisse, nullatenus erubueris ? Quis enim te audiat pluralitatem prædestinationis negantem, qui tantos Patres vel legerit vel audierit pluraliter efferentes ? Quis tuis disputatiunculis aurem adhibeat, ut tantis Patribus dictorum scriptorumque veracium fidem deroget ? et quis tibi veritatem, illis mendacium deputet ? Vertere ni quaslibet vel fabulosi Promethei formas,

A vel chameleontis colores, certe nunquam effugies, nunquam evadendi locum capies ? Aut verum est enim quod negasti, et falsum est quod Gregorius et Isidorus dixerunt ; aut (quia hoc impium est vel credere quempiam vel sentire) si verum est quod Gregorius et Isidorus protulerunt, litterisque venerabilibus mandaverunt, falsum est quod tu cæcatissimus affirmasti. Qui cum in hoc non solum deprehensus, verum etiam convictus minime dubiteris, de cæteris quæ simili insania rictu pestifero vomuisti, juvante Domino jam facilis erit aggressus : quoniam cui in prioribus mendacii character inuritur, in sequentibus fides penitus abrogatur.

Negas similiter operationem in Deo pluraliter efferri, id est multiplicari vel geminari, vel cætera
B hujusmodi : et quid est quod omnes Scripturæ operationes, vel opera divina decantant ? Clamat vas electionis, doctor gentium in fide et veritate : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus ; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus ; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus* (*I Cor.* XII, 4-6). At ne more furentium aliud clamares, adjungit, *qui operatur omnia in omnibus* (*Ibid.*, *vers.* 6). Enumeratis quoque earumdem operationum distributionibus, *hæc autem*, inquit, *omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*Ibid.*, *vers.* 11). Quod si aliud operationem Dei, et aliud opera esse contenderis, videris quomodo tam gravis auctoritatis, litteris videlicet divinis, earumque fidelis-
C simis tractatoribus, quorum libri eorumdem vocabulorum pluralitatibus referti esse noscuntur, valeas contraire. Quæro tamen abs te interim, ut de cæteris sileam, quid magis Dei essentiæ congruat, potentia an operatio ? Mihi quippe videtur nullum operari posse absque potentia : quo enim pacto dicendus est operari qui non possit ? Potentiam excellere non negabis ? Itaque potentia magis Dei essentiæ congruit quam operatio, quoniam operatio potentiæ est effectus, et tamen cum essentia Dei pluralitatem abdicet, potentias ejus pluraliter enuntiatas legimus, dicente Propheta : *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* (*Psal.* CV, 2.) Si ergo potentia Dei a pluralitate vel multiplicitate non excluditur, cur
D operatio, quæ sequax ejus non dubitatur, a multiplicitate excludenda judicatur ? Quod si inter operationem Dei et opera quid distinguendum erit, mihi interim nihil aliud occurrit quousque diligentius exquiratur quam operationem esse dum fit, opus vero quod fit. Quod si ita est, quis dubitet ad Deum utraque pertinere ?

Augustinus : [Cum operatio Patris dicitur, non eam sine Filio et Spiritu sancto intelligatur operari ; et cum generatio Filii, non sine Patre et Spiritu sancto ; et cum operatio Spiritus sancti, non sine Patre et Filio, satis notum est recte credentibus, vel etiam ut possunt intelligentibus. Et illud ideo dictum est de Patre, *ipse facit opera* (*Joan.* XIV, 10), quod ab illo sit origo etiam operum a quo est exsistentia cooperantium personarum : quia et Filius de illo

natus est, et Spiritus sanctus principaliter de illo A procedit, de quo natus est Filius, et cum quo illi communis est idem Spiritus. Et illud quod ait Dominus : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit* (*Joan.* XV, 24), non ad Patrem vel Spiritum retulisse, quod ei non sint in illis operibus cooperati, sed ad homines, a quibus leguntur multa facta miracula, et tamen a nullo, quæ Filius fecit. Et quod ait Apostolus de Spiritu sancto : *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus* (*I Cor.* XII, 11), non ideo dictum, quia non ei cooperatur Pater et Filius, sed quia in his operibus non sunt multi, sed unus Spiritus, et in universis suis operationibus non est a se ipso diversus. Nec tamen inaniter, sed rationabiliter et veraciter dicitur Patrem dixisse, non Filium et Spiritum sanctum : B *Tu es Filius meus dilectus, in quo complacui* (*Matth.* XVII, 5). Sed hoc miraculum de cœlo sonabilis verbi, quamvis ad personam Patris tantummodo pertinere, cooperatos esse Filium et Spiritum sanctum non negamus. Neque enim quia tunc Filius carnem portans cum hominibus conversabatur in terra, ideo non erat etiam in sinu Patris tanquam unigenitum Verbum, quando illa de nube vox facta est ; aut sapienter et spiritualiter credi potest Deum Patrem operationem verborum suorum sonantium atque transeuntium a sua sapientia suique Spiritus cooperatione separasse. Eodem modo cum rectissime dicamus non Patrem, nec Spiritum sanctum, sed Filium, *super mare ambulasse* (*Matth.* XIV, 25, 26), cujus humus caro erat C illa, et plantæ fluctibus innitentes ; illud tamen opus tanti miraculi Patrem, et Spiritum sanctum cooperatos esse quis abnuat ? Sic enim et solum Filium verissime dicimus ipsam suscepisse carnem, non Patrem, aut Spiritum sanctum, et tamen hanc incarnationem ad solum Filium pertinentem quisquis negat cooperatum Patrem, aut Spiritum, non recte sapit. Item dicimus nec Patrem, nec Filium, sed solum Spiritum sanctum *et in columbæ specie* et *in linguis* velut *igneis* apparuisse, et sedisse, pronuntiasse illis, in quos venerat, multis et variis linguis magnalia Dei (*Act.* II, 2, 3) ; a quo tamen miraculo, ad solum Spiritum sanctum pertinente, cooperationem Patris et Verbi unigeniti separare non possumus. Ita singulorum quoque in Trinitate opera Trinitas operatur, unicuique D operanti cooperantibus duobus, conveniente in tribus agendi concordia, non in uno deficiente efficacia peragendi. Quæ cum ita sint, hinc est quod Dominus Jesus in Spiritu sancto dæmones ejecit (*Matth.* XII, 28), neque enim et solus hoc implere non poterat, atque illud adjutorium tanquam huic operi non sufficiens assumebat, sed Spiritum divisum in semetipsum eo Spiritu congruebat expelli, quem Pater et Filius non divisi in semetipsis communiter habent. Sic et peccata, quia præter Ecclesiam non dimittuntur, in eo Spiritu dimitti oportebat, quo in unum Ecclesia congregatur.]

† Jam vero si, secundum te, operatio est in Deo sicut ejus essentia atque voluntas, necessario sequitur ut cætera quæ a Dei voluntate prodire non dubitantur, velut Dei essentia prædicantur, Verbi gratia, cogitatio, visio, prævisio, creatio, dispositio, dispensatio, statutio, decretio, paratio, præparatio, judicium, afflictio, correptio, infirmatio, interfectio, occisio, perditio, disperditio, inclusio, obduratio, induratio, derelictio, desertio, noluntas, seductio, in errorem inductio, deceptio, morbi, fames, pestilentiæ, tempestates, naufragia, insidiæ, et alia complura, quæ in divinis eloquiis indita, et Patrum litteris usitatissima, prudentium nullus ignorat. Quæ voluntate Dei indubitabiliter bona semper et justa fieri quisquis negat, justitia et judicio Conditoris nimis impie contradicit. Quæ quia nunc exemplis longum est approbare, interim differantur ; ut si denuo vel hydra caput levare, vel excetra nisa fuerit sibilare, largiente Domino latius atque commodius proferantur. Unum tamen de voluntate Dei ex sanctis Augustini dictis testimonium interposuisse sufficiat, de qua in libro Enchiridion tali sermocinatione disseruit.

Augustinus (*Enchir. c.* 100) : [Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX, 2), et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit ; bene utens et malis tanquam summe bonus, ad eorum damnationem quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad eorum salutem quos benigne prædestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt ; quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namque *magna opera Domini, exquisita sunt in omnes voluntates ejus*, ut miro et ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret si non sineret : nec utique nolens sinit, sed volens ; nec sinet bonus fieri male, nisi omnipotens et de malo facere posset bene.

(*Cap.* 101.) Aliquando autem bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, etiam ipsa [*al.*, ipso] bona multo amplius multoque certius voluntate ; nam illius mala voluntas esse nunquam potest. Tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus, fieri potest ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona : velut si malus filius velit mori patrem ; velit hoc etiam Deus. Nempe ille quod non vult Deus, iste vero id vult quod vult et Deus, et tamen Dei bonæ voluntati pietas illius potius consonat, quamvis aliud volentis, quam hujus idem volentis impietas. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, et ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut aut approbetur aut improbetur. Nam Deus quasdam voluntates suas utique bonas ita implet per malorum

hominum voluntates malas, sicut per Judæos malevolos bona voluntate Patris Christus occisus est pro nobis, quod tantum bonum factum est, ut apostolus Petrus quando id fieri nolebat, Satanas ab ipso qui occidit venerat, diceretur (*Matth.* XVI, 23) : Quam bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant apostolum Paulum Jerusalem pergere, ne illic pateretur mala quæ Agabus propheta prædixerat (*Act.* XXI, 12) ; et tamen Deus hæc illum pati volebat pro annuntianda fide Christi, exercens martyrem Christi. Neque istam bonam voluntatem suam implevit per Christianorum voluntates bonas, sed per Judæorum malas, et ad eum potius pertinebant, qui nolebant quod volebat, quam illi per quos volentes factum est quod volebat; quia idipsum quidem, sed ipse per eos bona, illi autem mala voluntate fecerunt.

(*Cap.* 102). Sed quantælibet sint voluntates vel angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud volentes quam Deus, omnipotentis voluntas Dei semper invicta est, quæ mala esse nunquam potest, qui etiam cum mala irrogat, justa est, et profecto quæ [*al.*, quia] justa est, mala non est. Deus igitur omnipotens sive per misericordiam cujus vult misereatur, sive per judicium quem vult obduret, nec inique aliquid facit, nec nisi volens quidquam facit, et omnia quæcunque vult, facit.

Ac per hoc cum audimus, et in sacris litteris legimus, quod velit omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis non omnes homines salvos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere quod scriptum est : *Qui omnes homines vult salvos fieri*, tamquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit ; non quod nullus fit hominum, nisi quem salvum fieri velit, sed quia nullus fiet [*al.*, sed quod nullus fiat], nisi quem velit ; et ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Evangelio scriptum est : *Qui illuminat omnem hominem* (*Joan.* I, 9). Non quia nullus est hominum, qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Aut certe sic dictum est, *qui omnes homines vult salvos fieri* ; non quod nullus hominum esset quem salvum fieri nolit [*al.*, nollet] qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse pœnitentiam si fecisset : sed ut *omnes homines*, omne genus hominum [*al.*, humanum] intelligamus, per quascunque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, feminas, infantes, pueros, adolescentes, juvenes, seniores, senes, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum et conscientiarum varietate innumerabili constitutos, et si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum unde non Deus per Unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, et ideo faciat quia omnipotens velle inaniter non potest quodcunque voluerit ? Præceperat enim Apostolus, *ut oraretur pro omnibus* [*al.*, pro singulis] *hominibus*, et specialiter addiderat *pro regibus et iis qui in sublimitate sunt* (*I. Tim.* II, 1, 2) : qui putari poterunt fastu et superbia sæculari a fidei Christianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens : *Hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo* (*Ibid.* vers. 4), id est ut etiam pro talibus oretur, statim ut desperationem tolleret, addidit : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (*Ibid.*) Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium, quod utique jam videmus impletum. Isto locutionis modo et Dominus usus est in Evangelio, ubi ait Pharisæis : *Decimatis mentham et rutam, et omne olus* (*Luc.* XI, 42). Neque enim Pharisæi et quæcumque aliena et omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic *omne olus*, omne olerum genus, ita et illic *omnes homines*, omne hominum genus intelligere possumus : et quocunque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse : qui sine ullis ambiguitatibus si *in cœlo et in terra*, sicut et Veritas cantat, *omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXIII, 11), profecto facere noluit quodcunque non fecit.

(*Cap.* 104.) Quapropter etiam primum hominem Deus in ea salute in qua conditus erat, custodire voluisset, eumque opportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, ubi jam non solum peccatum non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset. Quia vero eum male usurum libero arbitrio, hoc est peccaturum esse præsciebat, ad hoc potius præparavit voluntatem suam, ut bene ipse faceret etiam de male faciente, ac sic hominis voluntas mala [*al.* voluntate mala] non evacuaretur, sed nihilominus impleretur omnipotentis bona.

(*Cap.* 105). Sic enim oportebat prius hominem fieri, ut et bene velle posset et male ; nec gratis, si bene ; nec impune, si male : postea vero sic erit, ut male velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo anima nostra etiam nunc nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est. Sed ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere quam bonum sit animæ rationali [*al.*, animal rationale], quod etiam peccare possit, quamvis sit melius quod peccare non possit : sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit in qua posset etiam [*al. add.*

non] mori, quamvis major futura sit, in qua non possit mori.

(*Cap.* 106). Illam natura humana perdidit per liberum arbitrium, et hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum : quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset. Quia etsi peccatum in solo erat libero arbitrio constitutum, tamen justitiæ retinendæ non sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate cum velit, nemo est enim qui non seipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere : ad tenendam vero vitam voluntas non sat est, si adjutoria sive alimentorum, sive quorumcunque tutaminum desint. Sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat pro voluntate [*al.*, per voluntatem], ut autem ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adjuvaret. Sed post illam ruinam major est misericordia Dei, quando et ipsum liberum arbitrium liberandum est a servitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omnino per seipsum, sed per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est, liberatur; *ut voluntas ipsa*, sicut scriptum est, *a Domino præparetur* (*Prov.* VIII, 35, *sec. LXX*), qua cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum.

† Oportuerat te ista legentem potius ori tuo silentium imponere, quam aliquid tam procaciter strepere vel mutire : sicut enim cum una sit et semper eadem essentia Dei, voluntates tamen ejus ita multipliciter efferuntur, ut eis obsistere nec possis nec debeas, eodem modo de prædestinatione sentire debueras, quoniam nihil aliud prædestinavit, nisi quod a se fieri voluit, misericordiam videlicet et judicium : et sicut voluntates, ita prædestinationes multipliciter efferri vera ratio perdocet. Jure itaque dictum est, prædestinavit ad pœnam, prædestinavit ad gratiam, quia in illo servavit justitiam, in isto exhibuit misericordiam.

† Verum quia quidquid de voluntate Dei intelligatur, totum de ejus prædestinatione sentiendum dixisti, audi quid de ea verax Scriptura clamet. Legitur in libro Dabre Jamin quod *venit Roboam in Hierusalem, et convocavit universam domum Juda, et Benjamin in centum octoginta millibus electorum, atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, et converteret ad se regnum suum. Factusque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei dicens : Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad universum Israel qui est in Juda et Benjamin : Hæc dicit Dominus : Non ascendetis neque pugnabitis contra fratres vestros, revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate* (*II. Par.* 1-4).

† In eodem : Igitur *Ochozias* filius Joram rex Juda *descendit ut inviseret Joram filium Ahab in Israel ægrotantem. Voluntas quippe fuit Dei adversum Ochoziam, ut veniret ad Joram, et cum venisset, ut* A *egrederetur cum eo adversum Jehu filium Nasi, quem unxit Deus, ut deleret domum Ahab. Cum ergo everteret Jehu domum Ahab, invenit princeps Juda et filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei, et interfecit illos; ipsumque perquirens Ochoziam comprehendit latentem in Samaria, adductumque ad se occidit* (*Ibid.*, vers. 6-9).

† In eodem : *Noluit audire Amazias, eo quod Domini esset voluntas, ut traderetur in manibus hostium, propter deos Edom* (*II. Par.* XXV, 20).

† In his voluntatem Dei aut negabis ullam, et contradices Scripturæ veritatis : aut si hanc infitiari non audes, recipe justam, et identidem de ejus prædestinatione admitte. Neque enim aliud voluit quam prædestinavit, neque aliud prædestinavit quam voluit. Et sicut voluntates ejus pluraliter, ita prædestinationes efferri nequaquam ulterius contradicas. Interea miranda est admodum astutia, vel potius cæcitas tua, qui cum dialecticis uti delegeris argumentis, et opponi tibi merito prævideres præscientiam et prædestinationem relative non essentialiter prædicari, prætermissis relativorum veracibus instrumentis, ad essentialium confirmationem repente transieris. Ita ut etiam relativa essentialium naturæ conjunxeris, et nulla discretionis interposita differentia, unum idemque multiloquia disputatione astruxeris : hæc enim sunt verba tua.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 2, num. 4, sect. 2.) Θ *An forte dicis (hæretice) ad substantiam Dei voluntatem suam, non autem prædestinationem suam pertinere ? Ita ut non aliud sit Deo esse et velle, aliud vero esse et prædestinare. Sed hoc facile possumus refellere argumento, quod sumitur a definitione.* [Est enim divina prædestinatio, *ut ait Augustinus* (de Dono persev. cap. 17), omnium quæ Deus facturus est ante sæcula præparatio atque dispositio.] *Si ergo ante secula nihil creditur et intelligitur præter solum Deum fuisse, prædestinationem autem Dei ante omnem creaturam esse nullus sanus ambigit : colligitur prædestinationem Dei ipsum Deum esse, atque ad naturam ejus pertinere. Sed ne forte dicas, quæ de Deo ante mundum dicuntur, non utique semper secundum substantiam dicuntur; quædam enim prædicantur substantialiter, quædam relative: non enim secundum substantiam, sed secundum relationem dicitur Pater, dicitur Filius, dicitur Dominus : similiter prædestinatio ejus relative ad ea quæ prædestinata sunt profertur. Audi Scripturam de Christo dicentem* : in quo sunt omnes thesauri scientiæ et sapientiæ absconditi (*Col.* II, 3). *Dic, quæso quid in his verbis intelligere conaris? An forte scientiam et sapientiam Christi esse judicas accidentia, non autem ejus secundum suam divinitatem substantiam? Quod absurdissime creditur et falsissime suadetur. Summus enim ille intellectus*, in quo sunt universa (*Col.* I, 16), *imo ipse est universa, quam diversis significationibus nominum ab ipsa rationali natura, quæ ad inquirendum eum creata est appelletur ; ipse*

tamen in se ipso unus atque idem est, cum sit omnium naturarum causa simplex et multiplex : quod est ergo Deo esse, hoc est ei sapere : et quod est ei sapere, hoc est scire, et quod est scire, hoc est destinare.

CORRECTIO.

† Ecce absque nubilo dubietatis relativa essentialiter asseris contra omnium opiniones, qui acute atque prudenter de talibus tractaverunt. Cum enim constet categoriarum species decem esse, earumdemque primam, usiam, reliquas novem, accidentia, id est quæ accidunt in substantia certumque sit relationem secundum accidens, non secundum usiam prædicari, qua fronte accidens substantiam nuncupes, nequaquam video. Nam destinare et prædestinare, sicut facere, creare, disponere, dispensare, ordinare, administrare, gubernare, judicare, damnare, et cætera similia relative dici nullus, qui horum aliquantulum assecutus est peritiam, prorsus ignorat. Quod enim destinatur, aliud necesse est sit destinatus, aliud destinatum. Ac per hoc non substantialiter ita dicitur destinare, sicut dicitur esse : esse quippe substantiam, destinare vero ejus accidens, id est relationem significat. Itaque cum dicitur homo, substantia est, cum vero dicitur destinator, ejus accidens, id est relatio prædicatur ; et usia quidem unum aliquid eesentialiter demonstrat, accidens vero illius jam plura complectitur. Dicendo etenim, homo, nihil aliud quam hominem pronuntio ; at cum dixero destinator, et hominem et ejus accidens pariter enuntio. Nam destinator necesse est aliquid destinet, homo vero ad nihil aliud relatum simpliciter substantia indicatur.

Apparet igitur accidentaliter, non essentialiter destinationem dici cum non de subjecto, sed in subjecto prædicetur : Si enim substantia dicitur ab eo quod omnis res ad seipsam subsistat, corpus quippe subsistit et ideo substantia est nimirum accidentia, quæ in subsistente atque subjecto sunt, substantiæ non sunt, quia non subsistunt, sed mutantur ; sicut homo, vel equus, vel lapis, eadem esse necesse est : bonum autem, vel malum, vel sapientem, vel hebetem, vel pulchrum, vel deformem non semper idem dicitur, quoniam quandocunque et quomodocunque mutabile comprobatur ; proinde cum semper possit esse homo, nequaquam sequitur semper sit destinator. Verbi gratia : quando nihil habet quod destinet, non recte destinator appellatur ; dicitur autem homo, etiamsi nihil destinas. Quod cum de creaturis rationabilibus jure dicitur, de Deo, cui soli nihil accidit, multo aliter prædicatur : quidquid enim de Deo ab homine dicatur, aut secundum substantiam, aut secundum relationem, vel proprie, vel translate dici necesse est. Deus quippe magnus, bonus, omnipotens, sapiens, justus, sempiternus, essentialiter dicuntur. Creator, conditor, factor, operator, dispositor, destinator, ordinator, gubernator, judex, relative proferuntur, quæ tamen relatio in Deo partim ad se, partim ad creaturas refertur. Pater enim, et Filius, et Spiritus sanctus ad sese utique referuntur : Pater enim Filii Pater est, Filius Patris Filius est, Spiritus sanctus Patris et Filii Spiritus est : Dominus vero servi Dominus est : Creator, operator, destinator caeaturæ sine dubio creator, operator et destinator est : conficitur ergo nullatenus destinationem de Deo essentialiter prædicari Quapropter cum ipse essentialiter semper fuerit, tamen nunquam antea Dominus appellatus est quam ipse faceret cujus Dominus diceretur. Similiter cum semper habuerit in æterno voluntatis suæ concilio quid, quando et quomodo, vel ubi faceret, destinaret atque disponeret, non prius factor, destinator atque dispositor dictus est, quam facere destinaret atque disponeret. Quamobrem nullo modo substantiam ejus demonstrat, cum dicitur facere, operari, destinare atque disponere sed effectum omnipotentissimæ voluntatis illius, in qua semper fuit ratio : quæque voluisset, ipse nulli aut temporalitati aut mutabilitati obnoxius, temporolia et mutabilia, temporaliter et mutabiliter sine labore et fatigatione quietissimus destinaret, operaretur et faceret. Verum Augustini definitio, quam ponere voluisti, non habet prædestinationem Dei esse substantiam, sed præparationem ac dispositionem omnium quæ erat ipse facturus.

Porro sapientiam et scientiam de Deo esssentialiter prædicari quis nesciat ? Non enim relative dicuntur : Est quippe sapiens Pater, sapiens Filius, sapiens Spiritus sanctus ; sciens Pater, sciens Filius, sciens Spiritus sanctus ; imo sapientia Pater, sapientia Filius, sapientia Spiritus sanctus : scientia Pater scientia Filius, scientia Spiritus sanctus, sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus : et tamen non tres sapientes, aut tres scientes, vel tres sapientiæ, sive tres scientiæ, sicut nec tres dii ; sed unus sapiens, unus sciens, vel una sapientia, una scientia, sicut unus Deus. Sapere quidem et scire illi est essentialiter quod esse : non enim ad aliquid refertur, at destinare atque disponere quoniam ad aliquid refertur, nullatenus de eo essentialiter prædicatur. Cum igitur constet translative prædestinationem in Deo proferri, liquet profecto non essentialiter, sed relative depromi. Nam si essentialiter de Deo diceretur prædestinare sicut esse, sapere et scire, consequens esset ut ejus prædestinatio non ad aliquid referretur, sicut nec essentia, magnitudo, bonitas, potentia, sapientia, scientia, justitia illius ad aliquid referuntur ; magnitudo, bonitas, potentia, sapientia, scientia, justitia cum de Deo dicuntur, qui essentialiter ipse sit indicatur : prædestinatio non quid ipse sit, sed quid velit, disponat et operetur enuntiat. Substantia Dei nunquam pluraliter effertur. Prædestinationes ejus, sicut dispositiones, dispensationes, ordinationes, operationes, distributiones ejus, pluraliter enuntiari et ostendemus, et ubi commodum fuerit, favente Domino ostendemus. Sed quoniam de his in processu operis hujus, adhibito Augustini favore, vel copiosius, vel fastidiosius, seu certe fallacius agis, cum ad idem locorum ventum fuerit ipsius

Patris Augustini testimonio, annuente Domini Jesu Christi gratia, confutaberis.

CAPUT III.

De eo quod duas prædestinationes ratio non sinit esse.

Deinde tantis tertio vanitatum tuarum ludicro argumentum superfluitatibus res non necessarios replicantibus scates, ut pudeat audire, nedum legere, quemlibet honestorum, qui dum multiloquio insudas, prorsus evadere nequivisti quod dicitur : *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* x, 19). Ais enim, multiloque repetis a Dei voluntate atque essentia, perindeque prædestinatione, omnem abesse necessitatem. Quis hoc ignoret ? Quis nesciat Deum nulli subjectum esse noxiæ necessitati. Proinde quamvis omnia quæcunque Deus voluit, disposuit ac destinavit, necesse est ut ita nec aliter omnino fiant ; nulli tamen violentiam ad utrumvis ejus prædestinationem inferre jam et diximus et fatemur. Ac per hoc cum neminem huic assertioni favere aut legerim aut audierim, videre nequeo quamobrem de necessitate prædestinationis tantisper disputaveris, nisi quia non habens quid veri diceres, quæsisti quo insanire, unde prædestinationem impiorum a Patribus sæpius inculcatam funditus abrogares. Post multa enim :

JOANNES SCOTUS.

(Cap III, num. 1, sect. 3.) Θ *Non est igitur*, ais, *illa prædestinatio quæ cogit inevitabili necessitate, vitam, justitiam, beatitudinem, nec illa quæ cogeret prædictorum bonorum contraria, videlicet mortem, peccatum, miseriam, quæ ratio*, inquis, *enthymematis argumento concluditur, quod semper est a contrario, cujus propositio talis est : Non et Deus summa essentia sit, et eorum tantum quæ ab eo sunt causa non sit, est autem Deus summa essentia, est igitur eorum tantum quæ ab eo sunt causa. Peccatum, mors, miseria, a Deo non sunt, eorum igitur causa Deus non est. Idem quoque syllogismus hoc modo connectitur : Non et Deus eorum quæ sunt causa sit, et eorum quæ nihil sunt causa sit : est autem Deus eorum causa quæ sunt : igitur non est causa eorum quæ non sunt. Peccatum ejusque effectus, mors profecto cui adhæret, miseria non sunt* ; *eorum igitur nec Deus, nec ejus prædesnatio, quæ est quod ipse est, causa esse non potest.*

CORRECTIO.

† Mirari satis nequeo quare præsumpseris dicere quod nullus auctor tractatorve divinorum eloquiorum dixit. Prædestinationem dicis esse Deum, hoc prophetica et apostolica Scriptura nunquam dixit : tractatores ejus nunquam dixisse reperiuntur : qua fronte ausus es fingere quod Scripturæ auctoritate nequeas affirmare ? Jam vero quod dicis prædestinationi Dei nullam inesse vim qua quis cogatur ad aliquid, et nos dicimus et probamus. Similiter quod addis, Deum et prædestinationem ejus non esse causam eorum quæ non sint, et hoc nihilominus approbamus, id est peccati, mortis atque miseriæ : et peccati quidem Deus, sicut non actor, ita nec causa est.

Mortis autem, quæ, ut ais, effectus peccati est atque miseriæ, causa non est ; auctor tamen atque irrogator æquissimus est. Nam mortis, quæ fit cum deserit anima veram, summam et sempiternam vitam, et vertitur libidinose ad infima et caduca, nec causa, nec auctor est Deus, de qua dicitur *quia mortem Deus non fecit* (*Sap.* I, 13), quoniam eam Creator non condidit, sed malevolentia vel angeli, vel superbientis hominis adinvenit sibique superbiendo conscivit. Mors vero quæ fit cum anima discedit a corpore, teste Scriptura, a Deo est, dicente ad primos nostri generis homines atque interminante Deo : *Ex omni ligno quod est in Paradiso edite, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedatis : quacunque autem die comederitis ex eo, morte moriemini* (*Gen.* II, 16). In quibus verbis mortem animæ prædixit tantum, non etiam irrogavit. Ac per hoc nec causa, nec auctor ejus esse convincitur. Deinde præsumpto inhibitis ligni edulio, iterum Dominus post piissimam atque inæstimabilem re largitionem et patientiam, qua eos ad pœnitentiam misericorditer invitabat, quam illi econtrario obstinacissime repellebant, causamque prolapsionis propriæ in Deum superbissime contumacissimeque referebant, inevitabili judicio sententiam damnationis deprompsit dicens in Adam quidem ita : *Quia fecisti hoc, et audivisti vocem uxoris tuæ plus quam me : Maledicta terra in opere tuo ; cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui comedes panem tuum cunctis diebus vitæ tuæ, donec revertaris.* In Evam vero ; *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tibi* (*Gen.* III, 17 seq.)

Hujus mortis atque miseriæ Deus, cum causa non sit, auctor tamen, id est justissimus irrogator certissime creditur, quemadmodum verbis præcedentibus declaratur, quibus si quispiam contraire voluerit, puto quia me tacente impietatis reus addicetur. Mors corporis discessio est animæ a corpore ; ideo hujus auctor dicitur Deus, quoniam, ipso puniente ac volente, abstrahitur a corpore, donec ipso volente ac judicante resurgentibus omnibus, suo quæque corpori vel mala pro meritis receptura vel bona restituatur. Justum est enim ut quo auctore creatur, datur atque immittitur corpori, ipso auctore, quia promeruit, abstrahatur ; et cujus primum bonitate donata est, ejus postmodum justitia subtrahatur, ut quod benignitas contulit, æquitas demat. Quæ cum corpori inseritur, vitam tribuit, cum aufertur adimit ; et hæc ipsa ademptio, vel ablatio, vel subtractio, mortis vocabulo nuncupatur, quod cum nonnisi Deo judice fiat, quis negare audeat Deum mortis hujus esse auctorem ?

Sic etiam de miseria sentiendum : quæ cum beatitudinis dicitur indigentia, non Deo auctori depu-

tatur, sed creaturæ rationali, quæ voluntaria aversione a veræ beatitudinis summo bono, atque adhæsione damnabili in infimo bono, sibi eam contraxisse nullatenus ambigitur. Cum vero miseria pœnalis hujus vitæ conversatio, vel subsequentis in gehenna retributio dicitur, quis Deum auctorem illius nesciat, cujus atque judicio dispensari omnia non ignoratur? Si enim, dicente Scriptura, *Nihil sine causa fit super terram* (*Job.* v, 6), profecto liquet quia sicut bona, Deo auctore, constant, ita et mala atque miseriæ vel ad probationem piorum, vel ad reprobationem impiorum, vel hic vel illic pœnaliter inflictæ non alio, quam auctore Deo nimirum justissimo fieri credenda sunt: consideratis quippe quæcunque pœnaliter ingeruntur, nullas fere absque creaturis Dei pœnas atque miserias invenimus. B Et quia, docente beato Gregorio, omne judicium in hominibus per angelos exercetur, patet profecto quidquid, Deo judice, pœnaliter hominibus infertur, nequaquam nisi per creaturas ejus fieri. Verbi gratia, aut aere corrupto, aut ventorum inæqualitatibus, aut solis caloribus nimiis, aut pluviarum effusionibus adversis, seu quibuscunque aliis animadversionis supernæ generibus, de quibus Propheta testatur: *Misit*, inquiens, haud dubium quin Deus, *in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem, immisssionem per angelos malos*, etc. (*Psal.* LXXVII, 49). Ubi quamvis per angelos malos immissionem missam dixerit, legimus tamen etiam per bonos angelos identidem, Deo vindice, actitari: quemadmodum apud Sodomam C actitatum, et ei finitimas civitates, ignem cœlitus pluente Domino *Gen.* XIX, 24), verax narrat historia: quos beatos fuisse angelos nullus qui eamdem historiam fideliter legit, ignorat.

Cum igitur vel in hoc sæculo vel igni gehennæ debitæ peccatoribus pœnæ per creaturas Dei fieri minime nesciantur, quis earum auctorem Deum justissimum audeat diffiteri? Quarum si causam quæris, peccatores e vestigio occurruut, qui malis suis operibus Deum summe bonum et justum ad hæc sibi merito retribuenda concitaverunt: quamvis de anima et angelis apostaticis, quibus pœnis urgeantur, necessario quæratur, quæ, id est pœnæ, sive tormenta, quocunque alio commodius vocabulo enuntientur, non idcirco mala vocantur, D quod vere, id est naturaliter, sint mala, quippe cum Dei creaturæ sint: *vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I, 31); sed quia patientibus contraria procul dubio fiunt, ab eorum nimirum sensu mali vocabulo denotantur.

Unde beatus Augustinus inter retractandum libros suos, cum ventum esset ad ejus libri retractationem, cujus titulum esse voluit de octoginta tribus quæstionibus, ait (*Retractat. l.* I, *cap.* 26): [Utrum Deus mali auctor non sit. Ubi videndum est, ne male intelligatur, quod dixi: Mali auctor non est, quia omnium quæ sunt auctor est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt: et ne hinc putetur non ab illo esse pœnam malorum, quæ utique malum est his qui puniuntur, sed hoc ita dixi, quemadmodum dictum est: *Deus mortem non fecit* (*Sap.* I. 13,) cum alibi scriptum sit: *Mors et vita a Domino Deo est* (*Sap.* XVI, 13). Malorum ergo pœna, quæ a Deo est, malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est, quoniam justum est ut mali puniantur, et utique bonum est omne quod justum est.]

† Sed e sanctis, Hieronymus in Explanationibus prophetarum, qui vel maxime hujus locutionis genere pleni sunt, eisdem vestigiis, quia eodem spiritu graditur, qui explanans Jonam prophetan (*in cap.* I): [Hic, inquit, malitiam pro afflictione et calamitate accipere debemus, secundum illud: *Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* VI, 34); et in Amos propheta: *Si est malitia in civitate quam Dominus non fecerit* (*Amos.* III, 6): et in Isaia: *Ego Dominus qui facio pacem et creo mala* (*Isa.* XLV, 7). In alio vero loco malitia contraria virtuti intelligitur, juxta quod in hoc eodem propheta supra legimus: *Ascendit clamor malitiæ ejus ad me* (*Jonæ* I, 2).]

† Quibus omnibus patenter indicatur Deum nec auctorem nec causam esse peccati; malorum vero, id est pœnarum quarumlibet atque afflictionum, auctorem quidem fideliter prædicari: causam vero eorum peccatores eorumque peccata nullatenus dubitari.

Progrederis inde ad alia, et veluti prima de hoste congressione victor effectus gloriabundus, ad alia revincenda furibundus procedis, multis hostem conviciis impetens, et maledictis incessens, qui si ea legeret sibique facultas suppeteret, fortassis aut mitiora aut congrua responderet. Quibus omissis, quoniam ea tantum in quibus a catholica veritate dissentis discutienda et, quantum divinitus adjuti possumus, refutanda suscepimus, eis tantummodo considerandis atque advertendis stylo imperavimus. Ais de charitate quod una sit, licet duo sint ejus præcepta, idem et nos dicimus, astipulante beato Gregorio, quia sicut una est charitas et duo præcepta, ita unus Spiritus et duo data. Dicis charitatem esse Deum, et nos annuimus, instructi a beatissimo Dominici pectoris recubo, qui ait: *Deus charitas est*; (*I* Joan. IV, 8). Sed quod his omnibus ad destructionem geminæ prædestinationis uteris improbamus. Dicit enim Scriptura: *Deus charitas est*; sed nunquam dicit Deus prædestinatio est. Quid amplius quæritur? Nam etsi nihil nobis aliud ad tuæ perversitatis confutationem suppeditaret, hoc tantum sufficeret quod nulla id prophetica, evangelica vel apostolica Scriptura testatur. Lego charitatem Domini, non lego prædestinationem Domini: non hoc prophetæ prædixerunt, non evangelistæ annuntiaverunt, non apostoli prædicaverunt. Nullus Patrum venerabilium, per quos nobis eædem propheticæ, evangelicæ atque apostolicæ Scripturæ diversis locis et temporibus fideliter ac salubriter enodatæ sunt, dixisse reperitur. Non igitur admittimus quod non in sacris litteris invenimus, præsertim cum id tuis ratiocinatiunculis affingas, divinorum eloquiorum testi-

moniis asseveres. Et quia nihil extra recipitur, quidquid a te extra dicitur, merito reprobatur.

Quamvis, sicut supra monstratum est, sanctorum Patrum venerabilibus scriptis, et geminæ prædestinationis veritas approbetur, et tuæ, id est solitariæ prædestinationis, falsitas improbetur : quis enim te barbarum, et nullis ecclesiasticæ dignitatis gradibus insignitum nec unquam a catholicis insigniendum, adversus Romanæ urbis et apostolicæ sedis antistitem Gregorium, et ejus sicut doctrinæ et fidei, ita dignitatis atque officii socium, beatum videlicet Isidorum episcopum, audiat oblatrantem. Verum si beati Isidori solius contemnendam duxeris auctoritatem, quis te audiat, quis sequatur, nisi mente captus ? cum eum ejusque doctrinam in causa fidei catholicis omnibus congruentem B tanta annositate temporum et probabilem videat et susceptam, maxime cum et hodieque Leo, venerabilis apostolicæ sedis antistes, missa *ante triennium* ad episcopos Britannorum, qui Galliæ inferiores partes incolunt, super quibusdam quæstionibus suæ responsionis epistola, censuit ut quidquid in dubium deveniret, atque in sacris canonibus minime inveniri posset, ad catholicorum Patrum volumina confugiendum, et in eis quidquid esset ambigui requirendum atque sequendum : quos cum nominatim exprimeret, beatum Isidorum cum cæteris eodem honore et dignitate pariter adnotavit. Hujus quoniam doctrina in causa fidei ab apostolica sede approbata cernitur, quidquid contra garrire molitus es, effetatur, nullis C in posterum viribus fulciendum.

Attamen quod geminam charitatem quemadmodum geminam prædestinationem negas, ejusque assertores velut hæreticos damnas, videris ipse quid egeris. Nam Patres orthodoxi geminam charitatem vel dilectionem nonnunquam in suis opusculis posuisse reperiuntur, quorum Beda venerabilis presbyter in Expositione tabernaculi (*lib.* II, *cap.* 11), quod Moses, jubente Domino, statuisse legitur : [Vel certe, inquit, forcipe, duplici videlicet ferramento, sacerdotes ignem altaris emendant, cum in omnibus quæ docent prædicatores sancti, virtutem nobis geminæ charitatis infundere, et hujus gratia nos ardere simul et lucere præcipiunt.]

† Idem in eodem Beda (*lib.* III, cap. 4) :[Non in D una parte superhumeralis aurum, in altera hyacinthus, in alia rursum alii atque alii colores fuerunt. Sed omnes colores utique per omnia cum auro ipso fuere contexti, quia nimirum in actione sacerdotali nunquam aliqua magnarum virtutum vel ad horam debet intermitti, sed semper auro sapientiæ lucidus, semper hyacintho spei in superna erectus, semper regnis cœlestis purpura adversus vitiorum bella magnanimus, semper cocco bis tincto geminæ dilectionis flammeus, semper retorta bysso castigatæ carnis sacerdos sive doctor fidelium debet esse nitidus.]

† Augustinus in sermone de languido triginta octo annos infirmitatem habente (*Tract.* XVII *in Joan.*): A Merito apud Samaritanos biduum fecit Jesus, ut eos charitate firmaret : Binario ergo isto numero cum aliquid boni significatur, maxime bipartita charitas commendatur]. † Idem, lib. IV de Consensu evangelistarum : [Eum qui Filius Dei semper est, propter nos filium hominis factum, ut sempiterna virtus ejus et divinitas nostræ infirmitati et mortalitati contemperata, de nostro nobis in se atque ad se faceret viam, cum magna spei lætitia fideliter teneat, ne peccet a rege Christo regatur : si forte peccaverit, ab eodem sacerdote expietur, atque ita in actione bonæ conversationis et vitæ nutritis pennis geminæ dilectionis, tanquam duabus alis validis evectus a terris, ab eodem ipso Christo verbo illuminetur.] † Idem, in libro Aduotationum in Job : [Expansis pennis immobilis et respiciens ad austrum, explicatis ab omni impedimendo sæculari virtutibus geminæ dilectionis, permanens inconcussus in fide : non tamen in hoc ipso de se ipso præsumens, sed sperans in Deum et nullum revocans in tentationem [*al.*, in illum revocans intentionem], a quo ipse charitatis arbor inspiratur, ut fortitudinem suam ad ipsum custodiat dicens : *Nonne Deo subjecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse Deus meus et salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius* (*Psal.* LXI, 1, 2).]

† Leo in sermone de jejunio mensis septimi : [Et cum inde dicatur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XXII, 37) : Christo Domino dicente, cognoscimus quoniam *in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Ibid.*, vers. 40) ; tantaque est sud hujus geminæ charitatis edicto utriusque copula Testamenti, ut sine istarum connexione virtutum nec rex quempiam inveniatur justificasse nec gratia.] † Idemque in eodem : [Dilectio proximi dilectio Dei est, qui plenitudinem legis et prophetarum in hac geminæ charitatis unitate constituit, ut nemo ambigeret Deo se offerre quidquid [*al.*, quod] homini contulisset, dicente Domino Salvatore, cum de alendis juvandisque pauperibus loqueretur: *Quod uni eorum fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40.]

† Sane non video quid rationi et veritati obsistat, si gemina charitas nuncupetur, quamvis *Deus charitas* appelletur, cum multa in sacris litteris reperiantur, et de Deo dicta, et pluraliter enuntiata ; quis enim nesciat misericordiam, miserationem, justitiam, justificationem, scientiam, bonitatem, laudem, laudationem, veritatem, et multa alia Domini dici, et tamen pluraliter elata quisquis pie advertit facillime invenit. Dicit enim Propheta : *Deus meus, misericordia mea* (*Psal.* LVIII, 18) ; et idem *Misericordias Domini in æternum cantabo* (*Psal.* LXXXVIII, 3). Idem : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine* (*Psal.* XXIV, 6). Idem : *Justitiæ Domini rectæ* (*Psal.* XVIII, 9) Idem *In justificationibus tuis meditabor* (*Psal.* CXVIII, 16). Et alibi : *Quoniam Deus scientiarum Dominus est* (*I Reg.* II, 3). Et iterum : *Quia fortitudo mea et laus mea Dominus Deus* (*Psal.* CXVII, 14).

Et idem : *Fortitudo mea et laudatio mea Dominus* (*Psal.* IX, 15). Item : *Ut annuntiem omnes laudationes tuas* (*Psal.* XXX, 24). Idem : *Quoniam veritates requirit Dominus et diminutæ sunt veritates a filiis hominum* (*Psal.* XI, 2). Quibus omnibus patenter innuitur talia de Deo quidem posse proferri, et tamen minime a pluralitate præpediri. Nam Salvatorem, Salutarem, et Christum Dominum nostrum veraciter et proprie appellari nullus ignorat : nec tamen prædicat quin salvatores, salutares et Christi pluraliter efferantur. Quorum exempla quisquis divinorum eloquiorum scientiam usu et memoria imbibit, nullatenus nescit.

Nec prætereundum quod ideo prædestinationem ad Dei naturam pertinere dicas, quia ante omnem creaturam sit, sicut Deus. Dic ergo et electionem Dei esse naturam quoniam, docente Apostolo, addiscimus, quod *in Christo Jesu Domino nostro elegerit nos ante mundi constitutionem* (*Eph.* I, 4). Dic etiam promissionem Dei ejus esse substantiam, quoniam idem Apostolus testatur, *quam promisit non mendax Deus ante tempora sæcularia* (*Tit.* I, 2), et omnia quæcunque ex æterno consilio voluntatis ejus, quam nulla tempora vel inchoant vel angustant, cui nec præterita transeunt nec futura succedunt, nobis per tempora et loca fieri, inchoari, procurrere finirique decrevit. Cum igitur constet quia quæcunque naturaliter sunt, quomodocunque sint, nonnisi voluntate ipsius sunt, consequens erit, ut quidquid voluntate ejus fit, ad ejus essentiam pertinere dicatur ; quoniam ejus facere, operari, præscire, prædestinare, dispensare, gubernare, judicare, damnare, et cætera his similia, nonnisi velle ipsius est. Non enim in labore fatigatur, aut opere inquietatur, sed voluntas ejus opus est ejus. Proinde cum velle Dei sit esse ipsius, nonnisi impie dicitur, ad naturam ejus pertinere quidquid ex voluntate ejus prodire cognoscitur. Judicat quippe Deus, nunquid propterea judicium ejus erit natura ipsius ? Eodem modo de cæteris sentiendum quæcunque de eo relative dicuntur.

CAPUT IV.

De una vera solaque prædestinatione.

Pergis ad alia, et quarta mendaciorum tuorum ludibrio tertiam ex duabus hæresim factam asseveras, duarum alteram auctoris nomine insinuas, alteram tacito nomine repræsentas. Dicis enim :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. IV. num. 1, sect. 1.) Θ *Hæc igitur hæresis Gottescalchana, si tali nomine potest vocari, inter duas alteras hæreses sibi invicem adversantes medietatis loco constituta est : inter illam plane quæ dicitur Pelagiana, et illam quæ ei repugnant, quarum una dono divinæ gratiæ derogat, altera libertatem arbitrii condemnat. Pelagiana siquidem secta libertatem arbitrii rationalis naturæ in tantum commendat, ut sine dono gratiæ ad perficiendam hominis justitiam sufficiat : ejus vero secta contraria gratuitæ gratiæ donum confirmat, ut eo solo in homine operante, omni conatu liberi arbitrii contempto, omnis fidelis fastigum justitiæ contingat. Una igitur, ut dictum est, donum gratiæ contemnit, altera donum libertatis arbitrii : ambo impietate pares, secta vero dispares. Hæc autem de qua nunc agitur, sic est in medio inter utrasque prædictas, tanquam extremitates inter se contrarias conjuncta, ut ipsis partim consentiat, partim contradicat, propriumque sibi vindicet quod ipsas non habere contendat. Dum enim omnium virtutum quibus pervenitur ad beatitudinem, omniumque vitiorum quibus præcipitatur ad miseriam in prædestinationibus divinis, ut ipsa fingit, necessarias inevitabilesque causas conatur constituere, quid aliud videtur suadere nisi Dei dona, hoc est liberum voluntatis arbitrium et gratiæ auxilium, destruere, quibus duobus profecto plenitudo justitiæ hominis et inchoatur et perficitur.*

CORRECTIO.

† Hucusque tuorum dictorum verba latius posuimus, non ut nostra profusius dilataremus, sed ut tua quibus venenis essent infecta panderemus. De Pelagiana siquidem, quod libertatem arbitrii adeo extulerit, et absque auxilio gratiæ Dei propriis viribus niteretur, et novimus et detestamur. Secundam, quam duabus inseris, et ex duabus compactam asseris, videlicet in prædestinationis necessite tam bonorum, quam malorum omnium constituta, quamque Gottescalchanam novo vocabulo nuncupas, nec defendimus nec tenemus. Tertiam vero, quam Pelagianis contrariam asseris, qua ita donum gratiæ prædicetur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus nec audivimus : perspecto siquidem beati Augustini de nonaginta Hæresibus libro hanc penitus non inveni. Debueras igitur expressius intimare, quo hæc auctore subsisteret, et quo ei facilius, imo competentius, responderi posset. Sed diu de ea cogitanti, et ancipiti sententia nimium fluctuanti mihi, nihil aliud te in ea expressisse occurrit, nisi quod in hac, quemadmodum et in geminæ prædestinationis nomine omnibus catholicis, qui nos vel jam in Domino præcesserunt, vel qui adhuc infirmitate carnis gravati ad eorum societatem dono gratiæ pervenire suspirant, oblique derogare volueris, qui omnes una prorsus concordique sententia ita donum gratiæ prædicant, ut absque eo libertatem arbitrii ad bonos conatus nihil valere confirment. Et quia de gratia et libero arbitrio satis abundeque et a Patribus actum, et a nobis atque aliis adæque catholicis nimirum viris eruditissimis decerptis atque collectis eorum sententiis elaboratum est, unam tantummodo beati Patris Augustini sententiam ad medium deduxisse sufficiat, qui in libro quem de Correptione et Gratia ad Valerianum et ejus monachos edidit, inter cætera sic ait (*cap.* 1) :

[Ac per hoc et desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est. De quo ait ille : *Et dixi. Nunc cœpi. Hæc est immutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11). Liberum itaque arbitrium et ad malum et ad bonum faciendum certum est nos habere. Sed in

malo faciendo liber est quisque justitiæ, servusque A peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Nec ita ut cum quisque fuerit a peccati dominatione [*al.*, damnatione] liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potius ut ab illo audiens: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5), dicat ei et ipse: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me* (*Psal.* XXVI, 9).] † Et paucis interpositis (*cap.* 2): [Est enim, inquit, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum bonum prorsus sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo faciunt: non solum ut, monstrante ipsa, quid faciendum sit sciant, verum etiam ut, præstante ipsa, B faciant cum dilectione quod sciunt. Hanc quippe inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis, quibus dicebat: *Oramus autem ad Dominum ne quid faciatis mali: non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis?* (*II Cor.* XIII, 7.) † Et cætera quæ latius in eodem opere exsequitur. Quæ cum sit catholicæ fidei vera perfectaque consensio, nescio quem elogio tertiæ tuæ hæreseos denotare volueris, nisi beati Augustini dictorum quæ præmisimus, imo catholicorum omnium, fideliter veraciterque sequaces. Quod igitur de hac quam asseris tertiam hæresim ais, argumento prorsus superfluo, nec ad rem pertinente.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 4, num. 2, sect. 3.) Θ *Si liberum*, inquiens, *arbitrium credere non potestis, judicium mundi futurum esse non creditis.*

† Et infra.

(Num. 3.) Θ *Liberum ergo arbitrium homini a Deo datum impium est non credere.*

CORRECTIO.

† Quis unquam, nisi a fide et nomine Christiano penitus alienus, aut liberum hominis arbitrium a Conditore datum, aut judicium futurum neget? Datum igitur homini liberum arbitrium, pulsa procul omni retractatione, credimus et confitemur; sed ita a peccantibus vitiatum atque corruptum, ut prorsus nisi præveniente gratia Dei ad nullum bonum propria voluntate atque virtute possit assurgere. Quid enim habere virium ad boni quippiam per se vel ex se poterat venditus sub peccato? Qui enim sese vendere dominioque tyramni subdere liberum habuit, procul dubio jam servituti addictus, nequaquam liberari et a servitute tyrannica absolvi liberum habuit, nisi per ejus indebitam gratiam liberaretur, cujus Filio protestante didicimus, *quia si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Hoc ipse Dominus Judæis sese de nobilitate generis jactantius efferentibus et servitutis nævum a sese mendaciter abrogantibus, dicentibusque: *Nos liberi sumus, et nemini servivimus unquam*, respondisse legitur: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 33, 36). Quis enim eos nesciat primo Ægyptiis, deinde in terra repromissionis variis gentibus, ac post regni adeptam potentiam Assyriis, Chaldæis, Medis, Persis, Græcis, et ad extremum Romanis, jugo miserabili deservisse? Nam et tunc, quando hæc adversus Dominum loquebantur, Romanis subditos, eisque tributa pendentes, etiam evangelica prodit historia. Quid est ergo quod ait Dominus: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis;* Nunquid Romanos subacturus, et mundum suo terreno imperio subjecturus, sicque apud terrigenas cum his liberatis venerat regnaturus, ut ideo dixerit: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis;* cum ipse fraudulenta interrogatione sciscitantibus: *Utrum liceret censum dare Cæsari*, responderit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* (*Matth.* XXII, 17): absit hoc a fidelium cordibus, qui eum propter liberationem nostram morti proximantem terrenæque potestatis tribunalibus sponte subditum, præsidi respondisse legunt et credunt: *Regnum meum non est de hoc mundo. Si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc* (*Joan.* XVIII, 36). Unde ergo si a Filio liberarentur, eruendos liberosque futuros pronuntiat peccatis eos omnibus substratos, et maxime quod in Dei Filium non solum non crediderint, verum etiam morti eum addixerint, quis ambigat, quis ignoret?

Restat ergo ut de peccati servitio, quo inevitabi- C liter tenebantur astricti, et diaboli dominio famulabantur annexi, Dominum dixisse intelligamus: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Et ubi est illa libertas, qua de Ægyptia servitute liberati, circumcisionis mysterio in typo fundendi sanguinis Domini nostri Jesu Christi, a nexu originalis noxæ non dubitantur absoluti? Quod enim nunc in fide ejusdem sanguinis jam fusi nobiscum agit baptisma, hoc apud antiquos in fide ipsius adhuc fundendi egisse circumcisionem nullus orthodoxorum dubitat: quomodo ergo liberandi censentur, qui jam liberati noscuntur? Nisi quia secundum Apostolum qui ait: *Spe enim salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24), adhuc veram, id est perfectam, libertatem exspectamus: si enim jam liberati atque D salvati nisi in spe sumus, quare oramus ut liberemur a malo? quare clamantes dicimus Domino: *Exsurge, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum?* (*Ps.* XLIII, 26.) Liberatorum atque redemptorum qui hanc esse vocem dubitet, quis ignoret? sed, sicut præmisimus, apostolico documento instruimur: *Quia in spe salvi facti sumus. Spes autem non videtur: quod autem videt quis, quomodo sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24 seq.) Et rursum quia: *Omnis creatura ingemiscit et parturit, revelationem filiorum Dei exspectans: vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eum in spe. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei* (*Ibid.*). Apostolica igitur doce-

mur auctoritate quod liberati sumus, sed liberandi: liberati a vinculo primæ prævaricationis, liberandi ab omni vitio corruptionis; liberati in spe, liberandi in re; liberati ut cum hoste pugnemus, liberandi ut nunquam hostem metuamus. Ibi enim erit vera libertas, ubi certa securitas; ibi secura libertas, ubi nulla impugnabit iniquitas; ibi vera liberatio, ubi nulla supererit corruptio; ibi vera possidebitur libertas, ubi nulla urgebit captivitas. Hic autem ubi indefessus obsistit adversarius, ubi acerrimus continuusque cum vitiis instat conflictus, ubi libertas etiam contra votum multoties servire compellitur, humiliari nos atque auxilium gratiæ liberantis petere jugiter oportet: ita ut cum Apostolo humiliati, et nihil de propriæ libertatis viribus præsumentes dicamus: *Condelector legi* B *Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 22, 23). Hacque humilitate salubrique confusione compuncti exclamemus cum eodem Apostolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Ibid.* vers. 24). Sicque de misericordia nullatenus diffidentes subjungamus: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Ibid.* vers. 25). Ecce hostis impugnans, ecce captivitas trahens, ecce lex rebellans, ecce corpus mortis, et ubi libertas; sed audi, ubi *gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum?*

Inest igitur homini liberum arbitrium, sed ad bo- C num tam languidum, tam invalidum, tam infirmum, ut, nisi præcedente gratia, nec velle bonum possit nec agere. Unde et beatus Augustinus in libro de Dono perseverantiæ (*cap.* 7): [Non est hoc, inquit, omnino in viribus liberi arbitrii quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in angelis, qui, diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, et ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc D gratiam posuit in illo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur.]

† Quod tanto apertius quanto brevius idem beatus Augustinus in libro Enchiridion (*cap.* 30) manifestat, ubi ait: [Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum.] † His brevibus et veracibus atque fidelibus verbis beatus Augustinus infirmitatem liberi arbitrii patenter innotuit [*pro* notam exhibuit] dicendo quod homo male utens libero arbitrio, et se perdidit et ipsum, id est liberum arbitrium. Quomodo autem idem liberum arbitrium perdiderit præmissa declarant. Perdidit enim se, quia morti subjecit; perdidit liberum arbitrium, quia se hosti vendidit. Perdidit, A inquam, sed ad bonum vel volendum vel faciendum: nam ad malum semper ei adfuit servilis, ut ita dixerim, libertas, ac per hoc, ut jam vel bene velit, vel bene possit, nonnisi ad gratiam Dei pertinet per Jesum Christum Dominum nostrum. Sanetur ego ut liberetur, sanetur illius limi peruncta medicamine, quo a nativitate cæci oculi sunt sanati. Sanitate etenim opus habet qui dicit: *Ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam, quia peccavit tibi* (*Psal.* XL, 5). Et iterum: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea; et anima mea turbata est valde, sed tu, Domine, usquequo? Convertere, Domine, eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam* (*Psal.* VI, 3-5). Hac sanitate atque libertate indigebant de quibus Dominus in Evangelio dicebat: *Non est sanis opus medicus, sed male habentibus. Non enim veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam* (*Matth.* IX, 12). Et rursum: *Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). Id est venit, Filius hominis quærere fugitivum, et liberare captivum: si liber erat, quomodo perierat? sed nimirum perierat, qui a vero lumine aversus, vitiis et dæmonibus additus serviebat; ut autem liberaretur venit ille, *in quo nihil habuit princeps mundi* (*Joan.* XIV, 30), *et qui solus fuit inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 5); ad cujus veram perfectamque libertatem si pervenire desideramus, ejus præventrici atque auxiliatrici gratiæ humiliter submisseque subdamur, *qui venit quærere, et salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). Deinde subnectis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 4, num. 4, sect. 5) Θ *Non aliter debuisse fieri rationalem vitam, nisi voluntariam, cum ab ea voluntate quæ est causa omnium, creata sit ad imaginem et similitudinem sui. Aut quomodo*, inquis, *eam divina voluntas, summa videlicet universitatis ratio, quæ nulla necessitate stringitur, quoniam sua liberrima potentia potitur, imaginem sui similem faceret, si non ejus substantiam crearet, voluntatem liberam rationalem.*

CORRECTIO

† In quo quod dicis substantiam imaginis Dei, id est hominis voluntatem, liberam rationalem esse, novum quid atque antehac inauditum auribus nostris insonuit, cum voluntatem hominis substantiam ejus asseveras, quodque profusius explicas adjungendo.

JOANNES SCOTUS

(Cap. 4, num. 5, sect. 6) Θ *Hoc*, inquiens, *apertissime probatur argumento, quod sumitur ex primi hominis peccato: quamvis enim*, ais, *beatam vitam peccando perdidit, substantiam suam non amisit.*

† Et quænam esset ipsa substantia, subjungis:

(Num. 6). Θ *Quæ est*, inquiens, *esse, velle scire, Est enim et vult et scit: vult se esse et scire: scit se esse et velle.*

CORRECTIO.

† Ecce voluntatem atque scientiam hominis astruis ejus esse essentiam, quod cum tuis adinventionibus atque argumentationibus astruas, auctoritate non munis: quis enim nesciat rationalem animam esse, eique inesse velle et scire? Sed esse est ejus natura atque substantia; velle, et scire non sunt ejus substantia atque natura, sed ornamenta substantiæ, dono Conditoris attributa. Ut esset enim Creator faciendo contulit, ut vellet et sciret, liberaliter tribuit. Animam enim hominis ad imaginem sui conditoris non in velle et scire, sed in rationali mentis factam auctoritate solidissima comprobatur, dicente Apostolo: *Renovamini spiritu mentis vestræ et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV, 23); quibus verbis apostolus imaginem Dei in spiritu mentis cum justitia et sanctitate ac veritate nuncupans, non voluntatem atque scientiam ejus substantiam appellavit [a] [Liberum enim arbitrium quid, nisi libera animi voluntas? Quod ita, quantum existimo, recte definiri potest: Liberum arbitrium voluntas animi, quæ sive ad bonum sive ad malum sua sponte, sua potestate movetur. Velle naturale est nobis, sicut intelligere et meminisse. Hæc enim tria, id est intellectus, memoria, voluntas, sic insunt naturaliter animo humano, ut tamen non dicantur esse ipse animus, sed in animo. Sicut ergo istæ naturales animi affectiones, non ipse animus; quapropter illæ multipliciter variari possunt, animus idem manet.

Igitur velle naturæ, bonum autem vel malum velle, non est naturæ, sed motus quidam et officium naturæ. Nam si natura nobis esset bonum velle, vel malum velle, in utramlibet partem aliud esse non posset, sic nec ipsa animi natura aliud esse potest, essetque nobis tam naturale bene velle aut male velle, quam naturale est nobis ipsum velle: atque hoc modo jam ipsum bene velle, vel male velle, non esset in nobis virtus, aut vitium, sed natura: nec jam ullo modo esse possemus nisi aut tantummodo boni, aut solummodo mali; nec deberetur nobis juste vel in bono præmium, vel in malo supplicium: cum aliud esse minime possemus, nec ullum esset meritum nostrum, vel bonum vel malum, sed sola Conditoris aut gratia, aut (quod absit) culpa, qui talem naturam in utrolibet inconvertibilem condidisset. Igitur velle ab initio naturaliter insitum est homini: motus autem ipsius voluntatis ita ei bonus est datus, ut nisi sua sponte moveretur ad bonum, sua sponte etiam inclinaretur ad malum: essetque illi ex suæ voluntatis arbitrio meritum bonum sive malum, et consequenter justum præmium vel supplicium. Lapsus ergo homo in peccatum, non amisit esse quod a natura, non amisit velle quod est ei naturale: sed amisit bene velle, et incurrit male velle; ita mutatus est in illo, vel etiam amissus motus, vel officium naturæ, mutata est et ipsa in deterius natura; mutata tamen, non amissa. Perdidit itaque homo liberum

A arbitrium peccando, quo arte vigebat ad bonum; amisit motum et officium bonæ voluntatis, non amisit seipsum; non amisit animi naturam, sed amisit animi sanitatem, amisit bonæ voluntatis vigorem. Hoc utrumque in ea per Christi gratiam instauratur, et natura scilicet in deterius commutata, et voluntas in malum depravata. Bona itaque voluntas sanitas est liberi arbitrii, mala voluntas languor est liberi arbitrii. Hanc sanitatem amisit homo, et hunc languorem incurrit Deum deserendo, et contra voluntatem ejus faciendo. Sic homo ægrotus effectus amittit utique pristinæ sanitatis saltum, non amittit seipsum; cum autem curatus fuerit, instauratur in eo sanitas, et natura vegetatur, quæ, non fuerat perdita, sed languore corrupta.]

B Cum enim constet quod omnia quæ creata sunt, Deo auctore sint condita, nimirum liquet quia omnia quæ auctor summe bonus condidit bona sunt, attestante Scriptura: *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I, 31). Patet ergo quod omnis creatura Dei, sicut Apostolus ait, bona est. *Nulla creatura Dei non est bona* (*I Tim.* IV, 4); omnis autem voluntas hominis non est bona, quædam enim voluntas mala: non est igitur voluntas hominis creatura Dei; nulla enim creatura Dei mala, nonnulla autem hominis voluntas mala. Unde luce clarius colligitur quod voluntas hominis atque scientia non sunt ejus substantia, sed dona Dei indita humanæ substantiæ, id est animæ rationali: quibus si bene usa fuerit, servat C atque exornat in se imaginem et similitudinem Dei: si autem eis voluptuose abusa fuerit, quemadmodum et cæteris donis Dei, deformat eam nequiter ac deturpat. Quid enim sunt virtutes nisi habitus atque ornatus rationali animæ divino munere contributus? quid vero vitia, nisi animæ rationalis, a vero et summo bono aversæ, nuditas et turpitudo.

Si enim velle hominis est ejus substantia, quare dicit Apostolus: *Deus est enim qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II, 13). Profecto, quibus ista dicebat Apostolus, jam opere Dei facti erant, jam substantiam exsistendi secundum animam et corpus acceperant. Si ergo, sicut tu dicis, voluntas hominis essentia illius est, D quam jam habebant, quid necesse erat ut jam factam substantiam in eis operaretur Deus, præsertim cum verbo præsentis temporis utens, ostenderit non se de præterito et de jam facta creatura, sed de dono gratuitæ gratiæ, quod semper in nobis Dominum operari necesse est, locutum fuisse? Unde et Propheta deprecatur dicens: *Cor mundum crea in me, Deus.* Qui cum jam cor creatum haberet, et quam ob causam creandum posceret, manifestat subjungens: *Et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Psal.* L, 12); ubi declarat quia creationem pro innovatione posuerit, qua indiget sanctus quisque quandiu *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*

[a] Quæ sequuntur hac sect. et seq. integra non sunt in textu, sed in margine forsan addita.

(*Sap.* IX, 15). Si, inquam, scientia hominis est ejus essentia, quare monet Jacobus apostolus eam a Domino postulari? Ait enim : *Si quis indiget sapientia, postulet illam a Domino qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei* (*Jac.* I, 5). Et Psalmista exorat dicens : *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (*Psal.* CXVIII, 66). Stultum est enim quasi accipiendum petere quod jam habeatur. Si ergo scientia est tibi natura, quare petis ut doceatis naturam tuam?

Augustinus in libro Confessionum XIII (*cap.* 11) : [Trinitatem omnipotentem quis intelligit? et quis non loquitur eam, sed tamen rara [*al.*, si tamen eam? Rara.....] anima, quæ dum de illa loquitur, scit quod loquitur. Et contendunt et dimicant, et nemo sine pace videt istam visionem. Vellem ut hæc tria cogitarent homines in seipsis. Longe aliud sunt ista tria quam illa Trinitas; sed dico ubi se exerceant et probent, et sentiant quam longe sit. Dico autem hæc tria : esse, nosse, velle. Sum enim, et novi, et volo : sum sciens et volens, et scio esse me, et velle; et volo esse, et scire. In his igitur tribus quam sit inseparabilis una [*al.*, vita], et una vita, et una mens, et una essentia, quam denique inseparabilis distinctio, et tamen distinctio, videat qui potest. Certe coram se est; attendat in se et videat et dicat mihi. Sed cum invenerit in his aliquid et dixerit, non jam se putet invenisse illud quod supra ista est incommutabile, quod est incommutabiliter, et scit incommutabiliter, et vult incommutabiliter : et utrum propter tria hæc et ibi Trinitas; an in singulis hæc tria, ut tria [*al.*, terna] singulorum sint, an utrumque miris modis simpliciter et multipliciter, infinito in se sibi fine quo est, et sibi notum est, et sibi sufficit incommutabiliter idipsum copiosa unitatis magnitudine, quis facile cogitaverit, quis ullo modo dixerit? quis quolibet modo temere pronuntiaverit?

† Idem Augustinus in sermone de verbis Apostoli : [*Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti* (*Rom.* VII, 5). Qui ergo, non quia venisti, ad te venit, liberat te, ubi te invenit venundatum sub peccato, jacentem in mortem primi hominis, trahentem peccatum primi hominis, habentem reatum antequam habere posses arbitrium : ecce ubi te invenit, quandum parvulum invenit. Sed parvulus ætate excessisti, ecce crevisti, primo peccato multa addidisti, legem accepisti, prævaricator exstitisti : Sed noli esse sollicitus, *ubi abundavit peccatum, abundavit* [al., *superabundavit et*] *gratia* (*Rom.* V, 20). † Idem in Evangelio beati Joannis sermone (*Tract.* II *in Joan.*) *In principio erat Verbum.* Id ipsum eodem modo est, sic est, semper sic est, mutari non potest, hoc est, Deus est, quod nomen suum dixit famulo suo Mosi : *Ego sum qui sum, et misit me qui est* (*Exod.* III, 14). Quis ergo hoc capiet? Cum videatis omnia mortalia mutabilia, cum videatis non solum corpora variari per qualitates nascendo, crescendo, deficiendo, moriendo, sed etiam ipsas animas per affectum diversarum voluntatum distendi atque discindi, cum videatis homines et percipere posse sapientiam, si se illius luci et calori admoverint, et amittere posse sapientiam, si inde malo affectu recesserint. Cum videatis ergo ista omnia esse mutabilia : quid est, quod est, nisi quod transcendit omnia, quæ sic sunt ut non sint.] † Verum tu ad confirmandum quod dixeras prosequeris multiplicibus et dicis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 4, num. 7, sect. 6.) Θ *Quid ergo primus homo habuit ante peccatum quod perdidit post peccatum? Non enim adhuc habebat vitam beatam, quæ ei tribuenda fuerat, si præceptum servaret. Si dixerimus liberam voluntatem, perdidit igitur suam naturam, si autem ratio edocet nullam naturam posse perire, prohibemur dicere liberam voluntatem perdidisse, quæ sine dubio substantialis est : non enim in homine creavit Deus voluntatem captivam, sed liberam, quæ libertas post peccatum remansit.*

† Et post pauca :

(Num. 8.) Θ *An forte liberæ voluntatis vigorem potestatemque, qua sola potuit custodire præceptum, si vellet, peccando perdidit, ac per hoc vigor et potestas liberi arbitrii non erat in primo homine ex substantia, sed ex Creatoris gratia? Quod magnum munus amisit, male utens libero voluntatis arbitrio : noluit enim facere quod potuit, hoc est mandatum custodire quod post peccans non potest si velit, si gratia non juverit.*

CORRECTIO.

† Quibus dic is quantum gratiæ deroges, quando plus justo naturæ attribuis, satis claret. Nam dicendo *si liberam voluntatem perdidit, perdidit suam naturam*, falsum est : quoniam voluntas non est natura, sed ab auctore naturæ insita. Quod vero addis, *nullam naturam posse perire*, et hoc falsum est : sententia enim omnium tractatorum Ecclesiæ, aut pene omnium, in hoc vel maxime sibi concordat, quod omnis creatura Dei ex nihilo facta, partim manu Conditoris ita sit solidata, ut nunquam perire possit; partim vero in nihilum resolvatur, id est quædam ut facta sunt permaneant, quædam in melius commutanda exspectentur, quædam vero penitus deficiant ut non sint. Ac per hoc multo melius et credibilius diceres quod certum sit nullam rationalem creaturam perire posse : sicut sanctus Hieronymus in Expositione beati Pauli apostoli ad Galatas dicit (*cap.* V) : [Qui enim diligit quempiam, semper in ejus felicitate lætatur, et si eum viderit aliquo errore deceptum, et peccatorum lubrico concidisse, dolebit quidem et eruere festinabit : sed non poterit gaudium mutare tristitia, sciens nullam rationalium creaturarum apud Deum perire perpetuo] † Idem in Commentario Matthæi (*cap.* VI) : [*Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Deus pascit illa*

(*Matth.* VI, 26). Simpliciter ergo accipiendum, quod si volatilia absque cura et ærumnis, Dei aluntur providentia, quæ hodie sunt et cras non erunt, quorum anima mortalis est, et cum esse cessaverint, semper non erunt : quanto magis homines, quibus æternitas repromittitur, Dei regantur arbitrio.]

* Fulgentius in libro ad Petrum de fide : [Quosdam igitur spiritus sic Deus creavit ut semper essent, quosdam vero esse spiritus quandoque desinerent.] ┼ Et post multa : [Cæteri vero spiritus omnium animalium, quibus non est intellectus quidam eorum de terra, quidam de aquis originem ducunt. De aquis enim sunt reptilia et volatilia, de terra vero quædam quæ reptant, quædam vero quæ gradiuntur exorta sunt : tandiu spiritus sunt quandiu in corporibus vivunt. Anima quippe quæ rationis capax divinitus facta non est, cum carne sua et incipit et desinit vivere, quia quando corpori vitam non tribuit, et ipsa non vivit. Atque ita miro modo cum omni carni anima vivendi sit causa, spiritus tamen irrationalis tandiu vivit quandiu in carne manere potuerit, et dum a carne sua separatur, extenuatur [*al.*, exstinguitur]. Ita fit ut cum ipse vita carnis suæ sit, vivere ipse nequeat quando vitam carni ministrare [*al.*, subministrare] destiterit. Et si non sit caro cui vitam dare valeat, ipse quoque eam protinus non habebit. Ideo nec æternitas irrationabilibus spiritibus data est, nec aliquod eis judicium præparatur, in quo eis vel beatitudo pro bonis, vel damnatio pro malis reddatur operibus. Ideo autem in eis nulla operum discretio requiritur, quia nullam intelligendi facultatem divinitus acceperunt. Propterea igitur eorum corpora resurrectura non sunt, quia nec ipsis animabus eorum aut æquitas aut iniquitas fuit, pro qua eis æterna vel beatitudo sit tribuenda vel pœna.] ┼ Beda in Genesi :

[*Cunctis diebus terræ sementis et messis, frigus et æstus; æstas et hyems, nox et dies non requiescent* (*Gen.* VIII, 22). Cum enim dixisset *cunctis diebus* mox addidit *terræ*, ut intelligeres cunctis diebus, quibus terra modernum habitura est statum securos homines ab impetu universalis diluvii esse debere. Nec tamen defuturum tempus, quando cessante hac labentium rerum vicissitudine, quæ annuatim geritur orbis universus cum animantibus sit igne periturus.]

┼ In eodem Beda : [Idcirco requirit Deus animas hominum a bestiis vel hominibus a quibus fuerant effugatæ de corpore, quia *ad imaginem suam fecit hominem* (*Gen.* I, 26), in eo quod hunc manere ad æternitatem voluit, neque ad similitudinem animantium eum corporis morte perire.] ┼ Gregorius Dialogorum lib. IV (*cap.* 3) : Tres quippe vitales spiritus creavit omnipotens Deus, unum qui carne non tegitur, alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur ; tertium qui carne tegitur, et cum carne moritur : spiritus namque est, qui carne non tegitur, angelorum : spiritus qui carne tegitur, sed cum carne non moritur, hominum ; spiritus qui carne tegitur, et cum carne moritur, jumentorum omniumque brutorum animalium.]

┼ Quod vero addis : *Prohibemur dicere liberam voluntatem perdidisse*, et hoc falsum esse beatus Augustinus redarguit, quod et supra posuimus, cum dicit : [Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum.] Quod dixit *et ipsum* subauditur liberum arbitrium ; perdidit ergo liberum arbitrium, id est libertatem voluntatis ad boni electionem, non autem perdidit libertatem voluntatis ad mali electionem ac perpetrationem, quia qui se peccato voluntarie subdidit, nequaquam in ejus potestate, sed in dono gratiæ permansit, ut ejus inspiratione bonum vellet et posset.] ┼ Hoc ipsum edocet ipse in epistola ad Vitalem, ita enuntians : [Non est igitur gratia Dei in natura liberi arbitrii, et in lege atque doctrina, sicut Pelagiana perversitas desipit, sed ad singulos actus datur illius voluntate, de quo scriptum : *Pluviam voluntariam segregans Deus hæreditati tuæ* (*Psal.* LXVII, 10; *Rom.* VII, 12). Quia et liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, *et lex Dei atque doctrina quamvis sancta, et justa et bona, tamen occidit si non vivificet spiritus* (*II Cor.* III, 6), per quem fit non, ut audiendo, sed ut obediendo, neque ut lectione, sed ut dilectione, teneamur [*al.*, teneatur]. Quapropter ut in Deum credamus et pie vivamus, *non volentis neque currentis, sed miserantis est Dei* (*Rom.* IX, 16) ; non quia velle non debemus et currere, sed quia *ipse in nobis, et velle operatur et currere* (*Phil.* II, 13). ┼ Astipulante sancto Isidoro qui, de Gratia Dei et Libero Arbitrio disputans (*De differentiis lib.* II, *cap.* 32), hanc differentiam expedivit.

[Inter gratiæ divinæ infusionem et humani arbitrii voluntatem hoc interest : arbitrium est voluntas liberæ potestatis, quæ per se sponte vel bona vel mala appetere potest. Gratia autem est divinæ misericordiæ gratuitum donum, per quod et bonæ voluntatis initium et operis meremur effectum. Divina quippe gratia est, qua prævenitur homo ut bonus sit, nec humanum arbitrium Dei gratiam antecedit ; sed ipsa gratia Dei nolentem hominem prævenit, ut etiam bene velit. Nam pondere carnis homo sic agitur ut ad peccandum si fragilis, tepidus ad [*al.*, ad prævaricandum sit facilis, tardus ad, etc.] pœnitendum. Habet de se unde corruat, et non habet unde consurgat, nisi gratia Conditoris, ut erigatur, manum jacentibus tendat. Denique homini per Dei gratiam liberum restauratur arbitrium, quod primus homo perdiderat. Nam ille habuit inchoandi boni liberum arbitrium, quod tamen Dei adjutorio perficeretur. Nos vero et inchoationem liberi arbitrii et perfectionem de Dei sumimus gratia. Quia et incipere et perficere bonum de ipso habemus, a quo et gratiæ donum datum, et liberum arbitrium in nobis est restauratum. Dei est ergo donum quod agimus propter gratiam prævenientem et subse-

quentem. Nostrum vero est propter obsequentem liberi arbitrii voluntatem. Nam si Dei non est, cur ei gratias agimus? Et si nostrum non est, cur retritionem bonorum operum exspectamus? Proinde ergo in eo quod gratia prævenimur, Dei est; in eo vero quod bene operando [*al.*, ab bene operandum] prævenientem gatiam sequimur, nostrum est. Nemo autem Deum meritis antecedit, ut tenere eum quasi debitorem possit. Sed miro modo æquus omnibus Conditor, alios prædestinando præelegit, alios vero in suis pravis moribus justo judicio derelinquit. Unde [*al.*, inde] verissimum gratiæ munus non ex humana virtute, vel merito arbitrii cōsequi, sed solius divinæ pietatis bonitate largiri. Quidam enim gratis misericordiæ ejus [*al.*, gratissimæ... ejus, etc.] prævenientis dono salvantur, effecti vasa misericordiæ; quidam vero reprobi habiti, ad pœnam prædestinati, damnantur, effecti vasa iræ. Quod exemplo de Esau et Jacob necdum natis colligitur, qui dum essent una conceptione vel partu editi, parique nexu peccati originalis astricti, alterum tamen [*al.*, tantum] eorum ad se misericordiæ divinæ preveniens bonitas gratuito traxit, alterumque [*al.*, misericordia præveniens traxit, alterum quadam...] justitiæ severitate odio habitum in massa perditionis relictum damnavit. Sicut et per prophetam idem Deus loquitur dicens: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX, 13). Unde consequens est nullis prævenientibus meritis conferri gratiam, sed sola vocatione divina: neque quemquam salvari, sive damnari, eligi vel reprobari, nisi ex proposito prædestinantis Dei, qui justus est in reprobatis, misericors in electis. *Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10).

Quodque infers, *quæ, id est voluntas hominis, sine dubio substantialis est*, et hoc, secundum ea quæ præmissa sunt falsum est, quoniam voluntatem substantiam asserere niteris; alias autem substantialis et naturalis recte voluntas dicitur. Quæ substantialiter et naturaliter eidem substantiæ atque naturæ indita, primæ conditionis munere non ignoratur. Substantiam autem eam, id est voluntatem, esse nullatenus dicimus. Quia si substantia esset, mala non esset, quod voluntas plurimum tam in apostaticis angelis quam in perversis hominibus esse non dubitatur: omnis enim creatura Dei bona, non autem omnis voluntas hominis bona. Ex diversis enim visis diversus appetitus animarum est; ex diverso appetitu diversi sunt adipiscendi successus; ex diverso successu diversa consuetudo; ex diversa consuetudine diversa est voluntas: diversa autem visa ordo rerum facit, occultus quidem, sed sub divina providentia certus tamen. Non itaque ob hoc putandum est diversas esse naturas animorum, quia diversæ sunt voluntates, quin etiam unius animæ voluntas pro temporum diversitate variatur: siquidem alia tempore dives esse cupit, alio tempore contemptis divitiis sapiens esse desiderat, et in ipso temporalium appetitu alio tempore uni homini negotiatio, alio tempore militia placet. Et multa similia.

Quod subdis: *Non enim in homine creavit Deus voluntatem captivam, sed liberam: quæ libertas post peccatum remansit*, et hoc falsum est. Quia Deus animam liberam creavit eique voluntatem indidit liberam, non captivam: quam tamen, in deterius deflectendo, ipsa anima fecit esse captivam; quia videlicet cum adjutorio gratiæ posset eam tenere liberam, si præcepto Conditoris liberaliter obedire vellet, maluit damnabili aversione per inobedientiam venundare diabolo, a quo deinceps captiva teneretur, ac per hoc ipsa se captivam fecit, quæ vendidit, non Conditor, qui liberam creavit: perdidit ergo non substantiam, sed libertatem creavit, nec ipsam ex toto, sed ex aliquo, videlicet, ut bonum velle non posset absque gratia, et malum posset ex natura, quam non perdidit, sed in deterius commutavit. Proinde post peccatum remansit ei libertas malum et volendi et faciendi; nec tamen remansit libertas per se a malo recedendi, atque ad bonum se convertendi; quæ enim habuit ex se ut caderet, nequaquam ex se habuit ut resurgeret: unde arctatus dictis evidentissimis beatissimi Patris Augustini quem dixisse legeras quod homo ipsum idem liberum arbitrium perdidisset, ne forte veracissimis illius dictis contraire videreris, quo nullus catholicorum tuam dementiam sequeretur, vertis more serpentis huc illucque caput, et quæris quonam ictus ferientis evadas, tandemque invenis *perdidisse hominem vigorem et potestatem liberæ voluntatis*. In quo non multum a nobis discrepas: si enim vigorem et potestatem libertatis perdidit, prorsus nec libertas remansit. Quomodo enim libertas est si vigorem et potestatem non habet, quomodo libera est quæ vigore et potestate caret. Si igitur perdidit vigorem et potestatem, procul dubio perdidit et libertatem: nulla est enim libertas si careat vigore et potestate. Quis enim liber cui desunt vigor atque potestas? Ac per hoc dum ligata solvere niteris, potius illigas, et dum solvendis dolose insudas, libata nodosius innectis. Et hoc est totum quod dicimus perdidisse hominem peccando libertatem, vigorem et potestatem arbitrii, quoniam qui ex se ruere potuit, nequaquam per se surgere valuit.

Et quod ais, *qua sola* (id est potestate) *potuit custodire præceptum si vellet*, multum a pietate devias. Quantalibet enim excellentia liberi arbitrii creatura rationalis munere Conditoris eminuerit, semper tamen gratia vel fulciente, vel solidante, vel recuperante, opus habuit, quod est perspicuum in transgressoribus angelis, qui si eam fulcientem vel solidantem habuissent, nunquam procul dubio tam graviter cecidissent. Quæ quia sanctis angelis divinitus impensa est, ea et certitudinem permanendi et securitatem nunquam cadendi percipere meruerunt. Quæ idcirco peccanti homini recuperando misericorditer impenditur. quia non tam sua prævaricatione quam deceptoris suasione

coruit. Quamvis enim rationali creaturæ tantum munus, id est libertatem arbitrii, Deus contulerit, nullo modo tamen sibi coæqualem facere voluit, quin semper ejus gratia opus haberet, cujus bonitate hoc ipsum ut esset et ut liberaretur acceperat. Sed cum in verbis manifestatis atque evidentibus expositionem expravatricem adhibes, profecto veritate nebulam erroris inducere conaris. Cur enim præcedentia ejusdem loci ac subsequentia suppressisti, quibus diligenter attentis, prorsus tua expositio, depravatio errorque convincitur, quod ut manifestius fiat, totum ejusdem beati Patris, sicut ab ipso edito edita est, sententiam proponamus, quæ ita se habet:

Augustinus (*Enchir.cap.*30.32): [Verum hæc pars generis humani, cui libertatem [*al.*, liberationem] Deus regnumque promittit [*al.*, promisit] æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni operatur [*al.*, operari potest] perditus, nisi quantum fuerit a perditione reparatus? Et hoc absit [*al.*, liberatus. Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit, etc.]: nam libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum poterit resuscitare cum occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est et liberum arbitrium: *a quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est*. Petri certe apostoli est ista sententia (*II Petr.* II, 19); quæ cum vera sit, qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat. Liberaliter enim servit qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Ipsa et vera libertas ✝ propter recte faciendi lætitiam, quia simul et pia servitus, propter præceptionum obedientiam [*al.*, recti facti licentiam simul propter præcepti obedientiam]. Sed ad bene faciendum ista libertas unde erit homini addicto et vendito, nisi redimat ille cujus illa vox est: *Si vos Filius liberavit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorîatur opere, qui nondum est liber ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat? quam cohibet Apostolus dicens: *Gratia salvi facti estis per fidem* (*Eph.* II, 8).

Et ne ipsam sibi saltem fidem sic homines arrogarent, ut non intelligerent divinitus esse donatam sicut idem Apostolus alio loco dicit se, ut fidelis esset, misericordiam consecutum (*I Cor.* VII, 25), hic quoque adjunxit atque ait: *Et hoc non ex vobis sed Dei donum est*; *non ex operibus, ne forte quis extollatur*. Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursum adjecit: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* (*Ephes.* II, 8-10) Hinc ergo efficimur vere liberi cum Deus nos fingit, id est format et creat, non ut homines, quod jam fecit, sed ut boni homines simus, quod nunc gratia sua fecit, ut simus in Christo Jesu nova creatura (*Gal.* VI, 15), secundum quod dictum est: *Cor mundum crea in me Deus* (*Psal.* L, 12). Neque enim cor ejus, quantum pertinet ad naturam cordis humani, non jam creaverat Deus.

Item, ne quisquam, et si non de operibus, de ipso glorietur libero voluntatis arbitrio, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium bene operandi ipsa libertas; audiat eumdem gratiæ præconem dicentem: *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Phil.* II, 13). Et item: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16). ✝ Addis insuper ad confirmandum errorem tuum quo astruis velle in homine ejus esse substantiam, testimonium Domini dicentis in Evangelio ad discipulos suos: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5) et adjungis exponendo vel potius depravando.

JOANNES SCOTUS.

Cap. I, num. 15 sect. 8). ϴ *Non dixit, nihil potestis velle.*

CORRECTIO.

✝ Quem tuum perversissimum intellectum necesse est ut veritas atque auctoritas damnet. Ita enim sentiri cupis dixisse Dominum: *Sine me nihil potestis facere*, ac si absque illo boni quidquam possimus velle; et contradicis Apostolo, qui ait: *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate* (*Phil.* II, 13). Si ergo secundum Apostolum *Deus est qui operatur in nobis velle*, liquet profecto quia fallaciter asseris posse nos velle boni quippiam sine ipso. Quasi vero ipsa voluntas hominis non ad opus pertineat, cum Scriptura clamet Deum homines non solum pro factis, verum etiam pro cogitationibus, quæ sola voluntate fieri assolent, judicaturum; unde et per prophetam Isaiam idem Dominus loquitur: *Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis* (*Isa.* LXVI, 18); quod sanctus Hieronymus ita explanat:

Hieronymus (*in Isa. c.* LXVI, 18): [Venit ergo Deus ut opera et cogitationes congreget singulorum. Ex quo discimus non solum opera, sed et cogitationes esse in die judicii judicandas. *Qui* enim *viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V, 28). De quibus dicitur: *Nunc circumdederunt eos cogitationes suæ* (*Ose.* VII, 3); quando judicabit Dominus abscondita hominum secundum Evangelium Jesu Christi (*Luc.* VIII, 17); ut illud quodt Apostolus scribit veritate judicii comprobetur: *Invicem cogitationibus accusantibus et satisfacientibus, in die qua judicabit Deus abscondita hominum* (*Rom.* II, 15, 16); ut cogitationes nostræ omnes uno tempore congregatæ justum judicem probent, dum aut accusat nos nostra conscientia, aut satisfacit pro delicto; utrum plura sint peccata, an bona opera, et utrum vetera an nova; utrum de-

leta pœnitentia, an novis sceleribus instaurata, A quando dicit Dominus: *Vias eorum dedi in capita eorum, et cogitationes eorum reddam eis* (*Ose* IV, 9). *Qui finxit sigillatim corda eorum, et intelligit omnia opera eorum* (*Psal.* XXXII, 5). De quibus et in alio loco legimus: *Tu cognoscis corda hominum solus* (*II Par.* VI, 30). Nemo enim sit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in eo (*I Cor.* II, 11). Unde et per Jeremiam loquitur Deus: *Ego Deus appropinquans, et non de longe, dicit Dominus: nunquid abscondit se in absconditis homo, et ego ignorabo?* (*Jer.* XXIII, 23). Denique ad Scribas dicitur et Pharisæos: *Vos estis qui justificatis vosmetipsos coram hominibus: Deus autem cognoscit corda vestra* (*Luc.* XVI, 15). In quo considerandum quod non dixerit, Pater juxta hæreticorum blasphemias, ne Filium videretur excludere, sed *Deus*, quod Patri Filioque commune est: *In principio* enim *erat Verbum et Verbum erat apud Deum: et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I, 1, 2). De quo idem Joannes scribit: *Ipse autem Jesus non credebat se eis, quia sciebat omnes, et non habebat necesse ut aliquis testimonium daret ei de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine* (*Joan.* II, 24). Cui et illud congruit, *sciens autem Jesus cogitationes eorum* (*Luc.* VI, 8), et in alio loco; *Sciens autem Jesus malitiam eorum* (*Matth.* XXII, 18). Ac ne aliqua sit dubitatio hæreticis calumniam facientibus de Verbo Dei, quod noverit omnia, in Epistola quæ ad Hebræos scribitur, prolixius dicitur: *Vivens enim sermo Dei et evidens et acutus super omnem gladium bicipitem, et dividens usque ad partitionem animæ et spiritus, artuum quoque et medullarum, et judex cogitationum et sensuum cordis. Nullaque est creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis illius*, de quo *nobis sermo est* (*Hebr.* IV, 12, 13). Postquam autem omnes cogitationes in unum fuerint congregatæ, accusantes nos vel defendentes: tunc omnes gentes et linguæ cum cogitationibus suis pariter adducentur in medium. Linguas autem juxta apostolum Paulum, non solum hominum legimus sed et angelorum legimus (*I Cor.* XIII, 1). Ex quo intelligitur omnes creaturas a Domino judicandas, non solum super terram, sed in mari [*al.*, aere] et in cœlestibus, juxta quod ipse in superioribus dixerat: *Inebriatus est gladius meus in cœlo ad terramque descendet* (*Isa.* XIV, 5).]

† Siquidem cogitationes sola voluntate conceptas ad opus pertinere Propheta manifestat cum dicit: *Etenim in corde iniquitates operamini, in terra injustitias manus vestræ concinnant* (*Ps.* LVII, 3). Quæ etenim causa est ut de cogitationibus quisque judicetur, nisi quia tales sunt ut pro operibus deputatæ aut coronentur merito aut damnentur, Domino id etiam declarante, qui dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo?* (*Matth.* V, 28). Patenter indicatur hac sententia voluntatem et cogitationem ad opus pertinere, cum quis eo affectu cogitat, vult et videt, ut nihil aliud intersit quam perpetrandi facultas. Nempe mirari satis non valeo te dixisse sine Deo nos nihil posse facere, posse autem velle. Cum si secundum te nobis velle est esse, et sine dubio sine Deo esse nullatenus possimus, quomodo sine ipso velle possimus? Si enim sine Deo velle possumus, quia sicut astruis velle nobis est esse, possumus esse sine Deo. Non autem possumus esse sine Deo; sequitur ergo ut nec velle bonum possumus sine Deo. Quo enim pacto possit velle sine Deo, qui non possit esse sine Deo? Nam et si in hoc Domini sermone de solo opere intelligendum quis censet, audi quid apostolus dicat: *Fiduciam*, inquit, *talem habemus ad Dominum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo* B *est* (*II Cor.* III, 4 et 5). Ubi ostendit ipsum bonæ voluntatis concipiendæ atque cogitandæ initium non nobis esse a nobis atque ex nobis, sed ex Deo; et refellitur falsitas tua qua dixeras posse nos velle sine Deo. Fidem Dei donum esse quis ambigat? dicente Apostolo: *Vobis enim datum est a Deo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro illo* (*Phil.* I, 29). Patet autem nullum credere nisi voluntate. Quid ergo est donatum credentibus, ut in eum credant atque patiantur, nisi data divinitus voluntas, qua in illum credant quaque pro illo patiantur? Si ergo a Deo donatur voluntas in eum credendi et pro illo patiendi, nimirum constat quia sine illo nihil boni possumus velle. Ac per hoc verba Domini dicentis: C *Sine me nihil potestis facere*, ita sanius et rectius intelligenda sunt, ut *facere* ad utrumque referatur, ad factum mentis et factum corporis, quoniam utrumque opus Scriptura appellat, quod non solum facto fieri, sed etiam voluntate concipi solet.

Respiciamus sane beati Petri apostoli negationem, et perspicue quod a Deo nobis velle sit, non ex nobis, liquido cognoscemus. Qui enim propria voluntate negavit, nequaquam propria voluntate pœnituit, donec respectus desuper ad se rediit, qui paululum derelictus, ut ita dixerim, a se ipso recesserat. A se ipso, inquam, qualis fuerat quando Dominum etiam a longe sequens, in atrium principis sacerdotum intraverat. Dicit enim Evangelista: D *Postquam tertio gallus cantaverat, et respexit Dominus Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini quo dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras flevit amare* (*Matth.* XXVI, 74 *et* 75). Tantumne obsurduisti ut non audias, *respexit Dominus et recordatus est Petrus*? Non enim prius ille recordatus est, et Dominus, postmodum respexit, sed primo respexit Dominus, et post recordatus est Petrus. Prius respexit gratia, et post recordata est pœnitentia. Prius respexit misericordia, et post flevit miseria. Cujus est, quæso, nunc velle: respicientis, an post respectum recordantis donec negavit. Non utique habuit velle Dominum confitendi, respectus autem accepit velle, non solum confessionis, sed etiam confusionis. Inde est quod ait Evangelista: *Et recordatus est*

Petrus verbi Domini quo dixerat: *Antequam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras flevit amare. Recordatus est,* quia nimium de se præsumpserat dicendo: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XXVI, 35); et confessus et salubriter, quia ad vocem ancillæ negaverat damnabiliter; ideoque *egressus foras flevit amare.* Prorsus qui non prius est recordatus quam respectus, patenter indicat non a se sibi fuisse velle, sed accepisse se ab illo a quo respectus est. Ubi est nunc interpretatio tua, qua dixisti cum dixisset Dominus: *Sine me nihil potestis facere,* non dixit velle? Videsne non potuisse recordari Petrum, nisi prius Dominus respexisset, id est voluntatem recordandi ac flendi misericorditer infudisset.

Videamus etiam coapostolum ejus Matthæum, utrum et ipse gratia præventus an voluntate propria Dominum sit secutus. Scribit ipse in Evangelio suo: *Vidit Jesus publicanum sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi*: *Sequere me*: *et surgens secutus est eum* (*Matth.* IX, 9 et 10). Quod ait *vidit Jesus,* non tam ad visum hominis quam ad intuitum gratiæ respicientis debemus accipere. *Vidit* quia misertus est, *vidit* quia voluntatem se videndi infudit, *vidit* quia videri se fecit. Sedebat in telonio publicanus, lucris inhiabat, negotiis terrenis concupiscibiliter inserviebat; oculus mentis pariter cum oculis corporis ad quæstus publicos et privatos depresserat, cogitare de cœlestibus minime satagebat; nunquid dicendus est habuisse velle, quousque visus non est? et visus est et continuo voluit, quoniam visio illa de gratiæ rore manabat. Nam et quod ait *publicanum,* satis indicat quia rore superni respectus madefactus atque comollitus sit, non propria, quam necdum habuerat, voluntate conversus. In quo admiranda est nimium vis ac potentia gratiæ videntis, quæ mox ut videt perficit: videre illius nulla intercapedante morula opus est: quæ tanta vi penetravit mentem publicani, ut statim vocantem gratiam sequeretur. Agit hoc nimirum instinctu occulto Dei omnipotentia in cordibus hominum, vel lenitate, vel terrore incomprehensibili, causis nostram scientiam latentibus, ut respectum suæ gratuitæ gratiæ omni tarditate propulsa, humiliter devoteque sequantur.

Intueamur etiam illum gratuitæ gratiæ acerrimum propugnatorem et veracissimum defensorem ac fidelissimum prædicatorem, et liquido videbimus gratiæ fuisse quod talis ac tantus est, non voluntatis propriæ. Scribit de eo relator veracissimus actuum illius comesque peregrinationis ejus individuus, sanctus Lucas evangelista dicens: *Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, abiit ad principes sacerdotum. Et petiit ab iis epistolam, ut ubicunque inveniret hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem* (*Act.* IX, 1, 2). Audis lupum sævientem, et ubi voluntas? Audis persecutorem carnificinæ ovium insudantem, et ubi voluntas? Prorsus erat in eo

A velle, sed malum, cui insistebat et cui tanto studio satagebat. Audiamus sequentia: *Et contigit dum iret Damascum, circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem de cœlo dicentem sibi*: *Saule, Saule, quid me persequeris? Ille autem dixit*: *Quis es, Domine? et ait ad eum Dominus*: *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (*Ibid.*, vers. 3-5) Deo gratias, Audieramus lupum frementem, audiamus agnum mitescentem. *Quis es,* inquit, *Domine*? Prius nec hominem saltem dignabatur agnoscere, et repente tremens Dominum confitetur. Unde hoc uno eodemque momento et lupus et agnus ostenditur? Lupus antequam prostratus, prosternitur, et agnus efficitur. Prosterni-B tur ferocissimus persecutor, et erigitur mitissimus prædicator. Ferociebat et cæcatus est; cæcatur, et illuminatur. Unde, quæso te? An de proprio velle? Absit; sed de rore gratiæ. Velle ferocientis antequam prosterneretur audivimus: *Saulus adhuc spirans minarum et cædis*, audiamus et gaudeamus balatum agni mitescentis: *Quis es, Domine*? Prorsus non hoc ex voluntate propria quam, inspirante gratia, in eadem circumfulsione novam accepit. Accepit, inquam, quia minime habebat. Audi quid ipse de se testetur: *Cum autem*, inquiens, *complacuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me* (*Gal.* I, 15). Qui enim ex matris utero sese a Deo segregatum testatur, profecto C non id propriæ voluntatis, sed gratiæ prædestinantis atque vocantis fuisse declarat. Nunquid in utero matris positus habebat velle ut segregaretur antequam nasceretur, qui ab utero materno profusus atque adultus habuit velle ut tanta instantia segregatoris sui notitiam impugnaret? Minime. Accepit ergo cælesti lumine circumfulsus hanc subitam voluntatem, ut quod prius iniquissime oppugnabat, postmodum obedientissime prædicaret, Videamus an hoc ipsum idem confirmet: *Quid enim habes*, inquiens, *quod non accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7). Si igitur, secundum interpretationem tuam, velle essentialiter habebat Paulus, falsum est quod ait: *Quid enim habes quod non accepisti?* Accipere se fatebatur, utique in illa circumfulsione, quod non ha-D buisse noverat ex nativitate: accepisse se cœlesti munere gratulatur, quod se habuisse naturaliter diffitetur. Rursus abuteris ejusdem Apostoli alio testimonio, quod prorsus te non intellexisse ac per hoc pravis interpretationibus pervertisse certum est. Ais enim subjungens:

JOANNES SCOTUS

(Cap. 4, num. 16, sect. 8). θ *Et apostolus*, inquis, Velle adjacet mihi, perficere autem non (*Rom.* VII, 18).

CORRECTIO

† Quod ita intellexisse videris ut velle sibi esse dixerit ex natura, perficere autem non nisi ex gratia quam perversitatem tuam quamvis idem Apo-

stolus secundum ea quæ primissa sunt evacuet, tamen ut lucidior verborum illius intellectus pateat, ne forte nostra superbe respueres, quid de his beatus Augustinus in libro sexto (*cap.* 23) contra Julianum episcopum Pelagianum senserit, non incongrue duximus inserendum. Augustinus : Quod autem, inquiens, verba Apostoli ubi dicit : *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum*, et cætera, usque ad illud ubi ait : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII, 18-24,) me affirmas aliter intelligere quam totum ipsum caput debet intelligi. Nesciens mihi plurimum tribuis : non enim ego solus aut primus sic istum locum intellexi, quo evertitur hæresis vestra, quemadmodum vere intelligendus est : imo vero ego prius cum aliter intellexeram, vel potius non intellexeram, quod mea quædam illius temporis etiam scripta testantur. Non mihi enim videbatur Apostolus et de se ipso dicere potuisse : *Ego autem carnalis sum* (*Ibid.*, 14), cum esset spiritalis et quod captivus duceretur sub lege peccati quæ in membris erat ejus (*Ibid.*, 23). Ego enim putabam dici ista non posse, nisi de iis quos ita haberet carnis concupiscentia subjugatos, ut facerent quidquid illa compelleret ; quod de apostolo dementis est credere : cum etiam immunerabilis multitudo sanctorum, ne concupiscentias carnis perficiat, contra carnem spiritu concupiscat. Sed postea melioribus et intelligentioribus cessi, vel potius ipsi, quod fatendum est, veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum, contra carnales concupiscentias dimicantium : qui cum mente sint spiritales, adhuc tamen isto corruptibili corpore, quod aggravat animam, recte intelliguntur esse carnales, quia erunt et corpore spiritales, quando seminatum fuerit corpus animale et resurget corpus spirituale. Et recte adhuc intelliguntur ea parte : *Captivi sub lege peccati* (*Ibid.*, 23), quæ desideriorum, quibus non consentiunt, motibus subjacet. Hinc factum est ut sic ista intelligerem quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius et cæteri Ecclesiæ sancti notique doctores, qui et ipsum Apostolum adversus carnales concupiscentias quas habere nolebat, et tamen habebat, strenue conflixisse, eumdemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt. Contra quos motus prius utique debellandos, ne dominentur, et postea sanandos ut penitus exstinguantur, etiam ipse gloriosa certamina sanctos exercere confessus es. Simul itaque cognoscamus verba pugnantium, si pugnamus : hoc enim modo non vivimus nos, sed vivit Christus in nobis, si et ad pugnam contra concupiscentias exercendam, et ad victoriam usque ad consummationem eorumdem hostium capessendam, in illo fidimus, non in nobis. *Ipse* quippe *factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio, ut, quemadmodum scriptum est. Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 30, 31). Non est ergo contrarium, sicut putas, ut qui dicit : *Vivo jam non ego, vivit, vero in me Christus* (*Gal.* II, 20); dicat etiam : *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum* (*Rom.* VII, 18). In quantum quippe in illo vivit Christus, in tantum expugnat et superat quod non habitat bonum in ejus carne, sed malum. Neque enim recte cujusquam spiritus concupisceret adversus carnem suam, nisi habitaret in illo spiritus Christi. Absit ergo ut dicamus quod nos dicere insimulas, Apostolum sic ista dixisse quasi qui se vellet intelligi renitentem, in scorto aliqua manu pestiferæ voluptatis adduci, cum dicat, *non ego operor illud* (*Ibid.*, 20) ; ostendens concupiscentias carnis solum impulsum libidinis operari sine consensione peccati. Quid est quod in Judæorum superbiam frustra conaris ista verba transferre, tanquam ipsos in se transfiguraret Apostolus, qui contemnebant dona Christi, velut sibi non necessaria. Sic enim suspicaris, atque utinam ipsa dona Christi saltem ita saperes, ut ad vincendam concupiscentiam valere aliquid crederes. Sed ideo dicis a Judæis fuisse contempta, quod veniam daret ille peccatis, quæ in legis [*al.* ipsi legis] admonitione vitassent. Quasi hoc conferat homini remissio peccatorum ut caro non concupiscat adversus spiritum ; unde illa verba nata sunt : *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum*, et cætera hujusmodi. Verum tu a vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata et desideria vincenda carnalia, *diffundendo charitatem in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui ab illo datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Neque consideras eum qui dicit : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, et ab hoc malo non se liberari clamat, *nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 23, 25) ; nec Judæum esse, nec quia peccavit, sed ne peccet potius laborare. Exasperat, inquis, Apostolus vim consuetudinis. Tu ergo responde, utrum contra istam vim non dimicet baptizatus ? Quod si negas, omnibus Christianis sensibus contradicis : si autem dimicat, cur non in verbis Apostoli vocem dimicantis agnoscis ? Per legem, inquis, bonam, et per mandatum sanctum pravorum animi feroces erant [*al.* ferocierant], quoniam sine voluntate propria nulla eruditio poterat inspirare virtutem. O acutum intellectorem ! o divinorum eloquiorum egregium tractatorem ! quid agis de verbis dicentis : *Non quod volo ago* ; et : *Velle adjacet mihi* ; et : *Quod nolo, hoc ago* ; et : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem?* Audis hæc, et dicis, quia voluntas defuit, ideo defuisse virtutem. Quid quod non solum voluntas, verum etiam virtus adfuit, ne consentiret concupiscentiæ carnis, quæ legi peccati pravis ipsis motibus serviebat. Quibus ille non cedens, nec arma iniquitatis exhibens membra peccato, et tamen quod nollet sentiens in carne contra spiritum concupiscente, et adversus eam vicissim spiritu concupiscens, verissima castitatis voce dicebat : *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.*

† Idem in quarto Augustinus (*cap.* 3) : [Bonam A dicis hominum naturam quæ talis gratiæ opitulationem meretur ; quod gratanter audirem, si hoc propterea quia natura rationalis est, diceres. Neque enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum lapidibus aut lignis pecoribusve præstatur. Sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam, non tamen ut ejus bona voluntas possit præcedere præter gratiam, ne vel ipsa prior det ut retribuatur illi, ac sic gratia jam non sit gratia (*Rom.* xi, 35), dum non donatur gratuita, sed redditur debita. Quid est ergo quod secundum modum vestrum effectum voluntatis humanæ dona cœlestia me credideras nuncupasse ? tanquam voluntas hominis sine Dei gratia moveretur ad bonum, ut ei debitus a Deo retribueretur effectus ? Itane oblitus fueras nos B cum Scriptura dicere contra vos : *Præparatur voluntas a Domino* (*Prov.* viii, 35, *sec. LXX*) ; vel quod *in nobis Deus operetur et velle* (*Phil.* ii, 13). O ingrati gratiæ Dei ! O inimici gratiæ Christi, et solo vocabulo Christiani ! Nonne pro inimicis suis orat Ecclesia ? Quid orat, obsecro ? Si ut eis suæ voluntatis retribuatur pretium, quid eis orat, nisi grande supplicium, quod jam contra eos est, non pro eis ? Orat autem pro eis : non ergo quia est illis voluntas bona, sed ut convertatur in bonam voluntas mala. Quoniam *præparatur voluntas a Domino*, et *Deus est enim*, ut ait Apostolus, *qui operatur in vobis et velle.*]

† His beati Augustini præferendis expositionibus luce clarius perdocemur, verba illa apostolica ho- C minem describere sub gratia constitutum, contraque carnis suæ concupiscentiam puritate mentis pugnantem, non ab eadem gratia alienum. Ac per hoc sub gratia constitutus dicit ; *Velle adjacet mihi* (*Rom.* vii, 18) : hoc est, voluntas mihi ex dono gratiæ inest, ut castus sim et caste vivam ; *perficere autem non*, repugnante videlicet concupiscentia carnis, cujus stimulos et titillationem per omnia exstinguere nequeo, dum *corpus quod corrumpitur, aggravat animam,* non a gratia alienus, qui necdum hanc voluntatem ex gratiæ munere perceperat. Nam quod ait : *Mente servio legi Dei*, idem dicit : *Velle adjacet mihi.* Et quod ait : *Carne autem legi peccati,* idem est cum dicit : *Perficere autem non.* Itaque si velle natura nobis est, id est essentia, veluti asseris, omnes homines id habere quis D nesciat ? Omnes autem homines, præter quos gratiæ respectus illustrat, non habere voluntatem caste vivendi, et adversus carnis concupiscentias dimicandi, quinimo obstinatissime et ardentissime eis subdi, quis ignoret ? Si ergo secundum te omnes homines habent essentiam velle, non autem omnes homines habent velle ut resistant, imo habent ut obediant concupiscentiis carnis, patet profecto nequaquam ex naturæ bono id omnes homines assequi, sed ex largitate gratiæ eos tantummodo *qui prædestinati sunt in filios Dei,* ut per eamdem gratiam possint *conformes fieri proprii et unici Filii Dei* (*Rom.* viii, 29). Quod vero adjungis dicens :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 4, num. 17, sect. 8.) ϴ *Item quod ait idem Apostolus* : Non volentis neque currentis, sed Dei est miserentis (*Rom.* ix, 16), *non aliter intelligitur nisi dum sit volens et currens. Naturaliter enim hæc duo insita sunt homini. Siquidem vult, unde est volens; et appetit beatitudinem, unde est currens :* non volentis, neque currentis *bona opera vel inchoare, vel agere, vel perficere : hoc enim* est miserentis Dei *donum.*

CORRECTIO.

† Satis apparet te ad perversum tuæ interpretationis intellectum confirmandum ista exaggerare, ideoque verba apostolica in aliud quam ab eo dicta sunt detorquere. Quod enim dicis non aliter intelligi, *non volentis, neque currentis*, nisi dum sit volens et currens, id est dum ex natura habeat velle et currere, falsum est. Non enim Apostolus de naturæ voluntate et cursu agebat, sed de homine qui, jam per gratiam illuminatus, voluntatem et cursum, id est actionem boni operis, acceperat, ne forte post gratiam illustrantem propriis viribus de cætero cum Pelagianis fideret, et absque adjutorio gratiæ sese posse præsumeret. Cum autem dicis : *Naturaliter enim hæc duo insita sunt homini*, recte diceres, si non te aliter intelligere circumstantia comprobarent. Nam insitum homini naturaliter velle et currere, id est naturæ factæ ab auctore concessa, quemadmodum et alia suæ munia largitatis catholica fatetur Ecclesia : naturam autem esse voluntatem prorsus non recipit : tu econtra nitens, tantum gratiæ derogas, dum naturæ ultra veritatem arrogas, ut mirabili, cæcitate tam lucidæ veritati impudentius obvians, crebrius quam necesse sit eadem inculcare non erubescas. Et ideo subnectis :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 4, num. 18. sect. 8.) ϴ Non *tamen* volentis neque currentis *bona opera vel inchoare, vel agere, vel perficere, hoc enim* est miserentis Dei *donum.*

CORRECTIO.

† Ut ostendas voluntatem et appetitum, quem cursum nominas, non esse prævenientis Dei donum, sed miserentis, id est retribuentis et adjuvantis munus. Et ubi est quod idem Apostolus proclamat : *Quid enim habes quod non accepisti ?* (*I Cor.* iv, 7.) Et rursum : *Quis enim novit sensum Domini : aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen* (*Rom.* xi, 34, 36). Si enim ex te, id est natura, voluntatem et appetitum boni habes, sequitur inchoare, agere seu perficere, non miserentis Dei donum, sed retribuentis sit munus, et falsum erit quod ait Apostolus : *Quis prior dedit illi et retribuetur ei ?* Si, inquam, tibi ex natura voluntas et appetitus boni fuit, nimirum constat quia tu prior dederis Deo voluntatem tuam, quam ille vel inchoandi, vel agen

di, vel perficiendi munere. Rebributum est igitur A tibi justitia repetentis, non datum munificentia gratuito largientis. Quia vero, omni ambiguitate seclusa, verum est quod Apostolus ait : *Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei ?* profecto liquet quod ipsa voluntas atque appetitus boni donum sit gratiæ prævenientis, non naturæ existentis lippientis. *Quid enim habes quod non accepisti ?* Si ergo boni voluntatem habes, procul dubio accepisti : accepisti autem non naturæ cæcutientis bono, sed gratiæ miserentis dono. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia,* procul dubio et liberalitas bonæ voluntatis, *ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen* (*Rom.* XI, 36). Hinc beatus Augustinus in retractatione propositionum Epistolæ ad Romanos ita loquitur :

Augustinus (*Retract. lib.* I, *cap.* 23) : [Proinde B quod continuo dixi : Dicit enim eidem Apostolus : *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus* (*I Cor.* XII, 16); nusquam autem dictum est : Deus credit omnia in omnibus ; ac deinde subjunxi : Quod ergo credimus nostrum est ; quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum, profecto non dicerem si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, et utrumque tamen datum per Spiritum fidei et charitatis. Neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est: *Charitas cum fide a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo* (*Eph.* VI, 23). Et quod paulo post dixi : Nostrum est C enim credere et velle, illius autem dare credentibus et volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, *per quem charitas Dei diffunditur in cordibus nostris* (*Rom.* V, 5), verum est quidem, sed eadem regula, et utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem ; et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam postea dixi, quia neque velle possumus, nisi vocemur ; et cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, et cursus noster, nisi Deus et vires currentibus præbeat et perducat quo vocat ; ac deinde subjunxi : Manifestum est ergo *non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse* (*Rom.* IX, 16), quod bene operamur ; omnino verissimum est. Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei : non D enim omnium qui vocatur talis est, sed tantum electorum. Itaque quod paulo post dixi : Sicut enim in iis quod eligit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur ; sic in iis quos damnat, infidelitas et impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam male operentur ; verissime dixi, sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei nec putavi quærendum esse, nec dixi. Et alio loco : Cujus enim miseretur, inquam, facit eum bene operari ; et quem obdurat, relinquit eum, ut male operetur. Sed et illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, et ista obduratio præcedenti impietati. Quod quidem verum est ; sed adhuc quærendum erat utrum et meritum fidei ex misericordia Dei veniat, id est, utrum ista misericordia ideo tantummodo fiat in homine quia fidelis est, an etiam facta fuerit ut fidelis esset. Legimus enim dicente Apostolo : *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem* (*I Cor.* VII, 25), non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam ut esset fidelis. Rectissime itaque alio loco in eodem libro dixi : Quoniam si non ex operibus, sed misericordia Dei et vocamur ut credamus, et credentibus præstatur ut bene operemur, non est gentibus ista invidenda misericordia, quamvis minus ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum fit, vocatione tractaverim.]

✠ Quod apostolicum testimonium quo sensu accipi debeat beatus Augustinus in libro Enchiridion (*cap.* 32) manifestat dicens [Item ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero voluntatis arbitrio, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium, bene operandi ipsa libertas ; audiat eumdem gratiæ præconem dicentem : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II, 13). Et alio loco : *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16). Cum procul dubio, si homo ejus ætatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare et diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate currerit. Quomodo ergo *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, nisi quia et ipsa *voluntas*, sicut scriptum est, *a Domino præparatur* ? (*Prov.* VIII, 35 *sec. LXX.*) Alioquin si propterea dictum est, *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia ex utroque fit, id est ex voluntate hominis, et misericordia, ut sic dictum accipiamus : *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, tanquam diceretur : Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei : non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis : ac per hoc si recte dictum est, ***non volentis** hominis, sed miserentis est Dei*, quia id voluntas hominis sola non implet, quare non et e contrario recte dicitur : Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet ? Porro si nullus dicere Christianus audebit, Non miserentis Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea recte dictum intelligatur : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia ; quæ autem non præcedit ipsa, in eis est et ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis : *Et misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11) ; et : *Misericordia ejus subsequetur me* (*Psal.* XXII, 6). Nolentem prævenit ut velit ; volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus pie vivere, nisi ut Deus in eis opere

tur et velle [*al.*, ut velint] ? Itemque cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus ? Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia Dei præveniat eos, sicut prævenit et nos : oramus autem pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos].

÷ Huic asseverationi tuæ (*cap.* 4, *num.* 19, *sect.* 8) adhibes exemplum hominis in densissimis tenebris positi, habentis sensum videndi quidem, sed nihil videntis, quia nihil possit videre antequam extrinsecus veniat lux, quam etiam oculis clausis sentiat, apertis vero et eam et in ea cuncta circumposita conspiciat, et explanans sic voluntatem hominis quandiu originalis peccati propriorumque umbra tegitur, ipsius caligine impediri ; dum autem lux divinæ misericordiæ illuxerit, non solum noctem peccatorum omnium eorumque reatum destruere, sed etiam obtutum infirmæ voluntatis sanando aperire, et ad se contemplandum bonis operibus purgando idoneam facere. Sed quæro abs te cujus hominis voluntatem quandiu originalis peccati priorumque umbra tegitur, ipsius caligine impediri dicas ? Utrum baptizati, an nondum gratiam baptismatis consecuti ? Si enim nondum baptizati velis intelligi, certum est ita tenebris tam originalis quam proprii peccati quemque obscuratum, ut nisi respectu divinæ gratiæ nec bonum possit scire nec velle : percepto vero cœlestis rore misericordiæ, eaque ab originalis propriorumque peccatorum labe purgatus, et baptismatis mysterio innovatus, progressu temporis et incremento fidei, bonisque operibus adhærentibus, et voluntatem atque appetitum boni et procursum perfectionemque actionis bonæ et facultatem contemplationis divinæ assequi minime dubitatur. Sin de homine jam Christianæ fidei mysteriis initiato intelligendum censes, mirum est cur originalis eum peccati caligine impediri dicas, quod ei jam in baptismate relaxatum Ecclesia catholica veraciter confitetur et prædicat : quod quam sit a fide catholica alienum sole clarius patet.

Et quod ais lucem divinæ misericordiæ obtutum infirmæ voluntatis sanando aperire, et ad se contemplandum bonis operibus purgando idoneam facere : quomodo est libera, si infirma ? Qui enim infirmatur nequaquam libertatem et facultatem faciendi quod voluerit, habere convincitur, aut quomodo sentit lucem non videndo, qui penitus ignorat lucem ? Perpende quam multi sint qui lucem aut nunquam viderunt aut oculis capti videre nunquam possunt. Quo pacto igitur sentire lucem non videndo dicitur, qui facultatem vivendi nullam habere comprobantur? Recede ergo a vitiatæ naturæ morbo, et quære diligentius gratiæ curantis medicamentum, ut, assecuto prævenientis dono, consequi etiam perfectionis consummationem et gloriam opitulantis valeas adjumento. Cerne tot millia parvulorum, qui, inter ipsa baptismatis sacrosancta mysteria vix satagentium sacerdotum manibus undis vivifici fontis educti, exspirantes

A ad regna cœlestia perducuntur : quæ in eis voluntas naturæ ? quæ libertas eos ad tantam beatitudinem sustollit? Nulla indubitanter propria. Quid ergo? Nimirum gratuita gratia Dei miserantis, non retributio substantiæ volentis. Quomodo est enim gratia, si non gratis datur ? Nam si tua præcedit voluntas, jam non gratia, sed retributio vocanda est, quæ non datur gratis, sed rependitur præcedentis merito voluntatis. Et evacuatur sententia Apostoli dicentis : *Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei ?* (*Rom.* XI, 35.) Quia vero, explosa omni ambiguitate, verum est quod Apostolus dicit, sequitur ut falsum sit quod mendaciter et impudenter asserere non metuisti. Libere igitur ac fideliter confiteatur Ecclesia catholica gratiam Dei gratis, B id est nullis naturæ voluntatis aut appetitus meritis dari, et gratias non cesset rependere tanti muneris largitori, quoniam verum est quod *nullus prior dederit illi, ut retribuatur ei. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Reclamat adversum te Propheta : *Deus meus,* inquiens, *misericordia ejus præveniet me* (*Ps.* LVIII, 11). *Præveniet* utique inspirando bonam voluntatem, non inveniendo ; si enim inveniret, nullatenus præveniret. Quia igitur prævenit, non utique invenit. Unde et per prophetam Dominus pollicetur : *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XI, 19). Quid hoc loco cordis nomine nisi voluntas ? quid lapidis nisi duritia ? quid carnis, C nisi mollitudo intelligitur ? *Auferam* ergo *a vobis* voluntatem duram, qua meis præceptis ac voluntati obstinate resistitis, *et dabo vobis* voluntatem mollem, id est non repugnantem ; sed docilem et meis disciplinis habilem, qua meis præceptis meæque voluntati benevolentissime obsequamini.

Quod si prævenire te misericordia Dei ad inchoandum tantum, non etiam ad volendum dixeris, vide quot quantisque catholicis tractatoribus contraeas, qui hoc non solum de inchoatione operis boni, verum etiam inspiratione voluntatis bonæ sanissime intellexerunt et fidelissime prædicaverunt. Fulgentius, in libro de Fide, ad Petrum diaconum : [Deus autem misericors et justus, sicut diabolo atque angelis ejus propria cadentibus voluntate, D cæteros angelos in suæ dilectionis æternitate firmavit, sic etiam humani generis massam non totam in sempiternum perire permisit : sed quos voluit ejus gratuita bonitas, repulsit tenebris in quibus omnis humana nativitas peccati originalis condemnatione versatur, reducendos prædestinavit ad lucem. In eo præcipue demontrans quod istos originalis peccati vinculis indebita gratia liberatoris absolveret, cum alios, et quam maxime parvulos, quibus nulla possunt vel bona vel mala inesse propriæ materia voluntatis, insolubili nexu æterna damnatio retineret. Bonæ quoque voluntatis et cogitationis initium non homini ex se ipso nasci, sed divinitus et præparari et tribui, in eo Deus evidenter ostendit, quia neque diabolus, neque

aliquis angelorum ejus,ex quo ruinæ illius merito A in hanc sunt inferiorem detrusi caliginem, bonam potuit aut poterit resumere voluntatem,quia si possibile esset ut humana natura, postquam a Deo aversa bonitatem perdidit voluntatis,ex se ipsa rursus eam habere potuisset,multo possibilius hoc natura haberet angelica, quæ,quanto minus gravatur terreni corporis pondere,tanto magis hac esset prædita facultate.Sed ostendit Deus unde bona voluntas hominibus detur,quam sic amiserunt angeli cum haberent,ut amissam deinceps habere non possint] † Idem post aliqua Fulgentius : [Qui enim eos tales prædestinando præparavit, ut regno digni essent, præparavit utique secundum propositum vocandos ut obediant, præparavit justificandos, ut, accepta gratia, recte credant et bene vivant; præparavit B etiam glorificandos,ut, Christi cohæredes effecti,regnum cœlorum sine fine possideant : ad quod regnum diversis temporibus per sacramenta, quæ ad fidem incarnationis suæ Christus instituit,illi pervenerunt,quos Deus gratis, nullo bonæ voluntatis vel boni operis merito præcedente, salvavit.]

† Beatus Innocentius, apostolicæ sedis antistes, ad Afros episcopos contra Pelagium scribens (*epist.* 61): [Liberum enim, inquit, arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus,nihil quemadmodum exinde surgere possit, invenit, suaque in æternum libertate deceptus,hujus ruina jacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus.] † Episcopi Africanæ provin- C ciæ ducenti quatuordecim in epistola ad beatum Zozimum, Romanæ sedis episcopum (*apud Prosperum contra Collat.*, *caput* 10) : [Constituimus, inquiunt, in Pelagium atque Cœlestium per venerabilem episcopum Innocentium de beatissimi apostoli Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari : ita ut sine illa nihil veræ justæque (*al.*, sanctæque) pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.] † Sanctus Zozimus papa ad universum orbem contra Pelagianos scribens : [Nos tamen, ait, instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur), ad fratrum et coepisco- D porum nostrorum conscientiam universa retulimus.] † Quam ejus veracem sententiam Afri episcopi veracissimam approbantes, ita ad eum rescribunt : [Illud vero quod in litteris tuis, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuit dicens : Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur), ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus, sic accepimus dictum ut illos, qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis velut cursim transiens amputares ; quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti ? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter, sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti. Ideo utique quoniam *præparatur voluntas a Domino* (*Prov.* 8, *sec.* LXX), et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum : *quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII), 14). Ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.]

† Prosper,vir eloquentissimus atque doctissimus, scribens jam inde adversum te sub nomine Cassiani, Pelagianæ hæreseos assertoris, ita inter cætera locutus est (*Contra Collat.*, *cap.* 11 : [Quid de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studes arma colligere ? Quid cineres exstincti dogmatis refovendo deficientis fumi nidorem in redivivam flammam conaris ascendere ? Non est periculum liberi arbitrii ex gratia Dei, nec voluntas aufertur cum in ipsa bene velle generatur. Nam si ideo non putanda est nostra,quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur, spoliantur libertate filii Dei, *qui aguntur Spiritu Dei* (*Rom.* VIII, 14), perdunt vigorem rationalis animi, et omni voluntariæ devotionis laude privantur, quibus datur *Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ, ac pietatis, et timoris Domini* (*I Cor.* XII). Prorsus qui his reformationibus se non putant indigere,de veteris morbi consuetudine in phrenesim transierunt; respuunt(*al.*,respuentes) remedium clamant. insaniunt, reluctantur. Sed si promissionis sunt filii,quiescent et sanabuntur.] † Idem in eodem (*Ibid.*, *cap.* 8). [Falso ergo secundum hanc definitionem ante dixisti non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur et consummat in nobis, sed hoc nullo modo ex aliqua parte potest esse falsum : quia [*Al.*. cui] nequaquam inferri contraria debuerunt, ut quod recte professus es ex gratia incipere, id postea confirmare per naturæ bonum et per liberum arbitrium nos habere. Dicit quidem beatus Apostolus: *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII, 18) ; sed idem dicit : *Non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5).Et idem dixit : *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II, 13). Non ergo Apostolus sibi contrarius est : sed quia cum donatum nobis fuerit bonum velle, non statim invenimus et facere,nisi petentibus,quærentibus atque pulsantibus, ut qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox namque ista dicentis, *velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio,* vocati est, etiam sub gratia constituti, qui condelectatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, sed *videt et aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in lege peccati* (*Rom.* VII, 23) ; et quamvis acceperit scientiam recte volendi, virtutem tamen in se non invenit eorum quæ optat operandi, donec

pro bona voluntate quam sumpsit, virtutum mereatur facultatem invenire, quam quærit (*al.*, mereatur invenire qui faciat.

† Sanctus Fulgentius, vir absque cunctatione eruditissimus ac fidelissimus, in libro de Fide ad Petrum diaconum (col. 360) : [Firmissime tene, et nullatenus dubites, neminem hic posse hominem pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita sua miseratione converterit. Apostolus enim dicit : *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem et resipiscant a diaboli laqueis* (*II Tim.* II, 25). Firmissime tene, et nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia litterarum nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctæ legis et Evangelii sive legere, sive ex ore cujusquam prædicatoris audire, sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua prævenerit. Ut quod audit corpore, corde etiam mente percipiat, et accepta divinitus bona voluntate atque virtute, mandata Dei facere et velit et possit : *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus* (I *Cor.* III, 7); *Qui etiam operatur in nobis et velle operari* [*al.*, perficere] *pro bona voluntate* (*Phil.* II, 13].

Beda venerabilis presbyter in homilia Evangelii de adventu Domini, cum exponeret : *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus et gratiam pro gratia* (*Joan.* I, 16), subjunxit : [Quia ergo de plenitudine Conditoris nostri non quidam, sed omnes quidquid boni habemus accepimus, curandus summopere est ne quispiam de bona actione vel cogitatione incautus extollat, nisi ingratus largitori remanserit, perdat bonum quod accepit, ac digne apostolica increpatione percellatur, qua dicitur : *Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* ? (I *Cor.* IV, 7). Unde ipse Apostolus, quia nihil dignum nosse vel operari posset, si non de plenitudine Christi acciperet, alibi manifeste testatur, dicens : *Non quia sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficienta nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5). Et alio loco : *Et gratia ejus*, inquit, *in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi : non autem ego, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10). Quod ipsum suis auditoribus humiliter cogitandum sedulus inculcat ; unde est illud : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II, 12, 13). Cum autem dixisset evangelista nos omnes de plenitudine Christi accepisse, confestim subjunxit et ait, *gratiam per gratia*. Geminam ergo nos gratiam accepisse testatur, unam videlicet in præsenti, alteram vero in futuro : in præsenti quidem fidem, *quæ per dilectionem operatur*, in futuro autem vitam æternam. Fides quippe, *quæ per dilectionem operatur*, gratia Dei est, qui, ut credamus, ut diligamus, ut operemur bona quæ novimus, non ullis præcedentibus meritis nostris, sed ipso largiente, percipimus, qui dicit : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis et fructum afferatis* (*Joan.* XV, 16). Et ut vitam propter fidem, dilectionem et opera bona, percipiamus æternam, gratia Dei est, quia ne a bono deviemus itinere, ipso duce semper opus habemus, cui dicitur : *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulem in veritate tua* (*Ps.* LXXXV, 11). Ac si aperte dicatur : Nisi te duce ingrediens viam veritatis, quam cœpi tenere, nequaquam sufficio. Ne in bonis deficiamus operibus, illius auxilio debemus semper inniti, qui ait, *Quia, sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). Unde recte Psalmista, ut initium fidei et bonæ actionis a Domino nobis dari signaret, ait : *Deus, meus, misericordia ejus præveniet me* (*Ps.* LVIII). Ut bona quæ agimus illo opitulante perficienda doceret, iterum dicit : *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ* (*Ps.* XXII, 6). Ut mercedem vitæ æternæ, quæ bonis redditur operibus, gratis tribui nobis ostenderet, ait : *Qui coronat te in miseratione et misericordia* (*Ps.* CII, 4). In misericordia quippe et miseratione nos coronat quando propter bona opera quæ nobis ipse misericorditer exercenda donavit, supernæ beatitudinis præmia retribuit ; et hoc est quod dicitur *accipere nos gratiam pro gratia* : quia nimirum pro gratia bonæ conversationis quam dedit, et ne deficere possit ipse servans adjuvat, dabit gratiam beatæ remunerationis in qua misericordias ejus in æternum, cantemus. Denique Apostolus ipsam vitæ æternæ perceptionem, quæ utique meritis præcedentibus redditur, gratiam vocare non dubitavit : qui cum præmisisset *stipendium peccati* esse mortem (*Rom.* V, 13), noluit econtrario dicere stipendium justitiæ esse vitam æternam, sed ait, *gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro* (*Ibid.*); non quia non juste meritis bonis a justo judice datur, sed quia ipsa merita quibus dantur, primo sunt gratis a pio Salvatore donata.]

† Gregorius in Moralibus, lib. XXII (*cap.* 5): [Sancti autem viri sciunt post primi parentis lapsum de corruptibili stirpe se conditos, et non virtute propria, sed præveniente superna gratia ad meliora se vota vel opera commutatos : et quidquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sentiunt meritum ; quidquid vero in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui et præveniendo dedit eis bonum velle quod noluerant, et subsequendo concessit bonum posse quod volunt.] † Hæc tot tantorumque doctorum agente in eis incunctanter Spiritu sancto concordissima veritas veracissimaque concordia confirmatur nihilominus totius sanctæ catholicæ Ecclesiæ humillima fidelissimaque ac jugi petitione, quæ in precibus Domino non cessat continuo supplicare dicens : « Deus, qui omnes in Christo renatos genus regium et sacerdotale fecisti, da nobis velle et posse quæ præcipis, ut populo ad æternitatem vocato una sit fides cordium et pietas actionum. Et item : « Largire nobis, Domine, quæsumus, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt propi-

tius et agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. » Item : « Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere.» Unde et sanctus Innocentius ad Afros episcopos in condemnationem Pelagiani erroris scribens, preces Romanæ Ecclesiæ gratiam Dei sonare dicit. Consurge nunc Lernæum monstrum, et tuo quadruvio fidem atque humilitatem totius orbis destrue, ut nullus te prohibente audeat credere quod petit, aut humiliter petere quod veraciter credit. Infla utrem tui arbitrii, ut evacues gratiam Christi, quem impugnas, quem persequeris, cujus gratiam evertere conaris. Nempe illius qui Saulo adhuc prætumido cœlesti tonitruo increpitans, dixit : *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (*Act.* IX, 5).

Finxeras initio hujus venenivomæ tuæ perioches (*cap.* 4, *n.* 29. *sect.* 1) trium hæreseon diversitates, quarum primam Pelagianam, secundam Gotteschalcanam nuncupaveras, tertiam absque auctore et nomine interponens, quam vel maxime in processu ipsius oppugnare pervicaciter non destitisti, quam nos nequaquam hæresim, sed fidem catholicam et asserimus at probamus, fatentes veracissime et constantissime divinitus nobis voluntatem boni gratis, id est non merentibus nec ullatenus habentibus, dari, perindeque adjuvari ut quod ejus inspiratione bene volumus ipsius adjutorio bene operemur, beneque perficiamus, non ex vitiatæ naturæ bono id possidentes, sed ex indebitæ gratiæ dono consequentes. Prævenimur enim Dei gratia, ut bene velimus, subsequimur ne frustra velimus : canentes Domino cum Psalmista : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Ps.* LVIII, 11), *et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ* (*Ps.* XXII, 6). Nisi forte tu solus auctoritatem apostolicæ sedis evacuans, concordiam totius mundi pestifere dissipans, omnes sacramentorum codices aut eradi aut oblitterari, censor potentissimus, judicabis, et cum Antichristo contra Deum deorum loquens, in templo Dei sedere conaberis tanquam sit Deus (*II Thess.* II, 4). Quid enim Deo relinquis, qui tibi a te velle confingis ? Sed tu mirificus hæreticorum debellator, ita Pelagianos confutas, ut tamen ipse Pelagianos esse convincaris. Qui sic unam partem Pelagianorum detestaris, ut atteram contirmare modis omnibus comproberis : nam dicendo nos absque Dei gratia bona inchoare, vel agere, vel perficere nullatenus posse, nobiscum Pelagianos refellis ac proteris : dicendo vero velle nobis essentiam esse, procul dubio Pelagianos foves, qui in tantum de naturæ bono intumuerant, ut et velle et posse sibi suæque potestati ascriberent, neque ex gratuitæ gratiæ largitate id se consequi confirmarent, quibus te pertinaciter assentiri nullus qui ea quæ præmissa sunt fideliter intelligenterque legit, poterit ignorare. Verum quia de his satis esse putamus, ad cætera non minoris impudentiæ portenta, juvante Domino, videnda transeamus.

CAPUT V

De eo quod præscientia et prædestinatione Dei nemo compellitur seu bene seu male facere.

Post hæc quinto blasphemiarum tuarum tomo iterata repetis, et repetita fastidiosius iterare non desinis, more nimirum illius qui Eliu, qui non ipse quidem meretur a Domino argui, sed de eo ad beatum Job dicitur : *Quis est ille involvens sententias sermonibus imperitis* (*Job.* XXXVIII, 2.) Quod cum cavere pernecessario debuisses, maluisti multiloquis arrogantius incubare quam veritati purissimæ tenacius inhærere. Dicis enim argumento præscientia Dei prædestinatione ejus peccata non effici, videlicet ut quemadmodum præscientia Dei peccata quæ præserit, fieri non cogit, ita ejus prædestinatio peccata quæ nunquam prædestinat, fieri non efficiat,

JOANNES SCOTUS

(Cap. 5, num. 1, sect 1.) Θ *Si enim*, inquis, *præscentia non omnia quæ præscivit, facit, quo pacto prædestinatio omnia quæ non prædestinavit, efficit? Præscientia sua Deus malefacta hominum futura creditur non prædestinasse : quomodo ergo putatur facere?*

CORRECTIO.

† Et cætera, quæ etiam B. Augustini sententia confirmat. Quasi vero aut quisquam tam dementis animi sit, qui id negare præsumat, aut libros memorabilis Augustini præter te nullus aut legerit aut intellexerit ; concludis ergo et dicis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 5, num 2, sect. 3.) Θ *Quocirca firmissime fatendum est simul fieri non peccatorum, quæ Deus in creatura sua permittit, præscientiam ejus, qua ea præscivit, causam non esse: prædestinationem vero ejus, qua ea non prædestinavit, causam esse.*

† Hoc et nos dicimus, Deinde adjungis :

(Num. 3.) Θ *Quidquid autem de peccato vel generali vel speciali conficitur, necesse est de ejus quoque pœna sentiatur.*

CORRECTIO.

† Quod si eodem modo dicis ut præscientia et prædestinatio Dei, sicut non est causa peccati, ita non sit causa pœnæ peccati, non erras : si vero ita ut Dei præscientiam et prædestinationem non peccatis disposuisse et irrogasse merito pœnam sentias, multum erras; continuoque subnectis :

JOANNES SCOTUS.

(Num. 4.) Θ *Poena peccati mors est : quidquid ergo de peccato dicitur, necesse est de morte dicatur.*

CORRECTIO.

† Et in hoc si Dei præscientiam et prædestinationem causam non esse mortis dicas, et nos sequimur. Si vero prœdestinatorem, dispositorem, irro-

gatorem retributoremque earumdem negas, vehementer erras. Dicit enim Scriptura in libro Ecclesiastico : *Non est dicere : Quid est hoc et quid est illud? omnia enim in tempore suo quærentur. Benedictio illius quasi fluvius inundabit. Qomodo cataclysmus aridam inebriavit, sic ira ipsius gentes quæ non exquisierunt eum hæreditabit. Quomodo convertit aquas in siccitatem, et siccata est terra, et viæ illius viis illorum directæ sunt, sic peccatoribus offensiones in ira ejus. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona et mala. Initium nessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis et ferrum, lac et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum. Hæc omnia sic sanctis sunt in bonis* [al., *sanctis sic sunt in bona*], *sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur. Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua : in tempore consummationis effundent virtutem et furorem ejus, qui fecit illos, confundet* [al., *placabunt*]. *Ignis, grando, famis et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt ; bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et rhomphæa vindicant in exterminium impios. In mandatis ejus epulabuntur et super terram in necessitate præparabuntur, et in temporibus suis non præterient verbum* (*Eccli.* XXXIX, 26-37. Et item : *Ad hæc mors, sanguis et contentio, et rhomphæa, oppressiones famis, et contritio, et flagella: super iniquos creata sunt hæc omnia, et propter illos factus est cataclysmus* (*Eccli.* XL, 9). Deinde exponis de qua morte dixeris.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 5, num. 5, sect. 3). θ *Non* inquiens, dico *de omni morte, sed tantum de illa quæ sequitur peccatum. Dicimus enim, Morimur peccato id est merito peccati morimur.* Item,*Morimur peccato dicimus dum liberati a peccato justitiæ vivimus. Si ergo omnis peccati causa nec in præscentia Dei, nec in ejus prædestinatione sit, constituta, evidentissime omnis mortis quæ sequitur peccatum, sicut in Dei præscientia causa non est, in ejus similiter prædestinatione non esse certissimum est.*

CORRECTIO.

† Quibus verbis conaris asserere mortem corporis, quæ utique sequitur peccatum, auctore Deo, id est judice, non esse, videlicet eo tuæ mentis intentionem porrigens, ut prædestinationem a præscientia in nullo differre confirmes, veluti sequentia demonstrabunt. Et quod ais ;

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 5, num. 6, sect. 3.) θ *Si ergo omnis peccati causa nec in præscientia Dei, nec in ejus prædestinatione sit constituta, evidentissime omnis mortis quæ sequitur peccatum, sicut in Dei præcientia causa non est, in ejus similiter prædestinatione non esse certissimum est.*

CORRECTIO.

† Satis mirari nequeo quamobrem subito mutare volueris disputationis ordinem, ut qui prius dixers: Dei præscientiam et prædestinationem causam non esse peccati, vel ejus pœnæ, mortis, postea diceres in Dei præscientia et prædestinatione causam non esse mortis quæ sequatur peccatum : cum aliud videatur dici Dei præscientiam et prædestinationem non esse causam peccati, vel pœnæ, vel mortis ; aliud in Dei præscientia et prædestinatione causam non esse peccati, pœnæ, vel mortis. Dei enim præscientia et prædestinatio non est causa peccati, pœnæ, vel mortis, quia non ipsa compellit vel jubet quempiam peccare, ut peccans pœnas luat et mortem subeat, quia non est auctor peccati, sed judex, ultor atque punitor. In Dei autem præscientia non esse dicitur causa peccati, quia in ea præscivit voluntatem animæ rationalis malam esse futuram, quæ, aversa a vero et summo bono, deflecteretur voluptuose ad infirma bona, id est peccaret. Quam, id est voluntatis aversionem, esse causam peccati nullus ambigit ; qua sola fit ut culpabiliter damnabiliterque peccetur, nec tamen eadem præscientia quis impellitur ad peccatum. In prædestinatione quoque Dei nullatenus dicitur causa esse peccati, quia nullum ut peccaret prædestinavit, aut jussit, aut compulit ; sed in ejus prædestinatione sicut et præscientia retributio dicitur pœnæ et mortis, quia disposuit atque judicavit ut quos certissime peccaturos atque in peccatis perseveraturos præsciverat, juste pœnis dignissimis plecterentur. Quod tu quia negare susceperas, et tamen usquequaque negare non poteras, subjungis dicens :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 5, num. 7, sect. 3.) θ *Quamvis sancti auctores modo quodam abusivæ locutionis soleant dicere prædestinatos ad mortem, vel interitum, vel pœnam, de quo postea, prout Dominus aperuerit, dicimus.*

CORRECTIO.

† Ubi quia figmenti tui demonstrationem differs, et nos responsionem veritatis interim differamus : quibus dilatis reverteris ad id quod plus justo astruxeras, voluntatem naturam tibi esse, non donum. Dicis enim :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 5, num. 8, sect. 4.) θ *Nunc interim considerare debemus utrum sicut Deus nec præscientia nec prædestinatione sua neminem compellit peccare, ita neminem compellat pie vivere. Ubi intuendum est nullius voluntatis esse veram libertatem, si aliqua causa eam coegerit. Igitur si humanam voluntatem aliqua causa præcedit, quæ eam invitam extorqueat ad bona malave vel cogitanda vel agenda, sequitur non solum non esse eam vere liberam, sed penitus eam non esse. Ubi enim est causa quæ compellit, ibi non est natura quæ velit. Atqui humana natura non solum voluntas est, sed et libera, nec ejus libertas falsa, sed vera est.*

CORRECTIO.

† De his licet superioribus et auctoritate et Patrum concordia satis actum sit, non abs re tamen

videtur si tecum paululum desipiamus, et ex superfluo eadem repetamus. Quod ergo ais: *Nullius voluntatis esse veram libertatem si aliqua causa eam coegerit*, conaris astruere voluntatem humanam nullo divinæ inspirationis munere præveniri, quia invitam ad bonum aliquod non vis impelli. Qua de re cum argumentationibus vanis tempus insumpseris, operæ pretium fuerat te consulere veritatem, et quidquid auctoritas suaderet edicere. Quid est, quæso te, quod postulans Propheta precatur: *Converte nos, Domine, et convertemur ad te* (*Thren.* v, 21)? Quomodo enim convertit nos, nisi, præveniente gratia, voluntatem convertendi misericorditer infundendo? Ipse enim prior convertit, quia voluntatem ad se convertendi inspirat; et nos convertimur ad eum, quia vocantis gratiam ipso adjutore humiliter sequimur. Nunquid dicendi sunt corda non habuisse, quibus secundus Machabæorum liber inter orandum fratribus imprecari dicit: *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum et faciatis ejus voluntatem* (*II Mach.* I, 3)? Si enim cor eos habuisse dubium non est, quid necesse fuerat petere eis dari quod habebant, nisi quia cordis nomine voluntatem bonam, videlicet colendi Deum et faciendi ejus voluntatem, volebant intelligi. Dicendo ergo, *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum et faciatis ejus voluntatem*, nihil aliud quam, det vobis voluntatem, ut colatis eum et faciatis ejus voluntatem, debet sentiri.

Si autem ad amandum timendumque Deum nullus compellitur, quid est quod Dominus per Prophetam dicit: *Faciam ut in præceptis meis ambuletis et judicia mea custodiatis* (*Ezech.* XI, 20)? Quid est quot tot comminationibus in propheticis scriptis superna miseratio erga peccatores uti legitur, quibus eos ab errore converteret? Lege prophetas et eorum veracissimum explanatorem Hieronymum, et ibi patenter invenies quia Deus multis terrorum generibus, et tunc usus fuerit, et nunc uti non desinat, quibus peccantes ad pœnitentiam, id est bonam voluntatem, convertat, ad quam minime verterentur nisi aversi fuissent. Cum autem divinitus convertuntur, humiliter prostrati postulare non desistunt: quod poposcisse legunt eum qui adulterio fœdatus homicidioque turpatus, tandemque a propheta, Domino jubente, correptus, post prolatam in hujusscemodi a seipso mortis sententiam, cum audiret se ipsum esse qui eidem sententiæ subjaceret, dicendo (mortem continuo subsequentem metuens), *Peccavi* (*II Reg.* XII, 7, *etc.*,) postmodum inter fletus et lacrymas suppliciter precabatur dicens: *Cor mundum crea in me, Deus*, etc. (*Psal.* L, 12). Qui utique cor habebat, sed immundum, quique quod a se sibi neque esse, neque fieri posse certissime sciebat, a Domino creari humiliter deposcebat. Quemadmodum et alius propheta Domino confitens, aiebat: *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat et corrigat gressus suos. Corripe me, Domine: verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me* (*Jer.* X, 23, 24). Qui dum

A se corripi postulat, nimirum non in voluntate propria correctionem suam, sed in Dei miserentis correptione saluberrima consistere manifestat. Unde et alias admonens paterno affectu filium instruit, dicens: *Fili mi, ne deficias a disciplina Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim diligit Deus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III, 11; *Hebr.* XII, 5, 6). Et iterum patrem commonet: *Tunde latera filii tui dum infans est* (*Eccli.* XXX, 12). *Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu enim virga percutis eum, et animam ejus de inferno liberas* (*Prov.* XXIII, 13. 14). Et Apostolus: *Omnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudii, sed mæroris; postea autem fructum pacatissimum reddet justi-*

B *tiæ exercitatis* (*Hebr.* XII, 11). Et item: *In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Si autem extra disciplinam estis, videte cujus filii estis* (*Ibid.*, 7, 8). Et iterum: *Corripite inquietos* (*I Thess.* V, 14). Et rursum: *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant* (*I Tim.* V. 20). *Et item*: *Argue, obsecra, increpa, cum omni imperio* (*II Tim.* IV, 2). Deus quoque, sicut in Evangelio dicitur (*Joan.* II, 15), cum fecisset quasi flagellum de funiculis, *omnes ejecit de templo.* Qui etiam in Apocalypsi loquitur: *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* III, 19). Cur et Propheta gratulabundus aiebat: *Castigasti me, Domine, et eruditus sum quasi juvenculus indomitus. Converte me et revertar, quia*

C *tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam, et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ* (*Jer.* XXXI, 18, 19). Et alius gloriatur dicens: *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me* (*Ps.* CXVII, 18); et multa alia, quæ longum et non necessarium est persequi, quoniam legentibus in propatulo sunt.

Verum quia in hac tuæ perversitatis assertione (*cap.* 5, *num.* 10, *sect.* 5) compulsativam tuam causam frequenter nominas, petenda necessaria nobis est sempiternæ sapientiæ gratia, ut nobis aperire dignetur idem vocabulum ita in sacris eloquiis positum, quo tua mortua jactantia com-

D primatur. Refert sanctus evangelista Lucas, cum parabolam hominis cœnam magnam facientis multosque vocantis describeret, dixisse dominum servo: *Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea* (*Luc.* XIV, 23); unde et beatus Gregorius in homilia ejusdem lectionis (*hom.* 36, *in Evang.*) ait:

[Notandum vero quod in hac invitatione tertia non dicitur Invita, sed *Compelle intrare.* Alii enim vocantur, et venire contemnunt; alii vocantur et veniunt; alii autem nequaquam dicitur quia vocantur, sed compelluntur ut intrent. Vocantur et venire contemnunt, qui donum quidem intellectus accipiunt, sed eumdem intellectum operibus non sequuntur. Vocantur et veniunt, qui acceptam intellectus gratiam operando perficiunt; quidam vero

sic vocantur, ut etiam compellantur. Nam sunt nonnulli qui bona facienda intelligunt, sed hæc facere desistunt; vident quæ agere debeant, sed hæc ex desiderio non sequuntur. His, ut superius diximus, plerumque contigit ut eos in carnalibus desideriis suis mundi hujus adversitas feriat; apprehendere temporalem gloriam conentur et nequeant; et dum per alta pelagi quasi ad grandiores curas hujus sæculi navigare proponunt, semper adversis flatibus ad dejectionis suæ littora repellantur. Cumque se frangi in desideriis suis, adversante mundo, conspiciunt, quid de se auctori suo debeant commemorantur [*al.*, commonentur], ita ut ad eum erubescentes redeant, qui eum superbientes pro mundi amore deserebant. Sæpe namque nonnulli ad temporalem gloriam proficere volentes, aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti injuriis concidunt, aut percussi gravibus damnis affliguntur, et in mundi dolore vident quia nihil confidere de ejus voluptate debuerunt, seque ipsos in suis desideriis reprehendentes, ad Deum corda convertunt. De his quippe Dominus per Prophetam dicit: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos; quæret et non inveniet eos, et dicet: Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc* (*Ose.* II, 6). Vir uniuscujusque fidelis animæ Deus est, quia hæc videlicet ei est conjuncta per fidem. Sed illa, quæ conjuncta Deo fuerat anima, amatores suos sequitur, quando mens quæ jam per fidem credidit, adhuc se immundis spiritibus in operatione substernit, mundi gloriam quærit, carnali delectatione pascitur, exquisitis voluptatibus nutritur. Sed plerumque omnipotens Deus talem animam misericorditer respicit, et ejus voluptatibus amaritudines permiscet. Unde dicit: *Ecce ego sepiam vias tuas spinis.* Viæ enim nostræ spinis septæ sunt, quando in hoc quod male cupimus, dolorum punctiones invenimus. *Et sepiam eas maceria et semitas suas non inveniet.* Viæ enim nostræ maceria sepiuntur, cum desideriis nostris duræ in hoc mundo objectiones resistunt. Et semitas nostras invenire non possumus, quia hoc quod male quærimus, adipisci prohibemur. *Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos; quæret et non inveniet eos*; quia malignos spiritus, quibus se in desideriis suis anima subdidit, ad desideriorum suorum effectum minime comprehendit. Sed de hac salubri adversitate quanta utilitas nascatur, adjungit cum subditur, *Et dicet*: *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia mihi bene erat tunc magis quam nunc.* Postquam ergo vias suas spinis septas invenit, postquam amatores suos apprehendere non valuit, ad amorem viri prioris redit; quia plerumque postquam in hoc mundo non possumus obtinere quæ volumus, postquam in terrenis desideriis de impossibilitate lassamur, tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit qui [*al.*, quod] displicebat, et is cujus nobis amara fuerant præcepta, repente dulcescit in memoria, et peccatrix anima, quæ adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, decernit esse fidelibus conjux. Qui ergo hujus mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque a præsentis vitæ desideriis corriguntur, quid isti, fratres charissimi, nisi qui compelluntur ut intrent?]

† Ecce Veritas dicit, *Compelle intrare*, et tu dicis nullam compulsativam causam præcedere voluntatem hominis ad bonum. Prædicator veritatis, te quoque assentiente veracissimus, modo etiam exponit quibus animæ humanæ ad bona, ut ita dixerim, volenda compellantur: et tu econtra susurras non solum non esse vere liberam voluntatem, sed penitus eam non esse. *Ubi enim est*, inquis, *causa quæ compellit, ibi non est natura quæ velit.* Videamus quid etiam sanctus Hieronymus in Expositione Osee prophetæ (*in cap.* II, *vers.* 6) super memorato capitulo sentiat, qui cum historiam juxta utramque editionem poneret, exponendo adjunxit: [Dixerat meretrix: *Vadam post amatores meos*, qui omnium rerum mihi abundantiam præbuerunt; respondit Dominus: *Ego sepiam viam tuam spinis*, sive sudibus, ne possis ire quo desideras, et interponam maceriam, sive murum, et semitas tuas quas crebro triverant pedes [*al.*, triverat pede] non invenies, ne apprehendas eos, quos tanto studio sequebaris, et verum necessitate compulsa reverteris ad virum tuum, et dicas illud de Evangelio: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei*: *Pater, peccavi in cœlum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis* (*Luc.* XV, 17-19). Ex quo intelligimus quod providentia Dei sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus, et variis calamitatibus hujus sæculi ac miseriis ad Dei servitutem redire cogamur. *Amatores* autem Jerusalem et gentis Judææ, secundum historiam illius temporis, Assyrios atque Chaldæos et Ægyptios, nationesque cæteras intelligamus, cum quorum idolis fornicata est, a quibus bellorum tempore et promentibus malis frustra speravit auxilium. Hos *amatores*, juxta intelligentiam spiritalem, sequuntur hæretici, a quibus sæpe deserti, malorum pondere ad sinum matris Ecclesiæ revertuntur. Per omnia enim flagella atque tormenta eruditur Israel.

† Advertamus utrumnam prodigus filius compulsus an sponte redierit, qui cum in potando partem substantiæ suæ prodigeret, et peregre profectus; adhæsit uni civium regionis illius, ubi cum horis (*sic*) porcorum illius inserviret, cœpit et egere, et cupiebat saturari de siliquis quas porci manducabant, et nemo illi dabat? tandemque in se reversus dixit: *Quanti mercenarii patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Longe quippe a se discesserat quando peccabat, et si non esurisset, in semetipsum minime redisset: qui postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit quid de spiritali-

bus amisit. Refert quoque liber Dabrejamin quod Manasses multis impietatibus sese adversus Deum erexerit, a quo humiliatus et Babyloniis traditus, atque in carcere catenatus, recordatus Domini Dei egerit pœnitentiam adhuc in carcere vinctus, sicque et a vinculis absolutionem et regni pristini meruerit restitutionem (*II Par.* XXXIII, 11). Quid de Antiocho rege nefario replicem? qui cum, ut alia quæ super eo referuntur taceam, contra Dei populum, cultum templumque ejus adeo fureret, et circumcisionem prohiberet, leges illius aboleret, atque in templo Hierosolymis suam Jovisque Olympii statuam constitueret, ad extremum percussus cœlitus morbo insanabili, ita ut fetorem illius exercitus ferre nullatenus posset, infructuosa pœnitentia confessus est Deum esse verum, quem eatenus impugnaverat; sesequ Judæum futurum, Deo serviturum, aliaque plura facturum compellente nimirum dolore nimio cassis pollicitationibus fatebatur (*II Mach.* IX, 7-17).

Quod autem ad mala etiam multi compellantur, etsi exempla deficerent, quotidianus rerum exitus poterat edocere, cum videamus sæpissime quosdam fame, alios morbis, plerosque minis et terroribus cogi, et ad tantam scelerum immanitatem prorumpere, ut fides fortassis dicentibus demeretur, si non instantia manifestæ visionis factorum certitudinem intimaret. Quanti pro dolor! in martyrio positi ab ineunte ætate integritatem fidei morum probitate commendantes, ad extremum tormentis exquisitisque pœnarum generibus coacti sunt negare quod hactenus constanter visi fuerant prædicasse. Unde et in libro Machabæorum legitur quia jussu regis Antiochi compellebantur Judæi porcinam carnem manducare, et alia multa agere contra leges divinitus promulgatas (*II Mach.* VI, 18; VII, 1). Quamvis et Apostolus identidem de seipso parique conditione ingemiscentibus non taceat cum dicit: *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio* (*Rom.* VII, 15). Et rursum: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis ejus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Ibid.*, 23-25), et cætera quæ ad eumdem sensum pertinentia latius exsequitur. Antichristus quoque quanta fidelibus aliisque, partim suasionibus, partim muneribus, nunc signis, nunc terroribus sit illaturus, ut Deus credatur, et propheticæ et apostolicæ Scripturæ patenter innuunt, et præcipue ipse Dominus, qui cum adventus ejus præstigias efficientiasque detestabiles perindeque importabiles prædiceret: *Erit enim*, inquit, *tunc tribulatio talisqualis non fuit ab initio sæculi neque fiet, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XIV, 23). Ecce judex omnium induci terrorum immanitatibus, si fieri possit, etiam electos testatur, et tu audes obstrepere, nulla compulsativa causa præcedente, quempiam vel ad bonum vel ad malum cogi? Sed quia fieri non potest ut electi in illum errorem plene inducantur, datur intelligi quia plene inducentur qui non sunt electi. Audis tribulationem talem futuram qualis non fuerit ab initio sæculi, qua inducantur in errorem, et audes garrire nullam compulsativam causam præcedere.

Quæ cum ita sint, nullatenus tamen aufertur libertas arbitrii, sed talibus sempiternæ sapientiæ modis, voluntatibus atque consiliis vel ad hoc compellitur, ut ex servili fiat liberalis, et de cætero libera servitute liberatori suo liberata deserviat; aut deserta pro meritis tenacius delectabiliusque servili libertati inhæreat, ut impleatur utrumque quod in Apocalypsi terribiliter dicitur: *Sanctus sanctificetur adhuc, et justus justificetur adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11); quatenus utrobique propria voluntate delectabiliter, sed diverso fomite nitentibus, justus judex juste rependat unicuique quod merentur. Proinde nulli quamlibet tenuiter consideranti restat ambiguum quia falsum sit quod dixisti: *Ubi enim est causa quæ compellit, ibi non est natura quæ velit.* Quid enim? nunquid non est natura homo, qui secundum præcedentem auctoritatem, nunc ad bona, nunc ad mala, prout vult ille qui omnia judicat, compellitur: alius sic, alius autem sic? Certum est autem prævaricatores angelos Dominum nostrum Jesum Christum nunquam voluisse aut velle a quopiam prædicari: quos tamen Filium Dei confessos evangelica narrat historia; dicunt enim: *Quid nobis, et tibi, Fili Dei, venisti ante tempus torquere nos?* (*Matth.* VIII, 29) Quibus verbis profecto indicant eorum testimonium nequaquam fuisse amoris et laudis, sed timoris, nec voluntarii, sed inviti, neque honoris munia sponte solventis, sed inter tormenta et verbera quod extorquebatur invite confitentis. Quod cum negari nequeat, quis eos asserat perdidisse naturam cum jam olim irrecuperabiliter bonam perdiderint voluntatem? quæ cum non sit unquam per Dominum nostrum Jesum Christum liberanda atque sananda, cui non pateat falsam esse definitionem tuam qua dixisti: *Ubi enim est causa quæ compellit, ibi non est natura quæ velit*?

Compulsos esse ad confitendum Deum dæmones, ipsa eorum verba testantur quibus dicunt: *Venisti ante tempus torquere nos;* profecto qui torquebantur, constat quia inviti confitebantur. Ecce cum apostatarum naturam angelorum nequeas abnegare, voluntatem eorum bonam post primæ aversionis ruinam irrecuperabilem nunquam poteris invenire, quorum cor tanta obstinatione induruit, ut nunquam ad bonum eorum pertinacia molliatur. De quorum etiam capite Dominus ad beatum Job loquitur: *Cujus cor indurabitur, ut malleatoris incus;* Et rursum: *Qui factus est, ut nullum timeret* (*Job.* XLI, 15, 24). Qui enim nullum timet, videlicet nec ipsum Deum, claret procul dubio quia bonam voluntatem perdiderit, non naturam. Natura autem ejus quia bona sit, quis ignoret? *Vidit enim Deus cuncta quæ fecit, et erant valde bona*

(*Gen.* I, 31). Unde et sæpe in Scripturis sanctis Domini Spiritus appellatur, sed cum additamento vel malus, vel nequam, vel aliud quid ; ne bonitas voluntatis ejus ulla putaretur, quam cum semel amiserit, nunquam recepturus, nunquam creditur habiturus. Nisi forte ei cum Origene pœnitentiam repromittis, et post multa sæculorum curricula status perditi decus integrum atque dignitatem, et honorificentiam quam in conditione perceperat, polliceris ; cum Dominus se in judicio impiis dicturum testetur : *Ite*, inquiens, *in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). *Æternum* dixit non finitivum, nec temporalem, quem et alibi *inextinguibilem* nuncupat, ut ejus terminus nullus unquam fieri credatur. Quod si negare volueris, parati sumus, largiente Domino, pro viribus respondere. Si vero non id de angelica, sed de humana natura te dixisse responderis, cohibebunt hunc sensum ea quæ jam superius multoties inculcasti : rationalis creaturæ, angelorum scilicet atque hominum, hanc fuisse arbitrii libertatem. Est igitur natura, ut ad hominem redeamus, quæ compellitur ut velit bonum quod nolebat, imo fugiebat atque oppugnabat. Compellitur utique ut velit libere, utique cœlitus boni voluntate percepta, deinceps libera teneatur divinitus atque fulciatur ne frustra velit. Sequeris deinde et dicis :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 5, num. 13, sect. 4.) θ *Atque humana non solum voluntas est, sed et libera ; nec ejus libertas falsa, sed vera est : quamvis ipsa libertas post peccatum in tantum vitiata sit, ut pœna ejus impediatur ne aut recte vivere velit, aut si velit non possit* : *de qua miseria* liberatur, *ut ait Apostolus*, gratia Dei per Jesum Christum (*Rom.* VII, 25) ; *manente tamen adhuc naturali libertate, quæ intelligitur beatitudinis appetitu, qui ei naturaliter insitus est.*

CORRECTIO.

† Quo igitur pacto affirmas liberam, quam post peccatum in tantum asseris vitiatam, ut pœna ejus impediatur, ne aut recte vivere velit, aut si velit non possit ? Quomodo libera dicitur, quæ recte vivere non vult ? quomodo libera prædicatur, quæ si recte vivere velit, non possit ? Quis enim liber dicitur, si non libertate propria pro sui voluntate utatur ? Quis cæcus lumen videre possit, si velit ? quis claudus aut debilis, vel agere, vel ambulare possit, si velit ? Potest ei inesse voluntas ; nunquid libertas ? Non enim est liberum vel cæco videre, vel claudo ambulare, vel muto loqui, vel surdo audire, vel mente capto intelligere. Hæc tamen exempla ad hoc sunt adhibita, ut libertas [*f.* voluntas] deesse libera comprobetur, non ut voluntatis bonæ vel malæ inductio vel depulsio confirmetur. Mirum quippe valde est liberam dicere voluntatem, quæ aut non velit quod volendum sit, aut si velit, omnino non possit. Hoc licet jus disputatiunculis astruas, nunquam auctoritate poteris approbare. Quippe in id totis viribus elaborans ut prorsus gratiam abroges liberantis, sine qua (ut se habet sana, orthodoxa catholicaque doctrina) nullus initium saltem bonæ voluntatis concipere vale aut valebit.

Cum vero dicis : De qua miseria *liberatur* (ut ait Apostolus) *gratia Dei per Jesum Christum*, manente tamen adhuc naturali libertate ; mirum si non etiam libertatem, sicut et voluntatem naturam asseveras : cum veritas ea naturæ divinitus concessa atque attributa prædicet et defendat. Unde post, Si Dominus voluerit videbimus. Quod vero nullo modo concedendum, censes aliquam causam compulsativam, sive bonam vive malam præcedere voluntatem hominis, seu alterius rationalis naturæ, ne ab ea meritum suæ libertatis auferatur, sive bonum si bene vixerit, cooperante divina gratia, sive malum, si male vixerit, suo motu irrationabili perversoque, satis apparet Pelagianorum te dogma perversissimum confirmare. Quos cum in una parte confutaveris, in altera defendis. Cum vero in quibusdam compellentis gratiæ donum orthodoxe in bonis prædicetur, nullatenus libertatis meritum aufertnr, sed ut esse possit, tribuitur atque adjuvatur. Cum vero in malis compulsativa necessitas dicitur, neque ibi meritum libertatis aufertur, sed accrescentibus malis, atque de bono quod prius habuerat in malum conversis severius judicatur atque damnatur.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 5, num. 15, sect. 5). θ *Proinde in quibus nulla causa constringit hominem seu bene seu male vivere.*

CXRRECTIO.

† Et quidem quod Apostolus apud Corinthios eum qui uxorem patris sibi contra fas copulaverat, *tradi* jubet *Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini* (*I Cor.* V, 5) : quid est quod et auctoritas canonica præcipit, et consuetudo Ecclesiæ tenet ad coercenda vitia, uti verberibus, carceribus, nervis, excommunicationibus aliisque compluribus disciplinæ medentis generibus. Unde beatus Augustinus in libro Enchiridion, cum de dimittendis peccatis ageret (*cap.* 72), inter cætera dixit : [Et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus quod ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur : non solum in eo quod dimittit vel [*al.* atque] orat, verum etiam in eo quod corripit et aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordia præstat. Multa enim bona præstantur injustis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati, qua ipsi sibi inveniuntur esse inimici ; amici vero eorum potius illi quos inimicos putant, et reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Christianus non debeat, nec pro malis.] † Hinc beatus Gregorius in expositione beati Job, lib. VI, cap. 13 : [*Porro salvum faciet egenum de gladio oris eorum et de manu violenti pauperem (Job* V, 15). Pauper quippe est quisquis apud semetipsum elatus non est. Unde per Evangelium Veritas dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.*

v, 3). Duobus autem modis ad culpam unusquisque A pertrahitur; aut delectatione enim ducitur, aut terrore superatur. Gladius namque oris est iniquitas persuasionis; manus autem violenti est adversitas potestatis. Sed quia veraciter humilis, qui hoc loco pauper vocatur, quo nulla hujus mundi prospera appetit, eo audenter etiam adversa contemnit, recte dicitur: *Salvum faciet egenum de gladio eorum, et de manu violenti pauperem*. Ac si aperte diceretur: Sic in se Deus mentes humilium solidat, ut eas ad perpetrandum nequitiam nec blandimenta suasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum frangant.]

✝ Jam vero quod addis, *Deum omnium bonorum non esse causam necessariam, sed voluntariam*, volens eo argumento perversum motum rationali substantiæ ostendere non esse causam ne- B cessariam, sed voluntariam, debueras advertere beati Augustini sententiam, quam tu quoque ante inserere voluisti ex libro ejus quem de dono Perseverantiæ sapienter fideliterque conscripsit, in quo ita loquitur (*cap.* 7): [Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret, quia nihil nobis reliquit in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem ut non discedamus a Deo non ostendit dandum esse nisi a Deo, cum poscendum ostendit a Deo: qui enim non infertur in tentationem, non discedit a Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbibrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præ- C stantia quantum valuerit apparuit in angelis, qui, diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, et ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere ut homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur (*Ephes.* I, 11).] ✝ Audis quia nihil nobis reliquit, audis non esse hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet? Audis, post casum autem hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, et audes impuden- D tissime tantisper tibi arrogare liberam voluntatem? fuerat certe in homine antequam caderet, sed nunquid absque gratia? Absit. Post casum autem hominis nonnisi ad gratiam Dei pertinet ut homo accedat ad eum, id est nonnisi per gratiam Dei voluntatem accipit ut velit accedere ad Deum per Jesum Christum Dominum nostrum; sicut et ipse dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum* (*Joan.* VI, 44). Audis trahentem, et ubi liber? Audis tractum, et ubi libera voluntas? Qui trahitur, profecto invitus trahitur: si invitus trahitur, procul dubio nolens ducitur. Sed ut ex nolente fit volens, audi quod adjunxit: *Est scriptum in prophetis*: *Erunt omnes docibiles Dei* (*Ibid.*, *vers.* 45). Si ergo omnes qui a Patre trahuntur ad Filium *erunt docibiles Dei*, liquet profecto quia non ex se habeant voluntatem veniendi ad Filium, sed a Patre trahente accipiant voluntatem atque scientiam, ut et velint et sciant venire ad quem trahuntur.

De hac gratia gratuita, quam tantopere negando impugnas, beatus Augustinus in libro Enchiridion, cum de utraque substantia Filii Dei loqueretur, ait (*cap.* 36): [Hic omnino granditer et evidenter gratia Dei commendatur, Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo fieri [*al.*, ut fieret] una persona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium præstitum est, ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo quam Dei Filius, et hoc unicus, et propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ista sit Christus una persona, Verbum et homo. Unde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic et sola Dei gratia fideliter et sobrie considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines per eamdem gratiam se justificari a peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum posset habere peccatum. Sic et ejus matrem angelus salutavit, quando ei futurum nuntiavit hunc partum: *Ave*, inquit, *gratia plena*. Et paulo post: *Invenisti*, ait, *gratiam apud Deum* (*Luc.* I, 28, 30). Et hæc quidem gratia plena, et invenisse apud Deum gratiam dicitur, ut Domini sui, imo Domini omnium mater esset. De ipso autem Christo Joannes evangelista cum dixisset: *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis; et vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14, 15). Quod ait *Verbum caro factum est*, hoc est plenum gratiæ, quod ait *gloriam unigeniti a Patre*, hoc est *plenum veritatis*. Veritas quippe ipsa, unigenitus Dei Filius, non gratia, sed natura, gratia suscepit hominem tanta unitate personæ, ut idem ipse esset etiam hominis filius.

✝ De hac Propheta loquitur ad Deum: *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* (*Psal.* XX, 4). Quomodo enim præventus est in benedictionibus dulcedinis, nisi quia sola Dei gratuita gratia factum est ut neque nascendo traheret vitium, neque vivendo committeret. Beata siquidem Dei genitrix semper virgo, cum consuetudine generandi atque nascendi generata et nata, traxerit ex parentibus originale peccatum, quomodo absque eodem traduce generare filium potuisset, nisi hoc in eo singulariter Dei gratia in ipso conceptionis articulo faceret, *ut esset solus inter mortuos liber?* (*Psal.* LXXXVII, 6.) Ac per hoc natus absque propagatione humani concu-

bitus, factusque homo Dei Filius, solus nullam compulsionem nullamque necessitatem ad bonum malumve perpessus est. Cæteri autem homines post primæ transgressionis admissum, tantis necessitatibus astricti tenentur, ut volentes etiam cogantur agere quæ nec deberent nec vellent ; a quibus se liberari poscebat Propheta, qui dicebat : *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me* (*Psal.* XXIV, 17). Qui enim sponte lapsus est in peccatum, necesse est ut merito ejusdem voluntariæ prolapsionis multis involvatur difficultatibus, ab his non voluntate aut libertate propria, sed Dei gratia liberandus. Quemadmodum beatus Augustinus in libro Enchiridion (*cap.* 80, 81) loquitur :

[Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare. Unde cum exponerem ante aliquot annos Epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus : *Timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Gal.* IV, 11), exclamare compulsus sum : Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus : usitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra sese regnum Dei faciant, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur ! Atque utinam, o Domine, non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus. Sed videro utrum me immoderatus dolor incaute aliquid compulerit dicere. Hoc nunc dicam, quod quidem et in aliis opusculorum meorum locis sæpe jam dixi : Duabus ex causis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus : quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quam [*al.*, quæ] quidem pugnare nos convenit : sed perfecto vincimur, nisi divinitus adjuvemur, ut non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio justitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo scientes videntesque peccamus ; jam non solum peccatores, quod eramus etiam cum per ignorantiam peccabamus, verum etiam legis prævaricatores, cum id non facimus quod faciendum esse jam novimus, vel facimus quod non faciendum esse jam scimus.]

÷ Hæ sunt necessitates quibus ita astringitur humana infirmitas, ut semel in quodlibet peccatum sponte ruens, nisi quantocius supernæ gratiæ respectu resipiscat, necessario in aliud deterius, vel unum vel plura corruat ; ac competenter dicatur, *quia peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Ab his se salvatum gloriabatur Propheta, qui dicebat : *Ego autem in Domino sperabo, exsultabo et lætabor in misericordia tua, quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manibus inimici* (*Psal.* XXX, 8, 10). Motus itaque animæ rationalis ante peccatum tam fuerat liber quam voluntarius ; post peccatum autem servitio durissimæ necessitatis addictus, Domino suo etiam nolens servire compellitur. Unde et Dominus mentium humanarum perspicacissimus speculator, vivacissimus perscrutator, justissimus examinator, in lege sua peccantium differentias oblationum discretione corrigi præcipiens, nolentem a volente discrevit : aliter hunc, aliter illum vel puniri vel mundari definiens. Hinc etiam civitates fugitivorum separari discrevit, ad quas qui nolens sanguinem funderet, confugere persequentisque gladium fugere potuisset. Scriptum est enim in libro Numeri : *Ait Dominus ad Moysen : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Quando transgressi fueritis Jordanem in terra Chanaam, decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum qui nolentes sanguinem fuderint* (*Num.* XXXV, 9-11). Et infra : *Ut confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit* (*Ibid.*, 15). In eodem : *Et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel, et dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt* (*Num.* XV, 25).

Hanc secuti auctoritatem venerabiles Patres sacrorum canonum constitutores, et ipse nolentis homicidium a voluntario discernentes, alia hunc, alia illum pœnitentiæ satisfactione sanandos censuerunt. Has necessitatum inextricabiles vicissitudines beatus papa Gregorius acutissime discutiens in libro Moralium XXV (*cap.* 9), ita loquitur : [Sciendum summopere est quod *iniquus* quisque duobus modis *in nocte conteritur*, vel cum exterioris judicii [*al.*, pœnæ] tribulatione percutitur, vel cum occulta sententia interius cæcatur. *In nocte* corruit, cum per extremum judicium videndi lumen in perpetuum amittit ; unde scriptum est : *Ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13). Tunc enim coactus in tenebras exteriores mittitur, quia nunc in interioribus excæcatur voluntarie. Rursum *in nocte iniquus conteritur*, cum peccatorum præcedentium confusione damnatur, et veritatis lumen non invenit, et quid deinceps agere debeat non agnoscit. Omne quippe peccatum, quod tamen citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum est aut [*al.*, et] causa peccati aut peccatum et pœna peccati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit : unde fit ut non solum peccatum sit, sed peccatum et causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæca mens ducitur ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est et pœna peccati, quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat : quem enim liberari noluit, deserendo percussit. Non ergo immerito pœna peccati dicitur, quod justa desuper irrogata cæcitate ex præcedentis peccati ultione perpetratur : quod videlicet agitur dispositione superius ordinata, sed inferius iniquitate confusa, ut et præcedens culpa sit causa subsequentis, et rursum culpa subsequens sit pœna præ-

cedentis. Quod bene in infidelibus et lubricis Paulus quasi quoddam semen erroris aspexerat cum dicebat: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I, 21); sed quod ex ejus erroris semine pullulavit illico adjunxit, dicens: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum; in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* (*Ibid.*, 24). Quia enim, cognoscentes Deum, peccatum superbiæ intelligendo commiserunt, cæcantur etiam, ne intelligant quid committunt. Et qui intelligentiam suam sequi nolunt in peccato et causa peccati, et ipsum lumen intelligentiæ perdunt in peccato et pœna peccati. Prioris ergo peccati merito peccatorum subsequentium fovea tegitur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in aliis etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, ut culpis culpa feriatur [*al.*, culpæ feriatur], quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. Nam quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen humana malitia ad usum suæ iniquitatis intorquet, nimirum justo judicio augeri culpa permittitur, ut ad feriendum altius quandoque cumuletur. Hinc enim rursum de quibusdam Paulus apostolus dicit: *Ut ampleant peccata sua semper* (*I Thess.* II, 16). Hinc voce angelica ad Joannem dicitur: *Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat* (*Apoc.* XXII, 11). Hinc David ait: *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, et non intrent in tuam justitiam* (*Ps.* LXVIII, 28). Hinc rursus de Domino ab eodem Psalmista dicitur: *Immissiones per angelos malos: viam fecit semitæ iræ suæ* (*Ps.* LXXVII, 49, 50). Cor quippe Dominus prioribus meritis aggravatum juste permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli; quod dum digne in culpa trahitur, reatus ejus in pœna cumulatur, unde et iræ suæ viam [*al.*, Dominus viam de semina fecisse perhibetur, latior enim est via quam semita: ex semita vero iræ suæ viam, etc.] facere est iræ causas districte judicando dilatare. Ut qui illuminati agere recte noluerunt, juste cæcati adhuc faciant, unde amplius puniri mereantur. Hinc per Moysen dicitur: *Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum* (*Deut.* XXXII, 32); hinc per eumdem Moysen Deus dicit: *Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum et propago eorum ex Gomorrha; uva eorum uva fellis, et botrus amaritudinis ipsis: furor draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabilis. Nonne hæc congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis? In die ultionis reddam eis* (*ibid.*, 23-35). Quam multa eorum mala narravit? et tamen illico adjunxit: *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum.* Ecce atrocissima illorum facinora describuntur, et tamen ad ultionis diem adhuc subsequens lapsus aspicitur, quo eorum culpæ cumulentur? Habent jam quidem unde feriri mereantur; sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, ut peccantes possit atrocior pœna cruciare. Jam meretur supplicium peccatum et causa peccati sed exspecta-

A tur adhuc, ut augmentum supplicii subroget peccatum et pœna peccati. Plerumque vero unum idemque peccatum, et peccatum et pœna est et causa peccati, quod melius ostendimus si res ipsas ad medium deducamus. Effrenata enim ventris ingluvies in fervore luxuriæ plenitudinem carnis instigat: perpetrata autem luxuria sæpe aut perjurio aut homicidio tegitur, ne humanarum legum ultione puniatur. Conamus ergo ante oculos quod quidam voracitatis sibi frena laxavit, qua voracitate superatus, adulterii facinus admiserit; deprehensus autem in adulterio, latenter virum adulteræ ne ad judicium traheretur, occidit. Hoc itaque adulterium inter voracitatem et homicidium positum, de illa videlicet nascens, hoc generans,
B peccatum est et pœna et causa peccati: peccatum profecto est per se ipsum, pœna vero peccati est, quia culpam voracitatis auxit; causa autem peccati est quia subsequens etiam homicidium genuit. Unum ergo idemque peccatum et pœna precedentis, et causa culpæ subsequentis est: quia et transacta dum exaggerat damnat, et adhuc subsequentia, quæ damnari debeant, seminat. Igitur quia peccatis præcedentibus cæcatur oculus cordis, ipsa cæcitas quæ peccantis animam ex anteactæ culpæ damnatione confundit, merito *nox* vocatur, quia per hanc ab oculis delinquentis lumen veritatis absconditur. Bene itaque dicitur: *Novit enim opera eorum et idcirco inducit noctem et conterentur* (*Job.* XXXIV, 25); quia, ut sæpe dictum est, præce-
C dentia nimirum mala faciunt ut ad peccandum iterum tenebris subsequentibus involvantur, ut eo jam lumen justitiæ videre non possint, qua illud et quando poterant, videre noluerunt. Inducere autem noctem Dominus dicitur, non quod ipse tenebras inferat, sed quod obscura corda peccantium misericorditer non illustret, ut hoc ipsum noctem induxisse [*al.*, in nocte cæcasse] sit, a cæcitatis tenebris liberare noluisse.]

† Deinde respondes his qui nolentes, imo spernentes, sua peccata corrigere, queruntur de divina operatione, cur Deus dederit liberum arbitrium, quo solo peccare convincatur. In qua responsione quod dicis, *Deum occasionem peccatorum dedisse*, falsum est: non enim dedit occasionem, sed liber-
D tatem. Si ergo, sicut annectis, *non est liberum arbitrium peccatorum causa, cum sit donum*, sequitur ut nec occasio peccatorum sit. Si igitur secundum te libertas atque voluntas humana naturæ sunt, quomodo natura peccatorum occasio dicenda sit non video. Si, inquam, liberum arbitrium non est causa peccati, sed ejus motus perversus atque in infima et inhibita damnabilis inflexio, quo pacto peccati occasio dicitur? Mandatum equidem poterat dici occasio peccati, quemadmodum et Apostolus dicit: *Peccatum autem, occasione accepta per mandatum, per illud occidit me* (*Rom.* VII, 11). Non dixit per liberum arbitrium, quod est donum Dei, nec per naturam, quæ est opus Dei, sed *per mandatum*, quod dici potest experimentum ejus, quo experiatur quid sequendum

eligat creaturæ rationalis voluntarius appetitus. A Item eosdem alloquens dicis:

JOANNES SCOTUS

(cap. 5, num. 19, sect. 7), θ *Si autem vivere vultis, dicite utrum beate an misere: nullus est qui vitam miseram velit, quandoquidem nullus est qui vitam beatam non appetat.*

CORRECTIO

✝Cum dicatur beata vita caste, sobrie, juste, pieque vivere, probisque moribus cœlitus collatis abundare, Deo inhærere et ad æternam beatitudinem totis viribus anhelare: misera autem, vitiis, sceleribus atque flagitiis incubare, certum est omnes paganos, et, quod dolendum est, multos Christianorum illam non appetere, imo refugere; hanc autem tanto desiderio, tantaque sequi flagrantia, B ut nunquam ab ea divelli cupiant, sed in cœno vitæ damnabilis delectabiliter infixi, ad illam ne aspirare quidem aut de ea vel audire vel cogitare quippiam velint: quod et si audire contigerit, continuo advertuntur, indignantur, refugiunt, persequuntur. De quibus et Propheta loquitur: *Noluit intelligere ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit* (*Psal.* XXXV, 4, 5). Quomodo enim appetit vel paganus quod ignorat, vel falso nomine Christianus quod oppugnat? Nam de illis dicitur: *Qui ignorat ignorabitur* (*I Cor.* XIV, 38); de istis autem: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in tuo C nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII, 22-23).

Tu vero ut confirmes errorem tuum, quo gratiam Dei omnem boni voluntatem in nobis operantem evacuare moliris, asserens ex te, imo teipsum tibi esse velle, et non id dono supernæ inspirationis percipere: asseveras *omni homini naturaliter inesse appetitum beatitudinis*, id est bene vivendi desiderium, et nullum cupere miseram vitam, hoc est flagitiosam atque sceleratam, cum utrobique tam sit evidens certitudo quam quotidiana, imo continua multitudo. Unde et Dominus in Evangelio: *Contendite intrare per angustam portam, quia angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam et pauci sunt qui inveniunt eam* (*Matth.* VII, 13, D 14). Isti sunt quibus inspiratur divinitus beatitudinis appetitus, non inflatur naturæ typhus. Item ait; *Quam lata porta est et spatiosa via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam* (*Ibid.*, 13). Horum nullus appetit beate vivere, quia vel ignorat quid sit, vel non vult sequi quod novit. Quam peccandi differentiam beatus Augustinus in sententia paulo superius præmissa liquido perdocuit. Nos autem et appetitum bene vivendi, et desiderium atque facultatem miserias evadendi atque vitandi gratiæ gratuitæ dono nobis dari libere confitemur et humiliter postulamus. Si autem vitam beatam vitam æternam nuncupas, secundum ea quæ jam dicta sunt, etiam tua assertio confutatur.

Sed quod ais, *quæ tamen nulla est, si vel coacta voluntate acquiritur, vel sine libertate possidetur*; si nulla est, qualiter quocunque modo acquiritur? Si nulla est, quatenus etiam sine libertate possidetur? Non enim vel acquiritur, vel possidetur quod omnino non est. Quocirca fatendum est esse vitam beatam, et hic eam divinæ gratiæ inspiratione appetitam, morum deinceps probitate, adjutorio gratiæ acquiri; et postmodum justi judicis retributione libertate liberrima possideri. Miseram vero vitam, si a contrario gehennam appellas, certum est neminem sponte subire; omnes tamen ut subeant sponte contrahere, quamvis ad utramque divinæ dispensationis occultis inscrutabilibusque judiciis multi adigantur atque cogantur, ita ut nec libertas arbitrii auferatur, nec omnino gratia denegetur. [* Et quidem juxta id quod homini libertas adicta atque servilis remansit, dicitur ei ad testimonium suæ damnationis relictus beatitudinis appetitus, ut, hoc audito vocabulo, ejus dulcedine illectus appetat beatitudinem, ad cujus perceptionem bene, recte pieque vivendo, pervenire non vult. Et quia talis appetitus ex testimonio, ut ita dixerim, servilis libertatis, non ex dono gratiæ procedit, in sese relisus atque comminutus emarcescit, continuo et evanescit.]

Jam vero libertas arbitrii qualis ante peccatum, qualis post peccatum fuerit satis superque monstratum est. Quod vero liberum arbitrium ac voluntatem in homine Deum nunc creasse et condidisse, nunc dedisse homini scribis: mirum nisi secundum Pelagianos patres tuos ipsam naturam humanam gratiam nuncupas, ut postea quidquid cœlitus datur non sit gratuitæ gratiæ datio, sed meriti retributio; qui tamen quamvis in naturæ conditione constituerint gratiam, nunquam tamen leguntur dixisse voluntatem et libertatem vel hominis vel alterius creaturæ rationalis, esse substantiam: ubi manifeste conjicitur tanto deteriorem esse Pelagianis patribus tuis, quanto in erroris eorum assertione ea superaddere præsumas, quæ nec ipsi nec alii ante te dixisse uspiam reperiuntur. Errores etenim Pelagianorum qui fuerint, quamvis actis synodicis quibus damnati sunt cognoscantur, præcipue tamen ex libris beatæ memoriæ Augustini, quos vel adversus eos vel de nonaginta hæresibus edidit, facillime deprehenduntur. Quibus inspectis nusquam reperire valui quod portentorum tuorum fetoribus exhalasti. Item quod ais:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 5, num. 21, sect. 9). θ *Quemque libertati arbitrii derogantem, aut minuendo, aut penitus auferendo, aut blasphemando totius Christianæ disciplinæ procul dubio inimicum.*

CORRECTIO

✝Quis minuat, nisi qui peccat; quis penitus auferat, nisi qui ignorat; quis blasphemet, nisi qui a

* Additio marginalis.

pietate discedit? Minuit quippe sibi libertatem arbitrii, qui sponte peccando servituti se addixit, a qua de cætero non habuit liberum a servitutis dominio, nisi per Dei et hominum Mediatoris gratiam liberari. Aufert autem nullus, nisi auctoritatis ignarus et rationis expers, neque bonitatem Dei, neque justitiam Dei valens mentis oculis contueri. Blasphemat vero quisquis a pietate discedens, suisque impietatibus vituperabiliter innodatus, de judiciis Dei mavult iniquissime queri quam de suis sceleribus aut argui aut emendari, aut certe judicari, omnesque non solum a disciplina, verum etiam a societate catholicæ Ecclesiæ alieni, exsortes nullatenus dubitantur. Peccatum autem esse voluntarium quisquis negat, modum primæ transgressionis minime diligenter advertit. Postea vero, quamvis illius necessitate omnes, præter unum Mediatorem Dei et hominum, constringantur, proindeque ad multa quæ prius noluerant nec meditati fuerant, compellantur, fatendum est tamen non absque voluntate ea committi, quibus justa pœnæ retributio compensetur: ita ut et inviti quidam ad ea perpetranda cogantur, et tamen voluntas, quamvis jam captiva et addicta, non desit, quæ merito puniatur.

CAPUT VI.

De eo quod non aliunde sit omne peccatum nisi libero propriæ voluntatis arbitrio.

Cum vero fastidiosius et non necessario sexto supervacuitatum tuarum articulo (*cap.* 6, *num.* 1, *sect.* 1) replicas quod non aliunde sit omne peccatum nisi libero propriæ voluntatis arbitrio, unde nullus piæ mentis potest ambigere, uteris argumento quod sumitur a comparatione, dicens:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 6, num. 2, sect. 1.) ϴ *Si humana voluntas est secundum naturam, unde dubitare stultissimum, nulli dubium eam non esse summam omnium voluntatem, eo maxime argumento quod mutabilis sit. Si enim summa omnium esset, quomodo mutabilis esse posset? Non igitur summa. Quoniam vero eam rationis summæ participem esse videmus, dubitare non possumus ipsam rationalem substantiam esse.*

CORRECTIO.

⳨ Et addis (*num.* 3, *sect.* 2) beati Augustini sententiam, quæ, quamvis in quibusdam tua, imo catholica, confirmet, in eo tamen nullatenus aut convenit aut suffragatur, quod humanum voluntatem rationalem substantiam asseveras, quia nunquam id ejus litteræ continere probantur.

CAPUT VII.

Quod liberum voluntatis arbitrium numerandum sit inter bona quæ Deus homini largitur, quamvis eo male utatur: quæ est causa peccati et peccatum.

In eo autem quod septimo nausearum tuarum tædio (*cap.* 7, *num.* 1, *sect.* 1) liberum voluntatis arbitrium numerandum censes inter bona quæ homini divina largitate donata sunt, et amplectimur et gaudemus. Sed quod illud superius a Deo

A creatum dixeris, miramur, cum aliud sit creare, aliud donare; licet in ipsa creatione data divinitus homini multa bona non ignoremus: veluti, ut de cæteris sileam, facto corpori animam, factæ animæ voluntatem, scientiam, aliaque suæ naturæ competentia, quibus imago Dei in ea decenter teneatur ac decoretur. Non quod aliquod veluti spatium, aut loci aut temporis, inter creationem et donum asseramus; sed creando donatum non dubitemus. Nam voluntatem atque scientiam augeri, vel minui in creatura rationali quis nesciat? Dicit enim Propheta de sanctis et Dei tabernaculo dignis: *Ibunt de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII, 8). Quid est enim ire de virtute in virtutem, nisi piæ voluntatis sanæque scientiæ incrementis eo usque

B proficere, donec videatur Deus deorum in Sion? Crescere autem sapientia animam rationalem evangelista manifestat, qui de Domini et Salvatoris infantia narrans ait: *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines* (*Luc.* II, 52); sapientia quidem ad animam, ætas ad corpus, gratia pertinet ad utrumque. Qui igitur proficere, id est crescere augerique dicitur, sapientia nimirum, non ætatum spatiis augetur, sed virtutum incrementis attollitur. Et quisquis scientia et sapientia proficere dicitur, non substantia augeri, sed virtutibus sublimari credendus est: aut a contrario quisquis vitiorum fæcibus inquinatur, quanto magis ac delectabilius eis inhæserit, tanto virtutibus decrescit.

C Qua de re colligitur voluntarium atque scientiam, aliaque Dei dona animæ rationali data atque insita non esse substantiam ejus: quoniam si naturæ sunt, necesse est naturas incorporeas more corporearum naturarum augmentis crescere, detrimentis minui: quod alienum penitus a creatura incorporea nullus ignorat. Crescere autem voluntates hominum, id est augeri vel minui, sicut et cogitationes, quæ non nisi ex voluntate prodeunt, quotidiana, imo jugis, docet alternitas. Substantiam creaturæ rationalis nullis naturæ suæ augmentis crescere vel decrescere certum est. Scientiam et sapientiam in creaturis rationalibus augeri vel minui dubium non est. Quisquis ergo voluntatem atque scientiam hominis naturam ejus esse confirmat, procul dubio creaturam incorpoream augmentis corporalibus

D subjectam esse asserat necesse est: quod quam sit a ratione alienum, nemo nisi rationis expers ignorat. Dona autem Dei, quæ sunt vel magna, vel media, vel minima, animæ rationali pro voluntate largientis distributa, Apostolus indicat, qui numeratis quibusdam donorum Dei, conclusit dicens: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII, 11). Qui igitur scientiam in homine naturam asserit, nimirum Apostolo contradicit, qui eam inter Dei dona enuntians dixit: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ in uno Spiritu,* etc. (*Ibid.*, 8). *Datur* dixit, non conditur, vel creatur; quod ergo datur donum est, non natura: quod autem datur in voluntate dantis est, non

in potestate naturæ accipientis. Qui enim dat, pro voluntate tribuit; qui vero accipit, non propriæ voluntatis potentia aut desiderio, sed pro donantis arbitrio percipit, quid, quantum aut quomodo dispensat ille, qui *omnia in mensura, et pondere, et numero* constituit. Non est igitur creatura liberum arbitrium, id est humanæ voluntatis electio, sed donum Dei inter media donorum illius bona numerandum. Unde et facili motu a summo bono averti, atque ad inferiora deflecti potuit, inde et merito plectitur, meritoque voluntariæ suæ aversionis dignissimas pœnas luit.

CAPUT VIII.

De differentia inter naturam hominis et liberum ejus arbitrium.

Octavo disputationis tuæ ordine (*cap.* 8, *n.* 1, *sect.* 1) conaris inter liberam hominis voluntatem, quæ, sicut ais, ex natura est, et liberum ejus arbitrium, quod procul dubio donum Creatoris esse manifestum est, distantiam facere. In qua cum diu multumque labores, definis voluntatem liberam esse substantiam humanam: liberum autem arbitrium liberæ voluntatis motum. Quod cum propria adinventione confinxeris, miror te tanta cæcitate obtusum, ut videre nequiveris contra omnium catholicorum sensa rectissima te impudentius garrire, loquacitatemque tuam, omnibus ridendam, summam fallaciter putavisse prudentiam. Cumque beati Augustini sententiam confirmandarum tuarum gratia definitionum adhiberes, et eum nihil aliud liberum arbitrium quam liberam voluntatem in eadem sua sententia, quemadmodum in omnibus. appellavisse cognosceres, illiusque auctoritate frivolas argumentationes tuas evelli metueres, addidisti portentosam expositionem dicens :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 8, n. 4, sect. 8.) Θ *In quibus verbis debemus intendere ne quis substantiam confundat et motum, audiens liberam voluntatem, quæ procul dubio substantialis est. Eo itaque locutionis modo sanctus Pater Augustinus usus est, dicendo liberam voluntatem pro eo quod est, liberæ voluntatis motum, sive arbitrium, quo solemus uti, dum per causas substantiales eorum significamus effectus: hinc est veræ rationis circuitus, pro veræ ratiocinationis circuitu.*

CORRECTIO.

✝ Quæ tua non expositio, sed depravatio ipsius beati Augustini verbis e vestigio cassetur necesse est, qui liberam voluntatem liberum motum esse definiens, in libro quem contra Manichæos de duabus animabus edidit ita locutus est (*cap.* 10): [Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non admittendum, vel adipiscendum.] ✝ Quibus verbis manifeste tuum errorem detruncat, quo voluntatem humanam ejus essentiam definisti, quam sententiam ne forte Pelagianis patribus tuis suffragari videretur, ita retractavit Augustinus (*Retract. lib.* I, *cap.* 15): [Quod, inquiens, propterea dictum est, ut hac definitione volens a nolente discerneretur, et sic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc est libera voluntate peccando, quia et scientes contra præceptum fecerunt, et ille tentator suasit ut hoc fieret, non coegit. Nam et qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis et ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit; ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas utique, sicut definita est, animi motus fuit, cogente nullo, ad aliquid vel non admittendum, vel adipiscendum. Quod enim si noluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit: ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim factum est quod fieri non debuit. Quisquis autem sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum sine peccato resistere, nec tamen facit, utique volens peccat, quoniam qui potest resistere, non cogitur cedere. Qui vero cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, et ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.]

✝ Ecce doctor veracissimus duobus tuis erroribus fortissime contradicit. Qui enim voluntatem motum animi definivit, procul dubio non esse aliud liberum arbitrium quam voluntatem liberam intellexit, intelligendumque litteris mandavit. Falsum est ergo quod inter liberam voluntatem liberumque arbitrium hanc distantiam finxeras, ut liberam voluntatem ad naturam, liberum autem arbitrium ad motum liberæ voluntatis referenda docuisses. Quod in ejusdem libri retractatione (*cap.* 15) haud dubie manifestat, cum dicit: [Quod autem, inquiens, dixi: Illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus. Propterea non perturbat de parvulis quæstio, quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccavit, quando libero et ad faciendum et ad non faciendum [*al.*, non ad fac.] motu animi non carebat, eique ab opere malo abstinendi summa potestas erat.]

✝ Ecce et in hac sententia voluntatem a natura discrevit, eamque motum animi liberum non tacuit, rursum in eo quod ad peccandum cogi perdocuit, errori tuo vivaciter contradixit, quo asseris neminem vel ad bona vel ad mala facienda compelli. Quod ex quo vel ob quam rem fieri certissimum teneatur, in eadem retractatione secutus adjunxit (*cap.* 15):

[Itemque, inquiens, definitio peccati qua diximus. Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere,

propterea vera est, quia id definitum est quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati. Nam quando tale est ut idem sit et pœna peccati, quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est, et in tantum appellatur voluntas. Alioquin tutius cupiditas quam voluntas proprie nuncupanda est: quæ non est, sicut Manichæi desipiunt, alienæ naturæ additamentum, sed nostræ vitium, a quo non sanatur [*al.*, sanamur] nisi gratia Salvatoris. Quod si quisquam dicit, etiam ipsam cupiditatem nihil esse aliud quam voluntatem, sed vitiosam peccatoque servientem, non resistendum est, nec de verbis, cum res constet, controversia facienda est. Sic enim ostenditur sine voluntate nullum esse peccatum sive in opere sive in origine.

† Hinc etiam ita paulo superius retractavit Augustinus (*Ibid.*): [Item quod dixi: Nusquam scilicet in voluntate esse peccatum, possunt Pelagiani pro se dictum putare propter parvulos, quos ideo negant habere peccatum, quod eis in baptismo remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis utuntur. Quasi vero peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est reatu ejus implicatos, et ob hoc pœnæ obnoxios detineri, usquam esse potuit nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio. Potest etiam putari falsa esse ista sententia qua diximus, nusquam nisi in voluntate esse peccatum, quia dixit Apostolus: *Si autem quod nolo hoc facio, jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum* (*Rom.* VII, 16, 17). Hoc enim peccatum usque adeo non est in voluntate, ut dicat, *quod nolo hoc facio*. Quomodo ergo nusquam est, nisi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, et pœna peccati est, quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur, quod aperit in consequentibus dicens: *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum: velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non* (*Ibid.*, 18). Perfectio quippe boni est, ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine: cui quidem, quando bene vivitur, non consentit voluntas: verumtamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas; cujus concupiscentiæ reatus in baptismate solvitur, sed infirmitas permanet, cui donec sanetur omnis fidelis qui bene proficit, studiosissime reluctatur. Peccatum autem quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipue intelligendum est, quod justa damnatio consecuta est. Hoc enim per unum hominem intravit in mundum (*Rom.* V, 12): quanquam et hoc peccatum, quo consentitur peccato [*al.*, peccati] concupiscentiæ, non nisi voluntate committitur.

† Idem cum retractaret acta contra Fortunatum Manichæum dixit (*Retract. lib.* I *cap.* 16): [Item alio loco: Ego dico, inquam, peccatum non esse, si non propria voluntate peccetur. Ubi peccatum illud intelligi volui, quod non est etiam pœna peccati: nam de tali pœna dixi alibi in eadem disputatione, quod dicendum fuit.]

† Item in retractatione libri de vera Religione (*Retract. cap.* 13): [Et alibi: Usque adeo, inquam, peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Potest videri falsa hæc definitio; sed si diligenter discutiatur, invenietur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati, sicut superius ostendi cum quædam commemorarem ex lib. III, de libero Arbitrio. Quamvis et illa quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel a nescientibus, vel a coactis perpetrantur, non omnimodo possunt sine voluntate committi: quoniam et ille qui peccat ignorans, voluntate utique peccat [*al.*, facit], quod cum faciendum non sit, putat esse faciendum. Et ille qui concupiscente adversus spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, et ideo [*al.*, in eo] non facit quod vult: sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, et in eo non facit nisi quod vult, liber scilicet justitiæ, servusque peccati, etc. Ideo gratia Dei non solum reatus omnium præteritorum solvitur in omnibus qui baptizantur in Christo, quod fit Spiritu regenerationis; verum etiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, et præparatur a Domino (*Prov.* VIII, *sec. LXX*), quod fit spiritu fidei et charitatis. Alio loco in eo quod dixi de Domino Jesu Christo: Nihil egit vi, sed omnia suadendo et monendo, non mihi occurrerat quod vendentes et ementes flagellando ejecit de templo (*Matth.* XXI, 12). Sed quid hoc, aut quantum est? Quamvis et dæmones nolentes ab hominibus, non sermone suasionis sed vi potestatis ejecerit.]

† Et quia ex libris ejus de libero voluntatis arbitrio multa superius posuisti, quibus errores tuos potissimum communires, non incongruum duximus ad medium deducere quidquid in retractatione eorumdem librorum suorum posuit, ut cuivis facillime pateat ante etiam ab illo damnatas errores tuos quam nasceris: ita enim eorum retractationem exorsus est (*Retract. lib.* I, *cap.* 9): [In his libris ita multa disserta sunt, ut incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrentur ut vel ex utraque parte, vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in quibus non apparebat quid potius congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur vel etiam ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, et Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt. Eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quamdam et Deo coæternam introducere naturam mali. De gratia

vero Dei, qua suos electos sic prædestinavit, ut eorum qui jam in eis utuntur libero arbitrio, ipse etiam præparet voluntates, nihil in his libris disputatum est, propter hanc propositam quæstionem [*al.*, propter hoc proposita quæstione]. Ubi autem incidit locus ut hujus gratiæ commemoratio fieret, transeunter commemorata est; non quasi inde ageretur operosa ratiocinatione defensa. Aliud est enim quærere unde sit malum, et aliud est quærere unde redeatur ad pristinum, vel ad majus perveniatur bonum.

Quapropter novi hæretici Pelagiani; qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, ut gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secundum merita nostra dari asserunt, non se extollant, quasi eorum egerim causam, quia multa his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat. Dixi quippe in primo libro, malefacta justitia Dei vindicari, et addidi : Non enim juste vindicarentur, nisi fierent voluntate. Item, cum ipsam bonam voluntatem tam magnum bonum esse monstrarem, ut omnibus corporeis et externis bonis merito anteponeretur, dixi : Vides igitur jam, ut existimo, in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur vel careamus tanto et tam vero bono : quid enim tam in voluntate, quam ipsa voluntas sita est. Et alio loco : Quid ergo causæ est, inquam, cur dubitandum putemus, etiamsi nunquam ante sapientes fuimus, voluntate nos tamen laudabilem et beatam vitam, voluntate turpem et miseram mereri ac gerere? Itemque alio loco : Ex quo conficitur, inquam, ut quisquis recte honesteque vult vivere, si id se velle præ fugacibus rebus velit, assequantur tantam rem tanta felicitate, ut nihil aliud ei, quam ipsum velle, sit habere quod voluit. Itemque alibi dixi. Hoc enim æterna lex illa, ad cujus considerationem redire jam tempus est, incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit ; in beatitate autem et miseria præmium atque supplicium. Et alio loco : Quid, inquam, quisque sectandum et amplectendum eligat, in voluntate esse positum constat. Et in libro II : Homo enim ipse, inquam, in quantum homo est, aliquod bonum est, quia recte vivere cum vult, potest. Et alio loco dixi : Recte fieri non posse, nisi eodem libero voluntatis arbitrio Et in libro tertio : Quid opus est quæri, inquam, unde iste motus exsistat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum ; cum eum nonnisi animi, et voluntarium, et ob hoc culpabilem esse fateamur : omnisque de hac re disciplina utilis ad id valeat, ut eo motu improbato atque cohibito, voluntatem nostram ad perfruendum sempiterno bono a lapsu temporalium convertamus? Et alio loco : Optime, inquam, de te veritas clamat : Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est. Item alio loco : Si enim tu laudaris, inquam, videndo quid facere debeas,

A cum id non videas, nisi in illo qui est incommutabilis veritas, quanto magis ille qui et velle præcepit, et posse præbuit, et non impune nolle permisit? Deinde subjunxi, dicens : Si enim hoc debet quisque quod accepit, et sic homo factus est ut necessario peccet, hoc debet ut peccet. Cum ergo peccat, quod debet facit ; quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit ut peccet. Et iterum : Quæ tandem esse poterit, inquam, ante voluntatem causa voluntatis? Aut enim et ipsa voluntas est, et a radice ista voluntatis non receditur : aut non est voluntas, et peccatum nullum habet. Aut igitur voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi. nec est cui recte imputetur peccatum, nisi pec-
B canti. Non est ergo cui recte imputetur peccatum nisi voluntati [*al.*, volenti]. Et paulo post : Quis, inquam, peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem : caveri igitur potest. Quo testimonio meo in quodam libro suo Pelagius usus est. Cui libro cum respondissem, titulum libri mei esse volui de Natura et Gratia.

In his atque hujusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant. Voluntas quippe est qua et peccatur, et recte vivitur : quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa, nisi gratia Dei liberetur a servitute, qua facta est serva peccati, et ut vitia superet, adjuvetur; recte pieque
C vivi a mortalibus non potest. Et hoc divinum beneficium quo liberatur, nisi eam præveniret, jam meritis ejus daretur, et non esset gratia, quæ utique gratis datur. Quod in aliis opusculis nostris satis egimus. istos inimicos hujus gratiæ novos hæreticos refellentes : quamvis et in his libris, qui non contra illos omnino, quippe illi nondum erant, sed contra Manichæos scripti sunt, de libero Arbitrio ; non omnimodo de ista Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre. Diximus quippe in secundo libro, non solum magna, sed etiam minima bona non posse esse, nisi ab illo a quo sunt omnia bona, hoc est Deo. Et paulo post : Virtutes, inquam, quibus recte vivitur, magna bona sunt : species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona
D sunt : potentiæ vero animi, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur ; cæteris autem bonis, id est mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. Et ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus : nemo autem bene utendo, male utitur. Quare abundantia et magnitudo bonitatis Dei non solum magna, sed etiam media et minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis quam in mediis, et magis in mediis quam in minimis bonis; sed magis in omnibus, quam si non omnia [*al.* omnibus *omittitur*] omnibus tribuisset.

Et alio loco : Tu tantum, inquam, pietatem in-

concussam tene, ut nullum tibi bonum vel sentienti vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo. Itemque alio loco dixi : Sed quoniam non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest, porrectam nobis desuper dexteram Dei, id est Domini nostri Jesu Christi [*al.*, Dominum nostrum Jesum Christum] firma fide teneamus. Et in libro III, cum dixissem illud, quo Pelagium de meis opusculis usum fuisse commemoravi. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest. Peccatur autem : caveri igitur potest : continuo secutus adjunxi : Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, et corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apostolus : *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (I *Tim.* I, 13) ; ait et Propheta : *Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7). Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere, et non potest. Nam unde sunt illæ voces : *Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago* (*Rom.* VII, 15). Et illud : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non* (Ibid. v. 18). Et illud : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis* (*Gal.* V, 17). Sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, cum hæc facit. Si autem bonus homo esset, aliter esset. Nunc autem, quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate ut bonus sit, sive non vivendo qualis esse debeat, sive vivendo, et non valendo esse qualem debere esse se videt. Pœnam istam esse quis dubitet ? Omnis autem pœna si justa est, peccati pœna est, et supplicium nominatur. Si autem injusta pœna est, quoniam pœnam esse nemo ambigit injusto aliquo dominante homini imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei et justitia dubitare dementis est, justa hæc pœna est, et pro peccato aliquo penditur. Non enim quisquam injustus dominator aut subripere hominem potuit velut ignoranti Deo, aut extorquere invito, tanquam invalidiori, vel terrendo, vel conturbando, ut hominem injusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo ut hæc pœna justa de damnatione hominis veniat. Et alio loco : Approbare, inquam, falsa pro veris ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non possit [*al.*, posse] a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Cum autem de illa voluntate recte faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est, loquimur.

Ecce tam longe antequam Pelagiana hæresis exstitisset sic disputavimus, velut jam contra illos disputaremus. Cum enim omnia bona dicerentur ex Deo, id est et magna, et media, et minima ; in mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium, quia et male illo uti possumus ; sed tamen tale est, ut sine illo recte vivere nequeamus. Bonus autem usus ejus jam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus male uti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut dictum est, et magna, et media, et minima, ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis, quæ virtus est, et in magnis numeratur bonis. Deinde dictum est, ex qua miseria peccantibus justissime inflicta liberet Dei gratia, quia sponte homo, id est libero arbitrio, cadere potuit, non etiam surgere. Ad quam miseriam justæ damnationis pertinet ignorantia, et difficultas quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ ; nec ab isto malo quisquam, nisi Dei gratia liberatur : quam miseriam Pelagiani nolunt ex juxta damnatione descendere, negantes originale peccatum ; quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia ; nec sic culpandus, sed laudandus Deus esset, sicut in eodem libro tertio disputavimus.]

† Vides, doctor eximius, quantis tuas perversas interpretatiunculas viribus conterat, qui toties liberum voluntatis arbitrium nuncupando, motumque animi, et nihil aliud definiendo, tuis differentiis adeo veritate vallatus obsistit, ut eas prorsus nihil esse confirmet. Tu ipse quoque tantum tibi contrarius existis, ut aut non videris, aut ab aliis minime videri putaveris te eatenus liberum voluntatis arbitrium defendisse, ut definires liberam voluntatem electionem esse liberæ voluntatis, et perdidisse hominem naturam suam, si liberum voluntatis arbitrium perdidisset : nunc autem, aut tui oblitus, aut legentes tua ludificare molitus, motum animi a voluntate conaris secernere, quasi aliud possit esse animæ moveri quam velle. Movetur enim volendo, quemadmodum Pater memorabilis definivit, in tantum ut motus ejus nequaquam sit aliud quam voluntas. Hanc etiam a Domino præparari et Scripturæ auctoritas, et tantorum Patrum consensus evidenter atque immutabiliter docet, prædicat, imo confirmat. Tu verum cum id hactenus negaveris, atque ut ita dixerim inficiatus fueris, nova adinventione ausus es dicere, *motum tuum præparari a Domino, non voluntatem*, quod quia et adversum veritati, et contrarium auctoritati monstratum est, adjuvante Domino ad alia calumniarum tuarum venena, quanta sint, videnda transeamus.

Dicis (*cap.* 8, *n.* 5, *sect.* 1) : *Sancto Augustino multoties nobis inculcante, apertissime credi interioris hominis substantialem trinitatem in his tribus, essentia videlicet, et voluntate, et scientia contineri.* Et post pauca (*cap.* 8, *n.* 6, *sect.* 2) : *Hæc igitur tria unum sunt, et una natura : tota deinde anima natura voluntas est*, etc. Quæ verba tua quam sint mendaciorum nebulis caligata, ejusdem sanctissimi Patris Augustini verbis eluceat, qui in libro de sancta Trinitate octavo (*lib.* XV, *cap.* 3) ad eam veraciter quantum mortalibus conceditur cognoscendam, ita invitando docet, docendo invitat, [ut per veritatem quæ intel-

lecta conspicitur, et per bonum summum a quo est A omne bonum, et per justitiam propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo, ut natura non solum incorporalis, verum etiam immutabilis, quod est Deus, quantum fieri potest, intelligeretur, admonui, et per charitatem, quæ in Scripturis sanctis Deus dicta est (I *Joan.* IV, 8), per quam cœpit utcunque etiam Trinitas intelligentibus apparere, sicut sunt amans, et quod amatur, et amor. In nono, ad imaginem Dei, quod et homo secundum mentem, pervenit disputatio: et in ea quædam trinitas invenitur, id est mens, et notitia qua se novit, et amor quo se notitiamque suam diligit; et hæc tria æqualia inter se, et unius ostenduntur essentiæ. In decimo hoc idem diligentius subtiliusque tractatum est, atque ad id perductum, B ut inveniretur in mente evidentior trinitas ejus, in memoria scilicet, et intelligentia, et voluntate. Sed quoniam et hoc compertum est, quod mens nunquam esse ita potuerit, ut non sui meminisset, non se intelligeret, et diligeret, quamvis non semper se cogitaret; cum autem se cogitaret, non se a corporalibus rebus eadem cogitatione discerneret: dilata est de Trinitate, cujus hæc imago est, disputatio; ut in ipsis etiam corporalibus visis inveniretur trinitas, et distinctius in ea lectoris exerceretur intentio. In undecimo ergo electus est sensus oculorum, in quo id quod inventum esset, etiam in cæteris quatuor sensibus corporis et non dictum posset agnosci: atque ita exterioris hominis trinitas primo in his quæ cernuntur extrinsecus, ex C corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, et utrumque copulantis intentione voluntatis, apparuit. Sed hæc tria non inter se æqualia, nec unius esse substantiæ claruerunt. Deinde in ipso animo ab his quæ extrinsecus sensa sunt velut introducta inventa est altera trinitas, ubi apparerent eadem tria unius esse substantiæ: imaginatio corporis, quæ in memoria est, et inde informatio cum ad eam vertitur [*al.*, convertitur] acies cogitantis, et utrumque conjungens intentio voluntatis. Sed ideo ista trinitas ad exteriorem hominem reperta est pertinere, quia de corporibus illata est, quæ sentiuntur extrinsecus. In duodecimo discernenda visa est sapientia ab scientia [*al.*, scientia a sapientia], et in ea quæ proprie scientia nuncupatur, quia inferior est, prius D quædam sui generis trinitas inquirenda: quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei vel appellanda sit, vel putanda. Et hoc agitur in tertio decimo per commendationem fidei Christianæ. In quarto decimo autem de sapientia hominis vera, id est Dei munere in ejus ipsius Dei participatione donato [*al.*, de munere ejus in ipsius Dei participatione donata], quæ ab scientia distincta est, disputatur; et eo pervenit disputatio, ut trinitas appareat in imagine Dei, quod est homo secundum mentem, quæ renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit hominem ad imaginem suam, et sic percipit sapientiam ubi contemplatio est æternorum,

† Ecce tot trinitatibus sagaciter inventis, subtiliter pertractatis, ea nimirum profunditate inventionum, ut nonnisi capacissimis gratia superni muneris infundente perspicua sint, nusquam anima dicta sunt, nusquam animæ essentia appellatæ sed in se quæcunque trinitates inventæ sunt unus essentiæ, qualiscunque ipsa essentia sit, exsistere disputatum atque pertractatum est. Esse autem ea in anima, non vero substantiam animæ, et ipsa tantorum librorum effusissima disputatio perdocet, nec ullatenus ratio dissuadet. Quod tamen id etiam simplicioribus liquidius pateat, ejusdem memorandi et memorabilis Augustini sententiam ex libro ejusdem operis præferendi quinto decimo ponamus, qua easdem trinitates ab essentia animæ veraciter subtiliterque secernit, quæ ita se habet (*De Trin. lib.* XV, *cap.* 6, 7). [Ecce, inquiens, ergo trinitas, sapientia scilicet, et notitia sui, et dilectio sui: sic enim et in homine invenimus trinitatem, id est mentem, et notitiam, qua se novit, et dilectionem, qua se diligit. Sed hæc tria ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo: homo est enim, sicut veteres definierunt, animal rationale mortale. Illa ergo excellunt in homine, non ipsa sunt homo, et una persona, id est singulus quisque homo, habet illa tria in mente. Quod si etiam definiamus hominem, ut dicamus, homo est substantia rationalis constans ex anima et corpore, non est dubium hominem habere animam quæ non est corpus, habere corpus quod non est anima. Ac per hoc illa tria non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt. Detracto etiam corpore, si sola anima cogitetur, aliquid ejus est mens, tanquam caput ejus, vel oculus vel facies, sed non hæc ut corpora cogitanda sunt. Non igitur anima, sed quod excellit in anima, mens vocatur. Nunquid autem possumus dicere trinitatem sic esse in Deo ut aliquid Dei sit, nec ipse [*al.*, ipsa] sit Deus? Quapropter singulus quisque homo, qui non secundum omnia quæ ad naturam pertinent ejus, sed secundum solam mentem imago Dei dicitur, una persona est, et imago est trinitatis in mente. Trinitas vero illa, cujus imago est, nihil aliud est tota quam Deus, nihil aliud est tota quam Trinitas. Nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat trinitatem: et tres personæ sunt unius essentiæ, non sicut singulus quisque homo una persona. Itemque in hoc magna distantia est, quod sive mentem dicamus hominem [*al.*, in homine] ejusque notitiam et dilectionem, sive memoriam, intelligentiam, voluntatem, nihil mentis meminimus nisi per memoriam, nec intelligimus nisi per intelligentiam, nec amamus nisi per voluntatem. At vero in illa Trinitate quis audeat dicere Patrem, nec se ipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere nisi per Filium, vel diligere nisi per Spiritum sanctum: per se autem meminisse tantummodo vel sui, vel Filii, vel Spiritus sancti.]

† Et cætera quæ de incomprehensibilitate tantæ majestatis subtilissimus disputator et veracissimus

pertractator copiose disseruit. Item post multa cum de scientia Dei dissereret (*Ibid.*, *cap.* 13).

[Scriptum est, inquit, in libro Ecclesiastico : *Antequam crearentur, omnia nota sunt illi, sic et postquam consummata sunt* (*Eccli.* XXIII, 29). *Sic*, inquit, non aliter, et *antequam crearentur, et postquam consummata sunt, sic ei nota sunt*. Longe est igitur huic scientiæ scientia nostra dissimilis. Quæ autem scientia Dei est, ipsa et sapientia ; et quæ sapientia, ipsa essentia sive substantia. Quia in illius naturæ simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse ; sed quod est sapere, hoc est et esse, sicut et in superioribus libris sæpe jam diximus. Nostra vero scientia in rebus plurimis propterea et amissibilis est et receptibilis, quia non hoc est nobis esse quod scire vel sapere : quoniam esse possumus, etiamsi nesciamus, neque sapiamus ea quæ aliunde didicimus. Propter hoc, sicut nostra scientia illi scientiæ Dei, sic et nostrum verbum quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi Verbo Dei quod natum est de Patris essentia. Tale est autem ac si dicerem de Patris scientia, de Patris sapientia ; vel, quod est expressius, de Patre scientia, de Patre sapientia.]

† Item in eodem (*cap.* 20) : [Quocirca ridenda est dialectica Eunomii, a quo Eunomiani hæretici exorti sunt, qui cum non potuisset intelligere, nec credere voluisset, unigenitum Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, Filium Dei esse natura, hoc est, de substantia Patris genitum, non naturæ vel substantiæ suæ sive essentiæ dixit esse filium, sed filium voluntatis Dei, accidentem scilicet Deo volens asserere voluntatem qua gigneret Filium : videlicet ideo quia nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus ; quasi non propter ista mutabilis intelligatur nostra natura, quod absit ut in Deo esse credamus. Neque enim ob aliud scriptum est : *Multæ cogitationes in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum* (*Prov.* XIX, 21). Nisi ut intelligamus sive credamus, sicut æternum Deum, ita æternum esse consilium ejus, ac per hoc immutabile, sicut ipse est. Quod autem de cogitationibus, hoc etiam de voluntatibus verissime dici potest. Multæ voluntates in corde viri, voluntas autem Domini manet in æternum.]

† Et post pauca (*Ibid.*) : [De creatura etiam quam fecit Deus, quantum valuimus, admonuimus eos qui rationem de rebus talibus poscunt, ut invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, sicut possent, intellecta conspicerent, et maxime per rationalem vel intellectualem creaturam, quæ facta est ad imaginem Dei, per quod velut speculum, quantum possent, si possent, cernerent. Trinitatem Deum in nostra memoria, intelligentia, voluntate. Quæ tria in sua mente naturaliter divinitus instituta quisquis vivaciter perspicit, et quam magnum sit in ea, unde potest etiam sempiterna immutabilisque natura recoli, conspici, amplecti, concupisci, reminiscitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, profecto reperit illius summæ Trinitatis imaginem. At quam summam Trinitatem reminiscendam, videndam, diligendam, ut eam recordetur eam contempletur, ea delectetur, totum debet referre quod vivit. Verum ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam, et suo vitio in deterius commutatam, ita eidem comparet Trinitati, ut omnimodo existimet similem ; sed potius in qualicunque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat, quantum satis esse videbatur, admonui.] † Et multa alia, quibus doctor subtilissimus eadem prudenter exsequitur, quæ ob sui longitudinem inserere huic operi devitamus.

Quid, o dialectice, facis? Calumniaris beatissimum Augustinum dixisse sæpius quod nunquam, sicut a te fingitur, dixisse reperitur : *Tu dicis essentiam animæ voluntatem atque scientiam* ; beatus Augustinus dicit voluntatem atque scientiam non esse illius essentiam. Creando quippe Deus universitatis conditor animæ rationali contulit ut meminisset, intelligeret, vellet, sciret, saperet, diligeret, posset, discerneret, et alia complura, quæcunque sempiterna illius bonitas ei conferenda judicavit. Ac per hoc falsa indubitanter convincitur assertio tua, qua Pelagianis favens, eorumdemque errores pervicaciter confovens, tantum voluntati humanæ tribuere præsumpsisti, quantum nec ipsi Pelagiani, nec alius quispiam tribuisse reperitur. Hæccine est oratio tua, qua initio hujus pericopes (*cap.* 8, *n.* 7, *sect.* 1) Dei misericordiam dixeras postulandam, ut te in tantorum errorum labyrinthum induceres ? Nimirum impleta est apostolica protestatio, quæ dicit : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petitis* (*Jac.* IV, 3). Viderat enim omnipotentissimo suo intuitu *Dominus, sciens cogitationes hominum quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII, 11), intentionem animi tui vanitati deservire potius quam veritati ; idcirco avertit auditum clementiæ a prece dementiæ, quoniam voluntate et veritate deserta in hæc tam impia lapsus es. [a] Augustinus Confessionum lib. XIII (*cap.* 20) : [Aut quid te promeruit inchoatio creaturæ spiritalis, ut saltem tenebrosa fluitaret similis abysso tui dissimilis, nisi per idem Verbum converteretur ad idem a quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret, quamvis non æqualiter, tamen conformis formæ æquali tibi. Sicut enim corpori non hoc est esse quod pulchrum esse, alioquin deforme esse non posset : ita etiam creato spiritui non id est vivere, quod sapienter vivere ; alioquin incommutabiliter saperet. Bonum autem illi est hærere tibi semper, ne quod adeptus est conversione, aversione lumen amittat, et relabatur in vitam tenebrosæ abyssi similem.] † Isidorus in libro Etymologiarum (*Orig. lib.* VII, *cap.* 1). [Dicuntur autem et alia nomina quædam in Deum substantialiter : simplex autem dicitur sive non amittendo id quod habet, seu quia non aliud est ipse et aliud quod

[a] Additio in calce paginæ.

in ipso est, sicut in homine, cujus est aliud esse, et aliud sapere.]

✝ Videamus aliam falsitatem tuam qualiter membra carnium Behemoth sibi cohæreant et squammæ altera alteri conjungatur; dicis enim:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 8, n. 8, sect. 5.) Θ *Ideo primum animale corpus hominis ante peccatum, quia adhuc deerat quod ei propter præcepti custodiam fuerat addendum, id est spiritale. Ac per hoc ex eo quod aliquid a perfectione naturæ defuit, erat animale, ex eo quod nihil ei deesset, futurum spiritale. Hinc,* inquiens, *datur intelligi primam hominis voluntatem liberam naturaliter fuisse creatam, cui tamen aliquid adderetur si præceptum Dei servare vellet, ut sicut animale corpus potuit mori quia adhuc non erat perfectum, ita voluntas libera adhuc animalis merito, quia mortalis potuit peccare, qui adhuc non erat perfecta; quæ utique perfectio libertatis post mandati custodiam impleretur, dum ei peccandi voluntas penitus auferretur.*

CORRECTIO.

✝ Videris primorum nostri generis propagatorum sequi sententiam, qui cum voluntate propria peccavissent, causam in Deum contumaciter retorserunt. Nam interrogata mulier respondit: *Serpens decepit me, et comedi* (*Gen.* III, 14). Vir autem: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi et comedi* (*Ibid.*, 12). Nimirum eo suæ responsionis contumaciam porrigentes, ut non suæ voluntati culpam prævaricationis, sed dispositioni Conditoris ascriberent, qui vel serpentem paradiso adniserit, vel mulierem viro sociam dederit; quasi creatura quælibet, non naturæ conditor auctorque præcepti solus audiendus sequendusque indubitanter foret, cum transgressionis eorum causa nulla sit alia quam liberæ voluntatis spontanea in inferiora deflexio. Tu econtra, quia mortem corpori atque animæ propter imperfectionem sui obvenisse dicis, causam mortis Deo assignas, qui hominem fecerit imperfectum. Si enim secundum te imperfectus est conditus, sequitur ut lapsus ejus de imperfectione veniens, non ipsi deputetur sed Deo: quod quam sit impium et a veritate alienum, perfecto nulli dubitare permittitur. Fides autem catholica inconcusse tenet et prædicat, humanam naturam rectam atque perfectam a Creatore summe et singulariter bono conditam, omnibusque, quibus eam secundum utramque substantiam consistere judicavit, bonis donatam: quippe cui secundum corpus nihil honesti defuit, et secundum animam nihil decoris abfuit, adeo ut liberrima voluntate donato semper haberet liberum inhærere Conditori, si mandati custodiam obedienter servavisset: ac per hoc nulla necessitate, sed voluntatis propria libertate peccavit, quam nullatenus potuit evitare, quia secundum te imperfectus est conditus: imperfectio ergo ipsa necessario impulit ad peccandum: qui enim imperfectione mandatum auctoris transgredi compulsus est, jam non libertate voluntatis, sed necessitate imperfectionis lapsus esse dicendus est.

Constat igitur imperfectionis auctori deputetur quidquid imperfectionis necessitate peccatum est: quod quia absurdissimum, imo nefarium est credere, restat ut hominem et perfectum conditum et voluntatis libertate mandati custodiam prævaricatum esse fateamur. Si enim imperfecta libertas voluntatis est data, prorsus nec libera est dicenda: omnis enim liber aut perfecte liber est, aut si non perfecte, profecto nec liber: quomodo enim liber est, qui aliqua sui parte est imperfectus? Non est igitur dubitandum perfectum primum hominem conditum, nulli adhuc morti obnoxium, quæ illi ob peccati admissionem juste est retributa; cum post peccati commissum jam morti obnoxios legamus secundum quemdam modum esse perfectos; scriptum est enim in Genesi: *Noe vir justus atque perfectus* (*Gen.* VI, 9); et Dominus in Evangelio monet: *Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* V, 48); et Apostolus: *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc teneamus* (*Phil.* III, 15), et reliqua. Constat autem superioribus infaustæ disputationis tuæ partibus te sategisse ut rationali creaturæ, id est et angelis et hominibus, liberam voluntatem, id est liberum arbitrium secundum te creatum divinitus approbares, quod tamen donum indebitæ largitatis Dei cum fides catholica intellectuali creaturæ, et angelicæ videlicet et humanæ collatum prædicet, nimirum sequitur ut eamdem imperfectionis notam angelicæ creaturæ aduras. Si enim uterque, angelus scilicet et homo, liberum arbitrium largitate Conditoris est consecutus, necesse est aut utrumque imperfectum asseras, aut non æqualiter arbitrii libertate donatum, quod te nullatenus reor ausurum, qui toties liberam voluntatem utriusque rationalis creaturæ etiam plus quam necessitas posceret astruxisti. Si ergo constat utrumque libertate donatum, constat utrumque non, ut somnias, imperfecte, sed, ut habet veritas, perfecte creatum. Perfectum vero angelum primordialiter conditum testatur propheta, qui lapsui ejus voluntario exprobrans ait: *Tu signaculum similitudinis Dei perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII, 12); et Dominus ad Job. *Ipse est principium viarum Dei* (*Job* XL, 14), quorum explanationem beatus Gregorius in libro Moralium XXXII (*cap.* 18). Ita exsequitur:

[Velut si aperte diceret: Idcirco ad tam multa fortiter sufficit, quia in natura rerum hunc creando per substantiam Conditor primum fecit. Quid enim vias Domini nisi ejus actiones accipimus, de quibus per prophetam dicit: *Non enim sunt viæ meæ sicut viæ vestræ* (*Isa.* LV, 8). Et principium viarum Dei Behemoth dicitur, quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit. Hujus primatus eminentiam conspicit propheta cum dicit: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei; abietes non adæquaverunt summitatem ejus; platani non fuerunt æquæ*

frondibus illius. Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini ejus, quoniam speciosum fecit cum in multis condensisque frondibus (*Ezech.* XXXI, 8, 9). Qui namque accipi in cedris, abietibus et platanis possunt, nisi illa virtutum cœlestium proceræ celsitudinis agmina, in æternæ lætitiæ viriditate plantata? quæ quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Qui speciosus factus in multis condensisque frondibus dicitur, qui prælatum cæteris legionibus, tanto illum species pulchriorem reddidit, quanto [*al.*, quanta] et supposita angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit. Qui et idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus. Hinc ei rursum per eumdem prophetam dicitur: *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII 12). Multa enim de ejus magnitudine locuturus primo verbo cuncta complexus est. Quid namque boni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit? De signaculo [*al.*, sigillo] quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, angelo tamen quasi majus aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit, ut quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius [*al.*, penitus] credatur expressa. Hinc est quod primatus ejus potentiam adhuc insinuans idem propheta subjungit: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, et topazius, et jaspis, chrysolithus, onyx, et berillus, sapphirus, carbunculus et smaragdus* (*ibid.*, 13). Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines angelorum. Nam cum per ipsa sacra eloquia angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubim atque seraphim aperta narratione memorantur, supernorum civium quantæ sint distinctiones ostenditur. Quibus tamen Behemoth iste opertus fuisse describitur; quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. De cujus illic adhuc descriptione subjungit: *Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt* (*Ibid.*) *Aurum* opus decoris ejus exstitit, quia sapientiæ claritate canduit quam bene creatus accepit. *Foramina* vero idcirco in lapidibus fiunt, ut vinculati auro in ornamenti compositione jungantur, et nequaquam a se dissideant, quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. Hujus ergo lapidis in die conditionis suæ foramina reparata [*al.*, præparata] sunt quia videlicet capax charitatis est conditus. Qua si repleri voluisset, stantibus angelis tanquam positis in regis ornamento lapidibus potuisset et inhærere. Si enim charitatis auro sese penetrabilem præbuisset, sanctis angelis sociatus, in ornamento diximus, regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta. Nam quia idcirco colligantur auro ne cadant, idcirco iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contempsit. Nunc autem cæteri lapides, qui huic similiter fuerant perforati, penetrante se invicem charitate ligati sunt, atque hoc in munere, isto cadente, meruerunt ut nequaquam jam de ornamento regio cadendo solvantur. Hujus principatus celsitudinem adhuc idem propheta intuens, adjungit: *Tu cherub extentus et protegens in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulastis* (*Ezech.* XXVIII, 14). *Cherub* quippe *plenitudo scientiæ* interpretatur, et idcirco iste cherub dicitur, quia trancendisse cunctos scientia non dubitatur, qui in medio lapidum ignitorum perfectus ambulavit, quia inter angelorum corda charitatis igne succensa clarus gloria conditionis exstitit. Quem bene extentum ac protegentem dicit. Omne enim quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ obumbrasse cæterorum claritatem creditur, ipse extentus et protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majore transcendit. Quod ergo illic speciosus in multis frondibus, quod illic protegens dicitur, hoc hic voce Dominica Behemoth ista viarum Dei principium vocatur. De quo idcirco tam mira in quibus fuit et quæ amisit insinuat, ut territo homini ostendat quid ipse, si superbiat, de elationis suæ culpo passurus sit, si feriendo illi parcere noluit, quem creando in gloria tantæ claritatis elevavit. Consideret ergo homo quid elatus in terra mereatur, si et prælatus angelis angelus in cœlo prosternitur. Unde et bene per prophetam dicitur: *Inebriatus est in cœlo gladius meus* (*Isa.* XXXIV, 5). Ac si aperte diceret: Qua ira feriam superbos terræ perpendite, si ipsos etiam quos in cœlo juxta me condidi, pro elationis vitio percutere non peperci.]

†Quibus auctoritatibus suspiciendis, ac per omnia venerandis, sole lucidius claret et angelum et hominem perfectos conditos, ruinamque eorum non de imperfectione naturæ, sed de abusione liberæ voluntatis accidisse. Quod si corpus hominis ideo mori potuit quia imperfectum fuit, et anima peccare quia imperfecta facta est, jam non erit causa mortis ejus peccatoris voluntas, sed Conditoris (quod absit) iniquitas, videlicet, qui ideo fecerit imperfectum, ut necessario peccaret perindeque moreretur. Et ubi est quod Apostolus ait: *Nunquid iniquitas apud Deum* (*Rom.* IX, 14)? et quod adjungit: *Absit?* Si ergo, ut habet veritas, nulla est iniquitas apud Deum, constat quia nullas necessitates intellectuali creaturæ condendo inflixerit, quibus invita atque captiva peccato sese addicere cogeretur. Quod si hanc imperfectionem mortalitati assignas, nequaquam ab eadem impietate recedis, quoniam et si homo ita primordialiter factus est, ut posset non

mori si non peccaret, posset etiam mori si peccaret non ideo imperfectus dicendus est, quia peccare potuit : fecit enim quod voluit, non imperfectione adactus, sed voluntate allectus ; nec ideo mortuus quia fecit imperfectus, cum et mors propter peccatum, et peccatum propter liberæ voluntatis aversionem spontaneam peccanti, acciderunt. A

Faves omnino Pelagianis, ac per hoc dic etiam cum eis, Adam sive peccaret, sive non peccaret mortalem factum et moriturum, quod totum catholica Ecclesia prædamnavit (*Conc. Afri. cap.* 1) : qui inquam, ita est conditus, ut possit non mori si non peccaret, colligitur ut non imperfectus dicatur conditus, sed perfectus ; quippe cui ad sui perfectionem nihil deesset si non peccaret : nempe absque ulla mortis aut morbi contaminatione, ligni vitæ pabulo salutariter cibatus, angelicæ societatis unitus beatitati, in perpetuum exsultaret. B Hanc imperfectionem si humanæ naturæ deputas, necesse est ut Dominum nostrum Jesum Christum eidem imperfectionis subjuges : qui autem audeat dicere imperfectam ejus esse naturam, de quo fideliter canimus, quia sit perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens ? Neque enim vel Apollinaris audiendus est, qui eum habuisse animam negat, dicens quidquid animæ fuerat operatum in eo divinitatem suam ; Manichæi, qui eum corpus assumpsisse phantasticum delirant : sed fide plenissima et auctoritate fundatissima confitendum verum habuisse et habere corpus, veram et animam nihilque illi C aliquatenus defuisse quod perfectioni humanæ primordiali conditione ipse cum Patre et sancto Spiritu omnipotenti bonitate contulerat. Hoc utrumque veraciter eum assumpsisse Isaias propheta testatur, cum dicit : *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, vocabunt nomen ejus Emmanuel ; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum* (*Isa* VII, 14). Neque enim femina, quæ est homo, aliud concipere aut parere potuit, nisi quod erat, id est hominem, neque *Emmanuel*, id est *nobiscum Deus*, aliud appellari poterat nisi homo verus, qui esset et Deus. Neque *butyrum et mel*, quibus omnes humano corpori cibi necessarii comprehenduntur, comedere poterat, nisi corpus ; neque cadaver inanime vel scire, D vel appetere, vel attrectare cibos, nisi per animam sese vegetantem, de quo et idem propheta ait : *Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus* (*Isa* II, 22). Ubi utramque naturam hominis comprehensam nemo dubitat. De quo ad Abraham divina promissio loquitur dicens : *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ* (*Gen.* XXII, 18) : et Moses ad filios Israel : *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratibus vestris, tanquam me ipsum audietis* (*Deut.* XVIII, 18) quid enim est *tanquam me*, nisi hominem sicut ego sum homo ; et ad David ipse Dominus : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psl.* CXXXI. 11) ; cui Apostolus concinit dicens : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Gabriel quoque, in eadem consentiens, beatæ Mariæ virgini nuntians, *Et dabit* inquit, *ei Dominus Deus sedem David patris ejus* (*Luc.* I, 32). Ipse etiam Dominus interrogans Pharisæos, cujus filium dicerent esse Christum ; respondentibus David, continuo adjunxit : *Si ergo filius ejus est, quomodo vocat eum Dominum* (*Matth.* XXII, 42) ? Ubi cum eorum responsioni astipulans, sese filium David, id est hominem ex homine non negaret divinitatis suæ eminentiam extulit, qui se patris sui, id est David Dominum comprobavit : quomodo enim semen Abraham, et filius David, nisi homo verus atque perfectus ex hominibus veris atque perfectis ? Hinc et Apostolus : *Nunquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde et debuit per omnia fratribus similari tentatus per omnia absque peccato* (*Hebr.* II, 16, 17 ; IV, 15).

Qui igitur omnes tentationes hominis absque peccato subiit, profecto plenum atque perfectum se hominem declaravit. Habet autem fides catholica Dominum nostrum Jesum Christum ejus conditionis hominem ex intemerato virginis utero in unitatem suæ, id est Filii Dei, personæ sumpsisse, in qua primum hominem, ipse condiderat : quod si imperfectione mortuum primum hominem, asseveras, sequitur ut et secundum hominem id est Christum, eadem imperfectione mortuum asseveras. Atqui non imperfectione, sed potestate et voluntate propria se mortuum esse testatur, cum dicit : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam, et iterum sumo eam* (*Joan.* X, 18). Et Evangelista de illo : *Et inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 30). Qui igitur posse se animam ponere demumque resumere testatur, profecto non necessitate imperfectionis, sed potestate propriæ voluntatis mortem se subisse demonstrat. Ac per hoc si distantiam animalis hominis ab spiritali monstrandam necessarium duxeras, insolenti nimirum vocabulo usus es, ut imperfectum diceres pro nondum spiritali, qui servata mandati custodia expletoque cursu vitæ mundissimæ, voluntate Dei ligno vitæ degustato, beatitudini ac gloriæ angelicæ necteretur.

Explosa igitur necessitate imperfectionis fatemur eum libertate voluntatis peccavisse, meritoque peccati, non imperfectionis necessitate, mortis supplicium recepisse. Sed cum asseris : *Ideo corpus mori potuisse, quia necdum spiritale factum erat, contradicis* veritati, quæ per egregium prædicatorem clamat: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum* (*Rom.* VIII, 10) ; et item *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII, 24.) Hoc semper et sensit et docuit catholica Ecclesia, hoc adversus Pelagianos fortissime defendit, veracissime vindicavit, invictissime astruxit. Non enim necessitate ingenitæ fragilitatis humana natura in primis suis propagatoribus compulsa est in mortem, sed merito sui spontanei facinoris, æquitate districti judicis addicta. Verum qui necessitatem penitus

naturis creatis abrogas, mirum est cur non videris quia dum imperfectione sui naturam humani peccare, ac per hoc mori potuisse asseris, eam inevitabilis jugo necessitatis substernas; ut ideo nec peccatum, nec ejus meritum, id est mortem vitare potuerit, quoniam imperfectione Conditionis tam inextricabili necessitati substrata fuerit. Videris itaque mihi in duobus non ferendam Conditori universitatis inferre injuriam; videlicet in bonitate atque justitia: nam dum peccatum ad mortem hominis imperfectioni suæ ascribis, bonitati auctoris immodice contradicis, qui (quod absit) noluerit perfectum condere, quem conditum haberet unde damnaret. Rursum dum pœnam, id est mortem hominis, imperfectionis necessitati deputas, justitiam judicantis abjuras; aut certe fato sive fortunæ cum paganis frena laxans, Dei providentiam funditus absumis; quæ quam sint catholicæ fidei adversa, nullus vel tenuiter, tamen fideliter, Scripturas sanctas intelligens ignorat.

Jam vero quod extraordinarie de hominis voluntate ante peccatum quæri asseris (*cap.* 8. *num.* 9, 10, *sect.* 7), quis non videat quanta absurditate tuas disputationes involveris, ut qui hactenus de voluntate post peccatum etiam libera tractaveris, subito ad eamdem ante peccatum qualis fuerit evolaveris. De qua cum nullus dubitet, aut quærendum existimet, verbositati atque jactantiæ te studuisse procacissimus innuisti. Sed Deo agimus gratias, qui te motum animæ, quam nos voluntatem illius non dubitamus, quamvis alio intentionem tuam porrexeris, a se, id est Deo, fieri tandem aliquando facere dignatus est confiteri. Unde et Scriptura clamat: *Præparatur voluntas a Domino* (*Prov.* VIII, *sec. LXX*; et Apostolus: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II, 13). Et omnes catholici tractatores consentiunt, et sanctæ Ecclesiæ fides orthodoxa non tacet, nec unquam est ullatenus tacitura.

Postremo cum eorum dementiam exaggeras (*num.* 11, *sect.* 9), qui causas peccatorum inevitabiles, coactivasque necessitates in prædestinatione divina falsissime, ut asseris, fingunt, impudentissime astruunt, quodque sit valde dolendum, seipsos consentientesque sibi ad perpetuæ mortis interitum merito erroris detrudunt; miror cur non te ipsum prius attenderis, qui imperfectionis necessitates ita novus assertor induxeris, ut ea et mortuum et peccasse primum hominem absque auctoritatis munimine prædicares. Nam quod non prædestinationis necessitate, sed justo perindeque inevitabili Dei judicio post primævæ transgressionis justissimam damnationem omnes (illo uno singulariter excepto, in quo nihil habuit princeps hujus mundi) voluntarie servi peccati effecti, ad peccandum etiam compellantur, et supra satis actum est, et Apostolus manifestat dicens: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum, et quadrupedum, et serpentum. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula, amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam; similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ exarserunt in desideriis suis: invicem masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I, 21-32). Et Propheta: *Effusa est confusio super principes et errare fecit eos in invio, et non in via* (*Psal.* CVI, 40). Et ipse Dominus per prophetam: *Cum erraverit propheta ille; ego Dominus seduxi eum* (*Ezech.* XIV, 9). Et de Achab decipiendo, ut iret et caderet in Ramoth Galaad, audiens potius fanaticos suos, quam prophetæ Domini acquiescens, spiritus erroris quærente Domino, quis iret ad decipiendum illum cum diceret: *Ego ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*; audis ab illo: *Decipies et prævalebis, egredere et fac* (*III Reg.* XXII, 20, 22). Et rursum Apostolus: *Cujus enim vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX, 18). Et ipse Dominus: *Ego indurabo cor Pharaonis* (*Exod.* X, 27): et iterum: *In hoc ipsum excitavi te ut ostendam in te fortitudinem meam* (*Rom.* IX, 17). Quæ omnia pius animus nequaquam vitio Dei facientis, sed æquitati tribuit justissime punientis.

CAPUT IX.

De eo quod non proprie, sed temporalium rerum similitudine prædicantur de Deo præscientia et prædestinatio.

Nono disputationum tuarum articulo conaris ostendere præscientiam et prædestinationem de Deo non proprie, sed temporalium rerum similitudine prædicari. In quo cum dicis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 1, num, 2, sect. 1) ⊖ *Nihil digne de Deo dici.*

CORRECTIO.

÷ Verum est quidem illam ineffabilem, incorpo-

ream immutabilemque naturam, quæ est Trinitas, A unus et verus Deus, nullis corporalium rerum signis a vocibus proferri valere: quantum tamen ipso universitatis auctore datur atque conceditur ipsis quibus humanam naturam uti dedit, verborum significationibus, pro munere distribuentis, et capacitate sumentis, digne quæ sua sunt voluit atque instituit prædicari. Sed cum dicis (*num.* 3) *eis uti humanæ ratiocinationis post peccatum primi hominis laboriosam egestatem*, nonne fidelius veraciusque diceres divinorum eloquiorum auctoritatem? Quæ enim humana ratiocinatio unquam Deum plene cognovit, satis asseruit? Licet namque quidam philosophorum de Deo, quantum ab ipso tacti sunt, quædam competenter protulerint, nunquam tamen ante divinæ legis promulgationem B tantæ rei sublimitatem perspicere aut suis ratiocinationibus invenire valuerunt. Ac per hoc divinæ magis deputandum est bonitati, qui cum se a suis vellet fideliter et veraciter nuntiari, tales quoque id est a cultu sui nominis alienos, suæ majestatis quantulacunque notitia non fraudavit. Qui tamen, secundum Apostolum, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in desideriis suis; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom*, I, 21, 22). Porro cum Deum cognovissent, ac de Deo ratiocinati dicantur, nunquid Deum, sanctam videlicet Trinitatem cognovisse, aut suis disputationibus comprehendisse dicentur? Quis tam mentis inops ita desipiat, ut hæc eos apprehendisse con- C firmet? Credibilius est igitur a veris prædicatoribus hunc eos auditum primitus imbibisse, ac supernæ largitatis munere super re tanta aliquatenus tactos, ejus considerationi mentis oculum intendisse. *Deus enim,* ut ait Apostolus (*Phil.* III, 15), *illis revelavit,* sed quia Deum non glorificaverint, aut gratias egerint, evanuisse in desideriis suis. Ut quem suis ratiocinationibus, non autem pietate et auctoritate divina sese comprehendere putavissent, ipsa sui præsumptione relisi, quid suis viribus nequiverint, monstraretur. Quod tibi etiam merito contigisse certum est, qui dum eorum ratiocinationibus Deum subdere non metuis, veritate fraudatus, ipso infirmitatis pondere prægravatus, jure succumbis. Relictis enim catholicorum Patrum regulis, quas divinorum eloquiorum perscrutationibus prudenter ac congrue præfixerunt, dum nova fingis, ita in ipsis deficis, ut quibus approbes minime nanciscaris? Si quidem disputans de his quæ contrarietatis loco sumuntur, quorum quædam absolutæ, quædam conjuncte dicantur, absolutivæ formæ exemplum de Deo non posse inveniri testatus es? Quid ergo profuit regulam Deum prædicandi affigere, cujus exemplum nequeat inveniri? Satius enimvero dixerim premenda fuisse silentio, quam pro regulis nullo exemplo firmandis ad medium deduxisse.

Verum quod addidisti (*cap.* 9, *n.* 4, *sect* 4) non facile, ut de his quæ homini Christo tantum, non etiam deitatis ejus conveniunt, quamvis insepa-rabilis post unitionem Dei et hominis unitas veraciter prædicetur, perindeque quæ sunt hominis Deo, et quæ Dei sunt homini soleant deputari, quod protuleras affirmares, prorsus rationi non convenit: aliud est enim divina, aliud humana tractari. Multo itaque melius fuerat Patrum regulis inhærere, quam propriis adinventionibus evanescere. Beatus namque Augustinus, cum de hac eadem re acutissime et, juxta morem suum, augustissime disputaret, ita in libro de sancta Trinitate V locutus est (*cap.* 8, 9, 13, 16): [Quapropter illud præcipue teneamus, quidquid ad se dicitur præstantissima illa et divina Trinitas [*al.*, sublimitas], substantialiter dici; quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relative: tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre et Filio et Spiritu sancto, ut quidquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Quemadmodum enim Deus est Pater, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, quod secundum substantiam dici nemo dubitat; non tamen tres deos sed unum Deum dicimus eamdem ipsam præstantissimam Trinitatem. Ita magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus sanctus; nec tamen tres magni, sed unus magnus. Non enim de Patre solo, sicut hæretici perverse sentiunt, sed de Patre, et Filio, et Spiritu sancto scriptum est: *Tu es solus Deus magnus* (*Psal.* LXXXV, 10). Et bonus Pater, bonus Filius, bonus et Spiritus sanctus: nec tres boni, sed unus bonus: de quo dictum est: *Nemo bonus nisi unus Deus (Marc.* X, 18). Etenim Dominus Jesus ne ab illo qui dixerat, *Magister bone* (*Luc.* XVIII, 19, 18), tanquam hominem compellans, secundum hominem tantummodo intelligeretur, ideo non ait, nemo bonus nisi solus Pater, sed: *Nemo bonus, nisi unus Deus.* In Patris enim nomine, ipse per se Pater pronuntiatur: in Dei vero et ipse Filius et Spiritus sanctus, quia Trinitas unus est Deus. Situs vero, et habitus, et loca, et tempora non proprie, sed translate ac per similitudines dicuntur in Deo. Nam et sedere super Cherubin dicitur (*Psal.* LXXIX, 2) quod ad situm dicitur: *Et abyssum tanquam vestimentum amictus* (*Psal.* CIII, 6), quod ad habitum. Et: *Anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28), quod ad tempus: et: *Si ascendero in cœlum tu ibi es* (*Psal.* CXXXVIII, D 8), quod ad locum. Quod autem ad faciendum attinet, fortassis de solo Deo verissime dicatur: solus enim Deus facit, et ipse non fit, neque patitur, quantum ad ejus substantiam pertinet qua Deus est. Itaque omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, nec tamen tres omnipotentes sed unus Omnipotens *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*: *ipsi gloria* (*Rom.* XI, 36). Quidquid ergo ad seipsum dicitur Deus, et de singulis personis similiter [*al.*, singulariter] dicitur; id est Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur. Quoniam quippe non aliud est Deo esse, et aliud magnum esse: sed hoc idem illi est esse quod est et magnum esse:

propterea sicut non dicimus tres essentias, sed unam essentiam, sic non dicimus tres magnitudines, sed unam magnitudinem. Essentiam dico, quæ οὐσία Græce dicitur, quam usitatius substantiam vocamus.

Sicut ergo non dicimus tres essentias, ita non dicimus tres magnitudines, neque tres magnos. In rebus enim quæ pariicipatione magnitudinis magnæ sunt, quibus aliud est esse, aliud magnas esse, sicut magna domus, et magnus mons, et magnus animus, in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud est quod ab ea magnitudine magnum est. Et prorsus non hoc est magnitudo quod est magna domus. Sed illa est vera magnitudo, qua non solum magna est domus quæ magna est, et qua magnus est mons, quisquis magnus est; sed etiam qua magnus est quidquid aliud magnum dicitur: ut aliud sit ipsa magnitudo, aliud ea quæ ab illa magna dicuntur. Quæ magnitudo utique primitus magna est multoque excellentius, quam ea quæ participatione ejus magna sunt. Deus autem, quia non ea magnitudine magnus est quæ non est quod est ipse, ut quasi particeps ejus sit Deus cum magnus est: alioquin illa erit major magnitudo quam Deus, Deo autem non est aliquid majus; ea igitur magnitudine magnus est qua ipse est eadem magnitudo. Et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines; hoc est enim Deo esse quod est magnum esse. Eadem causa nec tres magnos dicimus, sed unum magnum: quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed seipso magno magnus est, quia ipse sua est magnitudo. Hoc de bonitate, et de æternitate, et de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis quæ de Deo possunt pronuntiari, quod ad se ipsum dicitur non translate ac per similitudinem, sed proprie: si tamen de illo proprie aliquid dici ore hominis potest. Quod [*al.*, quæ] autem proprie singula in eadem Trinitate dicuntur, nullo modo ad seipsa, sed ad invicem, aut ad creaturam dicuntur; et ideo relative, non substantialiter ea dici manifestum est. Sicut enim Trinitas unus dicitur Deus magnus, bonus, æternus, omnipotens: idemque ipse sic sua dici potest deitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas, ipse sua æternitas, ipse sua omnipotentia: non sic dici potest Trinitas Pater.

Dicitur ergo relative Pater, idemque relative dicitur principium, et si quid forte aliud: sed Pater ad Filium dicitur, principium vero ab omnia quæ ab ipso sunt. Item dicitur relative Filius, relative dicitur et Verbum et imago; et in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur, nihil autem horum Pater dicitur. Et principium dicitur Filius: cum enim diceretur ei: *Tu quis es?* respondit: *Principium, qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25). Sed nunquid Patris principium? Creatorem se quippe ostendere voluit cum dixit esse principium, sicut et Pater principium est creaturæ, eo quod ab ipso sunt omnia. Nam et creator relative dicitur ad creaturam, sicut dominus ad servum. Et ideo cum dicimus et Patrem principium, et Filium principium, non duo principia creaturæ dicimus, quia et Pater et Filius simul ad creaturam unum principium est, sicut unus creator, sicut unus Deus. Si autem quidquid in se monet, et gignit aliquid vel operatur, principium est ei rei quam gignit, vel ei quam operatur, non possumus negare etiam Spiritum sanctum recte dici principium, quia non eum separamus ab appellatione creatoris, et scriptum est de illo quod operetur, et utique in se manens operetur, et utique in se manens operatur: non enim in aliquid eorum quæ operatur, ipse mutatur et vertitur. Et quæ operatur vide: *Unicuique autem*, inquit, *datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem datur per Spirituum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum; alteri autem fides in eodem Spiritu; alii donatio curationum in uno Spiritu; alii operationes virtutum; alii prophetia, alii dijudicatio spirituum, alteri genera linguarum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult* (I *Cor.* XII, 7-11), utique sicut Deus. Quis enim tanta illa potest operari nisi Deus? *Idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus* (*Ibid.* 6). Nam et sigillatim si interrogemur de Spiritu sancto, verissime respondemus quod Deus sit, et cum Patre et Filio simul unus Deus est. Unum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo vel tria principia.

Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici in Deum, nisi quia ipsius naturæ nihil accidit quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa, quæ cum aliqua mutatione rerum de quibus dicitur, accidunt. Sicut amicus relative dicitur, neque enim esse incipit nisi cum amare cœperit: fit ergo aliqua mutatio voluntatis ut amicus dicatur. Nummus autem cum dicitur pretium relative dicitur, nec tamen mutatus est cum esse cœpit pretium, neque cum dicitur pignus, et si qua sunt similia. Si ergo nummus potest, nulla sui mutatione, multoties dici, relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma (qua nummus est) mutationis fiat: quanto facilius de illa incommutabili Dei substautia debemus accipere ut ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accedisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur. *Domine*, inquit, *refugium factus es nobis* (*Ps.* LXXXIX, 1); *refugium* ergo nostrum Deus relative dicitur, ad nos enim refertur: Et tunc *refugium* nostrum fit, cum ad eum refugimus: Nunquid tunc fit aliquid in ejus natura, quod, antequam ad eum refugeremus non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio; deteriores enim fuimus antequam ad eum refugeremus, et efficimur ad eum refugiendo meliores? in illo autem nulla: Sic et pater noster esse incipit, cum per ejus gratiam regeneramur, quoniam *dedit nobis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Substantia itaque nostra mutatur in melius, cum filii ejus efficimur, simul et ille Pater

noster esse incipit, sed nulla suæ commutatione substantiæ: quod ergo temporaliter dici incipit Dominus [*al.*, Deus], quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici: non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit: sed plane secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit: sed plane secundum accidens ejus ad quod dici † [*al.*,dici aliquid Deus incipit] Dominus incipit relative: Et. quod amicus Dei justus esse incipit, ipse mutatur: Deus autem absit ut temporaliter aliquem diligat quasi nova dilectione, (quod in ipso) [*al.*, quæ in illo] ante non erat, apud quem nec præterita transierunt, *et futura jam facta sunt*. Itaque omnes sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sicut prædestinavit, sed cum convertuntur et inveniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur, ut eo modo dicatur quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam cum iratus malis dicitur, et placidus bonis, illi mutantur non ipse, sicut lux, infirmis oculis aspera, firmis lenis est ipsorum scilicet mutatione, non sua.]

Has beatissimus Augustinus, afflatus Deo, regulas nobis de eo acutissime veraciterque dereliquit respondens Arianorum versutiis, qui inæqualitatem sanctæ Trinitatis argumentis dialecticis ore et corde pestifero inclamabant. Tu vero, frigescente in te veræ charitatis ardore, nec contra dialecticum sophistice agere, nec simplicioribus fratribus consulere delegisti: quippe, dum affingis superflua, obscuras etiam manifesta. Quapropter quod in catalogo substantivorum nominum *destinationem* ponere voluisti (*cap.* 9, *n.* 5, *sect.* 2), falsum esse quis nesciat? Nunquam enim relativa substantiam significant, sed ad aliquid ea pertinere non dubium est: destinare autem relative dicitur, sicut creare, sicut facere, sicut operari, sicut disponere, dispensare, judicare, quæ non substantiam utique demonstrant, sed ad aliquid relata promuntur, nempe qui destinat, sive prædestinat, aliquid nimirum destinat, sive prædestinat. Ergo cum dicimus destinare, non esse dicimus, sed aliquid disponere, ut creare, facere, atque operari. Non igitur destinatio substantive, sed dicitur relative: relativorum autem non est substantiam demonstrare, hoc non solum divinæ, verum etiam humanæ litteræ clamant, et ipse usitatissimus etiam in litteratis quibusque loquendi modus, quod omnes, aut pene omnes, destinare, pro eo quod est ordinare atque disponere, dicendi frequentia celebrare sæpius non desistunt. Non est igitur destinatio Deus, neque substantivum illius, sed potius relativum, quo significatur disposuisse ante sæcula quidquid in tempore vel post tempora erat ipse facturus. Proinde quamvis relative, quoniam sunt relativa hæc, in Deo, vel de Deo, nequaquam fallaciter prædicentur, nulli naturæ id quod prædestinare dicitur competentius aptatur, quam illi, quæ, sola omnipotentiæ suæ virtute, universa, quæ fuerat ipsa factura, potuit præscire, potuit prævidere; quæ, cum sit Trinitas, unus solus et verus Deus, *operatur*, secundum Apostolum, *omnia*

A *secundum consilium voluntatis suæ* (*Eph.* I, 11). Licet itaque dicantur homines etiam creatores, conditores, factores, operatores, ordinatores, dispositores, destinatores, prædestinatores, et multa similia, ille tamen, modo quodam proprio, etsi relative dicendus est creator, conditor, factor, operator, dispositor, destinator, ac prædestinator, qui solus ante cuncta potuit prævidere, quam faceret; quoniam ipse solus, *omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen* (*Psal.* CXIII, 3; *Rom.* XI, 36).

Quis porro non stupeat fatuitatem tuam? Qui, cum superius præscientiam et prædestinationem
B Dei ejus substantiam asserueris, nunc translate in eum dici more Latinorum asseveres, quæ substantiam nunquam demonstrant, esse autem hæc relativa et nullatenus substantiva cuivis etiam simpliciori patet: Verumtamen prædestinationem quoque non substantialiter, sed relative Deum dici posse sicut refugium, laudem, laudationem, protectionem nullo modo abnuerim, quamvis id divina eloquia minime commendent: alioquin veluti non creatio, operatio atque conditio, ita nec destinatio ac prædestinatio Deus substantialiter ulli catholico pronuntiandus atque fatendus est, ne evidentissimæ rationis auctoritatis, ac Patris Augustini veracissimis disputationibus impudenter, imo infideliter repugnare convinca-
C tur.

CAPUT X

De eo quod a contrario intelligendum sit, quando dicitur Deus præscire, aut prædestinare peccata, vel mortem, vel pœnas hominum, vel angelorum.

Decimus blasphemiarum tuarum titulus est.

JOANNES SCOTUS

(Cap. 10, num. 1, sect. 1). *De eo quod e contrario intelligendum sit, quando dicitur Deus præscire, aut prædestinare peccata, vel mortem, vel pœnas hominum, vel angelorum.*

CORRECTIO

In quo dum inservis dialecticis ac rhetoricis, prorsus a veritate desereris: subdividis enim præscientiam et prædestinationem, sicuti et præparationem et prævisionem, duabusque sedibus significationum in Deum translatas asseris, ut, quando similitudine sumuntur, nihil aliud significent, præter quod ipse Creator omnium facturus esset, sive in constituenda universitatis substantia naturalibusque ejus qualitatibus, sive in ejus administratione in his tantummodo, *quos præscivit et prædestinavit secundum propositum gratiæ suæ conformes imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII, 28, 29) esse futuros. Quando vero de loco qui est a contrario, nihil in eis intelligendum, nisi quod Deus, in creatura quam ipse condidit, fieri sinit motu proprio liberoque rationalis naturæ, perverse utentis naturalibus bonis quæ sui Creatoris largitate suscepit: Et hoc esse totum quod dicitur

malum, et pœna ejus varia multimodaque miseria; quod ut compendiosius propter mei similes eloquar. Vis intelligi Deum præscire et prædestinare tantummodo quæ bona sunt, mala vero nec præscire nec prædestinare: quam perversitatem nullus ante te præsumpsisse reperitur, cum omnes divinorum Librorum paginæ Deum omnipotentissimum et justissimum scire et præscire, ac per hoc prohibere, judicare atque punire peccata, non solum factorum, verum etiam dictorum cogitationumque multoties inculcent.

Quid enim? nunquid nescisse Deus dicendus est peccaturos nostri generis primos propagatores? Cur ergo eos ab inobedientiæ malo, et prius benigne prohibuit (*Gen.* II, 17), et post juste damnavit (*Gen.* III, 15)? Nimirum quia a peccando prohibuit, et prævidit et præscivit quid malo inobedientiæ esset homo facturus, et quid merito justitiæ recepturus. Si neque prævidit neque præscivit peccata hominum diluvio periturorum, quid est quod per annos centum arcam ædificari præcepit, ut, cæteris propter peccata deletis, solus Noe cum domo sua salvaretur? Quid est quod, Mosi liberationem Israelis prædicens, Pharaonem atque Ægyptios induratos inter tot et tanta percussionum genera contumaciter corda sua non tacet? (*Gen.* VI, 1, seq. VII, 1, seq. *Exod.* IV, 2.) Si non præscivit neque prævidit scelera multaque flagitia ejusdem Israelitici populi, cur eos nominatim ab omnibus peccatis abstinere præcepit? qui, cum homines divina majestate atque auctoritate dignatus est per ignem et caliginem tonitruum ac fulgura discurrentia compellare, ita exorsus est: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Memento ut diem sabbati sanctifices. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt* (*Deut.* V, 6 seq.). Et cætera quæ legis divinæ serie continentur. Quæ omnia quo pacto Deus prohibuisse creditur, si nec præscivit nec prævidit homines ea facturos? Cur toties et tanta instantia, tantaque, ut ita dixerim, importunitate, sed opportuna, per tot prophetas futura hominum peccata, eorumque supplicia, prædicebat, si ea nec præsciebat nec prævidebat? Sed quid necesse est ea diutius replicare, quæ omnibus tam sunt nota quam lectionibus usitata. Non ergo ut male sentis, a contrario, sed veraciter Deus peccata prævidisse et præscisse dicitur, qui ea et fieri prohibuit, et punienda prædixit, factaque damnavit. Verum quod dicis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 10, num. 2, sect. 1) Θ *Cum ergo audimus præscivit Deus, vel prædestinavit, vel præparavit peccata, seu mortem, sive pœnas eorum quos juste deseruit.*

CORRECTIO.

† Quis hoc dixerit, quis saltem cogitatione conceperit? Dicitur enim Deus præscisse peccata, mortem, vel pœnas: prædestinasse autem vel præparasse peccata nunquam ante te dictum comperi, nunquam legi; prædestinasse vero vel præparasse mortem sive pœnas peccantibus propheticæ et apostolicæ litteræ clamant. Tu vero quia præscientiam et prædestinationem confundis, ita ut unum esse dogmatizes, dicis Deum prædestinasse et præparasse peccata, quod catholicorum nullus unquam vel sensit vel dixit. Differre porro præscientiam a prædestinatione et supra jam egimus, et, ubi opportunum fuerit, agere non pigebit. Proinde cum dicitur Deus præscisse peccata, mortem, et pœnas, non a contrario debemus intelligere, per tropum qui dicitur antiphrasis, ut deliras, sed secundum eam regulam quæ ab omnibus orthodoxis tractatoribus nobis præfixa est, qua, juxta auctoritatem sanctarum Scripturarum, Deus ea non solum præscisse, verum etiam punisse et puniturus esse describitur. Quodque adjungis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 10, num. 3, sect. 2.) Θ *Illud malorum genus; quod cum naturaliter sit bonum eadem contrarietatis regula malum dicitur, ut est ignis ille* æternus qui præperatus est diabolo ministrisque ejus (*Matth.* XXV, 41).

CORRECTIO.

† Falsum esse catholicorum doctorum expositione convincitur, qui ea nuncupari mala non a contrario, ut desipis, sed a sensu patientium, qui ea mala deputant, crebro expositionis famine docent, quorum sanctus Hieronymus in expositione Amos prophetæ exponens (*Amos* III, 6), quod idem propheta dixit: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit.* Hieronymus: [Malum autem, inquit, quod Dominus fecit in civitate non contrarium est virtuti, sed afflictio atque cruciatus, de quo legimus: *Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* VI), 34, id est tribulatio et angustia; et in propheta legimus: *Ego Deus, qui feci lucem et tenebras, qui facio pacem et condo mala* (*Isa.* XLV, 7). Sicut enim tenebræ contrariæ sunt luci et diei, sic et paci bellum contrarium est, quod non per se malum est, sed malum videtur his esse qui sustinent. Et ut sciamus in Scripturis sanctis malitiam interdum non contrariam virtuti accipi, sed afflictionem pœnasque et angustiam: unum adhuc de Jona sumamus exemplum: *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt a viis suis pessimis, et pœnituit eum super malitia quam locutus est ut faceret eis* (*Jon.* III, 10): *Malitia* utique ibi [*al.*, subversio] subversionis Ninivitarum: est, quam per prophetam Deus fuerat comminatus, et non virtuti

contraria, quæ ad peccatum pertinet, pro quo comminatur [*al.*, comminabitur] tormenta peccatoribus.

† Hoc idem in omnibus pene libris suis exsequitur. Quod autem Deus peccata pœnasque præscierit, idem in Expositione Malachiæ prophetæ ita locutus est (*In Mal.* I, 2). [Israel, hoc est Judas, ad quem solebat fieri verbum Dei et visio Domini, opus ejus et pondus suppliciorum gravissimum portare compellitur, ut graviora peccata deponat, et sentiat per tormenta quem non sensit per beneficia: Et ne pœna in suos videatur injusta, subjicit Dominus: *Dilexi vos: quem enim diligit Dominus, corripit* [al., castigat], *flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Et dicendo *dilexi*, præsens negat, dum præteritum confitetur: illique respondent temeritate qua peccant, obliti beneficiorum B ejus: *in qua dilexisti nos* (*Mal.* I, 2)? Ad quæ Dominus, ut cætera, inquit, taceam, et quod nuper de Babylonis captivitate venistis, incunabula vestra tractabo. Antequam nasceremini, imo priusquam Rebecca Esau et Jacob utero suo funderet, in Jacob vos dilexi, in Esau Idumæos odio habui (*Gen.* XXV, 23). Quem locum apostolus Paulus mystica disputatione eventilans scribit ad Romanos, duo pariter testimonia de Genesi Malachiaque conjungens: *Sed et Rebecca de uno concubitu habens Isaac patris nostri. Nam cum nondum nati essent, aut aliquid egissent boni vel mali* (*ut secundum electionem propositum Dei maneat*), *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori: sicut scriptum est:* C *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX, 10-13). Hoc enim quod dicitur, *sicut scriptum est*, et ad Geneseos librum (*Gen.* XXV, 23), et ad prophetam Malachiam (*Mal.* I, 2) refertur: non solum ait *dilexi Jacob* antequam nasceretur, et *odio habui Esau* priusquam ex matris utero funderetur, sed in posteros eorum amorem meum et odium conservavi; odium in Esau, cujus montes qui appellantur Seir redegi in solitudinem; et urbes feci esse desertas, et a serpentibus atque bestiis obtineri (*Mal.* I, 3). *Si autem dixerit Edom*, hoc est Esau: destructi quidem sumus ad iram Dei, sed rursum ædificabimus civitates [*al.*, civitatem]: hæc Domino prædicente cognoscite quod illis ædificantibus ego destruam, et iram meam D æterna eorum vastitas approbabit (*Ibid.* 4). Odium igitur in Esau rebus ostendi; amorem autem in vos, hoc est in Jacob, sequentibus approbato, illis destructis et redactis ad solitudinem. *Videbunt oculi vestri, et dicetis: magnificetur Dominus super terminum Israel* (*Ibid.*, 5), et, ex comparatione malorum quæ frater vester patitur, Dei in vos beneficia sentietis, etc. Porro dilectio et odium Dei, vel ex præscientia nascitur futurorum vel ex operibus. † Idem, in expositione Amos (III, 12): *Cognovi*, inquiens, *multa scelera vestra et fortia peccata vestra* (*Amos* V, 12): Hæc cognitio non juxta illud intelligenda est quod alibi legimus: *Cognovit Dominus eos qui ejus sunt* (II *Tim.* II, 19), sed quod Deum nil lateat, et omnia peccantium secreta cognoscat; cognovi, inquit, multas impietates quæ non solum multæ, sed et fortes sunt, et opprimentes, sive conculcantes justum, vel ipsam justitiam, vel eum qui justus est (*Amos* V, 12).

† Ecce doctor ubique gentium sacræ eruditionis celebritate diffamatus nequaquam a contrario, ut somnias, verba prophetica exponenda dilucidat, sed secundum regulam, de qua diximus omnibus tractatoribus usitatam: Si Deus mala non præscivit, quid est quod ad Abraham sub nomine vaccæ trimatæ, capræ, arietis, columbæ, et turturis statum nascituri ex eo populi prædicens (in quo erant futuri spiritales qui ad semen ejus *in quo benedicendæ erant omnes gentes*, id est Dominum nostrum Jesum Christum pertinent; erant etiam futuri carnales, qui ejusdem seminis expertes fierent) loquitur ita inquiens: *Scito prænoscens, quia peregrinum erit semen tuum, et affligent eos quadringentis annis in terra non sua: gentem autem cui servituri sunt ego judicabo* (*Gen.* XV, 13). Ante tot annos mala Ægyptiorum, quibus in populum Dei bacchaturi erant et vindictam justissimæ retributionis Dominus Abrahæ prænoscere et scire præcipit et prædicit: *Et tu negas a Deo mala præsciri?* (Cap. 10, num. 4, sect. 3.) Utique quæ homini prænoscendo scire denuntiat, sese scire et præscire eadem demonstrat. Hoc Propheta confirmat dicens: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII, 11): et rursum: *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita* (*Psal.* LXVIII, 6): et iterum: *Et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea. Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua* (*Psal.* CXXXVIII, 4, 5). Et item: Tu solus nosti corda filiorum hominum (*Prov.* XV, 11). Et Salomon: Quæ sunt in corde hominis oculi tui vident. Domine, *in libro tuo omnia scribentur*, homo videt in facie, Dominus autem intuetur cor (*Psal.* CXXXVIII, 16). Et item: *Omnia enim corda scrutatur, et universas mentium cogitationes intelligit* (I *Paral.* XXVIII, 9). Et Apostolus: *Vivus est enim Dei sermo, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem artuum et medullarum, et discretor cogitationum, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Heb.* IV, 12). Qui *discretor cogitationum* dicitur, utique et bonas et malas scire, et judicare comprobatur. Cui etiam beatus Job humiliter confitetur: *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio* (*Job.* XLII, 2): Si nulla, sequitur quia nec mala: unde et Dominus in Evangeliis crebro vidisse cogitationes malivorum describitur; qui cum paralytico diceret: *Remittuntur tibi peccata cœperunt Scribæ et Pharisæi intra se*, id est in cogitationibus suis *dicere hic blasphemat, quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? Quorum cogitationes ut vidit Dominus, dixit. Quales rogo cogitationes* (audi *quales*) *ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* (*Matth.* IX, 2, 3-4.) Procul dubio mala eorum cogitata; se videre ac reprehendere manifestans: quomodo autem mala eorum aut videre,

aut objurgare poterat, si nesciret? Identidem apud Pharisæum fecisse dicitur, ad cujus prandium evocatus, dum meretricis pœnitudinem lacrymis crinibusque testantis misericorditer suscepit. *Pharisæi cogitationes et videt* et cohibet: *dicebat* enim *Pharisæus intra se. Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum; quia peccatrix est* (*Luc.* VII, 39). Cujus cogitationibus sine dubio pravis ac pessimis Dominus et potenter obviat, et pœnitentem feminam clementer absolvit. Idem dominus cum a Pharisæis incesseretur, eo quod discipuli ejus non lotis manibus manducarent (*Matth.* XV, 2), respondit: *Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem, sed ea quæ de corde exeunt coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, formicationes, furta, falsa testimonia, invidiæ, basphemiæ; et hæc sunt quæ coinquinant hominem* (*Ibid.*, 11, 18, 19, 20).

Quæro igitur utrum illa sciebat an nesciebat; si nesciebat, quomodo exponebat? Patet ergo Dominum scire peccata quæ reprehendit, et fieri prohibet, factaque non impunita prætermittit. Nunquid malum *Judæ* proditoris ac Judæorum persequentium ignorabat, qui tanto ante prædicebat? Ait enim: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis; tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur et conspuetur et crucifigetur* (*Matth.* XXVI, 18); et inter cœnandum: *Unus ex vobis tradet me* (*Matth.* XX, 21); et ad ipsum proditorem: *Quod facis fac citius* (*Joan.* XIII, 27); et ad apostolos: Omnes *vos scandalum patiemini in me in ista nocte* (*Matth.* XXVI, 31); et specialiter beato Petro fidelissimo confessori suo: *Amen, amen dico tibi quia in hac nocte, antequam gallus bis vocem dederit, ter me negabis* (*Marc.* XIV, 30); et in Apocalypsi: *Et angelo Laodicææ Ecclesiæ scribe: hæc dicit: amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei: scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis quod dives sum, et locupletatus et nullius egeo: Et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper et cæcus et nudus* (*Apoc.* III, 14, 17). Si, inquam, Deus nec præsciit mala, nec præparavit pœnas, quare tanto ante prædixit filios Israel ab Assyriis et Babyloniis, itemque Assyrios, aliasque quamplures gentes a Babyloniis, ipsosque Babylonios a Medis et Persis, hos etiam a Græcis, Græcos a Romanis capiendos, eosdemque Romanos ad ultimum destruendos? Nam quod propter eorum scelera et impietates in Deum ab eo traditi, atque persecutores eorum excitati sunt, omnes propheticæ paginæ resonant quemadmodum et ipsi persecutores aliquoties falsi reperiuntur. Veluti Rapsaces [*al.*, Nichao] qui dixit, *quod Dominus ei præceperit Jerusalem venire* (*II Par.* XXXV, 21). Legitur quoque in Genesi dixisse Dominus *ad Cain, quid fecisti? Maledictus eris super ter-*

A *ram quæ aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua: vagus et profugus sive tremens eris super terram* (*Gen.* IV, 11, 12). Ecce et peccatum ejus arguitur, et pœna a Domino irrogatur: Si Dominus nec mortem nec pœnam præscivit, quis aquas diluvii, quibus præter arcam omnis caro deleretur, induxit? Nempe ipse, qui ad Noe dixit: *Venit finis universæ carnis coram me. Repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra. Ecce ego adducam diluvii aquas super terram, ut interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est subter cœlum; universa quæ in terra sunt consumentur.* (*Gen.* VI, 13, 17): Si nec præscivit mortem et pœnas impiorum, quis igne cœlesti *Pentapolim* concremavit?
B Atqui verax Scriptura testatur, quod *pluerit Dominus a Domino ignem et sulphur in Sodomama, atque finitimas civitates* (*Gen.* XIX, 24). Quis Dominus a Domino nisi Filius a Patre.

Si Dominus pœnas peccatoribus non præparavit, quis *Pharaonis* servorumque illius duritiam ulciscens tot plagis attrivit? Certe Scriptura Dominum hæc omnia fecisse et intulisse clamat: Unde et ipse Dominus Pharaoni per Mosen loquitur: *Ad hoc enim excitavi te ut ostenderem in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra* (*Rom.* IX, 17). Quis postremo aquas Rubri maris super eos induxit tanta pernicitate potentiæ, ut, hinc inde fluentis circumdati, adeo omnes obruerentur ut nullus eorum evaderet? Ubi si dicere
C volueris Deum quidem maria divisisse, sed alium nescio quem reduxisse, quis fatuitatem tuam non rideat? Dicit enim Scriptura: *Ingressus est enim equus Pharao cum curribus et equitibus in mare, et reduxit super eos Dominus aquas maris.* Et item: *Dextera tua, Domine, magnifice in fortitudine; dextera tua, Domine, percussit inimicum et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos* (*Exod.* XV, 19, 6), et cætera. Si nec prædestinavit nec præparavit Dominus mortem et pœnas, quis homines mandatorum suorum transgressores vel lapidari vel aliis mortium generibus occidendos decrevit? Nam hæc omnia Deum præcepisse atque fecisse Scriptura manifestissime protestatur, quæ etiam post mortem Josue peccantibus filiis Israel Deum suscitasse adversarios sæpenumero incul-
D cat. Sed et de Salomone Regum narrat historia, quod post offensam ei suscitaverit Deus adversarios ad Idumæum et alios. Quæ omnia si juxta tuam pravitatem a contrario intelligentur, prorsus omnis ab eis veritas auferetur. Non autem, ut fingis, intelligenda beatissimus Augustinus in omnibus pene opusculis suis, præcipueque in libris quatuordecim quos in Eptateuchum mirabili eruditione confecit, clarissime manifestat. Loquitur Dominus per Amos prophetam: *Percussi vos in vento urente, et in ærugine multitudinem hortorum vestrorum et vinearum vestrarum; oliveta vestra et ficeta vestra comedit eruca, et non redistis ad me, dicit Dominus: misi in vos mortem in via Ægypti: percussi in gladio juvenes vestros*

usque ad captivitatem equorum vestrorum, et A *ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, et non redistis ad me, dicit Dominus.* Unde, sanctus Hieronymus ita effatus est (*in Amos* IV) :

[Per omnia flagella et tormenta eruditur Israel, unde et eo tempore quo ab Ægyptiis auxilia postulabant, mittitur in eos mors, et percutiuntur in gladio juvenes eorum, et equos quos sibi contra Dei præceptum multiplicarunt [*al.*, multiplicaverant], captivitas sæva concludit, ut putredo castrorum et fetor morientis exercitus viventium nares impleat, cumque et hæc fecerit, ut corriperet delinquentes et emendaret errantes, nec sic quidem redierunt ad eum, dicit Dominus.]

✝ Et in Jona propheta legitur : *Et paravit Deus* B *vermem ascensione diluculi, et percussit hederam et exaruit, et cum ortus fuisset sol, præcepit Deus vento calido et urenti, et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat* (*Jon.* IV, 7). Ecce parasse Deus vermem dicitur, qui in ultionem inobediendis prophetæ kikaion una nocte mirabili Dei potentia surgentem, protectionemque virentis umbraculi repente præbentem excederet, prophetamque orto sole ventus urens et calidus præcipiente Domino adeo percuteret, ut æstuans peteret animæ suæ ut moreretur. Idem doctor exponens Michæam prophetam Hieronymus (*in Mich.* III, 4) : [Et hæc, inquit, universa patientur, quia pessime egerunt in studiis et in voluptatibus suis, et non reges fuere, sed tyranni, nec præpositi, sed leones, C neque magistri discipulorum, sed lupi ovium ; et satiaverunt se carnibus, et incrassati sunt, et sub [*al.*, sicut] pinguissima hostia interfectioni [*al.*, interfectionis sunt supp.] et suppliciis Domini præparavi.] ✝ Idem in expositione Habacuc prophetæ exponens dictum propheticum, *Domine audivi auditionem tuam, et timui*, Hieronymus (*Habac.* III, 1). [Audivi, inquit, pœnas quas Nabuchodonosor et diabolo præparasti]. ✝ Item in expositione Zachariæ prophetæ (*in Zachar.* XI, 7) : [Cum autem secundum Septuaginta legimus : *Et pascam oves occisionis in terra Chanaan*, sic possumus intelligere quod populum Judæorum, qui destinatus est morti in toto orbe dipersum, hoc est in terra Chanaan atque gentilium, pascat Dominus et D nutriat ad immolandum. ✝ In eodem (*ibid.*, *d. c.* XI, 11) : Cognoscet populus Judæorum ad quem dictum est : *Semen Chanaan, et non Juda, qui nunc cæremoniis meis custoditur* (sive quia Chananæi interpretantur *parati ad humilitatem*), cognoscent quia olim parati sunt ut humilientur a Domino.] ✝ Idem in expositione Habacuc prophetæ exponens verba Domini dicentis : *Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua; horribilis et terribilis est* (*Habac.* I, 6), et cætera post fundamenta historiæ interpretationem allegoricam ita coaptavit (*in Habac.* I, 6), [Comminatur Deus adversum contemptores et calumniatores providentiæ suæ [*al.*, calumniantes providentiam suam] suscitaturum se Chaldæos, qui interpretantur quasi dæmonia, vel angelos pessimos significans, qui ministrant furori ejus, et iræ et tribulationi quam infert in peccatores vel animas hominum pessimorum per quas merentes cruciat : hi autem Chaldæi gens amara est et velox, non parcens et cito explens quod sibi fuerit imperatum, et ambulat super latitudinem terræ, *lata enim et spatiosa via est quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII, 13).] ✝ Item in Abdia propheta (*in Abdiam*, I, 16) : *Quomodo enim* in nece eorum lætatus es, conviviumque celebrasti, *et in monte sancto meo*, hoc est in Ecclesia *bibisti*, non meum calicem, sed diaboli. De quo in Habacuc dicitur : *Væ qui potat proximum suum subversione turbida* (*Habac.* II, 15) ! ita universæ gentes vel fortitudines contrariæ suppliciis delegatæ, vel adversariæ quæque virtutes bibent, et absorbebunt sanguinem tuum.

✝ Jam vero quod hæreseos elogio denotatos, nec habentes lumen quo videre possumus quod malum a perverso motu liberæ voluntatis prodeat, acrius insimulas, nos e contra et scientes per gratiam Dei, et intelligentes unde sit malum veluti præmissa satis abundeque informant, dicimus atque optamus : utinam lumen, quod nobis superbissime demis, cœlitus adeptus humillime possideres, et non in tanta, tam prava, tamque perversa impingeres : videres enim quam non veraciter dixeris : *Quos juste deseruit, id est sua propria perversitate puniri permisit.*

Vis quippe intelligi non aliud esse pœnam punitionemque peccatoris, nisi suam propriam perversitatem ; ita ut et mortem et pœnas, Dei justo judicio peccatoribus irrogatas, penitus auferas, et eis solam propriam conscientiam pœnam esse confingas : quod quia Origenes mendaciter docuit, sententiam justæ damnationis excepit. Cum ergo dicis : *Omne igitur malum aut peccatum est, aut pœna peccati*, mirum est cur non attenderis nihil a nihili nullatenus posse puniri. Si itaque peccatum nihil est, et pœna ejus similiter nihil est, quo pacto nihil a nihili puniatur non video : imo hoc totum nihil esse confirmo, sed cum Ecclesia catholica confiteor peccatum Deo judice puniri, cujus prohibitor atque reprobator certissime comprobatur. Quoties vero legitur quisque propria iniquitate damnari, ita potius intelligendum est quod, merito ejus, peccator, ab illo qui omnia judicat, juste damnetur. Quemadmodum etiam quandocunque dicitur peccatum iniquitas, scelus atque impietas eorum patratoribus reddi, ita pii sanitas intellectus percipit ut merito eorum pœna dignissima rependi justissime sentiatur, non peccata pro peccatis, aut scelera pro sceleribus compensari. Sic etiam cum peccata visitari dicuntur. Non ipsa, quæ non sunt substantiæ, sed eorum auctores atque amatores, ultionis æquissimæ sententiam recipere creduntur : quodque subnectis :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 10, num. 6, secl. 3.) Θ *Quæ duo si nulla ra-*

tio sinit Deum præscire, quanto magis prædestinare, quis audeat dicere nisi a contrario ?

CORRECTIO.

† Jam diximus Deum veraciter præscire tantum peccata, non etiam prædestinare ; pœnam vero illorum et præscire et prædestinare, libere confitemur : verum quantum super tui cæcitate stupeam, nequeo explicare ; ut qui hactenus præscientiam et prædestinationem unum esse adstruxeris adeo ut nihil differre asseveraveris, nunc cum quadam discretione posueris, dicendo siquidem : *quæ duo si nulla ratio vera sinit Deum præscire*, et addendo : *quanto magis prædestinare*, nullatenus ea sine aliquo differentia intelligi debere permittis. Hoc ipsum in consequentibus confirmas, dicens :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 10, num. 7, sect. 3.) Θ *Simili modo, si nihil aliud est prædestinatio, nisi eorum quæ Deus facienda prævidit, præparatio, quomodo eorum quæ Deus nec fecit, nec facienda præparavit, dicenda est prædestinatio ?*

CORRECTIO.

† Confirmans igitur nihil aliud esse prædestinationem, nisi eorum quæ Deus facienda prævidit, præparationem, profecto eam a præscientia separare convinceris : quia omnis præparatio nullomodo absque præscientia dicitur, præscientia vero absque præparatione creberrime reperitur. Multa enim præscimus vel a servis nostris, vel ab aliis quibuslibet facienda, quæ ipsi minime præparamus. Constat ergo prædestinationem a præscientia plurimum distare, cum eam nihil aliud quam eorum quæ Deus facienda prævidit, præparationem insinuas : quia Deum conditorem omnium quæ sunt, in quantum sunt, præscire omnia dicimus, vel ab ipso sunt, vel ab ipso non sunt. Sunt enim ab eo creaturæ omnes, quas præsciendo prædestinavit atque creavit, sicut ordinavit atque disposuit ; non sunt ab eo peccata, quæ nec creavit, nec fieri voluit, quinimo prohibuit ; quæ ideo nihil dicuntur, quia non sunt creatæ substantiæ, sed creatarum a Deo rationalium substantiarum pravæ voluntates, perversique motus in infima culpabiliter ac damnabiliter distorti. Deum autem nec videre, nec scire, nec judicare motus quoslibet creaturarum quas ipse fecit, quam sit impium dicere, quamque veritatis et pietatis alienum, nulli fidelium ambigere conceditur. Videt porro quandocunque, quomodocunque et ubicunque moventur creaturæ suæ, perindeque et judicat, ac per hoc non ita modo ea videre dicendus est ac judicare, quasi hactenus ignorata, sed quæ antequam fierent præscierat, præviderat ac judicaverat. Eadem dum fiunt, scit, videt et judicat, factaque non aliquo novo, sibique eatenus ignoto judicio, sed quod ante sæcula prædestinavit secundum eam præscientiam quæ nec fallitur nec mutatur punit æquissimus redditor atque condemnat. Verum est igitur eorum quæ Deus nec fecit, nec facienda præparavit, prædestinationem non esse : esse autem eorum quæ Deus vel fecit vel facienda præparavit, prædestinationem, id est dispositionem ac præordinationem, et auctoritas divinorum eloquiorum, et tractatorum orthodoxorum unitas concordissima docet. Itaque malum quod est peccatum, sive corruptionem seu defectum boni appellare malis, nec Deum esse, nec ab ipso creatum, nec ipsi placitum frequenter diximus et fatemur : at consequentias ejus, id est pœnas, nullo nisi Deo auctore et judice fieri, fronte liberrima proclamamus ? quia, dicente Propheta : *Justus Dominus justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus* (*Psal.* x, 8). ad ejus justitiam indubitanter novimus pertinere ut puniat transgressorem, qui prohibuit a transgressione, nec inultum relinquat prævaricatorem, qui benigne monuit ne prævaricaret.

Si verum lumen attenderes, eoque illustrari humiliter peteres, videres quam contraria tibi ipsi poneres dicendo : *Ista, id est peccatum, mors, miseria, deserto uno omnium principio deorsum in nihilum bona quæ corrumpunt, redire contendunt* (Cap. 10, num. 8, sect. 4), cum supra dixeris nullam naturam perire. Nam quæ in nihilum redeunt, perire quis nesciat ? Argumentare igitur quantumlibet, et nega a Deo nec præsciri nec prædestinari peccata, mortem, supplicia, eo quod nihil sint, et, quandocunque tale aliquid in Scripturis legitur, a contrario intellige. Fides vero catholica, secundum regulas a Patribus diligenter exaratas, et scire et præscire Deum peccata, et prædestinare et præparare illis mortem, atque supplicia fideliter edocebit : quoniam Deus, sempiterna et vera sapientia atque justitia, non a nihilo, sed ab aliquo prohibet, non nihil, sed aliquid punit. Eum autem et prohibere a peccatis, id est perversis motibus malæ voluntatis, pravisque usibus membrorum corporis, eisque merito inferre condigna supplicia, omnes divinæ paginæ resonant, sicuti jam paucis attigimus.

Quamobrem tua potius miranda, imo dolenda est cæcitas, qui omnibus hominibus ante te inaudito portento moliris omnem sanctarum Scripturarum veritatem inconcussam sensu pravissimo pervertere, docens veraciter dicta, fallaciter debere intelligi, etiam nostra, a te nobis toties malevoleque impacta inscitia, qui illuminante Domino tenebras nostras quantum ipse dare et adjuvare dignatur, eamdem veritatem innutabiliter et asserimus et tenemus ; quæ si tibi aliquatenus illuxisset, nunquam profecto dixisses : *Prædestinationem et præscientiam Dei naturam esse* (Cap. 10, num. 9, sect. 5). Quoniam sicut præmissa affatim adstipulantur, relativa naturas atque substantias non demonstrant. Esse autem hæc relativa dubitat nemo. Falsum est ergo Dei naturam esse præscientiam et prædestinationem, præsciens quippe aliud præscit, et prædestinans aliud utique prædestinat. Si, inquam, Dei natura est præscientia et prædestinatio, consequens erit ut se futurum præscierit atque prædestinaverit, hoc autem fieri nullatenus potuit, nisi ejus præscientia et prædestinatio

ante ipsum fuisse mendaciter dicatur; et impie in duo aliqua dividatur. Quod quam sit impium et blasphemum nemo non videt : non enim est illi aliud *esse*, aliud *scire*, sed hoc est illi *scire* quod *esse*. Non est quippe illi accidens hoc tantum bonum, sicut nobis, quibus multa contingit nescire. Non autem evenit non esse, sed natura ejus atque substantia, etiam scientia sicut et sapientia veraciter prædicatur.

Non enim, ut ait Augustinus, ejus scientia variatur ullo modo, ut aliud in ea faciat quæ nondum sunt, aliud quæ jam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more nostro ille vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit, sed alio modo quodam a nostrarum cogitationum consuetudine longe aliterque diverso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt, ita ut illa quidem quæ temporaliter fiunt, et futura nondum sint, et præsentia jam sint, et præterita jam non sint; ipse vero hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendat, nec aliter oculis, aliter mente : non enim ex animo constat et corpore, nec aliter nunc, et aliter antea, et aliter postea; quoniam non sicut nostra, ejus quoque scientia trium temporum, præsentis videlicet, et præteriti vel futuri varietate mutatur, apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio. Neque enim ei intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorporeo intuitu simul adsunt cuncta quæ novit, quoniam temporalia movet, nullis suis temporalibus motibus. Ibi ergo vidit bonum esse quod fecit, ubi bonum esse vidit, ut faceret, nec quia factum vidit, scientiam duplicavit vel ex aliqua parte auxit, tanquam minoris scientiæ fuerit priusquam faceret quod videret, qui tam perfecte non operaretur, nisi tam perfecta scientia cui nihil ex ejus operibus adderetur. Neque enim sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pœnitet, cujus de omnibus omnino rebus tam est fixa sententia quam certa præscientia.

Quomodo ergo pœniteat aliquid Dominum (August. ad Simplicianum, lib. II, quæst 2, per totum) in quo est omnis præscientia? Nos vero cum hoc de Deo in divinis Scripturis addimus indignum arbitramur hoc de illo sentire; sed necesse est ut aliquid dicatur per quod hoc aliquo modo demonstretur. Cum vero verba omnia, quibus humana colloquia conseruntur, illius sempiterna virtus et divinitas mirabiliter atque incunctanter excedat, quidquid de illo humanitus dicitur, quod etiam hominibus aspernabile videatur ipsa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in Scripturis sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse quam divinæ sublimitati. Ac per hoc etiam ipsa esse transcendenda est sanior intellectus [*al.*, saniore intellectu]; sicut ista qualicunque transcensa sunt : quis est enim hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præsciente pœnitentiam esse non posse. Et certe tamen hæc duo verba sunt *pœnitentia* et *præscientia*, quorum quia unum congruere credidimus Deo [*al.*, congrue credimus in Deo], id est *præscientiam* negamus in eo esse *pœnitentiam* : Cum vero alius, liquidiore consideratione ista pertractans, quæsierit quemadmodum vel ipsa præscientia Deo congruat, et invenerit hujus etiam verbi notionem illius ineffabili divinitate longe lateque superari, non miratur [*al.*, miraretur] utrumque de illo propter homines dici potuisse, de quo utrumque propter ipsum incongrue diceretur : quid est enim præscientia, nisi scientia futurorum; quid autem futurum est Deo, quia omnia tempora supergreditur? Si enim scientia [*al.*, in scientia Deus] Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ sed præsentes; ac per hoc non jam præscientia, sed tantum scientia dici potest : si autem, sicut in ordine temporalium creaturarum, ita et apud eum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo : bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accidit [*al.*, accedit] scientiæ Dei quod absurdissimum atque falsissimum est : nec enim potest, quæ ventura prænoscit, nosse cum venerint, nisi bis innotescant, et prænoscendo antequam sint, et cognoscendo cum jam sunt. Ita fit ut, quod longe a veritate seclusum est, temporaliter aliquid accidat [*al.*, accedat] scientiæ Dei, cum temporalia, quæ præsciuntur, etiam præsentia sentiuntur, quæ non sentiebantur antequam fierent, sed tantummodo præsentiebantur [*al.*, præsciebantur]. Si vero etiam cum venerint quæ præsciebantur esse ventura [*al.*, futura], nihil novi accidet [*al.*, accedit] scientiæ Dei, sed manebit illa præscientia sicut erat, etiam priusquam venirent quæ præsciebantur, quomodo jam præscientia dicetur, quando non est rerum futurarum? Jam enim præsentia sunt quæ futura cernebat, et paulo post erunt præterita. Præteritarum autem rerum, sicut præsentium, nullomodo potest dici præscientia. Reditur ergo ad id ut fiat rebus jam præsentibus scientia, quæ iisdem rebus futuris erat præscientia, et cum ea quæ præscientia erat prius, postea scientia in Deo fiat, admittit mutabilitatem et temporalis est, cum sit Deus qui vere summeque est, nec ulla ex parte sit mutabilis, nec ullo motu novitio temporalis. Placet igitur ut non dicamus *præscientiam* Dei, sed tantummodo *scientiam*. Quæramus et hoc quomodo : non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa et intellecta memoria retinemus, id est cum meminimus aliquid sensisse nos vel intellexisse, ut id quod [*al.*, cum] volumus recolamus. Quod si ita in Deo est, ut possit proprie dici *intelligit et intellexit*; *sentit et sensit*, amittit tempus, et subripit nihilominus illa mutabilitas, quæ longe a Dei substantia removenda est. Et tamen et scit Deus et præscit Deus ineffabili modo. Sic enim et pœnitet ineffabili modo. Cum enim scientia Dei longe distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio, utraque

tamen scientia vocatur, et hæc quidem humana A talis est, ut de illa dicat Apostolus : *Etiam scientia destruetur* (*I Cor.* XIII, 9), quod nullo modo recte de scientia Dei dici potest. Sic et ira hominis turbida est, et non sine cruciatu animi ; ira vero Dei, de qua dicitur in Evangelio : *Sed ira Dei manet super eum* (*Joan.* III, 36). Et Apostolus : *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem* (*Rom.* I, 18), illa enim tranquillitate jugiter manente in creatura subdita exercet admirabili æquitate vindictam. Misericordia quoque hominis habet nonnullam cordis miseriam ; unde etiam in latina lingua nomen accepit : nam inde est etiam quod non solum *gaudere cum gaudentibus*, sed etiam *flere cum flentibus* hortatur Apostolus (*Rom.* XII, 15). Quis autem sano capite dixerit ulla miseria B tangi Deum, quem tamen ubique Scriptura misericordem [*al.*, multæ misericordiæ] esse testatur. Ira et zelum humanum non sine peste livoris intelligimus ; zelantem vero Deum (*Exod.*, XX, 5; XXXIV, 14) non ita, sed eodem verbo, non eodem modo : longum est percurrere cætera, et sunt innumerabilia, quibus ostenditur multa divina iisdem nominibus appellari quibus humana cum incomparabili diversitate sejuncta sunt. Nec tamen frustra eadem sunt rebus utrisque indita vocabula ; nisi quia hæc cognita, quæ in quotidiana consuetudine versantur et experimentis usitatioribus innotescunt, nonnullam ad intelligenda illa sublimia præbent viam ? Cum enim desumpsero de humana scientia mutabilitatem, et transitus quosdam a co- C gitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo quod in contuitu ejus paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus, unde etiam *ex parte* dicit Apostolus nostram scientiam : cum ergo hæc cuncta detraxero, et reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis, imo non reliquero, non enim habet et hoc humana scientia, sed pro viribus cogitavero, insinuatur mihi utcunque scientia Dei. Quod tamen nomen, ex eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune ; quanquam et in ipsis hominibus solet discerni a sapientia scientia. Ut etiam Apostolus dicit : *Alii quidem datur per spiritum* D *sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum* (I *Cor.* XII, 8). In Deo autem nimirum non sunt hæc duo sed unum, et in hominibus quidem hæc ita discerni probabiliter solent ut sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia vero ad ea quæ sensibus corporis experimur. Sed licet alius aliam differentiam proferat, nisi tamen diversa essent, non sic ab Apostolo distinguerentur. Quod sane si ita est ut nomen scientiæ rebus quas per sensum corporis experimur, deputandum sit [*al.*, deputatum], nulla est omnino scientia Dei ; non enim Deus per seipsum ex corpore et anima constat, sicut homo. Sed melius dicitur aliam esse scientiam Dei, et non ejusdem generis cujus ista est quæ hominum dicitur : sicut etiam id ipsum quod Deus dicitur longe aliud est quam quemadmodum est dictum quod *stetit in synagoga deorum*, tamen ad *non latere* quoquomodo pertinet communicatio ipsa vocabuli. Sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum, ut remaneat vindictæ vigor : atque ita utcunque assurgo in notitiam illius quæ appellatur ira Dei. Item de misericordia si auferas compassionem, cum ejus quem miserearis, participatus es miseriæ, ut remaneat tranquilla bonitas subveniendi et a miseria liberandi, insinuatur misericordiæ divinæ qualiscunque cognitio. Zelum quoque Dei non repudiemus et aspernemur, cum scriptum inveniamus ; sed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris, et morbidam perturbationem animi, remaneatque illud solum indicium quo corruptio castitatis impunita esse non sinitur, et assurgimus ut incipiamus aliquo modo capere zelum Dei. Quapropter cum legimus etiam Deum dicentem, *pœnitet me* (*I Reg.* XV, 11), consideramus quid id esse soleat in hominibus opus pœnitendi, cum procul dubio reperitur voluntas mutandi : sed in homine cum dolore animi est ; reprehensit enim in se quod temere fecit. Auferamus ergo ista quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, et remaneat solum velle ut non ita sit aliquid quemadmodum erat ; sic potest aliquantulum intimari menti nostræ qua regula intelligatur quod pœnitet Deum : cum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid sicut fecerat ut esset, sed tamen ut, cum ita esset, ita esse debeat, et, cum ita esse jam non sinitur, jam non debeat esse ita ; perpetuo quodam et tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit. Sed quoniam præscientiam et scientiam cum laude solemus in hominibus appellare [*al.*, dicere], iramque ipsam solet humanum genus in magnis potestatibus timere potius quam reprehendere, congruenter putamus talia dici de Deo. Cui autem zelat, et quem aliquid pœnitet, quanquam [*al.*, quoniam] vel culpari solet, vel in se culpam corrigere, atque ideo cum reprehensione ista de hominibus dici, propterea movet cum legimus esse aliquid in Deo ejusmodi. Sed illa Scriptura, omnibus consulens, propterea magis et ista ponit, ne illa quæ placent sic intelligantur in Deo quomodo consueverunt in hominibus intelligi. Per hæc enim quæ displicent, cum ea non audeamus sic intelligere in Deo ut inveniuntur in homine, discimus etiam illa sic quærere quæ apta esse atque convenientia putabamus. Nam, si propterea non est illud de Deo dicendum quia in homine displicet, non dicamus incommutabilem Deum, quia de hominibus cum reprehensione dictum est : *Non enim est illis commutatio* (*Psal.* LIV, 20). Item sunt quædam quæ in homine laudabilia sunt, in Deo autem esse non possunt, sicut pudor, quæ ætatum viridiorum magnum est ornamentum ; sicut timor Dei : non enim tantum in veteribus libris laudatur [*al.*, non est tantum in veteribus libris laudatus], sed Apostolus etiam dicit : *Perficientes sanctificationem in timo*

re Dei (*II Cor.* VII, 1); qui utique nullus in Deo est. Sicut ergo quædam laudabilia hominum non recte dicuntur in Deo, sic quædam culpabilia hominum recte intelliguntur in Deo, non ita ut in hominibus sed vocabulis tantummodo communibus, longe alia ratione et modo. Nam paulo post idem Samuel, cui dixerat Dominus: *Pœnitet me quod constituerim regem Saul*, ipsi Sauli ait de Deo, *quoniam non est sicut homo, ut pœniteat eum* (*I Reg.* XV, 11, 29). Ubi videlicet satis ostendit etiam cum dicit Deus *pœnitet me*, non humano more accipiendum esse, sicut jam, quantum valuimus, disputavimus,

† Audi etiam qualiter idem subtilissimus disputator præscientiam Dei a natura discernat, in sermone de verbis Apostoli: *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia* (*Gal.* III, 21). Augustinus (*de verbis Apostoli serm.* 11): [Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vane eligit; eligit tamen, et habet electos, quos creaturus est eligendos, habet autem apud se ipsum, non in natura sua, sed in præscientia sua] † Idem (in lib. XIV, *de Civit. Dei*, c, 12): Sed quia Deus cuncta præscivit et ideo quoque hominem peccaturum ignorare non potuit, secundum id quod præscivit atque disposuit, civitatem sanctam eam debemus asserere, non secundum illud quod in nostra cogitatione [*al.*, cognitione] pervenire non potuit, quia in Dei † dispensatione [*al.* dispositione] non fuit: neque enim homo peccato suo divinum potuit perturbare consilium, quasi Deum quod statuerat mutare compulerit; cum Deum præsciendo utrumque prævenerit; id est et homo, quem bonum ipse creavit, quam malus esset futurus, et quid boni etiam sic de illo esset ipse facturus. Deus enim etsi dicitur statuta mutare, unde tropica locutione in Scripturis sanctis etiam pœnituisse legitur Deum (*I Reg.* XV, 11), juxta id dicitur quod homo speraverat, vel naturalium causarum ordo gestabat, non juxta id quod se Omnipotens facturum esse præscierat. *Fecit* itaque *Deus* (sicut scriptum est) *hominem rectum* (*Eccle.* VII, 30), ac per hoc voluntatis bonæ; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus est Dei; cum ea quippe ab illo factus est homo; mala vero voluntas prima, quoniam omnia opera mala præcessit in homine, defectus potius fuit quidam ab opere Dei ad sua opera, quam opus ullum, Et ideo mala opera, quia secundum se, non secundum Deum, ut eorum operum tanquam fructuum malorum voluntas ipsa esset velut arbor mala, aut ipse homo in quantum malæ voluntatis. Porro mala voluntas, quamvis non sit secundum naturam, sed contra naturam, quia vitium est, tamen ejus naturæ est cujus est vitium, quod nisi in natura non potest esse, sed in ea quam creavit ex nihilo, non quam genuit creator de se in se ipso [*al.*, de semetipso]. Sicut genuit verbum per quod facta sunt omnia, quia, etsi de terræ pulvere Deus finxit hominem, eadem terra hominisque [*al.*, omnisque] terrena materies omnino de nihilo est: animamque de nihilo factam dedit corpori, cum factus est homo: usque adeo autem mala vincuntur a bonis, ut, quamvis sinantur esse ad demonstrandum quam possit et ipsis bene uti justitia providentissima Creatoris [*al.*, ipse bene uti justitia providentissima Creatoris]; bona tamen sine malis esse possunt, sicut Deus ipse verus et summus, sicuti omnis super istum caliginosum aerem cœlestis invisibilis visibilisque creatura, mala vero sine bonis esse non possunt, quoniam naturæ in quibus sunt, in quantum naturæ sunt, utique bonæ sunt, detrahitur porro malum non aliqua natura quæ accesserat, vel ulla ejus parte, sublata, sed ea quæ vitiata ac depravata fuerat sanata atque correcta. Arbitrium igitur voluntatis tunc est vere liberum, cum vitiis peccatisque non servit: Tale datum est a Deo, quod, amissum proprio vitio, nisi a quo dari potuit, reddi non potest. Unde Veritas dicit: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36), id ipsum est autem ac si diceret: Si vos Filius salvos fecerit, tunc vere salvi eritis. Inde quippe liberator unde salvator,

† Sed quia cum Cicerone et Stoicis Dei præscientiam conaris evertere, audi quid de eo vel contra eum adversus mathematicos agentem sanctus Augustinus in libro de Civitate Dei quinto Christiana veritate disputavit (*de Civit. Dei*, lib, V, cap. 9): [Hos, inquiens, Cicero ita redarguere nititur ut non existimet aliquid se adversus eos valere nisi auferat divinationem, quam sic conatur auferre ut neget esse scientiam futurorum, eamque omnibus viribus nullam esse omnino contendat, vel in homine, vel in Deo, nullamque rerum prædictionem. Ita et Dei præscientiam negat, et omnem prophetiam luce clariorem conatur evertere vanis argumentationibus, et opponendo sibi quædam oracula quæ facile possunt refelli, quæ tamen nec ipse convincit. In his autem mathematicorum conjecturis refutandis ejus regnat oratio; quia vere tales sunt ut se ipsæ destruant et refellant. Multo sunt autem tolerabiliores qui vel sidera fata constituunt, quam iste qui tolit præscientiam futurorum; nam et confiteri esse Deum, et negare esse præscium futurorum, apertissima insania est: quod et ipse cum videret etiam illud tentavit asserere quod scriptum est: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus* (*Psal.* XIII, 1). Sed non ex sua persona: Vidit enim quam esset invidiosum et molestum. Ideoque Cottam fecit disputantem de hac re adversus Stoicos, in libris *De deorum natura*, et pro Lucilio Balbo, cui Stoicorum partes defendendas dedit, maluit ferre sententiam, quam pro Cotta, qui nullam divinam naturam esse contendit. In libris vero *De divinatione*, ex se ipso apertissime oppugnat præscientiam futurorum. Hoc autem totum facere videtur, ne fatum esse consentiat, et perdat liberam voluntatem, putat enim, concessa scientia futurorum, ita esse consequens fatum, et negari omnino non possit. Sed quoquomodo se ha-

beant tortuosissimæ concertationes et disputatio- A nes philosophorum, nos, ut confitemur summum et verum Deum, ita voluntatem summamque potestatem ac præscientiam ejus confitemur : Nec timemus ne ideo non voluntate faciamus quod voluntate facimus, quia id nos facturos ille præscivit cujus præscientia falli non potest ; quod Cicero timuit, ut oppugnaret præscientiam, et Stoici ut non omnia necessitate fieri dicerent, quanquam omnia fato fieri contenderent. Quid est ergo quod Cicero timuit in præscientia futurorum, ut eam labefactare disputatione detestabili niteretur ? Videlicet quia si præscita sunt omnia futura, hoc ordine venient quo futura esse præscita sunt, et si hoc ordine venient, certus est ordo rerum præscienti Deo et si certus est ordo rerum, certus est B ordo causarum, non enim fieri aliquid potest quod non aliqua efficiens causa præcesserit. Si autem certus est ordo causarum quod fit omne quod fit, fato, inquit, fiunt omnia quæ fiunt; quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis. Quod si concedimus, inquit, omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque ulla justitia bonis præmia, et malis supplicia constituta sunt. Hæc ergo ne consequantur, indigna, et absurda, et perniciosa rebus humanis, non vult esse præscientiam futurorum, atque in has angustias Cicero coarctat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscien- C tiam futurorum. Quoniam utrumque arbitratur esse non posse, sed si alterum confirmabitur, alterum tolli, si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium ; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque, ut vir magnus et doctus est vitæ humanæ plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus eligit [*al.*, eligit] liberum voluntatis arbitrium, quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum ; atque ita dum vult facere liberos, fecit sacrilegos. Religiosum autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur et fide pietatis utrumque confirmat. Quomodo, inquit nam si est præscientia furorum, sequentur illa omnia quæ connexa sunt, donec eo perveniatur ut nihil sit in nostra voluntate. Porro D si est aliquid in nostra voluntate eisdem recursis gradibus eo pervenitur ut non sit præscientia futurorum : nam per illa omnia sic recurritur. Si est voluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt ; si non omnia fato fiunt, non est omnium certus ordo causarum ; si certus causarum ordo non est, nec eorum certus est ordo præscienti Deo, quæ fieri non possunt nisi præcedentibus et efficientibus causis. Si rerum ordo præscient Deo certus non est, non omnia sic veniunt ut ea ventura præscivit. Porro si non omnia sic veniunt ut ab illo ventura præscita sunt, non est, inquit, in Deo præscientia omnium futurorum. Nos adversus istos sacrilegos ausus atque impios, et Deum dicimus omnia scire antequam fiant, et voluntate nos facere quidquid a nobis non nisi volentibus fieri sentimus et novimus. Omnia vero fato fieri non dicimus : imo nulla fieri fato dicimus ; quoniam fati nomen ubi solet a loquentibus poni, id est constitutione siderum qua quisque conceptus aut natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus. Ordinem autem causarum, ubi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus. Nisi forte ut *fatum* a *fando* dictum intelligamus, id est, a loquendo : non enim abnuere possumus esse scriptum in litteris sanctis : *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi quoniam potestas Dei est ; et tibi, Domine, misericordia qui reddis* [al., *quia tu reddes*] *unicuique secundum opera ejus* (*Psal.* XXI, 12, 13). Quod enim dictum est, *semel locutus est*, intelligitur *immobiliter*, hoc est incommutabiliter est locutus, sicut novit incommutabiliter omnia quæ futura sunt, et quæ ipse facturus est. Hac itaque ratione possemus a fando fatum appellare, nisi hoc nomen jam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinari. Non est autem consequens ut, si Deo certus est omnis ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur, quoniam et humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita qui omnes rerum causas præscivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit. Nam et illud quod idem Cicero concedit, nihil fieri, si causa efficiens non præcedat, satis est ad eum in hac quæstione redarguendum. Quid enim eum adjuvat quod dicit, nihil quidem fieri sine causa, sed non omnem causam esse fatalem, quia est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria ? Sufficit quia omne quod fit; non nisi causa præcedente fieri confitetur. Nos enim eas causas quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam fortuna nomen accepit, non esse dicimus nullas sed latentes : easque tribuimus vel Dei veri, vel quorumlibet spirituum voluntati, ipsasque naturales nequaquam ab illius voluntate sejungimus qui est auctor omnis conditorque naturæ. Jam vero causæ voluntariæ aut Dei sunt, aut angelorum, aut hominum, aut quorumque animalium, si tamen voluntates appellandæ sunt animarum [*al.*, animalium] rationis expertium motus illi quibus aliqua faciunt secundum naturam suam, cum quid boni malive vel appetunt vel evitant. Angelorum autem voluntates dico seu bonorum, quos angelos Dei dicimus, seu malorum, quos angelos diaboli vel etiam dæmones appellamus, sic et hominum, bonorum scilicet et malorum. Ac per hoc colligitur non esse causas efficientes omnium quæ fiunt, nisi voluntarias illius naturæ scilicet quæ spiritus vitæ est. Nam et aer iste seu ventus dicitur spiritus, sed, quoniam corpus est, non est spiritus vitæ. Spiritus ergo vitæ qui vivificat omnia (*II Esdr.* IX, 6), creatorque est omnis corporis et omnis creati spiritus, ipse est Deus Spiritus utique non creatus ; in ejus

voluntate summa potestas est, quæ [*al.*, qua] creatorum A spirituum bonas voluntates adjuvat, malas judicat, omnes ordinat, et quibusdam tribuit potestatem, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum : malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt quæ ab illo est. Corpora igitur magis subjacent voluntatibus, quædam nostris, id est omnium animantium mortalium, et magis hominum quam bestiarum : quædam vero angelorum ; sed omnia maxime Dei voluntati subdita sunt : cui etiam voluntates omnes subjiciuntur, quia non habent potestatem, nisi quam ille concedit. Causa itaque rerum, quæ facit nec fit, Deus est, aliæ vero causæ, et faciunt et fiunt, sicut sunt omnes creati spiritus, B maxime rationales ; corporales autem causæ, quæ magis fiunt quam faciunt, non sunt inter causas efficientes annumerandæ ; quoniam hoc possunt quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates. Quomodo igitur ordo causarum, qui præscienti certus est Deo, id efficit ut nihil sit in nostra voluntate, cum in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates ? Contendat ergo Cicero cum eis qui hunc causarum ordinem dicunt esse fatalem, vel potius ipsum fati nomine appellant, quod nos abhorremus præcipue propter vocabulum quod non in re vera consuevit intelligi. Quod vero negat ordinem omnium causarum esse certissimum, et Dei præscientiæ notissimum, plus eum quam Stoici detestamur. Aut C enim esse Deum negat (quod quidem inducta alterius persona in libris de deorum natura facere molitus est), aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum, etiam sic nihil dicit aliud quam quod ille : *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus* (*Psal.* XIII. 1) qui enim non est præscius omnium futurorum, non est utique Deus. Quapropter et voluntates nostræ tantum valent quantum Deus eas valere voluit atque præscivit ; et ideo quidquid valent certissime valent, et quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt : quia valituras atque facturas ille præscivit cujus præscientia falli non potest ; quapropter si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem fatum esse infirmioris potentioris voluntatem D qui eum habet in potestate, quam illo causarum ordine, quem non usitato sed suo more Stoici fatum appellant, arbitrium nostræ voluntatis auferri.

(*Idem*, c.10.) Unde nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici laboraverunt causas rerum ita distinguere ut quasdam subtraherent necessitati, quosdam subderent ; atque in his quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati. Si enim necessitas nostra illa dicenda est quæ non est in nostra potestate, sed etiam si nolimus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis, manifestum est voluntates nostras quibus recte vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse : multa enim facimus, quæ, si nollemus, non utique faceremus ; quo primitus pertinet ipsum velle. Nam si volumus, *est*, si nolumus, *non est*. Non enim vellemus, si nollemus. Si autem illa definitur esse necessitas secundum quam dicimus, necesse esse ut ita sit aliquid vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis : neque enim et vitam Dei et præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vivere et cuncta præscire sicut nec potestas ejus minuitur cum dicitur mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius si posset minoris esset utique potestatis, recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori et falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult ; quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Unde propterea quædam non potest, quia omnipotens est : sicut etiam cum dicimus necesse esse ut cum volumus, libero velimus arbitrio, et verum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, qua adimimus libertatem [*al.*, quæ adimit]. Sunt igitur nostræ voluntates, et ipsæ faciunt quidquid volendo facimus, quod non fieret si nollemus : quidquid autem aliorum hominum voluntate nolens quisque patitur, etiam sic voluntas valet, et si non illius tamen [*al.*, tantum] hominis voluntas, sed potestas Dei est. Nam si voluntas tantum esset nec posset quod vellet, potentiore voluntate impediretur, nec sic tamen voluntas, nisi voluntas esset, nec alterius, sed ejus esset qui vellet, etsi non posset implere quod vellet. Unde quidquid præter suam voluntatem patitur homo non debet tribuere [*al.*, retribuere] humanis vel angelicis, vel cujusquam creati spiritus voluntatibus, sed ejus potius qui dat potestatem volentibus. Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit quid futurum esset in nostra voluntate : non enim qui hoc præscivit, nihil præscivit. Porro si ille qui præscivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid præscivit, profecto et illo præsciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullomodo cogimur aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrium Deum quod nefas est, negare præscium futurorum. Sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur : illud ut bene credamus, hoc ut bene vivamus ; male autem vivitur nisi de Deo bene creditur. Unde absit a nobis ejus negare præscientiam ut liberi esse velimus, quo adjuvante sumus liberi vel erimus ! Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes et vituperationes, quia et ipsas futuras esse præscivit, et valent plurimum quantum eas valituras esse præscivit, et preces valent ad ea impetranda quæ se precantibus concessurum esse præscivit, et justa præmia bonis factis, et peccatis supplicia constituta sunt. Neque enim ideo peccat homo quia Deus illum peccaturum præscivit ; imo

ideo non dubitatur ipsum peccare cum peccat, quia ille cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid, aliud sed ipsum peccaturum esse præscivit; qui si nolit, utique [*al.*, omnino] non peccat : sed, si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.

(*Ibid.*, c. 11). [Deus itaque summus et verus, cum Verbo suo et Spiritu sancto, quæ tria unum sunt, Deus unus omnipotens creator et factor omnis animæ atque omnis corporis cujus sunt participatione felices, quicunque sunt veritate, non vanitate felices, qui fecit hominem rationale animal ex anima et corpore, qui eum peccantem nec impunitum esse permisit, nec sine misericordia dereliquit, qui bonis et malis essentiam etiam cum lapidibus, vitam seminalem etiam cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis angelis, dedit; a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, a quo est mensura, numerus, pondus, a quo est quidquid naturaliter est, cujuscunque generis est, cujuslibet æstimationis est; a quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum atque formarum; qui dedit et carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fecunditatem, membrorum dispositionem, salutem, concordiam; qui et animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum; rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem, qui non solum cœlum et terram nec solum angelum et hominem, sed nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia, et quadam veluti pace dereliquit, nullo modo est credendus regna hominum, eorumque omnium dominationes et servitutes a suæ providentiæ legibus alienas esse voluisse].

† Idem in homilia 53 in Evangelium Joannis : *Cum autem tanta signa fecisset coram eis non crediderunt in eum, ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est?* (*Joan.* XII, 37; *Isa.* LIII, 1). Ubi satis ostendit *brachium Domini* ipsum Dei Filium nuncupatum, etc. Quidam ergo inter se mussitant, et ubi possunt aliquando proclamant, et turbulenta disceptatione contendunt dicentes : quid fecerunt Judæi, vel quæ culpa eorum fuit, si necesse erat ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur? quibus respondemus Deum præscium futurorum per Prophetam prædixisse infidelitatem Judæorum, prædixisse tamen, non fecisse : non enim propterea quemquam Deus ad peccatum cogit, quia futura hominum peccata jam novit? Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos facere non compulit, cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur, et hoc facturi præviderentur ab eo qui novit quid sit quisque facturus, et quid ei sit pro ejus opere redditurus. † Quibus enucleatissimis beati Patris sententiis pene omnes superius comprehensi sententiarum tuarum fetores exhausti sunt. Verum non ab re esse duximus, si adhuc ejusdem Patris dicta ad medium producamus, qualiter de pœnis a Deo retributis atque retribuendis senserit, ex libro videlicet ejus contra adversarium legis et prophetarum.

(*Contra advers. leg. et proph.* lib. I, cap. 15.) [Porro autem cui displicet peccator prohibitus a ligno vitæ, quid nisi impune vult male vivere? Nec magnum erat Deo et alio quolibet modo vitam subtrahere homini, quem vivere noluisset; sed quoniam rationales animæ de sapientia vivunt quarum mors et insipientia, hujus rei significandæ gratia *lignum vitæ* (*Gen.* II, 9) in paradiso fructu suo mori hominem nec corpore sineret. Quod ergo inde separatus traditus est morti consumendus ætate (*Gen.* III, 22, 23), quod nequaquam illi accidisset, si semper eodem cibo frueretur, significatum est quod prius ab spiritali vitæ ligno propter peccatum anima ejus exclusa est et ita quadam sua interiore morte jam mortua; nam de sapientia scriptum est : *Lignum vitæ est amplectentibus eam* (*Prov.* III, 18). Quod iste non intelligens ait; Quatenus ergo ante maledictum immortalis homo perpetuo vivere poterat, qui nondum ex ista arbore cibum sumpserat, quasi aliquis ei dixerit, aut in illo libro alicubi legerit, quod nondum Adam sumpserat ex cibo arboris vitæ, quin potius intelligendus est, quoniam inde illi vita in corpore perpetua suppetebat, ne vetustate consumeretur ætatis. Ad hoc inde prohibitus, ut ex peccati pœna jam illi esset necessitas mortis : quomodo, inquit, ex Dei maledicto mori cœperit, cum vita ipsa nunquam ex ipso initium sumpserit, quasi optaverit ei Deus mortem, sicut homo homini, ac non Dei verba ad sententiam pertineant punientis non ad iram maledicentis. Punire autem morte corporali, fuit a vitæ arbore separare, cum jam fuisset spiritaliter mortuus, animo utique separatus ab alimento sapientiæ: Deus itaque quid ei contigisset in animo significare voluit, separando eum a ligno vitæ, quo significabatur sapientia. Sed ista inquit, arbor, quæ in paradiso vitæ fructus ferebat, cui proderat? Cui? nisi prius illis primis hominibus masculo et feminæ, qui prius in paradiso fuerant constituti. Deinde istis de paradiso pro merito suæ iniquitatis ejectis mansit ad memoriam significandæ spiritualis arboris vitæ, quod est ut diximus, ipsa sapientia, beatarum cibus immutabilis animarum. Utrum autem illo cibo nunc vescatur aliquis, nisi forte Henoch et Helias, non temere asseverandum puto : ligno tamen illo vitæ, quod est in spirituali paradiso, nisi alerentur animæ beatorum, non, pro munere pietatis et fidelissimæ confessionis, latronis animæ credentis in Christum legeremus paradisum eodem Dei munere fuisse concessum : *Amen*, inquit, *dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Esse autem ibi cum Christo, hoc est esse cum vitæ ligno. Ipse est quippe sapientia, de qua, ut superius comme-

moravi, scriptum est, *lignum vitæ est amplectentibus eam* (*Prov.* III, 18).

(Cap. 16.) Nunquidnam et hoc refellendum est quod velut acute, ut sibi videtur, irridet : primo Deum non præscisse quod contigit ; deinde implere non valuisse quod magnopere cogitavit ; tertio ad maledictum se convertisse superatum. Unde scit Deum non præscisse quod contigit? an qua contigit? quinimo si non contigisset, nullomodo id præscisset futurum, quia non erat futurum. Aut si putat propterea non præscisset, quia si præscisset ne contingeret providisset [*al.*, prævidisset], potest hoc et de Christo dicere, qui talentum dedit homini nihil acquisituro, quod propterea utique dederat ut ejus augeretur pecunia, quidquid est quod illa significat (*Matth.* XXV, 24, etc.). Ergo quia contigit ut ille sua pigritia nihil acquireret, hoc non præscivit ille qui dedit? Dicere etiam potest non implesse de hoc lucro Christum quod magnopere cogitavit. Potest et illud tertium, ad maledictum se convertisse superatum, quoniam dixit : *Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13), sicut de Adam dictum est ut, a ligno vitæ separatus (*Gen.* III, 22 et 23), morte etiam corporis plecteretur. Huic enim homini deserto deficientis [*al.*, definientis] maledictum videtur impotentis imperium. Dicat ergo impotentem Christum, quoniam de acquirenda spiritali pecunia non potuit quod cupiebat efficere ; dicat æmulum ac malitiosum, quod servo suo inviderit lucem ac salutem, quem projici jussit *in tenebras, ubi esset fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13). Si autem de Christo ita non dici, ne hoc modo se judicet non esse Christianum ; cur audet dicere de hominis conditore, et peccati merito damnatore, quod non audet dicere de hominis redemptore? Et si ejus præcepta contempserit, pœna æternæ mortis plectetur, ultore eodem ipso scilicet. Nam in quem alium nisi in Christum hæc maledicta nesciens iste jaculatur? Quandoquidem ille ait : *Si crederetis et Moysi, crederetis et mihi : de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). Quid enim Pater sine Filio, vel tunc fecit vel unquam facit. Si ergo salubriter non solum bonitatem, verum etiam severitatem Dei sancta Scriptura commendat, quoniam et amatur Deus utiliter et timetur (unde Apostolus eodem loco utrumque commemorat, dicens : *Vides ergo bonitatem et severitatem Dei* [*Rom.* XI, 22], quid est quod iste insanus et præceps, cum Christianum esse jactet, et hoc reprehendit in Deo prophetarum, quod in Deo invenit apostolorum? quoniam idem Deus est et illorum et istorum. Quod autem de isto commemoravi quem pigrum *servum misit in tenebras exteriores* (*Matth.* XXV, 24), severitas est Dei, ubi nec futurorum improvidus dicitur quia tali pecuniam suam credidit : nec impotens, quia quem ut bene ageret non ipse rexit, ipse correxit ; nec æmulus ac malitiosus quod a luce separatum in tenebras misit. Hoc de omnibus pœnis hominum, quæ leguntur in Propheticis libris inflictæ fuisse peccantibus, debet fidelis lector advertere. Hoc ergo etiam *de diluvio*. Neque enim Dominus Jesus non tale aliquid futurum in suo prænuntiavit adventu, quando ait : *Sicut in diebus Noe manducabant et bibebant, novellabant, ædificabant, nubebant, uxores ducebant, venit diluvium et perdidit omnes. Sic erit et adventus Filii hominis* (*Luc.* XVII, 26). Hoc et de *obduratione cordis Pharaonis* : Neque enim Novi Testamenti litteræ non dicunt de quibusdam : *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 18). Hoc de *spiritu mendaci* quem Deus, qui bene utitur etiam malis, justissimo judicio ad impium regem decipiendum misit (*III Reg.* XXII, 20). Sicut Michæas propheta sibi in visione prophetica demonstratum esse testatur : neque enim dubitavit tale aliquid dicere apostolus Paulus, cum se sciret verissime dicere, ubi ait : *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (*II Thess.* II, 10). Hoc de facto per Moysen, cui Deus dixit : *Accipe omnes duces populi, et victima illos Domino contra solem*, hoc est in manifesto per diem (*Num.* XXV, 4). Vel quod factum idolum Moyses ita vindicavit ut nec proximo suo quisque parceret, ferro perimens impios (*Exod.* XXXII, 27 et 28). Neque enim et Dominus Jesus non dixit : *Eos autem qui noluerunt me regnare sibi, adducite ; interficite coram me* (*Luc.* XIX, 27) : Ubi profecto, quia mortem significat animarum, magis est utique illa fidelibus horrenda et metuenda quam corporum. Unde idem Dominus dicit : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius eum timete qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28). Hujus generis mortes, per quas animæ mittuntur in gehennam, si quis fideli mente (ut dignum est) cogitaverit, valde viliter æstimabit quamlibet ingentissimam stragem, et sanguinis fluvios mortalium corporum, et quomodocunque quandocunque moriturorum ; quas cædes iste exaggerans et scholastica vanitate describens, ad blasphemandum Deum, qui talibus mortibus eos quibus hujusmodi terror utilis fuerat flagellabat ; horrorem incutit mortalibus sensibus, et aliquid se agere putat calces adversus stimulum jaciendo, ut, cum de morte carnis accusat Dei providentiam, in morte cordis intratur (*al.*, mittatur) in gehennam. Quis autem utriuslibet sexus homo non mallet gladio trucidari, etiam illo modo quo trucidavit Sacerdos *Phinees* (*Num.* XXV, 7, 8, 11) fornicarios in ipso complexu nefariæ voluptatis, terribile constituens adversus exsecrandas libidines ultionis exemplum, propter quod maxime Deo placuit, quis, inquam, non mallet tali genere mortis interfici? Quis non postremo igne consumi, vel ferinis morsibus per ipsa pudenda laniari, quam mitti in gehennam ignis æterni? Cur igitur Deus Christianorum peccantes talibus mortibus puniat, ut, post corporis interitum transitorium, sequatur in gehennam sine fine supplicium, nisi (*al.*, nonne), quia testamenti utriusque

unus est Deus? Nam possent Judæi dicere adversus hujus impietatem, quantumlibet exaggeret bella, cædes, vulnera, funera, sanguinem, longe incomparabiliter Deo nostro Deum se habere mitiorem: longe scilicet mitius punientem transituris (*al.*, transitoriis) mortibus corporum, quam flammis perpetuis gehennarum. At enim propterea videtur huic Deus legis et prophetarum, qui unus et verus est Deus, crimine crudelitatis arguendus, quia propter levissimas causas vel etiam erubescendas pœnam mortis vel corporalis inflixit, quod David populum numerasset, quod infantes, sicut iste dicit, filii Heli sacerdotis de ollis vel cacabis Deo præparatis aliquid degustassent: qua in re non disputo quantum et quam perniciosum elationis vitium tam sancto viro, ut vellle Dei populum numerare B subrepserit, eorumque mortibus non æternis, sed jam humana conditione venturis, et celeriter transituris, fuerit flagellatus, quorum fuerat multitudine inflatus (II *Reg.* xxiv, 18, etc.). Nec dico filios Heli non fuisse infantes, ut iste loquitur, nesciens quid loquatur, sed ejus ætatis qua possent et deberent, pro sacrilego ausu quo se Domino Deo in sacrificiis præferebant, digna coercitione cohiberi (I *Reg.* II, 2, 12, seq.); quod neglectum Deus, non sibi consulens, sed populo cui religio pietasque profuisset, bello etiam vindicavit, ubi Dei timorem potuerunt augere victuri, per eorum mortes qui fuerant, et, si se nescirent post non longa temporum spatia morituri. Mortibus quippe corporum legimus alios etiam mortuos propter C non sua, sed aliena peccata (I *Reg.* IV, 10). Ubi magis est in dolore cordis plaga viventium, quam in resolutione carnis pœna morientium; ubi animæ de corporibus exeuntes suas causas habent vel malas vel bonas, non propterea gravatæ quia exutæ; animarum vero morte alius pro alio plectitur nemo. Sed hoc dico, quantum existimet iste fuisse peccatum. *Quod in convivio nuptiali inventus est homo non habens vestem nuptialem.* Puto, si humana consideratione ista metiamur, huic aliquantulum sufficere debuit erubescere, et, ut plurimum invitantis indignatio protenderetur, vestem mutare compelli. Et tamen dictum est: *Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* D xxii, 12, 13). Sed quod dicitur (*al.*, sed dicit), non levem culpam significat vestem non habuisse nuptialem quoniam ista parva magnarum signa sunt rerum. Sic ergo et sacrificia visibilia, cum sint in terrenis rebus exigua, magnarum, quoniam (*al.*, et) divinarum signa sunt rerum, in quibus filii Sacerdotis se ipsos Deo, cujus honor in sacrificiis attenditur, præferebant. Non autem ille conviva se prætulit sponso, sed tantum non congruit, quia nuptiarum (*al.*, nuptialem) tunicam non habebat. Verumtamen inter ipsas pœnas quibus utrumque vindicatum est, ille quid distet advertit, quamque incomparabiliter ista illam vincat, intelligit qui corporalibus et temporalibus spiritalia et sempiterna præponit. Verum quid opus de mysticis

A significationibus sacrificiorum vestique nuptialis inconvenientem carnalibus sensibus velle inculcare sermonem? Ecce quod est manifestius proferamus. Evangelium legi veteri comparans Dominus, et non illud malum quod homines ante dedicerant, sed quod ipse docebat, perfectius esse contestans. *Audistis*, inquit, *quia dictum est: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: Quicunque iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit Racha, reus erit consilio: qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* v. 21, 22, 23). Quid tam parvum in peccatis, quam fratri dicere *Fatue?* quid tam magnum in suppliciis, quam *gehenna ignis*? Si in lege vel prophetis iste invenisset aliquem, quoniam dixisset fratri suo *Fatue*, lapidare jussum fuisse divinitus, quantæ Deum crudelitatis argueret? Quis non autem non dico lapidari, sed per singulos artus, imo per singula corporis frusta paulatim atque minutatim vivens et sentiens dilaniari consumique maluisset, quam gehennæ ignibus nuncupari? Absit tamen ut crudeliorem quisquam dicat Evangelii quam legis Deum! intelligens utriusque esse unum et eumdem Deum, in lege terrentem carnalibus, in Evangelio spiritalibus pœnis, et ibi et hic fidelem, nusquam crudelem. Quid illud? nonne si a Christo linguam reperiret alienam, in eumque blasphemam, et (qualis est hujus) impia garrulitate damnabilem, acerbius et amarius exagitaretur, quam quod iste, de obsonio sacrificii prægustato, corporalem temporalemque pœnam sacrilegio sic indignatur ingestam? ubi venturum se Dominus et ad sinistram positis gentibus minatur esse dicturum: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41, 42). Hujus tanti supplicii quæro [*al.* quæris] causam. *Esurivi*, inquit, *et non dedistis mihi manducare*; ecce pro esca temporali non ablata, sed non data æternum et horrendum supplicium comminatur, et recte, si consulas veritatem. Perparum est enim quod in eleemosynis datur; sed cum pie datur, æternum inde meritum comparatur: et ideo potius, quia parum est quod datur, magna impietate non datur. Unde non mirum est quod tantæ sterilitati, velut infructuosarum arborum, ignis æterni supplicium præparatur. Si autem consulas hominem ut de suo respondeat, *ubi* [al. *tibi*] *omnis homo mendax*, contemnit culpam et exaggerat pœnam, illam quippe non videt mente carnali, hanc exhorret carne mortali. Talis est iste in omnium hominum qui puniuntur vel corripiuntur in Veteri Testamento, longe mitioribus quam leguntur in Evangelio, corporalibus pœnis. Quod enim diluvium comparari æternis ignibus potest? quæ cædes? quæ vulnera? quæ corporum mortes cruciatibus sempiternis? Viginti quatuor millia cadentium (*Num.* xxv, 9), tanto buccarum strepitu inflat insanus, quasi non innumerabilia millia quotidie moriantur toto orbe terrarum, sed transitoria ista corporis [*al.* corporum] mors est. Quis vero æstimare possit quot millia stabunt ad sinistram ex omnibus gentibus, quæ sempi-

ternis damnanda sunt ignibus? Eat iste et clamet A ore aperto, et oculis clausis, quasi confessus sit Deus suam crudelitatem, quia dicit per prophetam: *Exacuam sicut fulgur gladium meum, inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus manducabit carnes de sanguine vulneratorum* (*Deut.* XXXII, 41, 42). De quibus verbis sic iste accusat Deum velut semper humanum sanguinem esurientem; quasi dixerit: inebriabo me sanguine, et manducabo carnes de sanguine vulneratorum. Sed quantumlibet hanc utilem Dei comminationem tanquam facinoris avidam, et, ut dicit, in sola crudelitate malis tantummodo gloriantem, vanus et vesanus exhorreat. Quid aut quantum valet, verbis comparata dicentis: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis* B *ejus* (*Matth.* XXV, 41). Ibi non sanguine inebriabuntur sagittæ, sed non satiabuntur membris omnibus flammæ; nec carnes gladius manducabit, sensum doloris citius auferens mortuis quam inferens vulneratis; sed nemo cruciatibus saltem moriendo subtrahitur, ne in moriente simul etiam ipsa pœna moriatur. Cur non hic dicit: colendum ne istum, an potius exsecrandum fugiendumque esse dicemus? An timet de Christo ista dicere, ne ipsius ignis æterni supplicium non evadat, quo ille impios præparat mittere? Et ignorat miser hæc dicendo de Deo prophetarum, de ipso se dicere cujus tam tremendam severitatem in Evangelio formidat offendere.

Reprehendit etiam quod pœnas impiorum, signi- C ficatas per *uvam fellis, et botrum amaritudinis, et furorem draconum atque aspidum, collectas dicit esse Deus apud se, et signatas in thesauris suis, reddendas in tempore, cum lapsus fuerit pes eorum* *Deut.* XXXII, 32, 33, 34); ignorans thesauros hic appellatos occultas dispositiones Dei qui disponit *reddere unicuique secundum opera ejus* (*Ib.*, c. 17). Unde Apostolus dicit: *Tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II, 5, 6). Apud quem enim sibi thesaurizat iram cor impœnitens, nisi apud eum qui vivos est judicaturus et mortuos? Neque enim nesciunt etiam illi veteres libri thesaurum desiderabilem (*Prov.* XXI, D 20), de quo ibi scriptum est, *quod requiescat in ore sapientis*: Et in Proverbiis legitur, *quia Deus thesaurizat diligentibus se salutem.* Et Isaias propheta dicit: *In thesauris est salus nostra, ibi sapientia et disciplina et pietas ad Dominum* (*Isa.* XXXIII, 6). Hi sunt thesauri justitiæ, sed vaniloqui et mentis seductores adversantes litteris sacris, quas intelligere nolunt: eligunt ex eis aspera quæ ibi leguntur, ad commendandam severitatem Dei, et de litteris Evangelicis atque apostolicis levia quæ ibi leguntur ad commendandam bonitatem Dei, et apud homines imperitos hinc ingerunt horrorem, inde quærunt favorem; quasi difficile sit ut quisquam similiter blasphemus atque impius eo modo adversetur Novo Testamento, quo iste Veteri, carpens de Veteri quibus ibi commendatur Dei bonitas, et econtrario de Novo, quibus ibi commendatur Dei severitas; et clamet invidiosus atque venenosus: Ecce qui Deus colendus est, *misericors et miserator, longanimis et multæ misericordiæ: qui non in finem irascetur, nec in æternum indignabitur: qui non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis; sed quantum distat oriens ab occidente, longe facit* [*al.*, *fecit*] *a nobis peccata nostra, qui sicut miseratur pater filios, sic miseratus timentes se* (*Psal.* CII, 8-13). Qui dicit: *Nolo mortem impii* [al., *peccatoris*], *quantum ut revertatur* [al., *tantum ut convertatur*] *et vivat* (*Ezech.* XVIII, 23). Non ille qui propter lucrorum avaritiam etiam eum servum qui non perdidit talentum quod acceperat, sed tantum quia non amplius acquisivit, ligatis manibus et pedibus projecturus sit [*al.*, projici jussit] in tenebras exteriores, ubi esset ei fletus et stridor dentium (*Matth.* XXII, 12), et qui hominem non habentem vestem nuptialem de convivio suo tollit et similiter alligatum simili supplicio punit; et qui venientibus ad se et pulsantibus et dicentibus: *Domine, aperi nobis:* respondet: *Non vos novi* (*Matth.* XXV, 12); tantum quia oleum secum quod infunderent suis lampadibus, non tulerunt; et qui propter unum contumeliosum verbum mittit in gehennam, et qui pro temporali cibo non accepto, igne damnat æterno (*Matth.* V, 22, etc.). Hæc atque hujusmodi si quis vesana mente sacrilegus inde lenia, hinc aspera colligat, ac si homines utrarumque litterarum imperitos a Christo tanquam sævo et crudeli conetur avertere, et ad Deum prophetarum misericordem mitemque convertere, nonne et huic ipsi qui hoc facit, Veteri Testamento, quod ab homine similiter sacrilego posset fieri Novo, impurus atque impius apparebit? Qui autem recte colit Deum, et profecto utriusque Testamenti invenit unum Deum, et ejusdem unius Dei in utroque diligit bonitatem, in utroque metuit severitatem, in illo intelligens promissum Christum, in isto accipiens redditum Christum. Nonne ibi prius in illis veteribus libris lectum est non reddendum malum pro malo, ubi præcipitur, ut si jumentum inimici sui errare quisque invenerit, revocet Domino ejus, et si cecidisset in via, non pertranseat, sed levet cum illo? (*Exod.* XXIII, 5) Nonne ibi prius scriptum est quod Apostolus ponit: *Si esurit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi?* (*Rom.* XII, 20; *Prov.* XXV, 21.) Nonne ibi prius homo Dei Deo suo quod ei utique scit placere dicit: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala?* (*Psal.* VII, 4.) Nonne ibi prius Jeremias propheta describit sancti patientiam præbentis percutienti se maxillam? (*Thren.* III, 30.) Nonne ibi prius per alium prophetam præcipitur ut malitiæ unusquisque fratris sui non reminiscatur? (*Lev.* XIX, 18.) Quid est ergo quod iste blasphemus hæc tanquam contraria Veteri Testamento de Novo colligit, aut utrasque litteras nesciens, aut ut decipiat imperitos se scire dissimulans? A

quo tamen, si quæratur utrum non reddat malum A pro malo, qui pro cibo non accepto in ignem mittit æternum (*Matth.* XXV, 42), profecto turbabitur et admonebitur incomparabiliter esse mitius *oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* XXI, 24) homini auferre, ubi mensura vindictæ modum non transit injuriæ (*Lev.* XXIV, 19, 20) quam quod propter exhibitam humanitatem tantam reprehendere [rependere] severitatem, ubi transitoria est culpa, et finem non habet pœna : atque ita discet, si pervicax non est, in utroque Dei unius Testamento, et amandam bonitatem et timendam severitatem. Quamvis enim in Veteri Testamento propter temporalium bonorum promissionem malorumque comminationem servos pariat temporalis Hierusalem : in Novo autem, ubi fides impe- B rat charitatem, qua lex possit impleri, non magis timore pœnæ quam delectatione [*al.*, dilectione] justitiæ liberos pariat æterna Hierusalem : tamen et illis temporibus fuerint justi spiritales, quos non occidebat littera jubens, sed vivificabat spiritus juvans. Unde et fides venturi Christi habitabat utique in prophetis, venturum pronuntiantibus Christum ; et nunc sunt plurimi carnales, qui vel hæreses faciunt, non intelligendo Scripturas, vel in ipsa Catholica aut adhuc parvuli lacte nutriuntur, aut tanquam palea perseverans futuris ignibus præparantur. Sicut autem Deus unus et verus creator bonorum est, et temporalium et æternorum, ita idem ipse auctor est amborum Testamentorum, quia et Novum in Veteri est figura- C tum, et Vetus in Novo est revelatum. Ignoscendi autem misericors mansuetudo, propter quam dictum est : Non solum septies, sed etiam septuagies septies fratri remittenda esse peccata (*Matth.* XVIII, 22) : non ad hoc valet, ut sit iniquitas impunita, aut torpens et dormiens disciplina, quod potius obsit quam diligens vigilansque vindicta. Claves quippe regni cœlorum sic dedit Christus Ecclesiæ, ut non solum diceret : *Quæ solveritis super terram, soluta erunt et in cælis* (*Matth.* XVI, 19) ; ubi apertissime bonum, non malum pro malo reddit Ecclesia ; verum et adjungeret : *Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata et in cœlo,* quia bona est et vindicandi justitia. Illud enim quod ait : *Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII, 17), gravius est quam D si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subrigeretur [*al.* subjiceretur]. Nam ibi quoque subjunxit : *Amen dico vobis, quæ ligaveritis in terra erunt ligata et in cœlis.* Ut intelligeretur quam gravius sit punitus, qui velut relictus est impunitus. Hic dicat iste si placet, Siccine mandata Salvatoris accipimus jubentis ? Nemini reddideritis malum pro malo ; sed, si quis vos percusserit in unam maxillam, præbete et alteram ; et : Dimittite injurias fratribus vestris. Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo alligatur homo amarius et infelicius Ecclesiæ clavibus quam quibuslibet gravissimis et durissimis ferreis vel adamantinis nexibus.

CAPUT XI.

Quod divina humanaque auctoritate comprobari possit non esse Dei prædestinationem, nisi de his qui præparati sunt ad æternam felicitatem.

† Undecimo portentorum tuorum monstro ais :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 11, num. 1, sect. 1.) Θ *Quod divina humanaque auctoritate comprobari possit non esse Dei prædestinationem, nisi de his qui præparati sunt ad æternam felicitatem.*

CORRECTIO

† In quo cum dicta replicas, tuam insaniam manifestas ais enim :

JOANNES SCOTUS.

(Num. 2.) Θ *Aut quomodo a veritate abhorreat, si dicatur a simili, præscivit Deus omnia quæ facturus esset, dicatur a contrario præscivit quæ facturus non esset pro nescivit : similiter de prædestinatione intelligendum a simili, prædestinavit Deus, quos præparavit ad suam gratuitam accipiendam, a contrario prædestinavit impios ad interitum vel supplicium æternum, quos tamen non prædestinavit.*

CORRECTIO.

† O ingenium venenis infectum, o sensum errorum tenebris incomparabiliter obscuratum, nunquam quippe etiam hæreticorum quislibet ante te hunc nefarium intellectum admisit : nullus catholicorum saltem mente concepit, ut Deum scire pro eo quod est nescire, et prædestinare pro eo quod est non prædestinare, aut intelligerent, aut intelligendum suaderent. Nempe omnes sanctarum Scripturarum fidelissimi et doctissimi tractatores nunquam a contrario Deum scire, vel prædestinare mala quælibet docuerunt : sed sicut se habet veritas lectionis, ita ut sonat seposito omni obscuritatis nubilo intelligendam veraciter prædicarunt. Itaque si secundum tam pravitatem (quod absit) accipitur ut scire pro nescire, et prædestinare pro non prædestinare intelligatur, quid absurdius, imo perversius, dici queat non video : omnia enim, quæcunque in divinis, vel patrum litteris similia proferuntur, eidem insaniæ subjacebunt. Videlicet ut quotiescunque legitur, Deus facere, creare, scire, præscire, destinare, prædestinare, ordinare, præordinare, disponere, deputare, delegare, decernere, statuere, constituere, tradere, punire, excitare, suscitare, convertere, damnare, condemnare, judicare, perdere, disperdere, ducere, inducere, indurare, occidere, parare, præparare, a contrario intelligatur : videlicet non facere, non creare, nescire, non præscire, non destinare, non prædestinare, non ordinare, non præordinare, non disponere, non deputare, non delegare, non decernere, non statuere, non constituere, non tradere, non punire, non excitare, non suscitare, non convertere, non damnare, non condemnare, non judicare, non perdere, non disperdere, non ducere, non inducere, non indurare, non occidere, non parare, non præparare ; quod si admittitur, prorsus omnis judiciorum Dei veritas abrogatur.

Nam si ea quæ diximus et multa alia ubicunque de Deo dicuntur, addita negativa particula accipiantur, sequitur ut Deum nequaquam curare mortalia fateatur, et auferatur Dei judicium, quod ideo constitutum Scripturæ clamitant, ut in eo de justis peccatoribus judicetur, separatisque impiis a societate justorum, sequatur utrosque remuneratio merita, ut secundum Domini dictum : Eant *hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xxv, 46). Ergo si nescit Deus peccatores, eorumque peccata, nec judicaturus credendus est. Quidquid enim aut nunc particulariter in peccatores agit, aut ad extremum generaliter acturus creditur, teste Scriptura vero judicio agere, acturusque sine dubio prædicatur. Porro cum vel in divinis eloquiis, vel in patrum litteris de Deo talia referuntur, ab omnibus, ita ut sonant intellecta atque exposita invenimus : quis vero non horreat hanc tuæ perversitatis amentiam, ut orthodoxos tractatores sanctarum paginarum, quibus omnino studii fuit abstrusa aperire, clausa reserare, figurata explanare, obscura elucidare, dicat vel ea non intellexisse, vel invide suppressisse : nullus sane illorum reperitur, qui juxta tuam pravitatem ea vel intellexerit, vel tractaverit, vel docuerit. : quo etenim pacto credendi sunt a contrario talia intellexisse, qui ubicunque necessarium fuit de eisdem contrariis nullatenus tacuerunt aut quomodo in suis litteris atque explanationibus figuratæ locutionis modo uterentur, qui ad hoc ipsum easdem expositiones susceperant, ut omnes figuratas locutiones apertis dictionibus expedirent.

O monstrum horrendum, o linguam præcidendam ! quæ vel ignorantiam, vel invidiam tantis doctoribus importare non metuit, ut qui obscura revelare subierant, obscurioribus dictis ea implicasse credantur, præcipueque in sermonibus ad populos, lucidissime vel dictatis vel enuntiatis, quos apertis oportebat sermocinationibus informari, non figuratis locutionibus impediri : de qua re testes nobis sunt libri beatissimi Patris Augustini, quos de Doctrina Christiana plenus veræ charitatis edidit, in quibus cuique prædicatori ita loquendum persuasit, ut postpositis totius plausibilitatis appetentiis, fucoque cothurnati sermonis propulso, ita audientium auribus inserviat, ut mentibus eorum per omnia prodesse contendat ; neque in quatuordecim libris Quæstionum atque locutionum (quorum sæpe meminimus) ullam hujus tuæ pravitatis invenitur fecisse mentionem, quinimo prædestinare et deputare, sicut in omnibus pene libris suis atque sermonibus, in his quoque posuisse reperitur. Nam in libro Quæstionum septimo cum exponeret Jephte historiam, ita utrumque, et prædestinare scilicet et deputare, sub uno eodemque intellectu posuit, ut differre nihil penitus edoceret (*August. in Eptateuch.* lib. vii, cap 49). [Profecto autem, inquiens, illi significantur inimici, qui ex ipsa gente perseverantes in infidelitate prædicti sunt, aut omnino omnes gehennæ prædestinati, A *ubi erit eis fletus et stridor dentium* (*Matth.* xxv 30), tanquam populo mœroris, quanquam populus mœroris etiam diabolus et angeli ejus, non inconvenienter intelliguntur, sive quia æternam miseriam eis, quos decipiunt, acquirunt, sive quia et ipsi æternæ miseriæ deputati sunt.]

✝ Hujus rei testis est sanctus antistes Fulgentius, qui super hoc sermone sciscitandi Monimo plenissime planissimeque respondens pulcherrimum volumen edidit, in quo nihil tuorum figmentorum secutus est, sed plana eloquentia prædestinasse Deum impios ad interitum veritate catholica docuit et probavit. Aut igitur vera sunt quæ astruis, et falsa quæ tantus doctor fideliter exaravit : aut quia hoc de tanto talique doctore nefas est crede- B re, falsa sunt omnimodis quæ mendaciter conscripsisti, et vera sunt procul dubio quæ tantus doctor fideliter ac veraciter intimavit. Certe si nulla nobis alia aut auctoritas aut ratio suppeditaret, solus ille nobis in hujus sermonis intelligentia sufficere poterat, cujus doctrina atque scientia tanto in catholica Ecclesia honore et amore convaluit, ut de illius scriptis nullus unquam dubitaverit, nullus derogaverit, quippe qui et liberalium disciplinarum eruditionibus splendidus, et Scripturarum sanctarum doctrina præfulgidus, et non minus Græci quam Latini eloquii peritissimus invenitur. Testis est etiam sanctus Prosper, vir in omni litterarum eruditione doctissimus ac facundissimus, qui Gallorum aliorumque Pelagii sequacium C impudentiis et libris fideliter editis, et Romani pontificis edicto sua instantia impetrato, propugnator fortissimus ac fidelissimus obviavit. Proinde impudentior cæteris tuis similibus comprobaris, qui cum eorum venerabilia scripta legeris, quippiam secus ausus es mussitare. Nam etsi nusquam eorum scripta legisses, satis ea te poterant de his omnibus informare, quæ *ante biennium* ex illorum libris, deflorata quibusdam *fratribus consensu synodi mittere curavi*, quæ ad te pervenisse si nosse aliter nequivissem, infaustissimus liber tuus, cui largiente Domino respondemus, probabiliter nos instruere poterit. In quo earumdem deflorationum pleraque interposita atque ad tuas pravitates detorta violenterque inflexa reperimus.

D Absit, absit, inquam, a cordibus catholicorum ut ignorantia Deo ullatenus deputetur. Tribus tamen modis in divinis eloquiis, quantum mea fert memoria, Deus nescire tropicos dicitur. Scilicet aut non experiendo, aut reprobando, aut nescire faciendo. Dicit quippe ipse Dominus per Prophetam : *Quæ ignorabam, interrogabant me* (*Psal.* xxxiv, 21), quia videlicet peccatum ab eo exigebant, quod nunquam cognoverat, id est nunquam expertus fuerat, nunquam fecerat, dicente beato Petro apostolo : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* i, 22), Et beato Paulo apostolo : *qui cum non cognovisset peccatum* (*II Cor.* v, 21), id est non fuisset expertus neque commisisset. Novi ergo peccatum per eam scientiam quam nihil latet ; non

novit autem per experientiam, qua nunquam corrumpi potuit. Iterum idem loquitur in Evangelio dicturum se quibusdam in judicio : *Nescio vos* (*Matth.* xxv, 12) unde sitis; id est non approbo in arte disciplinæ meæ, quam pravis semper operibus impugnastis. Rursum ipse ad discipulos ait: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater solus* (*Matth.* xxiv, 36). Qualiter enim nescire Filius poterat diem, quem ipse ineffugibili potentia etiam ante temporaneos dies statuisse non dubitatur? Itaque nescire diem intelligendus est pro eo quod est nescire facere apostolos, quod non utiliter scirent. Unde et eis postmodum loquitur. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7). His tropicis locutionibus cum Deus nescire vel ignorare quid legatur, secundum proprietatem vero majestatis, essentiæ atque scientiæ suæ nihil prorsus potuit, potest aut poterit ignorare. Hanc Dei scientiam intuitus fuerat propheta, qui ad Deum humiliter loquebatur : *Mundi sunt oculi tui ne videant malum* (*Habac.* I, 13), id est, ne approbent vel experiantur. Item alius propheta : *Ecce enim oculi Domini super regnum peccans, ut disperdat illud* (*Amos* IX, 8). Et rursum : *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos* (*Prov.* xv, 3). Et rursum : *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* xxxIII, 17). Non hæc a contrario intelligenda omnes catholici tractatores, sed veritate dictorum simplicium sentienda tenendaque sanxerunt. Abi igitur, et esto hæreticorum omnium teterrimus, qui contra universorum opinionem Deo ignorantiam affingere impudentissime præsumpsisti. Jam vero quod addis de impiis ad interitum prædestinatis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. II, num 3, sect. 1.) ϴ *Si enim prædestinati sunt, necessario peribunt, pœnasque patientur inevitabiles ; quod si ita est, quomodo juste judicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire*)?

CORRECTIO.

┼ Licet super hoc satis abundeque actum fuerit, non piget veraciter iterare quod te non puduit mendaciter inculcare. Prædestinatio Dei, sicut et præscientia, nullam vim futuris ingerit, nullam necessitatis violentiam importat. Quamvis enim quidquid Deus præscivit et prædestinavit, ita nec omnino aliter, necesse sit fieri : non tamen ideo quia prescita vel prædestinata sunt, fiunt ; sed quia futura indutabiliter sciebantur, præscita ac prædestinata potentissime intelliguntur. Non ergo ideo fit aliquid quia Deus præscivit, sed ideo ille præscivit qua futurum scivit. Ac per hoc non est culpa præscientis et prædestinantis Dei, si aliquis perit, sed creaturæ rationalis, quæ sibi meritum pereundi male vivendo, ejusque bonitatis largitatibus abutendo, comparavit. Prædestinavit igitur Deus peccantem ad supplicium æternum, secundum id quod eum præscivit male victurum, et in malis operibus obstinatissime perseveraturum : proinde culpa est ejus, qui talis futurus præscitus est, non Dei, qui talem præsciens, merito prædestinavit ad pœnam. Nunquid non eadem calumniandi licentia potes garrire ut asseras : Si prædestinati ad vitam non sunt, necessario peribunt, pœnasque patientur inevitabiles? Quod si ita est, quomodo juste judicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire, quoniam prædestinatus ad vitam non est? Similiter, si quidam misericorditer electi sunt, cæteri vero juste derelicti, necessario peribunt, pœnasque patientur inevitabiles : quod si ita est quomodo juste judicabitur mundus, quem necessitas electionis, vel derelictionis cogit perire quoniam non electi, sed derelicti sunt?

Hæc calumniandi libido tam late patet, ut in omnibus quæcunque super misericordia Dei atque justitia fideliter prædicantur, oblique possit affingi : quapropter proturbanda est penitus damnabilis assertio pravitatis, et fatendum juste mundum hunc a Domino judicandum. Neque enim ideo peccant, quicunque peccant, quia judicabuntur, sed quia peccant, utique idcirco inevitabiliter judicabuntur : non ergo necessitas judicii peccantes cogit perire, sed necessitas peccandi, quam sibi volendo insolubiliter consciverunt, compellit inevitabiliter interire. Sicut itaque necessitas judicii nullum perire cogit, ita necessitas prædestinationis nulli vim pereundi imponit. Verum si diligenter attendas omnia, aut pene omnia, quæ sunt judicii Dei, eadem prædestinationis invenies. Statuit Deus futurum judicium, in quo *reddat unicuique secundum opera sua* (*Matth.* xvi, 27), electis præmia, impiis supplicia sempiterna, et hoc est totum quod de prædestinatione fideliter ac salubriter confirmatur, ut judex omnium electis per misericordiam beatitudinem, relictis per justitiam pœnas tormentaque retribuat. Legimus *quia qui non credit jam judicatus est* (*Joan.* III, 18), id est damnatus. Exsurgat nunc sycophanta impudoratus et causetur : Si qui non credit jam judicatus est, necessario peribit, pœnasque patietur inevitabiles : quod si ita est quomodo juste judicabitur mundus, quem necessitas judicationis, id est damnationis, cogit perire ? Dicit etiam evangelista Joannes de Judæis non credentibus Domino : *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias propheta : Excæca cor populi hujus, et aures ejus agrava, ut videant oculis, et corde non intelligant, et convertantur, et sanem eos* (*Joan.* XII, 39). Si propterea non poterant credere, quia hoc prædixit Isaias, necessario non crediderunt, pœnasque patientur inevitabiles ; quod si ita est, quomodo juste judicabitur mundus, quem necesitas prophetiæ cogit non credere ? Et ipse Dominus, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII, 47;) et iterum : *Propterea vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis* (*Joan.* x, 26) ; et rursum : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* ; et *Nemo potest venire*

ad me nisi datum fuerit ei a Patre meo (*Joan.* vi, 44 66). Et omnia quæcunque de Dei occultis judiciis propheticæ et apostolicæ paginæ protestantur, eisdem calumniis subjacebunt. Omnis igitur ab his necessitas coactiva propellatur, et judiciorum Dei humiliter profunditas stupeatur dicaturque cum Apostolo : *O altitudo divitiarum scientiæ ac sapientiæ Dei!* (*Rom.* xi, 33.)

Nunc ad videnda reliqua, favente Domino, transeamus. Denique volens probare quod sanctæ Scripturæ auctoritas inconcussa præscientiam simul et prædestinationem, aut solam absolute prædestinationem, nonnisi in his quos Deus elegit ad æternam beatitudinem possidendam inveniatur posuisse, ponis apostolica testimonia ad Romanos : *Scimus*, inquientia, *quoniam diligentibus Deum* B *omnia cooperantur in bonum : his, qui secundum propositum vocati sunt; quoniam quos ante præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus : quos autem prædestinavit, illos et vocavit ; et quos vocavit, ipsos et justificavit* ; *quos autem justificavit, ipsos et glorificavit* (*Rom.* viii, 28-30). Item ad Ephesios : *Benedictus Dominus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo* : *sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti, et sine macula in conspectu ejus in charitate; prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum placitum voluntatis suæ, ad laudem gloriæ gratiæ* C *suæ ; in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo : in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nos in omni sapientia et prudentia, ostendens nobis sacramentum voluntatis suæ secundum bonum placitum ejus, quod proposuit in eo ; ad dispositionem plenitudinis temporum, ut restaurarentur omnia in Christo, quæ sunt in cœlis, et quæ super terram. In ipso in quo et sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum Dei ; ab eo qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ* (*Ephes.* i, 3-11). Quibus præmissis adjungis dicens.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 11, num. 4, sec. 3.) † *Contra veritatis tam* D *claram tubam quis homo sobriæ vigilantisque fidei voces admittat humanas, quis mea non audiat prædestinationem omnimodo esse sanctorum, nullo modo posse fieri reproborum ?*

CORRECTIO.

† O quam tibi necessaria fuerat sobrietas, vigilantiaque veræ fidei, ut videres quid tuba apostolica diceret : et nequaquam excogitares quod tantæ concentus tubæ minime sonuisset. Apostolus siquidem in his quæ proposuisti exemplis totam intentionem suam ad electorum Dei prædestinationem, et glorificationem commendandam prædicator veritatis direxerat : nullamque reproborum, vel prædestinationem, vel damnationem adnotare subierat, quod jam sese in præcedentibus ejusdem Epistolæ duntaxat ad Romanos partibus satis egisse meminerat. Nihil ergo tuam insaniam verba apostilica juvant. Non enim aut tantummodo electos prædestinatos, aut reprobos non prædestinatos dixit ; quod tamen ubi commodum duxit, utrumque alternatim commendare non distulit : ait enim in eadem Epistola cum de electione gentium et reprobatione Judæorum subtiliter veraciterque tractaret : *Sin autem Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ*, secundum Ambrosium *præparata*, secundum Augustinum et omnes Africanos *perfecta*, secundum nostrorum codicum consuetudinem *apta vel aptata in interitum. Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam*, *quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus* (*Rom.* ix, 22-24), et cætera quæ sequuntur. Si secundum ea quæ in præcedentibus confirmare molitus es, nihil est aliud Dei prædestinatio quam præparatio operum illius, quare manifeste Apostolus, *vasa iræ præparata vel perfecta vel apta sive aptata in interitum* clamitat : namde, varietate interpretum non est meum judicare : quantum tamen ad meam attinet simplicitatem, cuncta et recipio et approbo. Si, inquam, secundum Ambrosium *vasa iræ præparata sunt in interitum*, et juxta definitiones tuas prædestinare nihil est aliud quam præparare : liquet profecto Apostolum *vasa iræ præparata in interitum*, nequaquam aliud sensisse quam prædestinata, quoniam omnis ejusdem apostolicæ disputationis circumstantia hoc idem continet, adeo ut nullus sobriæ mentis aliter locum eumdem apostolicæ prædicationis intellexisse aut docuisse ullatenus reperiatur.

Et licet, mihi tantorum pontificum, Ambrosii videlicet et Augustini, in assertione hujus rei sufficiat auctoritas, ne cui tamen interpretationis displiceat varietas, idem Apostolus scribens ad Corinthios, ait : *Puto nos Deus elegit novissimos apostolos tanquam morti destinatos* (*I Cor.* iv, 9) ; quod ne amicissima tibi perversitate detorqueas, audi qualiter S. Ambrosius exponat. Ambrosius (*in I Corinth.* iv, ix) : [Hoc ideo personæ suæ deputat, qui semper in necessitate fuit, persecutiones et pressuras ultra cæteros passus, sicut passuri sunt Henoch et Elias, qui ultimo tempore futuri sunt apostoli : mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, et muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo, quos et persecutiones pati et occidi lectio Apocalypsis testatur. Horum ergo tempus suo tempori comparavit Apostolus dicens, *quasi morti destinatos* : ad hoc enim venturi sunt ut occidantur.] † Et in libro Ecclesiastico legitur : *Deus paravit illum ad rhomphæam* (*Eccli.* xxvi, 27). Et ipse Dominus ad Job cum ei malitiosissima et extra Deum invictissima arma atque argumenta diaboli exponeret. *Quæ præparavi*, inquit, *in diem pugnæ et belli* (*Job* xxxviii, 23), quibus documentis manifeste destruitur tuorum astructio mendaciorum, quibus præscientiam

et prædestinationem, vel præparationem Dei in A electis tantum ad vitam, non etiam in reprobis vel ad pœnas, confirmare pertinaciter studuisti : quamvis de his omnibus satis in superioribus, quantum pro opportunitate visum est, egerimus. Aut igitur reprehende Ambrosium et Augustinum, eosque mendacii, imo hæreseos argue ; aut quia id fieri nullo modo potest,humiliare tantorum Patrum saluberrimis sensis, et fatere, quod verum est, præscientiam, prædestinationem et præparationem Dei bifariam, id est et ad electos, et ad reprobos pertinere.

His apostolicis sententiis nulla obscuritate,quantum ad præscientiam et prædestinationem Dei attinet, involutis, nullatenus ad eorum quæ astruere conatus es pertinentibus,ideoque veritate privatus, B transis ad ea testimonia quæ ex beati Augustini scriptis Gotteschalcus decerpserit, atque ad suum errorem, ut ais, detorserit.Quæ dum non intellecta asseris secundum Apostolum, *aliis odorem vitæ in vitam, aliis odorem mortis in mortem* facta(*II Cor.* II,16),utinam et ipse sano capite ad ea perscrutanda simpliciter accederes,ne tantas de eis vomituum nauseas eructares. Tanta quippe dictorum eorumdem piis mentibus perspicacia elucet,ut in eorum intelligentiis fide atque auctoritate dignis nullus piorum valeat hæsitare.Tibi itaque nisi citius resipueris,facta sunt odor mortis in mortem,quem non ut ab eo dicta, sed ut a tua pravitate interpolata sunt,interpretari fallaciter non erubuit.Iste quippe mos cunctis hæreticis fuisse dignoscitur, ut quæ- C cunque prophetica et apostolica Patrumque orthodoxorum dicta suis figmentis contraria, aut de suis codicibus eraderent,aut eosdem libros exauctorarent, aut certe perversis interpretationibus depravarent,suisque erroribus confirmandis quocunque colludio agglutinare satagerent : cui te vitio ultra cæteros inservisse,nullus, qui tua legit, ignorat. Positis igitur testimoniis memorati Patris,quibus impios ad interitum prædestinatos vel præparatos creberrime dixerit, quia negare nullatenus poteras, depravare contendis, ut eum figurate, id est a contrario ea dixisse mentiaris, quod nec ille, nec quispiam doctorum duntaxat catholicorum fecisse convincitur. Dicis itaque.

JOANNES SCOTUS. D

(Cap. II, num. 5, sect. 6.) Θ *Quis enim ignorantium modos locutionum quibus sancti Patres uti solent, non facile possit seduci audiendo prædestinatos æterno igni præparatos ad iram Dei, prædestinatos morti sempiternæ, prædestinatos ad interitum, ad pœnam, cæteraque id genus, ut sine ulla hæsitatione concedat aut duas prædestinationes, unam plane sanctorum, alteram impiorum sibimet per omnia contrarias, aut unam eamdemque divinam prædestinationem sanctosque impiosque amplecti, eamque simul contrariorum, quod ratio denegat, esse capacem.*

CORRECTIO.

† Figuratis locutionibus nec Augustinum nec cæteros adeoque sanctos Patres,maximeque isto contrariorum genere in tractatibus suis sermonibusque ad populum enuntiatis, usos fuisse jam diximus : præcipue tamen a vocabulo prædestinationis divinæ, id genus locutionis procul abesse sanctus Fulgentius proprio in hoc ipsum edito volumine,et Prosper aliique complures, omni ambage semota,perspicue edocent : prædestinationes etiam pluraliter efferri,beati Gregorii papæ atque Isidori episcopi sententiis indicavimus. Verum quod ad rem attinet, quæro utrum judicia Dei vel duo quotlibet, vel unum singulariter censeas ? Nam mihi prædestinatio et judicium Dei in tantum convenire videntur, ut unum sine altero esse non possit.Sicut enim prædestinatio,ita et judicium Dei quosdam ducit ad regnum, quosdam damnat in Tartarum: illos per misericordiam, istos per justitiam. Judicari autem et bonos et malos cum omnes Scripturæ testentur, sufficere præsenti actioni unum ex Evangelio Domini testimonium credimus, quo ait: *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo,tunc sedebit super sedem majestatis suæ:et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ad invicem sicut pastor segregat oves ab hædis. Et statuet quidem oves a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei,possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : Esurivi enim et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere, hospes eram et collegistis me ; nudus, et operuistis me ; infirmus, et visitastis me;in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt et justi dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus? sitientem, et dedimus tibi potum ? quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te ? aut nudum, et cooperuimus te ? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te ? Et respondens Rex dicet illis : Amen dico vobis, quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis ; tunc dicet et his qui a sinistris ejus erunt : Discedite a me, maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus : Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me, nudus, et non operuistis me ; infirmus et in carcere eram, et non visitastis me ; tunc respondebunt et ipsi dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum vel in carcere, et non ministravimus tibi ? tunc respondebit illis, dicens : Amen dico vobis, quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV,31,46).

Ecce ipse Dominus Rex regum, omnipotentissimus et sempiternus, qui ante sæcula diem judicii futurum constituit,ipse in fine temporum seipsum identidem agitaturum prædixit, et absque cujusquam figuræ locutionis fuco justis paratum regnum, diabolo et angelis ejus paratum ignem æternum testatus est,nullo prædicatorum fidelium docente,imo

sentiente, quod solus omnium hominum fingere A nullatenus metuisti, videlicet uti bonis paratum regnum non figurate, impiis vero paratum supplicium figurate, id est non paratum intelligatur: contra omnem penitus divinam et humanam auctoritatem, quæ utrisque paratum a Deo vel regnum, vel supplicium inclamant; judicium autem vel bifariam, vel quadrifariam agitandum beato Gregorio in libris Moralibus exponente discamus, qui in libro XXVI (*cap.* 20) ita eloquitur.

[*Sed non salvat impios, et judicium pauperibus tribuit* (*Job* XXXVI, 6), id est elatos destruit, humiles vero per judicium liberos reddit: vel certe judicium pauperibus tribuit, quia hi qui nunc nequiter opprimuntur, ipsi tunc super oppressores B suos judices veniunt. Duæ quippe sunt partes, electorum scilicet atque reproborum, sed bini [*al.*, boni] ordines eisdem singulis partibus continentur. alii namque judicantur et pereunt; alii non judicantur et pereunt; alii judicantur et regnant; alii non judicantur, et regnant. Judicantur et pereunt, quibus Dominica inclinatione [*al.*, voce in damnatione] dicitur: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum: hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non operuistis me; æger et in carcere, et non visitastis me* quibus præmittitur: *Discedite a me, maledicti in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 42, 41). Alii vero in extremo judicio non judicantur et pereunt: de quibus per C Prophetam Dominus ait, [*al.*, Propheta ait] *non resurgunt* [*al.*, resurgent] *impii in judicio* (*Psal.* I, 4); et de quibus Dominus dicit: *Qui autem non credit jam judicatus est* (*Joan.* III, 18); et de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccaverunt sine lege peribunt* (*Rom.* II, 12). Resurgunt vero etiam omnes infideles, sed ad tormenta, non ad judicium; non enim eorum tunc causa discutietur, quia ad conspectum districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis descendunt [*al.*, accedunt]: professionem veræ fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant; qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extrema examinatione non audiunt, quia præjudicati infidelitatis suæ tenebris ejus quem D despexerant invectione redargui non merentur]. Illi saltem verba Judicis audient, quia ejus fidei sola [*al.*, saltem] verba tenuerunt; isti in damnatione sua æterni judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam nec verbotenus servare voluerunt [*al.*, maluerunt]. Illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccaverunt; istis in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam rempublicam regens aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem; in illo jura sua consulit, eumque sub verbis dignæ invectionis addicit; contra hostem vero bellum movet instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiæ tormenta retribuit; de malo vero ejus quæ [*al.*, quid] lex habeat non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui lege nunquam potuit teneri. Ita ergo in extremo judicio et legalis illum invectio percutit, qui ab eo quod professione tenuit, actione declinavit, et iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum vero parte alii judicantur et regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergunt, qui, mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt ab oculis judicis eleemosynarum superductione cooperiunt. Quibus judex veniens in dextera consistentibus dicit: *Esurivi, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me; nudus, et operuistis me; infirmus, et visitastis me. In carcere eram, et venistis ad me;* quibus præmittit dicens: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV, 34, 35). Alii autem non judicantur et regnant, qui etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt; quia nequaquam hoc solum quod cunctis divinæ lex præcipit, implere contenti sunt, sed præstantiore desiderio plus exhibere appetunt quam præceptis generalibus audire potuerunt; quibus divina voce [*al.*, Dominica] dicitur: *Vos qui reliquistis omnia vestra, et secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28); et de quibus propheta ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui* (*Isa.* III, 14). Et de quibus Salomon cum de sanctæ Ecclesiæ sponso [*al.*, sponsa] loqueretur, intulit dicens: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI, 23). Hi itaque in extremo judicio non judicantur, et regnant, quia cum auctore suo etiam judices veniunt. Relinquentes quippe omnia, plus prompta devotione exsecuti sunt, quam juberi [*al.*, jubere], generaliter audierunt speciali quippe jussione paucis perfectioribus, et non generaliter omnibus dicitur hoc, quod adolescens dives audivit: *Vade vende quod* [*al.*, omnia quæ] *habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni et sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Si enim sub hoc mundo cunctos jussio generalis astringeret, culpæ [*al.*, culpa] profecto esset aliquid nos de hoc præcepto possidere. Sed aliud est quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur, aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, et quia præcepta generalia vivendo vicerunt; sicut enim non judicantur et pereunt, qui suadente perfidia lege teneri contemnunt: ita non judicantur et regnant, qui suadente pietate etiam ultra generalia [*al.*, generalis] divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit, quam institutione promissionis [*al.*, permissionis] accepit. Cum enim accepisset ut Evangelium prædicans de Evangelio viveret, et Evangelium audientibus contulit, et tamen Evangelii sumptibus sustentari recusavit. Cur ergo iste judicetur ut

regnet, qui minus quod servaret accepit, sed majus, quod viveret, invenit. Dicatur igitur recte : *Judicium pauperibus tribuit* (*I Thess.* II, 9), quia quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc acceptis sedibus majore culmine potestatis excrescunt.

† Quidquid de hoc Dei omnipotentis inevitabili tremendoque judicio vel ipse, vel prædicatores ejus, pietatis intimæ litteris mandaverunt, id et nihil aliud de ipsius prædestinatione sentimus : ita ut nec prædestinationem absque judicio, neque judicium sine prædestinatione fateamur ; quoniam quod se judicaturum præscivit, hoc utique nequidquam aliud facturum prædestinavit. Et hæc sunt : *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX, 2). *Misericordia* videlicet *et justitia* quibus *reddit unicuique secundum opera sua* (*Matth.* XVI, 27) ; hæc se facturum prædestinavit, quoniam hæc se judicaturum retributurumque præscivit atque prævidit : hoc est illud Dei judicium capax contrariorum, quod tibi displicet, quod, etsi tua ratio denegat, veritas probat ; judicium utique malorum et bonorum : etsi negare voles, destruere nunquam vales, cujus tanta est evidentia, ut de eo nulli liceat dubitare. Hanc contrariorum, capacitatem si denegas in prædestinatione, necesse est in judicio ; quoniam, sicut diximus, quod se judicaturum Deus præsciverat, hoc se facturum nec aliud prædestinaverat. Huic rei per omnia concinit definitio super nomine prædestinationis beatissimi Patris Augustini, quam conaris pervertere perindeque evertere. Ait enim, ut ponis, in libro ad Prosperum et Hilarium *de Præd. Sanct.*, cap. 10 : [Prædestinatio est quæ sine præscientia non potest esse : potest autem esse sine prædestinatione præscientia ; prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus ; unde dictum est : *fecit quæ futura sunt* (*Isa.* XLV, 11 *sec.* LXX). Præscire autem potest [*al.*, potens est] etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata].

† Hoc et nos dicimus, hoc fatemur, nec ab ista definitione ullatenus aberramus : quam si veritatis lumine fuisses intuitus, nunquam ita præscientiam et prædestinationem confunderes, ut unam atque idem, nec aliud omnino esse firmares. Præscivit enim Deus omnia, et quæ fuerat ipse facturus, ut sunt quæcunque bona, et quæ non fuerat ipse facturus, ut sunt quæcunque peccata ; prædestinavit autem prorsus nihil aliud nisi quod fuerat ipse facturus, id est misericordiam et judicium, sive justitiam, seu veritatem, quod tantundem valet. De quibus duobus loquitur et Propheta : *Semel locutus est Deus : duo hæc audivi, quia potestas Dei, et tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua* (*Psal.* LXI, 12, 13). Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX, 2). Nimirum hæc sunt *opera Domini* et nulla alia, quæ se facturum prædestinavit, videlicet gratis misereri et juste damnare. Horum misereri, non quia meruerunt ; illos damnare, sine dubio quia meruerunt : istis gratis, id est

A nullis præcedentibus meritis, impendere misericordiam ; illis propter mala præcedentia justissime rependere ultionem. De quibus Apostolus proclamat : *Quoniam cujus vult miseretur ; et quem vult indurat* (*Rom.* IX, 18). Nempe *miseretur* nullo debito, *indurat* nulla iniquitate sua, *quoniam non est iniquitas apud Deum* (*Ibid.*, 14), dicente eodem Apostolo : *Nunquid iniquus, qui infert iram ;* cui humiliter veraciterque correspondemus, *absit*, omnino *absit* ut esse ullatenus iniquitas valeat apud Deum. *Qui infert iram*, id est vel *indurat* eum qui meretur, vel vindicat atque ulciscitur in eum qui procul dubio promeretur.

Auferens ergo prædestinationem malorum, aufer judicium ; quo sublato, consequenter tolle justitiam ; ablata justitia, nega ipsum etiam Deum, qui est non accidentaliter, sed essentialiter, perindeque immutabiliter sempiterna justitia. Quomodo ergo *reddet unicuique secundum opera sua* ? An unicuique bonorum et nulli malorum ? Peccet ergo quisque quantumlibet, quoniam, sublato judicio detractaque justitia, impune peccabit ; et dic cum illis qui *posuerunt in cælo os suum, et lingua eorum transivit in terra ; et dixerunt : quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso* (*Psal.* LXXII, 9-11) ; atque judicandos et bonos et malos superiori Domini sententia declaratum est, et Apostolus testatur dicens : *Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos, qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei ? aut divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus, his quidem qui, secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus vitam æternam : his autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum, et Græco : non est enim personarum acceptio apud Deum* (*Rom.* II, 2-11).

D Quia igitur justitia judiciumque Dei negari minime possunt, sequitur ut prædestinatio et præparatio illius nullatenus denegentur, in his duntaxat quibus justitia illius atque judicium prædicantur, quoniam ea sunt quæ beatus Augustinus in definitione prædestinationis dixit : [Quæ Deus se facturum esse prævidit sive præscivit.] Quæ definitio quoniam tuis assertiunculis plurimum repugnat, conaris eam invertere, et quod neque Augustinus dixit neque sensit affingere. Dicis enim.

JOANNES SCOTUS.

Cap. 11, num. 6, sect. 7.) Θ *Est igitur talis differentia inter prædestinationem et præscientiam quod omnis prædestinatio præscientia, non autem omnis*

præscientia prædestinatio : præscientia namque ipsa qua Deus præscivit ea quæ fuerat ipse facturus, prædestinatio vere specialiterque dicitur. Ea vero præscientia, qua ea quæ non facit, præscivit, id est peccata eorumque pœnas, præscientia, absolute placuit vocari, Ita ut ea tantummodo præscientia, quæ dicitur prædestinatio, in bono semper intelligatur : sola vero præscientia sine prædestinatione omnino malorum est, quæ Deus non facit.

CORRECTIO.

† Agimus utique Deo gratias, qui te nolentem fortassis nescientemque fecit aliquatenus quod verum est confiteri. Qui enim hactenus præscientiam et prædestinationem unum esse astruxeras, nunc differre, quamvis subdole, confiteris. Dicendo quippe, *omnis prædestinatio præscientia, non autem omnis præscientia prædestinatio*, profecto ea aliquo modo differre demonstras. Verum, quod præscientiam prædestinationem nuncupas, a vero devias : neque enim præscientia est prædestinatio, neque prædestinatio præscientia, quamvis præscientia pro prædestinatione soleat aliquoties poni ; veluti cum dixit Apostolus : *Secundum præscientiam Dei electos* (*I. Petr.* I, 2), utique præscientiam pro prædestinatione posuisse intelligitur : prædestinatio vero pro præscientia nusquam posita reperitur. Proinde dicendum fuerat, sicut memorandus Pater Augustinus dixit (*de Prædest. Sanct.*, cap. 10), quia prædestinatio sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Quid claritatem dictorum obnubilas ? quid aquas purissimas fæculentis disputationibus turbas ? Cur nos a vivi fontis potu purissimo ad *cisternas quæ non valent aquas continere* (*Jer.* II, 13) traducis ? Nempe cum aliquid pro altero ponitur, aliud necesse est sit quod ponitur, aliud pro quo ponitur. Et cum dicitur prædestinatio, non potest esse sine præscientia ; præscientia autem potest esse sine prædestinatione, perspicue declaratur aliud esse præscientiam atque aliud prædestinationem. Ideo quippe prædestinatio non potest esse sine præscientia, quia nullus nisi præsciendo prædestinat : nemo enim nesciendo prædestinat ; præscientia vero idcirco sine prædestinatione potest esse, quoniam multa possunt sciri atque præsciri, quæ nullatenus prædestinentur.

Hoc habet definitio beatissimi Augustini, hanc sequuntur omnes catholici divinorum eloquiorum tractatores, quorum Prosper ita adversus Pelagianos, parentes tuos, agens loquitur (*ad capital. Gall.*, cap. 15) : [Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere : sed cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint, dubium non est sine ulla temporali differentia Deum et præscisse simul et prædestinasse quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio tribuenda ; præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura.] † Fulgentius initium responsionum secundi libri ad Monimum ita exorsus est [Satis, ut arbitror, Monime charissime, quæstionem de diversitate prædestinationis, justorum scilicet et iniquorum, hoc est eorum quos gratuita misericordia Dei præveniens justificandos convertit, glorificatura conversos, et eorum quos justa Dei severitas in peccatis derelinquit punitura damnatos, superior sermo, in quantum Dominus pusillitatem nostram dignatus est adjuvare, pertractatam continet et solutam : ita ut plerique, licet in ea solent non leviter permoveri, facile possint et divinorum librorum testimoniis instrui, et S. Augustini libris, et Prosperi eruditissimi viri responsionibus informari, quibus agnoscant prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum ejus, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum præscivit, aut juste. Et quia in peccatis nec misericordia invenitur nec justitia : ideoque omnem iniquorum malam voluntatem qua peccant a Deo præscitam, non tamen esse a Deo prædestinatam, cum ipsam voluntatem malam non aliter essent habituri, nisi in eo quod fuissent a Domino recessuri, nec Deum prædestinasse discessionem hominis a se, cum causa ipsus discessionis sola voluntaria esset aversio peccatoris, quæ quia Deum futura non latuit in æterna præscientia ejus præparatam sibi pœnam justæ retributionis invenit.]

† Quibus definitionibus sanctorum Patrum liquet aliud esse præscientiam. aliud prædestinationem. Sed cum dicis : *Sola vero præscientia sine prædestinatione omnino malorum est, quæ Deus non facit ;* verum est, si tamen malorum nomine peccata, non etiam eorum pœnas intelligis, quas Deo vindice retribui nullus catholicorum negat. Porro malorum præscientiam dicens, utquid superius malorum præscientiam tantisper negaveris, aut utrum in his etiam verbis tuis a contrario identidem velis intelligi non elucet. Quod si admittitur, prorsus nihil esse convincitur. Verum ne de contrariorum adhuc capacitate queraris, fatendum est fide inconcussa quod neque prædestinatio, neque judicium Dei secundum quemdam modum contrariorum capacia recte dicantur, cum in eis nihil sit omnino contrarium. Ad prædestinationem namque ac judicium Dei nihil præter misericordiam et justitiam, vel quibuscunque aliis vocabulis nuncupentur, pertinere certum est : quæ nullatenus sibi dici valent contraria, quoniam et misericordia et justitia absque contradictione bona sunt, illo nimirum auctore, qui summe vere sempiterneque bonus est, et a quo est quidquid boni est. Ac per hoc si quis misericordiam et justitiam Dei bona esse negaverit, fidei catholicæ inimicus absque dubio comprobatur. Sit ergo prædestinatio et judicium Dei nequaquam contrariorum capax, quia quæ bona bono auctore, videlicet Deo, existunt, contraria sibi esse nullatenus possunt. Prosper (*ad*

object. Gallor., cap. 6) : [Prædestinationem autem A Dei sive ad bonum, sive ad malum in hominibus operari ineptissime dicitur, ut ad utrumque homines quædam necessitas videatur impellere ; cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas inteltigenda sine gratia]. † Idem Prosper (*Ibid.*). [Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinet gratiæ.] † Idem Prosper (*Ibid.*): Prædestinatio quoque Dei semper in bono est, quæ peccatum sola hominis voluntate commissum, aut remittendum novit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude justitiæ.] † Adjungis et dicis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 11, num. 8, sect. 7.) Θ *Et ne ullus inde* B *dubitaret, adjecit : [Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est præparatio, gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.] Idem in libro de Dono perseverantiæ eadem planius aperit dicens : [Ista igitur sua dona quibuscunque Deus donat, procul dubio se daturum esse præscivit et in sua præscientia præparavit,* quos *ergo* prædestinavit ipsos et vocavit (*Rom.* XI, 29), *vocatione illa de qua dictum est* : Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei : *Namque in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est prædestinare.] Huic clarissimæ tubæ atque apertissimæ Christianorum castrorum quis dissonare præsumat? quæ apertissima voce resonare non desinit. Id* C *omnino nec aliud esse Deum prædestinare quam præscientia sua opera, quæ ipse facturus fuerat disponere.*

CORRECTIO.

† Tu sine dubio huic clarissimæ tubæ ausus es dissonare, qui contra Augustini definitionem magnis quantum in te est disputationis efficere voluisti, nihil aliud prædestinationem Dei quam præscientiam ejus debere accipi : et inter opera illius pœnas quas peccantibus juste præparavit, nullo modo computari. Hoc ipsum definitionis ratione moliens affirmare, transis ad conglutinatas tibi consuetissimasque ratiocinatiunculas, quibus veritatis munimenta confringere machinaris, eaque ab alio disputationis initio ordiris. D

CAPUT XII.

De definitione prædestinationis.

Duodecimus igitur disputationum tuarum titulus est :

JOANNES SCOTUS.

(Num. I, sect. I.) Θ *De definitione prædestinationis. Fiat igitur,* inquiens, *hujus definitionis conversio sic : Si verum est sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia opera futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est prædestinare, quam in sua quæ falli mutarique non potest præcientia opera sua futura disponere.*

CORRECTIO.

† Huic definitionis conversioni quoniam vera est, tibique per omnia repugnans, conficis aliam conversionem prorsus contrariam, cum in fine superioris ex verbis Augustini posueris. [Definitio nihil minus, nihil amplius continet quam id quod susceptum est explicandum, aliter omnino vitiosa est]. Hinc conjicitur falsam esse aliam tuam conversionem, quæ ita se habet :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 12, num. 2, sect. 1) Θ *Si omnis præscientia qua Deus opera sua futura disposuit, divina prædestinatio est, omnis prædestinatio, qua Deus opera sua futura disposuit, divina præscientia est.*

CORRECTIO.

† Non hoc continetur in definitione Augustini : non enim dixit quod omnis præscientia, qua Deus opera sua futura disposuit, divina prædestinatio est : sed quod in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est prædestinare. Nec dixit, Præscientia est dispositio operum Dei futurorum ; sed in præscientia posuit dispositionem, id est prædestinationem. Aliud est ergo præscientia, in qua disponuntur, hoc est prædestinantur opera Dei futura : aliud dispositio, hoc est prædestinatio futurorum operum illius in ejus præscientia constituta. Præscientia enim disposuit, hoc est prædestinavit, opera sua futura, non prædestinatione præscivit opera sua futura : præscientia quippe ratione prædestinationem præcedit, videlicet quia ex præscientia prædestinatio, non ex prædestinatione prodit præscientia. Et sicut recte dicitur præsciendo prædestinat, prædestinando præscit : ita non recte generaliter dicitur, præscientia prædestinat, prædestinatione præscit. Id est cum recte dicatur, præscientia prædestinare, non tam late recte dicatur prædestinatione præscire ; non enim ex prædestinatione præscientia, sed ex præscientia prædestinatio sumitur. Ideoque possunt multa præsciri absque prædestinatione, id est quæ præsciantur tantum, et non prædestinentur, nulla vero possunt prædestinari nisi præsciantur. Nusquam sane vel Augustinum, vel cæteros Patres dixisse invenimus omnem præscientiam esse prædestinationem, vel omnem prædestinationem esse præscientiam ; sed posse præscientiam esse sine prædestinatione, prædestinationem vero sine præscientia nunquam. Igitur falsitatis convincitur conversio tua, quæ definitionis metas excedens, commenta est, quod non habet veritas definitionis. Nec mirum si conversionem nomines, quæ a veritate discedens conatur inducere falsitatem, cum vocabulum conversionis ambiguum habeatur, tam scilicet a malo in bonum, quod est laudabile, quam a bono in malum, quod est vituperabile. Non itaque dicendum est, omnis præscientia qua Deus opera sua futura disposuit, divina præscientia est ;

et omnis prædestinatio, quo Deus opera sua futura disposuit, divina præscientia; sed in præscientia Dei, qua opera sua futura disposuit, divina prædestinatio est, et omnis prædestinatio ejus, qua opera sua futura disposuit, in divina præscientia est. Verum est igitur quod concludis dicendo.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 12, num. 3, sect. 1.) ϴ *Conficitur ergo prædestinationem Dei non esse nisi in operibus ejus, quando nihil minus, nihil amplius continetur in ejus definitione præter divinorum operum dispositionem.*

CORRECTIO.

† Verum quod hoc dolose protuleris manifestas, cum protinus adjungis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 12, num. 4, sect. 2.) ϴ *Sed ad hæc*, inquiens, *dicturus es ad Dei opera pertinere juste damnandos prædestinare ad pœnam, sicut ad ejus opera pertinet gratia salvandos prædestinare ad beatitudinem; et hoc testimoniis ejusdem S. Augustini firmare conaberis, quæ eo quo posuisti ordine posuimus, ut in eis non quod tu, sed quod ille voluit videamus, quorum si unum recte fuerit expositum, sufficiat ad cætera intelligenda. Ponimus ergo illud* (*August.*, *Enchir. cap.* 100):

Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus (*Ps.* cx, 2). *Et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit. Bene utens et malis tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam; et ad eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad gratiam. Ecce in una eademque sententia, prædestinavit*, inquit, *ad pœnam, prædestinavit ad gratiam. Ubi, quæsumus, respondeas ad ea quæ interrogamus: Utrum ad justitiam Dei an ad ejus gratiam pertineat prædestinare impios ad pœnam? Respondebis, credo, ad justitiam? Ait enim, quos juste prædestinavit ad pœnam, non igitur ad gratiam. Ac per hoc, si pœnæ prædestinatio donum Dei non est, sed peccati judicium, necessario sequitur ut aut falsum sit quod ipse Augustinus ait:* [*Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio*], *aut e contrario accipietur prædestinatio pœnarum. Est autem verum et immutabile quod dixit:* [*prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio*]; *econtrario igitur intelligi voluit quod posuit, prædestinavit ad pœnam.*

CORRECTIO.

† Quicunque veritatis lumine illustratur, omnino videt quam falso ista protuleris dicendo beatum Augustinum prædestinationem impiorum a contrario posuisse, cujus absurditatem intellectus tam auctoritate Scripturarum quam exemplis Patrum venerabilium supra refellimus. Omissis siquidem cæteris solus vel maxime ad hoc sanctus Fulgentius sufficit, qui posthabita, imo nec cogitata perversitate tua, beatum Augustinum prædestinatos ad pœnam non contrarie, sed recte, non negatione sed veritate sensisse atque dixisse confirmat. Proinde cum pœnæ Prædestinatio donum Dei non sit, sed peccati judicium, id est justitiæ retributio, non necessario sequitur ut aut falsum sit quod ipse Augustinus ait: [Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio.] Aut a contrario accipiatur prædestinatio pœnarum; qui enim non dicit absolute, prædestinatio Dei gratiæ est præparatio, aut omnis prædestinatio Dei gratiæ est præparatio, aut prædestinatio Dei nihil est aliud quam gratiæ præparatio, sed addidit, quæ in bono est, profecto innuit se eam tantummodo prædestinationem quæ ad electos pertinet, non illam quæ reprobos juste punit, definisse; sed una eademque sententia, sicut veraciter dixit, prædestinatos ad gratiam, ita veraciter intulit, prædestinatos ad pœnam. Quod cum tibi displiceat, neque alios latere videris, quin quod nunc breviter prælibavimus, tibi quisque prudens posset opponere. Secutus adnectis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 12, num. 5, sect. 3). ϴ *Sed ne forte*, inquiens, *objicias, non dixit prædestinatio Dei est gratiæ præparatio, sed, prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio, tibi videtur locus relinqui alterius prædestinationis, quæ tanquam in malo sit; aut eadem prædestinatio, si una solaque est, in bono et malo fieri posse non negatur. Primum attende unam definitionem duas prædestinationes omnino non posse continere: deinde quod si nulla alia definitio prædestinationis verior aptiorque inveniatur quam illa quæ prædicta est, nihil nisi opera divina comprehendit, quæ, nullo pie credentium dubitante, bona sunt, quid nos cogit aliud aliquid subaudire, audientes prædestinationem Dei, quæ in bono est, nisi semper eam et bonam et in bono esse?*

CORRECTIO.

† O regule de radice colubri egrediens, de quo canitur. O tortuose serpens, qui mille per meandros fraudesque flexuosas agitas quieta corda, et item cui sunt mille nocendi artes, quid veritati tanta obstinatione obsistis? Quid perspicuitatem veritatis mendaciorum cuniculis inficere satagis? Si taliter Fulgentius Augustinum sensisse atque dixisse novisset, nunquam diversitatem prædestinationis protulisset, nunquam Gregorius prædestinationes pluraliter enuntiasset; nunquam Isidorus geminam prædestinationem nuncupasset; nunquam cæteri quique catholici doctores in suis scriptis toties destinatos, prædestinatos, paratos, præparatos, deputatos delegatosque ad pœnas vel interitum intimassent. Ac per hoc et nos semper Dei prædestinationem bonam, et in bono esse indubitanter, sicut et judicium illius, fatemur: quoniam cum nihil aliud in Dei prædestinatione atque judicio quam misericordia et justitia contineatur, nequaquam ejus præde-

stinatio et judicium vel mala vel in malo esse possunt, quæ non aliud quam bona in se continent, misericordiam videlicet et justitiam; quæ, sicut diximus, licet semper bona et in bono sit, aliud tamen beatus Augustinus in sua definitione attendit dicendo (*de Præd. sanct., cap.* 10): [Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio]. Quæ in bono est inquit, id est quæ ad bonum electionis sanctorum pertinet: ut altera intelligatur in malo, quæ non sit omnino mala, quia ad Dei justitiam pertinet; sed tamen juste puniat reprobos, quia nullo obsistente justitia utique bona est. Quod ita se intellexisse ex aliis suorum librorum dictis ipse manifestat, qui in libro Enchiridion (*cap.* 55) dicit: [Aliquando enim judicium Dei ponitur in malo; unde illud est: *Qui autem male egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v. 29), aliquando et in bono, secundum quod dictum est. *Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me* (*Psal.* LIII, 3). Per judicium quippe Dei fit ipsa bonorum malorumque discretio, ut [*al.*, ubi] liberandi a malo, non perdendi cum malis, boni ad dexteram segregentur, propter quod ille clamat [*al.*, clamabat]: *Judica me, Deus.* Et quid dixerit velut exponens: *Et discerne,* inquit, *causam meam* (*Ps.* XLII, 1). † Sicut ergo judicium vel in malo, vel in bono, ita incunctanter prædestinationem vel in malo, vel in bono, dici et intelligi voluit, quæ a Dei judicio nequaquam differt, interea subnectis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 12, num. 6, sect. 3). Θ *Si autem dicis: Bonum est prædestinare impios ad pœnam, et ideo inter opera Dei reputandum, respondemus: Bonum, quia justum; sed quoniam non est Dei donum, cum ejus sit judicium, omnis autem prædestinatio Dei omnino est præparatio gratiæ, omnisque gratia donum, necessario colligitur omnis divina prædestinatio donorum ejus præparatio. Pœna procul dubio impios juste torquet, quæ donum non est; alioquin si esset donum, non torqueret, sed utique liberaret: non est igitur prædestinatio pœnæ; quod si esset, non esset pœna, sed gratia: est autem pœna, non est igitur prædestinatio ejus.*

CORRECTIO.

† Quantum a veritate abhorreas, et cum Baalam apertis oculis cadas, quisquis diligenter legerit, facile pervidebit. Dicens itaque, *bonum esse prædestinare impios ad pœnam, quia justum* procul dubio apertis oculis verum vides. Adjungens autem: *Sed quoniam non est Dei donum, cum ejus sit judicium: non est igitur prædestinatio pœnæ; quod si esset, non esset pœna, sed gratia,* perspicue justitiam Dei atque judicium aut penitus negas, aut omnino mala esse confirmas. Si enim nihil aliud pertinet ad bonitatem Dei quam dona gratis tribuere, restat ut justitia, judiciumque illius, quibus reprobi puniuntur, aut mala sint, aut omnino non sint. Omnes autem Scripturæ Deum et justum et judicem clamant; quæ si bona non sunt, quia dona non sunt, quid aliud restat, nisi ut neges Deum esse qui et justus et judex est? Ita quippe ad omnes ejus judicium separasti, ac si malum velles intelligi judicium: Ita enim se habent verba tua: *Sed quoniam non est Dei donum, cum ejus sit judicium,* quasi nihil aliud possit esse bonum, nisi Dei donum: est autem judicium estque justitia et omnino bona; si ergo et justitia et judicium indubitanter bona sunt; necessario colligitur prædestinare impios ad pœnam bonum esse, cum sit Dei justitia atque judicium; quæ quisquis bona esse negaverit, sine dubio impietatis reus esse convincitur.

Itemque quod ais (cap. 11, num. 7, sect. 4), *Omnis autem prædestinatio Dei omnino est præparatio gratiæ,* falsum ex definitione beati Augustini arguitur, qui nusquam dixisse reperitur: Omnis prædestinatio Dei gratiæ est præparatio, sed simpliciter, quia veraciter: Prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est præparatio. Sicut ergo justitia Dei atque judicium bonis bona, et malis mala retribuunt: ita prædestinatio bonis bona, et malis mala retribuenda disposuit.

Deinde inserens (cap, 12, num, 8, sect. 4): *Pœna procul dubio impios juste torquet, quæ donum non est; alioquin si esset donum, non torqueret, sed utique liberaret: non est igitur prædestinatio pœnæ.* Cur non perpendis quia justa est et ad Dei justitiam pertinens, pœna? Itaque quia concedis juste impios pœna torqueri, concedas necesse est bonum esse, quia omne justum bonum. Ergo si bonum est quia justum, constat impios pœna torqueri, falsum est non esse prædestinationem pœnæ, quia quemadmodum justum est retribuere, ita nimirum justum perindeque bonum fuit identidem prædestinasse. Nisi enim esset justitia, nec prædestinatio prœcessisset, neque judicium futurum esset; est autem judicium quo retribuatur unicuique secundum opus ejus; est igitur prædestinatio ejusdem judicii, id est præparatio atque dispositio in præscientia Dei futurorum operum ejus; est etiam pœna quæ retribuatur impiis, sicut est præmium quod retribuatur piis. Et hoc est totum prædestinasse Deum, quod erat ipso auctore futurum, misericordia scilicet atque judicium. Plane miror cæcitatem tuam interdum negare, interdum confirmare pœnas: nam qui hactenus pœnas peccatis debitas usquequaque negaveras, nunc confiteris dicendo: *Pœna procul dubio impios juste torquet.* Et item: *Est autem pœna*: cumqne jam pœnam fatearis, insaniæ plenum deprehenditur prædestinationem ejus negare, quæ justa est. Omne quippe justum bonum: bona est ergo prædestinatio pœnæ, sicut judicii, quia sine dubio justa. Nihil autem injustum bonum; omne autem justum bonum; bonum igitur prædestinatio pœnæ, quia procul dubio justum.

Quapropter frivola prorsus convincitur argumentatio tua, cum id conaris evertere quod et auctoritas et ratio perspicue persuadent. Sententia vero Augustini, quam confirmationi prædestinationis adhibes, semper in donis divinæ largitatis intelli-

gendæ, prorsus in nullo tuæ adminiculatur assertioni. Dicendo enim (August. *de Don. persev.*, cap. 17 in fine): Hæc Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur a Deo: præsciuntur autem: Hæc est igitur prædestinatio quam defendimus. Unde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit* (*Rom.* XI, 2). Hoc quod ait *præscivit*, non recte intelligitur nisi prædestinavit. Et cætera quæ sequuntur, de ea quæ ad sanctos pertinet, se tantummodo dixisse manifestavit, addendo videlicet, quam defendimus, eam quippe defendendam susceperat; quoniam eadem jam impugnabatur a tuis, ut ita dixerim, propugnatoribus; sicut epistola Prosperi et Hilarii ad eum, et responsio ejus, titulusque libri, atque actio satis aperteque declarant, necdum namque prædestinatio impiorum cæperat denegari, quam frequenter in Pelagianorum etiam libris atque Origenis positam invenimus, quorum idcirco testimonia proferre non necessarium duximus; quoniam catholicorum munimentis nos abundare, favente Domino, copiosius congaudemus. Hinc interposita beati Augustini sententia, quam ex libro illius de Dono perseverantiæ decerptam, tuis actionibus inserendam, quamvis inepte prorsus censuisti, qua de prædestinatione sanctorum fideliter disputans præscientiam pro ea aliquando poni solere edocuit, consueto tibi errore argumentaris.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 10, num. 10, sect. 5). Θ *Omnis*, inquit, *præscientia pertinens ad electos prædestinatio est*: *nulla prædestinatio nisi electorum est*: *nulla igitur præscientia pertinens ad electos prædestinatio non est. Nullus eligitur ad pœnam, quomodo ergo prædestinatur pœna, quæ reproborum est propria?*

CORRECTIO.

† Quæ argumentatio ex præcedentibus falsa esse convincitur. Dicens quippe (num. 11), *nulla prædestinatio nisi electorum est*, mentiris, quia et Scripturæ sanctæ auctoritas et sanctorum Patrum unanimitas destinatos vel prædestinatos, paratos vel præparatos, ac deputatos ad pœnam vel interitum infucate atque concorditer indicat. Quodque infers: *Nullus eligitur ad pœnam*: *quomodo ergo prædestinatur pœna, quæ reproborum est propria?* videris intelligere electionem et prædestinationem unum esse, cum plurimum interesse nullus ignoret: nam aliud eligere, aliud esse prædestinare quis nesciat? Sicut enim aliud est eligere, aliud disponere, ita aliud est eligere, aliud destinare: quoniam destinare vel prædestinare non esse aliud quam disponere vel præparare, vel quidquid idem significat, jam supra monstratum est. Porro eligi quemquam ad pœnam vel interitum divina eloquia raro testantur; prædestinari vero pœnas omnis Veteris et Novi Testamenti Scriptura testatur.

Sed quod dicis (num. 12) *pœnam esse reproborum propriam*, mirum est quare propriam reproborum dixeris, cum veritas Christianæ fidei habeat, excepto Deo et Domino nostro Jesu Christo, nullum ex peccatrice propagine nisi peccatorum nasci, perindeque pœnam justo Dei judicio promereri. Ac per hoc quemadmodum omnes peccatores naturæ traduce, ita omnes pœnis debitos incunctanter tenemus; et sicut a peccato non nisi gratuita gratia, ita a pœnis non nisi eadem misericordia liberat. Propria est ergo peccatorum omnium pœna, sicut post primam transgressionem peccatrix est omnium natura: et ita omnium communis est pœna, sicut communis est omnium culpa, dicente Apostolo: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors* (*Rom.* V, 12); et iterum: *In quo omnes peccaverunt* (*Ibid*).

Certe traditione majorum primum hominem, quamvis tam graviter peccaverit, ut omne hominum genus ex sua propagine per concubitum maris et feminæ nasciturum peccato mortique substraverit, salvatum Dei gratia sanctorumque collegio sociatum credimus et fatemur; qui sicut primus omnium hominum cum conjuge sua peccavit, ita primus pœnam damnationis excepit. Quære itaque utrum propria ejus pœna fuerit, an extranea; proprium autem ejus fuisse peccatum, nemo cunctatur: justum igitur fuit ut ipse propriam pœnam perciperet, licet invitus, qui propria voluntate peccatum commiserat non invitus. Propria ergo peccatorum omnium pœna dicenda est, non tantummodo reproborum, quia omnium culpa communis est, qua pœnam meruerunt, non solummodo reproborum. Et hoc est quod fideliter dicitur Deum prædestinasse, vel præparasse, vel disposuisse, vel deputasse, vel delegasse peccatoribus pœnas, quas peccantibus se præviderat merito redditurum. Si enim non prædestinavit pœnas, quid est quod præceptum obedientiæ dans primis hominibus dixit: *Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini* (*Gen.* II, 17). Et rursum, se ipse non rependit meritas pœnas, quid est quod eisdem jam peccatoribus dicit: *donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris* (*Gen.* III, 19). Si, inquam, nec præscivit nec prædestinavit hanc pœnam quomodo eam et ante peccatum prædixit futuram, et post peccatum reddidit consecutam? Proinde sicut propriam culpam, ita propriam pœnam illius dicendam omni peccatori fortassis non incongrue dixerim, quoniam, secundum Apostolum, *omnes peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23), Et: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato* ut omnium misereatur (*Gal.* III, 22).

Verum, quia electionis vocabulum ad amicissimam tibi contrarietatis perversitatem detorques, adhibita beati Augustini sententia, qua satagis confirmare reprobos, appellari electos, cum non sint electi, te necdum plene intellexisse quid senserit evidentissime indicas; dicit enim Augustinus (Aug. *de Corrept. et Grat.*, cap. VII, 9). [Electi enim sunt

ad regnandum cum Christo, non quomodo electus A est Judas ad opus cui congruebat : ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat opus venerabile compleretur. Cum itaque audimus : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71)? Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum : *Firmum autem fundamentum Dei stat habens signaculum hoc : scivit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II, 19). Horum. *fides, quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* V, 6), profecto aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, et deleta quæ incurrerat B iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide Christiana et conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, procul dubio nec illo tempore quo bene pieque vivunt in istorum numero computandi sunt : non enim sunt a massa illa perditionis præscientia Dei et prædestinatione discreti. Et ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi, sed in eis vocati de quibus dictum est : *Multi vocati*, et non in eis de quibus dictum est : *pauci vero electi* (*Matth.* XXII, 14). Et tamen quis eos neget electos, cum credunt, et baptizantur, et secundum Deum vivunt ? Plane dicuntur electi a nescientibus quid futuri sunt, non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam, C quæ ab beatam vitam perducit electos sicque [*al.*, scitque] illos ita stare ut præscierit [al., præsciret] esse casuros.

Nec nos moveat quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam ; absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent et secundum propositum vocatis : qui vero non sunt filii promissionis, jam isti [*al.*, qui vere sunt filii promissionis. Nam isti, etc.] cum pie vivunt, dicuntur filii Dei, sed quoniam victuri sunt impie, et in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei : sunt enim filii Dei, qui nondum sunt nobis, et sunt jam Deo, de quibus ait evangelista Joannes : *Quia Jesus moriturus erat pro gente : et non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei di-* D *spersos congregaret in unum* (*Joan.* XI, 51, 52) ; quod utique credendo futuri erant per Evangelii prædicationem : et tamen antequam esset factum, jam filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti). Et sunt rursus quidam filii, qui [*al.*, qui filii Dei] propter susceptam temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo, de quibus ait idem Joannes : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*, etc. (*I Joan.* II, 19). Cum ergo filii Dei dicuntur, de his qui perseverantiam non habuerunt, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Et additur [*al.*, et addunt], *quod si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum.* Quid aliud dicuntur nisi non erant filii etiam quando erant in professione et nomine filiorum.]

† Cujus sententiæ documentum quia in aliam pericopen differs, et nos responsionem eatenus differamus.

CAPUT XIII.

Quid potest colligi ex prædicta sancti Augustini sententia.

Tertia decima itaque tali titulo prænotatur :

JOANNES SCOTUS

(Cap. 13, num. 2, sect. 1) Θ *Quid potest colligi ex prædicta sancti Augustini sententia ?*

CORRECTIO.

† In qua, cum ex verbis sancti Augustini (Aug. *ibid.*) colligere niteris sufficientia his quæ suadere conaris probandis, multum a sensu ejusdem Augustini recedis : nam cum poneret testimonium dicentis Domini : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71), subjunxit et ait : [Illos debemus intelligere : electos per misericordiam, illum per judicium ; illos ad obtinendum regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum.] Quæ verba pie considerata sobrieque perpensa multo aliud quam quod colligis resonant. Dixit enim electos undecim per misericordiam, Judam proditorem per judicium. Colligenda sunt ergo etiam ex aliis ejus vel libris vel sermonibus omnia, vel pene omnia, quæ super Judæ electione diversis modis, sed non diversa fide tractavit quibus liquido perpendi queat utrum a contrario uspiam docuerit intelligendum, ut tu somnias, an veritate manifesta dictorum, sicut omnibus orthodoxis doctoribus absque ulla discrepantia concorditer visum est, de qua re idem doctor venerabilis in libro Quæstionum de Genesi ita locutus est (*qu.* 117), exponens quippe Scripturæ locum quo dicitur : *Hi sunt filii Israel, qui nati sunt ei in Mesopotamia et computantur duodecim* (*Gen.* XXXV, 26), cum Benjamin longe postea natus est. [Nulla, inquit, tamen est facilior solutio quæstionis hujus, quam ut per synecdochen accipiatur : ubi enim pars major est aut potior solet ejus nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet, sicut ad duodecim apostolos jam non pertinebat Judas, qui etiam mortuus fuit cum Dominus resurrexit a mortuis ; et tamen ipsius duodenarii numeri nomen Apostolus in Epistola sua tenuit, ubi ait *eum apparuisse illis duodecim* (*I Cor.* XV) : cum articulo enim hoc Græci codices habent, ut non possint intelligi quicunque duodecim, sed illi in eo numero insignes ; eo modo locutionis puto et illud a Domino dictum : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71), ut non ad electionem etiam ipse pertinere videatur : non enim facile invenitur electorum nomen in malo, nisi quando mali eliguntur a malis. Quod si putaverimus et illum electum ut per ejus traditionem Domini passio compleretur, id est malitiam ejus ad aliquid electam, bene utente Deo etiam malis, illud attendamus ubi ait : *Non de omnibus vobis dico* : *ego*

scio quos elegi (*Joan*. XIII, 18). Ubi declarat ad electionem non pertinere nisi bonos ; ac per hoc illud quod dictum est : *Ego vos duodecim elegi*, per synecdochen dictum est, ut nomine majoris meliorisque partis etiam illud complecteretur, quod ad ipsum nomen non pertinet.]

÷ Qua sententia deliratio tua frustratur, qua contrarietatis nobis intelligentias imponis, cum per tropum synecdochen dictum potius aperitur. Quibus cassatis intelligendum est electionis vocabulum a Deo semper in bono poni, aut secundum memoratas sententias ad percipiendum regnum æternum, aut secundum alios orthodoxos Ecclesiæ tractatores, ad aliquod bonum Dei voluntate et jussione etiam temporaliter exhibendum ; quemadmodum de Saule Scriptura refert, dicente Samuele ad populum : *Certe videtis, quem elegerit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo* (*I Reg*. X, 24) ; ubi electionis nomen nequaquam æterni regni perceptionem, sed transitorii administrationem significat. Quod diligentius idem propheta genealogiam patris ejus describens ita exsequitur : *Et erat vir de Benjamin nomine Gis, filius Abiel, filii Seor, filii Bechorathi, filii Sared, filii Aphia, filii viri Jemini fortis robore ; et erat ei filius vocabulo Saul electus et bonus : et non erat vir de filiis Israel melior illo* (*I Reg*. IX, 1). Si de electione forsitan ambigebas, boni et melioris vocabula omnem hæsitationis nebulam exploserunt ; ita et Judam electum a Domino ad apostolatus temporale officium, non tamen ad apostolatus præmium sempiternum. Nam eum cum cæteris accepisse a Domino potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et omnem virtutem inimici (*Luc*. X, 19), et post patrata miracula potestatis acceptæ reversum cum eisdem ad Dominum Evangelium indicat (*Marc*. VI, 13). Quibus exemplis docetur eos a Domino haudquaquam fallaciter aut dolose vel simulate electos, sed omnino veraciter, quanquam non ad æternam beatitudinem capescendam, verum ad aliquam temporariæ dispensationis administrationem. Et ne Saulis electionem a contrario accipiendam censeas, vel ad malum inflectas, liquido verax Scriptura testatur *quia esset bonus, et non esset melior illo in filiis Israel*, Hoc nequaquam a nescientibus putatum dictumve fuit, sed a propheta, quem ejus bonitas, inspirante Domino, non latebat. Augustinus in homilia 27 in Evangelium Joannis.

[Ait ergo Dominus Jesus : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est ?* (*Joan*. VI, 71.) Ergo electus est et iste, de quo, nolente et nesciente, magnum aliquid bonum fieret, hoc est proprium Dei, contrarium iniquis. Sicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic contra Deus bene utitur malis operibus hominum iniquorum : sicut iniqui, inquam, audite et intelligite, sicut iniqui male utuntur operibus Dei bonis, sic contra Deus bene utitur malis operibus iniquorum. Quam bonum est membra corporis ita esse quemadmodum disponi non possent nisi ab artifice Domino. Petulantia tamen, quam male utitur oculis ! Fallacia, quam male utitur lingua ! Falsus testis nonne linguam suam et animam suam prius trucidat, et alterum lædere se perempto conatur ? Male utitur lingua, nec ideo malum est lingua ; opus Dei est lingua, sed bono opere Dei male utitur illa nequitia. Quomodo utuntur pedibus qui currunt ad scelera, quomodo utuntur manibus homicidæ, et illis adjacentibus forinsecus bonis creaturis Dei. Quam male utuntur mali auro, judicia corrumpunt, innocentes opprimunt ! Luce ista mali male utuntur : male vivendo enim etiam ipsam lucem qua [*al.*, quam] vident ad ministerium suorum scelerum usurpant. Vadens ut faciat aliquid mali malus, lucere sibi vult ne offendat, qui jam intus offendit, et cecidit. Quod timet in corpore, jam incurrit in corde. Omnibus ergo bonis Dei, ne per singula currere longum sit, male utitur malus : contra malis hominum malorum bene utitur bonus. Et quid tam bonum quam bonus [*al.*, unus] Deus ? quandoquidem ipse Dominus dixit : *Nemo bonus nisi solus Deus* (*Marc*. X, 18) ; quanto ergo ille melior, tanto melius utitur et malis nostris. Quid Juda pejus ? Inter omnes adhærentes magistro, inter duodecim loculi ei commissi sunt, et dispensatio pauperum distributa : ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit justitiam, tradidit vitam mortuus ; quem ut discipulus secutus, ut inimicus persecutus est. Totum hoc malum Judæ, sed malo ejus bene usus est Dominus. Tradi se pertulit, ut redimeret nos. Ecce malum Judæ in bonum conversum est. Satanas quantos martyres persecutus est ; si Satanas a persequendo cessaret, hodie tam gloriosam coronam sancti Laurentii non celebraremus. Si ergo ipsius diaboli malis operibus bene utitur Deus, quod facit malus male utendo, sibi nocet, non bonitati Dei contradicit : artifex illo utitur, et magnus artifex. Si illo uti non posset, nec eum esse permitteret. *Ergo unus ex vobis diabolus est*, ait, *cum ego vos duodecim elegerim* (*Joan*. VI, 71.)

÷ Idem in homilia 7, de Cœna Domini. [*Unus ex vobis tradet me* (*Joan*. XIII, 21), unus ex vobis numero non merito, specie non virtute, commixtione corporali, non vinculo spiritali, carnis adjunctione, non cordis socius unitate : proinde non qui ex vobis est, sed qui ex vobis exiturus est. Nam quomodo erit verum quod protestatus est Jesus et dixit, *unus ex vobis* ? Si verum est quod ait idem ipse in Epistola sua cujus est hoc Evangelium : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis ? nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (*I Joan*. II, 19), secundum communionem sacramentorum ex nobis ; secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis.]

÷ Idem in homilia 32, de Cœna Domini. [*Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan*. XV, 16), hæc est illa ineffabilis gratia. Quid enim eramus quando Christum nondum elegeramus, et ideo nondum diligebamus ? nam qui eum non eligit, quomodo non diligit ? Nunquid jam in nobis erat quod in psalmo ca-

nitur: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis* A *quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII, 11)? Non utique. Quid ergo eramus, nisi iniqui et perditi? neque enim jam credideramus in eum ut eligeret nos. Nam si jam credentes elegit, electus elegit. Cum ergo diceret: *Non vos me elegistis*, quid aliud dixit nisi quia *misericordia ejus prævenit* nos (*Psal.* LVIII, 11), generaliter utique non personaliter, ut sibi circa omnes constet divina justitia? Hic certe vacat vana illorum ratiocinatio, qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, et ideo nos dicunt electos ante mundi constitutionem, quia præscivit nos Deus futuros bonos, non se ipsum nos facturum bonos. Non hoc dicit. Quid dicit? *Non vos me elegistis*, quoniam si propterea nos elegisset quia bonos futuros B esse præscierat, simul etiam præscisset quod eum fuissemus prius electuri. Elegit ergo per gratiam, sicut elegit et Judam, sed opus est ut divinæ electioni humanæ obedientiæ et diligentiæ cura respondeat.]

† Ecce vir sanctus toties de una eademque re prudenter et fideliter elocutus, nusquam a contrario intelligendum electionis vocabulum docuisse invenitur. Porro quod in assertionem contrarietatis addis (*cap.* 13, *num.* 3, *sect.* 2), similiter amicus, qui semper erat inimicus, mirum qua auctoritate id proloqui attemperaveris, cum inter eligendum minime credatur aut legatur uspiam inimicum animum habuisse, donec post tantorum beneficia munerum proditioni animum præpararet. Nam in ipso C vocationis suæ articulo necdum de perditione Domini poterat cogitare, quem a Judæis non dicam insequi, verum nec Prophetam aut Dominum cognosci sciebat: neque enim credibile est eum a Domino inimicum electum: quamvis enim non ignoraverit id futurum, sed processu temporis de bonitate ad malitiam commutatum: sicut angelus et homo boni sine dubio a summo bono creatore conditi, deinceps sua voluntaria aversione mali effecti sunt; dicente siquidem evangelista, cum alabastri erga pedes Domini fractionem narraret, Judam murmurasse. *Utquid perditio hæc unguenti, potuit enim venundari multo, et dari pauperibus. Hoc autem dixit quia fur erat, et loculos habens ea quæ mittebantur portabat* (*Matth.* XXVI, 8). Ex eo D proditionis malum concepisse credendum est, ex quo et ipse a Domino dispensationis officium percepit et Judæorum rabiem in illum concitari cognovit. Hoc ipsum beatus Gregorius sentiens, nobisque sentiendum venerabilitatis suæ scriptis relinquens, in homilia Evangelii vocatorum ad nuptias, cum de eo qui veste nuptiis minus digna solemnitatem nuptiarum dehonestaverat, atque a rege sub amici nomine increpatus fuerat, tractaret, ait (Greg., *hom.* 38 *in Evang.*):

[Mirandum valde est, fratres charissimi, quod hunc et amicum vocat, et reprobat; ac si ei apertius dicat: Amice, et non amice, amice per fidem, sed non amice per operationem.] Hieronymus: [Amicum vocat, quod invitatus ad nuptias est, arguit impudentiæ, quod veste sordida munditias polluerit nuptiales.]

† Qui etiam identidem in Judæ salutatione sentiendum perdocuit. Item Gregorius (*Moralium*, lib. III, cap. 14): [Hæretici autem, quia sanctam Ecclesiam sua docere desiderant, ad eam quasi consolantes appropinquant. Nec mirum quod qui adversantium formam exprimunt, amici vocantur, cum ipsi quoque traditori dicitur: *Amice, ad quid venisti? Matth.* XXVI, 50.) Et dives qui in inferno igne exuritur Abraham filius vocatur (*Luc.* XVI, 25), quia etsi per nos mali corrigi negligunt, dignum tamen est ut a nobis, non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate amici nominentur.]

† Idem (*Moralium* lib. X, VI, cap. 11): [Quo contra recte sub Babylonis specie par prophetam menti reprobæ dicitur: *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis, sede in terra, non est solium filiæ Chaldæorum* (*Isa.* XLVII, 1). Hoc enim loco humana mens virgo non incorrupta, ut arbitror, dicitur, sed infecunda. Et quia Babylon *confusio* interpretatur, recte infecunda mens Babylonis filia vocatur, quæ in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quasi confusione matre generatur: sin autem virgo non infecunda dicitur, sed incorrupta, postquam statum salutis perdidit, ad confusionis suæ cumulum appellatur quod fuit.] † Hieronymus (*contra Jovinianum* lib. II): [*Arbor mala bonos fructus non facit, nec bona malos* (*Matth.* VII, 17). Si hoc ita est, responde mihi quomodo Paulus, cum esset arbor mala persequens Ecclesiam Christi, fecerit postea fructus bonos; et Judas, cum esset arbor bona, signa faciens cum apostolis, postea versus in proditorem, fecerit fructus malos. Tandiu ergo nec arbor bona fructus malos facit, nec mala bonos, quandiu vel in bonitate sua vel in malitia perseverant.] † Idem quod dicis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 12, num. 4, sect. 1). Θ *Et quemadmodum non sunt filii si non sunt hæredes, sic electi non sunt si non sint dilecti: quomodo ergo, nisi e contrario, diceretur Judas electus, dum non esset dilectus?*

CORRECTIO.

† Debueras diligentius investigare vocabulum dilectionis et electionis in Scripturis sanctis, quarum auctoritate fultus, non eis repugnantia susurrares. Nam in libris Regum et Verbis dierum legimus Salomonem *Ididiam* id est *dilectum Domini* vocatum; *et quod*, inquit, *diligeret eum Dominus*, hoc non a nesciente quolibet, sed a propheta utique sciente Domini voluntatem dictum est (*II Reg.* XII, 24, 25). Sic et evangelista cum adolescentem divitem magnarumque opum ad Dominum venientem, et mandatorum legalium observationem promentem describeret, secutus adjunxit: *Intuitus autem eum Jesus, dilexit eum* (*Marc.* X, 21): nimirum ob custodiam præceptorum Dei, qui tamen quoniam erat multas possessiones habens, *audito* perfectionis consilio,

abiit tristis. Ecce propheta et evangelista dilectos a Domino pronuntiant, quos filios promissionis forsitam non esse minime dubitabant: nam bonam actionem etiam in impiis Deo placere ostendit sanctus Gregorius, qui in expositione prophetæ Ezechiel ita loquitur (*Lib.* I, *hom.* 10): [Sic Achab iniquus rex a propheta reprehensus cum contra se divinam sententiam audisset, pertimuit, et magno mœrore depressus est, ita ut prophetæ suo Dominus diceret: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est causa mei, non inducam malum in diebus ejus* (*III Reg.* XXI, 29). In quibus Domini verbis pensandum est quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Dominum, si sic ei et in reprobo [*al.*, reprobi] pœnitentia placuit qui timebat perdere præsens sæculum: aut quomodo ei gratia sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si hæc ad tempus placuit in illo qui displicebat [*al.*, et in eis qui displicebant].

† Debuerat igitur attendere a Patribus vocabula dilectionis et electionis non a contrario intellecta et posita, sed pro varietate causarum aut beatitudini æternæ, aut dispositioni temporiæ deputata. Et licet ex Augustini sensu super electionis positione, quæ præmissa sunt protulerim, tamen in malo etiam a propheta Ezechiel positum nomen electionis reperitur, qui ait: *Traducam vos in desertum populorum, et judicabor vobiscum ibi facie ad faciem. Sicut judicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti; sic judicabo vos, dicit Dominus: et subjiciam vos sceptro meo, et inducam vos in vinculis fœderis, et eligam de vobis transgressores et impios, et de terra incolatus eorum educam illos, et in terram Israel non ingredientur, et scietis quia ego Dominus* (*Eezch.* XX, 35-38). Quod Hieronymus ita exponit (*in Ezech. cap.* XX, 35): [Faciam, ait, vobis qui estis in Babylone, et nunc servitis idolis, quod feci patribus vestris in Egypto, ut *educam vos in desertum populorum*, et ibi judicet vobiscum facie ad faciem, sicut adversum illos judicio contendi, quando egressi sunt de Ægypto. Et postquam vos judicavero, subjiciam vos sceptro meo et imperio, et inibo pactum vobiscum, et inducam vos in terram vestram in vinculis charitatis, ut ligati amore meo nequaquam a me possitis recedere. Transgressores autem et impios qui cordis duritia in malis operibus perseverant, eligam de vobis non ad possidendum, sed ad abjiciendum. Et educam quidem eos de terra incolatus eorum ut educti non ingrediantur terram Israel, sed in diversis pereant regionibus, et distinctione bonorum et malorum cognoscatis quod ego sim [*al.*, quia ego sum] Dominus qui facio cuncta judicio].

† Claret itaque electionem Dei etiam in malo poni secundum propheticam astipulationem et Domini comminationem. Verum, quod temporariam quoque dispensationem significet, testantur eximii divinorum eloquiorum tractatores, qui nunquam a contrario tuo, sed a temporali quadam Dei dispo-

A sitione id plerumque fieri docuerunt. Unde per Ezechielem Dominus dicit: *In die qua elegi Israel, et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob*, et cætera (*Ezech.* XX, 5): Hieronymus (*ubi supra*, cap. XX, 5): [Juxta litteram vero, inquit, inclytam esse terram Judææ et cunctis terris fertiliorem dubitare non poterit, qui a Rhinocorura usque ad Taurum montem et Euphratem fluvium cunctam consideraverit terram: et urbium potentiam, amœnitatemque regionum, Palæstinam videlicet, et Phœnicen, Arabiam, Syriam, Cœlen, Ciciliam et cæteras regiones quas Israeli, si Dei præcepta servasset, Dominus repromisit; quas quia non accepit, vitium fuit incredulitatis ejus, nam et in ipsa Palæstina Judæaque provincia, gentes plurimæ
B remanserunt quæ non sunt ejectæ. Neque enim sponsor in crimine est, si ille cui repromittitur indignum se fecerit sponsione, præsertim cum proponatur optio promittentis *Si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis: sin autem nolueritis, gladius devorabit vos* (*Isa.* I, 19, 20). Eliguntur ergo præscientia [*al.*, præsentia] nec statim qui eligitur tentari non potest nec perire, quia et Saul electus in regem, et Judas in apostolum suo postea vitio corruerunt].

† Idem in eodem (*in Ezech.* c. I, v. 13 et 14): [Quomodo igitur crebris micat ignibus æther, et in ictu oculi atque momento discurrunt fulgura, et revertuntur non amittentia matricem et, ut ita dixerim, fontem ignis atque materiam: ita et
C hæc animalia, cum inoffenso pergant pede, ad priora festinant: sin autem conatui suo aliquid oppositum [*al.*, obsitum] viderint, non tam revertuntur quam contrahunt se extendentia sursum [*al.*, extendenda rursum], et præbitura lumen quod parumper absconderant, ut dent servis cibaria in tempore suo, nec tribuant sanctum canibus, nec mittant margaritas ante porcos. Unde et Paulus dicit: *Lac vobis potum dedi non escam, necdum enim capere poteratis* (*I Cor.* III, 2). Electioque Judæ, et Saulis unctio, non arguunt Deum ignorantiæ futurorum, sed præsentium monstrant esse judicem.] † Ambrosius (*in Epistola ad Romanos* IX, 11):

[Præscientia Dei flagitat in his causis, quæ non
D aliud potest evenire, quam quod Deus futurum, sciendum [*al.*, sciendo] enim quod unusquique illorum qualis futurus esset, dixit: Hic erit dignus qui erit minor, et qui major erit indignus (*Gen.* XXV, 23); unum elegit præscientia, et alterum sprevit (*Mal.* I, 2); et in illo quem elegit, propositum Dei manet, quia aliud non potest venire quam scit et proposuit in illo, ut salute dignus sit. Et in illo quem spernit [*al.*, sprevit], simili modo manet propositum quod proposuit de illo, quia indignus erit. Hoc quasi præscius non personarum acceptor (*Rom.* IX, 13), nam neminem damnat antequam peccet, et nullum coronat antequam vincat (*II Tim.* II, 9). Hoc pertinet ad causam Judæorum qui sibi prærogativa [*al.*, prærogativam] defendunt, quod filii sint Abrahæ (*Joan.*

8, 59, 40); Apostolus autem consolatur se, ut, A quia dilexerat, dolorem habere se cordis, continuo causam [*al.*, continuum causa] incredulitatis illorum quorum adoptio erat filiorum, et legis constitutio (*Rom.* IX, 2, 4), et ex quibus Christus Salvator, sicut et ipse, ait: *Quia salus ex Judæis est;* tractata lege invenit *quia non omnes qui ex Israel sunt, credituri sunt; neque qui dicuntur filii Abrahæ, omnnes Abrahæ* filios dicendos: sicut supra memoravi [*al.*, commemoravi]. Minuit ergo dolorem suum inveniens olim prædictum quod non essent omnes credituri (*Joan.* IV), ut hi soli doleant [*al.*, his solis doleat], qui per invidiam incredulitate laborant: possunt tamen credere, quod ex subjectis aperit: incredulis tamen prædictis, non valde dolendum est, quia non sunt prædestinati ad vitam; B præscientia enim Dei olim hos non salvandos decrevit. Quis enim plangat eum qui olim mortuus habetur, sed subintrantibus gentibus quæ sine Deo prius erant (*Eph.* II, 3), et salutem, quam illi perdiderunt, accipientibus, exsuscitatur dolor; sed iterum, quia ipsi sibi perditionis causa sunt, sopitur. Præscius itaque Deus malæ illos voluntatis futuros, non illos habuit in numero bonorum; quamvis dicat Salvator illis septuaginta duobus discipulis, quos elegerat secunda classe, qui ab illa postea recesserunt: *Nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X, 20). Sed hoc propter justitiam, quia hoc est justum ut unicuique pro merito respondeatur; quia enim boni erant, electi sunt ad ministerium, et erant scripta nomina illorum in cœlo C propter justitiam, sicut dixi: secundum præscientiam vero in numero erant malorum. De justitia enim Deus judicat, non de præscientia, unde et Mosi dicit: *Si quis peccavit ante me, deleam eum de libro meo* (*Exod.* XXXII, 32, 33). Ut secundum justitiam judicis tunc videatur deleri cum peccat, juxta præscientiam vero, nunquam in libro vitæ fuisse. Hinc et apostolus Joannes de hujusmodi ait: *Ex nobis exierun', sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (*I Joan.* II, 19). Non est personarum acceptio in præscientia Dei (*Col.* III, 25): præscientia vero est quæ [*al.*, enim Dei est qua] definitum habet qualis uniuscujusque futura voluntas erit, in qua mansurus est, per quam aut damnetur aut coronetur. D Denique quos scit in bono mansuros, frequenter ante sunt mali, et quos malos scit permansuros aliquoties prius sunt boni: unde cesset quærela, quia *Deus personarum acceptor non est* (*Ibid.*). Nam et Saul, et Judas Iscariotes ante fuerunt boni, dicente Scriptura *de Saul*: *Erat vir bonus et non erat illo melior in filiis Israel* (*I Reg.* IX, 2). Et de *Juda* Iscariote dicit Petrus apostolus: *Qui sortitus est sortem ministerii hujus in signis ac prodigiis faciendis* (*Act.* I, 17)). Quomodo igitur ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? in sorte enim Dei judicium fuit, dignum illum fuisse tempore quo electus est. Sicut et illi septuaginta duo, quos supra memoravi (*Joan.* VI, 67). Hinc est unde et Judas, post mali totius admissum scelus, pœnitentia motus laqueo vitam finivit (*Matth.* XXVII, 5). Non enim potest in aliquo omne bonum penitus oblitterari; quippe, cum natura non possit immutari, sed voluntas; non in omnibus tamen causis, quia remanet in natura quod testimonio sit Creatori.]

† His omnibus evinenter ostenditur sanctos Patres tuæ contrarietatis modum in sanctarum Scripturarum explanationibus minime secutos, sed, ubicunque necessitas postulavit, per tropum antiphrasim quæ fuerant elucidanda locutos; in suis vero locutionibus eos isto loquendi modo unquam usos fuisse, prorsus ratio contradicit: quoniam qui ad hoc obscura divinorum eloquiorum tractanda susceperant ut eorum mysteria suis auditoribus aperirent, nullo modo ratio sinit eos figuratis dictionibus insudasse, quibus auditores suos non instruerent, quin potius obscurarent. Quocirca nullatenus eadem locutio putanda est, quandiu legitur prædestinatos ad pœnam; vel interitum, quæ est cum dicitur electus Judas, quia electionis nomine sanctæ Scripturæ, earumque fidelissimi tractatores, raro, nisi in bono vel æterno vel temporali, usi fuisse reperiuntur. Prædestinationis vero significatione bifariam sæpenumero publice privatimque, vel in sermonibus videlicet ad populum, vel in tractatibus minime in vulgum enuntiatis, tanta frequentia uti maluerunt ut super eo nulli studioso, nisi infideliter pertinaci, liceat dubitare. Dicens itaque:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 13, num. 5, sect. 2.) Θ *Si ergo Dominus proditorem suum non erubuit appellare electum, cur ejus imitator sanctus Augustinus erubesceret eumdem scilicet proditorem vocare prædestina'um, similiterque Judaicum populum, invidiæ perfidia refertum, Domini nostri Jesu Christi traditorem ac per hoc interemptorem, cur hæsitaret prædestinatum dicere ad interitum?*

CORRECTIO.

† Quia aliud nomine *prædestinationis*, aliud *electionis* vocabulo intellexit. Electionem quippe Dei noluit nisi in bono accipi, prædestinationis vero significationem, sicut justitiæ atque judicii ejus, bifariam prædicavit. Et ideo non erubuit dicere sæpius, *prædestinatos ad pœnam* vel *interitum*, quoniam noverat id veritati justitiæque judiciorum Dei per omnia convenire. Aliud est autem electos vel filios Dei per æternam misericordiam, atque aliud vel per creationem vel per temporalem aliquam, nullomodo autem falsam vel fictam, dispositionem appellari. Quia et cum venitur ad sacræ regenerationis mysterium, nequaquam ficte aut dolose peccatis omnibus absolvuntur, etsi postmodum propriæ iniquitatis inquinatione ejusdem sanctæ absolutionis atque unctionis munere priventur. Itaque si absolutio sacrosancti baptismatis in abolendis criminibus vera fuit, necesse est ut gratiæ regeneratricis filiatio vera fuerit. Proinde sicut mali filii secundum terrenam generationem, si a paternis moribus exorbitent, jure

exhæredantur, cum tamen filii non esse nequaquam possint: ita et hi quos gratia regenerat, haud fallaciter vocantur filii, quamvis a parentis moribus iniquissime desciscentes, illius sese muneribus adeo indignos efficiant, ut hæreditatis sortem minime nanciscantur. Nam, dicente Domino, *Filios genui et exaltavi, ipsi autem me spreverunt* (*Isa.* I, 2), quis tam vecors sit ut audeat saltem putare Dominum non hoc veraciter, sed a contrario dixisse pro non genui filios? nempe si dixeris *filios genui* pro eo quod est non filios genui, vel filios non genui, quid in dictis sequentibus intelligi valeat, dicere non poteris. Si enim filii non fuerunt, nequaquam eos genuit, aut si non genuit, nullo modo filii fuerunt, quomodo ergo sprevisse patrem gignentemque dicuntur, qui vel filii vel B geniti non fuerunt?

Siquidem filii in Scripturis sanctis multis modis appellari solent, quorum usitatiores sunt, natura, adoptione imitatione, doctrina. Natura Isaac et Ismael filii Abraham; item filii Isaac, Jacob et Esau. Quorum Ismael et Esau quamvis paternæ sortis funiculos ex repromissione minime percepissent, nequaquam tamen filii esse destituerunt. Adoptione, sicut et humanæ consuetudinis affectionibus fieri assolet, et, quod est multo excellentius, quando per indebitam gratiam adoptamur, ut simus filii Dei: Unde dicit Apostolus: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater; itaque jam non sumus servi,* C *sed filii; quod si filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII, 15 seq.). Imitatione ut idem Apostolus admonet: *Imitatores Dei estote sicut filii charissimi* (*Eph.* V, 1), et sicut Dominus Judæis naturalem Abrahæ generationem obtendentibus, proindeque sese superbius efferentibus, dixit: *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44), quod quo sensu dixerit, aperit cum subjungit: *Et desideria patris vestri vultis facere* (*Ibid.*). Judæi quippe imitatione, non natura erant filii diaboli. At cum essent natura filii Abrahæ, longe a morum illius imitatione discesserant. Unde et eis Dominus exprobrabat: *Si essetis filii Abrahæ, opera Abrahæ fecissetis* (*Ibid.*, 39), ubi non naturam negavit, sed imitationem dissimilem D objurgavit doctrinæ, ut Apostolus ait: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV, 29); et rursum: *Nam per Evangelium in Christo Jesu, ego vos genui* (*I Cor.* IV, 15). Dicuntur etiam, *filii Regni* (*Matth.* VIII, 12), et *filii lucis* (*Joan.* XII, 36), et *filii resurrectionis* (*Joan.* XVII, 12): sicut e contrario *filii tenebrarum*, et *filii perditionis*, et *filii gehennæ*, non ab ea geniti, sed ad eam destinati. Dicitur quoque *filius iniquitatis* (*Matth*, XXIII, 15), non ab ea generatus, sed ei inseparabiliter sociatus, quos omnes cum auctoritate Scripturæ sacræ Patrum traditione perceperimus, nusquam tuæ contrarietatis modum accepimus.

Quamobrem, quod ait in superiore sententia beatus Augustinus (*de Corrept. et Grat.*, cap. 8), [vel electos vel filios dici a nescientibus quid futuri sunt, non ab illo qui eos novit non habere perseverentiam quæ ad beatam vitam perducit electos; neque illos stare, ut præscierit esse casuros. Nec vos moveat quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, et secundum propositum vocatis! Qui vero non sunt filii promissionis, jam isti, cum pie vivunt, dicuntur filii Dei; sed quoniam victuri sunt impie, et in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei.] Nequaquam intelligendus est prædictis filietatis modis, quos tam se quam alios adæque catholicos Patres noverat diligenter fuisse complexos, alium superaddere voluisse, sed quantum humana infirmitas, ac per hoc et ignorantia, a divina scientia remota sit intimasse, cui divinorum consiliorum atque judiciorum minime patet intuitus. Dicuntur ergo a nobis filii Dei, nec tamen mendaciter, propter susceptam temporaliter gratiam qua non fallaciter sed veraciter generantur, quamvis non sint ad hoc electi ut hæreditatem cum repromissionis filiis consequatur. Sunt itaque filii, sed temporaliter; non sunt filii, sed æternaliter. Si enim veraciter generantur, veraciter sunt filii, licet minus in eadem generatione permansuri, nec ad hæreditatem permanentium perventuri. Sunt ergo filii regenerationis, sed temporaliter, non sunt filii repromissionis, sed perpetualiter: *Exierunt ex nobis* (*I Joan.* II, 19) fidei communione, quam ad tempus nobiscum perceperant: *Sed non erant ex nobis* electione gratiæ perseverentiam largientis: *Exierunt ex nobis* participatione mysterii quod perceperant; sed *non erant ex nobis* adoptione regni, qua se prave vivendo indignos effecerant. Erant ergo *filii* temporaliter regenerationis, *non erant filii* promissæ æternaliter hæreditatis.

Quocirca cum dicis (cap. 13, num. 6, sect. 3) *non esse filios Dei præter electos ejus, neque electos ejus præter ab eo prædestinatos; et conversim non esse prædestinatos præter electos, neque electos præter filios*]. Verum est, si de his tantummodo qui ad regnum prædestinati sunt, intelligatur. Nam, sicut diximus non mendaciter, neque a contrario, sed veraciter, utique loquitur Deus: *Filius meus primogenitus Israel* (*Exod.* IV, 22), cum hoc de populo Ægyptiis serviente diceret; et *filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I, 2). Et rursum: *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?* (*Deut.* XXXII, 6 seq.) *Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui: Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui et filiæ: generatio enim perversa est, et infideles filii* (vers. 18, etc.). Cum itaque sola etiam creatione dicantur omnes homines Filii Dei, nunquid, quia non sunt omnes beatitudinem percepturi, ideo *a contrario* dicendi sunt appellati filii Dei? Si, inquam, pater omnium creatione dicitur Deus, et non *a contrario*, sequitur ut filii quoque creatione non *a contrario* dicti intelli-

gantur. Quod si et filios et patrem *a contrario* intelligas, sequitur ut, et creationem et facturam *a contrario* intelligens, creatorem hominum Deum neges: qui enim non veraciter, sed *a contario* dicuntur pater hominum, vel filii Dei quos ipse creaverit, consequenter creator et factor *a contrario* dicitur. Ipse etiam Dominus in Evangelio dicit: *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores* (*Matth.* VIII, 12). Nunquid et hic dicturus es a nesciente filios regni appellatos? quod quia absurdissimum, imo impiissimum est, necesse est ut fateamur non *a contrario* filios Dei, etiam qui sanctorum illius sortem sunt minime percepturi.

Verum ne nostra nos id conjectura æstimare causeris, accipe quid ipse quoque *contra adversarium* legis et prophetarum scribens hinc in defensionem veritatis protulerit Augustinus (contra adversarium *legis et prophet.*, l. I, cap. 22). [De testimonio quoque Isaiæ prophetæ calumniatur atque blasphemat, eo quod dixerit: *Filios genui et exaltavi; ipsi autem me spreverunt* (*Isa.* I, 2, 4). Et eosdem paulo post appellaverit *semen pessimum*, tanquam se ostendent genitorem [*al.*, generatorem] malorum, cujus filii sunt *semen pessimum*, nesciens ob hoc eos dici *semen pessimum*, quoniam gratiæ Dei, qua filii facti erant, peccando degeneres exstiterant, eorum filii facti quorum imitatores esse voluerunt. Unde illis alio loco dicitur: *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezech.* XVI, 3) quarum gentium sunt impietatem malitiamque sectati, ex quibus tamen carnis originem non ducebant. Sed solvebat iste questionem evangelicam ubi Dominus dicit: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* (*Luc.* XI, 13.) Dicat quemadmodum sit bonus Deus, malorum pater: utrumque enim veritas dixit. Annon erant mali quibus ait *Si ergo vos, cum sitis mali?* annon habebant Deum bonum patrem, quibus ait: *Quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Porro si mali appellati sunt propter peccata sine quibus non est in hac infirmitate mortalium quorumlibet etiam vita justorum quanto convenientius *semen pessimum* diceretur quod nasceretur impia voluntate, et moribus execrabilibus pullularet!] ✝ Hieronymus in Isaia propheta, lib. I.

Hieronymus (*in Isaiam*, c. 18). Nec mirum si Sion appelletur filia, cum etiam Babylon sæpissime filia nuncupetur: omnes enim natura Dei filii sunt [*al.*, sumus], sed nostro vitio alieni efficiuntur [*al.*, efficimur]. ✝ Idem in Isaia lib. XVI, (*Isa.* LVII, 5): [*Nunquid non vos filii scelesti, semen mendax*, vel juxta LXX, *filii perditionis, semen iniquam* (*Joan.* XVII, 12), vos, inquit, ista fecistis, quæ præteritus sermo narravit, qui estis filii scelerati seu perditionis, qualis fuit et Judas proditor, qui appellatus est *filius perditionis, et semen iniquum* sive mendax atque mendacii; cum ergo manifesta sit historia, quod filii sunt interfectores Christi ista facientium, occurrit quæstio quomodo filii dicantur *filii perditionis* adversum eos qui volunt diversas esse naturas: aliam quæ perdita sit et mala, et salvari nequeat, et aliam bonam, quæ perire non possit. Si enim, ut illi putant, filii perditionis naturæ pessimæ sunt, quomodo *inventum est quod prius perditum fuerat?* Denique in parabolis pœnitentium et *ovis perditæ* de centum ovibus (*Luc.* XV, 4), *et drachma* quæ de decem perierat (vers. 8 seq.) reperiuntur, *et perditus filius* invenitur (vers. 12 seq.; vers 32): de quo ad majorem natu dixerat pater: *Iste frater tuus perierat et inventus est, mortuus erat, et revixit;* nunquam enim perit nisi quod prius salvum fuit, et nunquam moritur nisi quod ante vixerat. Ergo isti qui nunc appellantur *filii perditionis*, sive iniquitatis ac sceleris (*Isa.* I, 4), proprio vitio dereliquerunt Deum, et de filiis Domini, filii perditionis esse cœperunt, dicente ad eos hoc eodem propheta: *Dereliquistis Dominum, et ad iracundiam provocastis sanctum Israel* (*Isa.* LXV, 11). ✝ Ambrosius in Epistola ad Ephesios.

Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri (*Epist. ad Ephes.*, c. 2, 3): Naturæ enim cum mala voluntas supponitur, fit natura iræ, id est quæ ultioni subjicienda sit, immutata non substantia, sed mala voluntate: hoc enim deputatur naturæ quod sequitur: Unde ait in Isaia *semen pessimum* (*Isa.* , 4), et quare sit semen pessimum subjecit: *Reliquisti enim Dominum, ait, et ad iracundum provocastis sanctum Israel* (*Ibid.*), ut natura quæ deserit Deum *pessimum semen* dicatur: degenerare enim est ab auctore recedere, et cum malum exemplum cæteris præbet, malum est semen, fructus enim pessimos facit (*Matth.* III, 10); si vero redeat ad auctorem, bona erit natura secundum Apostolum, qui immutatus dum cognoscit Creatorem suum, *vas electionis* (*Act.* IX, 15) appellatur.] ✝ Beda in expositione parabolarum Salomonis (*in Prov. Salom.*, l. III, c. 31 sub finem).

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas (*Prov.* I, 29). Multas filias Ecclesias dicit hæreticorum et malorum turbas catholicorum, quæ filiæ dicuntur vel Christi vel Ecclesiæ: quia etiam ipsæ sunt Dominicis renatæ Sacramentis, et adoptionem filiorum, quam non custodiere, perceperunt (unde et Joannes ait: *De nobis exierunt, sed non erant ex nobis*) (*I Joan.* II, 19). *Quæ congregaverunt divitias*, videlicet bonorum operum operationes, jejunia, eleemosynas, afflictionem et castimoniam carnis, continentiam linguæ meditationem Scripturarum, et cætera hujusmodi, quæ veræ sunt divitiæ spiritus, ubi pura mentis sinceritate geruntur. Ubi autem sine *fide, quæ per dilectionem operatur, fiunt*, nihil agentibus prosunt: sed et illæ filiæ frustra congregarunt divitias: de quibus Dominus ait: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia nunquam novi vos* (*Matth.* VII, 22, 23). Sed omnes istiusmodi filias

Ecclesia catholica supergreditur: quæ, fide casta et onere perfecta, redemptoris sui vestigia sectatur.

† Negabisne quempiam a bono proposito exorbitantium, vel bonum vel in bono fuisse? Nempe multo aliud Dominus per prophetam clamat: *Justus*, inquiens, *si averterit se a justitia sua, omnes justitiæ ejus non recordabuntur* (*Ezech.* XXIII, 24). Et in Apocalypsi Joannis: *Scio opera tua et laborem et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse et non sunt, et invenisti eos mendaces* (*Apoc.* II, 2): *Et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum et non defecisti: sed habeo adversus te quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Sed hoc habes quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi* (*Ibid.*, 2, 3, 4, 5, 6). Petrus etiam Apostolus: *Sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos Dominum negant* (*II Petr.* II, 1); et infra (vers. 20): *Si enim resurgentes* [*al.*, refugientes] *coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, his rursum implicati superatur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat eis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato* (vers. 21): *Contigit enim eis illud veri proverbii. Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti* (vers. 22). Idem Paulus: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam; rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes* (*Hebr.* VI, 4, 5, 6.) *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem est quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit, mihi vindictam, ego reddam* (*Hebr.* X, 26-29). Et iterum: *Quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (vers. 30, 31).

Aut igitur, hæc et similia denegans, tuæ modo contrarietatis in perversum detorque, aut, si hoc impium est, sine castos, pudicos, sobrios et humiles, misericodes, justos, filios, electos, sanctificatos, illuminatos, emptos non phantastice, nec perfunctorie neque fallaciter, sed veraciter in divinis eloquiis nuncupari, quamvis tantis muneribus seipsos, aberrando pessimeque vivendo, indignos effecerint et expertes. Quocirca quidquid in conclusionibus et conversionibus tuis agere machinaris, si de his tantum, ut diximus, qui ad regum prædestinati, electi atque adoptati sunt agitur, verum est. Si vero in hoc laboras, veluti apparet, ut prædestinationem impiorum et pœnarum illis debitarum neges, omnino falsum est. Quapropter quemadmodum Judæi perfidi, quibus Salvator ait: *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44), a Deo prædestinati sunt ad interitum, invenire facillime quisque catholicus potest, qui novit Dei justitiam, et ratione, et auctoritate perpendere; quoniam quos præscivit in massa perditionis perpetuo interituros, ipsos prædestinavit, hoc est præparavit, deputavit atque disposuit suo justo judicio puniendos.

Attende, quæso, Apostolum dicentem; *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti: nam quas præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit* (*Rom.* VIII, 28, 29, 30): Et ad Timotheum: *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus, sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei qui nos liberavit et vocavit vocatione sancta. Audis secundum propositum vocatis* (*II Tim.* 1, 9)? Audis *quos autem prædestinavit, illos et vocavit, et quos vocavit, illos et justificavit?* Audis *qui liberavit nos, et vocavit vocatione sua sancta*? Audi quid Dominus dicat *Multi sunt et vocati, pauci vero electi* (*Matth*, XX, 16). Quænam est hæc rogo, unius ejusdem vocabuli tanta diversitas? servus fidelis dicit: *Secundum propositum vocatos sanctos, et quos prædestinaverit vocatos* et quos vocaverit justificatos, et item *vocatos vocatione sancta*, et Dominus clamat, *multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XXII, 14): putandumne est fidelissimum servum Domino suo contraria prædicasse? an alia potuit in ministerio sibi credito seminare, quam a cœlesti præceptore perceperat? absit. Atqui ipse sese non ab hominibus neque per hominem electum vel doctum, sed a Deo patre Dominum nostrum Jesum Christum liberrima assertione testatur (*Gal.* I, 1). Quia ergo nulla potuit fidelis dispensator erogare, nisi quæ a creditore susceperat, fatendum et nusquam Domino suo vel sensisse vel docuisse contraria. Proinde alia vocatio intelligenda est, quam Dominus protulit, alia quam servus edocuit. Aliter enim vocantur secundum propositum Dei, qui sortem consequantur æternam, aliter non secundum propositum, qui pœnam recipiant sempiternam. Sicut itaque alia est vocatio electorum, alia reproborum, ita alia intelligitur præscientia et prædestinatio piorum, alia impiorum; qui, sicut vocari dicuntur electi, sed vocatione sancta, ita vocari dicuntur multi qui non sunt electi. Certe nullo modo dixisset Apostolus: *Secundum propositum sanctos*

vocatos (*II Tim.* I, 8), et vocatione sancta, nisi A discretionis gratia ab ea vocatione qua vocantur multi qui non sunt electi. Ergo quemadmodum negari non potest diversitas vocationis, ita nullatenus debet abnui diversitas præscientiæ, justitiæ, judicii, electionis et prædestinationis. Aut igitur diversitatem vocationis nega, aut, si hoc blasphemum est, varietatem prædestinationis admitte. Aut igitur diversitatem vocationis nega, aut si hoc blasphemum est, varietatem prædestinationis admitte. Non ergo, ut impudenter præcipis, tacebit fidelissima integritas et purissima charitas orthodoxorum quin veraciter prædicet Dei prædestinationem, sicut judicium justissimum perditorum. Neque prædestinatos *a contrario*, pro eo quod est non prædestinatos admittet, ut desipis; sed Dei inflexibili jus- B titia credet irrevocabiliter puniendos.

CAPUT XIV.

Testimonia sancti Augustini simul collecta, quibus aperte conficitur non esse nisi unam prædestinationem, eamque solummodo ad sanctos pertinere.

Quarta decima phantasmatum tuorum periodos hoc habet:

JOANNES SCOTUS.

(Num. 1, in T. cap. 14, num. 2, sect. 1.) Θ *Testimonia sancti Augustini simul collecta, quibus aperte conficitur non esse nisi unam prædestinationem, eamque solummodo ad sanctos pertinere. Et ne quis forte*, inquiens, *nos æstimet nostro sensu proprio talia dixisse, nullius auctoritatis gravitate suffulti, placuit nobis testimonia sancti* C *Patris Augustini simul colligere*: *ut prudens quisque cognoscat nullomodo eum duas prædestinationes docuisse, nec unam bipertitam, nec duplam ut Gottescalchus edocet. Et illam unam videlicet divinam non nisi ad sanctos pertinere. Impiorum vero nullomodo posse esse. In libro de Correptione et Gratia* (cap. 12) : [Sanctis, inquit, in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis donum perseverantiæ datur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint [*al.*, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur]. *Et post aliquanta*, ipse igitur eos facit perseverare in bono, qui fecit [*al.*, facit] bonos : qui autem cadunt et pe- D reunt, in prædestinatorum numero non fuerunt.] *Attende quam absolute dixit*, qui cadunt et pereunt in prædestinatorum numero non fuerunt. *Quomodo hæc diceret, si vel duas prædestinationes vellet asserere, vel unam in duas partes divisam, vel duplam, unam quidem sanctorum, alteramvero impiis deputatam.*

CORRECTIO.

† O disputatorem subtilissimum, qui, cum hæc diceret, neque cum Aristotele calamum in mente tingebat, neque cum Dominici pectoris recubo de veræ sapientiæ fluenta doctrinæ salutaris hauriebat! Nimirum etiam in te videmus impletum quod Apostolus loquitur: *Perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo* (*I Cor.* I, 19). Nempe aut non vidisti interiore aspectu quod videndum erat, aut te non videre finxisti, perindeque ad eas calumnias prærupisti ut beatum Augustinum quod nunquam cogitavit, dixisse confingeres, et tua legentibus ita illuderes ac si ea intelligere nequivissent. Te solum omnium acutissimum Galliæ transmisit Hibernia, ut quæ nullus absque te scire poterat, tuis eruditionibus obtineret : sed absit ut, Celtica eloquentia tot tantisque fluviorum exundationibus debriata tuas nubilationes admittat, quamvis Christianæ humilitatis eminentia, alterutro charitatis officio vicissim suppeditari minime prohibeat : imo, undecunque commodum duxerit, alternatim, quæ recta sunt, exhiberi percenseat.

Itaque puritatem mentis adhibe, et simplicitatem charitatis benignitate intellectus ostende, qua duce, quæ pie sunt dicta pie intelligas, et pietatis abundantia piorum instructionibus cultor pietatis exhibeas : quod si, quando ista dictabas, agere voluisses, profecto vidisses quia non absolute (ut somnias) beatus Augustinus solam esse electorum prædestinationem vel asseruerit vel confirmaverit, sed eam tantum de qua agendum susceperat, defendere, et contra hæreticorum versutias munire catholica veritate studuerit. Agebat quippe adversus novos sui temporis hæreticos, videlicet Pelagianos, qui sanctorum prædestinationem omnimodis denegabant; dicentes Deum esse personarum acceptorem, si quosdam et non omnes homines generaliter ad vitam prædestinasset æternam; quorum dementiæ doctor beatissimus, orthodoxæ fidei armis instructus, obviare festinans, semper de memorata sanctorum prædestinatione sermonem intulit, quemadmodum in ejus verbis, quisquis sobrie attendit, intelligit. Dicit enim frequenter de ea quam defendimus, vel quam defendendam suscepimus, vel quam asserimus ; et stultum erat, prætermissa ea cui contradicebatur quæque oppugnabantur, ad aliam transilire, cui negandæ vel impugnandæ necdum aliquis insurrexerat : nam de prædestinatis ad pœnam Patrum temporibus nullam fuisse motam quæstionem evidenti judicio comprobatur? quod nullus pro ea contra ejus vel assertores vel negatores scripserit, præter Monimum, qui, nullatenus reprehendendo, verum intelligentiam illius pie requirendo, sanctum Fulgentium ad hoc sua inquisitione impulit ut, qualiter a beato Augustino intellecta fuerit sive prolata volumine ad hoc solum permagnifice edito vir per omnia suspiciendus intimaret.

Sed et in memorata sententia beatus Augustinus unde dixerit perspicue declarat, quam ita inchoat: [Sanctis, inquit, in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis (Aug., *de Corrept. et Grat.* cap. 12). Et infra : Ipse igitur eos facit perseverare in bono qui fecit bonos; qui autem cadunt et pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt]. Quid apertius, quid manifestius? De sanctis enim in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis loqui cœperat, deque ipsis subjecit quod ipse eos faciat perseverare in bono

qui fecit bonos; qui autem cadunt et pereunt in prædestinatorum (eorumdem videlicet sanctorum atque bonorum) numero non fuerunt. Nisi forte novas oratorum declamationes inducere paras, ut res de qua agitur nunquam nisi crebra imo continua sui repetitione signetur, et quæ semel, vel quoties opportunitas expetit, memorata sufficeret, frequenti iteratione fastidium suis auditoribus ingerat. Incunctanter itaque dico quia si vel te, vel quempiam alium, sive hebetem seu certe calumniosum intellectorem scriptorum suorum, in hac duntaxat causa futurum putavisset, omnino tanta perspicuitate scripsisset ut, quæcunque calumniatoribus congrua prævidisset, opportunius expedisset.

Idem utique Prosper et Hilarius satis indicant, qui, super oblatratoribus ejus ad eum pro studio scribentes, de sanctorum solummodo prædestinatione motis quæstionibus responderi petiverunt; quorum petitionibus satisfaciens ad interrogata responsiones congruas elimavit, quorum vel maxima de sanctorum prædestinatione crebatur, cui enucleandæ doctor suavissimus ac veracissimus, quantum satis putavit operam impendit, nec tamen adeo suppressit alteram, quin sicubi opportunum judicavit, illam etiam commendaret.

Quasi vero in sanctis tam veteribus quam novis Scripturis nequam iste modus locutionis inveniri possit, cum dicat Psalmista: *Panem angelorum manducavit homo* (*Ps.* LXXVII, 25), ubi non nisi sanctorum angelorum intelligi debet. Nam cum angeli dicantur et boni et mali, crebrius cum additamento propriæ distinctionis poni solent, ut: *Angelis suis mandavi de te* (*Ps.* XC, 11). *Et, Benedicite Dominum, angeli ejus potentes virtute, facientes verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus* (*Ps.* CII, 20, 21). Et: *qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (*Ps.* CIII, 4). Et: *Laudate eum, angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus* (*Ps.* CXLVIII, 2). Et Dominus in Evangelio: *Mittet Filius hominis angelos suos, et separabit malos de medio justorum, et mittet eos in caminum ignis* (*Matt.* XIII, 41). De malis autem: *Angelus crudelis mittetur contra eum* (*Prov.* XVII, 11). Et: *Immissionem per angelos malos* (*Ps.* LXXXVII, 49). Et, *Spiritus Domini malus;* et rursum sine additamento de bonis quidem: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo* (*Matth.* XXV, 31). Et item: *Messores angeli sunt* (*Matth.* XIII, 39). Et item: *Qui sedes super Cherubim.* Et rursum: *Cui enim angelorum dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* (*Hebr.* I, 13.) Et item. *Et ad angelos quidem dicit* (*Ibid*). Et rursum: *Latuerunt quidam angelis hospites receptis* (*Hebr.* XIII, 2). De malis autem: *In Cherub extentus, et protegens in monte sancto Dei* (*Ezech.* XXVIII, 14). Et: *Nescitis quod angelos judicabitis, quanto magis sæcularia?* (*I Cor.* VI, 3.) Et: *Solutis quatuor angelis, qui parati erant in horam, et diem, et annum, ut occiderent tertiam partem hominum* (*Apoc.* IX, 15).

Nunquid, ubicunque absque additamento ponuntur, ideo licebit cuicunque pro libitu suo, vel malos pro bonis, vel bonos pro malis accipere? Absit hoc quippe aspirante Domino, piis intellectibus reservatur ut, perpensa fideliter ac veraciter loci reique circumstantia, quid qualiter accipi debeat perscrutetur. Hoc modo et Dominus in Evangelio locutus est, cum ait: *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter* (*Matth.* VII, 12): Nunquid hic perversitas malivolorum gestiens dicet a Domino sibi præceptum ut, libidinibus aliisque sceleribus implicati, quæcunque volunt ab aliis sibi nequiter fieri, eadem et ipsi illis faciant? et hoc absit! Pietas quippe benevolorum modo quodam proprio id Dominum dixisse intelligit, ut, quæcunque bona et honesta ac secundum Dei voluntatem, charitate non ficta, nobis fieri volumus, eadem aliis faciamus; et multa alia quæ exsequi necessarium judicamus. Quod ergo dicis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 14, num. 3, sect. 1.) *Omnis homo aut bonus, aut malus est; similiter de angelo.*

CORRECTIO.

† Et nos, eamdem definitionem tenentes, secundum auctoritatem Scripturarum, Patrumque venerandorum concordiam, dicimus bonos prædestinatos ad vitam, malos ad pœnam; quia hæc sunt: *Opera Domini magna, exquisita in omnes voluntates ejus, misericordia* videlicet *et judicium* (*Ps.* CX, 2). *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi; ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum* (*II Cor.* V, 10). Si ergo omnes manifestabimur ante tribunal Christi, omnes judicabimur, de omnibus prædestinatum est qualiter judicemur. Et hoc est quod ait Apostolus: *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum.* Non enim celebrabitur fortuitum judicium, et quod nullus ante præscierit, vel præfinierit. Præscivit et præfinivit atque disposuit, vel prædestinavit, atque præordinavit judicium suum Deus tantummodo: angelus autem et homo præscivit, non etiam prædestinavit neque disposuit. Quia igitur judicium Dei futurum negari non potest bonorum atque malorum; neque prædestinatio, id est dispositio illius, ullatenus nisi infideliter denegatur. Pertinuit quippe ad præscientiam Dei ut in ea disponeret ipse ac prædestinaret quod fuerat facturus. Habiturus est itaque judicium in quo judicaturus est bonos et malos, et hoc prædestinavit, hoc est disposuit, in ea præscientia quæ nec falli valeat nec mutari. Si ergo non sunt prædestinati mali ad id quod merentur, consequenter nec judicabuntur. Judicabuntur autem; prædestinati sunt ergo judicandi. Est igitur prædestinatio malorum, *Quia ille reddet unicuique secundum opus suum,* qui omnes judicaturus est, cuique dedit Pater omne judicium.

Porro quod cavillaris (cap. 14, num. 4 sec. 2), *B. Augustinum non dixisse in prædestinatorum ad vitam numero non fuerunt, sed absolute in prædestinatorum numero non fuerunt*, Sufficere piis mentibus debet, quod dixi cum a sanctis et bonis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis cœpisse, deque ipsis sermonem saluberrimum conseruisse, nec opus fuisse ut itidem crebrius ac per hoc tædiosius, inculcaretur quod sanis cordibus semel inhibitum haberetur: quod facile quisquis pie legit, advertit. Cognoscens videlicet eumdem librum idcirco editum; quoniam, cum cœpta esset sanctorum prædestinatio prædicari, insurgentes quidam, et maxime Pelagiani, cœperunt omnem Ecclesiasticam disciplinam atque correptionem funditus evertere, dicentes: Nullam fore necessariam objurgationem, ubi totum Dei gratia operaretur; sed, agente unoquoque impune quod vellet, gratia in eis operaretur ut boni essent, cui quærelæ doctor facundissimus catholica suavitate respondens, quantum correptiones et disciplinæ ecclesiasticæ per Dei gratiam in regnum prædestinatis sanctis prodessent, edocuit. Et ideo, quoties prædestinatorum mentio adhibenda fuit, superflue, iterato repeteretur quod, jam piorum sensibus inculcatum, satis ad omnia, quæ super eadem re dicenda fuerant, exstitisset. Quod evidenter in sententiis ejus, quas ponendas judicasti, ostenditur cum dicitur: [Hac est prædestinatio sanctorum, et nihil aliud præscientia scilicet præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur (Aug., *de Dono persev.* c. 14). Et per totam libri ejusdem seriem ea moderatione disserentis sermo libratur, ut de quorum prædestinatione tantæ prolixitatis sermone subjecit, luce clarius videatur.

Verumtamen miranda est vel potius horrenda ac detestanda versutiarum tuarum astutia, qua, tacitis omnibus quæ de prædestinatione malorum (licet id raro contigerit) posuit, ita ea solum quæ de sanctorum prædestinatione disseruit, decerpseris, ac si nihil de illa fuerit elocutus (cap. 14, num. 5, *sect.* 2). Audi igitur quid etiam de illa in eodem libro prosecutus sit (Aug., *de Dono persev.* c. 11): [Proinde, inquiens, sicut Apostolus ait, *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16), qui et parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo, daturus eis gratiam gratis, hoc est nullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus, et majoribus etiam his, quos prævidit, si apud eos facta essent suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed juste aliud judicavit: *Non est enim iniquitas apud Deum* (*Rom.* IX, 14), sed *inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33): *universæ autem viæ Domini misericodia et veritas* (*Ps.* XXIV, 10). Investigabilis ergo est misericordia, qua *cujus vult miseretur*, nullis ejus præcedentibus meritis; et investigabilis veritas, qua *quem vult obdurat*. Ejus quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cujus miseretur plerumque communibus: sicut duorum geminorum, quorum unus assumitur, unus relinquitur, dispar est exitus, merita communia; in quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, ut alter nulla ejus iniquitate damnetur. *Nunquid enim iniquitas est apud Deum? absit! sed investigabiles sunt viæ ipsius* (*Rom.* IX, 14). Itaque misericordiam ejus in his qui liberantur, et veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus, neque inscrutabilia scrutari aut [*al.*, neque] investigabilia vestigare conemur.]

† Cernis frustrari per omnia collectiones tuas, quibus agere conaberis prædestinationem nullam esse, nisi sanctorum? ecce doctor veracissimus in uno eodemque libro prædestinationem piorum atque impiorum docet. Manifestum est enim quod dicit, et majoribus etiam his quos prævidit, si apud eos facta essent suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed juste aliud judicavit, quid apertius dici potuit? Certe absque ulla caligine totius nebulositatis prædestinasse eum quibus non vult subvenire, ut puniatur, insinuat.

Idem in eodem (August. *de Dono persev.*, cap. 15). [Sed aiunt, inquit, ut scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis: ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate, veniretis ad fidem, vel accepta perseverantia maneatis in fide; cæteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum resurrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit: verumtamen si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam, qua velitis, et sitis electi: et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. Ista cum dicunt, ita nos a confitenda vera Dei gratia, id est quæ non secundum merita nostra datur, et a confitenda ea [*al.*, secundum eam] prædestinatione sanctorum deterrere non debent: sicut non deterremur a confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: sive nunc recte vivatis sive non recte, tales eritis postea quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni si bonos, vel mali si malos. Nunquid enim, si hoc audito nonnulli in torporem segnitiamque vertantur, et a labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in nostro monasterio qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, et facienda non faceret, respondebat: Qua-

liscunque nunc sim, talis ero qualem Deus me futurum esse præscivit, qui profecto et verum dicebat, et hoc vero non proficiebat in bonum : sed usque adeo profecit in malum ; ut, deserta monasterii societate, fieret *canis reversus ad suum vomitum* (*II Petr.* II, 21) ; et tamen adhuc qualis sit futurus incertum est. Nunquid ergo propter hujuscemodi animas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur vel neganda sunt vel tacenda, tunc scilicet quando, si non dicantur, in alios itur errores ?]

✝ Item post multa (August., *de Dono persev.* cap. 22) : [Quamvis ergo ita se habeat de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex infidelitate, accepta voluntate obediendi, convertantur ad fidem, vel perseverent in fide ; cæteri vero, qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si et ipsi prædestinati sunt, ideo nondum surrexerunt quia nondum eos adjutorium gratiæ miserantis erexit. Si qui enim nondum sunt vocati, quos gratia sua prædestinavit eligendos, accipient eamdem gratiam, qua electi esse velint, et sint ; si qui autem obediunt, sed in regnum ejus et gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt. Quamvis ergo hæc vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt audientibus multis ut sermo ad ipsos etiam convertatur, eisque dicantur illa istorum verba quæ vestris litteris indidistis, et quæ superius interposui.]

✝ Et cætera quæ de modo prædicandæ prædestinationis exsequitur. Et rursum in eo, quod ante finem libri ejusdem eum posuisse dixisti (cap. 14, num. 6 sect. 3). [Nullum est (inquam) illustrius prædestinationis exemplum quam ipse Mediator, quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum atque in illo inveniet et seipsum (August., *de Dono persev.* cap. ult.).] Quidquid vel multo ante hanc sententiolam, vel post usque in finem libri locutus est, prorsus de sanctorum prædestinatione tantummodo locutum, quisquis pius intellector accedit, absque scrupulo dubietatis agnoscit. Ac per hoc nullum tuæ assertioni adjumentum conferre probatur, quasi solam sanctorum prædestinationem probaverit, malorumque negaverit ; his ista se habentibus, divertis ad aperta mendacia, et ponis sententiam nomine Augustini qua ostenderetur quod Deus neminem prædestinasset ad pœnam, pœnam vero præparasset, hoc est prædestinasset, merito damnandis. Ubi primo notandum video quanta te ipsum repugnantia dictorum tuorum ludibrium audientibus exponas, qui cum prius pœnas a Deo præscitas, prædestinatas vel præparatas negaveris, jam asseverandis atque confirmandis sententiarum testimoniis munire adoriaris.

Dein sententia qua id roborare nisus est (cap. 14, num. 7, sect. 4), non est Augustini, neque ex ullo librorum, epistolarum, sermonumve ipsius excerpta ; de qua cum anceps diutius hæsitarem, ubinam dictorum ejus reperiri posset, repente subiit in mentem recensendum quemdam pseudographum libellum qui falso Hypomnesticon Augustini inscribitur, quem non esse beatissimi Augustini plurima documenta sunt ; videlicet quia nec cum cæteris libris suis ab ipso retractatus est, neque in indice sermonum, librorum, epistolarumque illius a S. Possidio episcopo, discipulo ejus, enumeratus invenitur, neque quibuscunque ejus dictis concors facillime comprobatur. Ipsa quoque loquendi facie quisquis tanti Patris litteris jugi meditatione pascitur et delectatione nutritur, perfacile alterius esse perpendit; qui, licet juxta quod ipse confitetur, proficienter scripserit, et tanto gratiæ Dei munere donatus sit ut librorum suorum partem maximam retractaret, perindeque perperam dicta corrigeret, nunquam in una eademque re, tantis librorum sermonumque suorum speculis indita, uno solummodo libello adeo contrarius exstitisset, qui tot, ut dixi, librorum sermonumque illius magnitudinem sua contrarietate fuscaret ; imo, inter retractandum sua opuscula, illud minime præterisset, quin censoria severitate, Christianaque humilitate et notasset et correxisset. Nam et in libro Quæstionum, voluminis quod Judicum vocitamus cum quæque figurata vel obscura dissolveret, ita, sicut et supra posuimus, de eadem prædestinatione locutus est, dum historiam factumque Jephte judicis pertractaret.

Augustinus (*Quæstionum in Heptat.* lib. VII, q. 49). [Quod vero, inquit, contra filios Ammon dux quærebatur Jephte (*Judic.* XI, 8), quibus victis liberarentur, qui eo duce adversus illos bellare cupiebant : quoniam interpretatur Ammon filius populi mei, seu populus mœroris, profecto illi significantur inimici, qui ex ipsa gente perseverantes in infidelitate prædicti sunt; aut omnino omnes gehennæ [*al.*, pœnis] prædestinati, *Ubi erit* eis *fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXV, 3), tanquam populo mœroris. Quanquam populus mœroris etiam diabolus et angeli ejus non inconvenienter intelliguntur, sive quia æternam miseriam eis quos decipiunt, acquirunt; sive quia et ipsi æternæ miseriæ deputati sunt.] ✝ Vides quod et homines et diabolum cum angelis suis prædestinatos et deputatos gehennæ æternæque miseriæ doceat, et affers contradictorium sui, quod nunquam dixit, nunquam scripsit : sed et hoc notandum quod, si, secundum tuam fictionem figurate intelligi deberet, omnino in expositione quæstionum et figurarum nullo modo figurate loqui delegisset, ubi aperta etiam non dissolveret, sed ligaret. Prædestinasse igitur, hoc est disposuisse et judicasse Deum peccatores suppliciis et supplicia peccatoribus, tum auctoritas, tum ratio persuadet, quoniam *justus Dominus justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*. Qui nequaquam se a contrario idem vocabulum posuisse manifestat, cum exponens verba Domini dicentis : *Nunc qrinceps hujus mundi judicatus est*, qui in *judicati* vocabulo deberet accipi explanando subjecit (Aug., *in Evang. Joan. hom*, 95) : [Utique *judicatus est ;* quoniam judicio ignis æterni irrevocabiliter destinatus est. ✝ Et item

Quos dedisti, mihi custodivi, et nemo ex eis periit A *nisi filius perditionis. Filius perditionis* dictus est traditor Christi, perditioni prædestinatus.]

† Quæ si, ut desipis, a contrario vellet intelligi, profecto non obscura populis aperiret, sed aperta magnis obscuritatibus innodaret. Mirum etiam valde est quod ex Patris Augustini dictis Deum ad pœnam nullo modo peccantes prædestinasse dicis; sed suis meritis supplicia condigna prædestinata eis ab eo esse. Quod cum creberrime dixeris, ut tamen veritatem prædestinationis aboleas, alio verteris, et nunc isto, nunc illo modo sentiendo divaricas; ita ut quæ prius astruxeras, postmodum negare contendas, quemadmodum sequentia satis indicabunt Quod autem humanarum
B legum conjectura vis approbare, nullatenus homines suppliciis destinatos, sed peccaturis pœnas definitas: nisi cæcus esses, profecto vidisses homines legibus judicari atque damnari, ut pœnis cuique condignis intereant. Quid enim agitur tot senatorum judicumque conciliis, nisi ut discussus atque convictus peccator debitæ pœnæ cunctorum judicio destinatus ac judicatus addicatur? prius quippe judicatur ac destinatur merito supplicio, ac postmodum plectitur. Ita sane dicis.

JOANNES SCOTUS

(Cap. 14, num. 9, sect. 5) θ *Nulla enim temporalia jura hominem definiunt ad peccandum.*

CORRECTIO

C † Quasi tanta quis vecordia hebetetur, ut Deum quempiam, vel angelorum, vel hominum ad peccandum præfinisse dixerit. De qua re quia satis supra actum videtur, cætera videamus. Inter quæ mirari non desino hominem acutissimum, et quem nulla vel legum humanarum vel historiarum pagina fugerit, potuisse ejus vel scientiam vel memoriam præterire, labente quondam multis, imo jugibus bellorum incursione statu reipublicæ, senatus consulto Romæ proletarios institutos, quorum usu in quaslibet feminas continuo juventus bellicosa atque multimoda reipublicæ gigneret.

Et quod sanctus Augustinus in libro de Civitate Dei tertio inter cætera memorat (cap. 21). [Nam tunc, inquit, id est inter exstinctum secundum
D et postremum bellum Carthaginense, lata est etiam lex illa Voconia, ne quis hæredem feminam faceret, nec unicam filiam, qua lege quid iniquius dici aut cogitari possit, ignoro] † Illud etiam, ut de cæteris sileam, quod post passionem Domini senatus censuit, nullum nisi sui decreto deorum numero deputandum: necnon et illud, quod toties in persecutiones Christianorum, et abolitionem fidei et nominis Christi, leges imperatorum et consulum cautæ sunt: sed et Semiramis prima omnium legitur decrevisse filios matrum connubio sociandos, quæ jam eodem flagitio fœdabatur. Quid Nabuchodonosor rex Babyloniorum? Nunquid non factam a se statuam auream edictis regiis censuit adorandam, interposita pœna inobedientibus fornacis ardentis? (*Dan.* III, 5). Hoc ipsum statuisse Darius, Medorum Persarumque ducibus arctatus, legitur: unde et Daniel propheta malitiosorum factione leonibus exponitur, sed veri Dei potentia mirabiliter liberatur (*Dan.* VI, 16, 22). Ælius Adrianus tanta catamito suo Antinoo turpitudine adæsit, ut ei mortuo templum, sacerdotes et sacra etiam legibus sanciret. Quid Antiochus? Nonne pro abolendis Dei veri sacris et legibus non solum decreta edidit, verum etiam calamitates persecutiones et mortes Dei cultoribus invexit? (*II Mach.* VI, etc.). Omnis divinæ legis censura usuras resecat, ab usuris prohibet, earumque appetitores damnat (*Deut.* XXIII, 19, 20): lex autem Romani juris earum lucra certis etiam dimensionibus exigenda censit*. Valentinianus etiam, Christianus imperator, libidine superatus, priori conjugi alteram superinducens, legem constituit, quemcunque virorum duabus pro libitu pariter uti conjugibus (Socratis *Hist.* IV cap. 26). Quæ cum tanta sint et tam evidentia, ut a me vel superfluo refricentur, vel non necessarie recenseantur, cassato quod dixeras: *Nunquam enim respublica homines decrevit peccare*, animum videndis sequentibus, duce Domini nostri Jesu Christi gratia, intendamus.

Interea nequaquam negligenter prætereundum videtur quod, quorumdam favens improbitatibus, ad hoc terrorem legum humanarum adhibitum peccaturis dixisti, ut suppliciorum atrocitate territi cohiberentur: ac per hoc magis misericordiæ quam vindictæ transgressoribus suis efficerent: quam perversitatem cum et fides catholica jam dudum censuræ severitate damnaverit, et Patrum reveranda canities resciderit, nullatenus nobis in eo destruendo est diutius immorandum. Nam ita id possumus e divero colligere: si falsum est pœnas peccatoribus redhiberi, falsum erit et justis præmia rependi: si autem verum est sanctis beatitudinem retribui, verum est impiis pœnas meritas et supplicia reddi. Qui enim dixit: *Ibunt hi in supplicium æternum*, ipse dixit, *justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 46). Qui etiam se dicturum veraciter protestatus est impiis quidem: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Ibid.*, 41). Justis autem: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Ibid.*, 34). Sicut ergo justi beatitudinem veraciter consequentur, ita impii pœnis debitis veraciter addicentur. Falsum est igitur, quod mundanarum legum similitudine nihil aliud appeti earum severitate dixisti, quam pronos ad peccandum suppliciorum atrocitate territos cohiberi: ac per hoc non minus misericordiæ quam vindictæ transgressoribus suis effici: quippe cum non solum mundanæ, verum etiam divinæ leges multos, etiam temporaliter, tam morte, quam diversis suppliciorum generibus dignos plecti decernant, quibus jam nulla valet su-

* Hoc fabulosum.

peresse correctio. An divina correptio in Antiochum A et Herodem (*II Mach.* IX, 11) correctionis dicenda est medicamentum, et non potius æterni supplicii incrementum: hic quippe temporaliter cœptum est, quod illic æternaliter paterentur. Fatendum est igitur divinas humanasque leges ad hoc supplicia peccantibus intentare, ut eorum terroribus admoniti peccare desistant: quibus tamen si obstinate potius obviare quam humiliter obsecundare delegerint, non eos jam misericordiam, quam contumaciter respuerunt, consecuturos verum pœnam inextricabilem, quam propria sibi iniquitate consciverunt, merito perpessuros.

CAPUT XV.

Quo genere locutionum dicitur præscire Deus peccata, cum nihil sint, aut prædestinare eorum B *supplicia, quæ similiter nihil sunt.*

Quintus decimus (num. 1) larvarum tuarum horror tali inscriptione signatur.

JOANNES SCOTUS

θ *Quo genere locutionum dicitur præscire Deus pecata, cum nihil sint; aut prædestinare eorum supplicia, quæ similiter nihil sunt.*

CORRECTIO

┼ Ubi nulla nos urget refellendi necessitas diutius immorari, quam satis semperque ex præcedentibus, et a te replicata, et auctoritate recisa noscuntur. Vis enim, sicut et in superioribus vomituum tuorum nauseis fastidioslus ingerens intimasti, a contrario intelligi quotiescunque Deus C dicitur præscisse peccata, vel eorum prædestinasse supplicia, id est nescisse, et non prædestinasse omnino, contra omnium catholicorum sensum, vel certe omnium hominum opinionem, in quibus nullum auctorem invenire poteris, cujus te sequacem valeas approbare. Nullus quippe isto loquendi genere præscientiam, et prædestinationem accipiendam uspiam annotavit. Nullus scientiam et dispositionem ejus a peccatis et eorum pœnis ullatenus denegavit. De quibus jam loqui supersederem, nisi comprimendæ gratia tuæ jactantiæ, ne quod fingeret falsitas inveniret, et non haberet veritas quod responderet. Ideoque quod inter tuæ abnegationis testimonia de proditore Juda dicis:

JOANNES SCOTUS

(Cap. 15, num, 2, sect. 2.) θ *Item alibi tanquam consors divinæ dilectionis inter veros prædestinatos, electos, amicos, abusive collectus audierat:* Non dico vos servos sed amicos (*Joan.* XV. 14).

CORRECTIO

┼ Falsum esse consulta Evangelii veracitas edocet, qua hunc Domini sermonem post buccellam proditori porrectam, ab eoque impudentissime sumptam, monitionemque Domini, *quod facis, fac citius* (*Ibid.*, 27), et egressum illius celebratum, quisquis advertit, intelligit. Unde conjicitur te potius tuis sophismatibus fidere, quam Scripturarum meditationibus inservire. Sed et illud quod continuo subjungis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 15, num. 3, sect. 3.) θ *Simili modo ab omni cœlesti paternitate abdicato, quasi filio inter filios Dominus dicebat:* Nolite vocare vobis patrem in terra, unus est enim Pater vester, qui in cœlis est (*Matth.* XXIII. 9); *ac si sapienti inter sapientes donum intelligentiæ concessum videtur, dum apostolis dicitur*: Vobis datum est nosse mysteria regni (*Mac.* IV, 11).

CORRECTIO

┼ Idcirco ab re interpositum videtur, quia *mysterium regni Dei* cum cæteris apostolis prædicasse teste Evangelio reperitur. Nunquam utique prædicaret, si ignoraret: sciendo etenim prædicavit, prædicando scivit. Nisi forte, juxta quosdam hæreticos, insanisse prophetas et apostolos astruis, ut quemadmodum poeta ludit,

Dat sine mente sonum,

nescisse eos quid prophetaverint vel prædicaverint asseras: quod quia et veritate et ratione exploditur, fatendum est eum *mysteria regni Dei* veraciter assecutum, sed avaritiæ magnitudine et proditionis impietate justo Dei judicio tanto munere privatum, atque damnatum. Nequaquam plane credendus est Dominus ei, quantum præsenti dispensationi competens prævidebat, inter cætera donorum suorum munera intelligentiam secretorum cœlestium denegasse, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos; et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45); quatenus et concessis muneribus proditoris rabiem mitigaret, et ingratitudinem justius vindicaret. Nam ut cætera præteream, certe post damnatum Dominum, tribunalibusque vel pontificum, vel præsidis addictum, ut ait evangelista: *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens*: *Peccavi, tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII, 3); quem nullo modo justum confiteretur, nisi justum sciret; justum nullatenus cognovisset, nisi mysterium regni cœlestis aliquatenus hausisset: neque in desperationis mortiferæ præcipitia irremediabiliter incidisset, nisi enormitatem non ferendi sceleris agnovisset.

Absque illa quippe exceptione verba divini oraculi cum cæteris audiebat, et ad prædicandum regnum Dei pariter mittebatur: quod quanam ratione prædicare potuerit, si ejus mysteria ignorabat, nulla D tenus video, ac per hoc nihil suffragii in eo te assecutum credideris, quod a contrario ei dictum asseris: *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei* (*Marc.* IV, 11); datum est certe et illi, quamvis danti ingratus tanto se munere fecerit alienum. Nihil quippe, ut ait beatus Gregorius, simplex Veritas per duplicitatem agit: ea enim est natura veritatis, ut si dolose quid piam egerit, veritas non sit. Dedit ergo ei Veritas simplex veraciter nosse mysterium regni Dei, quantum instanti dispensationis suo occulto consilio congruere judicavit: quem certissime præsciebat in ejusdem regni muneribus nullatenus permansurum; ut vel beneficiorum magnitudine ab impietatis immanitate dulcius revocaretur, vel ea con-

temnens ac respuens justius damnaretur. Proinde quod asseris, Augustinum acutissimum veritatis inquisitorem et assertorem talium nobis exempla locutionum in suis exemplaribus relinquere procurasse, uti nos accipere non pigeat in prædestinatione atque præscientia divina eumdem omnimodo intellectum, ideo falsum est. Quoniam B. Augustinus præscientiam et prædestinationem unum esse nusquam dixisse reperitur, quamvis præscientiam pro prædestinatione interdum positam veraciter docuerit. Et quod addis :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 15, num. 6, sect. 4). ϴ *Ac per hoc saluberrimo verissimoque sensu debemus sentire, quod ipse tanquam nos admonens ait :* Omnis prædestinatio præscientia, sed non omnis præscientia prædestinatio (August. *de Prædestin. sanct.*, c. 10). *Ac si aperte diceret ; Quanquam præscientia non transcendat fines prædestinationis* (*quippe cum sint unius ejusdemque divinæ videlicet naturæ*), *in qua aliud alio plus minusve non est : merito ubi est naturæ simplicitas, non est ulla diversitas: quoniam in ea omnia unum sunt : tantum ergo in Deo valet præscientia, quantum prædestinatio, plane quia unum sunt.*

CORRECTIO

† Si saluberrimo verissimoque sensu sentires quod Augustinus ait : [Omnis prædestinatio præscientia, sed non omnis præscientia prædestinatio], nunquam te ad has imposturas verteres, ut quod ille neque sensit neque dixit, in ejus dictis effingeres. Transcendit siquidem præscientia fines prædestinationis, quia præsciuntur vel ab ipso Deo, vel rationabilibus creaturis, ea etiam quæ ab ipsis non fiunt : prædestinantur vero tantum ea quæ ab ipsis vel fiunt vel facienda disponuntur. Unius quoque, ut desipis, ejusdemque divinæ videlicet naturæ non sunt, quia nulla auctoritate Dei natura præscientia vel prædestinatio nuncupatur, præsertim cum sint relativa, quorum non est demonstrare substantias, neque in Deo tantum valet præscientia, quantum prædestinatio omnino, quia non unum sunt : præscit enim Deus quæcunque peccata, quæ ipse non facit ; prædestinat autem solum quæ ipse facit vel benigne, vel misericorditer, vel juste. Quodque infers :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 15, num. 7, sect. 5) ϴ *Si Dei præscientia Deus est, necessario et veritas. Hoc dixerim de prædestinatione: si et ipsa Deus, procul dubio veritas.*

CORRECTIO

† Si puro et simplici mentis oculo perspexisses, profecto vidisses quia veritas substantiam Dei demonstret tam auctoritate quam ratione. Ipse enim dixit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6) ; atqui nusquam dixit: Ego sum præscientia vel prædestinatio. Veritas non est relativum, sicut nec sapientia, nec scientia, nec justitia, nec bonitas : ideoque quoties de Deo dicitur, essentialiter prædicatur : A præscientia vero et prædestinatio ad aliquid referuntur. Deus se nec præscivit, nec prædestinavit : aliud ergo aliquid extra se præscivit et prædestinavit, id est quod ipse non sit. Non sunt igitur præscientia et prædestinatio Deus, sicut veritas : quia veritas essentialiter, præscientia et prædestinatio relative dicuntur.

Item quod argumentaris (num. 8), *peccatum non esse ex veritate, esse autem nihil, perindeque nec ex præscientia, nec ex prædestinatione Dei,* quis hoc vel demens existimaverit ? Præsciri autem ab eo peccata omnis et auctoritas, et ratio edocet : præsciri quoque et prædestinari ab ipso justissimas eorum retributiones, videlicet pœnas, tormenta atque supplicia similiter et auctoritate et ratione B instruimur.

Quodque subnectis, *beati Augustini te auctoritate prædixisse divina prædestinatione nullum præparari ad tormenta*, non est mirum fallax falsitati astruendæ falsitatem injeceris: cum constet libellum ex quo illud exemeras nunquam ab Augustino editum: quipqe qui in multis a sensu, locutione et libris illius nimium sit aversus, imo adversus. Nempe cum idem vir beatissimus opuscula sua retractaret, et ad locum retractandi libri sui, cujus est titulus de Octoginta tribus Quæstionibus perveniret (lib. I, cap. 26), ita locutus est: [Utrum mali auctor non sit. Ubi videndum est, inquit, ne male intelligatur quod dixi : mali auctor non est, quia omnium quæ sunt auctor est, quia in quantum sunt, C in tantum bona sunt. Et ne hinc putetur non ab illo esse pœnam malorum, quæ utique malum est iis qui puniuntur: sed hoc ita dixi quemadmodum dictum est, *Deus mortem non fecit* (*Sap.* I, 13), cum alibi scriptum sit : *Mors et vita a Domino Deo est* (*Eccli.* XI, 14). Malorum ergo pœna quæ a Deo est, malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est, quoniam justum est ut mali puniantur, et utique bonum est omne quod justum est.]

† Idem in libro Quæstionum Judicum (qu. 13). [Quid est autem quod angelus Domini inter cætera divinæ comminationis dicit : *Non adjiciam transmigrare populum, quem dixi ejicere ; non auferam eos a facie vestra, et erunt vobis in angustias, et dii eorum erunt vobis in scandalum* (*Jud.* II, 3); nisi ut intelligamus nonnulla etiam de ira D Dei venire peccata? Ut enim dii gentium, inter quas non a se exterminatas Israelitæ habitare voluerunt, essent eis in scandalum, id est, facerent eos scandalizari in Domino Deo suo, eoque offenso vivere, indignans hoc comminatus est Deus ; quod certe manifestum est magnum esse peccatum.] † Idem in libro Quæstionum Deuteronomii (qu. 2): [*Et noluit Seon rex Ezebon transire nos per ipsum : quoniam induraverat Dominus Deus noster spiritum ejus, et confortavit cor ejus, ut traderetur in manus tuas sicut in hac die* (*Deut.* II, 30). Hæc dicens Moyses, dum populum alloquitur, tale aliquid commemorat quale dicebat in Exodo : *Ego induravi cor Pharaonis* (*Exod.* X, 1); et quod in Psalmis legitur : *Convertit cor eorum, ut odissent*

populum ejus (*Psal.* CIV, 25). Nec tacetur hic causa indurationis hujus cum dicitur, *ut traderetur in manus tuas, sicut in hac die*, id est, ut vinceretur a te, quod non fieret nisi resisteret: non autem resisteret, nisi corde obdurato. Cujus rei justitiam si quæsierimus, *inscrutabilia sunt judicia Dei* (*Rom.* XI, 33); *iniquitas autem non est apud Deum* (*Rom.* IX, 14). Sane notandum est confortatum cor posse dici etiam in malo.] † Idem in Quæstionibus Exodi (qu. 143) : [*Et propitiatus est Dominus de malitia, quam dixit facere populo suo* (*Exod.*, XXXI, 14). Malitiam hic pœnam intelligi voluit, sicuti est: *Æstimata est malitia exitus illorum* (*Sap.* III, 2). Secundum hanc dicitur et bonum et malum a Deo non secundum malitiam, qua homines mali sunt. Malus enim Deus non est, sed malis ingerit mala, quia justus est.] † In eodem (qu. 148): [Merito quæritur cum superius populum dissipasse dictus sit Aaron, cur in ipsum vindicta nulla processerit, neque cum Moyses interfici jussit omnem qui Levitis euntibus ad portam et redeuntibus occurrisset armatis; neque cum postea factum est quod Scriptura dicit: *Et percussit Dominus populum* [a] *propter facturam vituli quem fecit Aaron*, maxime quia et hic hoc idem repetendo inculcatum est. Non enim dictum est: *Et percussit Dominus populum propter facturam vituli quem fecerunt*, sed *quem fecit Aaron*: et tamen non est percussus Aaron; quin etiam illud quod de sacerdotio ejus ante peccatum ejus Deus præcipiebat impletum est. Sed jussit et ipsum et filios ablui, et sic ordinati sunt in sacerdotio. Ita novit ille cui parcat usque ad commutationem in melius; et cui parcat ad tempus, quamvis eum præscierit in melius non mutari: et cui non parcat ut mutetur in melius, et cui non parcat, ita ut vitæ mutationem ejus exspectet; et hoc totum ad id redit quod Apostolus dicit exclamans: *Quam inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI, 33).

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 15, num. 10, sect. 6). θ *Aut per similitudinem prædestinatio pro præscientia ponitur; aut per illum tropum, qui dicitur hypallage, quem possumus nominare subalternationem*, etc.

CORRECTIO.

[a] . . . .

fieri, ut destinati vel prædestinati ad pœnam, vel a contrario, id est per tropum qui dicitur antiphrasis, vel per illum qui vocatur hypallage deberent intelligi, nunquid tam multa alia atque ad idem pertinentia passim tam per Scripturas sanctas quam apud catholicos doctores inveniuntur, eo detorquenda sunt, ut simili insaniæ supponantur? Quod quia fieri nulla ratio nullaque sinit auctoritas, fatendum est et eloquia divina et orthodoxos tractatores ea ita ut resonant intellexisse, deinde, absque nubilo cujusquam interpretationis, justissimis judiciis

A deputasse. Peccata a Deo non esse nullus ambigit, pœnas peccatoribus vel factas ab ipso vel illatas omnis et auctoritas et ratio comprobat. Ac per hoc, sicut et superius ex verbis beati Augustini posuimus, omnes peccatorum pœnæ bonæ sunt, quia justæ sunt. Omne enim justum bonum, nullum autem justum non bonum. Proinde quidquid a summe bono et summe justo est, bonum est. Justum est autem retribui peccatoribus quemadmodum et bonis quod merentur. Vere enimvero se nequaquam a contrario id vel intellexisse vel posuisse satis lucide subindeque ipse intimat, qui tacito prædestinationis vocabulo identidem verbis aliis evidenter inculcat. Quid, quæso te, majus esse censes prædestinare an facere? Nempe vel
B semper vel pene semper verba Apostoli interserens (*Rom.* IX, 22), de vasis iræ, præparatis vel aptis ad interitum, *perfecti* seu *facti* vocabulo utitur, ut innueret se nunquam prædestinationis significationem a contrario sensisse sive protulisse: unde et in libro de Civitate Dei quinto decimo, ita locutus est Augustinus (cap. 1): [Sicut enim in uno homine, quod dixit Apostolus, experimur quia *non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale* (*I Cor.* XV. 46); unde unusquisque, quoniam ex damnata propagine exoritur, primo sit necesse est ex Adam malus atque carnalis; quod si in Christo renascendo profecerit, poterit esse [*al.* postea erit] bonus et spiritalis:
D sic in universo genere humano cum primum duæ istæ cœperunt nascendo atque moriendo procurrere civitates, prius est natus civis hujus sæculi, posterius [*al.*, posterior] autem isto peregrinus in sæculo, et pertinens ad civitatem Dei, gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia civis sursum. Nam quantum ad ipsum attinet, ex eadem massa ortus, quæ originaliter est tota damnata: sed tamen [*al.*, tanquam] figulus Deus (hanc enim similitudinem, non impudenter, sed prudenter introducit Apostolus) ex eadem massa fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam (*Rom.* IX, 21). Prius autem factum est vas in contumeliam, postea vero alterum in honorem: quia et in ipso uno, sicut jam dixi, homine prius est reprobum, unde necesse est incipiamus, et ubi non est necesse ut remaneamus. Pos-
C terius vero probum, quo proficientes veniamus, et quo pervenientes maneamus.]

† Idem in libro de Nuptiis et Concupiscentia (lib. II, cap. 28, 29): [Quid ergo est quod dicit: *Si natura opus est Dei, per opus Dei opus diaboli transire non sinitur.* Nonne opus diaboli, quando primum in angelo, qui diabolus factus est ortum est, in opere Dei ortum est? Quapropter si malum, quod omnino nusquam erat, in Dei opere oriri potuit, cur malum, quod alicubi jam erat, per opus Dei transire non potuit, præsertim cum ipso verbo utatur Apostolus dicens: *Et ita in omnes homines pertransiit* (*Rom.* V, 12). Nunquid

[a] Hic scissum folium integrum deest in ms. cod., sed residuum sententiæ S. Augustini repositum, cum pericope Joannis Scoti quæ in sequentibus corrigitur.

homines non sunt opus Dei? Pertransiit ergo peccatum per homines, hoc est opus diaboli per opus Dei; atque ut alio modo id ipsum dicam (quia diaboli opus, id est peccatum, per ipsum diabolum exortum, qui factura vel opus est Dei, per aliud opus Dei, id est hominem, pertransit), opus operis Dei per opus Dei. Et ideo Deus est solus immutabilis, et potentissimæ bonitatis, qui et antequam esset ullum malum, bona opera fecit omnia, et de malis quæ in bonis ab eo factis orta sunt, bene operatur per omnia.

In uno, inquit, homine jure vituperatur intentio, et origo laudatur, quia duo sunt quæ contrariis applicentur: in parvulo autem unum est, natura tantum, quia voluntas non est. Illud ergo unum, inquit, aut Deo ascribitur, aut dæmoni. Si natura, inquit, per Deum est, potest in ea esse originale malum. Si a diabolo, nihil erit per quod homo divino operi vindicetur. Perfecte itaque [*al.*, autem] Manichæus est, qui malum originale defendit: audiat potius adversum ista quod verum est. In uno homine jure vituperatur intentio, et natura laudatur, quia duo sunt quæ contrariis applicentur: sed etiam in parvulo non unum est tantum, id est natura, in qua creatus est homo a Deo bono, habet enim et vitium quod per unum in omnes homines pertransiit (*Rom.* v, 12), sicut sapit Apostolus, non sicut desipit Pelagius, vel Cœlestius, vel eorum quicunque discipulus. Horum itaque duorum, quæ in parvulo esse diximus, unum ascribitur Deo, alterum diabolo. Et quod utrumque propter unum horum, id est propter vitium, subjicitur potestati diaboli, ideo non est incongruum, quia non fit ipsius diaboli potestate, sed Dei. Subjicitur autem vitio natura naturæ, quia et in diabolo utrumque est, et [*al.*, ut] cum dilecti et electi de potestate tenebrarum eruuntur, cui jure subduntur, appareat quid donetur justificatis bonis a Deo bono, bene operante de malis. Quod autem iste sibi quasi religiose dicere visus est: *Si natura per Deum est, non potest in eo esse originale malum*, nonne religiosus sibi alius videretur dicere: Si natura per Deum est, non potest in ea oriri ullum malum? Et tamen falsum est: hoc enim Manichæi asserere voluerunt, et non creaturam Dei factam de nihilo, sed ipsam naturam Dei malis omnibus implere conati sunt. Non enim ortum est malum nisi in bono, nec tamen summo et immutabili, quod est natura Dei, sed facto de nihilo per sapientiam Dei. Est itaque per quod homo divino operi vindicetur, quia non esset homo, nisi divino opere crearetur: malum natura [*al.*, autem, id est natura] non esset in parvulis, nisi voluntate primi hominis peccaretur, et ex origine vitiata peccatum originale traheretur.]

† Idem in libro de Consensu evangelistarum tertio (cap. 13): [Dignetur ergo consilio Marci evangelistæ superari consilium suum, qui eo loco id ponendum judicavit, quo loco divina inspiratione suggestum est. Recordationes enim eorum ejus manu gubernatæ sunt, qui gubernat aquam, sicut scriptum est (*Luc.* viii, 24, 25), qualiter illi placuerit. Fluitat enim humana memoria per varias cogitationes, nec in cujusquam potestate est quid et quando ei veniat in mentem. Cum ergo ei scilicet [*al.*, sancti et] veraces viri quasi fortuita recordationum suarum propter narrationis ordinem occultæ Dei potestati, cui nihil fortuitum est, commisissent, non oportet quemquam hominum dicere longe abjectum ab oculis Dei et longe peregrinantem. Hoc loco poni debuit, quod valde ignorat cur eo loco Deus poni voluerit. *Quia etsi obvelatum est Evangelium nostrum*, ut ait Apostolus *in his qui pereunt obvelatum est* (*II. Cor.* iv, 3). Et cum dixisset: *Aliis quidem sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II. Cor.* ii, 16), subjecit statim: *Et ad hæc quis idoneus?* (*Ibid.* 16.) Id est, qui idoneus est intelligere quam juste fiat? Quod idem Dominus dicit: *Ego veni, ut qui non vident videant, et qui vident cœci fiant* (*Joan*, ix, 39). Ipsa est enim *altitudo divitiarum scientiæ et sapientiæ Dei*, qua fit *ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* (*Rom.* xi, 33); et dicitur carni et sanguini: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* (*Rom.* ix, 20). *Quis* ergo et in hac re *cognoscit intellectum Domini, aut quis consiliarius illi fuit* (*Rom.* xi, 34), ubi sic gubernavit corda reminiscentium evangelistarum, et in Ecclesiæ fastigio tanto auctoritatis culmine sublimavit, ut per hæc ipsa quæ in eis contraria videri possunt, multi excæcarentur, digne *traditi in concupiscentias cordis sui et in reprobum sensum* (*Rom.* i, 28), et multi exercerentur ad elimandum pium intellectum secundum occultam Omnipotentis justitiam. Dicit enim Propheta Domino: *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc* (*Psal.* xci, 6). Peto autem et admones eos qui hæc legunt, per nos adjuvante Domino elaborata, ut hujus sermonis quem hoc loco interponendum arbitratus sum, in omni simili quæstionum difficultate meminerint, ne sæpius eadem repetenda sint.]

† Idem in epistola ad Sixtum (*Epist.* 105): [Quamvis itaque Deus faciat *vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram, et demonstret potentiam suam*, quam bene utatur etiam malis, *et ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ* (*Rom.* ix, 12), quæ fecit in honorem, non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum: tamen in eisdem iræ vasis propter meritum massæ in contumeliam debitas factis, id est in [*al. om.* in] hominibus propter naturæ quidem bona creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissime veritas improbat, damnare novit ipse, non facere. Sicut enim voluntati ejus tribuitur humana natura nullo dubitante laudanda, sic hominis voluntati culpa tribuitur nullo recusante damnanda.] † Quæ quia incunctanter bona sunt et justa, non sunt in eo contraria a quo sunt, licet patientibus vel non patientibus

videantur contraria].

Augustinus in libro Confessionum (lib. VIII, cap. 5): [Quippe ex voluntate perversa factus est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, illa spiritalis, confligebant inter se, atque discordantes dissipabant animam meam. Sic intelligebam meo ipso experimento id quod legeram, quod caro concupisceret adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Gal.* v, 17). Ego quidem in utroque, sed magis ego in eo quod in me approbabam, quam in eo quod in me improbabam. Ibi enim magis jam non ego, quia ex magna parte id patiebar invitus quam faciebam volens.]

† In eodem Augustinus (cap. 9, 10): [Ei ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, et hoc adest alteri quod deest alteri. Pereant a facie tua, Deus, sicut pereunt vaniloqui et mentis seductores, qui cum duas voluntates in deliberando animadverterint, duas naturas duarum mentium esse asseverant, unam bonam, alteram malam.]

† Et infra Augustinus (cap. 10): [Ego eram qui volebam, ego qui nolebam: ego, ego eram, nec plene volebam, nec plene nolebam. Ideo mecum contendebam, et dissipabar a me ipso. Et ipsa dissipatio me invito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ. Et ideo jam non ego operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum (*Rom.* VII, 14), de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam. Nam si tot sunt contrariæ naturæ quot voluntates sibi resistunt, non jam duæ, sed plures erunt.]

† Augustinus contra Adversarium Legis et Prophetarum (lib. I, cap. 22): [Sed hunc, inquit, Dominus Christus appellavit arborem bonam, facientem fructus malos (*Matth.* VII, 17). Imo vero hujus talia sentientis, tanquam malæ arboris iste ipse sermo blasphemus fructus est malus: Nam hominem malum dixisse Dominum arborem malam, cujus fructus mali essent opera mala; et hominem bonum arborem bonam, cujus fructus boni essent, opera bona, id est, ipsas hominum voluntates, vel malam mali hominis, vel bonam boni hominis, diversas esse arbores diversos fructus ferentes, satis evidenter ipse testatur dicens: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, et malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala* (*Matth.* XII, 35). Quomodo autem diceret, aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum, nisi homo posset, nunc in hoc nunc in illud, mutata voluntate, converti.] † Quapropter quod ais:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 15, num. 11, sect. 8.) Θ *Aut cui non facile pateat ab una origine nasci non posse invicem sibi adversantia. Profecto quidem unde bonum sit, inde malum non erit; unde humilitas, non inde superbia. Ex fonte justitiæ nunquam manat iniquitas, ex vitæ principio nunquam procedit mors, beatitudo non est causa miseriæ. Postremo summa essentia nullo modo efficit quæ non sunt. peccatum mors pœna, justitiæ, vitæ, beatitudinis defectus sunt: ab eo igitur qui est, non sunt: ac per hoc, si ab eo non sunt, quis audeat dicere in eis aliquid esse.*

CORRECTIO.

† Quamvis satis, ut æstimo, jam ex his quæ præmisimus evacuatum sit, tamen quia de contrariis tua confirmare satagis, miror dialecticorum subtilissimum nullatenus perspexisse animæ naturam tam boni quam mali esse capacem, et ex voluntate quæ ab ea procedit, vel malum, vel bonum sive cogitari, sive dici, seu perfici: imo uno eodemque momento bona et mala concipi, atque diutius in eadem alternatione versari.

Cujus rei unum ex libro beati Augustini, qui Enchiridion dicitur, sumamus testimonium: [Quid est autem, inquit (cap. 13-15), malus homo nisi mala natura, quia homo natura est? Porro si homo aliquod bonum est quia natura est, quid est malus homo nisi malum bonum? Tamen cum duo ista discernimus, invenimus nec ideo malum quia homo est, nec ideo bonum quia iniquus est; sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Quisquis ergo dicit: Malum est hominem esse, aut: Bonum est iniquum esse, ipse incidit in propheticam illam sententiam: *Væ qui dicunt quod bonum est malum, et quod malum est bonum* (*Isa.* v, 20). Opus enim Dei culpat, quod est homo; et vitium hominis laudat, quod est iniquitas. Omnis itaque natura etiamsi vitiosa est, in quantum natura est, bona est; in quantum vitiosa est, mala est.

Quapropter in his contrariis quæ mala et bona vocantur, illa dialecticorum regula deficit, qua dicunt nulli rei duo simul inesse contraria. Nullus enim aer simul est et tenebrosus et lucidus; nullus cibus aut potus simul dulcis et amarus; nullum corpus simul ubi album, ibi et nigrum: nullum simul ibi deforme ubi formosum. Et hoc in multis ac pene omnibus contrariis reperitur, ut in una re simul esse non possint. Cum autem bona et mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed etiam mala omnino sine bonis et nisi in bonis esse non possunt, quamvis bona sine malis esse possint. Potest enim homo vel angelus non esse injustus; injustus autem non potest esse nisi homo vel angelus: et bonum quod homo, bonum quod angelus; malum quod injustus. Et hæc duo contraria ita simul sunt, ut si bonum non esset in quo malum esset, prorsus nec malum esse potuisset: quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur corruptio non haberet, nisi esset quod corrumpere-

tur; quod, nisi bonum esset, nec corrumperetur: quoniam nihil est aliud corruptio quam boni exterminatio. Ex bonis igitur mala orta sunt, et nisi in aliquibus bonis non sunt: nec erat alias unde oriretur ulla mali natura. Nam si esset, in quantum natura esset, profecto bona esset; et aut incorruptibilis natura magnum esset bonum, aut etiam natura corruptibilis nullo modo esset nisi aliquod bonum, quod bonum corrumpendo posset ei nocere corruptio.

Sed cum mala ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc Dominicæ sententiæ refragari, qua dixit: *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* Non potest enim, sicut Veritas ait, colligi uva de spinis (*Matth.* VII, 16, 18), quia non potest uva nasci de spinis; sed ex bona terra et vites nasci posse videmus et spinas. Eo modo [*al.*, et eodem modo] tanquam arbor mala fructus bonos, id est opera bona, non potest facere voluntas mala: sed ex bona hominis natura oriri voluntas et bona potest et mala; nec fuit prorsus unde primitus oriretur voluntas mala, nisi ex angeli et hominis natura bona. Quod et ipse Dominus eodem loco ubi de arbore et fructibus loquebatur, apertissime ostendit; ait autem [*al.*, enim]: *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum* (*Matth.* XII, 33): satis admonens ex arbore quidem bona malos, aut ex mala bonos nasci fructus non posse; ex ipsa tamen terra cui loquebatur utramque arborem oriri posse.]

† Vides eversam omnem tuæ argumentationis machinam, qua a bona origine nasci non posse invicem sibi adversantia conabaris astruere? Docuit omnino vir disertissimus ab una origine, id est natura vel angeli vel hominis prodire contraria. Unde ergo humilitas, inde superbia, id est ex natura angeli vel hominis bona, ex qua voluntas vel bona vel mala; ita ut humilitas voluntas bona, superbia dicatur voluntas mala: quæ tamen voluntas bona, cum primitus naturæ rationali dono Creatoris fuerit insita, propria depravatione corrupta, nequaquam ex se vel per se bona valet existere, donec sanetur, reparatur, atque infundatur ab illo, qui semper summe et essentialiter est voluntas bona: ex fonte justitiæ nunquam manare iniquitatem, id est ex Deo, nullus ignorat, *quia non est iniquitas apud Deum* (*Rom.* IX, 14): attamen juste retribuit peccatoribus supplicia quæ merentur. Quia *tu reddes* inquit, *unicuique secundum opera sua*, ex vitæ principio, id est Deo, infertur mors peccatoribus, quia testante scriptura: *Ab ipso est vita et mors* (*Eccli.* XI, 14). Beatitudo non est causa miseriæ, quia Deus non est causa cujusquam peccati ac pœnæ; est tamen irrigator atque illator miseriæ, mortis et pœnæ: quæ cum a Deo; auctoritate sacri eloquii, vel præsentialiter vel postmodum æternaliter meritis juste rependantur, præscita et prædestinata ab ipso rectissime censentur, quo judice inferuntur. Qua vero impudentia negantur peccatores et impii a Deo præsciti, aut pœnis debitis destinati, cum utrumque et ratio et auctoritas fieri Deo judice protestetur.

Verum de pœnis a Deo etiam temporaliter in peccatores et impios irrogatis, unum ex prophetis testimonium adhibuisse sufficiat; nam in eo loco ubi propheta Joel ait: *Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus et rubigo, et eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos* (*Joel.* II, 24).

Sanctus Hieronymus exponens eumdem locum, ita post quædam effatus (*in Joel. cap.* II): [Quærimus cur eruca *fortitudo* vel virtus Domini appellata sit, et non solum virtus, sed virtus magna. Quomodo potentia Dei in Ægyptiis plagis ostensa est per parva animalia, et præcipue ciniphes (*Exod.* VIII, 16, 17), qui tam parvi sunt culices, ut vix cernantur oculis: sic et nunc in parvo tardoque vermiculo, qui vix moveri potest, et levi tactu conteritur, Dei potentia et humana fragilitas demonstratur. Non quod Deus ad nutum suum et potentiæ majestatem nequeat terram subvertere, et operire cuncta diluvio, vel fulmine concremare; sed per parva, et, ut ita dicam, puncta corporum ostendit humanam fragilitatem. Unde et illud solemus Marcioni et cæteris respondere hæreticis, qui Vetus laniant Testamentum, quod et pulices, et culices, et cimices, et hujuscemodi animantia idcirco fecerit Deus, ut fragilitatem et imbecillitatem nostræ carnis ostenderet, quæ in tantum nihil est, ut ab his quæ parva sunt vulneretur. Si autem eruca parvusque vermiculus fortior homine est, quid gloriatur terra et cinis (*Eccli.* IX), et elata per superbiam (cum ex humo sit, a qua homo appellatur) humana contemnit? Quidam autem locum istum sic interpretantur: A dextris et a sinistris virtutes et fortitudines Dei legimus, quas Græci δυνάμεις vocant. A dextris seraphim et cherubim, cunctasque angelicas potestates, a sinistris contrarias fortitudines, de quibus scriptum est: *Misit in eos iram indignationis suæ, furorem et iram, et tribulationem, immissionem per angelos malos* (*Psal.* LXXVII, 49). De quibus et Michæas in Regum volumine loquitur: *Vidi Dominum Deum Israel sedentem super thronum suum, et omnis exercitus cœli juxta eum a dextris et a sinistris* (*III Reg.* XXII, 19). Ego puto sinistrum fuisse spiritum, qui egressus est, et stetit coram Domino et ait: *Ego decipiam Achab et egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus* (*Ibid.*, 21). Ad quam sinistram, et contrariam potestatem, quæ apta erat ad decipiendum, et exercitata ad ruinas, et multos ante deceperat, loquitur Deus: *Decipies et prævalebis, egredere, et fac sic.* Spiritus quoque qui suffocabat Saul, de quo dixerunt ad eum pueri sui: *Ecce spiritus Dei malus te obstupescere facit* (*I Reg.* XVI, 14, 15), de sinistris partibus erat qui missi erant a Domino [*al.*, qui ministrant Domino] ad puniendos eos qui cruciari meruerunt propter peccata. Non solum enim homines ministri sunt et ultores iræ ejus in his qui malum operantur, et non sine causa portant gladium, sed etiam contrariæ fortitu-

dines, quæ appellantur furor et ira Dei, quos Propheta declinans ait: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Psal.* VI, 1). Istiusmodi, ut ita dicam, quæstionariis atque tortoribus tradidit Apostolus peccatorem *in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret* (*I Cor.* V, 5): de quibus et Satanas est, cui tradidit alios, *ut discerent non blasphemare* (I *Tim.* I, 20). Hæc de eruca, cur Dei appellata sit virtus]. † Deinde infers:

JOANNES SCOTUS

(Cap. 15, num. 12, sect. 9). ⊖ *Peccatum, ni fallor, et peccata, et pœnas, nec a Deo fieri, nec ab eo præsciri, vel prædestinari*: Delicta enim quis intelligit? (*Psal.* XVIII, 13):

CORRECTIO

† Sæpe diximus peccata a Deo nullatenus fieri, præsciri autem auctoritate probavimus, dicente beato Job: *Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur, adducit consiliarios in stultum finem et judices in stuporem* (*Job* XII, 16). Gregorius (*Moral. in Job*, lib. XI, cap. 7): [Cum omnis qui proximum suum decipere conatur iniquus sit, et iniquis Veritas dicat: *Nunquam novi vos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 23), qualiter hoc in loco dicitur quia Dominus decipientem novit? Sed quia scire Dei aliquando cognoscere dicitur, aliquando approbare, et scit iniquum quia cognoscendo dijudicat (neque enim iniquum quempiam judicasset, si nequaquam cognosceret), et tamen iniquum nescit, quia ejus facta non approbat. Et novit ergo quia deprehendit; et non novit, C quia hunc in suæ sapientiæ specie non recognoscit: sicut de veraci quolibet viro dicitur quia falsitatem nesciat, non quia cum vel ab aliis falsum dicitur, hoc reprehendere ignorat, sed eamdem ipsam fallaciam et scit in examine, et nescit in amore, ut videlicet ipse hanc non agat quam actam ab aliis damnat. Et fit plerumque ut nonnulli insidiis vacantes alienæ vitæ perversitatis suæ laqueos tendant; et cum quis nesciens eisdem laqueis capi conspicitur, utrum hæc divinitus videantur fortasse dubitantur; miranturque homines si hoc [*al.*, hæc] Deus videat, cur fieri permittat; sed *ipse novit decipientem et eum qui decipitur. Novit* etenim *decipientem*, quia plerumque anteriora ejus mala conspicit, et hunc justo judicio cadere etiam in alia peccata permittit. *Novit decipientem*, quia D in manu suorum operum dimissum hunc ut ad pejora proruat deserit, sicut scriptum est: *Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescet adhuc* (*Apoc.* XXII, 11). *Novit* quoque *et eum qui decipitur*, quia sæpe committunt homines mala quæ sciunt; et idcirco permittuntur decipi, ut cadant etiam in mala quæ nesciunt. Quod tamen deceptis aliquando ad purgationem, aliquando vero ad ultionis initium fieri solet.] † Ast pœnas eum præscisse et prædestinasse, quoniam ad judicium justitiæ illius pertinet, et auctoritas et ratio convincit.

Testimonium sane propheticum quod adhibuisti prorsus ad rem de qua agitur non pertinet, quod a Patribus recte intellectum atque tractatum tuam pravitatem funditus evertit.

Hieronymus in Epistola ad Ephesios (*cap.* II, 1): [Manifeste autem mors animæ dicitur esse peccatum, in eo quod ait: *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris*, juxta illud quoque quod in Ezechiel scriptum est: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 20). Et quia *delicta* quæ Græce παραπτωματα nuncupantur, juxta ejusdem linguæ etymologiam proprie verbum est Scripturarum (licet delicta πλημμέλειαι rectius transferantur), quæramus quid significent, quove distent a peccatis, id est quid intersit inter παραπτώματα et ἁμαρτίας. Aiunt enim quod παραπτώματα, quasi initia peccatorum sint, cum cogitatio tacita B subrepit, et aliqua ex parte convenientibus [*al.*, conniventibus] nobis, necdum tamen nos impulit ad ruinam. Unde et in octavo decimo psalmo scribitur: *Delicta* (hoc est παραπτώματα) *quis intelligit?* quia scilicet difficile si radices et initia intelligere peccatorum. Peccatum vero esse, cum quid opere consummatum pervenit ad finem].

† Gregorius Moralium lib. XI (cap. 21): [Inter scelera et delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit, delictum vero peccati non transit, quia et cum offerri sacrificium per legem jubetur, nimirum præcipitur sicut pro peccato, ita etiam pro delicto. Et nonnunquam scelus in opere est, delictum vero plerumque in sola cogitatione. Unde et per Psalmistam dicitur: *Dilecta quis intelligit* (*Psal.* 18)? Quia videlicet peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto exterius videntur: peccata vero cogitationis eo ad intelligendum difficilia sunt, quo invisibiliter perpetrantur.]

† Cassiodorus in psalmo decimo octavo (v. 15): [Illud tamen debemus advertere, quoniam multa peccata sunt quæ omnimodis ignoramus, quorum nec origines possumus nec subreptiones agnoscere. Unde subaudiendum est *delicta*, omnia, *intelligit*. Nam cum dicturus sit in quinquagesimo (v. 5): *Delictum meum coram me est semper*; et alibi: *Delictum meum cognitum tibi feci* (*Psal*, XXXI, 5), quomodo non potest intelligi, quod peccans cogitur confiteri? Sed si adjeceris, omnia, tunc hæc quæstio probatur exclusa.]

† Augustinus in Quæstionibus Levitici (qu. 20): Quid est quod de ariete pro delicto cum dixisset, legemque sacrificii exposuisset, ait: *Quomodo quod est pro peccato, ita et id quod pro delicto; lex una est eorum* (*Lev.* VII, 7). Quæritur inter peccatum et delictum quæ sit differentia; quoniam si nulla esset; nullo modo diceretur: *Quomodo quod est pro peccato, ita et quod pro delicto*, Quamvis enim lex ejusque sacrificium nihil distet, quia *lex una est eorum*; tamen ipsa, duo quorum unum est sacrificium id est peccatum et delictum, si inter se nihil differrent, etsi unius rei duo nomina essent, non curaret Scriptura tam diligenter commendare unum esse utriusque sacrificium. Forlassis ergo peccatum est perpetratio mali, delictum

autem desertio boni : ut, quemadmodum in laudabili vita aliud est declinare a malo, aliud facere bonum, quod admonemur dicente Scriptura : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27) ; ita in damnabili aliud sit declinare a bono, aliud facere malum ; et illud delictum, hoc peccatum sit. Nam et ipsum vocabubum si discutiatur, quid aliud sonat delictum, nisi derelictum ? et quid dereliquit qui deliquit [*al.*, qui delinquit quid derelinquit] nisi bonum ? Græci etiam duo nomina usitata huic pesti imposuerunt. Nam delictum apud eos et παράπτωμα dicitur et πλημμέλεια. Isto ipso quippe loco Levitici πλημμέλεια est. Apostolus autem ubi dicit : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* (*Gal.* VI, 1,), παραπτώματι Græcus habet : quorum nominum s origo discutiatur, in παραπτώματε, tanquam decidere B intelligitur qui delinquit. Unde *cadaver*, quod Latini a *cadendo* dixerunt, Græce πτῶμα dicitur ἀπὸ τοῦ πίπτειν, id est ab eo quod est cadere. Qui ergo peccando malum facit, prius delinquendo a bono cadit. Et πλημμέλεια simile nomen est *negligentiæ* : nam Græce negligentia ἀμέλεια dicitur. quia curæ non est quod negligitur. Sic enim Græcus dicit : *Non curo*, οὐ μέλλει μοι. Particula ergo, quæ additur, πλήν, ut dicatur πλήμμέλεια, *præter* significat, ut ἀμέλεια quod vocatur *negligentia*, videatur sonare *sine cura* ; πλημμέλεια *præter curam*, quod pene tantumdem est. Hinc et quidam nostri πλημμέλειαν non *delictum* sed *negligentiam* interpretari voluerunt [*al.*, maluerunt]. In Latina autem lingua quid aliud negligitur nisi quod non legitur, id est non C eligitur. Unde etiam *legem* a *legendo*, id est ab *eligendo*, Latini auctores appellatam esse dixerunt. His quodammodo vestigiis colligitur quod ille delinquit, qui bonum dereliquit, et relinquendo a bono cadit, quia negligit, id est non legit. Peccatum vero unde sit dictum, quod Græce ἁμαρτία dicitur, in neutra lingua mihi interim occurrit. Potest etiam videri illud esse delictum quod imprudenter, id est ignoranter ; illud peccatum, quod ab sciente committitur. Huic differentiæ videntur ista testimonia consonare divina : *Delicta quis intelligit* ? (*Psal.* XVIII, 13.) et illud : *Quoniam tu scisti imprudentiam meam* ; continuo quippe secutus adjunxit : *Et delicta mea abs te non sunt abscondita* (*Psal.* LXVIII, 6), velut alio modo repetens eamdem sententiam. Nec ab eadem ratione discordat, quod paulo ante commemoravi, Apostoli dictum : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* (*Gal.* VI, 1) ; hinc enim quod præoccupatum dicit, imprudentem [*al.*, imprudenter] lapsum esse significat. Peccatum vero ad scientem pertinere apostolus Jacobus tanquam definiens ait : *Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi* (*Jac.* IV, 17).

† Post hæc adhibes plura exempli gratia (cap. XV, num. 14, sect. 9), quibus pœnarum atque suppliciorum veritatem deneges, videlicet tenebras, silentium, dolorem, tristitiam, laborem, stultitiam quæ non possunt ullatenus sciri nisi nesciendo : quia cum deesse lux dicitur, aut acclamatio, aut A sanitas, aut gaudium, aut quies, aut sapientia, tunc eorum vel absentiæ, vel defectus talibus vocabulis censeantur. Scriptura sancta a Deo paratum ignem gehennæ diabolo et angelis ejus ac peccatoribus perspicue clamat, dicente ipso Domino : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Et Isaias propheta : *Parata est enim ab heri a rege Topheth, parata et dilatata* (*Isa.* XXX, 33). Quem ignem si nihil esse dixeris, mendacem facis Deum, qui tam per se quam per prophetam suum eum a seipso paratum dicit : non enim paratur nihil ; sed quod paratur, aliquid sit necesse est. Si vero a contrario pro eo quod est non paratum asseris, videris ipse quibus auctoribus id persuadere queas ; nam veritatis filii penitus illa non audient. An eadem insania dicturus es frigus nihil esse, calorem, cibum et potum ; humores noxios, ventos, dæmones et multa alia quæ pœnæ vel supplicia nominantur? Verum plus aliquid Dionysio philosopho astruis : qui cum prius dolorem non esse malum asseverasset, postea oppressus calamitatibus, et dolore cruciatus, cœpit affirmare quod dolor esset summum omnium malorum. Et quia cum Epicuro dicis : Mors ipsa nihil est, poteras etiam cum ipso dicere : Post mortem nihil est ; et cum peccatoribus quibusdam : *Comedamus, et bibamus, cras enim moriemur* (*I Cor.* XV, 32). Si itaque Deus pœnam merentibus non infligit, quid est quod per prophetam Isaiam dicitur ? *Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum angulum populorum ejus. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis* (*Isa.* XIX, 13).

Hinc S. Hieronymus ita loquitur (*in Isai.* XIX, 14) : [Hoc significat quod regnum sapientiæ sæcularis stultum esse monstretur, et singulorum dogmatum principes, qui interpretantur tribus, arguantur stultos habuisse doctores. *Dominus enim miscuit eis spiritum vertiginis*, sive erroris [*al.*, errorum] juxta illud quod scriptum est : *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum* (*Rom.* I, 28). Et quomodo qui sanctus est cum Isaia dicere potest : *Spiritum salutis tuæ faciemus super terram* (*Isa.* XXVI, 18), sic qui peccator est, bibet [*al.*, faciet] erroris, hoc est malitiæ spiritum, secundum quod et in Jeremia legimus : *Arguet te prævaricatio tua, et malitia tua corripiet te* (*Jer.* II, 19). Sin autem scandalizatur hæreticus, qui Vetus non recipit Testamentum, quod Dominus miscere dicatur erroris vel vertiginis spiritum, audiat scriptum in Apostolo, hoc est in Novo Testamento : *Tradidit illos Deus in desideriis cordis sui in immunditiam* (*Rom.* I, 2). Et iterum : *Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiæ*. Et rursum : *Tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt*. Traduntur autem in desideriis cordis, quia mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et reptilium. Quod quidem non solum in Epistola ad Romanos,

sed ad Thessalonicenses de Antichristo legimus : A *Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt* [al., *susceperunt*] *ut salvarentur, mittet eis Deus operationem erroris, ut credant mendacio et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed placuerunt* [al., *complacuerunt*] *sibi in mendacio* (II *Thess.* II, 10, 11).

† Audis traditionem, missionem, mistionem Dei in impios, et audes negares pœnas a Deo præsciri et prædestinari ? Quod si a contrario velis intelligi, quid facies in eis locis in quibus tractatores verbi Dei sub uno eodemque vocabulo destinatos vel prædestinatos ad pœnam vel gloriam crebro fatentur?

Nam S. Hieronymus in Expositione Isaiæ prophetæ ita eloquitur (*in Isai.*, XXIV, 1) : [Et revelabit faciem ejus, ut procedant mortui de sepulcris suis : B sive nudabit eam ut omnia opera ejus proferantur in publicum, et dispergantur habitatores ejus in diversa loca præmiis vel suppliciis destinati.]

† Augustinus in libro de Civitate Dei quinto decimo (cap. 1): [Quas etiam mystice appellamus civitates duas, hoc est duas societates hominum, quarum est una quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera æternum supplicium subire cum diabolo.] † Cernis absque ulla exceptione destinatos præmiis vel suppliciis dici, et latras a contrario debere intelligi, nempe si suppliciis destinati pro non destinatis accipiuntur, procul dubio et præmiis destinati ex æquo pro non destinatis accipiendi sunt. Quod quia absurdissimum est saltem cogitare, incunctanter fatendum est et præmiis et suppliciis C destinatos, remota omni contrarietate, Deo justissimos judice, fide inconcussa libere confitendos.

Quocunque igitur vis modo vel sensu, accipe vel peccata vel pœnas Deum, rationalesque creaturas scire vel prædestinare : nos auctoritate divinorum eloquiorum, et consensu omnium orthodoxorum fatebimur Deum peccata præscisse et scire, judicare atque damnare, pœnasque eorum constituisse, fecisse, creasse, præscisse et prædestinasse, intulisse, irrogasse, misisse, voluisse, decrevisse, parasse, disposuisse, et præparasse, vel ante sæcula in præscientia et prædestinatione, vel in sæculis per loca et tempora opportuna, vel postmodum in æternitate. Porro quod infers :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 15, num. 15, sect. 10.) θ *Non enim Creator punit quæ fecit, nec ab eis naturalia munera tollit.*

CORRECTIO.

† Quam sit veritati adversum liquido patet. Si enim Deus non punit quæ fecit, fallitur ipse qui dicit: *Delebo hominem quem creavi a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli: pœnitet enim me fecisse eos* (*Gen.* VI, 7). Et item : *Finis universæ carnis venit coram me, repleta est terra* (*Ibid.*, 13). Et infra : *Ecce ego adducam diluvii aquas super terram, ut interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est subter cœlum, universa quæ in terra sunt consumentur* (*Ibid.*, 17). Et in Evangelio : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehenna* (*Matth.* X, 28). Et rursus : *Esto consentiens adversario tuo dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcere mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem* (*Matth.* V, 25). Si Deus non punit quæ fecit, quis judicaturus est vivos et mortuos? quis dicturus est impiis : *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus?* (Matth. XXV, 41.) Si, inquam, non punit quæ fecit, cujus vox est interminantis? *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet* (*Deut.* XXXII, 22). Et rursum : *Ego occidam, et ego vivere faciam ; percutiam, et ego sanabo ; et non est qui de manu mea possit eruere. Levabo ad cœlum manum meam, et dicam : Vivo ego in æternum : si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea. Reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam : inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes. De cruore occisorum et de captivitate nudati inimicorum capitis* (*Ibid.*, 39-42). Et alia multa, quæ nequeunt nisi a nolentibus ignorari.

Si Deus ab his quæ fecit naturalia munera non tollit, quid est ut de cæteris sileam, quod tot homines cæcos, surdos, mutos, debiles, claudos, infirmos, pigros hebetesque videmus : adeo ut nihil omnino sensus habere videantur, quos vulgo moriones vocant ? Qui est quod ipse in Evangelio dicit adversus pecuniæ suæ repostorem : *Tollite ab ea mnam, et date illi qui habet decem mnas : omni enim habenti dabitur et abundabit ; ei autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo* (*Luc.* XIX, 24). Et per Isaiam : *Ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo : peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium illius abscondetur* (*Isa.* XXIX, 14).

Quod sanctus Hieronymus ita exponit (*in Isai.*, XXXIX, 14) : [Ut perdat, inquiens, eorum sapientiam qui non receperunt Dei virtutem ; Deique sa- D pientiam et intellectum prudentium abscondat et celet, ne scilicet eum reperiant qui in littera continetur. De hoc loco apostolus Paulus scribens ad Corinthios posuit testimonium : *Perdam sapientiam sapientium et intellectum prudentium reprobabo* (*I Cor.* I, 19) ; aliis verbis eumdem sensum edisserens. Non quod Deus sit inimicus sapientiæ, cujus pater est, et per quam omnis est in hominibus sapientia, sed cum additamento posuit, ut in Hebraico est : *Sapientiam populi et prudentiam illius,* id est populi Judæorum. Et revera grande miraculum Deus fecit in populo post adventum Domini Salvatoris, ut uno atque eodem tempore arderet Jerusalem templumque corrueret et omni *tqu.tgro* [*al.,* omnis magistrorum] scientia tollere-

tur impleto illo quod supra dictum est : *Ecce dominator Dominus sabaoth auferet ab Jerusalem et a Juda validum et validam, omnem fortitudinem panis, et omne robur aquæ; gigantem, et hominem bellatorem, et judicem et prophetam et collectorem* [al., *conjectorem*], *et senem, et quinquagenarium, et admirabilem et consiliarium, et sapientem architectum*, et prudentem auditorem (*Isa.* III, 1, 2), et cætera quæ propheticus sermo contexuit.] † Post interfectionem quippe illius omnes gratiæ et donationes sublatæ sunt Judæis, et secundum quod in Evangelio scriptum est : *Lex et prophetæ usque ad Joannem Baptistam* (*Luc.* XVI, 16). † Hinc ipse Dominus loquitur ad Mosen : *Quis fecit surdum, et mutum, videntem et cæcum? nonne ego?* (*Exod.* IV, 11). Dicens ergo :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 15, num. 16, sect. 10.) Θ *Proinde qui dolet, quid scit, nisi abesse sanitatem? Dolendo igitur non ipsum dolorem, sed ipsam sanitatem novit, quam profecto non nosset, si de illa notionem quamdam non haberet. Recordatio quippe sanitatis in sensibus remanet, ipsa vero in illa substantia quam Deus creavit residet; non enim Creator punit quæ fecit, nec ab eis naturalia munera tollit. Nam si in ipsa natura dolentis quodammodo sanitas non inesset, eam penitus ignoraret, neque ab ejus occulta scientia memoria patientis ipsius absentia formaretur, neque amore præsenti ejus torqueretur.*

CORRECTIO.

† Studes omnem judiciorum Deo potentiam et veritatem abrogare, quibus sæpissime peccatores merito suæ impietatis donis Dei privantur : etiam ipsa sanitas corporis creberrime non solum a peccatoribus, verum etiam a justis subtrahitur, causis nostram infirmitatem latentibus, Deo vero indubitanter patentibus. Et quoties quis infirmatur, vel quocunque languore deprimitur, nunquid inest ei sanitas? Si unquam decubuisses, potuisses agnoscere defuisse tibi sanitatem dicendo cum Propheta salutariter pœnitente : *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum* (*Psal.* XXXVII, 4, 8); et paulo post : *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea* (*Ibid. v.* 8). Et Dominus per prophetam : *Omne caput languidum, et omne cor mœrens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* (*Isa.* I, 6). Nam licet ægrotantibus nobis in memoria nostra sit recordatio sanitatis, quam appetimus et optamus, deesse tamen nobis sanitatem cognoscimus et plurimum dolemus. Ac per hoc non est tunc in natura nostra sanitas, quamvis in memoria recordemur illius : quæ non est animæ nostræ substantia, sed donum divini muneris, collatum nostræ substantiæ.

Unde Augustinus in libro de Civitate Dei quarto decimo (cap. 15) : [Denique ut breviter dicatur, in illius peccati pœna quid inobedientiæ nisi inobedientia retributa est? Nam quæ hominis est alia miseria, nisi adversus eum inobedientia ejus ipsius, ut qui quod voluit potuit [*al.*, ut quoniam noluit quod potuit], quod non potest velit? In paradiso enim etiamsi non omnia poterat ante peccatum, quidquid tamen non poterat, non volebat; et ideo poterat omnia quæ volebat. Nunc vero sicut in ejus stirpe cognoscimus, et divina Scriptura testatur, *homo vanitati similis factus est* (*Psal.* CXLIII, 4). Quis enim enumeret quam multa quæ non potest velit, dum sibi ipse, id est voluntati ejus, ipse animus ejus, eoque inferior caro ejus non obtemperat? Ipso namque invito et animus plerumque turbatur, et caro dolet, et veterascit, et moritur; et quidquid aliud patimur, quod non pateremur inviti, si voluntati nostræ nostra natura omnimodo atque ex omnibus partibus obediret. At enim aliquid caro patitur, quo servire non sinitur. Quid interest unde, dum tamen pro justitia damnantis [*al.*, per justitiam dominantis] Dei, cui subditi servire noluimus, caro nostra nobis, quæ [*al.*, qua nobis] subdita fuerat, non serviendo molesta sit; quamvis nos Deo non serviendo, molesti nobis potuerimus esse, non illi? Neque enim sic ille nostro, ut nos servitio corporis indigemus : et ideo nostra est quod recipimus [*al.*, percipimus], non illius pœna quod fecimus. Dolores porro qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne et ex carne. Quid enim caro per seipsam sine anima vel dolet, vel concupiscit? Sed cum concupiscere caro dicitur vel dolere, aut ipse homo est, sicut disseruimus; aut aliquid animæ quod carnis afficit passio, vel aspera, ut faciat dolorem; vel lenis, ut voluptatem. Sed dolor carnis tantummodo offensio est animæ ex carne, et quædam ab ejus passione dissentio; sicut animæ dolor, quæ tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus quæ nobis nolentibus acciderunt. Sed tristitiam plerumque præcedit metus, qui et ipse in anima est, non in carne. Dolorem autem carnis non præcedit ullus quasi metus carnis, qui ante dolorem in carne sentiatur. Voluptatem vero præcedit appetitus quidam, qui sentitur in carne quasi cupiditas ejus, sicut fames et sitis, et ea quæ in genitalibus usitatius libido nominatur, cum hoc sit generale vocabulum omnis cupiditatis.] † Item subdendo :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 15, num. 17, sect. 10). Θ *Nulla siquidem rationalis natura est, quæ non velit fugere miseriam, et pervenire ab beatitudinem, aut gustata beatitate velit recedere miseramque esse.*

CORRECTIO.

† Cur non attendis diabolum et angelos ejus gustata beatitate voluntarie recessisse, miserosque factos nunquam a miseria velle recedere, neque ad beatitudinem pervenire; maxime dicente Domino ad Job : *Qui factus est ut nullum timeret* (*Job* XLI, 24). Unde beatus Gregorius in Moralibus, libro trigesimo quarto (cap. 17) : [*Factus est* ergo, *ut nullum timeret*. Nullum videlicet, quia nec Deum, sed

neque hoc quod passurus est metuit. Cui felicius A nimirum fuerat timendo vitare supplicia, quam non timendo tolerare; appetitum itaque celsitudinis vertit in rigorem mentis, ut damnatus jam per duritiam se male esse [*al.*, egisse] non sentiat, qui præesse per gloriam quærebat. Nam, quia jus quæsitæ potestatis non obtinuit, quasi quoddam superbiæ suæ remedium insaniam insensibilitatis invenit, et quia profectu transgredi cuncta non potuit, despectu se contra cuncta præparavit.] † In eodem Gregorius (*Ibid.*): Cor ejus indurabitur quasi lapis, cor enim antiqui hostis ut lapis indurabitur. quia nulla unquam conversionis pœnitentia mollietur. † De qua re quia insequentibus multa prosequeris, et nos interim favente Domino respiremus.

CAPUT XVI.

De eo quod nulla natura naturam punit, et nihil aliud esse pœnas peccatorum, nisi peccata eorum.

Sextus decimus phantasiarum tuarum horror a veritate, atque auctoritate Veteris et Novi Testamenti omnimodo convincitur alienus. Ita quippe virus tuæ perfidiæ cuditur.

JOANNES SCOTUS.

(Num. 1. in T.) Θ *De eo quod nulla natura naturam punit, et nihil aliud esse pœnas peccatorum, nisi peccata eorum.*

CORRECTIO.

† Quod Deus puniat peccatores, omnes divinorum eloquiorum paginæ testantur. Negas ergo Deum esse naturam qui punit, et angelos apostatas, atque C homines trangressorum, quos punit. Nam de diabolo per prophetam ad Deum dicitur: *Nunquid non tu percusisti superbum, vulnerasti draconem?* (*Isa.* LI, 9.) Et item: *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos* (*Psal.* LXXXVIII, 11). Et rursum: *Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum* (*Psal.* LXXIII, 14). Peccanti vero homini dictum est utique a Deo: *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III, 17): *Cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos* (*Gen.* IV, 12). *Spinas et tribulos germinabit tibi: In sudore vultus tui comedes panem tuum cunctis diebus vitæ tuæ, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III, 18, 19). D Audis Deum punientem hominemque punitum? et non solum hominem, verum etiam terram in pœnam illius punitam? et negas natura puniri naturam! Item dixit Dominus Deus ad serpentem: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ: Super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* (*Gen.* III, 11). Mulieri quoque dixit: *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* (*Gen.* III, 16). Audis punitum angelum, pariterque feminam; et diffiteris natura puniri naturam!

Annon erat natura Cain, qui primus omnium mortalium invidiæ facibus accensus fratrem suum occidit? Audi qualiter et ipse punitus sit: *Dixitque ad eum Dominus: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: Nunc ergo maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum et suscepit sanginem fratris tui de manu tua: Cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos: vagus et profugus eris super terram. Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea quam ut veniam merear. Ecce ejicies me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me occidet me. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* B *Posuitque Dominus Cain signum, ut non eum interficeret omnis qui invenisset eum (Gen.* IV, 10-15). Item: *Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ et Sellæ: Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum; septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies* (*Gen.* IV, 23, 24). Audis punientes, audis punitos; et audes gannire natura non puniri naturam?

Aut igitur falsum est quod verax Scriptura testatur, et verum erit quod fallax fictio comminiscitur; aut si nullatenus ratio admittit Veritatis Scripturam posse mentiri, sequitur per omnia falsum esse quod tua falsitas adinvenit. Annon est natura, qui dicit: *Delebo hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli. Pœnitet enim me fecisse eos:* Et infra: *Finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra.* Et rursum: *Ecce ego adducam diluvii aquas super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum. Universa, quæ in terra sunt, consumentur* (*Gen.* VI, 7, 13, 17). Et iterum: *Cumque transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram: Ruptique sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt, et factæ sunt pluviæ super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus* (*Gen.* VII, 10, 11, 12). Et infra: *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Consumpta est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram, universi homines, et cuncta in quibus spiraculum vitæ est, in terra mortua sunt. Et delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cœli; et deleta sunt de terra* (*Gen.* VII, 20, 21, 22, 23). Quid manifestius aut certius quæritur? Deus utique natura est incorporea, incommutabilis, omnipotens, sempiterna, creatrix aliarum omnium naturarum, corporalium atque incorporalium, et mutabilium. Ecce verax Scriptura Deum clamat delevisse creaturas hominum, volucrum, bestiarum atque reptilium, quæ quia mentiri nunquam potest,

certissime nos docet credere, et libere confiteri A naturam, punire naturam.

Quæ tamen punitio in quibusdam abolitionem omnimodam, in quibusdam temporariam operatur. Nam animantia rationis expertia omnimode consumi ratio et auctoritas indicant; rationales vero creaturas non omimode, ita ut non sint: verum ita ut juste ac congrue pro modis sibi competentibus ordinatæ atque judicatæ sint quidem per substantiam, sed non sint per misericordiam, quam, in pœnis meritis constitutæ, nunquam consequi merebuntur. Nempe *ignem et sulphur pluit Dominus a Domino, et consumpsit homines et omnia quæ fuerant in Pentapoli* (*Gen*. XIX, 24); in tot plagis a Domino in Ægyptios illatis, semper Dominus facere, et creaturæ Domini voluntatem B exsequentes inducuntur. Num erant naturæ maris Rubri fluenta, quæ Pharaonem et ejus exercitum interfecerunt (*Exod*. XIV, 28)? Non erant naturæ ignis in eremo serpentes, et exterminator, qui tot hominum millia peremerunt? (*Num*. XXI, 6, 7 seq.) Sed quid de Scripturis tanta congeri necesse est? cum facta quotidiana nos doceant nunquam naturam nisi natura puniri. Aut enim ipse Creator naturarum rebelles sibi atque inobedientes naturas rationales nutu omnipotentissimo punit aut aliquando manifesto, aliquando occulto, nunquam tamen injusto judicio naturas creatas a naturis creatis puniri jubet vel sinit.

Nunquid homo hominem interficiens, aut bestia bestiam, vel avis avem, seu ignis ligna, sive fer- C rum, quælibet animantia non sunt naturæ, punientia et punita? Siquidem veneno, boletis nimiaque quorumlibet ciborum edacitate, potusque superflui ebrietate, multos perimi et audivimus et dolemus: de qua re nulla inter catholicos tractatores unquam dissonantia fuit.

Illud vero quod addis *peccatorum pœnas nihil esse aliud quam peccata eorum*. Quomodo nunc peccata pœnas peccatorum enuntias, quæ hactenus nihil esse confirmare molitus es? Quomodo peccata, quæ nihil sunt, pœnæ poterunt esse, quæ, secundum te, similiter nihil sunt? Sed quia pœnas nihil aliud quam conscientiam peccatorum juxta Origenem, vel secundum te solum absentiam beatitudinis vis intelligi, et in sequentibus loquacius D imo fallacius ea exsequeris, locis suis (Christo propitio) de singulis videamus. Sequeris igitur, et dicis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 2, sect. 1.) Θ *In magno itaque æterni ignis ardore nihil aliud sit pœnalis miseria, quam beatæ felicitatis absentia.*

CORRECTIO.

† Ast orthodoxi tractatores non solum aliam pœnam, verum etiam duplicem esse pœnam gehennæ sentiunt auctoritate sanctæ Scripturæ, qua per beatum Job dicitur: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium* (*Job*. XXIV, 19). Quorum sanctus Hieronymus in expositione Evangelii secundum Matthæum (*Cap*. XI, 28.) ita edisserit. [Duplicem autem esse gehennam nimii ignis et frigoris in Job plenissime legimus. † Beda in expositione Parabolarum Salomonis (lib. III, cap. 31 in medio): *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis*: possunt autem frigora nivis etiam tormenta æterna intelligi, quæ igne et frigore mista esse legimus. Cum dicitur: *Ibi fletus et stridor dentium* (*Matth*. VIII, 12), fletum quippe oculis, ignis et fumus, stridorem vero dentibus solet frigus gignere. Unde et beatus Job de pœnis reproborum loquens æternis: *Ad calorem*, inquit, *nimium transeant ab aquis nivium* (*Job*. XXIV, 19).] Sin vero eadem duplex pœna non ad duplicem substantiam aquæ et ignis, sed ad unam, videlicet ignis referenda potius æstimatur, potest, secundum Philippum presbyterum explanatorem beati Job, et ita intelligi, qui de memoratis beati Job verbis ita locutus est (*in Job*, lib. II, c. 24, sub finem).

[Quasi duas gehennas sanctus Job dicere videtur ignis et frigoris, per quas diabolus, hæreticus et homo impius commutetur, cum in Evangelio duplicis hujus pœnæ sibi dissimilis auctoritatem non habeamus. Certum quidem est non minus quam in igne esse adustionis in frigore; sed si gehenna tantummodo ignis est, forte in ipsa talis sensus cruciatuum fiet illis qui in ea torquebuntur, ut nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimii algoris incendium; et pœnalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calorem, quasi de loco ad locum alium transitus æstimetur. Et inde fortassis illud sit quod Dominus ait in Evangelio: *Mittite illum in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium* (*Matth*. XXII, 13); ut hic *stridor dentium* de rigore frigoris oriatur. Ubi et similitudinem quamdam ex nostris corporibus aliquatenus possumus invenire, in quibus, ex fellis rufi abundantia, quod est calidissimum in topicis morbis, intolerabilis rigor præcedit ignem febri ardentissima secuturum. Et dicuntur a medicis hæc duo quæ sibi contraria dignoscuntur, ex una fellis materia in homine procreari.] † Beatus Gregorius in Expositione Job, lib. XII.

[*Et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt* (*Job*. XV, 34): sin vero eorum tabernacula corpora debemus accipere in quibus illorum animæ habitant, ignis eorum tabernacula devorat: quia qui hic in mente ardent igne avaritiæ, illic etiam in carne concremantur ignibus gehennæ.] † Idem in libro XVI (cap. 26): [*Nonne succisa est erectio eorum, et reliquias eorum devorabit* [*al*., devoravit] *ignis* (*Job*. XXII, 20)? Hic namque iniqui erecti sunt quia in pravis actionibus extolluntur, quia et perverse agunt, et tamen pro perversis actibus minime feriuntur: peccant et florent, peccata augent, et terrena bona multiplicant; sed eorum erectio tunc succidetur cum vel a præsenti vita ad interitum, vel a conspectu æterni judicis ad æternum gehennæ incendium pertrahuntur. Quia, etsi hic mortuam suam carnem relinquunt, ipsam quoque

in resurrectione recipiunt, ut cum carne ardeant, in qua peccaverunt. Sicut enim eorum culpa in mente fuit et corpore, ita eorum pœna in anima erit pariter et carne. Quia ergo nec hoc eis erit liberum a tormento, quod hic mortuum relinquunt, recte nunc dicitur: *Reliquias eorum devorabit ignis.*] † In eodem (lib. XV, cap. 30): *Et sicut favilla quam turbo dispergit ante omnipotentis Dei oculos* (*Job.* XXI, 18). Iniqui vita *favilla* est, quia, etsi apparet ad momentum viridis, ab ejus tamen judicio jam consumpta cernitur, quia consumptioni est æternæ deputata, hanc favillam turbo dispergit, quia *Deus manifestus veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 3, 4). [Hujus enim tempestatis turbine ab æterni conspectu judicis iniqui rapiuntur, et qui hic mentem desiderio perverso solidaverunt, ibi paleæ et favillæ videbuntur, quia eos ad æterna supplicia turbo rapiens asportat.] ✠ In eodem (lib. IV, cap. 17).

[*Devorabit eum ignis qui non succenditur* [al. *succendetur* (Job. XX, 26). Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis, qui cum necesse est ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur, nec valet nisi succensus esse et nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis cum sit incorporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur: sed creatus semel, durat inextinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur: *Devorabit eum ignis qui non succenditur.* (*Job.* XX, 26.) Quia Omnipotentis justitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet: sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum vero est quod omnes reprobi, quia ex anima simul et carne peccaverunt, illic in anima pariter et carne cruciantur. Unde per Psalmistam dicitur: *Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos et devorabit eos ignis* (*Psal.* XX, 10). Clibanus namque intrinsecus ardet; is vero qui ab igne devoratur, ab exteriori incipit parte concremari. Ut ergo sacra eloquia ardere et exterius et interius reprobos demonstrarent, eos et ab igne devorari, et sicut clibanum poni testantur, ut per ignem crucientur in corpore, et per dolorem ardeant in mente. Unde hic quoque, cum de hoc impio diceretur *devorabit eum ignis qui non succenditur*, protinus de ejus spiritu additur:

Affligitur [al., *affligetur*] *relictus in tabernaculo suo;* iniqui enim tabernaculum caro est (*Job.* XVIII), quia ipsam lætus inhabitat, et, si sit possibile, optat, ut eam nunquam relinquat, justi vero, quia gaudium suum in spe cœlestium ponunt, *eorumque conversatio in cœlis est* (*Phil.* III, 20), et cum adhuc in carne sunt, quasi in carne jam non sunt, quia nulla carnis delectatione pascuntur. Unde quibusdam dicitur: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 9). Neque enim in carne non erant, qui per magistri Epistolas exhortationis eloquia suscipiebant; sed quasi jam non in carne esse est, de amore carnalium nihil habere. At contra iniquus iste, quia omne gaudium suum in carnali vita posuit, in tabernaculo carnis habitavit; quam videlicet carnem cum in resurrectione receperit, cum ea gehennæ ignibus traditus ardebit, tunc ab ea educi appetit, tunc ejus tormenta evadere, si valeat, quærit, tunc incipit velle vitare quod amavit: sed quia eamdem carnem Deo præposuit, judicante Deo agitur ut ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, et tamen ab ea abstrahitur. Illic eam relinquere appetit, et tamen in ea propter supplicia servatur. Ad augmentum itaque tormenti et hic de corpore nolens educitur, et illic in corpore tenetur invitus. Quia ergo ejus spiritus carnem, quam sibi male amando præposuit, evadere in tormento volet, et non valet, recte nunc dicitur: affligetur relictus in tabernaculo suo.] † Idem in libro nono (cap. 38).

[*Antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine* (*Job.* X, 21). Quid enim terræ tenebrosæ nomine nisi terra tartari claustra signantur, quæ æternæ mortis caligo operit? quia damnatos quosque in perpetuum a vita lucis [*al.*, vita luce] disjungit: nec immerito infernus terra dicitur, quia quiqui [*al.*, quicunque] ab eo capti fuerint stabiliter tenentur. Scriptum quippe est: *Generatio præterit, et generatio advenit, terra vero in æternum stat.* Recte igitur inferni claustra tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna transitoria vel fantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetuæ damnationis servant. Quæ aliquando tamen loci appellatione signantur, propheta attestante, qui ait: *Portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum* (*Ezech.* XXVI, 20). Infernus ergo et terra nominatur quia susceptos stabiliter tenet, et lacus dicitur quia hos quos semel ceperit, semper fluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet. Sanctus autem vir sive sua seu humani generis voce dimitti se postulat, *antequam vadat;* non quia ad terram tenebrosam qui culpam deflecturus est, sed quia ad hanc procul dubio qui plangere neglexit [*al.*, negligit], vadit. Sicut debitori suo creditor dicit: Solve debitum priusquam pro debito constringaris: qui tamen non constringitur, si quod debet solvere non moratur. Ubi et recte subditur: *Non revertar;* quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat: quæ adhuc subtilius loca describuntur. Cum dicitur *terra miseriæ et tenebrarum*, miseria ad dolorem pertinet, et tenebræ ad cæcitatem. Ea ergo quæ a conspectu districti judicis expulsos tenet miseriæ et tenebrarum terra perhibetur, quia foris dolor cruciat quos divisos a vero lumine intus cæcitas obscurat; quamvis miseriæ et tenebrarum terra in-

telligi et aliter potest. Nam hæc quoque terra in qua nascimur, est quidem miseriæ, sed tenebrarum non est, quia multa hic corruptionis nostræ mala patimur, sed tamen adhuc in ea per conversionis gratiam ad lucem redimus veritate suadente, quæ ait: *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant* (*Joan.* xii, 35). Illa vero simul *miseriæ et tenebrarum* terra est, quia quisquis ad toleranda ejus mala descenderit, nequaquam ulterius ad lucem redit. In cujus adhuc descriptione subjungitur: *Ubi umbra mortis, et nullus ordo* (*Job.* x, 22): Sicut mors exterior ab anima dividit carnem, ita mors inferior a Deo separat animam. Umbra ergo mortis est obscuritas visionis [*al.*, divisionis], quia damnatus quisque cum æterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura vero ignis est, ut ex seipso et lucem exhibeat, ut concremationem, sed transactorum illa ultrix flamma vitiorum concremationem habet et lucem non habet. Hinc est enim quod reprobis Veritas dicit: *Discedite a me, maledicti. in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41); quorum rursus omnium corpus in unius persona significans, dicit: *Ligate ei manus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* xxii, 13). Si itaque ignis qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur. Hinc etiam Psalmista ait: *Super eos cecidit ignis, et non viderunt solem* (*Psal.* lvii, 9): ignis enim super impios cadit, sol igne cadente non cernitur: quia quo illos gehennæ flamma devorat, a visione veri luminis cæcat, ut ex foris eos dolor combustionis cruciet, et intus pœna cæcitatis obscuret. Quatenus qui auctori suo corpore et corde deliquerunt, simul corpore et corde puniantur, et utrobique pœnas sentiant qui dum hic viverent pravis suis delectationibus ex utroque serviebant. Unde bene per prophetam dicitur: *Descenderunt in infernum cum armis suis* (*Ezech.* xxxii, 27), Arma quippe peccantium sunt membra corporis quibus perversa desideria quæ concipiunt exsequuntur. Unde recte per Paulum dicitur: *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Rom.* vi, 13): cum armis ergo ad infernum descendere est, cum ipsis quoque membris, quibus desideria voluptatis expleverunt, æterni judicii tormenta tolerare. Ut cunctos [*al.*, tunc eos] undique dolor absorbeat, qui nunc, suis delectationibus subditi, undique contra justitiam juste judicantis pugnant.

Mirum vero est valde quod dicitur: *Ubi nullus ordo* (*Rom.* xxxix, 22). Neque enim omnipotens Deus, qui mala bene punit, inordinata esse nullo modo vel tormenta permittit, quia ipsa quoque supplicia quæ ex lance justitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt; quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque juxta modum criminis retributio sequitur ultionis? Hinc quippe scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio* (*Sap.* vi, 7, 9). Hinc in Babylonis damnatione dicitur: *Quantum exaltavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormenta et luctum* (*Apoc*, xviii, 7). Si igitur juxta modum culpæ pœna distinguitur, constat nimirum quod in suppliciis ordo servatur; et nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam judex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet: *Colligite primum zizania, et ligate ea in fasciculos ad comburendum* (*Matth.* xiii, 30). Si enim nullus in suppliciis ordo servabitur, cur comburenda zizania in fasciculis ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare est, hos qui æterno igni tradendi sunt pares paribus sociare, ut quos similis culpa inquinat par etiam pœna constringat, et qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur: quatenus simul damnatio conterat quos simul elatio sublevabat; quosque non dissimiliter dilatavit ambitio, non dissimilis afflictio angustet, et par cruciet flamma supplicii quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. Sicut enim *in domo patris mansiones multæ sunt* (*Joan.* xiv, 2) pro diversitate virtutis sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis; quæ scilicet gehenna quamvis cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam, sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus, quia juxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris, sic damnatos et una est gehenna, quæ afficit, et tamen non una omnes qualitate comburit; quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum, Quomodo ergo nullus inesse ordo supplicii dicitur in quibus profecto quisque juxta modum culpæ cruciatur? Sed sanctus vir, postquam umbram mortis intulit, quanta sit confusio in damnatorum mente subjungit: *Et nullus ordo*, Quia ipsa quoque supplicia quæ ordinata sunt, ordinata procul dubio in corde morientium non sunt. Ut enim paulo superius diximus, dum damnatus quisque foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne devoratur. Atque in dolore positus, exterius interiusque confunditur, ut sua dexterius confusione crucietur. Repulsis ergo ordo in supplicio non erit, quia in eorum morte atrocius ipsa confusio mentis sævit, quam tamen mira potentia judicantis æquitas ordinat ut pœna animum [*al.*, animam] quasi inordinate [*al.*, inordinata] confundat. Vel certe abesse ordo suppliciis dicitur quia, quibuslibet rebus in pœnam surgentibus, propria qualitas non servatur; unde et protinus subinfertur: *Et sempiternus horror inhabitans* [*al.*, *inhabitat*] (*Job.* x, 22), in hujus vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet. Quia nequaquam mentem metus cruciat cum pati jam cœperit quod metuebat; infernum vero et umbra mortis obscurat, *et sempiternus horror inhabitat,* quia ejus ignibus traditi, et in suppliciis dolorem sentiunt, et in doloris angustia pulsante se semper pavore feriuntur, ut et quod timent tolerent, et rursus quod tole-

rant, sine cessatione pertimescant. De his etenim scriptum est: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* LXVI, 24); hinc flamma, quæ succendit illuminat, illinc, (ut superius verba Psalmistæ [*Ps.* XXXVII, 9] edocuimus) ignis qui cruciat, obscurat. Hinc metus amittitur, cum tolerari jam cœperit quod timebatur: illinc et dolor dilaniat, et pavor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate; sic, sic videlicet a damnatis sentiri pondus summæ æquitatis debet. Ut quia a voluntate Conditoris nequaquam sunt veriti discrepare dum viverent, in eorum quandoque interitu ipsa a suis qualitatibus etiam tormenta discordent; quatenus quo se impugnant, cruciatus augeant, et cum varie prodeunt, multipliciter sentiantur. Quæ tamen supplicia in se diversos,et ultra vires cruciant, et in eis vitæ subsidium exstinguentes [*al.*, exstinguendo] servant,ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus vivat; quia et ad finem per tormenta properat, et sine fine deficiens durat. Sic [*al.*, sit] ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia et mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit. Quia igitur et mors perimit, sed non exstinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras decutit [*al.*, discutit]: quantum per notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent: quamvis illic ignis et ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quosque [*al.*, quoque] suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt,quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverant, ipsorum quoque eos interitus in augmento [*al.*, augmentum] suæ damnationis affligat. Quod profecto Evangelio teste colligimus, in quo, Veritate nuntiante, dives ille, quem contigit ad æterni incendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse (*Luc.* XVI, 27, 28); qui Abraham petiit ut ad eorum eruditionem eum mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit, constat procul dubio quia eos ad argumentum supplicii paulo post potuit etiam præsentes videre. Quid autem [*al.*, ergo ei] mirum si secum quoque reprobos aspiciat cremari, qui, ad doloris sui cumulum, cum quem despexerat, in sinu Abrahæ Lazarum vidit? Si ei, cui ut pœna cresceret, et vir electus apparuit, cur non credendum sit quod videre in supplicio eos etiam quos contra Deum dilexerat possit? qua ex re colligitur quod eos quos inordinate nunc reprobi diligunt, miro judicii ordine secum tunc in tormentis videbunt, ut pœnam propriæ punitionis exaggeret illa Auctori præposita carnalis cognatio, pari ante oculos ultione damnata. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat, credendum est quia lumen ad

A tormentum servat, quod si approbare testimoniis in sua expressione non possumus,superest ut e diverso doceamus. Tres quippe Hebrææ gentis pueri per Chaldæi regis imperium, succensis camini ignibus, ligatis manibus pedibusque,projecti sunt, quos tamen,cum idem rex in camini incendio miseratus exploraret, *illæsis vestibus deambulantes vidit* (*Dan.* III, 22, 24, 50 seq., 92). Ubi aperte colligitur quia, mira dispensatione [*al.*, dispositione] Conditoris, ignis qualitas in diversa virtute temperata, et vestimenta non attigit, et vincula succendit, sanctisque viris et ad inferendum tormentum flamma friguit, et ad solutionis ministerium exarsit. Sicut ergo electis ignis ardere novit ad solatium, et tamen ardere ad supplicium nescit, ita e
B diverso gehennæ flamma reprobis et nequaquam lucet ad consolationis gratiam, et tamen lucet ad pœnam.Ut damnatorum oculis ignis supplicii et nulla claritate candeat, et, ad doloris cumulum,dilecti qualiter crucientur ostendat. Quid autem mirum, si gehennæ ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis et luminis, quando experimento novimus, quia et tædarum flamma lucet obscura? Tunc edax flamma comburit quos nunc carnalis delectatio polluit; tunc infinite patens inferni barathrum devorat quos nunc inanis elatio exaltat; atque qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleverunt,tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perveniunt.Et, quamvis angelorum atque hominum longe sit natura dissimilis,
C una tamen pœna implicat quos unus in crimine reatus ligat: quod bene ac breviter insinuat propheta qui ait: *Ibi Assur, et omnis multitudo ejus et in circuitu ejus sepulcra illius* (*Ezech.* XXII, 12). Quis namque Assur, superbi regis nomine, nisi ille per elationem cadens antiquus hostis exprimitur, qui, pro eo quod multos ad culpam pertrahit,cum cuncta sua multitudine ad inferni claustra descendit? Sepulcra autem mortuos tegunt. Et quis alius mortem acrius pertulit quam is qui, conditionem suam despiciens, vitam reliquit? Quem videlicet mortuum cum humana corda suscipiunt,ejus procul dubio sepulcra fiunt [*al.*, sunt]. *Sed in circuitu illius sepulcra ejus sunt*, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmo-
D dum per tormenta conjungit. Et quoniam nunc in semetipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulcra eorum cum mortuis ardebunt.]

† Cur autem incredibile sit illic jam in æternum damnatos fore miseros, cum in hac vita adhuc sub spe pœnitentiæ degentes multis miseriis contingat involvi? De quibus beatus Gregorius, in libro Moralium XX (cap. 15), ita disserit: [*Squalentes calamitate et miseria* (*Job* XXX, 3). Ægra namque caro si studiose curari negligitur, squalore desuper ducto in infirmitate deterius gravatur, et, dum calamitati ægritudinis negligentiæ miseria additur, gravior molestia oborto [*al.*, oborta] squalore toleratur. Natura igitur humana bene condita, sed ad infirmitatem

vitio propriæ voluntatis lapsa, in calamitatem cecidit, quia pressa innumeris necessitatibus, nihil in hac vita nisi unde affligeretur invenit; sed cum eisdem naturæ nostræ necessitatibus plerumque, plusquam expedit, deseruimus, mentisque curam negligimus, ex miseria negligentiæ infirmitati nostræ addimus squalorem culpæ. Necessitates namque naturales hoc habere valde periculosum solent, quod sæpe in eis minime discernitur quid circa illas per utilitatis studium, et quid per voluptatis vitium agatur. Crebro enim, occasione seductionis inventa, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, et infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, ac quasi sub patrocinio explendæ voluptatis occultat; infirmitatem vero naturæ nostræ per negligentiam B relaxare, nihil est aliud quam calamitati miseriam addere, ad vitiorum squalorem ex eadem miseria multiplicare. Unde sancti viri in omne quod agunt, studiosissima intentione discernunt ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas quam sibi debetur exigat, ne sub necessitatis tegmine in eis vitium voluptatis excrescat. Aliud enim ex infirmitate, aliud ex tentationis suggestione sustinent; et, quasi quidam rectissimi arbitri inter necessitatem voluptatemque constituti, hanc consulendo [*al.*, consolando] sublevant, illam premendo frenant. Unde fit ut et infirmitatis suæ calamitatem tolerent, et tamen ad squalorem miseriæ per negligentiam non descendant. Hoc ipsum enim esse in calamitate est, necessitates naturæ ex carnis adhuc corruptibilis infirmitate sustinere; quas videlicet necessitates cupiebat evadere, qui dicebat: *De necessitatibus meis eripe me* (*Ps.* XXIV, 17). Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere, et, ne quid sponte illicitum admitteret, hoc ipsum satagebat evelli quod nolens ex radice tolerabat. At contra pravi gaudent in his corruptionis suæ necessitatibus, quia nimirum eas ad usum voluptatum retorquent. Cum enim reficiendis cibo corporibus naturæ serviunt per delectationem gulæ in voluptatis ingluvie distenduntur; cum tegendis membris vestimenta quærunt, non solum quæ tegant, sed etiam quæ per mollitiem delectent; non solum quæ per mollitiem tactum mulceant, sed etiam per colorem oculos seducant [*al.*, sed etiam quæ extollant, expetunt, et contra torporem frigoris non solum quæ per pinguedinem muniant]. Necessitatis igitur causam in usum voluptatis vertere, quid est aliud quam calamitati suæ squalorem miseriæ sociare? Pressa itaque tempore adversitatis Ecclesia reminiscatur eorum ex quorum merito talia sustinet, et dicat: *Qui rodebant in solitudine squalentes calamitate et miseria* (*Job.* XXX, 3), *calamitate* scilicet non squalerent si insitis [*al.*, in istis] necessitatibus voluptatum miseriam non superadderent, quas videlicet necessitates ex parentis primi culpa meruimus.]

† Post hæc addis blasphemias, et mala pejoribus aggeras, qui contra omnium opiniones felicitatem A in inferno damnatis attribuis, et a miseris miseriam demis. Dicis enim:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 3, sect. 1.) Θ *In qua tam nullus erit qui non habeat insitam sibi naturaliter absentis beatitudinis notionem ejusque desiderium, ut eo maxime torqueatur quo ardenter appetat, quod justum Dei judicium comprehendere non sinat; qui procul dubio appetitus in misero non esset, si penitus quod appetit non haberet. Occultissimo itaque verissimoque modo in profundissima suppliciorum miseria damnati habebunt felicitatem, et non habebunt eam; habebunt quidem quamdam notionem ad ejus memoriam; vultum vero ejus in fructum contemplationis non habebunt. Quam profecto felicitatis notionem, miseri, ut diximus, non haberent in sua memoria, si non aliqua ejus scientia fieret in sua natura. Sicut autem nullus extra se veritatis habet notionem, ita et ejus scientiam: veritas et felicitas. Nullus ergo extra naturam suam, felicitatis et notionem et scientiam habiturus sit. In miserorum itaque natura erit veritas, erit igitur felicitas. Ast quomodo illa natura misera erit, cui felicitas inerit, quæ est veritas. Quid si nulla natura fuerit punita? nunquid erit misera? Non video: quo enim causa aliqua natura erit misera, nisi fuerit punita? Itaque si nulla natura puniri potest, nulla natura misera erit. Quis autem non crediderit omnem naturam aut Deum esse, aut ab eo factam* ? (cap. 13, num. 4, sect. 1.) *Naturam creatricem miseriæ esse capacem dementis-* C *simum est suspicari. Creatrix autem natura quali justitia punitura sit naturas quas ipsa creavit, non invenio. Nulla dehinc natura punietur; non punita non erit misera.*

CORRECTIO.

† O disputationem vanissimam! o dogma pestiferum! o vanitatem venenis lethalibus oblitam! nempe paulo ante dixeras *quod in magno æterni ignis ardore nihil aliud esset pœnalis miseria quam felicitatis absentia.* Nunc autem eo usque disputatio tua producta est ut auferres miseriam, quam prius dederas, et dares felicitatem, quam prius abstuleras. Tantis itaque contrarietatibus te D ipsum impedis, ut, labyrinthum ingressus, quia filum rectricis gratiæ non quæris, qua elabi valeas minime invenias. Quid igitur? Nunquid cæcatus quispiam ideo non carebit oculis, quia notionem habitorum quondam oculorum adhuc in memoria retinet? nunquid claudus ideo rectis pedibus erit, quia vel se unquam fuisse rectum meminit, vel esse desiderat, vel alios rectos incedere conspicatur? Nunquid paralyticus, omni membrorum officio destitutus, ideo erit sanus et validus, quia inest ejus memoriæ desiderium atque scientia sanitatis? Et, ne multa replicem, nunquid peccator quilibet ideo non erit peccator vel impius, quoniam justitiæ et pietatis notionem in memoria recolit? aut e contrario justus et pius idcirco non erit justus et pius, quia injustitiæ et impietatis, quæ pe-

nitus adversantur, vel cavendo vel alios prohibendo meminerunt?

Quod enim scientia beatitudinis illic damnatis desit testatur Salomon qui ait : *Quodcunque potest manus tua facere,instanter operare,quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas (Eccl.* IX, 10.) Quod quia veritati et rationi omnino constat adversum, fatendum est, auctoritate divinorum eloquiorum, in supplicio positos et miseros esse et æterna miseriæ addictos : præsertim cum, sicut supra posuimus, beatus Job, loca pœnasque gehennæ describens, dixerit : *Antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans* [al., *inhabitat.*] (*Job* X, 21). Audis *terram miseriæ et tenebrarum*, et audes damnatorum negare miseriam. Audis *ubi sempiternus horror inhabitat,* et felicitatem miseris polliceris. Nunquid *dives* ille in *inferno sepultus* petens inaniter digito Lazari in requie quiescentis refrigerari linguam suam, ideo beatus erit quia beatitudinem sinus Abrahæ non solum mente volvebat, verum etiam oculis prospectabat? (*Luc.* XVI, 19, etc.) Atqui aliud multo verba respondentis Abrahæ insinuant, qui dixit : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* XVI, 25). Ecce cruciatus : ubi felicitas? Sicut ergo non ideo vel Abraham vel Lazarus dicendi sunt miseri quia miseriam divitis et intuebantur, et sciebant, ita nec dives felix beatusve fuit quia videbat a longe et meminerat beatitudinem in requie positorum ; dicente Scriptura : *Quoniam non est in morte qui memor sit tui*: *in inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6)? Et item : *Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditionem? nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis* (*Psal.* LXXXVII, 12, 13.)

Unde Cassiodorus in psal. LIV. [Tu vero, Deus, *deduces eos in puteum interitus* (*Ps.* LIV 24), quia dixit de justis,nunc dicit de impiis qui in gehennæ profunditate mergendi sunt. *Puteus* quidem dicitur hiatus patens in terræ sinibus excavatus, aquas continens humanis usibus attributas : sed,ne hunc puteum ut talem intelligere potuisses,addidit *interitus;* de quo alio loco legitur : *Neque aperiat super me puteus os suum* (*Ps.* LXVII, 16); fovea mortalis, mersura terribilis,ubi nec spatium ullum conceditur, nec ipsa miseris respiramenta præstantur,sed obscuritas tenebrosa circumdans, amœni luminis tollet aspectum ; ex putei siquidem similitudine gehennæ tormenta nos admonet formidare.] † Augustinus in psalmo VI : [Confessus in inferno ille *dives* de quo Dominus dixit : *Qui Lazarum vidit in requie, se autem in tormentis dolebat* (*Luc.* XVI,24) ; usque adeo confessus ut etiam moveri suos vellet ut se a peccatis cohiberent propter pœnas, quæ apud inferos esse non creduntur. Quamvis ergo frustra confessus est, tamen merito sibi illa accidisse tormenta, quando etiam suos ne in hæc inciderent doceri cupiebat. Quid ergo est, *in inferno autem quis confitebitur tibi* (*Ps.* VI, 6)? an infernum vult intelligi, quo post judicium præcipitabuntur impii, ubi jam propter profundiores tenebras, nullam Dei lucem videbunt, cui aliquid confiteantur?]

† Si enim adest illis felicitas, et abest miseria, procul dubio adest eis Dei memoria atque confessio; certum est autem nullam esse beatitudinem præter Deum. Si igitur sententia districti examinis tollentur impii, ne videant gloriam Dei, profecto nulla beatitudo vel felicitas inerit quibus tollitur copia visionis Dei. Porro certum est in hac adhuc vita positos miseros dici, testante illo prophetico pœnitente, et salubriter suam miseriam deplorante : *Miser factus sum et curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar* (*Ps.* XXXVII, 7); et Apostolo : *Miser vel infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus*? (*Rom.* VII, 24,) quibus concinit etiam Jacobus apostolus dicens : *Miseri estote et lugete* (*Jac.* IV, 9). Si, inquam, hi de quibus, quandiu hic vivitur, non est desperandum quin per salubrem pœnitudinem beatitudinis gaudia nanciscantur,vocantur miseri,quis ambigat irrecuperabiliter miseros, quorum tam certa est perditio quam in eos districti judicis fixa sententia? Legimus (dicente Domino) : *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber* (*Ps.* XXXVII, 5). Quod cum ille solus veraciter dicere potuerit, qui eadem veritatis regula solus dicere potuit : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (Joan.* XIV, 30). Liquet nimirum æternæ miseriæ esse mancipatos, quibus libertatis nihil relinquitur.At quæ felicitas absque libertate? Constat quippe felicitatem absque libertate infelicitatem potius deputari, veluti de Antichristo filio iniquitatis, Salomonis parabolæ tanto ante prædixerunt : *Quod sit incessurus feliciter.* Cui, quemadmodum et omnibus membris ejus transitoria felicitate pollentibus atque gaudentibus, beatitudo veræ sempiternæque felicitatis nunquam aderit, quamvis fenea felicitas (*Prov.* XXX, 29) eo usque arriserit, donec *se supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur superbus erexerit* (*II Thess.* II, 4). De quo legitur : *Quem Dominus Jesus interficit spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (*Ibid.*,8). Audis interfectum, audis destructum, et interfecto atque destructo felicitatem attribuis. Sine dubio qui interficitur atque destruitur, libertate et felicitate carens punitur; esse autem eum naturam creatam,quia hominem (quamvis plenum diabolo) nullus ignorat ; punitur ergo natura cum interficitur homo peccati; de cujus membris propheta intentans clamat : *Injusti punientur et semen impiorum peribit* (*Ps.* XXXVI,28). Et Dominus ad Cain : *Omnis qui occiderit Cain septuplum punietur.*Quod omni meritarum pœnarum ultione damnabitur. Quia ergo non dubitatur puniri naturas, nequaquam debet ambigi peccatrices, et prius peccato et postmodum pœna fieri miseras.

Proinde quod dicis te non invenire quali justitia creatrix natura punitura sit naturas quas ipsa creavit (cap. 6, num. 16, sect. 1), nunquid non legisti justissimum Deum causa inobedientiæ primos nostri generis propagatores punisse? (*Gen.* III, 16, 17.) Nam consultis Domini eosdem increpantis verbis, quibus benignissima patientia eorumdem pœnitudinem quærebat, qua justitia puniti fuerint ostenditur. *Et vocavit* (ait Scriptura) *Dominus Deus Adam, et dixit illi: Ubi es? Respondit Adam: Vocem tuam audivi in Paradiso, et timui quia nudus sum, et abscondi me* (*Gen.* III, 10). Hinc Augustinus in libro undecimo de Genesi ad litteram (cap. 34). [Satis, inquit, probabile est solere Deum per creaturam tali actioni congruam in forma humana primis illis hominibus apparere, quos tamen nunquam permisit advertere nuditatem suam, eorum intentionem in superna sustollens: nisi cum, post peccatum, pudendum in membris motum pœnali membrorum lege sensissent. Sic ergo affecti sunt ut solent affici homines sub oculis hominum. Et talis affectio de peccati pœna erat, eum latere velle quem latere nihil potest, et ab eo carnem occultare qui cordis inspector est. Sed quid mirum si superbe [*al.*, superbi] volentes esse sicut dii, *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*? (*Rom.* I, 21). Se quippe *dixerunt esse sapientes* in abundantia sua, et, illo avertente faciem, *stulti facti sunt* (*Ibid.*, 22), quod enim jam ipsos pudebat erga seipsos, unde sibi et succinctoria fecerant, multo vehementius ab illo etiam sic succincti videri videbantur, qui, tanquam familiari temperamento, ad eos videndos per creaturam visibilem velut humanos occulos afferebat. Si enim propterea sic apparebat ut homines tanquam cum homine loquerentur, quemadmodum Abraham ad quercum Mambre (*Gen.* XVIII, 1), illa ipsa prope amicitia pudore onerabat post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum; nec jam illam nuditatem audebant ostendere talibus oculis, quæ displicebat et suis.

Dominus ergo volens jam peccatores, more justitiæ interrogatos, punire amplius quam erat illa pœna de qua jam cogebantur erubescere: *Quis nuntiavit*, inquit, *tibi quia nudus es, nisi a ligno quod præceperam tibi tantum ne ex eo manducares, ab eo edisti?* (*Gen.* III, 11.) Hinc enim mors concepta propter Dei sententiam qui sic fuerat comminatus, fecit adverti concupiscentialiter membra ubi [*al.*, et ibi] dicti sunt *aperti oculi*. Et secutum est quod puderet [*al.*, puderent]; *Et dixit Adam: Mulier quam dedisti mecum, hæc mihi dedit a ligno, et edi* (*Gen.* LXXVII, 12). Superbia nunquid dixit: Peccavi? Superbia habet deformitatem confusionis, et non habet confessionis humilitatem. Ad hoc ista conscripta sunt quia et ipsæ interrogationes nimirum ad hoc factæ sunt ut et veraciter et utiliter scriberentur; quia si mendaciter, non utique utiliter. Ut advertamus quo morbo superbiæ laborent homines hodie, non nisi in Creatorem conantes referre si quid egerint mali,

A cum sibi velint tribui si quid egerint boni: *Mulier* inquit, *quam dedisti mecum*, id est quam dedisti ut esset mecum, hæc *mihi dedit a ligno et edi* (*Ibid.*, 12): quasi ad hoc data sit ut non ipsa potius obediret viro, et ambo Deo. *Et dixit Dominus Deus mulieri: quid hoc fecisti? Et dixit mulier: Serpens seduxit me, et manducavi* (*Ibid.*, 13). Nec ista confitetur peccatum, sed in alterum refert, impari sexu, pari fastu. Ex his tamen natus est, nec eos imitatus est, sed tamen [*al.*, plane] pluribus malis exercitus [*al.*, exercitatus] qui dixit [*al.*, dicit] et dicit usque ad terminum sæculi: *Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Ps.* XL, 5). Quanto melius sic et isti? sed adhuc cervices peccatorum non B conciderat Dominus (*Ps.* CXXVIII, 4), restabant labores, dolores, mortes [*al.*, mortis], et omnis contritio sæculi, et gratia Dei, qua [*al.*, quia] tempore opportuno subvenit hominibus, quos afflictos docuit non de seipsis debere præsumere. *Serpens*, inquit, *seduxit me, et manducavi*; quasi cujusquam suasio præcepto Dei debuerit anteponi!

Et dixit Dominus Deus serpenti: Quia fecisti tu hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis quæ sunt super terram. Super pectus tuum, et ventrem tuum ambulabis, et terram edes diebus [al., *omnes dies*] *vitæ tuæ (Gen.* III. 14). *et inimicitias ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et semen ejus.* Ipsa tibi servabit caput, et tu servabis ejus calcaneum (*Ibid.*, 15). C Tota ista sententia figurata est, nec aliud [*al.*, aliquid] ei debet scriptoris fides narrationisque veritas, nisi ne illam dictam fuisse dubitemus. Quod enim positum est: *Et dixit Dominus Deus serpenti*, verba sola scribentis sunt; hæc exigenda sunt per proprietatem. Hoc ergo verum [*al.*, vere] est dictum esse serpenti (*Gen.* III, 14), jam certa verba Dei sunt, quæ libero lectoris intellectui relinquuntur, utrum proprie an figurate accipi debeant, sicut in exordio voluminis hujus nostri prælocuti sumus. Proinde quod serpens cur hoc fecerit non est interrogatus, potest videri quod non ipse utique id sua [*al.*, in sua] natura, et voluntate fecerat, sed diabolus de illo et per illum et in illo fuerat operatus, quia jam, ex peccato impietatis ac superbiæ suæ, igni destinatus fuerat sempiterno. Nunc D ergo quod serpenti dicitur, et ad eum qui per serpentem operatus est, utique refertur procul dubio figuratum est; nam in his verbis tentator ille describitur, qualis generi humano futurus esset quod genus humanum propagari tunc cæpit quando hæc in diabolum est, tanquam in serpentem, prolata sententia, etc.

Et *mulieri dixit: Multiplicans multiplicabo tristitias tuas et genitum tuum; in tristitiis paries filios, et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur* (*Gen.* III, 16). Hæc quoque in mulierem Dei verba figurate ac prophetice multo commodius intelliguntur. Verumtamen, quia nondum pepererat femina, nec dolor et gemitus parientis, nisi ex corpore mortis est quæ illa præcepti transgressione

concepta est; animalibus quidem etiam tunc membris, et alio quodam peccasset, non utique morituris, et alio quodam statu feliciore victuris, donec post vitam bene gestam in melius mutari mererentur, sicut supra pluribus locis insinuavimus. Refertur hæc pœna et ad proprietatem litteræ. Nisi quia id quod dictum est : *Et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur*, videndum est quomodo proprie possit accipi : Neque enim et ante peccatum aliter factam [*al.*, factum] fuisse decet credere mulierem nisi ut vir ei dominaretur, et ad eum ipsa serviendo converteretur ; sed recte accipi potest hanc servitutem significatam quæ cujusdam conditionis est potius quam dilectionis ; ut etiam ipsa satis servitus qua homines hominibus postea servi esse cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta. Dixit quidem Apostolus : *Per charitatem servite invicem* (*Gal.* v, 13), sed nequaquam diceret, invicem dominamini. Possunt itaque conjuges per charitatem servire invicem, sed mulierem Apostolus non permittit dominari in virum (*I Tim.* II, 12) : hoc enim viro potius sententia Dei detulit, et maritum habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa : quod tamen nisi servetur, depravabitur amplius natura, et augebitur culpa.

Dixit ergo et ad virum ejus : *Quia audisti vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno, de quo præceperam tibi de eo solo non edere, maledicta terra in operibus tuis ; in tristitiis edes illam omnes dies vitæ tuæ, spinas et tribulos edet* [al., *germinabit*] *tibi et edes fenum agri. In sudore faciei tuæ edes panem tuum, donec convertaris in terram, ex qua sumptus es, quia terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 13, 18, 19). [Hoc esse in terra labores humani generis quis ignorat ? Et quia non essent, si felicitas quæ in paradiso fuerat teneretur non est utique dubitandum, ac per hoc etiam proprie verba hæc primitus accipere ne pigeat.

† Hæc est incunctanter justitia, qua natura summe sempiterneque bona et justa punit naturam superbientem, suique Factoris imperium contumaciter transgredientem : quæ punitio bifariam dividitur, et nunc, in absolutione animæ a suo corpore, comparata hujus primæ prævaricationis merito, quod ab ipsa radice in omne posteritatis ejus genus transfusum atque innatum est, et postmodum in gehenna, quæ tam hujus quam aliorum multiplicitate criminum libidinoas perverssitate contractorum, acquisita est, dicente Salomone : *Et cuncta quæ fiunt adduces, Deus, in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum sit* (*Eccli.* XII, 14). Et item : *Lætare*, ergo *juvenis in adolescientia tua, et in bono sit cor tuum, in diebus juventutis tuæ : et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum, et scito quod pro omnibus his adducet te Dominus in judicium* (*Eccli.* XI, 9). Si nulla natura punietur, quare, quæso, judicium celebrabitur ? Nam si non impii in eo puniendi sunt, qua ratione judicium agitandum sit, prorsus ignoro · an propter justos tantum, ut præmia recipiant quæ merentur ? Quis hoc vel demens dixerit ? Omnes paginæ divinorum eloquiorum ad hoc diem judicii præstitutum prædicant, *ut in eo recipiat unusquisque*, tam justus videlicet quam injustus, *prout gessit, sive bonum sive malum* (*II Cor.* v, 10). Et hæc fides est catholica, quia vera atque sincera. Quia ergo certum est futurum esse judicium, et in eo retribui unicuique, tam pio quam impio, quod meretur, nihilominus certum est sicut bonos affici præmiis, ita malos addici tormentis. Atqui torquebuntur pœnis interminabilibus addicti ; punientur ergo, quoniam non est aliud punire quam pœnis vel transitoriis vel æternis afficere. Justum est igitur ut creatrix natura puniat prævaricatricem naturam, quæ voluntati rectissimæ auctoris sui præposuit suam perversissimam voluntatem. Quod si omni procul ambiguo certum est, haud secus certum sequitur omnes quicunque punientur miseros esse sempiternæque miseriæ substratos, nunquam ab ejus tam mentis quam corporis cruciatibus evasuros. Hæc est, inquam, inflexibilis justitia terribiliter judicantis, quam nunc te invenire dissimulans, post paululum experieris inventam.

Jam vero quod adhibes sententiam sancti Augustini ex libro ejus undecimo de Genesi ad litteram (cap. 21), qua dicit : [Verum esse atque manifestum justitiæ ipsi esse contrarium, ut nullo præcedente merito, hoc ipsum in quoque Deus damnet quod in eo ipse creaverat,] quantum veritati catholicæ consentiat cuivis, etiam simpliciori, patet. Nullum enim Deus damnare credendus est, nisi præcedentibus malis meritis ejus, quoniam hæc est justitiæ illius retributio indeflexa in eos duntaxat quos pœnis ultricibus irremediabiliter cruciandos censor æquissimus tradit. De diabolo autem (quod nullo modo in eo natura quam Deus creavit, sed mala propria voluntas pœna ignis æterni plectenda sit, nec ejus natura significata cum dictum est : *Hoc est initium Domini figmenti, quod fecit, ut illudatur ab angelis ejus* (*Psal.* CIII, 26) : sed vel corpus aereum, quod tali voluntati congruenter aptavit, vel ipsa ordinatio in qua eum fecit etiam nolentem utilem bonis, vel quod præsciens eum malum futurum, fecit eum, tamen non abstinens bonitatem suam in præbenda vita atque substantia futuræ etiam noxiæ voluntati ; simul prævidens quanta de illo bona esset sua mirabili bonitate ac potestate facturus) multa in eodem et sequenti duodecimo libro subtilis disputator disseruit, quæ aliter ab aliis adæque catholicis viris disserta atque enodata, competentiorem auctoritati intellectum pie recteque quærentibus exhibent, quorum saluberrimis sensibus pius quisque scrutator inuntabiliter acquiescit : quorum tamen quædam retractavit, quædam, sicut ipse testatur, plura quæsita quam inventa sunt, eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata ; cætera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint. Quibus verbis doctor humillimus dedit occasionem aliis sanctarum Scripturarum explanatoribus, ut ea quæ auctoritati divinæ scrupulosius pertractata et lucidius enucleata con-

gruerent, suis opusculis indita, tam præsentium A quam posteriorum eruditionibus aperirent. Sed et ipse in opere de Civitate Dei multo melius atque orthodoxius eadem climata disseruit, dissertaque explicuit, quæ competenti loco post, si Dominus annuerit, inserentur.

Constat etiam te superioribus litteris tuis satis egisse, ut ostenderes voluntatem esse naturam: Quod si esset verum, mirum est quomodo nunc ex verbis beati Augustini velis asserere, *non naturam, sed voluntatem, esse plectendam*. Si enim voluntas natura est, et voluntas, licet perversa, punitur, profecto natura punitur. Nam etsi naturæ omnes a bono auctore bonæ sunt institutæ, rationales tamen proprio vitio malæ non irrationabiliter appellantur. Itaque si voluntas perversa puni- B tur, et voluntas natura est, necessario sequitur ut natura puniri dicatur. Eo usque autem voluntas a natura secernitur, ut Patres orthodoxi sæpenumero eas sequestrare luce clarius videantur, quorum memorabilis Augustinus in libro de Genesi ad litteram undecimo (cap. 9) ita loquitur:

[At enim, inquiens, si Deus vellet, etiam isti boni essent. Quanto melius hoc Deus voluit ut quod vellent essent? sed boni infructuose, mali autem impune non essent, et in eo ipso aliis utiles essent? Sed præsciebat quod eorum futura [*al.*, quid eorum factura] esset voluntas mala, præsciebat sane, et quia falli non potest ejus præscientia, ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creavit, quos tales futuros esse præ- C sciebat? Quia, sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus. Sic enim eos fecit, ut eis relinqueret unde et ipsi aliquid facerent, quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. A se quippe habent voluntatem malam, ab illo autem et naturam bonam, et juxta pœnam sibi debitam locum, aliis [et justam pœnam sibi debitum locum aliis....] exercitationis adminiculum et timoris exemplum. Sed possunt, inquiunt, etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est? Posset plane. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est.]

† Idem in libro octavo (cap. 19): [Locus itaque D magnus neque prætereundus proponitur, ut intueamur quantum possumus opus divinæ providentiæ bipertitum in natura et voluntate.] † Unde cum multa utiliter veraciterque dissereret, inter cætera veraciter ait Augustinus (cap. 23): [Naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate; ut in naturis nulla sit quæ non ab illo sit, in voluntatibus autem nulla bona sit, cui non prosit; nulla mala sit, qua bene uti non possit.]

† Item Augustinus: [Qui nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem.] † Et paulo post: [Ergo Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, et naturas et voluntates, naturas ut sint, voluntates autem ut nec infructuose [*al.*, infructuosæ] bonæ nec impunitæ malæ sint]. † Idem in eodem: [Deus itaque super omnia, qui condidit omnia, omnes naturas bonas creat, omnes voluntates justus ordinat.]

† Hieronymus in Expositione Isaiæ prophetæ, libro sexto (*cap.* XIV, 21): [Deus enim omnia fecit bona, sed ab his qui sua voluntate sunt pessimi, semel [*al.*, semen] ortum sit malum, quod voluntate fit, non natura.]

† Idem in libro tertio decimo (*cap.* XLVII, in fine: [Ex quo perspicuum est natura bonos, voluntate malos fieri. Denique infertur, homo in semetipso erravit, non natura, sed mentis arbitrio.]

† Idem in libro quinto decimo (*cap.* LIV, 16): [Ego enim sum per quem habitura es proselytos, *ego qui creavi fabrum sufflantem in igne pruinas* (*Isa.* LIV, 16), hoc est, diabolum, omnium malorum artificem, non necessitate naturæ, sed mentis arbitrio: qui suscitabit incendia, et proferet contra te vasa, quales fuerunt Simon et Elymas magi, Petro et Paulo apostolis resistentes. Ego creavi interfectorem eorum qui increduli sunt futuri, non quod ego sim causa perditionis eorum, sed quod creatus adversarius ad pugnandum, et victis per, ditio et victoribus causa sit præmiorum, omnesque qui contra te a fabro sufflante sunt fabricati, non dirigentur, sed et præsentes pœnas sentient et futuras.]

† Idem in sexto decimo (*cap.* LIX, 8): [*Viæ eorum perversæ* (*Act.* VIII, 13), non natura, sed propria voluntate.]

† Cum igitur clareat voluntatem non esse naturam, quo pacto id quod natura non est, puniri possit, minime intueor. Sed quoties voluntates perversæ, id est peccata, plecti dicuntur, metonymicos potius accipiendum existimo, videlicet effectum pro efficiente, id est voluntatem pro volente, et peccatum pro peccante debere intelligi. Quoniam id justissimum duxerim, ut qui vult perverse, id est qui peccat, ipse quod meretur recipiat: nam animo volente corpus operari certum est: operatur ergo animus quædam per se tantummodo cogitando, quædam per corpus sibi subditum perpetrando: itaque volente animo corpus perficit: dignum est igitur ut sicut non dissentiunt in operando, ita non sint dispares in patiendo. Quid est enim quod tot morbis atteritur et morte dissolutum scatet vermibus, putrescit, fatiscit, in pulverem redigitur, et multoties in nihilum deducitur, nisi natura? Interrogemus tot sepultorum cadavera, tot animantium, volatilium, repentium pisciumque examina, tot terræ nascentia, vel annuis, vel menstruis, vel quotidianis casibus decidentia, et ipso ruinæ, corruptionisque suæ inevitabili fine videbimus naturas puniri, naturas corrumpi, naturas dissolvi, et pene ad nihilum impelli.

Hinc Augustinus in homilia 39 in Evangelium Joannis (tract. XLII), [*Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII, 47): Iterum nolite attendere naturam, sed vitium. Sic sunt isti ex Deo, et non sunt ex Deo; natura ex Deo, vitio

non ex Deo; natura enim bona, quæ ex Deo est, peccavit voluntate credendo quod diabolus persuasit, et vitiata est; ideo medicum quærit, quia sana non est. Quod ergo ait Dominus: *Qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea, vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII), non naturarum merita discrevit, aut præter suam animam et carnem aliquam naturam in hominibus, quæ peccato vitiata non esset, invenit.] † Quodque infers:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 7, sect. 2) Θ *Si ergo angelica natura in diabolo juste non sinitur puniri, quid mirum si humanam substantiam in hominibus etiam impiissimis eadem divina justitia prohibeat torqueri?*

CORRECTIO.

† Satis tam auctoritatis quam beati Gregorii verbis ostensum est humanam substantiam, id est animam et corpus, ante diem judicii secretim, post vero pariter cruciari. Verum ne unius doctoris te singularitas offendat, ponamus etiam beatum Hieronymum, qui verba Isaiæ prophetæ fideliter explanans, hanc depromit catholicæ veritatis sententiam (Hier. *in Isa. cap. ult., v. ult.*).

[*Egredientur, et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni* (*Isa.* LXVI, 24): Omnis caro quæ adoratura est in conspectu Domini, vel in Hierusalem cœlesti, vel in omni loco in quo levantur mundæ manus, egredietur, ut videat cadavera hominum mortuorum qui prævaricati fuerunt in Deum. Quod vel de Judæis intelligi potest, de quibus dictum est: *Filios genui et exaltavi, ipsi autem me spreverunt* (*Isa.* I, 2); vel de omnibus qui, habentes notitiam Dei in cordibus suis, avesti sunt in vanitatem, ut adorarent creaturam potius quam Creatorem (*Rom.* I, 25). Egredientur autem non loco, sed intelligentia. Neque enim cadavera mortuorum possunt intus esse cum Domino. Quod si omnis caro adoratura est Dominum, et e contrario cadavera virorum qui prævaricati sunt in Domino, æternis tradentur ardoribus, in utramque partem veræ carnis erit resurrectio. *Vermis* autem qui *non morietur et ignis* qui *non extinguetur* a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos: quare vitio suo atque peccato tanto [*al.*, electorum] caruerint bono, juxta illud quod dicitur: *Versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina* (*Ps.* XXXI, 4); et in Proverbiis: *Tinea ossium cor intelligens* (*Prov.* XIV, sec. LXX); et iterum sub obelo: *Sicut tinea vestimentum, et vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri* (*Prov.* XXV, 20). Ita duntaxat, ut non negent prævaricatorum et Deum negantium æterna supplicia, dicente Domino in Evangelio: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Et in alio loco: *Ligate manus ejus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13). Si manus audivimus et pedes, et tenebras exteriores, quæ oculorum pœna est lumen Dei non videntium; et fletum, qui utique et ipse ad oculos pertinet: et stridorem dentium: miror quosdam aerum corpus, et paulatim in auras tenues dissolvendum post resurrectionem introducere; quia Dominus potentia majestatis suæ ad apostolos clausis ingressus est januis (*Joan.* XX, 19, 26). Qui certe et ante resurrectionem pendulo super mare ambulavit incessu, et hoc ipsum apostolo præbuit Petro, ut qui fide ambulabat, infidelitate postea mergeretur (*Matth.* XIV, 25, 26, 29); cui dictum est: *Quare dubitasti, modicæ fidei?* (*Ibid.*, 31.) Ignis quoque juxta id accipiendus, quod et vermis, qui tandiu succenditur quandiu habeat materiam qua vorax flamma pascatur. Si quis igitur habet in conscientia sua zizania, quæ inimicus homo, dormiente patrefamilias, superseminavit, hæc ignis exuret, hæc vocabit incendium. Et omnia [*al.*, omnium] sanctorum oculis eorum supplicia monstrabuntur, qui pro auro, et argento, et lapide pretioso, ædificaverunt super fundamentum Domini, fenum, ligna, stipulam, ignis pabulum sempiterni.]

† Idem in libro decimo (cap. XXX, 20): [Vox Domini atque præceptum omnibus nota fient, et fortitudo brachii illius cunctis patebit, quando retributionis tempus advenerit, flammæ et turbinis, grandinisque magnitudine, et pondere lapidum deseretur. Super quo Ezechiel in prophetia Gog et Magog pleno sermone describit [*al.*, scribit]: *Ad vocis ejus imperium pavebit Assur virga percussus* (*Ezech.* XXXVIII, 31). Omnis impius, omnis imitator gentis inimicæ, non quo in die judicii solus sit feriendus Assyrius, sed propter [*al.*, quo per] Assyrium diabolum intelligamus. Denique sequitur: *Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum* (*Isa.* XXX, 32). Et est sensus: Nequaquam eum virga percutiet, et eam rursus levabit, ac more cædentium finem faciet verberandi; sed quasi fundatam et alta radice defixam in pœnis ejus faciet permanere. Quod si ita intelligitur, ubi erit pœnitentia diaboli: præsertim cum dicatur peccatoribus: *Ite in ignem æternum, quem præparavit Deus diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). *In tympanis et citharis, et in bellis præcipuis expugnabit eos*, dæmones videlicet et omnes impios cum gaudio omnium Dominus expugnabit. *Ab heri quippe* et a præterito tempore *præparata est a rege Domino Thophet* (*Isa.* XXX, 33), id est *lata et spatiosa gehenna*, quæ eos æternis urat ardoribus. Nutrimentum ejus et fomes ignis est, et ligna multa, id est flamma perpetua et supplicia peccatorum. Et quoniam sicut de camino et fornace ignis ardentis propheticus sermo prædixerat, servat metaphoram, ut statu et spiritu ac voluntate Domini hanc succendi sciamus, misto sulphure, quod flammas excitet, ut faciat acriora tormenta.]

† Idem in libro sexto (cap. XIV, 18): [Igitur Nabuchodonosor quasi stirps inutilis incendio præparatus, vel sicut sanies pollutus, et involutus iis qui

ab eo interfecti sunt gladio, et descenderunt usque ad fundamenta laci, detrahitur in profundum et nec cum iis quidem habebit consortium sepulturæ, quos interfecit : alterius enim pœnæ est auctor delicti, et alterius qui ab auctore compulsus est. Iste est gladius quo vulnerati sunt plurimi et interfecti de quo et in psalmo legimus : *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit* : *arcum suum tetendit, et paravit eum* : *et in ipso paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit* (*Psal.* VII, 13, 14). His videlicet qui in suum cor ignita diaboli jacula susceperunt, etc. *Fundamenta autem laci* pro lapidibus laci interpretatus est Symmachus, ut aliis verbis profundum et tartarum significaret inferni. *Quasi cadaver putridum non habebis consortium, neque cum eis sepulturam* [al., *in sepultura*.] *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum interfecisti* (*Isa.* XIV, 21). LXX : *Quoquomodo vestimentum sanguine non erit mundum, sic nec tu eris mundus, quia terram meam perdidisti, et populum meum interfecisti*. — *Sicut cadaver putridum*, sive, ut Aquila transtulit, *conculcatum*, non habebis consortium sepulturæ, nec cum his quidem quos interfecisti. Tu enim magister es, illi fuere discipuli : et cui plus creditum est, plus exigetur ab eo (*Luc.* XII, 48). *Tu enim terram tuam disperdidisti, populum tuum occidisti* eos videlicet qui tibi sunt crediti gubernandi. Unde ad Salvatorem audet dicere : *Hæc omnia mihi tradita sunt, et dabo tibi ea si procidens adoraveris me* (*Matth.* IV, 9). Cadaver autem diaboli putridum ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit, qui legerit peccatum esse fetidissimum, ipso peccatore dicente : *Computruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII, 6). Iste quia terram sibi creditam perdidit, et commissum sibi populum trucidavit, nequaquam eos vivos reservans Deo, sed socios suæ præparans sepulturæ, propterea non erit nec vocabitur æternum [*al.*, nec vocabitur in æternum semen pessimorum]. Porro juxta LXX hunc habet sensum *O Lucifer, qui mane oriebaris* (*Isa.* XIV, 12), qui quando habebas opera virtutis et luminis, vestimentum eras Dei, et de te dici poterat : *Amictus lumen sicut vestimentum* [al., *lumine sicut vestimento*]. : quia multos interfecisti gladio, qui descenderunt ad infernum, et eorum pollutus es sanguine, nequaquam vocaberis vestimentum Dei, sed vestimentum cruore permistum, non maculatum atque pollutum, ut aliquid mundum [*al.*, mundi] habere videaris, sed totum sanguine cruentatum. Et hoc notandum quod ad diabolum dicatur : sicut vestimentum commistum sanguine non erit mundum, sic et tu non eris mundus. Ubi sunt ergo qui dant diabolo pœnitentiam, et dicunt illum posse mundari ? Nec statim patebimus hæresi [*al.*, fatemur hæresim], quæ diversas asserit esse naturas ; et aliam esse quæ nunquam recipiat sanitatem. Non enim hoc vestimentum per se immundum est, et ita a Deo conditum, quo olim Deus vestiebatur ; sed qui commistum est sanguine, et totum se polluit suo vitio, et malis accedentibus, non erit mundum. Et propterea non erit mundum, qui terram Domini perdidit et populum ejus interfecit, terram Judææ, terram confessionis, et sanctos quosque perdens atque interficiens ; et ideo non manebit in æternum. Unde et in Evangelio dicitur : *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41).]

† Philippus in Expositione beati Job. (lib. II, cap. 24) : *Dulcedo illius vermis* ; per antiphrasim dictum, quod est dulce sit vermibus, et ab eis infatigabiliter consumatur, sicut Evangelista vel sicut Isaias propheta de prævaricatoribus dicit : *Vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* LXVI, 24). Talis igitur dulcedo erit ignis iniquis et odientibus Deum.]

† Fulgentius in libro ad Petrum de Fide : [Homines vero, quia rationales facti sunt, de se et de omnibus rebus quas in usum vitæ præsentis acceperunt, rationem reddituri sunt Deo, et pro suorum actuum qualitate recipient aut pœnam, aut gloriam : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gesserit, sive bonum, sive malum* (*II Cor.* V, 10 ; tunc scilicet cum, secundum ipsius nostri Creatoris ac Redemptoris elogium, *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectione vitæ ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 28,29), ut scilicet qui mala egerunt, eant in combustionem æternam, cum diabolo semper arsuri principe omnium malorum ; regnaturi sine fine cum Christo principe [*al.*, rege] qui vero bona fecerunt, eant in vitam æternam, omnium sæculorum.

† In eodem : Singula vero corpora illis singulis suis animabus in resurrectione reddentur, quas in maternis, ut vivere inciperent, ventribus habere cœperunt ; scilicet animæ in illo examine justi judicis in eisdem singulis corporibus suis accipiant retributionem, sive regni, sive supplicii, in quibus sive bonam, sive malam qualitatem vitæ præsentis habuerunt. Qualitas autem malæ vitæ ab infidelitate incipit, quæ ab originalis peccati reatu initium sumit : in quo quisquis ita vivere incipit, ut ante finiat vitam ab ejus obligatione solvatur, si unius diei vel unius horæ spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ supplicia sustinere ubi diabolus cum angelis suis in æternum arsurus est, qui et primus peccavit, et peccatum primus [*al.*, primis] hominibus persuasit : ubi cum eo etiam fornicarii, idolis servientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces et omnes qui opera carnis agunt, de quibus beatus dicit Apostolus : *Quia regnum Dei non consequentur* (*Gal.* V. 21), si ante hujus vitæ terminum a viis [*al.*, vitiis] suis malis conversi non fuerint, æternis ignibus exurentur. Omnis enim homo qui in hoc sæculo usque ad finem iniquitatem dilectione [*al.*, delectatione] et cordis obduratione permanserit : sicut hic

eum noxia criminum dilectio tenuit, sic eum sine A fine sempiterna cruciatio retinebit. Erit enim etiam iniquorum resurrectio, sed sine mutatione [*al.*, immutatione], quam solis fidelibus et ex fine juste viventibus daturus est Deus. Hoc est enim quod ait beatus Paulus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* (*I Cor.* xv, 51): ostendens autem justos divino munere commutandos, ait: *Et nos immutabimur.* Habebunt ergo iniqui cum justis resurrectionem carnis communem, immutationis tamen gratiam non habebunt, quæ dabitur justis: quoniam a corporibus impiorum non auferetur corruptio, et ignobilitas, et infirmitas, in quibus seminantur: quæ ob hoc morte non exstinguentur ut illud juge tormentum corpori atque animæ sit mortis æternæ snpplicium.]

† Et infra: [Ideo autem hic pœnitentia fructuosa est quia potest hic homo deposita malitia bene vivere, et mutata voluntate injusta merita simul operaque mutare, et in timore Dei ea generare quæ placeant Deo. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet, quia etsi erit ibi stimulus pœnitudinis], nulla ibi erit correctio voluntatis: a talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit vel diligi vel desiderari justitia. Voluntas enim eorum talis erit, ut habeat in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affectum. Quia, sicut illi qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt, ita illi qui erunt supplicio ignis æterni cum diabolo et ejus angelis deputati, sicut nullam ulterius habebunt requiem, sic bonam nullatenus habere poterunt voluntatem. Et sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio [*al.*, profectio] gratiæ ad æternam gloriam, sic consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiori lumine veritatis.]

† Cassiodorus in Expositione psalmi VI (vers. 6): [Movere potest quare dicat, in morte nullum esse memorem Dei, dum vicina possit amplius ira judicis contremisci: sed bene perfidos dicimus immemores Dei, de quibus et Isaias: *Non enim qui in inferno sunt, laudabunt te; neque qui mortui sunt benedicent te* (*Isa.* XXXVIII, 18). Nam cum dicit Apostolus: In nomine tuo omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Phil.* II 10), hic de solis infidelibus ac pertinacibus debet accipi dictum, qui nullam fiduciam confessionis suæ habere promerentur. Merito ergo hic sibi festinat dimitti, quia post lucis occasum non restat nisi sola retributio meritorum.] † His tantorum Patrum concinnis catholicisque sententiis cuncta quæ in sequentibus garrula loquacitate vel loquaci garrulitate effias, orthodoxa animadversione truncata sunt: ideoque compendiosa brevitate attacta signanda sunt potius quam effusius repetenda. Quod ergo ais:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 8, sect. 2.) Θ *Non enim juste punitur, nisi quod delinquere convincitur.*

CORRECTIO.

† Verum est, et idcirco juste punitur anima et corpus, quia utraque delinquere cognoscuntur. Sed hoc cum de peccatoribus dicatur, non excedit regulam veritatis: verumtamen multos puniri et vidᴇmus et legimus, in quibus tua sententia omnino frustratur. Incipiamus quippe ab Abel protomartyre, et inveniemus in eo iniquitatem non esse punitam, sed eum æquitatis merito interfectum; cujus justitiam et liber Geneseos et ipse Dominus in Evangelio commendat (*Gen.* IV, *Matth.* XXIII, 35). B Liber etiam prophetæ Samuelis, Achimelech cum cæteris sacerdotibus propter misericordiam David benevole impensam iniquitate Saulis necatos indicat (*I Reg.* XXII). Et ne multa ex veteribus revolvam, septem fratres liber Machabæorum propter leges Dei, quas nullis terroribus relinquere voluerunt, tantis cruciatibus occisos intimat, ut horrorem regentibus audientibusque incutiat (*II Mach.* VII). Beatus Joannes Baptista in matris utero sanctificatus (*Luc.* I, 15), quo *inter natos mulierum major non surrexit* (*Luc.* VII, 28), unius mulierculæ saltatui meretricio merces exponitur, et amputatione capitis funesti regis convivum deturpavit (*Matth.* XIV). Filius Dei Deus et Dominus noster Jesus Christus, *qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*I Petr.* II, 22), tantis oppro- C briis affectus novissime crucis patibulo, clavorum affixione suspensus expiravit, nec quiescente sævitia persequentium, lancea latus ejus mundissimum aperitur. Petrus, pastor universalis Ecclesiæ, Neronianam insaniam crucis appensione damnavit. Paulus, doctor gentium, Neronianum gladium cruentavit. Sic cæteri apostoli eorumque sequaces omnes usque in finem sæculi Domini nostri Jesu Christi martyres, nunquid sua iniquitate puniti, aut iniquitas in eis ulla punita, vel punienda creditur? At si Dei Filium punitum negare volueris, omnes divinorum eloquiorum paginæ tuis vecordiis, pente ultroque obviant, inter quas, ut vocabulo punitionis, quod tanta delectatione persequeris, obsequamur. Liber Sapientiæ ad Patrem Deum D super Filii sui nece queritur dicens: *Eum quoque, qui non debet puniri*, condemnas (*Sap.* XII, 15), quod de ipso intelligendum beatus Gregorius in libris Moralibus exponit. Et Psalmista: *Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt* (*Ps.* XCIII, 21). Audis tot sanctorum examina pro confessione veritatis et æquitatis oppetere, et audes dicere humanam substantiam non puniri? Rursus quod adjungis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 9, sect. 2.) Θ *Nullius hominis invenitur iniquitas, nisi suæ propriæ voluntatis culpabilis perversitas, quæ verissime natura non est quia ex Deo omnium creatore in nulla substantia est creata: juste igitur punita fit misera.*

CORRECTIO

† Si neque natura neque substantia est creata, quomodo punitur, aut fit misera? Id quod omnino non est, qualiter vel puniri potest, vel fieri miserum? Aut quod beatitudinem nunquam habuit, quatenus miseriæ subjacebit? Proinde quod ex verbis beati Augustini tuam sententiam confirmaturus annectis, reparaturus inquientis in multis quod ipse fecit, puniturus in multis quod ipse non fecit, nequaquam tuæ perversitati suffragatur; quoniam punitio vitiorum ea potius regula, quam supra delibavimus, debet intelligi, ut merito vitiorum puniatur amator patratorque vitiorum: non enim pœnam sentit, quod omnino non est sed quod aliquatenus est. Quid, quæso, puniebatur in transgressoribus veteris legis etiam temporaliter diversis modis pœnarum divinitus indictarum, nisi natura. Hinc Augustinus in Epistola ad Galatas (cap. III, 12): [*Lex*, inquiens, *non est ex fide, sed qui fecerit ea vivet in illis*. Non ait, Qui fecerit eam, vivet in ea, ut intelligas legem in hoc loco pro ipsis operibus positam; qui autem vivebant in his operibus, timebant utique ne si non ea fecissent, ut lapidationem vel crucem hujusmodi paterentur. Ergo *qui fecerit ea*, inquit, *vivet in illis*, id est habebit præmium, ne ista morte puniatur]. † Idem, in lib. XXI de Civitate Dei (cap. 24): [Ninivitæ quippe in hac vita egerunt pœnitentiam (*Jonæ* III); et ideo fructuosam, velut in hoc agro seminantes, in quo Deus voluit cum lacrymis seminari, quod postea cum lætitia meterentur. Et tamen quis negabit quod Dominus prædixit in eis fuisse completum, nisi parum advertat quemadmodum peccatores Deus non solum iratus, verum etiam miseratus evertat? Evertuntur enim peccatores duobus modis, aut sicut Sodomitæ (*Gen.* XIX, 24), ut pro peccatis suis ipsi homines puniantur; aut sicut Ninivitæ (*Jonæ* III, 5), ut ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur.] † Item sequeris:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 10, sect. 3). Θ *Cum itaque omnium hominum universam naturam in primo homine Deus condiderit, quod in ipsa naturaliter creatum est nullo modo potuit naturalem legem Creatoris transire: non igitur in illo peccavit quod in illo Deus creavit.*

CORRECTIO

† Animam et corpus hominis Deus creavit, quæ pariter peccaverunt, anima volendo et pomum interdictæ arboris concupiscendo, et corpus inobedientissime comedendo; quæ sicut utraque Deus fecit, ita utraque peccaverunt, animus volens, et corpus iniquissime obsequens, quia sicut est animi velle ita est corporis operari. Si enim voluntas perseveratura non est, necesse est alicujus naturæ voluntas sit. Est igitur animi velle, et voluntate, id est motu suo, vel se, vel corpus suum ad hæc vel illa movere: quo conficitur ut ejus sit peccasse cujus fuit et velle. Nunquam enim voluntas nisi in natura et ex natura, quam Deus, summa et incommutabilis voluntas condidit, invenitur. De qua re jam supra A sententiam beati Augustini posuimus ex libro ejus Enchiridion (*cap.* 15), qua dicit quod [ex bona hominis natura oriri voluntas et bona potest et mala, nec fuisse prorsus unde primitus oriretur voluntas mala, nisi ex angeli et hominis natura bona.]

Qui etiam in eodem hæc est prosecutus (cap. 25): [Verum hæc communia mala sunt et hominum et angelorum pro sua malitia Dei justitia damnatorum. Sed homo habet et pœnam propriam qua etiam corporis morte punitus est. Mortis ei quippe supplicium Deus comminatus fuerat si peccaret: sic enim munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio, atque in paradisi felicitate, tanquam in umbra vitæ, unde justitia custodita in meliora conscenderet collocavit. B Hinc post peccatum exsul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis et damnationis obstrinxit, ut quidquid prolis ex illo, et simul damnata, per quam peccaverat, conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur, per errores doloresque diversos, ad illud extremum cum desertoribus angelis, vitiatoribus, et possessoribus, et consortibus suis, sine fine supplicium. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12): mundum quippe appellavit eo loco Apostolus universum C genus humanum. Ita ergo se res habebat: jacebat in malis, vel etiam volvebatur, et de malis in mala præcipitabatur totius generis humani massa damnata; et adjuncta parti eorum, qui peccaverant, angelorum, luebat impiæ desertionis dignissimas pœnas. Ad iram quippe Dei pertinet justam quidquid cæca et indomita concupiscentia faciunt libenter mali, et quidquid manifestis apertisque pœnis patiuntur inviti.] † Deinde adjungis et dicis:

JOANNES SCOTUS

(Cap. 16, num. 11, sect. 3) Θ In quo *tamen* omnes peccaverunt, *ac per hoc in ipso omnes moriuntur, et consequenter omnes puniuntur, proinde rectissime creditur. Quemadmodum in illo Deus generalem humani generis creare voluit substan-* D *tiam, ita et omnium hominum propriam substituit voluntatem. Si enim in uno communis omnium et corporalis et spiritalis naturæ humanæ plenitudo sit constituta, necessario ei inerat singulorum voluntas propria. Non itaque in eo peccavit naturæ generalitas, sed uniuscujusque individua voluntas.*

CORRECTIO.

† Caro quidem natura est, animam nullus naturam dubitat, voluntas, quia natura non sit, satis et ratione et auctoritate monstratum est. Non igitur voluntas filii ex voluntate parentum gignitur, sicut caro prolis ex carne prodire genitorum minime dubitatur. Non ergo voluntate in Adam omnes posteri peccaverunt, quam nec ab illo naturaliter traxe

runt; sed tota natura, propria ejusdem protoplasti voluntate vitiata, quæ non est utique vitium, sed sponte semel vitiata, nihil prorsus ex se nisi vitiatum gignere potuit, quidquid naturali commistione propagavit. Unde et Apostolus: Non, inquit, per unam vel unius voluntatem, in omnes voluntates mors pertransiit, nec in quam omnes peccaverunt, *sed per unum hominem in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* XII, 5). Qui cum nulla necessitate naturæ, sed voluntate peccaverit, ita se, id est naturam suam, animam videlicet et carnem, peccando vitiavit, ut nihil ex ea complexu naturali nisi vitiatum prodire possit. Quod in motu pudendo membrorum genitalium post eorumdem protoplastorum inobedientiam declaratum est, qui nunquam suæ nuditatis antea erubuisse sibique perizomata consuisse referuntur (*Gen.* III, 7). Natura itaque membrorum genitalium voluptuose ac concupiscentiabiliter mutuo sexu commista, omnino quamvis non absque voluntate, peccare convincitur, quæ tam improbabili motu deservire nequiter comprobatur. Audi: Nunc tandem certe Pelagianum, Cœlestianum, imo si ita dici possit, Julianum te esse pronuntio, qui post damnatam olim consensu mundi totius eorum hæresim, novus, ut ita dixerim, sopitorum cinerum exsuscitator emergis, et naturale atque originale peccatum humanis generis abjuras, ut gratiam gratuitam auferas. Illi enim dixerunt eadem insania, imitatione peccatum Adæ transisse in posteros, non natura: quemadmodum veritas in Apostolos et per Apostolum clamat: quorum tu sequacissimus voluntate, non natura identidem clamitare probaris. Cum enim constet, hodieque Evangelio Domini nostri Jesu Christi ubique gentium refulgente, vix provectioris ætatis, sed omnes pene parvulos infantilis ætatis ad sacramenta baptismatis deportari, quid in eis peccati propriæ voluntatis diluitur quam necdum ætatis accessu habere valuerunt? Habet igitur inconvulsum fides catholica, non in eis mundari privatum, sed originale, naturale avitumque peccatum; quod non propria cujusque nascentis, sed protoplastum voluntate commissum, ita se omnemque ex se posteritatem concupiscentialiter processuram vitiavit, ut æterna damnatione teneatur obstricta, nisi succurrentis gratiæ fuerit miseratione liberata. Non enim diceretur naturale peccatum, si non esset etiam naturæ, jam tamen vitiatæ, non tantummodo voluntatis, quam non esse naturam, etiam te adnitente, jam dictum est. Itaque, aut nega cum Pelagianis naturale peccatum, et everte Apostolum dicentem: *Fuimus enim natura filii iræ sicut et cæteri* (*Eph.* II, 3), omnesque catholicos obrue; aut, quod optamus, veritatem naturalis, proindeque originalis peccati recipe, et te sinceritati fidei Christianæ ascisce.

JOANNES SCOTUS

(Cap. 16, num. 12, sect. 3). ⊖ *Siquidem si ea natura delinqueret, cum una sit, tota profecto periret; sed non periit, quando medicamentum vulneris, hoc est substantia Redemptoris, in ea remansit*
A *incorruptum, præter quod omnes peccaverunt simul in homine uno: non enim ille peccavit in omnibus, sed omnes in illo; sicut enim ille habebat propriam voluntatem, ita et proprium peccatum. Et quemadmodum in illo unusquisque potuit proprium committere delictum, in nullo quippe vindicatur juste alterius peccatum, proinde in nullo natura punitur, quia ex Deo est, et non peccat. Motus autem voluntarius libidinose utens naturæ bono, merito punitur, quia naturæ legem transgreditur, quam procul dubio non transgrederetur, si substantialiter a Deo crearetur. Hinc aperte colligitur in impiis supplicia non perpeti quod Deus fecit, sed quod superbia vitiose invenit: libido siquidem perversæ voluntatis cruciatur, dum ea quæ male aut*
B *indigne appetit, habere non sinitur.*

CORRECTIO

† Quamvis abunde his tuis pravitatibus responsum sit, illud tamen in eis primo perpendi oportet quod voluntatem a substantia secernere videaris, quam primis tui operis partibus essentiam obstinatissime affirmabas. Sed si natura non est, quo pacto a Deo substitutam in homine dixeris nequaquam video: nam si natura non est, quomodo sicut natura ad omnes transiit? Et de natura quidem corporis, quod in illo uno omnium hominum fuerit, nullus ambigit: nascitur enim de carne caro; sed utrum et anima similiter de anima nascatur magna quæstio est et a Patribus diu multum-
C que discussa, sed absque certa definitione relicta. Quapropter quidquid de voluntate (quam constat per se non esse naturam sed naturæ, id est animæ motum spontaneum) agis, frivolum prorsus et veritati contrarium judicatur; quippe cum voluntas sicut per se non esse, ita per se velle, id est moveri, non possit, et quidquid voluntate agitur, volenti procul dubio imputetur. Vult autem animus, et cum perverse vult, ipsius perversitatis merito jure punitur.

Si natura non peccat, arguis mendacii Apostolum, qui de Deo Patre dicit quia miserit Filium suum in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), qui nunquam habuit carnem quæ esset similitudo carnis peccati, id est nostræ, si natura, quod est homo, id est anima et caro, non peccat. Bifariam
D igitur mentitum deprehendis Apostolum, quod et Filius Dei non habuerit *similitudinem carnis peccati*, id est veram carnem. Et quod nulla sit, id est nostra caro peccati, quæ originaliter ac naturaliter nullum trahat peccatum. Nec advertis, vel forte a nemine adverti autumas, quanta id absurditas, imo impietas, consequatur; si enim natura non peccat, ergo nec homo peccat; si homo non peccat, ergo nec Dei Filius Dominus noster Jesus Christus a cæteris hominibus, excepta generationis et nativitatis singularitate, dispescit: si hac exceptione secreta, in nullo a cæteris mortalibus differt, falsum est quod ait Propheta: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Domino in filiis Dei* (*Psal.*

LXXXVIII, 7.) Si enim natura, id est homo, non peccat, æquales sunt proprius Dei Filius et adoptivi filii Dei ; quod quia omnes pene blasphemias superat, fatendum est testimonio veracis Apostoli carnem nostram *carnem* esse *peccati*, id est cum peccato generatam, conceptam et editam. In cujus similitudine, id est veritate carnis cum peccato nec genitæ, nec conceptæ, nec editæ, miserit Deus Pater Filium suum. Et ne usitatissima vobis pravitate baccheris in aliud apostolica verba deflectens, audi sequentia, *ut de peccato*, inquit, *damnaret peccatum in carne*, hoc est, ut de carne sua quam instituerat esse hostiam pro peccato, damnaret peccatum, nostræ carni ingeneratum, a quo, præter ipsam solam, nulla nostra caro expers, nulla exsors numquam post protoplastorum inobe- B dientiam, justamque tremendi judicis animadversionem, potuit, potest aut poterit generari. Itaque si quidem absque ulla formidatione fatendum est, caro proprii Filii Dei similitudo fuit carnis peccati, id est non cum peccato sata, concepta et edita, sine quo caro peccati, id est nostra, nec seri, nec concipi, nec edi valet, sequitur ut natura, quæ est caro peccati videlicet nostra caro, peccare convincatur. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Domino in filiis Dei ?* (*Psal.* LXXXVIII, 7.) Inconcusse quippe fides catholica tenet prædicat Filium Dei in hoc, excepta deitatis eminentia, a cæteris hominibus discerni, quod nec concupiscentialiter, nec sexuum commissione, sed sola sancti Spiritus operatione conceptus, nulla C originalis noxæ potuerit noxiatione vitiari. Ideoque tam conceptione quam nativitate, et vitæ processu, omnis peccati immunis *solus liber* potuit *inter mortuos* esse (*Psal.* LXXXVII, 6), cujus naturali munditia omnes nostræ naturales affectivæque immunditiæ tergerentur.

Peccavit itaque in primo homine naturæ generalitas, id est anima concupiscens illicitum, et corpus suæ animæ concupiscentiis obsecundans. Non enim voluntatem ex voluntate nasci, vel per traducem in propaginem diffundi, recte possumus dicere, cum non sit natura, sicut recte dicimus, hominem ex homine, quod est natura. Ac per hoc tota perierat, quia tota deliquerat ; et quia tota perierat, tota a Dei Filio veraciter misericorditerque D suscepta est. Tota autem suscepta est, id est, ut tota liberaretur; tota vero liberata est, quia tota in Dei Filio passionem perpessa est. Tota in eo tormentum, tametsi indebite, pertulit, quia est corpus cruciatibus attritum sepulturæque mandatum est, et anima, relicto ad tempus corpore, liberrima inferos penetravit. Tota item libera est, quia citæ resurrectionis gloria de corruptione ad incorruptionem, de morte ad vitam, de mortalitate ad immortalitatem transiit. Non itaque in Dei Filio voluntas punita est, quæ nulli unquam pravitati fuit obnoxia, sed natura, quam in Adam perditam in seipso mirabili dignatione reparavit et liberavit. Sicut enim paulo ante præmisimus, nullatenus in eo et quibusdam membris ejus iniquitas est

A punita, sed natura : in quo, ut diximus, ideo natura punita est, quia natura perierat, dicente ipso : *Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* (*Matth.* XVIII, 11). Si enim non natura perierat, sed voluntas nequam, necessarium fuerat a Dei Filio naturam suscipi, sed id tantummodo quod perierat, id est voluntatem. Perierat autem anima, quæ a beatitudine extorris diutissime exsulabat ; perierat et corpus, quod in pulverem, unde sumptum fuerat, fatiscebat : sed utrumque reparatum est, quia et anima beatitudini, et corpus incorruptioni per Mediatoris humilitatem ineffabilem restituitur.

Ambrosius exponens in Epistola ad Corinthios Apostolum dicentem (*I Cor.* XI, 26) : *Mortem Domini annuntiantes donec veniat* [Quia enim, inquit, morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo et potando carnem et sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus, Novum Testamentum in his consecuti, quod est nova lex, quæ obedientem sibi tradit cœlestibus regnis : nam et Moyses accepto sanguine vituli in patera, aspersit filios Israel dicens : Hoc est Testamentum quod disposuit Deus ad vos (*Exod.* XXIV, 6-8). Hoc figura fuit Testamenti quod Dominus Novum appellavit per prophetam, ut illud Vetus sit quod Moyses tradidit. Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est in cujus typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis et animæ nostræ percipimus, quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est totum hominem salvum fecit. Caro enim Salvatoris pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus, est, sicut prius præfiguratum fuerat a Moyse (*Hebr.* IX). Sic enim ait : *Caro*, inquit, *pro corpore vestro offertur, sanguis vero pro anima* (*Levit.* XVII, 11), ideoque non manducandum sanguinem. Si igitur apud veteres imago fuit veritatis, quæ nunc apparuit et manifestata est in Salvatoris adventu, quomodo hæreticis contrarium videtur Vetus Novo, cum ipsa sibi invicem testimonio sint ?

† Beda in Expositione Genesis : Et quidem, ipsi sibi fecerant perizomata de foliis fici, quibus pudenda tegerent (*Gen.* III, 7) ; sed Deus facit illis tunicas pelliceas quibus omne corpus illorum induat, quia ipsi, perdita per prævaricationem gloria innocentiæ, prætendere sibi velamen excusationis, qua suam culpam in Conditorem transfunderent, et ipse Conditor illos per sententiam justi judicii, oblato statu vitæ immutabilis, in anima simul et carne mulctavit pœna mortalitatis.]

† Memento quid beatus Augustinus dixerit (*Enchirid.*, cap. 30) : [Quid enim boni operatur [*al.*, operari potest] perditus, nisi quantum fuerit a perditione reparatus [*al.*, liberatus] ? Nunquid libero voluntatis arbitrio ? Et hoc absit : nam libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum.

† Idem in epistola ad Vitalem : [Et sic eripit vasa

ejus quæcunque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab ejus liberans potestate, ut illo non impediente credant in istum libera voluntate, proinde hoc opus est gratiæ, non naturæ. Opus est, inquam, gratiæ, quam nobis attulit secundus Adam, non naturæ, quam perdidit in semetipso primus Adam.]

† Se enim perdidit, id est naturam suam, quod est anima et corpus. Hoc ergo perierat, quia hoc utique peccaverat: et quia hoc totum peccaverat, propterea totam massam corruperat, ut nihil ex ea naturali conjunctione maris et feminæ nisi corruptum, ac per hoc morti subditum, nasceretur: et propterea juste alterius, id est primi hominis, peccatum in altero, id est prole illius, quæ est totum genus humanum, vindicatur, quia corruptionem paternæ radicis tota naturaliter soboles traxit ex genere. Certe in parvulis nullam voluntatis vel actionis propriæ singularitatem asserere poteris, qui tamen omnes extra baptismi gratiam morientes, non suo, sed protoplasti peccato perpetua plexione damnantur.

Hinc Augustinus in libro Enchiridion (cap 46): [Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam filiorum [*al.*, suorum], de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia: *Reddam peccata patrum in filios* (*Deut.* v, 9), tenet eos utique, antequam per regenerationem ad Testamentum Novum incipiant pertinere. Quod Testamentum prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem non accepturos filios peccata patrum suorum, nec ulterius futuram in Israel parabolam illam: *Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* (*Ezech.* XVIII, 20). Ideo enim quisque renascitur, ut solvatur in eo quidquid peccati est cum quo nascitur, nam peccata quæ male agendo postea committuntur, possunt et pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non aliud est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio; usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea me in utero aluit* (*Psal.* L, 7). Neque hic dixit, in iniquitate vel peccato, cum et hoc recte dici posset; sed iniquitates et peccata dicere maluit. Quia et in illo uno, quod in omnes homines pertransiit, quodque [*al.*, atque] tam magnum est, ut eo mutaretur et converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata et alia parentum, quæ etsi non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia et misericordia divina subveniat.]

† Audis parentum peccatis parvulos obligari, et dicis in nullo vindicari juste alterius peccatum? Audis naturam morte punitam, et dicis in nullo naturam puniri? Verissime itaque dicitur in impiis supplicia perpeti quod Deus fecit, id est totam humanam substantiam, sed merito peccati, quod tota commisit. Alia est ergo cruciatio perversæ voluntatis, dum ea quæ male aut indigne appetit, habere non sinitur, quod tamen ad cruciatum volentis refertur; alia cum hic vel postmodum anima et corpus manifestis atque evidentibus tormentis afficitur. Intueamur sane cujuscunque maris semen in femina seminantis, quod naturam esse nunquam negabis, videlicet ex natura, id est carne serentis prodiens, exceptorio uteri muliebris infusum, quæ in eo voluntas? Certe inanimum esse semen masculi quando profunditur, nullus diffitetur: ubi ergo voluntas in semine? Nam voluntatem animi esse, quis nesciat? Cum ergo in serenda prole constet solum semen inanime seminari, et post per intervalla temporum illud a conditore universitatis coagulari, coagulatum in membra propria delineari, delineatum formari, formatum solidari, solidatum spiraculo vitæ animari? Nimirum constat nequaquam sibi velle prius inesse, quam id videlicet animam auctoris munere consequatur, cujus proprie velle non dubitatur. Clamat tamen Propheta ingemiscens, et dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Concipi autem semen nullus ignorat, quod cum absque contradictione bonum, quia omnis creatura Dei bona, mundumque sit, omne quippe bonum mundum, et nullum mundum non bonum: quærendum est quare se in iniquitatibus conceptum deploret. Non enim in suis, quæ per propriam voluntatem adhuc nulla sunt, sed procul dubio in primi propagatoris nostri, ex quo cum humana substantia jure damnata iniquitatem nascendo trahimus, quam nullatenus nisi renascendo evadimus. Hoc tamen ipsum semen beatus Job immundum vocare non metuit, cum dicit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* (*Job* XIV, 4). Quare, quæso, immundum? cum Dominus pastori Ecclesiæ dicat: *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris* (*Act.* XI, 9); et in Evangelio: *Non ea quæ intrant in os coinquinant hominem, sed quæ de corde exeunt, ea coinquinant hominem* (*Matth.* XV, 11). In semine vero, quod seritur, nullam inesse propriam volendi possibilitatem atque scientiam quis nesciat? Unde ergo immundum est? Nunquid ex eo quod est creatura Dei? Absit. Restat igitur ut ex traduce iniquitatis primigenæ immundum fateamur, quod ex dignitate primæ conditionis mundum catholica tenet et convincit Ecclesia. Patet itaque reatu paternæ transgressionis immundum seri, concipi et nasci, quod puritate primæ creationis mundum factum nullus nisi expers veritatis ignorat aut negat.

Hinc Gregorius in Moralium libro undecimo (cap. ult., in fine). [Is qui per se solus est mundus, mundare prævalet immunda. Homo enim in corruptibili carne vivens habet tentationum immunditias impressas in semetipso, quia nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quippe propter delectationem carnis ejus conceptio immunditia est: unde et Psalmista ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delectis peperit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Hinc est ergo quod ple-

rumque tentatur et nolens; hinc est quod immunda quædam in mente patitur, quamvis et judicio reluctetur, quia conceptus de immunditia, dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere quod est. Quisquis autem occultæ tentationis motus atque immundiciam cogitationis evinceret, nequaquam sibi suam munditiam tribuat, quia de immundo conceptum semine nullus facere mundum potest, nisi is qui mundus per semetipsum solus est (*Job.* XIV, 4). Qui ergo jam ad locum munditiæ mente pervenit, conceptionis suæ viam respiciat, per quam venit, atque inde colligat quia ex sua virtute non habet munditiam vivendi, qui de immunditia factum est initium subsistendi.] ✝ Quodque infers:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 6, num. 13, sect. 4.) Θ *Quod si nullam naturam puniri ratio suasit, necessario nullam naturam punire suadebit. Neque enim creatrix. Neque creata punit creatam, quia nulla substantia alterius substantiæ contraria esse potest.*

CORRECTIO.

✝ Sufficit huic phantasiæ dissolvendæ Veritatis elogium, quo dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete qui habet potestatem et animam et corpus perdere in gehenna* (*Matth.* X, 28); et item: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Quod utique hominibus, id est naturis, dicturus est, non per se voluntatibus, quæ per se esse non possunt, quia naturæ non sunt. Porro de originalis peccati damnatione, cujus merito justissima Dei sententia universum genus humanum morti fecit obnoxium, quantum Pelagianis patribus tuis faveras in promptu est: unde plura dicere supersedimus, quia satis superque a Patribus inde actum terminatumque cognovimus. Substantias vero substantiis contrarias, multa documenta sunt: et ut cætera prætercam, perspicuum est aquam igni, ignem aquæ lignisque et cæteris terrestribus materiis: contrarium venenum homini, salivam hominis diu jejunantis serpenti, hominem homini, diabolum homini, et cætera hujusmodi. Deum vero naturis a se creatis in tantum non esse contrarium, in quantum ab eo creatæ sunt; in eo autem quod ab eo superbiendo discedunt, non solum rationabilibus, verum etiam irrationabilibus adeo contrarius justitiæ æquitate ostenditur, ut illas jure prævaricationis transgressione plectat, et has illorum merito vel perdat vel in deterius commutet: ut in diluvio, Sodomis et multis aliis terrarum orbis partibus factum legimus faciendumque in judicio credimus et expectamus dicit etiam Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis* (*Gal.* V, 17); et item: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23)

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 14, sect. 4.) Θ *Quæ*, inquis, *ratio hinc maxime probatur quod nullius peccati auctoritas, nisi mendosissime impiissimeque, ad Deum refertur; ac si peccatum esset ex natura natura autem ex Deo, profecto peccatum ex Deo esse sequeretur.*

CORRECTIO

✝ Nunquid peccata regis Manasse, quæ tam multa fuisse leguntur, recte patri ejus, viro justo et sancto, deputanda sunt? (*IV Reg.* XXI). Nempe Manassem ex Ezechia natum nullus ignorat, peccata autem quæ Manasses impiissime patravit, nullatenus ex Ezechia prodierunt. Falsum est igitur quod proponis, ut ideo sequatur peccatum esse ex Deo quod est ex natura, quod natura ex Deo sit. Non enim juste Deo nostra facinora ascribuntur, ex quo nos, id est naturam nostram, esse non dubitatur. Certe libertatem arbitrii Deus homini largitus est, et eadem arbitrii libertate homo peccavit: nunquid ideo deputabitur Deo vitium liberæ voluntatis, quia donator ejus, in est liberæ voluntatis, certissime creditur? Est igitur natura omnis ex Deo, vitium vero ex natura, cujus merito natura punitur. Dixerat eadem quondam Cœlestius, Pelagii discipulus, qui tecum tantum naturæ tribuebat, ut eam ab omni vitio post peccatum extorem assereret, voluntatisque soli quidquid mali fieret, attribuere nullatenus formidaret, cui tamen a Patribus responsum est: peccatum non esse vitium naturæ in primo homine, sicut eam Deus condidit, quasi in ea cum ea conditum, sed sicut sua voluntate propria depravata est ac vitiata: quo pacto igitur solius voluntatis peccatum esse dicitur, cum voluntas per se substantia non sit? Si ergo natura non est, sequitur ut per se sicut non subsistere, ita nec velle boni aliquid vel mali nec operare possit. Est autem voluntas naturæ alicujus, vult ergo natura, vel bonum ex Deo, vel malum ex se. Est igitur peccatum naturæ vitiatæ atque depravatæ, volentis quod vel conditor prohibuit, vel ratio et probitas disssuasit. Quocirca jure punitur natura, cujus est totum quod sua propria voluntate delinquitur. Unde et Apostolus monet: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sec neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo* (*Rom.* VI, 12, 13). Et rursum: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (*II Cor* V, 10). Et iterum: *Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt. Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis! Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur: Erunt enim, inquit, duo in carne una* (*Ibid.* 15, 16). Et Dominus per Prophetam: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4). Hac ratione syllogismus tuus non verissimus, sed mendosissimus; non piissimus, sed impiissimus, et charitatis et catholicæ fidei non

plenissimus, sed inanissimus, cassatur, quem sic proposuisti :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 15, sect. 4). ϴ *Omne bonum aut Deus est, aut ex Deo factum est ; omne quod ex Deo factum est, nullum vitium boni efficit : omne igitur bonum nullum vitium boni efficere potest. Et reflexim : Nullum vitium igitur boni ex bono est. Omne peccatum quia malum est, vitium boni est : omne vitium boni ex bono non est : omne igitur peccatum, quia malum, est, ex bono esse non potest. Omnis creatura rationis particeps magnum bonum est : ex nullo bono malum : ex nulla igitur creatura rationis participe peccatum est.*

CORRECTIO.

† Multo ante verba beati Augustini posuimus, quibus tuus iste syllogismus mendacii deprehenditur dicentis (August. *Enchir.* cap. 13) : [Quid est autem malus homo nisi mala natura, quia homo natura est. Porro si homo aliquid bonum est quia natura est, quid est malus homo nisi malum bonum ? Tamen cum duo ista discernimus, invenimus nec ideo malum quia homo est, nec ideo bonum quia iniquus est ; sed bonum quia homo, malum quia iniquus.] † Et infra (cap. 14) : [Et hæc duo contraria ista simul sunt, ut si bonum non esset in quo malum esset prorsus nec malum esse potuisset : quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur corruptio non haberet nisi esset quod corrumperetur ; quod nisi bonum esset, nec corrumperetur ; quoniam nihil est aliud corruptio quam boni exterminatio. Ex bonis igitur mala orta sunt, et nisi in aliquibus bonis non sunt, nec erat alias unde oriretur ulla mali natura. Nam si esset, in quantum natura esset, profecto bona esset ; et aut incorruptibilis natura magnum esset bonum, aut etiam natura corruptibilis nullo modo esset, nisi aliquod bonum, quod bonum corrumpendo posset ei nocere corruptio (cap. 15. Sed cum mala ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc Dominicæ sententiæ refragari, qua dixit : *Non potest arbor bona fructus malos facere*, et cætera : *non potest* enim (sicut Veritas ait) *colligi uva de spinis* (*Matth.* VII, 18, 16), quia non potest uva nasci de spinis ; sed ex bona terra et vites nasci posse videmus et spinas. Eo [*al.*, Et eodem] modo tanquam arbor mala fructus bonos, id est opera bona, non potest facere voluntas mala ; sed ex bona hominis natura oriri voluntas et bona potest et mala ; nec fuit prorsus inde primitus oriretur voluntas mala nisi ex angeli et hominis natura bona] † Qua sententia evacuatur nihilominus quod ad probationem propositi syllogismi adhibueras dicens :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 16, sect. 5.) ϴ *Hinc ipsa Veritas ait* : Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona ; malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala (*Matth.* XXII, 35). *Ac si diceret* : *Omne bonum quod ex cogitatione sua bona bonus homo profert, ex bono thesauro donatur, id est, ex eo in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Col.* II, 3) : *Omne malum, quod cogitatione sua mala malus homo profert, ex malo thesauro est, superbia scilicet quæ est* initium omnis peccati (*Eccli.* X. 15).

CORRECTIO.

† Hæreticis semper fuisse moris ut rectitudinem sanctæ Scripturæ ad suos detorquerent errores, tum omnes catholici doctores, tum vel maxime B. Gregorius in libris Moralium affatim demonstrat, quemadmodum in hac tua non expositione, sed depravatione fecisse convinceris. Non enim dixit, ex cogitatione sua, sed *ex thesauro cordis*, ubi multitudinem bonarum cogitationum piarumque voluntatum sanctam congeriem voluit intimare. Et rursum non dixit, donatur a Deo, quamvis iste pius thesaurus non nisi ab illo percipiat quod haberi possit, sed *profert*, quæ personæ et actus multum inter se differunt, aliud est enim et alterus proferre, aliud alteriusque donare. Similiter mali hominis thesaurus non una sola cogitatione, sed multis pravarum cogitationum tumultibus comprehenditur. Nec ex sola superbia, sed aliorum complurium vitiorum struicibus agitatur atque profertur.

Beda in homilia de Encæniis : [Thesaurus cordis intentio est cogitationis, ex qua proventum operis internus arbiter judicat. Unde fit plerumque ut minora bona nonnulli majori cœlestis gratiæ mercede operentur, videlicet propter intentionem cordis qua majora voluerant patrare bona si possent, et alii majora virtutum opera ostentantes, ob injuriam cordis tepidi minora a Domino præmia sortiantur. Denique opus viduæ quæ duos nummos detulit ad templum innumeris divitum donariis ab interno cordium scrutatore præfertur : *Ex abundantia enim cordis os loquitur* (*Matth.* XII, 34) : humanum quidem judicium sæpe fallit, quia cor proximi nescit nisi ex ore et opere pensare ; Deus autem ipsum opus et sermones nostros ex cordis radice perpendit : illi ergo ex abundantia cordis os loquitur, qui ex qua intentione promanant verba non ignorat.]

† Leo in sermone (7) de Jejunio mensis septimi, [Verissimum namque est quod ait Dominus : *Ubi est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (*Matth.* VI. 21). Quis autem est thesaurus hominis nisi quædam fructuum ejus congregatio laborumque collectio? *Quod enim seminaverit quis, hoc et metet ;* et quale cujusque opus talis et quæstus : et ubi oblectatio fruendi constituitur, ibi cura cordis obstringitur. Sed multa sunt [*al.*, cum multa sint] genera divitiarum, dissimilesque materiæ gaudiorum thesaurus cuique est suæ cupiditatis affectus, qui si de appetitu est terrenorum, non beatos facit sui participatione, sed miseros.]

† Augustinus in Natali S. Joannis : [Quid est : *Arbor bona bonos fructus facit, et mala arbor malos fructus facit ? Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona : et malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala* (*Matth.* VII, 17 : XII, 35). Homines arbores posuit, thesauros actus posuit. Qualis

homo est, tales actus habet; si bonus homo est, bonos actus habet; si malus homo est, malos actus habet; non potest bonus homo malos actus habere, nec malus homo bonos actus habere.]

† Idem de Scriba erudito: [Quidquid homo malus de corde suo profert, malum est, ibi enim thesaurus malus: quidquid autem homo bonus de corde suo profert bonum est. Ibi est enim thesaurus bonus,] † item quod ex verbis S. Augustini ponis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 17, sect. 5.) Θ *Vitium ergo animæ est quod fecit, et difficultas ex vitio pœna quam patitur.* Et rursum: *Quid est enim dolor qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis ejus rei quam male utendo anima corruptionibus obnoxiavit? Quid autem dolor qui dicitur animi nisi carere mutabilibus rebus quibus fruebatur aut frui se posse sperabat? Hoc est totum quod dicitur malum, id est peccatum et pœna peccati.* Et paulo superius: *Quod mors non sit a Deo* (Aug., *de vera Relig.*, capp. 20 et 12).

CORRECTIO.

† Ut hinc colligas Deum non punire quod creaverit, nec aliam naturam ab alia natura puniri, nec ullam pœnam a Deo factam, neque ab eo præscitam, neque prædestinatam. Primo omnium vellem te pie advertere sanctum Augustinum, sicut ipse fatetur proficienter scripsisse, et nulla tam ex eodem libro cujus est titulus: de vera Religione, ex quo ista decerpseras, quam ex aliis suis voluminibus retractasse, quorum unum ad cætera sobrie providenda posuisse sufficeret. Quod etiam antehac posuisse me recolo (Aug., *Retract.* l. I, cap. 21). [Alio, inquit, loco dixi: Nullius mortem Deus quærit, quod si accipiendum est, quia sibi homo acquisivit mortem deserens Deum, et acquirit qui non requirit [*al.*, recurrit ad] Deum: secundum quod scriptum est: *Deus mortem non fecit;* sed etiam illud non minus verum est, *Vita et mors a Domino Deo est* (*Eccli.* XI, 14): vita scilicet a donante, mors a vindicante.] † Idem in libro contra adversarium legis et prophetarum (l. I, c. 23). [Sed ipse Dominus, inquit, per eumdum prophetam fatetur et dicit: *Ego sum Deus faciens bona, et creans mala* (*Isa.* XLV, 7). Ita plane, ipse est enim Deus, de quo dicit Apostolus: *Vides ergo bonitatem et severitatem Dei* (*Rom.* I, 12), hæc autem severitas ejus damnabilibus mala est, quia malum damnationis illis importat. Nam quia justa est, alio modo reperitur bona, omne enim justum bonum est.] Et infra Augustinus (*Ibidem*): [Et, si aliquando cum aliqua differentia dicitur, hoc rectius potest interesse quod dixit: ut facere sit quod omnino non erat; creare autem ex eo quod jam erat ordinando aliquid construere. Ideoque hoc loco dictum est, *Deus creans mala* (*Isa.* XLV, 7), quoniam peccantibus ea convertit in malum dispositione severitatis suæ, quæ bonitatis ejus largitate bona facta sunt. Unde dicit apostolus Paulus: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco et in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt; quibusdam quidem odor vitæ in vitam, quibusdam vero odor mortis in mortem* (*II Cor.* II, 15, 16). Sed cum continuo sequatur, et dicat: *Et ad hæc quis idoneus* (*Ibid.*); nonne importuni quodam modo sumus ingerere ista carnalibus, non studiosis, sed contentiosis nullomodo idoneis ea capere quæ utinam saltem desinerent carpere. † Idem in libro de Civitate Dei XII (c. 3): Sola ergo bona alicubi esse possunt, sola mala nusquam; quoniam etiam naturæ illæ quæ ex male voluntatis initio [*al.*, vitio] vitiatæ sunt; in quantum vitiatæ sunt, malæ sunt; in quantum autem naturæ sunt, bonæ sunt; et cum in pœnis est natura vitiosa, excepto eo quod natura est, etiam hoc ibi bonum est, quod impunita non est: hoc enim est justum, et omne justum procul dubio bonum.]

† Hanc tamen vesaniam, qua nullam pœnam a Deo tantisper astruis factam, beatus Job mucrone veritatis recidat dicens: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* (*Job* II, 20). Gregorius (*Moral.* lib. III, c. 7). bona scilicet dona Dei vel temporalia vel æterna, mala autem flagella præsentia appellans; de quibus per Prophetam Dominus dicit: *Ego Dominus, et non est alter formans lucem et creans tenebras, faciens pacem, et creans mala* (*Isa.* XLV, 7): [Neque enim mala quæ nulla sua natura subsistunt a Domino creantur, sed creare se mala Dominus indicat cum res bene conditas nobis male agentibus in flagellum format, ut ea ipsa, et per dolorem quo feriunt, delinquentibus mala sint, et per naturam qua existunt, bona: unde et venenum mors quidem est homini, sed tamen vita serpenti. Amore enim præsentium ab auctoris nostri dilectione recessimus, et perversa mens, dum delectationi creaturæ se subdidit, a Creatoris societate disjunxit. Ex his ergo ab auctore ferienda erat, quæ errans auctori præposuerat; ut unde homo culpam non timuit superbus admittere; inde pœnam corrigendus inveniret; et tanto citius resipisceret ad illa quæ perdidit, quando doloris plena esse conspicere, quæ quæsivit. Unde et bene dicitur *formans lucem, et creans tenebras*, quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur: *Faciens pacem et creans mala;* quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc quæ bene sunt condita, sed non bene concupita, in ea quæ nobis mala sunt flagella vertuntur. Per culpam quippe Deo discordes exstitimus: dignum ergo est ut ad pacem illius per flagella redeamus; ut, cum unaquæque res bene condita nobis in dolorem vertetur, correcti mens ad auctoris pacem humiliter reformetur. Hæc itaque flagella beatus Job mala nominat, quia salutis et tranquillitatis bonum qua perturbatione feriant pensat.

† De difficultatibus tamen atque peccatis, quæ dicuntur non solum peccata, sed et pœnæ peccatorum, quod in hac interim vita quam maxime fiant, nec his pœnæ aliæ, vel præsentes vel futuræ ullatenus excludantur, plenæ sunt orthodoxorum

paginæ tractatorum, quorum sanctus Augustinus in libro V (cap. 3) contra Julianum hæreticum Pelagianum ita effatus est: [Inseris alia de libro meo verba ut dixi, carnis inobedientiam inobedienti homini dignissime retributam; quia injustum erat ut obtemperaretur a servo suo, id est a corpore suo, ei qui non obtemperaverat Domino suo; et conaris ostendere hanc inobedientiam carnis potius esse laudabilem, si pœna peccantis est: et tanquam persona sit aliqua quæ peccatorem scienter affligat, sic eam velut ultricem sceleris, et in hoc Dei ministram tanquam magnum aliquod bonum cothurno sermonis exornas, nec cogitas posse te isto modo laudare angelos malos qui utique non sunt nisi prævaricatores atque impii, per quos tamen Deum meritas pœnas irrogare peccantibus sancta Scriptura testatur dicens: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem et iram et retributationem, immissiones per angelos malos* (*Ps.* LXXVII, 49). Lauda etiam istos, lauda eorum principem Satanam, quia et ipse vindex peccati fuit, quando *ei tradidit* Apostolus *hominem in interitum carnis* (*I Cor.* V, 5). Valde enim disertus es contra gratiam Christi, et idoneus dicere panegyricum Satanæ et angelis ejus, per quos multorum Deus judex atque altor est peccatorum retribuens eis secundum opera sua, eos ipsos pessimos et damnabiles spiritus puniendorum supplicia faciens, qui bene justeque utitur et bonis et malis. Prædica igitur iniquissimas potestates, quia per ipsas mala retribuuntur malis, qui propterea concupiscentiam prædicas carnis: quia inobedientia retributa est inobedientiæ peccatoris. Lauda iniquum regem Saulem, quia et ipse fuit pœna peccantium; Domino dicente: *Dedi tibi regem in ira mea* (*Osc.* XIII, 10); lauda dæmonium quod rex ipse patiebatur, quia et hoc pœna fuerat peccatoris. Lauda *cæcitatem cordis, quæ ex parte in Israel facta est*, nec tacetur de cæcitate Israel, quare *donec plenitudo*, inquit, *gentium intraret*, nisi forte et istam pœnam negabis esse, quam, si lucis internæ amator esses, non solum aliquam, sed valde magnam pœnam esse clamares ad istam cæcitatem [*al.*, at ista cæcitas] fuit Judæis grande incredulitatis malum, et grandis causa peccati, ut occiderent Christum. Jam istam cæcitatem si pœnam fuisse negaveris, similem te perpeti etiam non confitens judicabis. Si autem pœnam quidem fuisse, sed peccati pœnam non fuisse contendis, interim fateris quod unum aliquid et peccatum esse possit, et pœna: si autem non est hoc [*al.*, hæc] pœna peccati, profecto iniqua pœna est, et injustum facis Deum quo jubente vel sinente, aut infirmum quo non avertente infligitur innocenti [*al.*, nocenti]. Quod si etiam pœnam peccati esse concedis (ne, hoc non concedendo [*al.*, non deest], ut ipse corde cæcus appareas), vide jam, quod videre nolebas, istam quam vovisti solutam esse quæstionem; quia, sicut diabolus atque angeli ejus, et mali reges non solum ipsi peccatores sunt, sed per justitiam Dei fiunt etiam supplicia pecca-

A torum. Nec ideo laude sunt digni, quia pœna ex illis justa infligitur dignis: Sic *lex in membris repugnans legi mentis* (*Rom.* VII, 23), non ideo ipsa juste agit, quia ejus qui egit injusta [*al.*, injuste] pœna sit justa. Et sicut cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et causa peccati, quod cæci [*al.*, cum mali aliquid] cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis adversus quam bonus concupiscit spiritus, et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; et pœna peccati est. Quia reddita est meritis inobedientis, et causa peccati est defectione consentientis vel contagione nascentis: proinde omnia quæ pro hac tua cæca et inconsiderata opi-

B nione dixisti, qua carnis concupiscentiam, eo ipso quod eam pœnam diximus esse peccati, non solum non vituperandam, verum etiam laudandam putasti, quamlibet prolixa disputatione in eo fueris immoratus, evanuisse certissimum est. Nam quod aisti: Si libido pœna peccati est, abjiciendam esse pudicitiam, ne rebellis in Deum castitas illatam ab eo dicatur enervare sententiam, et cætera hujusmodi quæ hanc vanitatem consequentia atque hinc religata contexis. Totidem verbis de cæcitate cordis, errore simili [*al.*, simillimo] modo dici potest. Si cæcitatis cordis pœna peccati est, abjicienda doctrina, ne rebellis in Deum mentis illuminatio illatam ab eo dicatur enervare sententiam. Quod si absurdissimum est dicere (quamvis sit cæcitas cordis

C pœna peccati), eo modo absurdissimum est etiam quod ipse dixisti, quamvis sit libido, id est inobedientia carnis pœna peccati: quoniam cæcitati resistere scientia, et libidini continentia. Eam vero pœnam quæ nec error est nec libido, debet tolerare patientia. Quapropter, quando, Deo donante, ex vera vivitur fide, ipse Deus adest et menti illuminandæ et concupiscentiæ superandæ et molestiæ perferendæ; hoc enim totum recte fit, quando fit propter ipsum; id est, quando gratis amatur ipse. Qualis amor nobis esse non potest nisi ex ipso; alioquin, quando sibi homo multum placet, et de sua virtute confidit, si traditur in desideria superbiæ suæ, tanto amplius augetur hoc malum quanto magis ei cupiditates cæteræ cesserint, easque,

D velut laudabilis, hac unam oblectando, compresserit. Quod ergo in aliis opusculis meis legisse te dicis, atque id frustra refutare conatus es, esse nonnulla peccata, quæ pœnæ sint etiam peccatorum, deposito vincendi studio diligenter attende, et invenies esse verissimum, secundum ea quæ de cordis cæcitate tractata sunt. Quid enim egisti, quæso te, quid egisti commemorando apostolicum testimonium, quo ego illud probavi quod in alia mea disputatione legisti: quia de quibusdam scripsit dicens: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt*? (*Rom.* I, 28.) Hoc enim voluisti videri hyperbolicum dictum: quod fit cum, ad permovendos animos, fidem rerum qui sermocinatur excedit; ubi ergo id Apostolus fecerit,

non graveris ostendere. Cum veheretur, inquis, A in impiorum crimina; pœnarum ea nominibus aggravavit, quantumque pectori suo virtutum omnium domicilio turpitudo horreret, ostendens, non tam reos quam damnatos sibi tales ait videri. Imo, sicut ipse loquitur, non sicut eum tu loqui fingis, et damnatos demonstravit et reos, nec solum de præteritis reos propter quæ damnatos, sed inde etiam reos ubi [*al.*, unde etiam] damnatos : nam reos ostendit ubi ait : *Et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori qui est benedictus in sæcula, amen* (*Rom.* v, 25) : deinde damnatos propter istum reatum; sequitur enim : *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* (*Ibid.*, 26). Audisti : *Propter hoc*, et quæris inaniter quomodo intelligendus sit tradere Deus, multum laborans ut ostendas B eum tradere deserendo ! Sed quomodolibet tradat, *Propter hoc* tradidit, *propter hoc* deseruit ; et vides ejus traditionem, quamlibet et quomodolibet intelligas, quæ consecuta sint. Curavit enim Apostolus dicere quanta pœna sit a Deo tradi passionibus ignominiæ, sive deserendo, sive alio quocunque vel explicabili vel inexplicabili modo, quo facit hæc summe bonus et ineffabiliter justus. Nam *feminæ eorum* (inquit) *immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam : similiter autem et masculi, relinquentes naturalem usum feminæ, exarserunt in appetitum suum in invicem, masculi in masculos, deformitatem operantes, et mercedem mutuam, quam oportuit erroris sui, in semetipsis recipientes* (*Ibid.* 26, 27) ; quid hoc evidentius, C quid apertius, quid expressius ? *Mercedem mutuam* recepisse dicit utique *damnatos*, ut tanta operarentur mala : et tamen ista damnatio etiam reatus est quo gravius implicantur. Ita et peccata sunt ista et pœnæ præcedentium peccatorum : et quod est mirabilius, etiam oportuisse dicit eos istam *mutuam mercedem* recipere. Ita se habent etiam superiora verba Apostoli, quæ ipse posuisti : *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium : propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam*, et cætera quæ sequuntur ; et hic utique vides causam propter quam traditi sunt sine ulla ambiguitate monstratam. Dixit quippe quid D mali ante fecissent, et adjunxit : *propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*. Proinde præcedentis est hæc pœna peccati, et tamen etiam ipsa peccatum est, quod verbis consequentibus explicat. Sed tu contra disserens eo modo tibi videris istam solvisse quæstionem, quia desideriis suis Apostolus traditos dixit : Jam enim flagitiorum iniquis [*al.*, inquis] desideriis æstuabant; et adjungis ac dicis : Quomodo ergo per potentiam tradentis deputandi sunt in talia facta cecidisse ? quid ergo plus factum est, obsecro te, aut quid diceret : *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum;* si jam erant possessi quodammodo malis desideriis cordis sui ? Nunquid autem consequens est ut si habet aliquis cordis desideria mala, jam etiam consentiat eis ad committenda eadem mala ? ac per hoc, aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis : utique, ut consentiendo eis possideatur ab eis, quod fit cum divino judicio traditur eis. Alioquin frustra dictum est : *Post concupiscentias tuas non eas* (*Eccli.* XVIII, 30) ; si jam quisque reus est, quod tumultuantes, et ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur, si non eis traditur, exercens adversus eas gloriosa certamina, si vivit in gratia. Quid tibi enim videtur, qui observat quod scriptum est : *Si præstas animæ tuæ concupiscentias, ejus* (quod quid est aliud quam desideria ejus mala) *faciet te gaudium inimicis et invidis tuis* (*Ibid.*, 31.) Nunquid jam iste reus est ? habendo tales animæ concupiscentias, quas ei præstare non debet, ne in gaudium veniat diabolo et angelis ejus, qui sunt inimici atque invidi nostri. Cum ergo dicitur homo *tradi desideriis suis*, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur : *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est* (*II Petr.* II, 19), et fit ei peccatum consequens, præcedentis pœna peccati. Annon est peccatum et pœna peccati ? ubi legitur : *Dominus enim miscuit illis spiritum erroris, et seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius?* (*Isa.* XIX, 24.) Non est peccatum, et pœna peccati ubi Deo dicit Propheta : *Quid errare fecisti nos, Domine, a via tua, obtulisti nostra corda : ut non timeremus te ?* (*Isa.* LXIII. 17.) Non est peccatum, et pœna peccati ubi rursus Deo dicitur : *Ecce tu iratus es, et nos peccavimus : propterea erravimus, et facti sumus sicuti immundi omnes* ? (*Is.* LXIV, 5, 6.) Non est peccatum, et pœna peccati ubi legitur de Gentibus quas debellavit Jesus Nave : *Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum ad Israel, ut exterminarentur ?* (*Jos.* XI, 20.) non est peccatum et pœna peccati ; quod non audivit rex Roboam plebem bene monentem ? quoniam, sicut Scriptura loquitur : *Erat conversio a Domino, ut statueret verbum suum quod de illo locutus est in manu Abiæ prophetæ* (*III Reg*, XII, 15). Non est peccatum et pœna peccati in eo quod scriptum est, Amasiam regem Juda noluisse audire Joam regem Israel bene monentem ne procederet ad bellandum ? sic enim legitur : *Et non audivit Amasias quoniam a Deo erat ut traderetur in manus hostium, quoniam quæsierat Deum Edom* (*II Par.* XXV, 20). Et multa alia commemorare possumus, in quibus liquido appareat occulto judicio Dei fieri perversitatem cordis, ut non audiatur quod verum dicitur, et inde peccetur, et sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio, et non credere veritati, utique peccatum est ; venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ occulto judicio Dei, sed tamen justo, etiam peccati pœna monstratur. Quale est etiam illud quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus : *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent ; et ideo mittet illis Deus operationem erroris*

ut credant mendacio (*II Thess.* II, 10). Ecce peccati pœna peccatum est. Utrumque claret, breviter dictum est, aperte dictum est, ab eo dictum est cujus alia verba in tuam sententiam frustra detorquere conatus es. Quid est autem quod dicis, Cum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam potentiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi, quasi non simul posuit [*al.*, posuerit] hæc duo idem Apostolus et patientiam et potentiam, ubi ait : *Sic autem volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem* (*Rom.* IX, 22). Quid horum tamen dicis esse, quod scriptum est ? *Et propheta si erraverit, et locutus fuerit, Ego Dominus seduxi prophetam illum, et extendam manum meam super eum, et exterminabo eum de medio populi mei Israel* : patientia est ac potentia ? quodlibet eligas, vel utrumque fatearis. Vides tamen false prophetantis peccatum esse, pœnamque peccati. An et hic dicturus es quod ait : *Ego Dominus seduxi prophetam illum*, intelligendum esse deserui, ut pro eis [*Al.*, ejus] meritis seductus erraret. Age ut vis : tamen eo modo punitus est pro peccato, ut falsum prophetando peccaret. Sed illud intuere, quod *Vidit* Michæas propheta *Dominum sedentem super thronum suum, et omnis exercitus cœli stabat circa eum a dextris ejus et a sinistris ejus, et dixit Dominus quia seducet Achab regem Israel, et ascendit et cadat* [al., *ascendet et cadet*] *in Ramaoth Galaad?* Et *dixit iste sic et iste sic. Et exiit spiritus, et stetit in conspectu Domini, et dixit : Ego seducam eum; et dixit Dominus ad eum : In quo ? Et dixit : Exibo, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit : Seduces, et prævalebis ; exi, et fac sic* (*III Reg.* XXII, 20, 21, 22). Quid ad ista dicturus es ? nempe rex ipse peccavit falsis credendo prophetis : at hæc ipsa erat et pœna peccati : Deo indicante, Deo mittente angelum malum, ut apertius intelligeremus quomodo in Psalmo dictum sit, *misisse iram indignationis suæ per angelos malos* (*Psal.* LXXVII, 49). Sed nunquid errando ? nunquid injuste quidquam, vel temere judicando sive faciendo ? absit ; sed non frustra illi dictum est : *Judicia tua sicut multa abyssus* (*Psal.* XXXV, 7). Non frustra Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ? quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ; aut quis prior dedit illi, ut retribuatur ei* (*Rom.* XI, 33, 34, 35) ? nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum, nullum tamen punit indigne [*Al.*, indignum].

Ait, inquis, Apostolus : *Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit* (*Rom.* II, 4). Verum esse constat ; sed quem prædestinavit adducit ; quamvis ipse, secundum duritiam et cor impœnitens (quantum ad ipsum attinet) *thesaurizet sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (Ibid., IV, 5, 6) ; quantum- A libet [*al.*, quantamlibet] enim præbeat patientiam, nisi ipse dederit, quis habet [*al.*, agit] pœnitentiam ? An oblitus es quod idem ipse doctor ait : *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis* (II *Tim.* II, 25, 26), *sed judicia ejus multa abyssus* (*Psal.* XXXV, 7). Nos certe si eos in quos nobis potestas est ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quam vero innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, quæ utique si noluisset, nulla ratione permitteret, et tamen justus et bonus est, et quod præbendo patientiam, *Dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire* (II *Petr.* III, 9) ; *Novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19). Et *omnia cooperatur* [*al.*, *cooperantur*] *in bonum ;* B *sed his qui secundum propositum vocati sunt* (*Rom.* VIII, 28). Non enim omnes qui vocati sunt, secundum propositum sunt vocati. *Multi enim vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XXII, 14). Qui ergo electi, hi secundum propositum vocati. Unde et alibi dicit : Secundum virtutem Dei salvos nos facientis, et vocantis *vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, et gratiam quæ data est nobis in* Christo Jesu *ante sæcula æterna* (II *Tim.* II, 8, 9). Denique et hic cum dixisset : *Omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt*, continuo subdidit : *Quoniam quos ante præscivit, et prædestinavit conformes imaginis Filii ejus, ut sit primogenitus in multis fratribus. Quos au-* C *tem prædestinavit, illos et vocavit, et quos vocavit, ipsos et justificavit, quos autem justificavit, ipsos et glorificavit* (*Rom.* VIII, 28, 29, 30), hi sunt secundum propositum vocati (*Ephes.* I, 11), ipsi ergo electi, et hoc ante mundi constitutionem ab eo *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint* (*Rom.* XIV, 17). *Sed electi per electionem gratiæ.* Unde dicit idem doctor et de Israel : *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* XI, 5). Et ne forte ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, secutus est et adjunxit : *Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia* (*Ibid.*, 6). Ex isto numero electorum et prædestinatorum, etiam qui pessimam duxerint vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœni- D tentiam, per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti, ut ostendatur et ipsis et aliis cohæredibus eorum de quam profundo malo possit Deus gratia liberare ; ex his nemo perit, quacunque ætate moriantur [*al.*, moriatur]. Absit enim ut prædestinatus ad vitam sine sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propter hos Dominus ait : *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo* (*Joan.* VI 39). Cæteri autem mortales qui ex isto numero non sunt, ex eadem quidem massa ex qua et isti, sed vasa iræ facti sunt (*Rom.* IX, 22. 23), ad utilitatem nascuntur istorum. Non enim quemquam eorum Deus temere ac fortuite creat, aut quid de illis boni operetur ignorat, cum et hoc ipsum [*al.*, ipso] bonum

operetur quod in eis humanam creat naturam, et ex eis ordinem sæculi præsentis exornat. Istorum neminem adducit ad pœnitentiam salubrem et spiritalem qua homo in Christo reconciliatur Deo, sive illis ampliorem patientiam, sive non imparem præbeat. Quamvis ergo omnes ex eadem massa perditionis et damnationis, secundum duritiam cordis sui et cor impœnitens (quantum ad ipsos pertinet) *thesaurizent sibi iram in diem iræ; quo reddetur unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 5), Deus tamen alios inde per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios secundum justum judicium non adducit; habet enim potestatem adducendi et trahendi, ipso Domino dicente: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI, 44). Nunquid autem Achab regem sacrilegum et impium adduxit ad pœnitentiam, aut saltem per mendacem spiritum jam seducto atque decepto patientiam et longanimitatem præbuit? (III *Reg.* XXII, 20.) Nonne in eo statim, propter quod erat seductus, morte rapiente completum est? (*Ibid.*, 34). Quis eum dicat non peccasse spiritui credendo mendacii, quis dicat hoc peccatum pœnam non fuisse peccati venientem de judicio Dei, a quo legit mendacem spiritum sive missum sive permissum? Quis horum aliquid dicit, nisi qui dicit quod vult, et quod verum est audire non vult? Quis vero ita desipiat ut, cum audierit quod in psalmo canitur: *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori* (*Psal.* CXXXIX, 9), hoc dicat a se homo, ne Deus sit patiens erga illum, si Deus non tradit, ut mala fiant, nisi patientiam, bonitatem præbendo cum fiunt. Quid est autem quod quotidie dicimus: *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 13), nisi ut non tradamur concupiscentiis nostris. *Unusquisque enim tentatur, a concupiscentia sua abstractus et illectus* (*Jac.* I, 14). An forte hoc a Deo petimus, ut non sit erga nos patiens bonitas ejus? Non ergo ejus invocamus misericordiam, sed potius iracundiam provocamus. Quis ista sapiat sanus? Imo quis vel furiosus hæc dicat? *Tradit* ergo *Deus in passiones ignominiæ, ut fiant quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 26). Sed ipse convenienter tradit, et fiunt eadem peccata, et peccatorum supplicia præteritorum, et suppliciorum merita futurorum. Sicut tradidit Achab in pseudoprophetarum mendacium (III *Reg.* XXII, 20). Sicut tradidit Roboam in falsum consilium (III *Reg.* XII, 15): facit hæc miris et ineffabilibus modis, qui novit justa judicia sua non solum in corporibus hominum, sed et in ipsis cordibus operari; qui non facit voluntates malas, sed utitur eis ut voluerit, cum aliquid inique velle non possit. [[a] Quæ Deus pro votis humanis propitius annuat, iratusve non annuat. Ac rursus: quæ iratus annuat, propitiusve non annuat. Atque iterum: Quæ contra vota humana propitius faciat, quæ iratus non faciat: et in his omnibus bonus perseverat et justus:] exaudit propitius, non exaudit iratus; et rursus: non exaudit propitius, exaudit iratus; parcit propitius, non parcit iratus; et rursus:

A non parcit propitius, parcit iratus; atque in his omnibus bonus perseverat et justus: *Sed ad hæc quis idoneus* (II *Cor.* II, 16), utique ad hæc ejus perscrutanda et investiganda judicia quis homo idoneus (*Sap.* IX, 13), quem corruptibile aggravat corpus, etiamsi habeat jam sancti Spiritus pignus? Sed, homo intelligens et acutus, justam dicis esse libidinem et laudis præconio prædicandam: si eum qui Deo non obedivit, non illi obediendo punivit. Si prudenter hic saperes, profecto esse iniquitatem videres, qua pars inferior hominis repugnat superiori atque meliori, et tam [*al.*, tamen] juste iniquum, suæ carnis iniquitate punitum, sicut est rex iniquus maligni spiritus iniquitate punitus. An et ipsum malignum spi-

B ritum laudare disponis? Eia quid moraris? decet enim te inimicum gratuitæ Dei bonitatis, laudatorem spiritus esse mendacis; nec laborabis invenire quid dicas, laudes ejus paratas habes. Si hæc ipsa in eum verba transtuleris, quæ posuisti in laude libidinis, velut consequentia sententiam meam; quia ergo dixi: Injustum enim erat ut obtemperaretur a servo suo, hoc est a corpore suo ei qui non obtemperaverat Domino suo. Quod tu negans, et falsum esse deridens, velut ostendere voluisti quæ sequeretur absurditas, tanquam ultricem peccati, si hoc ita est, libidinem laudas [*al.*, laudans]. Certe istum mendacem spiritum, quia impium regem sicut merebatur fallendo traxit ad mortem, non negas iniquitatis ultorem (III *Reg.* XXII, 21).

C Ecce ego et hic dico: Injustum enim erat ut qui non crediderat Deo vero non deciperetur a falso; lauda ergo et istius justitiam falsitatis, et dic, ut dixisti in laude libidinis, quia nihil ea potest laudabilius æstimari, si iniquitate multa [*al.*, ulta] commissa est, si vindicavit injuriam Dei. Et, quia ita consortium peccati non habuit, ut officium vindicantis assumeret, omnia hæc secundum tuos acutissimos sensus recte dicuntur, et in illius immundi spiritus laude. Ergo præconium laudis [*al.*, vocis] tuæ, in simili causa, aut mendaci redde spiritui, aut contumaci tolle libidini. Quid fugis ad obscurissimam de anima quæstionem in paradiso? ab animo quidem cœpit elatio, et ad præceptum transgrediendum inde consensio;

D propter quod dictum est a serpente: *Eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5), sed peccatum illud homo totus implevit; tunc est caro facta peccati, cujus vitia sanantur sola similitudine carnis peccati. Ut ergo et anima et caro, pariter utrumque puniatur nisi quod nascitur renascendo emendetur, profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occulta justitia divinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco quam dico, ne audeam docere quod nescio: hoc tamen scio id horum esse verum quod fides vera antiqua catholica, qua creditur et asseritur originale peccatum, non esse convicerit falsum. Ista fides non negetur, et hoc quod de anima latet; aut ex otio disci-

[a] Hæc a Lovanensibus prætermissa, quasi in textum male irrepserint.

tur, aut (sicut alia multa in hac vita) sine salutis labe nescitur. Magis enim curandum est, sive in parvulis, sive in grandibus, in quo anima sanetur auxilio quam quo vitiata sit merito : quæ tamen si vitiata negabitur, nec sanabitur. Illud sane cur dixeris, excogitare non potui, in eo quod commemorasti dixisse Apostolum, *et tenebris obtectum* [al., *oppletum*] *insipiens cor eorum* (*Rom.* I, 21), Addidisti enim notandum esse quoniam insipientiam causam dicat omnium malorum. Hoc quidem dixisse Apostolum non satis constat, sed non inde contendo : tu potius cur hoc dixeris quæro. An forte quia parvuli non recte dicuntur insipientes, quia nondum sapientiæ possunt esse participes ? Ideo nullum malum eis inesse vis credi, quod esse consequens arbitraris, si malorum omnium causa insipientia est. Sed, si disputatione subtilissima et elimatissima opus est ut sciamus utrum primos homines insipientia superbos an insipientes superbia fecerit ; nunc, propter id quod inter nos agitur, quis ignorat omnes homines, quicunque sapientes fiunt, ex insipientibus fieri, nisi forte aliqui ex præconibus Mediatoris, magna ejus multumque insolita gratia, ad sapientiam non ex insipientia, sed ex infantia transire potuerint. Quod si natura sine fide Mediatoris fieri posse contenditis, arcanum virus panditis hæresis vestræ. Nihil enim vos agere apparet tanta defensione et laude naturæ, *Nisi ut Christus gratis mortuus sit* (*Gal.* II, 21), cujus nos dicimus *fidem, quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* V, 6), etiam natura insipientibus opitulari. Sunt enim qui tanta cordis obtusitate nascuntur, ut similiores pecoribus quam hominibus esse videantur ; quorum tantæ fatuitatis, quæ in illis naturalis apparet, non potestis ullum dicere meritum, qui nullum esse dicitis originale peccatum. Quis autem non quotidie probet (testibus rebus humanis) parvulum prius nihil sapere, deinde crescendo vana sapere, et postea, si ad sapientium sortem pertinet, recta sapere atque ita ab infantia ad sapientiam per insipientiam mediam pervenire. Quapropter humana natura, quæ jacet in parvulis, cui laudibus vestris Salvatorem, tanquam sana sit, invidetis, quemadmodum prius proferat, insipientiæ, quam sapientiæ fructum videtis, et radicis ejus vitium videre non vultis, aut videtis, quod pejus est, et negatis.]

† Si aures intelligentiæ et veritatis tua sibi pervicacia non obstruxerit, perspicaciter videre potes vanissimum te laborem subiisse, nequidquam trivisse, frustra insudasse, ut diceres ad exercitium nostræ intelligentiæ Deum procurasse, et in Scripturis suis, et in tractatoribus earum, ut audientes tales locutionum modos, evigilaret nostra intentio ad intelligendum quid in eis mysticum lateat, non quid verborum simplex superficies ostendat. Videlicet ut *præscisse*, et *prædestinasse* Deum pœnas pro *non præscisse*, et *non prædestinasse* accipere debeamus. Ecce doctor eximius, sub nomine Juliani jam inde contra te agens, omni sublato locutionum fuco, quid verborum simplex superficies ostendat edocuit, non quid mystica fictio mentiretur asseruit. Dilucide quippe perdocuit in hac mortali vita degentibus, peccatoque sese voluntarie inquinantibus, justo Dei judicio pœnam alterius peccati, vel unius, vel plurium retribui : quibus cæcati in barathrum jure sibi debitum perducantur : nec tamen excludi eas pœnas, quibus vel hic temporaliter, vel illic æternaliter et anima et corpore puniantur. Proinde sententia sancti Augustini ex psalmo VII, quam suffragatricem, ut tibi videtur, tui erroris adhibes, veritati potius favet, quam convenit falsitati. Dicit enim (August. *in psal.* VII prope fin.) : [Intelligamus unicuique homini supplicium fieri de peccato suo, et ejus iniquitatem in pœnam converti, nec putemus illam tranquillitatem et ineffabile lumen Dei de se proferre unde peccata puniantur, sed ipsa peccata sic ordinare, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti.] † Quibus verbis addis :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 18, sect. 6.) ϴ *Pulchre quidem atque præclare definiens, non esse alia instrumenta torquendæ impietatis, præter illam ipsam impietatem.*

CORRECTIO.

† Verum, hæc dicens, excludere conaris etiam pœnam ignis æterni, in quo si nullus ardebit, ad quid *præparatus diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41), impiisque hominibus a Deo fuerit, vel ad quid in eum mittendi sunt, prorsus nescire me fateor. Sed ne de præmissa Augustini sententia tibi blandiaris, quamvis superior ad cuncta sufficeret, ponamus et alteram ipsius, quæ tuam debellet impietatem ; ait quippe in libro suo qui est de Fide et Operibus (c. 15) : [Neque illud hic proderit [*al.*, dici hic poterit], in quo nonnulli seipsos, seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam pœnam [*al.*, combustionem] æternam : per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem. Ut videlicet ipse ignis æternus sit, combustio vero eorum, id est operatio ignis, non sit in eos æterna, cum et hoc prævidens Dominus tanquam Dominus sententiam suam ita concluserit dicens : *Sic ibunt illi in combustionem æternam ; justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 46). Erit ergo æterna combustio, sicut ignis, et eos in illam ituros Veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.] † Confer his tanti Patris sententias, et eum aut vacerem, si contraria sibimet ipsi non dixit, comproba, aut mendacii, si secus dixisse conviceris, argue. Ne ergo compugnantia inter se posuisse fallaciter contingatur, dicamus unicuique homini supplicium fieri de peccato suo, et ejus iniquitatem in pœnam converti, cum secundum ea quæ supra ex verbis ipsius latius posuimus, peccator propter peccata præcedentia deterioribus traditur, quorum merito ad interitum pertrahatur, aut post hanc vitam merito perversorum actuum perpe-

tuis cruciatibus coarctetur. Ut hoc sit ei iniquitatem in pœnam converti, quod est merito iniquitatis pœnis addici : dicanturque instrumenta Domino punienti, quia illorum compensatione justas pœnas retribuit promerenti : vel certe, quia pœnæ perpetuæ animabus et corporibus pariter infliguntur, sint peccata etiam pœnæ animarum, ut eorum jugi recordatione cassaque pœnitudine torqueantur : ita ut a corporibus ignis æterni combustio nullatenus avellatur. Nam illam tranquillitatem, et ineffabile lumen Dei, nequaquam de se, id est de sua substantia, necesse est proferre vel gladium vel ignem vel aquam vel aliquid hujusmodi unde peccata puniantur, quin per ipsa peccata sic pœnas ordinat ut per ea (quemadmodum diximus) puniat contumaces ; unde, cum quædam superflue disseruisses et ad ultimum conclusisses :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 16, num. 19, sect. 7.) Θ *Merito*, inquiens, *perniciosa hic dulcedo libidinis, illic vertetur in amaritudinem ultionis, ut, quia hic domum divinæ largitatis, hoc est liberum voluntatis arbitrium, quod est naturalis intelligentiæ munus, id est mentis acies, quam Conditor omnibus generaliter donavit ad se quærendum, diligendum, fruendum, in usus turpitudinis mutare superbiendo nequissime voluerat, illic ne omnino veritatis honestate fruatur, justissime perdat, et, eo carcere iniquitatis propriæ in quo hic se ipsum incluserat, tenebras æternæ ignorantiæ inextricabiliter pœnaliterque non evitet.*

CORRECTIO.

† Miror cur, tui oblitus, non videris quod initio hujus pericopes dixeris : *felicitatis notionem, et scientiam, atque veritatem illic inesse miseris, proindeque abesse ab eis miseriam, ut, qua natura non puniretur, non punita non esset miseria.* Quomodo enim eis inerit felicitas, ejusque scientia et notio, si mentis aciem perdiderint, et tenebras æternæ ignorantiæ inextricabiliter pœnaliterque non evitaverint ? Aut enim illic eis felicitas ejusque scientia deerit, et stabit quod aisti, *ut mentis aciem perdant, et tenebras æternæ ignorantiæ inextricabiliter pœnaliterque non evitent.* Aut si felicitas ejusque scientia illis affuerit, nec mentis aciem perdent, nec tenebras æternæ ignorantiæ inextricabiliter pœnaliterque patientur. Sed, quia omnis felicitas infelicibus subtrahetur, verum est quia tenebras æternæ ignorantiæ inextricabiliterque pœnaliterque sustinebunt ; ita tamen ut cum eis ignis æterni combustionem corpoream non evitent. Jam vero sententiæ Patrum Augustini atque Gregorii, quas confirmationi tuæ hæreseos adhibuisti, quibus cæcitatem cordis inclusionemque peccati veraciter docuerunt, ut per eas suppliciorum pœnas excluderes, prorsus quisquis pie advertit, secundum superiores eorumdem sententias facillime videbit quia nequaquam tormenta quæ corporibus corporaliter exhibentur, ademerint, sed pœnas quæ cæcatis mentibus justo Dei judicio hic interim solent ingeri, fideliter intimaverint. Quorum Augustinus, in libro de vera Regione non ut a te mendace positum est ; sed ut ab ipso sincerissime constat editum, tractasse dignoscitur.

(Cap. 16, num. 20, sect. 8, *de vera Religione*, c. 52.) [Cavendi sunt ergo inferiores inferi, id est post hanc vitam pœnæ graviores, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio ; ideo nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen verum (*quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*) (*Joan.* I, 9), quare *festinemus et ambulemus cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant* (*Joan.* XII, 35), festinemus a secunda morte liberari, ubi *nemo est qui memor sit Dei :* et ab inferno, ubi *nemo confitebitur Deo* (*Psal.* VI, 6).

Sed miseri homines, quibus cognita vilescunt, et novitatibus libentius discunt quam norunt, cum cognitio sit finis discendi, et quibus vilis est facilitas actionis, libentius certant quam vincunt, cum victoria sit finis certandi, et quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quam satiari, et malunt frui genitalibus membris, quam nullam talem commotionem pati : inveniuntur etiam qui malunt dormire quam non dormitare ; cum omnis illius voluntatis [*al.* voluptatis] finis sit non esurire, ac sitire, et non desiderare concubitum, et non esse corpore fatigato. Quare qui fines ipsos desiderant, prius curiositate carent, cognoscentes eam esse certam cognitionem quæ intus est, et ea perfruentes quantum in hac vita queunt : deinde accipiunt actionis facilitatem, pervicacia posita, scientes majorem esse facilioremque victoriam non resistere animositati cujusquam, et hoc quantum in hac vita queunt : sentiunt postremo etiam quietem corporis abstinendo ab his rebus sine quibus agi hæc vita potest. Ita *gustant quam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9), nec erit eis dubium quid post hanc vitam futurum sit, et perfectionis suæ fide, spe, et charitate nutriuntur ; post hanc autem vitam et cognitio perficietur, quia *ex parte nunc scimus : cum autem venerit quod perfectum est, non erit ex parte* (*I Cor.* XIII, 9), et pax omnis aderit. Num enim [*al.* autem] alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ ; sed liberabit nos de corpore mortis hujus gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII, 23, 24), quia ex magna parte concordamus cum adversario, dum cum illo sumus in via : et tota sanitas, et nulla indigentia, et nulla fatigatio aderit corpori : quia *corruptibile hoc* tempore atque ordine suo quo resurrectio carnis futura est, *induetur incorruptione* (I *Cor.* XV, 13). Non mirum autem si hoc dabitur his qui in cognitione solam veritatem amant, et in actione solam pacem, et in corpore solam sanitatem : hoc in eis enim perficietur post hanc vitam, quod in hac vita plus diligunt.

Qui ergo male utuntur tanto mentis bono ut extra eam visibilia magis appetant, quibus ad concupiscenda et diligenda intelligibilia commemorari

debuerunt, dabuntur eis *exteriores tenebræ;* harum quippe initium est carnis prudentia, et sensuum corporeorum imbecillitas, et qui certaminibus delectantur, alienabuntur a pace, et summis difficultatibus implicabuntur: initium enim summæ difficultatis est bellum atque contentio. Et hoc significare arbitror quod *ligantur eis manus et pedes* (*Matth.* XXII, 13), id est facilitas omnis aufertur operandi; et qui sitire et esurire volunt, et in libidinem ardescere, et defatigari, ut libenter edant, et bibant, et concumbant, et dormiant, amant indigentiam, quod est initium summorum dolorum. Perficietur ergo id quod amant, ut ibi eis *sit ploratus et stridor dentium* (*Matth.* XIII, 50): plures enim sunt qui hæc omnia vitia simul diligunt, et quorum vita est spectare, contendere, manducare, bibere, concumbere, dormire, et in cogitatione sua nihil aliud quam phantasmata quæ de tali vita colligunt amplexari, et ex eorum fallacia superstitionis vel impietatis regulas figere, quibus decipiuntur et quibus inhærent, etiamsi ab illecebris carnis se abstinere conentur; quia non bene utuntur talento sibi commisso, id est mentis acie, qua videntur omnes qui docti aut urbani aut faceti nominantur, excellere; sed habent eam *in sudario obligatum* [al., *ligatam*] aut in terra obrutam, id est delicatis et superfluis rebus aut terrenis cupiditatibus involutam et oppressam: *Ligabuntur* ergo *his manus et pedes, et mittentur in tenebras exteriores: ibi erit ploratus et stridor dentium* (*Luc.* IX, 20), non quia ipsa dilexerunt, quis enim hoc diligat, sed quia illa quæ dilexerunt initia istorum sunt, et necessario dilectores suos ad ista perducunt; qui enim magis amant ire quam redire, aut pervenire, in longinquiora mittendi sunt, *Quoniam caro sunt, et spiritus ambulans, et non revertens* (*Psal.* LXXVII, 39). Qui vero bene utuntur vel ipsis quinque sensibus corporis ad credenda et prædicanda opera Dei, et nutriendam charitatem ipsius vel actione et cognitione, ad pacificandam naturam suam et cognoscendum Deum, intrant in gaudium Domini sui. Propterea talentum, quod male utenti aufertur, illi datur qui talentis quinque bene usus est (*Matth.* XXV, 29), non quia transferri potest acumen intelligentiæ, sed ita significatum est posse hoc amittere negligentes, et impios ingeniosos, et ad eam pervenire diligentes, et pios, quamvis ingenio tardiores. Non enim datum est illud talentum ei qui acceperat duo (habet enim et hoc, qui jam in actione et in cognitione bene vivit) sed ei qui acceperat quinque. Nondum enim habet ad æternæ contemplanda idoneam mentis aciem qui visibilibus tantum, id est temporalibus, credit; habere potest, qui horum omnium sensibilium Deum artificem laudat, et cum persuadet fide, et spectat spe, et quærit charitate. Gregorius autem in libro XI Moralium, cap. 5.

[*Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat* (*Job.* XII, 14): quia omnis homo per id quod male agit, quid sibi aliud quam conscientiæ suæ carcerem facit, ut hunc animæ [*al.* animi] reatus premat, etiamsi nemo exterius accuset? Qui cum judicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evalendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. Nam sæpe nonnulli exire a pravis actibus cupiunt: sed, quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt; et quidem culpas proprias punire cupientes, hoc quod recte se agere æstimant, in gravioribus peccatis [*al.*, graviores culpas] vertunt, fitque modo miserabili, ut quod exitum putant hoc inclusionem inveniant. Sic videlicet reprobus Judas, cum mortem sibi contra peccatum intulit (*Matth.* XXVII, 5), ad æternæ mortis supplicia pervenit, et pejus de peccato pœnituit, quam peccavit. [Dicatur ergo: *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat*; quia, sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obvias justitiæ relinquentis; includere itaque dicitur [*al.* Dei est] clausis non aperire. Unde et ad Moysen dicitur de Pharaone: *Ego obdurabo cor ejus* (*Exod.* IV, 7): obdurare quippe per justitiam dicitur Deus quando cor reprobum per gratiam non emollit; recludit itaque hominem quem in suorum operum tenebris.] Manifestissime beatus Gregorius eam inclusionem qua in hac vita peccatores cæcari adsolent, præmissa sententia declaravit. Quod circumstantia ejusce sententiæ indubitanter demonstrant, quorum clausulam adjiciendam duxi, quo evidens quid in præcedente sententia senserit, fiat.

Gregorius (*Moralium*, l. XI cap. 5). [Quasi enim aperire hanc inclusionem cum *Isaac* primogenito filio voluit, cum hunc fratri præponere benedicendo conatus est; sed filium quem pater voluit, Dominus reprobavit, et quem Dominus voluit, pater etiam nolendo benedixit: ut qui jam primogenita fratri pro esca vendiderat, primogenitorum benedictionem non acciperet, quam ex cupidine gulæ reliquisset; qui terrena ambiens, fugitiva sequens, hæreditare cupiens benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum; quanquam cum lacrymis inquisisset eam; quia videlicet fructum non habent lamenta quæ strident cum gemitu desiderare peritura. Aperire itaque Isaac nec filio potuit, quem Deus omnipotens justo judicio in suæ malitiæ carcere inclusit]. † Sed, ne contentiosus obstrepere deligas, videamus alteram ejus sententiam ex homilia Evangelii, qua pœnas corporis corporeas judicari nullus ambigat. Ait enim Gregorius (*Homil.* 38). [*Ligantur* tunc *pedes et manus* (*Matth.* XXII, 13) per districtionem sententiæ, qui modo a pravis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ. Vel certe tunc ligat pœna, quos modo a bonis operibus ligavi culpa; pedes enim qui visitare ægrum negligunt, manus quæ nihil indigentibus tribuunt, a bono opere jam ex voluntate ligatæ sunt. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc in supplicio ligantur invite: bene autem dicitur quod *in exteriores tenebras projiciatur;* interiores quippe tenebras dicimus cæcitatem cordis, exteriores vero tenebras

æternam noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque non in interiores, sed in exteriores tenebras mittitur, quia illic invitus projicitur in noctem damnationis, qui his sponte cecidit in cæcitatem cordis. *Ubi fletus* quoque *et stridor dentium* esse perhibetur, ut illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant; illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur in mundo: quatenus singula quæque membra supplicio subjaceant, quæ hic singulis quibusque vitiis subjecta serviebant]. † Idem in Moralibus, lib. XII, cap. 20.

[Superbire enim minime debuisset, etiamsi annorum suorum numerum certum habere potuisset ut, sciens quantum viveret, præsciret quando se ab elatione removeret. At, postquam præsens vita semper incerta est, tanto semper mors subripiens timeri debet, quanto nunquam prævideri valet. Bene autem superbiam impii tyrannidem vocat; proprie enim tyrannus dicitur qui in omni republica non jure principatur: sed sciendum est, quia omnis superbus juxta modum proprium tyrannidem exercet. Nam quod nonnunquam alius in republica, hoc est per acceptam dignitatis potentiam alius in provincia, alius in civitate, alius in domo propria, alius per latentem nequitiam hoc exercet apud se in cogitatione sua; nec intuetur Dominus quantum quisque mali valeat facere, sed quantum velit; et, cum deest potestas foris, apud se tyrannus est cui iniquitas dominatur intus; quia etsi exterius non affigit proximos, intrinsecus tamen habere potestatem appetit ut affligat: et quia omnipotens Deus corda pensat, jam in ejus oculis impius fecit quod cogitavit. Ad hoc autem conditor noster latere nos voluit finem nostrum, ut, dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati inveniri debeamus [*al.* inveniamur]. Unde recte postquam dictum est: *Cunctis diebus suis impius superbit*, adjungit, *et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus* (*Job* XV, 20). Ac si aperte diceretur: Cur quasi de certo extollitur, cujus vita sub pœna incertitudini tenetur? Sed omnipotens Deus prave agentibus non solum ventura supplicia reservat, sed eorum corda, hic etiam ubi delinquunt, pœnis implicat, ut eo ipso quo peccant semetipsos feriant; ut, semper trepidi semperque suspecti, mala ab aliis pati metueant quæ se aliis fecisse meminerint.] † Qui tamen evidenter de peccatis quæ sunt pœnæ peccatorum in Expositione Ezechiel prophetæ Homilia 11, partis primæ, ita disseruit:

[Sed *Et si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. Ipse morietur, quia non annuntiasti ei: in peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus quas fecit. Sanguinem vero ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III, 20). Quia justo qui in peccato ceciderit, prædicator tacuit, ejus sanguinis [*al.*, sanguine) reus tenetur, et qui sollicitus esse non studuit in prædicatione, factus est particeps in damnatione. Sed cum dicitur: *In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit*, hoc maxime nobis considerandum est quia, cum mala committimus, sine causa ad memoriam bona nostra transacta revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum. Sed quæri potest utrum justo, postquam ceciderit, prædicandum sit; an et priusquam cadat, invigilare prædicator debeat, ne ad casum veniat; procul dubio et priusquam cadat. Nam sequitur: *Si autem tu annuntiaveris justo ut non peccet justus, et ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei: tu autem animam tuam liberasti* (*Ezech.* III, 21, etc.). Si ergo prædicator ideo animam suam liberavit, quia justo ne peccaret annuntiavit, cum justus ad peccatum prædicatore tacente ceciderit, prædicator, quia B tacuit, reus tenetur. Sed quis, rogo, nostrum ad hæc sufficiat ut non solum peccatores studiose corripiat, sed etiam justis invigilet ne cadant? nos enim, infirmitatis nostræ conscii, cum justos viros conspicimus, admonere eos non præsumimus ut justitiæ viam teneant, quam quia tenent videmus, et tamen prædicatoris est debitum etiam justos admonere. Unde prædicator egregius dicebat: *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I, 14). In his vero omnibus, quæ de justo ad iniquitatem converso dicta sunt, hoc est laboriosum ad loquendum, hoc valde pertimescendum quod Dominus dicit: *Ponam offendiculum coram eo.* Ait enim: *Si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo* (*Ezech.* III, 20). C Nos enim dicimus quia, si iniquitatem fecerit, offendit: et verum est omnino quod dicimus: cur adhuc ei Deus omnipotens *offendiculum* ponet, quem jam impie egisse, et cecidisse per iniquitatem quam perpetravit, conspicit? Sed districta sunt omnipotentis Dei judicia, et qui peccatorem diu exspectat ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc ubi gravius impingat. Peccatum quippe quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et pœna peccati, aut peccatum simul causa et pœna peccati.. Omne enim quod prius committitur, peccatum est; sed, si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccantis [*al.* peccatis] mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo et D corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est et causa peccati: quia ex illo oritur unde adhuc peccatoris animus arctius obligetur; peccatum vero quod ex peccato sequitur, peccatum simul est et pœna peccati, quia, excrescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, ut quasi jam quædam sint in peccatore supplicia, ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnunquam ut unum demque peccatum, et peccatum sit, et pœna peccati, simul et causa peccati. Ponam enim ante oculos quempiam rem proximi concupisse, quam quia aperte non valuit, furto diripuit; sed in furti accusatione positus se hanc diripuisse jurejurando

denegavit. Hue ergo concupiscentia peccatum fuit A et causa peccati, quia per eam pervenit ad rapinam ; ipsum vero furtum quo rem concupitam diripuit, et peccatum ei factum est et pœna peccati, quia ex retributione jam non repressæ concupiscentiæ factum est ut veniret ad furtum, et culpa cordis excresceret in opere ex [*al.*, et] ultione cæcitatis ; sed quia furtum perjurio tegere curavit, ex peccato rursum peccatum genuit. Furtum ergo quod ex concupiscentia processit, et perjurium protulit, peccatum e pœna peccati factum est, culpæ præcedenti peccatum, et causa peccati culpæ subsequenti, quia de illa natum hanc genuit. Quod bene Paulus Apostolus de quibusdam Deum intelligentibus, sed non honorantibus, insinuat dicens : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glo-* B *rificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I, 21). Ecce est peccatum et causa peccati, ex qua causa quid sequatur adjungit: *Et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium* (*Ibid.* 21, 22, 23). Ecce est peccatum et pœna peccati, sed peccatum solummodo et pœna peccati esset, si non adhuc ex hoc peccato et aliud sequeretur. Nam post infidelitatem eorum subditur : *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficerent corpora sua in semetipsis* (*Ibid.*, 24). *Quia igitur cognoscentes Deum, non si-* C *cut Deum glorificaverunt* (*Ibid.* 21), ex eo peccato et causa peccati, ad hoc quoque perducti sunt ut ad cultum serpentium et volucrum laberentur. Sed quia per hanc etiam cæcitatem usque ad immunditiam et carnis contumelias ceciderunt, ipsa infidelitatis eorum cæcitas præcedenti intellectui et peccatum est et pœna peccati ; subsequenti vero immunditiæ peccatum facta est et causa peccati. Sed quia de his in libris moralibus diu tractatum est, nobis nunc diutius in eis immorandum non est. Hoc autem nobis cum tremore considerandum est quomodo justus et omnipotens Deus, cum præcedentibus peccatis irascitur, permittit ut cæcata mens etiam in aliis labatur : Unde Moses ait : *Nundum completa peccata sunt Amorrhæorum* (*Gen.* XV D 16). David quoque dicit: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, ut non intrent in tua justitia* (*Psal.* LXVIII, 28). Propheta etiam aliis dicit : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* (*Osee.* IV, 2). Sanguis enim sanguinem tangit, quando peccato peccatum additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus apostolus ait : *Ut impleant peccata sua semper* (*I Thess.* II, 16). Joanni quoque per Angelum dicitur : *Qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11). Unde etiam Dominus dicit : *Si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo* (*Ezech.* III, 20). Ac si aperte dicat : Quia videre pœnitendo noluit ubi jam impegit, justo eum judicio deserens, ponam ei ut et alibi impingat. Quod tamen Domini *ponere*, est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle a peccato liberare; sicut de Pharaone dicitur : *Ego indurabo cor ejus* (*Exod.* IV, 21). Non enim cor peccantis Dominus obdurat ; sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Misericors enim Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat; sed, cum ejus gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad feriendum vertit ; ut cum reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti voluisset. Unde scriptum est : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II, 4, 5). De benignitate ergo omnipotentis Dei iram sibi in die iræ reprobus thesaurizat, quia, dum ad pœnitendum tempus accipitur, et ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Unde et omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad culpæ augmentum trahi, ipsam benignitatem quam contulit, in judicii districtionem vertit. Ut inde [*al.*, post] per amplius feriat, unde modo amplius exspectat: et quia homo deserere malum non vult, ut vivat, auget unde moriatur. Sed sive justus in culpa, sive peccator in morte corruat, speculatori timendum est ne hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter involvat].

† Si veræ pietatis affectu Christianæ humilitati devotus anhelas, nulla obstante difficultate, patentissime perspicis inclusionem ex beati Job verbis sancto Gregorio edissertam, non pœnam significare gehennæ, sed eam qua reprobi, in hac mortalitate suis voluptatibus lethaliter faventes, justo Dei judicio feriuntur. Attamen Christiana te charitate admoneo ne verbis beati Augustini, quibus de pœnis impiorum diverse in opusculis suis tam multis sentire videtur, eo usque inhæreas ut veritati tantopere contradicas. Nam ille vir sanctus et doctus multa prioribus suæ conversionis temporibus scripsit, quæ postmodum necessario retractanda judicavit. Quo munere speciali cœlitus donatus plura retractavit, quædam in posterioribus suis opusculis veracius scrutata disseruit, pleraque retractanda morte præreptus dereliquit. Ac per hoc, quæcunque vel retractavit, vel post elimatius proindeque veracius exquisivit et scripsit, sequenda et pio amore veneranda atque tenenda pius quicunque intellector sanissime judicabit. Qui tamen nunquam ita pœnas cordis adstruxit, ut corporis denegaret. Sed prout commodum duxit, de utrisque pariter aut de alterutra sigillatim tractavit. Sicut in libro III de libero voluntatis Arbitrio (cap. 20) breviter dilucideque ostenditur ubi ait :

[Ut autem de illo primo conjugio et cum ignorantia et cum difficultate, et cum mortalitate nascamur;

quoniam illi cum peccavissent, et in errorem et in ærumnam et in mortem præcipitati sunt, rerum moderatori summo Deo justissime placuit ut et in ortu hominis originaliter appareret justitia punientis, in provectu misericordia liberantis.] ✝ (Idem, *ibid.*, cap. 23.) [Quid est enim aliud dolor nisi quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens? unde luce clarius apparet quam sit illa anima in sui corporis universitate avida unitatis et tenax, quæ nec libenter nec indifferenter sed potius renitenter et reluctanter intendit [*al.*, intenditur] in eam passionem corporis sui qua [*al.*, per quam] ejus unitatem atque integritatem labefactari moleste accipit.] ✝ Idem in libro *de vera Religione*, cap. 41.) [Ergo mirum est si omnis anima quæcunque, ubi sit [*al.*, si hominis animam ubicunque sit], et qualiscunque sit omni corpore est melior dicam pulchre ordinari, et de pœnis ejus alias pulchritudines fieri, cum ibi non sit, quando misera est, ubi esse beatos decet, sed ibi sit ubi esse miseros decet.] ✝ Idem in eodem (cap. 41). [Quod si ab ea parte cui dominari nos Deus jubet, atque ut in nostram possessionem restituamur et hortatur et opitulatur, si ergo ab hac parte per negligentiam et impietatem vir subditus fuerit, id est mens et ratio, erit quidem homo turpis et miser sed destinatur in hac vita, et post hanc vitam ordinatur, quo eum destinari, et ubi ordinari summus ille rector et Dominus judicat.] Idem *ib.*, cap. 11, in fin. cap. 12.) ✝ Quapropter vita, quæ, fructu corporis delectata, negligit Deum, inclinatur ad nihilum et ista est nequitia. Hoc autem pacto vita carnalis et terrena efficitur, et ob hoc etiam caro et terra nominatur, et quandiu ita est regnum Dei non possidebit (*I Cor.* xv, 50), et eripitur ei quod amat. Id enim amat quod et minus est quam vita, quia corpus est, et propter ipsum peccatum, quod amat [*al.*. amatur], fit corruptibile, ut fluendo deserat amatorem suum, quia et ille hoc amando deseruit Deum: præcepta enim ejus neglexit dicentis; hoc manduca, et hoc noli. Trahitur ergo ad pœnas, quia diligendo inferiora, in egestate voluptatum suarum, et in doloribus apud inferos ordinatur. Quid est enim dolor qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis ejus rei quam male utendo, anima corruptioni obnoxiavit [*al.*, fecit obnoxiam]? Quid est autem dolor qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus quibus fruebatur aut frui se posse speraverat? et hoc est totum quod dicitur malum, id est peccatum et pœna peccati]. ✝ Idem in spalmo LXVI (in principio).

[Quis autem nostrum dicturus est non esse illam Dei benedictionem si vel agricultura ei fructum ferat, vel domus cujusque abundet copia rerum temporalium, vel ipsa corporis salus aut teneatur, ne amittatur, aut amissa reparetur? fecunditas etiam feminarum, et casta vota filios desiderantium ad quem pertinent, nisi ad Dominum Deum? Qui enim creavit quando non erat, ipse prolis successu facit permanere quod condidit. Facit hæc Deus, donat hæc Deus. Parum est nobis dicere: facit hæc Deus, donat hæc Deus; sed solus hæc facit, solus donat. Quid enim! Facit hæc Deus, sed facit hæc et aliquis non Deus? Facit hæc, et solus facit, et sine causa ista petuntur vel ab hominibus vel a dæmonibus; et quæcunque bona accipiunt inimici Dei ab illo accipiunt et, cum ab aliis petunt et accipiunt, nescientes ab illo accipiunt. Quomodo, cum puniuntur, et putant se ab aliis uniri, nescientes ab illo puniuntur. Sic et cum vegetantur, implentur, salvantur, liberantur. Et si hoc, nescientes, vel hominibus vel dæmonibus vel angelis tribuunt; non habent nisi ab illo peues quem potestas est omnim.]

CAPUT XVII.

Cur Deus dicitur prædestinasse pœnas, cum eas non faciat nec prædestinet

Septima decima næniarum tuarum habet titulum

JOANNES SCOTUS.

(Num. 1). Θ *Cur Deus dicatur prædestinasse pœnas, cum eas non faciat nec prædestinet, proinde ratione atque auctoritate qua conficitur firmissime tenendum, prorsus suppliciorum, quibus superba impietas æterno torquebitur cruciatu, nullo modo Deum esse auctorem, nullo modo eorum esse factorem, nullo modo prædestinatorem.*

CORRECTIO.

✝ Deum auctorem suppliciorum vel temporalium vel æternorum et prædestinatorem, tam auctoritate sacri eloquii, quam doctorum concordia satis demonstratum est. Sed quia tu supplicia peccatorum nihil aliud quam peccata esse susurras, peccatorum auctorem Deum minime dicimus; attamen, quotiescunque vel hic vel illic peccata suis auctoribus in pœnam convertuntur, secundum ea quæ præcedens hunc sermo abundanter exsequitur, non nisi Deo vindice fieri proclamamus.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 17). *Ea tamen*, inquis, *ratione auctor eorum esse dicitur, et factor, et prædestinator, qua verissime creditur totius universitatis, in qua sunt factor et ordinator. Ita enim* (num, 2. sect. 1) *universæ creaturæ suæ, antequam ipsam crearet, statum pulchritudinis prædestinavit esse futurum, ut malorum turpitudo, quam non prædestinavit, quia non eam facturus esset in universo turpis non esset, malitia nocentium non noceret, error errantium non erraret, miseria torquendorum felicitatem non turbaret electorum; nullius enim turpitudo, vel malitia vel error seu miseria prædestinatum ante sæcula naturalem ordinem dehonestare permittitur.*

CORRECTIO.

✝ Si eo modo dicitur Deus factor et prædestinator suppliciorum, quo verissime creditur totius universitatis, in qua sunt factor et ordinator veraciter, nimirum factor et prædestinator eorum dicendus est, quia veraciter, factor et ordinator universitatis habetur. Quia vero tu supplicia non aliud quam peccata esse contendis, non est hic nobis

diutius immorandum, quoniam satis superque de his tractatum in præcedentibus constat; quodque addis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 17, num. 3, sect. 2. Θ *Cum ergo audimus: prædestinavit Deus illos vel ad interitum vel supplicium, vel pœnas, seu cruciatum, seu quoquomodo vocari solet miseria qua torquetur iniquitas a seipsa, in seipsa, per seipsam, non aliud intelligere jubemur quam ipsum ante tempora præscisse et prædestinasse quo ordine universitatis futuri sunt illi, quos occultissimo, justissimo tamen, judicio amaritudinem peccatorum suorum sentire permisit, quia eos in damnabili origine reliquit.*

CORRECTIO.

† Licet diversa tibique adversa proferas, qui prædestinatos pro non prædestinatis adstruxeras, multum veritati prædestinationis approprias. præter illa quæ a veritate aliena interseris. Nam et veritas hoc clamat: Præordinasse Deum, quo ordine universitatis futuri sunt illi, quos justissimo suo judicio amaritudinem peccatorum suorum sentire, non (ut mentiris) permisit, sed ut verum est judicavit, et judicando compellit. Nec id solum eis pœna est, quod eos in damnabili (ut dicis) origine reliquit, sed reddita est eis etiam pœna ignis æterni, qua torqueantur inviti.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 17, num. 4, sect. 2.) Θ *Servata*, inquis, *illa notissima differentia inter præscientiam et prædestinationem, ut cum tantum late pateat prædestinatio quantum præscientia (unum quippe atque idem divinam profecto substantiam significantes), prædestinatio ad ea tantum quæ in bono sunt pertineat, præscientia vero ad bona malaque; quæ tamen differentia non est ex natura, sed ex usu locutionum. Quemadmodum enim dicitur de Deo: ubique est præsentia, sed non ubique est gratia habitationis, ita de eo dici possit; ubique præscientia non ubique prædestinatione: cum apertissime veritas clamet de Deo: ubicunque Deus fuerit præsentia, ibi profecto erit habitatione: similiter ubicunque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione.*

CORRECTIO.

† Procul dubio falsa sunt quæ exsequeris, sicut superius abunde monstravimus. Primo quod prædestinatio et præscientia Dei substantia non sunt, quia relativa sunt, quæ non ostendunt essentiam. Deinde quod præscientia et præsdestinatio adeo inter se differunt, ut præscientia Dei dicatur etiam in his quæ ipse non fecit, ut sunt peccata; prædestinatio vero in his solummodo quæ ipse facturus erat vel in conditione et ordinatione rerum, vel in electione gratiæ, vel in condemnatione inflexibilis judicii, sed nunquam injusti. Ac per hoc quemadmodum recte dicitur de Deo: ubique est præsentia potestatis, sed non ubique est gratia habitationis, ita recte de ipso dici potest: ubique est præscientia, sed non ubique est prædestinatione. Quoniam qui omnia præscivit, et bona et mala, id est peccata: nequaquam prædestinavit nisi bona, id est misericordiam et judicium, in quo sunt etiam pœnæ quæ a sensu patientium malæ vocantur, quæ omnino nullo præter ipsum auctore fiunt.

Postremo, quod dicis *veritatem clamare de Deo, ubicunque fuerit præscientia ibi esse habitatione*, proindeque *ubicunque fuerit præscientia, necessario esse prædestinatione*, adeo regulam veritatis et pietatis transgreditur, ut apertissimis oraculorum divinorum testimoniis resultare minime dubitetur, dicente ipsa Veritate: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum. et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23): Et item: *Et ego rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum: Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit* (*Joan.* XVI, 17). Unde et liber sapientiæ dicit: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* I, 4); Et Apostolus: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis, quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII, 9, 11). Et rursum: *Nolite jugum ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi; sicut dixit Deus, quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* (*II Cor.* III, 14, 15, 16): Et iterum: *An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo?* (*I Cor.* VI 19.) Quibus omnibus liquet Deum nullatenus inhabitare nisi templum suum, templum vero ejus non esse nisi membra Christi dicente eodem Apostolo: *Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt* (*Ibid.*, 15). Hoc clamat veritas, hoc prædicat pietas, Deum non habitare nisi in templo suo; templum ejus non esse nisi sanctos suos. Hinc Augustinus in libro ad Dardanum de Præsentia Dei (*Epist.* 57 *ad Dardanum* ante medium).

[Verum illud est multo mirabilius, quod cum Deus ubique sit totus, non tamen in omnibus habitat: non enim omnibus dici potest, quod ait Apostolus, vel quod jam dixit, vel etiam illud: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Unde et e contrario de quibusdam idem dicit: *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII). Quis porro audeat opinari nisi quisquis inseparabilitatem penitus Tri-

nitatis ignorat, quod in aliquo habitare possit Pater et Filius in quo non habitet Spiritus sanctus, aut in aliquo Spiritus sanctus in quo non et Pater et Filius? Unde fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratia ... Propter hanc enim habitationem; ubi procul dubio gratia dilectionis ejus agnoscitur, non diximus: Pater noster qui es ubique (cum et hoc verum sit); sed *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth*, VI, 9): ut templum ejus potius in oratione commemoremus, quod et nos ipsi esse debemus, et in quantum sumus, in tantum ad ejus societatem et adoptionis familiam pertinemus. Si enim populus Dei nondum factus æqualis angelis ejus, adhuc in ista peregrinatione dicitur templum ejus (*I Cor.* III, 16), quanto magis est templum ejus in cœlis, ubi est populus angelorum, quibus aggregandi et coæquandi sumus, cum, finita peregrinatione, quod promissum est sumpserimus. Cum igitur qui ubique est, non in omnibus habitet, etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat.] ┼ (Idem *ibid.*, paulo post.) [Sicut autem nec ab illo abest in quo non habitat, et totus adest, quamvis eum ille non habeat, ita et ille in quo habitat totus est præsens, quamvis non ex toto eum capiat.] (Idem, *ibid.*, in medio :)

[Cum itaque proficientes, in quibus mortalitas habitat, dum de die in diem renovantur, magis magisque justificet, exaudiat orantes, mundet confitentes, ut exhibeat sibi templum immaculatum in æternum, merito dicitur non habitare in eis qui, *cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, vel gratias egerunt* (*Rom.* I, 21): colendo enim, et serviendo creaturæ potius quam Creatori, non unius veri Dei templum se esse voluerunt. (Idem, *ibid.*, ad medium): Quamobrem Deus, qui ubique præsens est et ubique totus, non in omnibus habitat, sed in eis tantum quos efficit beatissimum templum suum, vel beatissima templa sua, *eruens eos a potestate tenebrarum, et transferens in regnum Filii charitatis suæ* quod incipit a regeneratione (*Col.* I, 13). † (Idem *ibid.*, prope finem). Deus igitur ubique præsens est, et ubique totus præsens, nec ubique habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est et propitius.] ┼ Non est igitur differentia inter præscientiam et prædestinationem sumpta usu locutionis, sed a natura; quia naturaliter aliud est præscire, aliud prædestinare: sicut aliud est præsentem esse, aliud habitare. Multa quippe præsciuntur, quæ non prædestinantur; sicut multa sunt præsentia, quæ non sunt habitantia. Nam sæpe in his locis et cum his personis adsumus per præsentiam, in quibus et cum quibus nullatenus habitamus; habitare quippe non dicitur quis, nisi in domo: esse vero etiam non in domo: ita et Deus ubique esse dicitur, per omnipotentiam majestatis, qui tamen non nisi in templo et in domo sua dicitur esse per gratiam habitationis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. XVII, num. 5, sect. 3.) θ *Proinde,* inquis, A *quemadmodum præsentia et habitatio Dei non est nisi in his quæ ab eo facta sunt, ita ejus præscientia et prædestinatio non nisi eorum quæ ipse facturus esset, credenda sunt. Ac per hoc, quemadmodum præsentia ejus et habitatio in his, quæ nec ab eo sunt, nec ea facit,* e contrario *esse dicuntur, cum in eis non sint; ita præscientia ejus et prædestinatio* e contrario *pronuntiatur in illis quæ non fecit, nec donavit, quia nihil sunt.*

CORRECTIO.

† Dei præsentia ubique in sacris eloquiis prædicatur, ejus habitatio non nisi in templo ipsius invenitur. Nusquam enim ubique Deum habitare, sicut ubique esse reperies, nisi in tuis tuique si- B milium flectionibus: Dicit enim ipse Dominus: *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24): Et Propheta ad eum: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Et dixi. Forsitan tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus* (*Ps.* CXXXVIII, 7, 12). Non ergo *a contrario* (ut fatue desipis) Deus inesse dicitur ubique, quia non *a contrario* dicta sunt quæ præmisimus, vel ab ipso vel a prophetis ejus. Veraciter namque C dicebat idem propheta: *Dixi iniquis: Nolite inique agere, et delinquentibus: Nolite exaltare cornu; nolite extollere in altum cornu vestrum; nolite loqui adversus Deum iniquitatem: quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus* (*Ps.* LXXIV, 5, 6, 7, 8), subauditur *patet via fugiendi* et additur quare: *quoniam Deus judex est.* Itaque, cum crebro inveniatur Deum potentia majestatis ubique præsentem, nunquam præter domum suam ei habitaculum reperitur. Quamobrem, sicut falsum est quod nisus es affirmare de præsentia et habitatione Dei, ita sine dubio falsum est quod probare molitus es de præscientia et prædestinatione: unde mirum valde est quod dicis.

JOANNES SCOTUS.

D (Cap. 17, num. 6, sect. 3.) θ *Non incongrue tamen æstimantur esse in his quæ vitio creaturæ orta sunt, cum non solum ipsam creaturam sapienter ordinet, sed etiam vitium ejus suas leges excedere non sinat.*

CORRECTIO.

┼ Quomodo non incongrue æstimantur esse in his, id est peccatis quæ vitio creaturæ orta sunt, cum peccata nihil sint? aut quomodo vitio creaturæ orta dicis, cum superius creaturam non peccasse, nec ex creatura peccatum prodiisse, sed ex voluntate, loquaci falsitate prosecutus sis? Patet igitur non esse ex veritate quod ais; quia veritas nunquam est sibi ipsi contraria, nunquam sese ipsa impugnat: quod te fecisse et facere toties deprehendimus, Chri-

sto propitio, et ostendere parati sumus. Jam vero similitudo domus amplissime magnificentissimeque dispositæ cujuslibet patris multarum familiarum ordinantis in ea aliter filios suos, aliter servos, aliter sanos, aliter inopia (ut ais) malarum cupiditatum, quas intemperantia suæ libidinis traxerunt cruciatos, dentibus stridentes, vermibus scatentes, diversis perennis tristitiæ generibus laborantes, qua conaris astruere non eum recte æstimari durissimum punitorem qui laudatur justissimus ordinator, nihilominus veritati judicantis non usquequaque repugnat, neque justitiæ illius rigorem nullatenus enervat, si ad intimum cerebrum veritas exsculpatur. Quid enim ille universitatis conditor, ordinator et judex, in hac universitatis pulchritudine aliud agere recte dicitur, quam filios colligere per gratiam, et impios vel deserendo vel judicando damnare per justitiam? Nunquid et ille quem patrem multarum familiarum per similitudinem adhibueras, non poterat miseris in domo sua constitutis succurrere si vellet, eosque a miseria liberare? Quod quia minine fecit, quid aliud sensisse intelligendus est, quam eos dignæ miseriæ addictos, nunquam debere affici dignitate? qui ergo eos a miseria noluit, cum poterit, liberare, nimirum ipse eos damnavit, qui a miseria nunquam liberandos judicavit. Sed quid necesse et nos in his ulterius hærere, cum Deum vindicem ultoremque malorum omnium, et ratio et auctoritas, ex his quæ præcedentibus actionibus disserta et pertractata sunt, affatim persuaserit? quia, sicut beatus Augustinus ait, quod et tu licet in contrarium posuisti (cap. 17, num. 7, sect. 6).

Augustinus (*De vera Religione*, c. 23.): [Animæ vitium non natura ejus, sed contra naturam ejus est, nihilque aliud est quam peccatum et pœna peccati; unde intelligitur nullam naturam, vel, si melius ita dicitur, nullam substantiam sive essentiam malum esse; neque de peccatis pœnisque ejus animæ efficitur, ut universitas ulla deformitate turpetur, quia rationalis substantia, quæ ab omni peccato munda est, Deo subjecta, subjectis sibi cæteris dominatur. Ea vero quæ peccavit, ibi ordinata est ubi esse tales decet ut, Deo conditore atque rectore universitatis, decora sint omnia; et est pulchritudo universæ creaturæ, per hæc tria inculpabilis; damnatione peccatorum, exercitatione justorum, perfectione beatorum.]

† Vide quid dicat, quod quamvis peccatrices animæ puniantur, earum tamen punitione nullatenus universitas ulla deformitate turpetur: nullam quippe turpitudinem justitia ingerit, quæ pulcherrima esse convincitur. Omnis itaque et ordo et justitia Dei pulchra sunt. Ac per hoc, ubicunque, et in quibuscunque sunt, non turpitudinem, sed pulchritudinem ingerunt. Unde et idem doctor in eodem libro (c. 41).

[Defectu, inquit, suo in pulchritudines corruptibiles, id est pœnarum ordinem præcipitatur; nec miremur quod adhuc pulchritudines nomino, nihil enim est ordinatum quod non sit pulchrum, etc. Quid ergo mirum est si hominis animam, quæ ubicunque sit, et qualiscunque sit, omni corpore est melior, dicam pulchre ordinari, et de pœnis ejus alias pulchritudines fieri, cum ibi non sit, quando misera est, ubi esse beatos decet, sed ibi sit ubi esse miseros decet.]

† Attende quod animam peccatricem in pœnarum ordinem præcipitari dixerit, et ibi esse ubi talem esse deceat, procul dubio in loco pœnarum, id est tartaro. Noli ergo dicere: *Nulla universitatis parte punitur impius, sed sua propria impietate in seipso, ut prædictæ sanctorum Patrum sententiæ testantur,*] quia veraciter animadversæ atque discussæ hoc dicere comprobantur quod veritas habet, non quod falsitas adhibet. Legerant enim de Domino dictum: *Ignis in conspectu ejus exardescet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus* (*Ps.* XLIX, 3). Et rursum dicente ipso: *Ignis succensus est in furore meo: et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis* (*Deut.* XXXII, 22, 23): Item: *Levabo ad cœlum manum meam, et dicam: Vivo ego in æternum; si acuero, ut fulgur, gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes* (*Ibid.* 40, 41, 42).

Interea [*al.*, intermitte] quæso, acrimoniam tuæ vivacissimæ disputationis, ut digneris advertere quid ex verbis tanti Patris posueris. Ea vero, inquientis, quæ peccavit, ibi ordinata est ubi esse tales decet. Duo hic (*De vera relig.*, c. 23) tibi contraria posuit. Substantiam peccavisse, quod tu negas; et ibi peccantem substantiam ordinatam esse ubi esse tales decet. Nunquam enim quid absque prædestinatione ordinatur, neque absque ordine aliquid prædestinatur: quidquid itaque de prædestinatione dicitur, totum haud aliter quam de ordinatione verissime prædicatur, dicente Apostolo: *Quæ autem sunt a Deo ordinata sunt* (*Rom.* XIII, 1), ac si aliis verbis diceret: a Deo destinata atque disposita sunt, ea duntaxat discretione servata, quam supra a verbis Augustini posuimus, ut ordinatio ipsius rei effectus, destinatio vero prior illius in consiliis dispositio habeatur, præordinatio autem nihil aliud quam prædestinatio teneatur. Nequaquam igitur prædestinationem impiorum denegas, quos ibi ordinatos, id est positos ac locatos legis (neque nullatenus abnuis) ubi esse miseros decet, ubi nullatenus ordinarentur, nisi ordinandi prædestinati fuissent. His omnibus colligitur vanissimam esse disputationem tuam, qua niteris ostendere nullam pœnam impiis irrogari, nisi propriæ impietatis conscientiam. Consequeris:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 17, num. 8, sect. 7). θ *Ut enim Deus non ideo fecit solem ut ejus radiis ordinate eum aspicientis oculorum visus refringatur, eosque in tenebris reper*

cutiat (quod profecto non ipse, sed ipsa inordinata visio efficit), neque ut patientem oculorum gravissimam passionem torqueat; cum illi in sua passione nihil tantum noceat quantum splendor solaris, dum ipsa passione non extrinsecus naturam rerum contingat, sed intrinsecus aliqua corporalis sanitatis corruptione dolentem torqueat: sic nimirum ignis ille æternus, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* xxv, 41), *nullo modo ad hoc creatus. Præsertim si quartum mundi elementum sit, probabilius creditur ad universitatis integritatem, quam Deus faciendam prævidit conditus, quam ad urendum apostatam, cui sua superbia suffecerat ad tormentum.*

CORRECTIO.

† Quomodocunque se habeat combustio ignis æterni erga diabolum et angelos ejus qui utique natura spiritus a Deo sunt conditi, quoniam apertis judiciis Scripturæ sacræ id minime innuunt, eis tamen præparatum, et in eo torquendos atque cruciandos manifeste declarant, in quem eos præcipitandos sub nomine capitis eorum Dominus ad Job testatur, dicens: *Et videntibus cunctis præcipitabitur* (*Job* xl, 28): non tamen ignoramus identidem quondam dixisse Origenem, et eum pro his cum cæteris suarum hæreseon damnabilibus sensis fuisse dejectum. Verumtamen quod adjungis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 17, num. 9, sect. 7.) Θ *Huic,* inquiens, *rationi additur quod, cum in æthereo corpore primum a Deo creatus sit, in quo nihil pati potuit, corpus ejus æthereum, postquam superbia intumuit, a supernis sedibus videlicet æthereis in hunc aerem humiditate crassum, caligine tenebrosum, perturbationibus passibilem detrusus est, ut ei inde corpus meritis suis condignum ipso nolente copularetur, ac per hoc in eo iniquitate sua torqueretur.*

CORRECTIO.

† Tam sunt ad explicandum difficilia, ut unde probari valeant minime reperiatur. Nulla quippe propheticarum apostolicarumque litterarum pagina corpus vel æthereum vel aereum ab Auctore creatum refert, sed tantum spiritum simpliciter factum, post superbissimæ impietatis typhum, a cœlestibus proturbatum, juxta beatri Petri apostoli sententiam: In carcere hujus aeris trusum, illo igni in die judicii cruciandum, cum omnibus suæ contumaciæ complicibus reservari (*II Petr.* ii, 4; iii, 7). In quo duo, præter alia, quam maxime mihi admiranda videntur: videlicet si corpus æthereum ei primo factum est, et æther dicitur vel ignis, vel certe sedes ignis, cur non igneo corpore magis quam in aereo pœnas pati potuerit, cum, secundum opinationem tuam, ignis ille quartum elementum mundi sit, nec fuerit necesse ut ad inferiora illo igni cruciandus propelleretur, in quo ipse constitutus, et a quo corpus habens, competentius inibi torqueri potuerit, quam inde, ab ipso vel in ipso cruciandus, alio transportari; et quod aereum corpus ei copulatum dicis, ut in eo non jam ab igne combureretur, sed iniquitate sua torqueretur. Si enim cum æthereo corpore peccavit, quando contra Auctorem tumuit, quid causæ fuit ut, eo sublato, ei aliud adderetur in quo torqueri posset? Cum rationi atque justitiæ illud potius congruere videatur ut in quo peccaverat in ipso cruciaretur: et non aliud ei ad tormentum copularetur, quod nequaquam ejus iniquitatis particeps fuerat? Expers itaque ejus impietatis corpus qua justitia ei ad puniendum additum fuerit non video; cum, sicut dicis, jam haberet ex ipsa sui conditione cum quo et in quo superbisse credatur. Quæ res quoniam abstrusissima et scrupulosissima atque ad absolvendum difficillima mihi videtur, ad cætera in nomine et adjutorio Domini transeamus. Nec prætereundum quod corpus hominis de terra factum, animam divinitus inspiratam, legamus: angelos vero, sive cœli prioris, sive lucis primariæ vocabulo, Scripturæ Geneseos, fide debeamus accipere, seu quocunque alio modo vel melius vel apertius eorum conditio doceri possit, ab universitatis conditione in cœlis superioribus factos omnibus Patrum sensis in hoc concinentibus certissimum tenemus. Non in æthere, ut somnias, sed in cœlis, id est supra hoc visibile firmamentum sideribus adornatum, constitutos, et Auctoris laudibus jugiter insistentes, ejusque jussis irrefragabili obedientia obsequentes; qui, cum semper sint spiritus, quando tamen hominibus ut appareant mittuntur, corpora vel ex æthere vel ex hoc pinguiori aere, quibuscum loqui et convesci queant terrigenis, assumere nullatenus dubitantur.

Hinc Augustinus (in libro *de Civitate Dei* viii, cap. 22): [Quia igitur nihil istorum quatuor eligendum est, ne in quolibet eorum de diis tam male sentiatur; restat ut nullo modo credendum sit quod Apuleius persuadere nititur, et quicunque alii sunt ejusdem sententiæ philosophi: ita, esse medios dæmones inter deos et homines tanquam internuntios et interpretes, qui hinc ferant petitiones nostras, inde referant deorum suppetias; sed esse spiritus nocendi cupidissimos, a justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidentia lividos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aere habitant, quia, de cœli superioris sublimitate dejecti, merito irregressibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere prædamnati sunt.]

† Philippus in Expositione beati Job (c. 24, sub medium): Non immerito autem hoc loco de his beatus Job ait: *Sicut in die condixerunt sibi* (*Job* xxiv, 16), quando, persuadente adhuc archangelo reliquis, de quibus dicitur: *Traxit secum tertiam partem stellarum contra Deum, in cœlis facta est conspiratio rebellionis* (*Apoc.* xii, 4). Collocutionem ego æstimo mobilem quamdam voluntatem fuisse consensuum potius quam sonora colloquia, quoniam spiritus sunt et non corpora membris composita. Unde fieri potest ut similes motus per subtilitatem naturæ suæ in se perspexerint, et hoc dictum sit colloquium. Non enim quidquam affectuum suorum ab invicem

latere spiritus possunt; simplices enim creaturæ, nullum habentes quasi obstaculum corpulentum, perspicuæ sibi sunt. Unde arbitror quod lingua illa, quæ est eis secundum conditionis suæ modum, longe dissimilis, atque insuspicabili distinctione sine sono vocis, quæ fit verberato aere, quod volunt illico enuntient, nec sit necesse eis humano more brevissimi saltem temporis spatio loquelam a cogitatione discernere. ✝ Attamen quod sequeris non minus vel mirabile vel fatuum judicatur :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 17, num. 10, sect. 8.) Θ *Sive*, inquiens, *itaque ignis ille corporeus* (*ut ait Augustinus*) *sive incorporeus, ut Gregorio placet, pro sui* (*ut opinor*) *substilitate, propterea prædestinatus vel præparatus dicitur diabolo, quoniam in eo fuerat ordinandus cum omnibus malitiæ consortibus puniendus. Et quemadmodum idem ignis bonus profecto, quoniam, a bono factus, non aliam ob causam malum dicatur, nisi quod in eo mali ordinatissime disponantur; ita etiam pœna non incongrue asseritur; quoniam idem mali in eodem criminibus suis libidinose commissis laboriose miserabiliterque cruciantur. Non ergo ille ignis est pœna, neque ad eam præparatus vel prædestinatus*; *sed qui fuerat prædestinatus, ut et in universitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum.*

CORRECTIO.

✝ Primo hæc tua sententia in eo falsitatis arguitur, quod ignem illum ab Augustino corporeum, a Gregorio incorporeum dici mentitur; nam uterque eum absque contradictione corporeum confitetur. Et, quia super Augustino tu ipse fassus est, ipsius sententiam ponere non necessarium judicavimus; super æstimatione autem Gregorii, ne cui in dubium veniat, tametsi paulo superius sententiam illius de eodem igne ex libris Moralibus posuerimus, qua eum corporeum fatetur, non abs re tamen videtur si aliam ejus sententiam ex alio ipsius opere ad medium deducamus. Nam, sicut liber illius qui Dialogorum prænotatur refert, Petrus Diaconus, cum de memorato igni inter alia sciscitans, ita adorsus est: Et quia ratione credendum est quia rem incorpoream tenere ignis corporeus possit?— GREGORIUS (*Dialog.* lib. IV, cap. 29) : Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? — PETRUS. In vivente quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia vivificat corpus. — GREGORIUS. Si incorporeus spiritus, Petre, in hoc teneri potest quod vivificat, quare non pœnaliter et ibi teneatur ubi mortificatur. Teneri autem per ignem spiritum dicimus, ut in tormento ignescat videndo atque sentiendo [*al.*, ut in tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur]. Ignem namque eo ipso patitur quod videt, et quia cremari se aspicit, crematur: sicque fit ut res corporea incorpoream exurat dum ex igni visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur. Ut per ignem corporeum mens incorporea A etiam corpora [*al.*, incorporea] flamma crucietur. Quamvis colligere dictis Evangelicis possumus quia incendium anima non solum videndo sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce dives mortuus in inferno dicitur sepultus, cujus anima quia in igne teneatur, insinuat vox [*al.*, voce] divitis, qui Abraham deprecatur dicens : *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI, 24). Dum ergo peccatorem divitem damnatum Veritas in ignem perhibet, quis sapiens reproborum animas teneri in ignibus neget? — PETRUS. Ecce ratione ac testimonio ac credulitatem flectitur animus; sed dimissus iterum ad rigorem redit. Quomodo enim res B incorporea a re corporea teneri atque affligi [*al.*, res corporea rem incorpoream teneat atque affligere] possit, ignoro. — GREGORIUS. Dic, quæso te, apostatas spiritus a cœlesti gloria deductos [*al.*, dejectos] esse corporeos an incorporeos suspicaris? — PETRUS. Quis sanum sapiens esse spiritus corporeos dixerit? — GREGORIUS. Gehennæ ignem esse incorporeum an corporeum fateris? — PETRUS. Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari. — GREGORIUS. Certe reprobis Veritas in fine dictura est : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Si igitur diabolus ejusque angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ, et antequam C recipiant corpora, possunt corporea sentire tormenta? PETRUS. Patet ratio nec debet animus de hac ulterius quæstione dubitare.]

✝ Ecce dum ignis illius corporei testimonia certa proponimus, ad omnia pene quæ in præfata tua sententia posueras, responsio verax reddita comprobatur; nam auctoritate tanti doctoris non solum ignis ille corporeus asseveratur, verum etiam et animas hominum et apostatas spiritus in eo sensibiliter cruciari probabiliter docetur; nec minus nobis illud clarissime illuxit, unde nostra infirmitas aliquatenus hæsitabat, scilicet de corporibus spirituum immundorum. Iste quippe doctor sanctissimus et eruditissimus non corporea eis addita, non eos in corporibus quibuslibet, sed in D ipsis quibus constant incorporeis spiritibus pati tormenta denuntiat. Non ergo propterea prædestinatus vel præparatus dicitur diabolo quoniam tantummodo in eo fuerat ordinandus, sed quia in eo vel videndo, vel experiendo, vel utroque modo fuerat cruciandus. Nec ideo malus dictus est quod in eo mali ordinatissime disponantur, sed quia omnis pœna mala a patientibus æstimatur : qui ideo etiam pœna torquendorum congruentissime nuncupatur, quoniam in eo mali, non solum anima, sed etiam corpore sensibiliter torquebuntur : Est igitur ille ignis pœna, ad hoc præparatus, factus et prædestinatus, ut in eo non conscientia tantum, verum etiam sensus et experientia comburantur omnes iniqui; nec ut sedes sit impiorum, sed ut pœna, cruciatus, tormentum, combustioque sit re-

proborum. Cujus rei copiosiora documenta in sexta decima actione congessimus. Deinde non minori, imo inaudita hactenus insania de eodem igni subnectis :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 17, num. 11, sect. 8). ⊖ *In quo*, inquiens, *procul dubio non minus habitabunt beati quam miseri. Sed sicut una eademque lux sanis* (*ut diximus*) *oculis convenit, impedit dolentibus, unus idemque cibus vel potus faucibus languentium amarus, sanitate fruentium dulcis; illis quippe suæ salutis placet integra lætitia, istis suæ corruptionis displicet pœnalis tristitia ; una eademque a qua natantem elevat, cadentem suffocat. Duorum in aula regali uno eodemque loco positorum, unus febricitat, alter gaudet. Gaudenti omnia totius aulæ ornamenta delectabiliter placent, laudabiliter apparent, honorabiliter concordant ; febricitanti vero intra seipsum doloribusque suis ardenti, omnium quæ extrinsecus videt, nihil esse delectat, nihil laudabile, quia omnia vituperat ; nihil consentiens, quia omnium abhorret : merito ; quid enim bonorum illi non noceret, quando ei auctor omnium bonorum placere non poterat ? aut ubi ullum bonum non nocebit, cui summo bono frui non placuit ?*

CORRECTIO.

† O insaniam inauditam ! O vecordiam detestandam ! O hebetudinem exhorrendam ! O subtilitatem omni obtusione duriorem ! O virulentiam omni abominatione extricandam ! Quid est (o mortalium superbissime) quod ausus es tanta impudentia declamare ? Ignem, quem Veritas diabolo et angelis ejus dicit ab initio præparatum, non minus miseris quam beatis habitationem attribuis ? Certe in judicio judex omnium dicturum se reprobis protestatur : *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41). Justis autem : *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Ibid. v.* 34). Istis regnum paratum dicit, non ignem ; gloriam, non pœnam. Illis autem ignem æternum, qui paratus sit diabolo et angelis ejus ; pœnam, non gloriam. Unde et illic dicitur : *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi* autem *in vitam æternam* (*Ibid.*, 46). Quid est hoc, o miserrime omnium terreno pulvere compactorum ? Veritas sicut merita, ita et loca partis utriusque discernit ; et tu unum eumdemque ignem justis et injustis habitationem dogmatizas ? Nempe aperitur quid velis, quod quamvis non aperte posueris, elucet tamen quid mente conceperis, vel quid dictis talibus, etsi perverse, suadere volueris. Memini siquidem me olim, quod etiam passim jam rumor aspersit, te ipso narrante audisse, quod ultra hoc visibile cœlum, quod firmamentum Scriptura nuncupat, quodque Apostolus velamen tabernaculi (*Heb.*, vi, 19), quod erat oppansum ante oraculum, interpretatur, nihil esse, et infra terram nihilominus nihil esse ; sed in hac quasi domo cœli et terræ ambitus contineri omnia, esseque quem infernum dicimus a terra usque ad lunam, et deinde paradisum vel regnum A sanctorum usque ad firmamentum, ibique tam angelos sanctos, quam sanctorum animas, et ipsum Dominum nostrum Jesum Christum corpore commorari : cum consulta Veritas atque auctoritas catholicæ fidei aliud prædicet ; neque quisquam ecclesiasticorum tantæ vesaniæ assertor aut consentaneus uspiam inveniatur vel inveniri posse credatur ; quin potius ex ea, cui totis viribus inniteris, lectione damnabili hausisse et vomuisse virus lethiferum comprobaris.

Nam ille tuus Capella, exceptis aliis, vel maxime te in hunc labyrinthum induxisse creditur, cujus meditationi magis quam veritati evangelicæ animum appulisti : Quin etiam cum legeres beati Augustini libros, quos *De Civitate Dei* adversus paga- B norum fallacissimas falsissimasque opiniones mirabili affluentia digessit, invenisti eum posuisse ac destruxisse quædam ex libris Varronis, quibus, quoniam Capellæ tuo consona videbantur, potius assentiri quam veridici Augustini allegationibus fidem adhibere delegisti.

Ponit enim ita ex verbis illius Augustinus (*De Civit. Dei*, lib. vii, c. 6) : [Dicit ergo idem Varro, adhuc de naturali theologia præloquens, Deum se arbitrari esse animam mundi, quem Græci vocant κοσμον, et hunc ipsum mundum esse Deum ; sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem, ita mundum Deum dici ab animo cum sit ex animo et corpore. Hic videtur quodammodo unum confiteri C Deum. Sed ut plures etiam introducat, adjungit mundum dividi in duas partes : cœlum et terram ; et cœlum bifariam in æthera et aera, terram vero in aquam et humum ; e quibus summum esse æthera, secundum aera, tertiam aquam, infimam terram ; quas omnes partes quatuor animarum esse plenas : in æthere et aere immortalium, in aqua et terra mortalium. Ab summo autem circuitu cœli ad circulum lunæ, æthereas animas esse astra hac stellas, eosque cœlestes deos non modo intelligi esse, sed etiam videri : inter lunæ vero gyrum, et nimborum ac ventorum cacumina, aereas esse animas ; sed eas animo, non oculis videri. Et vocari heroas, et lares, et genios.] † Quod quam sit veritati adversum auctoritate tam divinorum eloquiorum, quam Patrum venerabilium, lar- D giente Domino, pro captu et viribus exsequamur. Primoque advertendum ubi Dominus et Salvator noster, corpore quod absque peccato sumpsit et egit ex Virgine incorrupta, degat : nam eo congregari sanctos omnes testatur ipse in Evangelio, dicens : *Illa nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur* ; *duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur. Respondentes dicunt illi : Ubi Domine ? Qui dixit illis : Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Luc.* xvii, 34-37). Quod absque dubio super cœlum sidereum omnes catholici et orthodoxi doctores intelligunt.

Quo etiam beatum Paulum raptum sanctus Ambrosius (in *II ad Cor.* xii, 2) intelligit dicens : [Quia

ultra omnia mundi sidera raptus intelligitur, et ideo magnificum et mirabile est quod narrat. Significat enim supra firmamentum in tertium numero cœlum de spiritalibus cœlis raptum semetipsum.]

† Quod nobis Apostolus aperit, qui ad Ephesios loquitur : *Ut Deus, Domini nostri Jesu Christi Pater claritatis, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agitione : illuminatos habere oculos cordis vestri ad hoc ut sciatis quæ est spes vocationis ejus, quæ divitiæ hæreditatis gloriæ ejus in sanctis; et quam excelsa magnitudo ejus in vos, qui creditis secundum operationem potentiæ fortitudinis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et collocavit ad dexteram sibi in cœlestibus, super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo sed in futuro* (*Ephes.* I, 17, 18, 19, 20, 21).]

Quam Apostoli sententiam sanctus Ambrosius ita explanat (ad *Ephes.* I, 19) : [Exemplum salutis credentium, et gloriæ, in resurrectione Salvatoris consistere profitetur, ut ex ea cognoscant fideles quid eis promissum est. Simili enim modo extollentur supra cœlos futuri cum Christo, sicut ipse dicit : *Pater, volo ut, ubi ego fuero, et hi mecum sint, et videant gloriam meam* (*Joan.* XVII, 24): hoc propter incarnationem Filii Dei: ut etiam homo factus super omnes cœlos esse dicatur, et super cunctam creaturam, sedens ad dexteram Dei (*Apoc.* III, 21), habens nomen Dei per naturam, non par adoptionem, ut cognoscant esse illum Filium Dei qui illum crucifixerunt. Honor enim quem illi dedit Pater per generationem, tunc manifestatus est cum natus homo passus est, et victa morte resurrexit, ascendens unde descenderat super omnes cœlos.]

† Item idem Apostolus in eadem Epistola : *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Quod beatus Papa Gregorius simili fide prædicans etiam intra missarum solemnia, die Pentecostes, in Dei laudes devotissimus persultans et cecinit et canendum usque in finem sæculi dereliquit. Cui cum dignum et justum, et æquum, et salutare diceret nos Deo Patri gratias agere per Christum Dominum nostrum, subjunxit (in l. *Sacram.*, die *Pentecostes*) : [Qui ascendens super omnes cœlos, sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit.]

† Idem in Homilia 29, de Ascensione Domini : [In Veteri, inquit, Testamento cognovimus quod *Elias sit raptus in cœlum* (*IV Reg.* II, 11), sed aliud est cœlum aereum, aliud æthereum. Cœlum quippe aereum terræ est proximum, unde et aves cœli dicimus, quia eas volitare in aere videmus. In cœlum itaque aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat. Ille enim mortem distulit, non evasit, etc. Redemptor autem noster non curru (Id., *ibid*), non

A angelis sublevatus legitur, quia is qui fecerat omnia nimirum super omnia sua virtute ferebatur.]

Et infra : [Ut veniret postmodum qui nec translatus nec subvectus, cœlum æthereum sua virtute penetraret.]

† Beda, in Homilia de eadem festivitate naturæ humanæ a Domino sumptæ gloriam fideliter enuntians ait : [Hanc super pennas ventorum evexit, cum assumptam de terris non solum super universa aeris hujus spatia, sed etiam super omnem ætheris altitudinem sustollens, in Majestatis Paternæ dextera collocavit. † Et infra : [Nam et septimus ab Adam *Enoch* translatus de mundo, et *Elias* in cœlum sublevatus aereum ascensuro super omnes cœlos Domino testimonium præbuerunt.] † His veB racibus fidelibusque testimoniis præmuniti, nullius ambiguitatis obstaculo præpedimur quin humanam substantiam a Dei Filio sumptam super omnes creaturas elevatam, regnantem et consistentem credamus, et fideliter collaudemus. Quo etiam, secundum promissionem suam, et nunc (id est ante diem judicii) sanctorum animas, et post eorumdem corpora sublevanda, et glorificanda, atque, juxta Apostolum, eidem conregnatura et consessura minime dubitamus.

Unde et beatus Gregorius in quarto Dialogorum libro (cap. 25) eloquitur, cum eum Petrus interrogaret : [Placet quod dicis, sed nosse velim [*ad.*, vellem] si nunc, ante resurrectionem corporum, in cœlo recipi valeant animæ justorum. — GREGORIUS. Hoc C neque de omnibus justis fateri possumus neque de omnibus negare, nam sunt quorumdam justorum animæ, quæ a cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur; in quo dilationis damno quid aliud innuitur nisi quod de perfecta justitia aliquid minus habuerunt? et tamen luce clarius constat quia perfectorum justorum animæ, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus [*al.*, cœlestis regni] sedibus recipiuntur, quod et ipsa Veritas attestatur, dicens : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ* (*Luc.* XVII, 37) : quia ubi ipse Redemptor noster est corpore, illuc procul dubio colliguntur et animæ justorum. Et Paulus : *Dissolvi desidero* [al., *cupio dissolvi*] *et cum Christo esse* (*Philip.* I, 23). Qui ergo Christum esse in cœlo non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat, D qui etiam de solutione [*al.*, dissolutione] sui corporis, atque inhabitatione patriæ cœlestis dicit : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus a Deo domum non manufactam, sed æternam in cœlis* (*II Cor.* V, 1). — PETRUS. Si igitur nunc in cœlo sunt animæ justorum, quid est quod in die judicii pro justitiæ suæ retributione recipient? — GREGORIUS. Hoc eis nimirum crescit in judicio, quod nunc animarum sola, postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruentur; ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua Dolores pro Domino cruciatusque pertulerunt. Pro hac quippe geminata eorum gloria scriptum est : *In terra sua duplicia possidebunt* (*Isa.* LXI, 7). Hinc etiam ante resurrectionis

diem de sanctorum animabus scriptum est: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum* (*Apoc.* VI, 11). Qui itaque nunc singulas acceperunt, binas in judicio stolas habituri sunt, quia modo animarum tantum, tunc animarum simul et corporum gloria lætabuntur.

† Et quia, tribuente Domino, de loco et gloria sanctorum ejus, quantum suscepto operi competens duximus, satis fidelibus egimus, nunc de loco et ignominia reproborum, ipso favente, videamus quæ sub terris esse auctoritate veridica perdocentur; de qua re ita beatum Gregorium percontatus est Petrus (*Gregor. Dialog.* l. IV, c. 28): [Inquisitioni meæ, aiens, sufficienter jam video satisfactum, sed hoc est adhuc quod quæstione animum pulsat, quia, cum superius dictum sit esse jam sanctorum animas in cœlo, restat procul dubio ut iniquorum quoque animæ esse non nisi in inferno credantur; et quid de hac re habeat veritas ignoro: nam humana æstimatio non habet peccatorum animas ante judicium posse cruciari. — GREGORIUS. Si esse sanctorum animas in cœlo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ justitiæ, ex qua jam justi gloriantur, necesse est per omnia ut et injusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. — PETRUS. Sed, quæso, quia superior sermo de locis pœnalibus inferni versabatur, ubinam esse infernum putemus? super hanc terram an subter terris [*al.*, sub hac terra] esse credendus est? — GREGORIUS. Hac de re temere definire nihil audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putaverunt; alii vero hunc sub terra esse æstimant. Sed tamen hoc animum pulsat, quia, si idcirco infernum dicimus quia inferius jacet, quod terra ad cœlum [*al.*, a cœlo] est, hoc esse infernus debet ad terram [*al.*, a terra]. Unde et puto per Psalmistam dictum [*al.*, et fortasse per Psalmistam dicitur]: *Liberasti animam meam ex inferno inferiori* (*Psal.* LXXXV, 13); ut infernus superior in terra, inferior sub terra esse videatur. Et Joannis vox in ea æstimatione concordat; qui cum signatum librum septem sigillis vidisse se diceret, *quia nemo inventus est dignus neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum et solvere signacula ejus*, adjunxit: *Et ego flebam multum* (*Apoc.* V, 1, 3, 4, 5, etc.). Quem multum tamen postmodum librum per Leonem de tribu Juda dicit aperiri. In quo videlicet libro quid aliud quam sacra Scriptura signatur; quam solus Redemptor noster aperuit; qui, homo factus est, moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria quæ in ea fuerant clausa, patefecit. *Et nullus in cœlo*, quia neque angelus, *nullus in terra*, quia neque homo vivens in corpore, *et nullus subtus terram dignus inventus est*, quia neque animæ corpore exutæ aperire nobis præter Dominum sacri eloquii secreta potuerunt. Cum ergo ad solvendum [*al.*, aperiendum] librum nullus sub terra inventus dignus dicitur, quid obstet non video, ut sub terra esse infernus credatur.]

† Idem in Homilia 38 ante medium, in Evangelium: [Boni enim soli nusquam sunt nisi in cœlo, et mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Hæc autem vita quæ inter cœlum et infernum sita est, sicut in medio subsistit; ita utrarumque partium cives communiter recipit: quos tamen sancta Ecclesia, et nunc indiscrete suscipit, et postmodum in egressione discernit.]

† Idem in Moralibus, lib. XIII (c. *ult.*) [Cum constet quod apud inferos justi non in locis pœnalibus, sed in superiori quietis sinu tenerentur, magna nobis oboritur quæstio, quidnam sit quod beatus Job asserit dicens: *In profundissimum infernum descendent omnia mea* (*Job.* XVII, 16): qui, etsi ante adventum mediatoris Dei et hominum, infernum descensurus erat, liquet tamen quia in profundissimum infernum descensurus non erat. An ipsa superiora loca inferi profundissimum infernum vocat, quia videlicet, quantum ad sublimitatem cœli, jam hujus aeris spatium non immerito dici infernus potest? Unde, cum apostatæ angeli a cœlestibus sedibus in hoc caliginoso aere sunt demersi, Petrus apostolus dicit: *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in judicio cruciandos reservari* (*II Petr.* II, 4). Si itaque ad celsitudinem cœli aer iste caliginosus infernus est, quantum ad ejusdem aeris altitudinem terra, quæ inferius jacet, et infernus intelligi et profundior potest; quantum vero ad ejusdem terræ altitudinem, et illa loca inferi quæ superiora sunt aliis receptaculis, inferni hoc loco non incongrue profundissimi appellatione signantur, quia quod aer ad cœlum, terra ad aerem, hoc ille est superior infernorum sinus ad terram.]

† Idem in Mor., l. XII, c. 6: [Nec tamen ita justorum animas ad infernum dicimus descendisse, ut in locis pœnalibus tenerentur, sed esse superiora inferni loca, esse alia inferiora credenda sunt; ut et in superioribus justi requiescerent, et in inferioribus injusti cruciarentur. Unde et Psalmista, propter prævenientem se Dei gratiam, dicit: *Eripuisti animam meam ex inferno inferiori* (*Psal.* LXXXV, 13.]

† Hieronymus in expositione Isaiæ proph., lib. V, c. 14, 19: [*Tu autem projectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis, pollutus et obvolutus, cum his qui interfecti sunt gladio, et descenderunt usque ad fundamenta laci* (*Isa.* XIV, 19). Et est sensus: sepultis omnibus qui a te interfecti sunt, tu solus insepultus jacebis. Alii vero locum istum sic interpretantur: Omnes animæ apud inferos aliquam requiem accipiunt, tu solus in extremas tenebras religaberis, omnium enim operieris sanguine, et universorum cruor te perimet; simulque discimus, quod infernus sub terra sit, dicente Scriptura: *Usque ad fundamenta laci.*]

† Idem in lib. III, c. 7, 10: [Vis, inquit, ut scindatur terra, et grandi hiatu inferi pateant qui in corde terræ esse dicuntur.

(A) † Idem in Epistola ad Ephes. (cap. 17): [Inferiora autem terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster Salvatorque descendit, ut sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos victor adduceret; unde et *post resurrectionem ejus plurima corpora justorum in sancta civitate visa sunt* (*Matth.* XXVII, 52). Quod autem infernus in inferiori parte terræ sit, et Psalmista testatur dicens: *Aperta est terra, et deglutivit Dathan et operuit super congregationem Abiron* (*Psal.* CV, 17). Id ipsum in Numerorum libro plenius explicatur. Alio quoque loco legimus: *Veniat mors super eos, et descendant in infernum viventes* (*Num.* XVI, 31 seq.).]

† Philippus in expositione beati Job (c, 26, in principio): [Quod autem ait: *Sub aquis gigantes gemere*, ita inquit, velut si dixisset *sub terra*, id est in inferioribus terræ, ubi inferi esse perhibentur; unde et ipsi inferi nuncupantur. Aquæ ergo ejus naturæ sunt ut sine terra esse non possint: sicut ergo inferi in profundo terrarum sunt, ita terræ in profundo aquarum.

† Idem in eodem (cap. 36): [Ore autem augusto inferi ideo appellantur, eo quod amplum sit ad recipiendum, angustum ad dimittendum, quoniam mortuos intra se teneant, et eos ad vitam non patiantur exire. David quoque sanctus similiter ait ad Dominum: *Libera me ex odientibus me, et de profundis aquarum; non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque contineat super me puteus os suum* (*Psal.* LXVIII, 15, (C) 16). Proinde noverimus quia loca infernalium ergastulorum, secundum fidem Scripturarum, inter immensas abyssi aquas sint constituta.]

† Idem in eodem (cap. 3): [Quod autem infernus in imo terrarum sit, Jonas propheta, qui specialiter figuram habuit Salvatoris, in oratione sua quam in ventre piscis fudit ad Deum manifeste demonstrat, quemque infernum abyssi aquæ circumvallant. Et multis aliis locis Scripturæ de qualitate inferorum loquuntur.]

† Cassiodorus in psalmum LXXXV: [Sed consideremus quia, cum dicat *infernum inferius*, infernum demonstrat esse superius. Argumenta talia in topicis dicuntur conjugata, quæ orta ab uno nomine varie commutantur, ut hic positum est *infernum inferius*. Infernum vero non irrationabiliter forsitan arbitramur esse sub terris, cum in Veteri Testamento de Dathan et Abiron legitur: *Aperuit se terra, et deglutivit eos, et vivi descenderunt ad inferos.* Sed quo itinere illuc animæ transferantur, quoniam in auctoritate divina non legitur, habemus incertum. Infernum autem habere inferiorem partem Evangelii locus ille (*Luc.* XVI, 13) testatur qui dicit, cum impium divitem ultrix flamma torqueret, levasse oculos suos, et in sinu Abrahæ vidisse Lazarum; unde apparet utrosque apud inferos fuisse, ut se videre valuissent, et illum ex inferiori loco ad superiora oculos elevasse. Sed, licet utrique apud inferos esse viderentur, pro meritorum tamen discretione superiorem locum sanctis, inferiorem peccatoribus doctor Augustinus æstimat esse deputandum. Unde nunc gratias agens fidelis populus dicit: *animam suam ab inferno inferiori*, id est pœnali, *esse liberatam*.]

† Verumne tot Patribus, testimonio unius, id est Augustini, præscribendum putes, qui multa aliter de inferis in duodecimo libro (Aug. *Retr.* l. II) de Genesi ad litteram disputavit, audi quid etiam ipse dum eumdem retractaret (cap. 24) deprompserit. [In duodecim, inquiens, de inferis, magis mihi videor docere debuisse quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credentur sive dicantur.]

† His tantorum Patrum veracibus disputationibus omnes tuæ argutiæ, omnesque fallaciæ inconvenientesque similitudines contritæ pessumque (B) datæ sunt ut prorsus nihil esse judicentur, quibus etiam conjungitur quod in conclusione subnectis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 17, num. 12, sect. 9.) θ *Proinde*, inquiens, *si nulla beatitudo est nisi vita æterna, vita autem æterna et veritatis cognitio, nulla igitur beatitudo est nisi veritatis cognitio. Sed ne ista collectio nullo modo in mentibus nostris nutet, audiamus ipsam illam Veritatem aperte clamantem*: Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo meipsum illi (*Joan.* XIV, 21). *Item alibi:* Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII, 3): *Quidquid autem de beatitudine creditur, de ejus defectu, id est miseria, necesse est e contrario credatur. Ita, si nulla miseria est nisi mors æterna, æterna autem mors veritatis ignorantia, nulla igitur miseria est nisi veritatis ignorantia. Ubi itaque ignoratur veritas, ibi nulla vita: ubi autem nulla vita, ibi necesse est continuam mortem adesse. Quæ si ita sint, quis audeat dicere Deum esse prædestinatorem pœnæ, nisi qui audet eum asserere auctorem ignorantiæ dum ab eo sit omnis intelligentia? Unumquemque igitur sua punit contumacia, quæ nullo modo a Deo est, ac per hoc ejus auctor nullo modo credendus est.*

CORRECTIO.

† Nisi cæcasset te iniquitas tua, nullomodo tam tibi ipsi contraria protulisses. In sexta decima quippe periocha dixisti habere miseros felicitatis (D) notionem atque scientiam [*Veritas* est, inquiens, *felicitas*. Nullus ergo extra naturam suam felicitatis et notionem et scientiam habiturus sit. In miserorum itaque natura erit veritas, erit igitur felicitas. Ast quomodo illa natura misera erit, cui felicitas inerit, quæ est veritas? Et ad ultimum conclusisti: *Nulla dehinc natura punietur: non punita non erit misera.*] Nunc vero dicis: [Si nulla miseria est nisi mors æterna, æterna autem mors est veritatis ignorantia, nulla igitur miseria est, nisi veritatis ignorantia. Ubi itaque ignoratur veritas, ibi nulla vita: ubi autem nulla vita, ibi necesse est continuam mortem adesse.] Quid est hoc? nunc das miseris veritatis scientiam, aufers miseriam; nunc tribuis ignorantiam veritatis, mor-

tem atque miseriam. Si enim verum est eos habere veritatis scientiam, falsum est eosdem habere ignorantiam. Rursum, si verum est eos habere veritatis ignorantiam, falsum est eis inesse veritatis scientiam. Item falsum est quod dicis : *Nullam esse miseriam nisi mortem æternam.* Multis enim et peccatores et justi in hac vita miseriis et calamitatibus noxiantur, a quibus Dei gratia aliquoties eruuntur, aliquoties ejusdem justitia non liberantur. Nam, si beatitudo dicitur assequi nulloque carere quidquid rationabiliter volueris, cum tanto bono privaris, non immerito miser diceris ; cumque tot miseriis temporalibus pios addici sæpissime videamus, nequaquam eos ad æternam mortem credimus properare : nec ideo eis veritatis ignorantiam ingeri, quia frequentibus videmus infelicitatibus quemlibet temporaliter affligi. Ac per hoc, si id de solis inferno traditis diceretur, nullatenus abhorreret a vero. Cum autem generaliter nulla esse miseria, nisi mors æterna dicitur, veritatisque ignorantia, ipsa videndi et experiendi assiduitate falsissimum esse convincitur. Quam perversitatem tuam beatus Job jugulo [*al. forte*, gladio] veritatis transfigat, qui de miseriis humanis ita deplorat : *Homo*, inquiens, *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (*Job* XIV, 1).

Cui sanctus Gregorius (*Mor.* lib. XI, c. ult.) exponendo consentiens, quasnam intelligere miserias debeamus edicat : [Quid in se habebit fortitudinis, *qui natus est ex infirmitate, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis* ? Ecce sancti viri vocibus pœna hominis breviter est expressa ; quia et angustatur ad vitam, et dilatatur ad miseriam. Si enim subtiliter consideretur, quod hic agitur, pœna et miseria est ; ipsi etenim corruptioni carnis servire ad necessaria atque concessa, miseria est ; ut contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, contra æstum frigora requirantur, quod multa cautela custoditur salus corporis, quod etiam custodita amittitur, amissa cum gravi labore reparatur, et tamen reparata semper in dubio est. Quid hoc aliud quam mortalis vitæ miseria est ? quod amamus amicos, suspecti, ne offendi valeant ; formidamus inimicos, atque securi de eis non sumus utique quos formidamus, quod plerumque inimicis sic fidenter quasi amicis loquimur, et nonnunquam pura verba proximorum, et multum nos fortasse diligentium quasi verba suscipimus inimicorum ; et qui falli nunquam vel fallere volumus, ex cautela nostra gravius erramus. Quid itaque hoc, nisi humanæ vitæ miseria est ? quod amissa cœlesti patria repulsus homo delectatur exsilio, gravatur curis, et tamen cogitare dissimulat quam grave sit, quia multa cogitantur, quod privatus est interno lumine : et tamen in hac vita diu vult perpeti cæcitatem suam. Quid hoc aliud, quam de pœna nostra nata miseria est? Sed quamvis diu hic stare desideret, ipso tamen cursu mortalis vitæ impellitur ut egrediatur.]

† Eodem modo nihilo secius confutatur quod ais (cap. 17, num. 13, sect. 9) : *Ubi itaque ignoratur veritas, ibi nulla vita* (*Joan.* XIV, 6). Non enim potest ignorari vel sciri veritas, nisi ab aliqua vita. Erit igitur in gehenna damnatus vita et animæ et corporis, quamvis sine vera vita, quæ dixit : *Ego sum via, veritas, et vita.* Erit, inquam, illis vita, sed misera : quoniam et anima semper vivet, ut semper crucietur, et corpus pœnis combustioneque attritum nunquam deficiet, nunquam dissolvetur in pulverem, nunquam ita consumetur ut omnino non sit, sed æternis cruciatibus durabile permanebit. Harum omnium pœnarum Deum justissimum judicem esse irrogatorem, ac per hoc et auctorem, omni propulsa formidine confitemur, quoniam, teste Scriptura : *Mors et vita a Domino Deo est* (*Sap.* XVI, 13), et Psalmista : *Arcum suum tetendit, et paravit illum.*

Cassiodorus (in *Psal.* VII, 13) : [*Arcum* itaque Scripturarum Novi et Veteris Testamenti congruenter accipimus, qui duobus quodammodo curvatis flexibus devotorum colla complectitur : hic fidelibus suave jugum ostenditur. Contumacibus autem arma terribilia declarantur : *tetendit* adjectum est, ne ejus patientia remissa putaretur, ad postremum posuit : *paravit illum*, ut mos ipse sagittantium plenissime videretur expressus, qui, postquam tetenderint arcum contra signum, manum collocant, in sagittandi opere brachia præparantes. Sed videamus arcus præparatus quas sagittas emiserit : *Et in ipso paravit vasa mortis ; sagittas suas ardentibus effecit* (*Psal.* VII, 14). Hic distributio divinæ majestatis ostenditur, quia per arcum, id est per Vetus et Novum Testamentum sicut jam dictum est, et effectus mortis venit, et sagittis ipsius vita præstatur. Egressæ sunt autem de isto arcu tanquam sagittæ, id est apostoli, qui ardentibus, hoc est desiderantibus animis, in modum sagittarum præcepta salutaria transmiserunt : unde et impii sauciarentur, et fidelibus efficax cura proveniret. *Effecit* autem significat operatus est.]

† Quis vero veritatis ignorantiam damnatis in tartaro illaturus est, nisi judex terribilis atque justissimus, qui novit quid cui vel demat, vel tribuat ? Sed de his satis actum est. Nunc in nomine et adjutorio Domini ad reliqua divertamus.

CAPUT XVIII.

Quod error eorum qui aliter quam Patres sancti sentiunt de Prædestinatione, ex liberalium disciplinarum ignorantia inolevit.

Octavus decimus proterviarum tuarum tumor ita prænotatur.

JOANNES SCOTUS.

(Num. 2 sec. 1.) Θ *Quod error eorum qui aliter quam Patres sancti sentiunt de Prædestinatione, ex liberalium disciplinarum ignorantia inolevit. Errorem itaque sævissimum eorum qui venerabilium Patrum, maximeque sancti Augustini, sententias confuse ac per hoc mortifere ad suum pravissimum sensum redigunt, ex utilium disciplinarum, quas ipsa Sapientia suas comites investigatricesque fieri voluit, ignorantia crediderim sumpsisse primordia.*

CORRECTIO.

† Videtur mihi vox ista illius dicto concinere, qui primus dixisse legitur : *In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus aquilonis, ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV, 13), de quo ad beatum Job Dominus loquitur : *Omne sublime videt, ipse et rex super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI, 25) ; neque a membris illius desciscere de quibus Propheta pronuntiat : *Posuerunt in cœlo* [al., *in cœlum*] *os suum, et lingua eorum transivit in terra* (*Psal.* LXXII, 9). Verumtamen filii humilitatis et veritatis nequaquam talibus injuriis commoventur, ut convicia conviciis, et contumelias contumeliis referant : quin humiliores effecti, quidquid sibi magistra humilitate et veritate datum gratis noverunt, ad dantis gloriam et honorem retorquere penitus elaborent; cujus si magisterio vel doceri, vel uti quæsivisses, nunquam in tantas blasphemias atque impudentias prorupisses. Nam ipsa ad destruendam mundi sapientiam, cui superbus insudas, idiotas et piscatores, non sophistas elegit, quorum tumores cum apud Corinthios vel maxime et Colossenses Apostolus divina auctoritate comminuerit, pauci factis omnibus ex explosis, de se suique participibus dixit : *Nihil judicari me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2). Et ipsa Veritas clamat : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 28). Ecce magistra Veritas disci a se humilitatem et mansuetudinem, non rhetoricam et dialecticam jubet. Et Apostolus ejus, ab hac inflante scientia filios suos prohibens, humilitati et veritati evangelicæ studendum præcipit (*I Tim.* VI, 20). Hinc et Isaias propheta ait : *Ubi est litteratus? Ubi verba legis ponderans? ubi doctor parvulorum? Populum imprudentem* [al., *impudentem*] *non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus in quo nulla est sapientia* (*Isa.* XXXIII, 18, 19).

Hinc Leo in Sermone de Passione Domini : [Hanc, dilectissimi, incarnationis Dominicæ fidem, per quam tota Ecclesia corpus est Christi, inconcusso corde servantes, ab omnibus hæreticorum jejunate mendaciis. Et ita vobis credite misericordiæ opera profutura, ita fructuose habendam continentiæ puritatem, si mentes vestræ nulla pravarum opinionum intaminatione sordescunt. Abjicite exosa Domino mundanæ argumenta sapientiæ, per quam nemo ad cognitionem veritatis potuit pervenire, et hoc fixum habete in animo quod dicitis in symbolo.]

† Apparet igitur cujus sis filius, qui, ab horum salutari institutione desciscens, illis te inseris, illis inflaris quæ isti et reprobaverunt et flocci pendenda duxerunt. Quamvis quidquid in eis utile salubritati et simplicitati Christianæ fidei judicatur, usquequaque nec improbetur nec ignoretur. Ac certe si nobis A horum ignorantiam inuris, nunquid moveri debet nostra humilitas, cum videamus omnes orthodoxos patres nostros eidem injuriæ substratos, eadem infamia denotatos, qui omnes tanta liberalium disciplinarum eruditione coruscarunt, ut nullus eis, quos apprime philosophos mundus suscipit, veraciter æquiparari possit : quippe cum ita eos in omnibus vera sapientia instruxerit, ut tanto evidentius nossent quid in eis vitandum, quid esset appetendum, quanto eidem veræ sapientiæ connexius inhærerent. Sed nunquid, quia ea sciri pro tempore Veritas non prohibuit, ideo mentiri jussit sive coegit? At in quantis mentibus sis, quisquis eadem Veritate illustratus tua legit, patenter advertit. Ac per hoc, quemadmodum, donante Domino, superiora indicant, tu potius non solum dicta Dominica, B verum etiam Patrum sententias tanta depravatione tuis erroribus intorsisti, ut lector illorum necessariam prorsus habeat et exercitationem sedulam, et præsentissimam veritatem. Quapropter manifestum est et, ideo a veritate tantisper exorbitasse, quia innisus inflanti scientiæ, quod verum erat spontanea proindeque superbissima aversione reliquisti.

Nunquid sanctus Fulgentius, vir absque hæsitatione doctissimus, ignorantia disciplinarum earumdem mentitus est, exponendo de prædestinatione sententiam Augustini, in cujus explanatione librum mirabili eloquentia et veritatis scientia refertissimum absolvit? quem ita vicinum temporibus ejusdem Augustini novimus, ut vel ab ipso, C vel ab auditoribus illius, integritatem ejus doctrinæ sinceriter addiscere potuisset. Nunquid et sanctus Prosper harum inscitia erravit, qui eumdem propriis epistolis consulens, ab eoque rescriptis catholicis edoctus, adeo in assertione veritatis roboratus est, ut tam propriæ eruditionis scriptis quam apostolicæ Sedis decretis doctrinam tanti Patris defenderit, defendique studuerit. Nunquid beati antistites Gregorius et Isidorus harum ignorantia erraverant, quarum eis affuisse plurimam scientiam nullatenus ignoramus? Desine igitur catholicis virisque eruditissimis hanc importare contumeliam, quos magistra Veritas per sanctum Spiritum omnem docuit veritatem. Nempe cum tot urbium cœnobiorumque sancta examina memoratarum artium videam flores legere, fetus edere, D dulcissima mella componere, nunquam uni tibi singulariter deputaverim quod sapientia : *Dives in omnes qui invocant illam* (*Rom.* X, 12), passim tanta largitatis affluentia dispertiri cognoscitur. Neque silentio prætereundum videtur, quod ausus es dicere, *liberales disciplinas comites esse, investigatricesque sempiternæ Sapientiæ*], quas constat nimirum inventione hominum a Deo et una Sapientia extorrium atque expertium repertas. Si enim illæ comites investigatricesque creduntur sempiternæ Sapientiæ, sequitur ut inventores earum homines æquentur ipsi sempiternæ Sapientiæ, per quos sui comites suique investigatrices inventæ prædicantur. Nulla autem creatura æternæ Sapientiæ æquari debet, eaque ullatenus valet. Falsum est igi-

tur eas, id est inventiones humanas, earumque repertores, comites atque investigatrices esse veræ sempiternæque Sapientiæ, dicente Propheta: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo inter filios Dei* (*Ps.* LXXXVIII, 7), quanto minus filios diaboli? Deinde affingis alteram ignorantiæ infamiam, quæ ad rem non pertinere nihilominus comprobatur.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 18, num. 3, sect. I.) Θ *Insuper etiam*, inquiens, *Græcarum litterarum inscitia in quibus prædestinationis interpretatio nullam ambiguitatis caliginem gignit, quæ si diligentius ab inquisitoribus veritatis, non ab assertoribus falsitatis, attendantur, quotiescunque sive de bonis usitate, sive de malis abusive prædestinatio frontis suæ, sapientibus quidem notissimæ, inflatis vero superbiæ typho abstrusissimæ, primas partes aperuerit, tota nimirum, nulla interstante mora, pie intelligentibus eam patebit. Est igitur verbum apud Græcos* ὡρῶ, *quod apud Latinos tribus excipitur verbis;* ὡρῶ *quippe et* video *et* definio, *et* destino *interpretatur. Similiter compositum* προώρῶ, prævideo, prædefinio, prædestino.

CORRECTIO.

† O virum sagacissimum, qui, quod in Latinis defecerit, ad Græca nos retrahit, et in Romanis sermonibus Græcas origines effingit. Quid, quæso, pertinent verba Latina *video*, *definio*, *destino*, ad Græcum vocabulum, quod est ὡρῶ? nunquid ab eo vel derivata sunt, vel denominata: nunquid saltem ista litterarum superficies quiddam simile repræsentat. Verum, quia nobis hanc inscitiam inuris, nunquid et sanctis Patribus, non minus Græca quam Latina eruditione lampantibus, idem facinus obtendes? quorum ut cæteros omittam) Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Isidorum, Fulgentium, Cassiodorum testes veritatis adhibeo, quos Græcam novisse linguam atque scientiam, nullus nisi nihil sciens ignorat; qui omnes alio sensu verbi ejusdem intelligentiam prosequuntur. Nam sanctus Ambrosius in eo loco ubi Apostolus ad Ephesios dicit: *Prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum* (*Eph.* I, 5). Ita exponendo subsequitur: [Hoc dicit decrevisse Deum ut credentes in Christum adoptarentur in filios a Deo ut caput ipsorum sit Christus verus Filius Dei.]

† Et infra: [*In quo sortiti* [al., *et nos forte constituti*] *sumus, prædestinati secundum propositum Dei, qui universa creavit, secundum consilium voluntatis suæ. Ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo.* Hoc est quod dicit, quia dispensatio prædicationis his decreta est a Deo, qui ex Judæis crediderunt in Christum: unde nullus ex gentibus ad apostolum electus est: dignum enim erat ex his eligi prædicatores, qui ante speraverunt salutem quæ illis promissa erat in Christo.]

† Hieronymus in expositione ejusdem Epistolæ: Προωριστεντος ad eos refertur qui antea non fuerunt, et priusquam fierent de eis cogitatum est, et postea substiterunt.

† Et infra (Id., *ibid.*): [Quod cum prædestinet nos, sive præfiniat Deus in adoptionem filiorum per Jesum Christum.] † Et post paululum: [Quæ laus, inquiunt, gloriæ gratiæ Dei (Id., *ibid.*) est aliis gratificari in Christo, alios æternis præpareare suppliciis.]

† In eadem: [Supra *secundum placitum voluntatis suæ* (*Eph.* V, 5), nunc secundum placitum suum voluntate detracta, προώρισμον, id est *prædestinationem* in adoptionem filiorum per Jesum Christum posuit, hic vero πρόθεσιν, id est *propositionem.* Inter prædestinationem autem et propositum, hi qui solent inter verba discutere, hoc asserunt interesse, quod prædestinatio alicujus rei multo ante, in mente ejus qui destinet, quid futurum sit præfiguret; propositum autem, cum jam vicina sit machinatio, et pene cogitationem sequatur effectus.]

† Et infra (Hier., *ibid.*): [Omnis dispensatio quæ ante mundum et postea esse cœpit in mundo, tam invisibilium quam visibilium creaturarum, adventum Dei filii pollicebatur.]

† Et post pauca (Id., *ibid.* 11): [Considerandum quod et hic προώρισμος, καὶ πρόθεσις id est prædestinatio, et propositum simul posita sunt, juxta quod *operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ.*]

† Idem in Isaia (c IX, 5), libro tertio: [Quomodo enim vestis, quæ humano sanguine cruentata est, lavari non potest, sed infecta sanguine igni comburitur, ut maculæ cum vestimento fœdi cruoris intereant; sic diaboli violenta prædatio et tumultus ac turbæ, quibus humanum sibi subjecerat genus, gehennæ ignibus deputatæ sunt.]

† Idem in Zacharia propheta: [Quod autem secundum LXX legimus: *Et pascam oves occisionis in terra Chanaan* (*Zachar.* XI, 7), sic possumus intelligere quod populum Judæorum, qui destinatus est morti, in toto orbe dispersum, hoc est in terra Chanaan atque gentilium, pascat Dominus et nutriat ad immolandum.]

† Idem in Isaia (*c.* XXIV, 1), libro octavo: [Et dispergentur habitatores ejus in diversa loca, præmiis vel suppliciis destinati.]

† Item in Michæa (*c.* III, 3): [Et satiaverunt se carnibus, et incrassati sunt, et sub [*al.*, sicut] pinguissima hostia interfectionis et sunt suppliciis Domini præparati.]

† Idem in Abdia (*c.* I, 16), [Ita universæ gentes vel fortitudines contrariæ, suppliciis delegatæ.]

† Ambrosius in Epistola I ad Corinthios: [*Quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram* (*I Cor.* II, 7): Usque adeo vera sapientia, et cum Deo semper fuisse declaratur, ut ante sæcula prædestinata in gloriam nostram dicatur, qui credimus, præscius enim Deus errores futuros in mundo, quem erat facturus hoc decrevit ad confusionem illorum, qui sibi stultitiam sapientiam facturi erant (*Sap.* V, 4), ad nostram autem gloriam, qui credituri eramus et credimus.]

Idem in expositione Evangelii beati Lucæ (*c.* II, 25 seq.) : [Ecce et Simeon prophetat in ruinam et resurrectionem plurimorum venisse Dominum Jesum Christum, ut justorum, iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum, judex verus et justus, aut supplicia decernat aut præmia.

Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum (cap. 17) : Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio.]

† Idem, in libro de Dono perseverantiæ (cap. 17) : Namque in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est prædestinare.]

† Idem, de Prædestinatione Sanctorum (cap. 16) : [Legimus in Actibus apostolorum : *Cum dimissi a Judæis apostoli venissent ad suos, et indicassent quanta eis sacerdotes et seniores dixerunt* [*al.*, dixissent], *levaverunt illi vocem unanimes omnes ad Dominum, et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram et mare, et omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri David sancti pueri tui dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania : Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 1, 2). *Convenerunt enim in veritate in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pilatus, et populus Israel, facere quanta manus tua et consilium prædestinavit fieri* (*Act.* IV, 27, 29). Ecce quod dictum est secundum Evangelium quidem inimici propter vos (*Rom.* XI, 28); tanta quippe ab inimicis Judæis, *manus Dei et consilium prædestinavit fieri*, quanta necessaria fuerunt Evangelio propter nos.]

† Ubi S. Augustinus in testimonio Actuum apostolorum posuit *prædestinavit*, ibi nostri codices habent *decrevit*.

Idem de Genesi ad litt. lib. IX (c. 4): [Cur ergo coierunt, nisi cum exissent de paradiso? Cito responderi potest: quia mox, creata muliere, priusquam coirent, facta est illa transgressio, cujus merito in mortem destinavit, etiam de loco illius felicitatis exierunt.]

† Gregorius in Moralibus libro XXVIII (c. 6) : [Quod idcirco a Domino jam quasi præteritum describitur, quia quidquid foras futurum est in opere, intus jam factum est in prædestinatione.]

† Idem in lib. XIX (c. ult. sub finem) : [*Arcum* namque *suum Dominus tetendit*, quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit; in quo arcu scilicet vasa mortis præparat : quia, secundum eloquii sui sententiam, eos qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat.]

† Idem (*Ibid.*, XV, cap. 30) : [Ante omnipotentis Dei oculos iniqui vita favilla est; quia, etsi apparet ad momentum viridis, ab ejus tamen judicio jam consumpta cernitur : quia consumptioni est æternæ deputata.]

† Idem (*Ibid.* l. XIV, c. 28) : [In utero autem proles concipitur, quæ in hac vita proferatur. Quid ergo uterum Dei, nisi ejus consilium debemus accipere, in quo ante sæcula per prædestinationem concepti sumus, ita ut creati per sæcula producamur.]

† Idem, in Ezechiel homilia prima partis extremæ (*hom.* 13 *post medium*) : [*Et calamus in mensura in manu ejus*. De sancta Ecclesia per prophetam alium Dominus pollicetur dicens : *Orietur in ea viror calami et junci* (*Isa.* XXXV, 7). Quod in loco alio exposuisse me memini : ut per *calamum* scriptores, per *juncum* vero debeant auditores intelligi ; sed quia ad humorem aquæ et juncus et calamus nasci solet, et ex una eademque aqua utraque proficiunt : et calamus quidem ad scribendum assumitur, cum junco vero scribi non potest; quid in junco et calamo accipere debemus, nisi quod una est doctrina veritatis quæ multos auditores irrigat ? Sed irrigati alii ad hoc usque in verbo Dei proficiunt, ut etiam scriptores fiant, videlicet tanquam calami ; alii vero verbum vitæ audiunt, bonæ spei et rectorum operum viriditatem tenent : sed tamen ad scribendum proficere nullatenus possunt ; hi quid in aqua Dei, nisi quidam (ut ita dicam) junci sunt, qui quid viridescendendo proficiunt, sed litteras exprimere nequaquam valent. Redemptor igitur noster, quia verba quæ dixit etiam per doctorum studium scribi largitus est, in manu calamum tenuit, qui calamus mensuræ dicitur ; quia ipsa [*al.*, in ipsa] doctorum studia sub quadam occulti judicii dispensatione retinentur [*al.*, detinentur], ut et aliis legentibus prosint, et aliis legentibus prodesse non possint. Unde et sancti apostoli, cum magistram Veritatem sibi apertius loquentem requirerent, cur turbis in parabolis loqueretur, audierunt, *quia vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non* (*Matth.* XIII, 11). Vel certe calamus mensuræ est, quia in ipso sacro ejus eloquio quod nobis conscriptum est, occultas esse dispensationes ejus agnoscimus. Nam per incomprehensibile ejus judicium, et alter intra mensuram electorum mittitur, et alter foras relinquitur, ut nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur. Habet ergo funiculum, habet in manu calamum mensuræ. Qui enim funiculum locum metitur, alibi funiculum trahit, aliunde retrahit, et huc ducit, quem aliunde subducit. Sic nimirum sic Redemptor noster in collectione hominum facit, dum alios a suis iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit. In his enim quos colligere dignatus est, occultæ mensuræ funiculum traxit, et ab his quos derelinquendos esse judicavit, quid aliud nisi funiculum retraxit? Ut et poni intra mensuram cœlestis fabricæ teneatur, et mali extra fabricam, in quibus bona quæ existimentur [*al.*, æstimantur] non sunt, quia sine mensura remaneant. Hunc funiculum, et mensuræ calamum in manu sua Redemptor noster tenuit, cum Paulum apostolum per apparentem virum Macedonem admonere dignatus est, ita ut iisdem Macedo vir diceret : *Transiens adjuva nos* (*Act.* XVI, 9). Et tamen volentes apostolos [*al.*, volentibus apostolis] ad prædicandum ire in Asiam,

non permisit Spiritus Domini (*Ibid.*, 7). Quid est quod sancti apostoli, et ibi vocantur ire ubi fortasse pergere non cogitabant, et illuc ubi desiderabant pergere, ire prohibentur? Nisi quia *occulti judicii funiculus, et mensuræ calamus tenetur in manu*: ut alii verba vitæ audiant, et alii nullatenus audire mereantur? *Funiculus ergo mensuræ est*, qui alio tractus est, aliunde retractus. Sancto quoque Evangelio teste [*al.*, testante], didicimus quod venit qui diceret: *Magister, sequar te quocunque ieris.* Cui responsum est: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Venit alter qui diceret: *Magister, sine me primum ire, et sepelire patrem meum.* Cui dicitur: *Sine mortuos, sepeliant mortuos suos: Tu autem me sequere et annuntia regnum Dei* (*Matth.* VIII, 19, 20, 21-22). Quid est quod ille promittit se ire, et deseritur? Iste domum vult redire, et tamen ut sequi debeat, jubetur. Ille non suscipitur, iste nec ad horæ momentum ab obsequio relaxatur. In terra [*al.*, interno ergo occultoque judicio] ergo occulti judicii funiculus, et mensuræ calamus ducitur, in quo iste trahitur, et ille relinquitur, ut cœlestis fabrica non sine pio, et justo examine construatur.]

† Hanc beati Gregorii sententiam idcirco interposui, ut per eam cognoscatur quid de prædestinatione intellexerit, intelligique voluerit. Nam, cum in Moralibus eumdem sensum plenius explicuerit, quod ille prædestinationes pluraliter, hoc in Ezechiele dispensationem adæque pluraliter posuit, ut aperte doceret vocabulo prædestinationis dispositiones et dispensationes atque ordinationes Dei debere accipi. Cum constet ea et alia complura sub uno eodemque sensu tam in sacris eloquiis quam in tractorum expositionibus poni.

Fulgentius in lib. ad Monimum (l. I, cap. 20 et 21): [Neque enim est alia ejus prædestinatio, nisi futurorum operum ejus æterna præparatio; in qua nullius causa mali poterit inveniri, quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Misericors etenim Dominus, et justus, de quo et alio loco scriptum est: *Misericordiam et veritatem diligit Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIII, 12). In omnibus ergo operibus ejus, aut justa veritas custoditur, aut pia misericordia prærogatur.]

Et infra (*Ibid.*, cap. 21): [Prædestinatio enim ejus, præparatio est operum ejus.

† Et item (*Ibid*, cap. 23): [Dei enim prædestinatione, aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum justa punitio. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædestinare, quod ipse disposuerat et præcepto prohibere, et misericordia diluere, et justitia punire. Iniquos itaque quos præscivit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinavit supplicio interminabili puniendos.]

† Iste doctor et antistes, absque refragatione fidelissimus atque eruditissimus, noverat Græcam apprime locutionem, noverat qualiter a beato Augustino sermo prædestinationis impiorum positus fue-

A rat; ideoque non prævisionem, sed præparationem et dispositionem ejus prolatione intelligendam; quem si Atticæ linguæ scientiam habuisse aut ignoras, aut negas, lege libros illius, qui Mythologiarum seu Virgilianæ continentiæ inscribuntur, et invenies ei maximam illius linguæ affuisse peritiam, qua facillime nosse poterat quid sub hujus vocabuli enuntiatione accipi debuisset.

Cassiodorus (in *psal.* VII, sub fin.): [Primum est quia iniquitas, dum ex alto præcipitata descendit, violenter percutit, deinde potenter quomodo impii torqueantur exponit: nam cum supra eos propria peccata descenderint, suis malis, suis sceleribus in pœnas debitas destinantur.]

† Idem, in psalmo LI: Destruit Deus in hac vita

B prosperrime quos iterum ædificare decreverit; in fine autem qui destruetur, æternis suppliciis deputatur.]

† Idem, psalmo LIV: [Nam omnium dies in prædestinatione noscuntur esse definiti.]

† Idem, in psalmo LXXXII: [*Confundantur* autem *et conturbentur in sæculum sæculi*, qui æterna ultione damnandi sunt. Sequitur *et revereantur et pereant* (*Psal.* LXXXII, 18). Ipse sensus est quem superius dixit; quia ibi reverendo, non proficiunt, sed pereunt, qui ad æternum supplicium destinantur].

† Idem, in psalmo LXXXVII: Frequenter emundat Divinitas quos flagellat, ut purgatum recipiat quem peccatis sordidum respuebat: quos vero ab emundatione dissolvit, id est removit, hos jam et

C damnare decrevit.]

† Idem, in psalmo XCII: [*Parata sedes tua Deus: parata* significat prædestinationem, quia totum illa veritate consistit, quidquid in administratione mundi evenire contigerit.]

† Sed et Primasius, Africanæ Ecclesiæ antistes eruditissimus, in explanatione Apocalypseos beati Joannis, eadem sensisse reperitur, cum ait: [Præterito namque tempori tanquam anteriori promissa dispensatio Christi Domini deputantur, quæ sicut prædicta o prophetis legitur, peracta jam perdocetur, præsentis credulitatis augmenta, et Ecclesiarum conveniunt incrementa futurorum bonorum, malorumque redemptio qua justos in vitam, impios in pœnam futuros credimus deputatos.]

Bonifacius, episcopus et martyr Germaniæ. [Quid

D enim parenti proficit, si habeat filium tormentis perpetuis deputatum.]

† Hanc sententiarum congeriem ad hoc necessario ex Patrum voluminibus colligendam duxi, ut varietate vocabulorum, et unitate sensuum, quid super nuncupatione prædestinationis senserint facillime perpendatur. Siquidem cum opus esset, ut eamdem causam sæpius intimarent, maluerunt diversis significationibus eamdem rem gratia vitandi fastidii ponere, quam uni eidemque vocabulo, quasi sermonum indigentia laborantes, tædiosius inservire, ac per hoc nequaquam nos in Latinis dictionibus ad Græcas debueras origines invitare, a quibus nec derivationem, nec denominationem certum est eas accepisse. Inter,

hæc notandum, non incongrue fortassis censui, A quod orator mirabilis *prædefinio* verbum pulchra nimirum compositione nostræ ignorantiæ invenerit, cum multo commodius honestiusque dicere potuerit *præfinio*, quemadmodum etiam a sancto Hieronymo positum supra inseruimus. Quibus omnibus liquido refellitur quod *destinare* vel *prædestinare* pro eo quod est *videre*, vel *prævidere* fatua assertione dixisti, quippe cum a nullo eorum sub hoc sensu positum uspiam valeat reperiri.

Nec prætereundum quod *æternæ Sapientiæ comites investigatricesque memoratas diciplinas asserueris* (cap. 18, num. 4, sect. 1) contra auctoritatem utique propheticarum apostolicarumque litterarum. Si enim comites habuit, sequitur magna B absurditas ut alicujus indiga prædicetur; quæ, cum nullius egere aut eguisse ullatenus comprobetur, et sola sui æternitate atque omnipotentia omnia disposuerit, *attingens* videlicet *a fine usque ad finem fortiter* (*Sap.* VIII, 1), nullaque impotentia unquam potuerit infirmari. Nescio penitus quamobrem comites tuas necessarias conrogavit, quarum fulturis ac veluti suffragiis, vel ad se investigandam, vel ad aliud quid opus habuerit, cum teste Scriptura *transferat se in animas sanctas, et inserat se cogitationibus quæ sunt sine fictione* (*Sap.* I, 5), qua fit sapiens, quisquis pro munere illustrantis, vel captu accipientis fit sapiens. Omnes itaque paginas utriusque Testamenti percurrens, nunquam invenientes præceptum per has investigari Deum; C sed *per fidem, quæ per dilectionem operatur*, munditia cordis, mandatorumque Dei obedientia et observatione quærendum fideliter et inveniendum veraciter edocui. Quid enim, nunquid omnes prophetæ his Deum investigasse atque invenisse dicendi sunt? Certe, ut cæteros prætercam, *Amos*, de pastoralibus, ad prophetandum repentina inspiratione assumptus (*Amos* I, 1), nunquam earum eruditionem percepisse credendus est. Quid beatus Petrus, et cæteri Apostoli, piscatores, et idiotæ (*Marc.* I, 16) nunquid earum studiis eruditi æternam Sapientiam insquisierunt et perceperunt?

Aliud omnino clamat Veritas, quæ dicit: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13); et item: *Cum venerit Spiritus paracletus, quem mittet Pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis* (*Joan.* XIV, 26), et iterum: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27); et iterum: *Exsultans Jesus Spiritu sancto dixit: Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te* (*Matth.* XI, 25). Et ad beatum Petrum: *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis* (*Matth.* XVI, 17). Et Apostolus: *Et quoniam non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum* (I *Cor.* I, 21). Spiritum sanctum philosophi mundi nec habuerunt, nec invenerunt; quomodo ergo, quamlibet astuti atque acuti, per earumdem disciplinarum eruditionem Dominum investigare potuerunt, qui nec investigatur veraciter nec invenitur nisi per Spiritum sanctum? Sequitur igitur nec comites eas fuisse sapientiæ Dei, quæ una, eademque, et sola semper est, nec his investigari eam; sed revelari per Spiritum ejus. An beatus Pater Augustinus, omnibus his examussim instructus, earum acumine Deum aut investigare aut valuit invenire? qui cum per tot annos earum studiis insudaret, et tamen multis erroribus, maximeque Manichæorum insaniis impediretur, nunquam veritatem cognoscere potuit, priusquam sanctæ genitricis suæ instantia, oratione et lacrymis, respectu supernæ inspirationis Dei et beati Ambrosii prædicatione, et Deum agnoscere, et fidei gratiam percipere meruit.

Unde et ipse beatissimus Augustinus (libro *De Civitate Dei* octavo) inquit (cap. 11): [In Timæo autem Plato, quem liberum de mundi constitutione conscripsit, Deum dicit in illo opere terram primo ignemque junxisse. Manifestum est autem quod igni tribuat cœli locum, terræ vero ipsam terram. Habet ergo hæc sententia quamdam illius similitudinem, qua dictum est: *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I. 1). Deinde illa duo media, quibus interpositis sibimet hæc extrema copularentur, aquam dicit et aerem. Unde putatur sic intellexisse quod scriptum est: *Spiritus Domini superferebatur super aquam* (*Gen.* I, 2); parum quippe attendens quo more soleat illa Scriptura appellare Spiritum Dei, quoniam et aer spiritus dicitur quatuor opinatus elementa loco illo commemorata videri potest. Deinde quod Plato dicit amatorem Dei esse philosophum, nihil sic in illis sacris litteris flagrat, et maxime illud (quod et me plurimum adducit ut pene assentiat Platonem illorum librorum expertem non fuisse) quod, cum ad sanctum Moysen ita verba Dei per angelum perferantur, ut quærenti quod sit nomen ejus qui eum pergere præcipiebat ad populum Hebræum ex Ægypto liberandum, respondeatur: *Ego sum qui sum. Et dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos* (*Exod.*, III, 14), tanquam in ejus comparatione qui vere est, quia incommutabilis est, ea, qua mutabilia facta sunt, non sint. Vehementer hoc Plato tenuit, et diligentissime commendavit. et nescio utrum hoc uspiam reperiatur in libris eorum qui ante Platonem fuerunt, nisi ubi dictum est: *Ego sum qui sum. Et dices eis: Qui est misit me ad vos.* Sed undecunque ista ille diceret, sive præcedentibus eum veterum libris, sive potius, quomodo dicit Apostolus: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ejus a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna*

quoque virtus ejus et Divinitas (*Rom.* I, 19, 20). Non immerito me Platonicos philosophos elegisse cum quibus agam quod in ista quæstione, quam modo suscepimus, agitur.] † Unde beatus Paulus apostolus : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II, 8, 9).

Ambrosius (*ad. Col. cap.* II, 8) : [Philosophiam dicit terrenam, per quam solent seduci qui cupiunt prudentes judicari in mundo. Hæc argumentis, et subtilitate minutiarum quarumdam componitur, quasi physicas investigaverit rationes (*Sap.* XIII, 14), quædam habens admixta quæ hortamenta sint bonæ vitæ, vel documenta, aliquando de mensuris, nec non de numeris, aliquando de elementorum qualitatibus et quantitatibus ordinata : in cujus disputationibus qui inciderit, vix raro [*al.*, aut nunquam] evadet : detinetur enim verisimilibus causis, et commentitiis rebus, nihil tam verum æstimans, quam quod conspicitur et intelligitur in elementis (*Sap.* XV) ; et quia quæ ad præsens sunt, et cernuntur, oculus, suavia et oblectabilia videntur, aliquantos seducunt, qui spiritalem rationem despiciendam et rejiciendam putant, desperatione futuri (*Sap.* II), omnem vim astris assignantes (*Sap.* XII), carnali rationi obnoxii, ne gravia credenda sint sustolli posse in cœlo, vel levia venire ad terras, aut aliquid corporeum sine rerum admistione generari, repugnantes potentiæ ac providentiæ Dei : sciunt enim legi in divinis veteribus Hebræorum voluminibus multa gesta per Moysen, quæ humana ratio non capit (*Deut.* IV). Simili modo et in novis libris, facta a Domino aut per apostolos, quæ tractatur carnalis prohibet credi (*Act.* XIII). Hanc ergo traditionem philosophiam fallacem et inanem appellat (*I Cor.* II), quia non a potentia Dei ordinata est, sed ab imbecillitate ratiocinationis humanæ, quæ potentiam Dei intra scientiam suam coarctat, ne aliter credatur facere, quam carnalis se continet ratio ; quam singulis elementis divinitatis diversitate (*al.*, diversitatem) deputant ad culturam, ut obligent animos imperitorum, ne se ad Deum verum extendant. Quamobrem cavendam monet traditionem istam quia mundi cultrix est (*Sap.* XIII), non Dei qui unus est, nec ad Christum sed a Christo abstrahit, in quo perfectio divinitatis est.)

† Sed, ut ad propositum redeamus, quia in Latinis dictionibus nobis Atticas origines importas, tot Ecclesiarum magistris, Græcitatem apprime scientibus, nunquam prædestinationem pro prævisione posita legimus, quoniam ea per omnia differre non nescierunt. Nam, licet nihil absque prævisione possit prædestinari, quemadmodum de distantia præscientiæ et prædestinationis jam plura congessimus. Quod si prædestinationis vocabulum huic intellectui subjacet, quid de cæteris sentiendum censes, quæ in eumdem sensum posita creberrime leguntur, veluti est deputati, dele- A gati, parati, præparati, decreti, judicati, damnati, addicti, dispositi, dispensati, ordinati, statuti, constituti, præfixi, definiti, præfiniti, et cætera. Quæ, ad eumdem intellectum concurrentia, passim in divinis paginis, Patrumque venerabilium scriptis posita inveniuntur. Verum quis nesciat non idem esse *prævidit*, quod est *præfinivit* ? Ac per hoc cum *præfinire* et *prædestinare* sibi concinant, prævidere ab his multum differre nulli sobrio incognitum liquet ; quia, sicut sæpe notatum est, multa prævidentur, quæ nullatenus præfiniuntur ! Interea admirandum interpretem quo decet honore afficiendum video ; qui, novas nobis interpretandi lineas affingens, nequiit introspicere quod non omnia verba Latina, quæ loco B unius vel Græci vel Hebræi sermonis vel cujuslibet linguæ interpretata ponuntur, unum semper significare necesse sit ; sed pro locorum qualitatibus, nunc hoc nunc illud ostendere : quemadmodum, inter cæteros, vel maxime sanctus Hieronymus demonstrat ; sicut est *Bar*, quod in nostra lingua *filium*, *purum triticum*, *et spicarum fasciculum*, atque *electum* significat. Nunquid ideo unum idemque dicentur significare tot Romana vocabula, quia pro uno vel Hebræo, vel Syro sermone pro intelligentiarum varietatibus posita leguntur ? Proinde, quod de prædestinatione, prævisione et præfinitione morte, pœnis atque suppliciis, loquaci tædio, garrulus magis quam eloquens, iteras ; quoniam supra satis abundeque confutatum et comminutum C noscitur, ne tui exemplo eadem non necessarie repetamus, consulte transiliendum credidimus.

Attamen illud notandum censeo quod cum mortem a Deo esse negaveris (cap. 18, n. 5, sect. 5), mortem mortis æternæ vitam æternam, id est Dominum nostrum Jesum Christum dixeris, ipso per prophetam prænuntiante : *Ero mors tua, o mors ; ero morsus tuus, inferne* (*Osee.* XIII. 14). Si ergo ipse se mortem pronuntiat esse mortis, quomodo negare audes mortem esse a Deo ? Item quod dicis *deseri a Deo, id esse interimi* (cap. 18, n. 6, *sect.* 5) : *nec quod in eis ipse fecit, relinqui vel deseri : alioquin earum naturam ac nihilum redire, si summa essentia in eis non sit, sed quod in eis non fecit, id est superbiam, sperni* (cap. 18, n. 7, sect. D 6) : prorsus veritati reniteris, quæ Deum judicem justissimum atque irreprehensibilem, id quod fecit, id est angelos apostatas et homines impios, merito iniquitatis eorum punire prædicat. Deum quoque in ea natura quam ad se creavit semper habitare falso astruis, cujus habitatio non nisi per gratiam edocetur. Proinde quod in laudibus beati Augustini perorans, non eum eodem modo voluisse intelligi asseveras quod dixit : quos juste prædestinavit ad pœnam, quo voluit quod dixit : quos benigne prædestinavit ad gratiam, affatim præmissa confutant. Neque necesse est ut toties evitata, quasi formidanda superflue inculcentur.

Quid tantopere Dei providentiam calcas, et ejus dispositionibus impius obvias ? Certe qui, Dei potentiæ dispensationisque expertes, vitam duxerunt,

quantalibet ingeniorum acrimonia præpollentem, A quamvis fato fortunaque vitam humanam agi suadere conarentur, nequaquam absque providentia fieri prædicabant, cum ea diis deabusque adscriberent quos propriis etiam vocabulis nuncupabant, fatum videlicet et fortunam. Ac rursum fati trifidam distributionem sub nominibus Megeræ, Alecto, et Tisiphone. Quarum dispositionibus vitæ humanæ ortum, procursum, finemque tribuebant. Ita ut nec felicitatem, nec infelicitatem, nec fortunia neque infortunia absque deorum suorum dearumve ordinatione fieri posse ullatenus affirmarent. Tu contra, et veritati et figmentis pariter contradicens, aufers veri imo solius Dei providentiam, dispositionem atque judicium, cum propheta Isaias de uno et vero Deo manifeste proclamet, S. Hieronymo ex- B ponente in Isaia, lib. v : *Hoc consilium, quod cogitavi super omem terram, et hæc est manus extenta super universas gentes*; *Dominus enim exercituum decrevit; et quis poterit infirmare? et manus ejus extenta; et quis avertet eam?* (*Isa.* XIV, 5). Hoc loco quidam arbitrantur generalem esse contra omnem orbem prophetiam, et quod vastitas Babylonis et Assyriæ civitatis typus sit consummationis mundi, quibus nequaquam contradicimus, dum sciamus hic omnem terram Assyriorum proprie significari, et universas gentes socias regis Assyrii demonstratas : quidquid autem a Domino decretum est, nullius virtute prohibetur, et extentam manum ejus, et ad percutiendum paratum, nemo poterit coercere.] † Idem in eodem : [*Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc* C (*Isa.* XVI,3) ; ex quo putas tempore? videlicet ex eo quo creatus est Moab ; et Dominus ait : *Moabitæ et Ammonitæ non intrabunt in Ecclesiam Dei* (*Deut.* XXIII, 3), sive extunc pro antiquo tempore intelligamus, quod olim divina sententia ista decreta sint; non quod præscientia Dei causam vastitatis attulerit, sed quod futura vastitas Dei majestate prænota sit.] † Idem in eodem : [*Dominus exercituum cogitavit ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ*(*Deut.* XXIII,9),quia supra interrogantis more, dixerat : *Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam?* (*Ibid*, 8) nunc ipse respondet : non fatorum (ut stulti putant) sic fila deducta sunt, non fortunæ currit rota ; sed Dei judicio et D ipsius voluntate perfectum est : *Qui superbis resistit, et humilibus dat gratiam* (*Jac.* IV, 6), et commonet arrogantes conditionis suæ, ut discant potentiam ejus per miseriam, cujus clementiam per beneficia sentire noluerant.] † Certum est omnipotentissimum judicem auctoritate divinæ scripturæ, ac concinentia tractatorum fidelium non de initiis, sed de fine quemquam judicare, dicente Scriptura : *Et universorum finem ipse considerat* (*Job* XXVIII, 3), quare, quæso, *universorum finem ipse considerat*? nunquid, ut quidpiam novi, et quod eatenus ignoraverit, addiscat! Absit : sed qui hominis *terminos constituit, qui præteriri non poterunt*, ad hoc universorum finem considerat, ut de eo unumquemque dijudicet. Videlicet ut aut de fine bono, bonis bona retribuat, aut de fine malo malis æque mala rependat. Quid itaque contrarium vel fidei vel Dei justitiæ susurratur, si id prædestinasse fidelissime prædicetur, quod eum vel decrevisse, vel constituisse, vel considerare, verax Scriptura non tacet. Terminos igitur hominis quos constituit, id est prædestinavit atque disposuit : *Et universorum finem ipse considerat*, ut ex eis unicuique retribuat quod meretur, hoc procul dubio prædestinavit, id est ante sæcula disposuit; quia hoc præscivit indubitanter atque prænovit : non ergo negetur imo tanta pertinacia impugnetur quod auctoritate et ratione veritatis lucidissime comprobatur.

Unde et Gregorius in Moralibus (lib. XVIII, c. 17) sic ait : [*Tempus posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat, ipse tempus posuit tenebris* (*Job* XXXVIII, 3). iniquis videlicet modum quo iniqui esse desistant. Unde eis per Apostolum dicitur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Sicut aliis quoque discipulis isdem doctor egregius dicit : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII, 12). Unde et in Canticis canticorum, Ecclesia veniente, dicitur : *Quæ est ita quæ progreditur, quasi aurora consurgens?* (*Cant.* VI, 9). Aperte enim Ecclesia auroræ comparata describitur, quæ per cognitionem fidei a peccatorum suorum tenebris in clara luce justitiæ commutatur. *Tempus* ergo *posuit tenebris*, *et universorum finem ipse considerat* (*Job* XXVIII, 3): *universorum* nomine et electos voluit et reprobos comprehendi. Nam bona faciens et ordinans Deus, mala vero non faciens, sed ab iniquis facta, ne inordinate eveniant ipse disponens, considerat universorum finem, et patienter tolerat omnia. Atque intuetur electorum terminum, quod ex malo mutentur ad bonum : intuetur etiam reproborum finem, quod de malo opere dignum retrahantur ad supplicium. Videt finem persequentis *Sauli* quo prostratus diceret : *Domine, quid me jubes facere* (*Act.* IX, 6), vidit finem quasi obsequentis *Discipuli* quod pro commisso scelere guttur laqueo stringeret (*Matth.* XXVII, 5), seque et peccantem puniret, et deterius puniendo deciperet; vidit *Ninivitas* delinquentes (*Jon.* I, 2) sed consideravit finem delinquentium pœnitentiam correctorum (*Jon.* III, 10). Vidit quoque *Sodomam* delinquentem (*Gen.* XVIII, 20), sed consideravit finem ardoris luxuriæ ignem gehennæ (*Gen.* XIX, 24). Vidit gentilitatis finem, quod, possessa iniquitatum tenebris, quandoque fidei luce claresceret. Vidit etiam *Judææ* terminum, quod, ab ea luce fidei quam tenebat, obduratæ perfidiæ se tenebris cæcaret. † Sane cum dicis.

JOANNES SCOTUS

(Cap. 18, num. 9, sect. 7) ⊖ *Prædestinavit itaque Deus impios ad pœnam vel interitum : hoc est circum-*

scripsit eos legibus suis incommutabilibus, quas eorum impietas evadere non permittit.

† Profecto veraciter definisti; porro quod addis: (Cap. 18, num. 10, sect. 7.) Θ *Ad pœnam profecto suam. Ea quippe difficultas qua prohibetur pervenire ad ea quæ libidinose appetunt, efficitur eis pœnalis interitus, et suæ miserrimæ cupidinis justissimus cruciatus.*

CORRECTIO.

† Omnino fallaciter asseveras; ubi et illud satis stupere nequeo, qui pridem ignorantiam veritatis et beatitudinis miseris induxeras, eujus appetitus egestate nunc eos cruciari definias, quibus boni cujuspiam appetendi jam nec scientia suberit nec voluntas. Sed et cum veraciter asseveras numerum utriusque partis electorum atque reproborum a Deo prædestinatum et præfinitum, quid causæ est ut prædestinatos ad interitum neges, quorum numerum prædestinatum et præfinitum minime denegas? Videamus quid etiam contra teipsum agat tua expositio. Denique cum de Deo diceres:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 18, num. 11, sect. 8.) Θ *Omnibus tribuens leges suas servandi potestatem, si vellent, antequam omnes in uno peccarent*; *sed non omnibus tribuens ut velint post peccatum, præparans electos ad beatitudinem, disponens reprobos ut suis, quamvis inviti, legibus serviant, cum non, ut sic sibi servirent, prædestinavit eos faciendos, sed ut ei voluntate perfecta adhærerent. Inviti autem ei serviunt, non illorum natura, quam in eis fecit et in eis non punit, sed mala voluntate quam in eis punit; in eo enim quod ei inviti serviunt, in seipsis sua pœna.*

CORRECTIO.

† Velut explanando subnectis.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 18, num. 12, sect. 8). Θ *De qua quos juste Deus non liberat, ad eam illos quodammodo præparat, dum eos ad eam seipsos præparare permittat.*

† Dixisse te multo antea legimus.

(Num. 13, cap. 10, sect. 3.) Θ *Simili modo si nihil aliud est prædestinatio, nihil eorum, quæ Deus facienda prævidit præparatio.*

† Et rursum.

(Num. 14, cap. 9, sect. 6.) Θ *Quo jure potest dici prædestinatio, id est præparatio in eo, qui nullo temporis intervallo præcessit, quo disponeret ea quæ facturus esset, cujus operationem non præcedit præparatio.*

CORRECTIO

† Si secundum te nihil aliud est prædestinatio quam præparatio, cogimur in hac tua expositione intelligere Deum sicut præparasse, id est impios ad pœnam seipsos præparare permisisse, ita prædestinasse, id est eos ad eam se ipsos prædestinare permisisse. Et consequenter evertetur quod tantis allegationibus conaris efficere: prædestinationem et præparationem Dei, non nisi in electis et justis fieri. Si inquam nihil aliud est prædestinatio quam præparatio; sequitur ut, quemadmodum præparati, id est præpari a seipsis ad pœnam permissi sunt; ita procul dubio prædestinati, id est prædestinari a seipsis ad pœnam permissi, intelligendi sint. Est autem malum, et, ut ita dixerim, malorum omnium pessimum, præparare vel prædestinare se quemlibet ad pœnam, ad quam nullus præparatur a se vel prædestinatur nisi mala perpetrando, id est peccando: Et quid facies præclarissimæ expositioni tuæ, qua tam pertinaciter astruere subiisti prædestinationem, et præparationem, ac prævisionem, Dei, non nisi in electis poni? Nempe paulo superius dixeras:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 18, num. 15, sect. 8.) Θ *Omnium igitur quos Deus creavit, prædestinatus est numerus. Sed, quoniam Conditor prævidit ipsum numerum in primo homine generaliter periturum, excepto vulneris medicamento, quod est Christus; prædestinavit, hoc est antequam fierent definivit, et eorum numerum quos sua gratia liberaturus, et eorum quos sua justitia relicturus: in istis clementiæ suæ dona daturus, in illis naturæ numerum, quo universitas perficeretur, impleturus.*

CORRECTIO

† Ecce prævidit in malo positum, tanta evidentia posuisti, ut negare prorsus nulla impudentia valeas. Quis enim perire, malum esse non dixerit? si ergo Deus prævidit ipsum numerum in primo homine generaliter periturum, profecto malum prævidit, et si, ut juras, imo perjuras, nihil est aliud prædestinare quam prævidere et præparare; colligitur tantis tuæ pervicaciæ astructionibus, ut dicatur Deus quemadmodum prævidisse, ita etiam prædestinasse et præparasse numerum humani generis periturum: nec stare poterunt sententiæ tuæ, quibus hactenus tanta pertinacia efficere molitus es Deum nec prævidisse, nec prædestinasse, nec præparasse malum, peccatum, pœnas atque tormenta. Perire quippe quemlibet suo vitio malum est: pœnam sibi quemque malis actibus comparare nihilominus malum est. Si igitur ista Deus prævidit, præpararique peccatores a seipsis ad ea permisit, malum utique prævidit, prædestinavit, ac præparavit. Quodque subjungis:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 18, num. 16, sect. 9.) Θ *Prædestinavit itaque impios æternis suis justissimisque legibus invite servituros, eosque nullo impetu impietatis suæ in profundum malitiæ tendentis transituros, eoque modo puniendi interituros. Nulla quippe gravior pœna infligitur servo iniquo, quam ut cogatur servire invitus justo Domino. Plus etenim in seipso interius superbæ voluntatis patitur incitamenta, quam exterius in corpore durissima flagella; qui cum Domini sui voluntatem spernere non sinitur, intra semetipsum a seipso cruciatur.*

CORRECTIO.

✝ Quocunque modo se habeat pœnalis ista damnatio, utique a Deo prædestinatam asseris, a quo refrenatam atque cohibitam pereuntium malivolentiam, ne ad optatos procursus perveniat, dogmatizas. Si igitur Dei est ista refrenatio atque cohibitio, legumque divinarum circumscriptio, ut legibus ejus inviti serviant, et hæc ipsa servitus illis pœna efficitur, omni procul ambiguo ab ipso pœna prædestinata intelligitur, a quo invita servitus imposita inevitabiliter prædicatur, attestante beato Job, qui dicit: *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt* (*Job.* XIV, 5): ubi nihil aliud constitutionis nuncupatione, quam prædestinationis significatione sobrie valet intelligi. Quid enim metuerent catholici tractatores prædestinatos ad interitum dicere, quorum terminos constitutos a beato Job noverant prædicatos; quos videlicet terminos qualiter intelligere debeamus, veracissimus explanator edoceat, Gregorius videlicet, qui in Moralibus, lib. XII, cap. 2, ita loquitur:

[Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt; nam cuncta Deus secutura præsciens, ante sæcula decrevit qualiter per sæcula disponantur. Statutum quippe jam homini est vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum adversitas feriat, ne electos ejus aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Statutum quoque est quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivat, etc. Quod tamen intelligi etiam juxta spiritum valet; quia nonnunquam in virtutibus proficere conamur, et quædam dona percipimus, a quibusdam vero repulsi in imis jacemus. Nemo enim est qui tantum virtutis apprehendat quantum desiderat, quia omnipotens Deus, interiora discernens, ipsis spiritalibus profectibus modum ponit, ut ex hoc homo quod apprehendere conatur, et non valet, in illis se non elevet, quæ valet. Unde ille quoque egregius prædicator, qui raptus usque ad tertium cœlum fuerat, paradisi arcana penetraverat, esse post revelationem tranquillus atque intentatus volebat [*al.*, non valebat]. Sed, quia omnipotens *Deus terminos constituit* homini, *qui præteriri non poterant*, et elevavit hunc ad cognoscenda sublimia, et reduxit iterum ad infirma toleranda, ut, modi sui mensuras [*al.*, mensuram] aspiciens, dum securitatem comprehendere conaretur et non posset, ne per elationem extra se iret, per humilitatem cogeretur intra suos semper terminos redire (*II Cor.* XII, 2, 7, 8, 9.]

✝ Cætera quæ usque ad finem hujus pericopes evomis potius quam disseris, quoniam fastidiosa loquacitate sæpius efflata replicas, ulterius repetere supersedimus.

CAPUT XIX.

De igne æterno.

Nona decima porro elusionum tuarum de igne æterno disputat, quæ, quamlibet sui quantitate minor cæteris videatur, impietate tamen majores æquiparet: quippe quæ ab eis nec sensuum pravitate, nec blasphemiarum asseveratione secernitur. Ais ergo:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 19, num. 12, sect. 1.) Θ *De æterno vero igne de quo Dominus in Evangelio ait:* Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41), *nulli dubitandum corporeum esse, quamvis pro subtilitate naturæ incorporeus esse dicatur quemadmodum solemus dicere æthereum spiritum, cum quarta pars sit corporalis creaturæ; nec facere crediderim alium ignem præparatum ad puniendum diabolum cum omnibus suis membris, præter istum ipsum, qui est quartum mundi elementum. Quid enim! nunquid mirum si illa impiorum corpora, quæ profecto de his quatuor corporalibus elementis sunt compacta, in eademque resolvenda tempore quoque prædefinito, ab eisdem iterum resurrectionis momento revocanda, in illo igne quo resurrectura omnium corpora maxime substantialiter constabunt, merito impietatis suæ tormenta patiantur æterna.*

CORRECTIO

✝ Corporeum esse flammeum atque visibilem mixta obscuritate ignem gehennæ omnes orthodoxi consentiunt; utrum autem ipse sit qui quartum mundi elementum vocatur, non parva quæstio est. Videtur tamen tam ex verbis sancti Gregorii, quæ supra posuimus, quam ex sententia Domini, alius esse: dicentis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Quid enim necesse erat specialiter dici paratum cruciatui peccatorum, si ipse esset qui omnium mortalium necessitatibus atque utilitatibus noscitur procuratus? huc accedit quod dicente Scriptura: *Devorabit eum ignis qui non succenditur* (*Job.* XX, 26), aliud accipi debeat, quoniam iste qui nobis necessarius quotidianis usibus exhibetur, nequaquam subsistere valet nisi lignorum alteriusve materiæ pabulis nutriatur, quibus gehennalem non indigere perspicuum est; unde et *inexstinguibilis* (*Marc.* IX, 42, 44) in Evangeliis prædicatur. Sed et qualitas illius ab hujus qualitate plurimum distat. Iste quippe nulla diversitate quidquid attigerit consumit; ille cum animas et corpora sit crematurus, nec id agit ut omnino non sint, nec æqualiter omnia adurit, sed, pro varietate seu immanitate facinorum, hunc minus, illum amplius cruciare non dubitatur: ut, sicut in regno cœlorum diversitatem mansionum facit disparilitas meritorum, ita inferni barathro demersis varietatem tormentorum generet imparilitas operum iniquorum.

Hinc (Gregor. *Dialog.* l. IV, c. 43) Petrus beatum Gregorium ita adorsus est: PETRUS. Quæso te, inquiens, unus esse gehennæ ignis credendus est? An quanta peccatorum diversitas fuerit, tanta quoque existimanda sunt et ipsa incendia esse parata?—GREGORIUS. Unus quidem est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Unusquisque enim

al., uniuscujusque; etenim], quantum exigit culpa, tantum illic sentiet pœnam [*al.*, tanta illic sentitur pœna]. Nam, sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus æstuat, atque alius minus, ita illic in uno igne non unus est incendii modus; quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.— PETRUS (*Ibid.*, cap. 44): Nunquidnam, quæso te, dicimus eos qui semel illic mersi fuerint, semper arsuros? — GREGORIUS: Constat nimis [*al.*, nimirum], et incunctanter verum est quia, sicut finis non erit gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum. Nam cum Veritas dicat: *Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 46), quia verum est quod promisit, falsum procul dubio non erat quod minatus est Deus. — PETRUS: Quid, si quis dicat: idcirco peccantibus æternam pœnam minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compescat? [*al.*, compesceret?] — GREGORIUS: Si falsum est quod minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa est pollicitus, ut ab justitiam provocaret; sed quis hoc dicere vel insanus præsumat? Et si minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem (quod dicere nefas est) prædicare compellimur. — PETRUS: Scire vellem quomodo justum sit ut culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur.— GREGORIUS: Hoc recte diceretur si districtus judex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; nam voluissent utique, si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. — PETRUS: Sed nullus justus crudelitate pascitur, et delinquens servus a suo [*al.*, justo] Domino idcirco cædi præcipitur, ut a nequitia corrigatur. Ad hoc ergo vapulat, ut emendari debeat; iniqui autem gehennæ ignibus traditi si ad correctionem non perveniunt, quo fine semper ardebunt? — GREGORIUS. Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes, æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, et tamen ad aliquid ardebunt, scilicet ut justi omnes et in Deo videant gaudia quæ percipiunt, et in illis perspiciant supplicia quæ evaserunt: quatenus tanto magis in æternum divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt.— PETRUS: Et ubi est, quod sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc ardere viderint non orabunt, quibus utique dictum est: *Pro inimicis vestris orate* (*Luc.* VI, 28). — GREGORIUS: Orant pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare: quid enim aliud est pro inimicis orandum, nisi hoc quod Apostolus ait: *Ut det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis* (*I Tim.* II, 25), a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. — PETRUS: Placet quod dicis. Et quomodo pro illis tunc orabitur [*al.*, orabunt], qui jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? — GREGORIUS: Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis. Quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo et angelis ejus æterno supplicio deputatis, quæ nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia de eis utique quos æterno supplicio deputatos jam noverunt, ante illum judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt: quod si nunc quoque viventes justi mortuis et damnatis injustis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua causa [*al.*, carne] sese perpeti etiam ipsi noverunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi jam justitiæ vicinius atque arctius inhærebunt. Sic quippe eorum mentes per hoc, quod justissimo judici inhærent, vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat, quidquid ab illius æternæ regulæ subtilitate viderint discordare [*al.*, discordat, *om.* viderint].

† Quæ omnia cum in isto temporalibus nostris necessitatibus commodato igni nullatenus posse fieri certum sit, conjicitur alium debere accipi illum, *qui paratus dicitur diabolo, et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41): ac per hoc non improbabiliter forsitan dicitur, alius ad cruciandos impios a Deo creatus, quia absque materiarum alimentis eorum corpora, et animas sine sui illorumque defectu possit exurere, quod istum sine formentis corporalibus nullatenus valere manifestissime comprobatur. De quibus quia temere nihil affirmare præsumo, hoc certum teneo in illo igni, quod quartum elementum dicitur sanctorum corpora nequaquam substantialiter constatura, quia quorum vera erit gloria, et incorruptio, certe sicut aere et aqua non indigebunt, ita nec ignis eos necessitatem perpeti verax ratio innuit: promittitur quippe sanctis omnibus, quod *erunt* in illa beatæ resurrectionis gloria *æquales angelis Dei* (*Luc.* XX, 36). Sicut ergo sancti angeli non habent beatitudinis suæ gloriam in isto igni, quippe qui nequaquam ex elementis compacti, sed ex nihilo facti creduntur: illa sancti, quamvis habeant eadem corpora, quæ per mortem fuerant resoluta, perenni glorificatione immutata, nullomodo tamen beatitudinis præmium in igne percipient, sed in contemplatione semper viventis Dei, qui nullis elementorum creaturarumve quarumlibet spatiis circumscribitur; quin potius cuncta suæ omnipotentiæ virtute circumplectitur, regit, implet et continet,

Quia igitur quemadmodum jam probavimus, Dominus noster Jesus Christus corpore ultra omnes

creaturas ascendisse et esse veraciter creditur, et fideliter prædicatur : ibi nimirum sanctos omnes societate beatorum spirituum æterna exsultatione gaudentes futuros credimus, dicente ipso : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV, 28), non intra mundi quatuor elementa quibus eos jam non egere fide infatigabili tenetur et stipulatur. Si enim sanctos angelos intra mundi elementa suæ beatitudinis præmium percepisse absurdissimum est æstimari, quo pacto homines sancti eorum beatitudini coæquali alio dicantur locandi, quam illo ubi certissime creduntur consistere, quibus æquantur, nec rationi nec auctoritati viderim convenire. De quo adhuc continuanter adjungis dicens :

JOANNES SCOTUS.

(Cap. XIX, num. 3, sect. 2.) Θ *Ubi non incongrue credendum, quod corpora sanctorum in æthercam mutabuntur qualitatem, quæ ab alia qualitate consumi non potest, cum inferiorum corporum qualitates in se mutare possit, impiorum vero corpora in aeream qualitatem transitura, ut a superiore igne patiantur.*

CORRECTIO.

÷ Hæc fidei Catholicæ adversa prorsus pronuntio; dicente beato Job : *Et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius* (*Job* XIX, 26). Æther quippe non est caro, neque pelle carnea circumdatur, neque ossibus et nervis compingitur. Quam ipse Dominus jam resurrectione glorificatus se habere manifestat, qui dixit : *Videte manus meas, et pedes meos, quia ipse ego sum : palpate, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 38). Item apostolo Thomæ : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan.* XX, 27). Ille enim dixerat : *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus, non credam :* quibus palpatis respondit Thomas et dixit : *Dominus meus, et Deus meus* (*Ibid.*, 25, 28). Hæc in æthereo corpore posse fieri nullus unquam orthodoxorum asseruit, nullus docuit. Tu autem in Origenis scita concedis, qui multipliciter de resurrectione disserens, resurrectionem, glorificationemque corporum multoties ingeminat, carnis vero vel omnino negat, vel subdole vocabulo corporis palliat.

Proinde prius quærendum videtur, quid sit æther, ut consequenter cætera competentius pertractentur. [Æther, ut Isidorus ait (Orig. lib. XIII, c. 5, 7) locus est in quo sidera sunt, et significat eum ignem, qui a toto mundo in altum [*al.*, in alterum] separatus est. Sane æther est ipsum elementum, æthera vero splendor ætheris, et est sermo Græcus. Aer est inanitas plurimum habens admistum raritatis, quam cætera elementa, hic autem partim ad terram, partim ad cœlestem materiam pertinet. Nam ille subtilis, ubi ventosi, ac procellosi motus non possunt existere, ad cœlestem pertinet partem. Iste vero turbulentior, qui exhalationibus humidis corporascit, terræ deputatur, quique ex se multas species reddit : nam commotus ventos facit, vehementius concitatus ignes et tonitrua, contractus nubila, conspissatus pluvias, congelantibus nubibus nivem, turbulentius congelantibus densioribus nubibus grandinem, distentus serenum efficit. Nam aerem densum nubem esse constat, nubem rarefactam et solutum aerem.]

÷ Beda in Genesi (*Hexam.* lib. I, col. 22) : [Hoc enim factis sideribus ad augmentum primariæ lucis accessit, ut etiam nox luminosa procederet, vel lunæ utique splendore, vel stellarum, vel utroque irradiata, quæ catenus nihil præter tenebras noverat antiquas. Nam etsi nobis sæpissime nox tenebrosa videtur, et cæca, obscurato videlicet nebulosis turbinibus aere, qui terræ proximus est, superiora tamen illa spatia, quæ ætheris nomine censentur, et a turbulento hoc aere usque ad siderum pertingunt cœlum, semper ob siderum circumeuntium reddunt lucida fulgorem.]

÷ Quæ cum ita sint si sanctorum corpora in æthercam qualitatem mutabuntur, aut erunt ignis, et amittent veritatem terreni corporis, aut erunt cœlum et sidera, et carebunt nihilominus carne, ossibus et nervis : quod quam sit a sinceritate Christianæ fidei alienum neminem studiosorum latet : nam cum dicat Apostolus (*I Cor.* XV, 51 et seq.) : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, quænam illa immutatio credi debeat, ipse nos doceat : *Seminatur*, inquit, *in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* : Et item : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti; et nos immutabimur* : *oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Ecce Apostolus immutationem sanctorum, non substantiæ amissionem, sed glorificationem prædicat, videlicet, ut corpus, quod cum corruptione, ignobilitate, et infirmitate sepelitur, in illa resurrectionis beatitudine incorruptum, validum, gloriosumque resurgat. Ita in veritate suæ substantiæ et palpabile, et tractabile, visibile subsistens, ut gloria pro meritis ei sit addita, non natura in naturam aliam quolibet commento mutata.

Unde et sanctus Hieronymus in Epistola ad Galatas : [Cum enim, inquit, sancto mundus fuerit crucifixus, *Nequaquam est ei circumcisio, et præputium, non Judæus, nec Gentilis, sed nova creatura in quam transfiguratur corpus humilitatis nostræ conforme corporis gloriæ Christi* : *vetera* quippe *transierunt, ecce facta sunt omnia nova, et quomodo alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum, stella quippe a stella differt in gloria, sic et resurrectio mortuorum* (*Gal.* VI, 15; *Col.* III, 11; *II Cor.* V, 17; *I Cor.* XV,

44), de qua et Daniel pari voce concordat dicens : *Plurimi dormientium de terræ pulvere surgent, hi in vitam æternam, et hi in opprobium et confusionem æternam : Et intelligentes fulgebunt, sicut splendor firmamenti*, et de justis *multi sicut stellæ in sempiternum* (*Dan.* xii, 2, 3). Neque enim in sole et luna, firmamento et stellis circumcisio aliquid valet aut præputium ; sed est nova conditio sine his partibus corporum, quæ possunt secari. Ita igitur et nos qui diligimus Deum et præparata sunt nobis, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt* (*I Cor.* ii, 9), cum de corpore humilitatis transformati fuerimus in corpus gloriæ Domini Jesu Christi. Illud habebimus corpus quod nec Judæus possit incidere, nec cum præputio custodire Gentilis, neque aliud [*al.*, non quod] juxta substantiam sit, sed quo juxta gloriam sit diversum.]

† Idem in expositione Jonæ prophetæ. [*Et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus* (*Jon.* ii, 7). Septuaginta : *Et ascendet de corruptione vita mea, Domine Deus meus.* Propterea dixit sublevabis, vel ascendet de corruptione vita mea, quia ad corruptionem et ad inferna descenderat. Hoc est quod apostoli interpretantur decimo quinto psalmo ex persona Domini prophetatum : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quod David scilicet, et mortuus sit et sepultus : Salvatoris autem caro non videt [*al.*, videbit] corruptionem. Alii vero interpretantur, quod ad comparationem cœlestis beatitudinis et verbi Dei humanum corpus corruptio sit, quod seminatur in corruptione, et in centesimo secundo psalmo ex persona justi significetur : *Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redemit ex* [al., de] *interitu vitam tuam.* Unde et Apostolus dicit : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* (*Rom.* vii, 24), et appelletur *corpus mortis* vel *corpus humilitatis.* Hoc illi ad occasionem suæ ducant hæreseos, ut sub persona Christi mentiatur Antichristum, Ecclesias teneant, ut ventrem pinguissimum nutriant, et carnaliter viventes, contra carnem disputent : nos autem scimus de incorrupta virgine corpus assumptum non corruptionem Christi fuisse sed templum. Quod si in Apostoli ad Corinthios (*I Cor.* xv, 44) sententiam trahimur, in qua corpus dicitur spiritale, ne contentiosi videamur, dicemus ipsum quidem corpus et eadem carnem resurgere, quæ sepulta est, quæ in humo condita est, sed mutare naturam. *Oportet enim corruptivum hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*, quando dicitur hoc, quodammodo duobus digitulis comprehensum corpus ostenditur, hoc in quo nascimur, hoc in quo morimur, hoc quod timent recipere, qui puniendi sunt, hoc quod virginitas exspectat ad præmium ; adulterium formidat ad pænam.]

† Idem in libro contra Jovinianum I : [Qui in Christum credimus Christi sectamur exempla etsi noveramus illum juxta carnem, sed jam nunc non

A novimus eum secundum carnem. Certe in resurrectione eadem erit corporum substantia, qua nunc utimur, licet auctior gloria : nam et Salvator intantum ipsum corpus habuit post inferos, in quo et crucifixus est, *Ut manus perforatus clavis et lateris vulnus ostenderet* (*Joan.*, xx, 20 et 27). Porro si *clausis ingressus est ostiis* (*Ibid.*, 13 26), quod humanorum corporum natura non patitur ; ergo et *Petrum* et *Dominum* negabimus vera habuisse corpora *qui ambulaverunt super aquas* (*Matth.* xiv, 25 *et* 29), quod contra naturam est. *In resurrectione mortuorum non nubent, neque nubentur sed similes erunt angelis* (*Luc.* xv, 35, 36), quod alii postea in cœlis futuri sunt, hoc virgines in terra esse cœperunt. Si angelorum nobis similitudo B promittitur, inter angelos autem non est sexus diversitas, aut sine sexu erimus, quod angeli sunt aut certe quod liquido comprobatur, resurgentes in proprio sexu, sexus non fungemur officio.]

† Augustinus in libro Enchridion (cap 88) : [Non enim perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro : sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quam cunque aliorum corporum substantiam vel in ipsa clementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit [*al.*, reddit], quæ illam primitus, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit.)

C † Et post aliqua (*Ibid.*, cap. 91) : Resurgent igitur sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod et spiritalia dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, tamen non anima est, ita nunc spiritale corpus erit : corpus tamen, non spiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggravat animam (*Sap.* ix, 15) *et* ad vitia, quibus *caro adversus spiritum concupiscit* (*Gal.* v, 17), tunc non erit caro, sed corpus, quia et cœlestia corpora perhibentur, propter quod dictum est : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, et tanquam exponens quid dixerit : *Neque corruptio*, D inquit, *incorruptionem possidebit* (*I Cor.* xv, 50). Quod prius dixit : *Caro et sanguis* hoc posterius dixit *corruptio*, et quod prius *regnum Dei*, hoc posterius *incorruptionem.* Quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod et post resurrectionem corpus Christi caro appellata [*al.*, appellatum] est (*Luc.* xxiv, 39). Sed ideo ait Apostolus : *Seminatur corpus animale, surget* [al., *resurget*] *corpus spiritale* (*I Cor.* xv, 44), quoniam tanta erit tunc concordia carnis et spiritus, vivificante spiritu, sine sustentaculo alicujus indigentiæ [*al.*, sustentaculi indigentia] subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem nec ita intus nos ipsos patiamur inimicos.

† Gregorius in Moral. lib. xiv, c. 38 : [Sed ecce

resurrectionem audio, effectum tamen ejusdem resurrectionis exquiro: credo namque quia resurrecturus sum, sed volo, ut audiam qualis, sciendum quippe mihi est, utrum in quodam alio subtili, fortasse vel aereo, an in eo quo moriar corpore resurgam. Quod si in aereo corpore resurrexero jam ego non ero, qui resurgo: nam quomodo est vera resurrectio, si vera esse non poterit caro? Aperta ergo ratio suggerit, quia si vera caro non fuerit, procul dubio resurrectio vera non erit; neque enim recte resurrectio dici potest, ubi non resurgit quod cecidit. Sed has nobis, beate Job, dubietatis nebulas tolle, et quia per acceptam sancti Spiritus gratiam de spe nobis loqui nostræ resurrectionis cœpisti, aperte judica, si caro nostra veraciter resurgat. Sequitur. *Et rursum circumdabor pelle mea* (*Job* XIX, 25). Dum aperte pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur, quia non sicut Euticius Constantinopolitanæ urbis episcopus scripsit, corpus nostrum in alia resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis, aereque subtilius; in illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Unde etiam Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis, *Ostendit manus, et latus*, palpanda ossa carnemque præbuit dicens: *Palpate et videte, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 38). Qui cum Euticio eidem in Constantinopolitana urbe positus hoc Evangelii [*al*, Evangelicæ veritatis] testimonium protulissem, ait: Idcirco hoc Dominus fecit, ut dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoveret. Cui, inquam, mira est res valde quam astruis, ut inde nobis dubietas surgat, unde discipulorum corda a dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest quam ut hoc nobis de ejus vera carne dubium fiat, per quod discipuli ejus ad finem ab omni sunt dubietate reparati? [*al.*, separati?] Si enim hoc non habuisse astruitur quod ostendit, unde fides discipulis ejus confirmata est, inde nostra destruitur, qui adjungebat etiam dicens: Corpus palpabile habuit, quod ostendit: sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino quod palpari potuit in subtilitatem est aliquam redactum. Ad hæc ipse respondit dicens: Scriptum est: *Christus surgens a mortuis jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9); si quid ergo in ejus corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, post resurrectionem Domini rediit in mortem; quod quis dicere vel stultus præsumat, nisi qui veram carnis ejus resurrectionem denegat? tunc mihi objecit dicens: Cum scriptum sit: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (*I Cor.* XV, 50), qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem; cui, inquam, in sacro eloquio aliter caro dicitur juxta naturam, atque aliter juxta culpam vel corruptionem: caro quippe juxta naturam, sicut scriptum est: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* II, 2). Et: *Verbum* A *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* 14); caro vero juxta culpam, sicut scriptum est: *Non parmanebit in hominibus istis Spiritus meus, eo quod sunt caro* (*Gen.* VI, 3); et sicut Psalmista ait: *Memoratus est quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII, 39); unde et discipulis Paulus dicebat: *Vos autem in carne non estis sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 9): neque enim in carne non erant quibus Epistolas transmittebat, sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus, in carne non erant. Quod ergo Paulus apostolus dicit: *Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (*I Cor.* XV, 50), carnem vult secundum culpam intelligi non carnem secundum naturam; inde et mox quia carnem B secundum culpam diceret, ostendit subdens: *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum desideria passionis [*al.*, passionum] non erit, quia devicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit. Quibus dictis idem Euticius consentire se protinus respondit. Sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat, qui etiam in libello, quem de Resurrectione scripserat, Pauli quoque apostoli testimonium indiderat dicentis: *Tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur: et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum* (*I Cor.* XV, 36); hoc nimirum ostendere festinans quia caro vel impalpabilis, vel ipsa non erit, dum C sanctus apostolus de resurrectionis agens gloria: Non corpus quod futurum est seminari dixerit. Sed ad hæc citius respondetur, nam Paulus apostolus dicens: *Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum*, *granum* hoc insinuat quod videmus, quia *granum* cum culmo et foliis nascitur, quod sine culmo et foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat. Iste autem dum verum corpus resurgere denegat, nequaquam dicit adesse quod deerat, sed deesse quod erat. Tunc itaque hac de re in longa contentione perducti gravissima a nobis cœpimus simul ratione resilire. Cum piæ memoriæ Tiberius Constantinus imperator, secreto me et illum susD cipiens, quid inter nos discordiæ versaretur agnovit, et utriusque partis allegationem pensans, eumdem librum quem de Resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberavit ut flammis cremari debuisset. A quo ut egressi sumus, me ægritudo valida, eumdem vero Euticium ægritudo et mors protinus est secuta; quo mortuo, quia pene nullus erat qui ejus dicta sequeretur dissimulavi cœpta prosequi, ne in fabellas [*al.*, favillas] viderer verba jaculari. Dum tamen adhuc viveret et ego validissimis febribus ægrotarem, quicunque noti mei ad eum salutationis gratia pergebant, ut eorum relatione cognovi, ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat dicens: Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus, quod sicut ipsi fatebantur, omnino prius negare consueverat.

Sed nos ista postponentes, in beati Job sermonibus subtiliter exquiramus, si vera erit resurrectio verumque corpus in resurrectione. Ecce enim jam de spe resurrectionis dubitare nos possumus dum ait : *Et in novissimo die de terra surrecturus sum* (*Job* xxv, 26). Dubietatem quoque de reparatione vera corporis abstulit, qui ait : *Et rursum circumdabor pelle mea.* Qui adhuc ad auferendas ambages nostræ cogitationis subdit : *Et in carne mea videbo Deum.* Ecce resurrectionem, ecce pellem, ecce carnem apertis vocibus fatetur : quid ergo remanet unde possit mens nostra dubitare ? Si itaque iste vir sanctus ante effectum resurrectionis Dominicæ reducendam carnem in integro statu credidit, qui erit reatus nostræ dubitationis, si vera carnis resurrectio, nec post exemplum creditur Redemptoris ? Si enim post resurrectionem corpus palpabile non erit, profecto aliud surgit, quam moritur, et quod dictu nefas est credere, quia ego morior et alius resurgat. Unde, quæso te, beate Job, subjunge quæ sentis, et hujus nobis quæstionis scrupulum tolle. Sequitur : *Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius* (*Ibid.*, 27). Si enim, sicut quidam errorum sequaces arbitrantur, quia post resurrectionem corpus palpabile non erit, sed invisibilis corporis subtilitas caro vocabitur, quamvis substantia carnis non sit, profecto alius est qui moritur, et alius qui resurgit. Sed beatus Job hanc in eis sententiam veridica voce destruit, qui ait : *Quem visurus sum ego ipse et non alius, et oculi mei conspecturi sunt.* Nos autem beati Job fidem sequentes, et Redemptoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram et eamdem et diversam ; eamdem per naturam, diversam per gloriam ; et eamdem per veritatem, diversam per potentiam. Erit itaque subtilis [*al.*, spiritalis], quia et incorruptibilis ; erit palpabilis, quia non amittet essentiam veritatis [*al.*, vertit] naturæ.]

† Veritas utique carnis, et ossium quantumlibet glorificandorum in illa resurrectionis gloria ab omnibus concorditer prædicatur, et a nullo æthereæ qualitatis immutatio perdocetur. Verum ne ex verbis Augustini nobis præjudicandum putes, qui in libro Quæstionum octoginta trium dixisse legitur angelica corpora qualia nos speramus habituros lucidissima atque ætherea esse credendum est, audi quid super hoc dicto ipse retractaverit.

† Augustinus (*Retract.*, l. I, c. 26) : [Si hoc, inquiens, sine membris, quæ nunc habemus et sine substantia, quamvis incorruptibilis tamen carnis accipiatur, erratur ; multo autem melius in opere de Civitate Dei quæstio ista tractata est.]

† Idem retractans librum suum de Agone Christiano (Idem, *ibid.*, lib. II, c. 3). [In quo, inquit, illud quod positum est : Nec eos audiamus qui carnis resurrectionem futuram negant et commemorant quod ait apostolus Paulus : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* xv, 50), non intelligentes quod ipse dicit Apostolus : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*Ibid.*, 53, 54) : cum enim hoc factum fuerit, jam non erit caro et sanguis, sed cœleste corpus : non sic accipiendum est quasi carnis non sit futuræ substantia, sed carnis et sanguinis nomine ipsam corruptionem carnis et sanguinis intelligendus est Apostolus nuncupasse ; quæ utique in regno illo non erit, ubi caro incorruptibilis erit. Quamvis et aliter possit intelligi, ut carnem et sanguinem opera carnis et sanguinis dixisse accipiamus Apostolum, et eos Dei regnum non possessuros, qui perseveranter ista dilexerunt.]

† Item in retractatione libri de Fide et Symbolo : [In hoc libro cum de resurrectione carnis ageretur : Resurget, inquam, corpus secundum Christianam fidem, quæ fallere non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis sit nunc caro attendit ; qualis autem futura sit, non considerat : quia illo tempore immutationis angelicæ non jam caro erit et sanguis, sed tantum corpus, et cætera quæ ibi de corporum terrestrium in corpora cœlestium mutatione disserui. Quoniam dixit Apostolus cum inde loqueretur : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* xv, 50). Sed quisquis ea sic accipit ut existimet ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus cœleste resurrectione mutari, ut nec membra ista, nec carnis sit futura substantia, procul dubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in eisdem membris non solum conspiciendus oculis, verum etiam manibus tangendus apparuit, carnemque se habere etiam sermone firmavit dicens : *Palpate, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* II, 39). Unde constat Apostolum non carnis substantiam negasse in Dei regno futuram, sed aut homines qui secundum carnem vivunt carnis et sanguinis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc utique nulla erit.]

† Idem in libro vicesimo secundo de Civitate (*cap.* 24) : [Quæ igitur illa sunt, inquiens, si tot ac talia et tanta sunt ista ? Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædestinavit ad mortem ? Quæ bona in illa beata vita faciet eos sumere, pro quibus in hac miseria unigenitum Filium suum voluit usque ad mortem mala tanta perferre. Unde Apostolus de ipsis in illud regnum prædestinatis loquens : *Qui proprio*, inquit, *Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?* (*Rom.* VIII, 32). Cum hæc promissio complebitur, quid erimus, quales erimus, quæ bona in illo regno accepturi sumus ? quandoquidem Christo moriente pro nobis tale jam pignus accepimus ; qualis erit spiritus hominis, nullum omnino habens vitium, nec sub quo jacebit, nec cui cedat, nec contra quod saltem laudabiliter dimicet, pacatissa virtute perfectus ? Rerum ibi om-

nium quanta, quam speciosa, quam certa scientia, A sine errore aliquo, vel labore, ubi Dei sapientia de ipso suo fonte potabitur cum summa felicitate sine ulla difficultate? Quale erit corpus, quod omnimodo spiritui subditum, et quo [*al.*, eo] sufficienter vivificatum nullis alimoniis indigebit? Non enim animale, sed spiritale erit, habens quidem carnis, sed sine ulla carnali corruptione substantiam.]

† Idem in homilia Paschæ (*Serm.* 18) : [Audi, imperite, contra quotidianas lectionum voces, surde, audi quomodo redit ad corpus quidem, sed non mortis hujus : non quia aliud erit corpus, sed quia *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* xv, 52). Fratres mei, quando dicebat Apostolus, *corruptibile hoc, mortale hoc*, quodammodo B carnem suam voce tangebat, non ergo aliud. Non, inquit, pono corpus terrenum et accipio corpus aereum, aut accipio *corpus* æthereum, *ipsum* accipio, sed jam *non mortis hujus, quia oportet corruptibile,* non aliud, sed *hoc, induere incorruptionem, et mortale,* non aliud, sed *hoc, induere immortalitatem.*]

† Omnium itaque orthodoxorum ista resurrectionis corporum humanorum concors sententia est, ut in vera, imo eadem carne qua dissoluta sunt, atque in putredinem pulveremque redacta, in eisdem ossibus, in eisdem membris eisdemque officiis resurrectura credantur, addita omnibus immortalitate, sed solis sanctis glorificatione perpetua, impiis naturæ tantum, licet ad pœnam, immortalitate servata. C Quidquid etenim de resurgentium corporibus fallaciter autumari et mendaciter fingi poterat, evacuavit veritas carnis resurgentis Domini nostri Jesu Christi, quam palpabilem et mortalibus oculis visibilem, cicatricibus quoque cognoscibilem præbendo, quid de membris ejus credi deberet ostendit, videlicet nequaquam in æthereo vel aereo corpore surrectura, sed in eo in quo dissolvi potuerant quamlibet glorificato. Nec illud minus probabile huic assertioni additur, quod cum in judicio omnes etiam peccatores visuri sint Dominum Salvatorem, nullatenus in æthereo corpore, sed in carne licet immortali eum visuri creduntur, quoniam *Videbunt in quem compunxerunt*. Cicatrices quippe in æthereo corpore nullæ sunt, aut esse D possunt, restat ergo ut in terrenæ substantiæ, quamlibet cœlesti atque incorruptibili posthac, imo ineffabili, gloria donato, corpore videatur in quo cicatrices plagarum videant impii; quas crudeliter, et iniquissime inflixerunt, quas contumaciter et superbissime contempserunt ac deriserunt. Nisi forte cum Marcione ejusque complicibus dicturus es Dominum nostrum Jesum Christum tabernaculum id est corpus suum, ascendentem in cœlum deposuisse, et aut sine corpore in cœlo consistere, aut aliud vel æthereum, vel quodcunque libuerit resumpsisse. Quam impietatem jam olim ecclesiastica pietas cum suis auctoribus prædamnavit.

Certum est igitur nulla sanctorum corpora in æthercam, nulla reproborum in aeream qualitatem mutanda vel transitura, sed eadem quæ temporaliter mortua fuerant, surrectura, ut in eisdem recipiant quod merentur. Hinc etiam vel maxime tua impudentia deprehenditur, quod immutationem damnatis attribuas, quam solis sanctis Apostolus compromittit dicens : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* xv, 51). Et item : *Mortui resurgent incorrupti. Et nos immutabimur* (*Ibid.*, 52). Nec mirum si contra sequaces apostolicæ doctrinæ et fidei impudens obstrepas, qui contra apostolicam sublimitatem ausus es obgannire. Neque a superiore igne, ut deliras, impiorum corpora patientur, sed *in eo igne* incommutabiliter ardebunt, *qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41). Hinc Augustinus in libro xxi de Civitate Dei (*cap.* 4). [Quid adhuc a nobis rerum poscuntur exempla quibus doceamus non esse incredibile ut huminum corpora sempiterno supplicio punitorum et igne animam non amittant et sine detrimento adeant, et sine interitu doleant. Habebit enim tunc ista carnis substantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras et varias tot rebus indidit quas videmus, ut eas, quia multæ sunt, non miremur.]

† In eodem (lib. xxi, cap. 9) : [Quod igitur de sempiterno supplicio damnatorum per suum prophetam Deus dixit fieri, omnino fiet : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* LXVI, 24). Ad hoc enim vehementius commendandum etiam Dominus Jesus cum membra, quæ hominem scandalizant, pro his omnibus poneret quos ut sua membra dextra quisque diligit, eaque præciperet amputari : *Bonum est tibi,* inquit, *debilem introire in vitam æternam, quam duas manus habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis* [al., *in ignem inexstinguibilem*], *ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Marc.* IX, 42). Similiter de pede. *Bonum est tibi*, inquit, *claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis : ubi vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Ibid.*). Non aliter ait et de oculo : *Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis, ubi vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Ibid.*, 47). Non eum piguit uno loco eadem verba ter dicere; quem non terreat ista repetitio et illius pœnæ commendatio [*al.*, comminatio] tam vehemens ore divino. Utrumque autem horum, ignem scilicet atque vermem, qui volunt ad animarum [*al.*, animæ] pœnas, non ad corporis pertinere, dicunt etiam uri dolore animi [*al.*, animæ] sero, atque infructuose pœnitentes eos, qui fuerint a regno Dei separati, et ideo ignem pro isto dolore urentem non incongrue poni potuisse contendunt. Unde illud Apostoli est : *Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* II, 29) eumdem etiam vermem putant intelligendum esse. Nam scriptum est, inquiunt : *Sicut tinea vestimentum et vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri* (*Prov.*

xxv, 21). Qui vero pœnas et animi [*al.*, animæ] et corporis nullo supplicio futuras esse non dubitant igne uri corpus, animum [*al.*, animam] autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quod et si credibilius dicitur, quia utique absurdum est, ibi dolorem aut corporis aut animi [*al.*, animæ] defuturum : ego tamen facilius est [*al.*, existimo] ut ad corpus dicam utrumque pertinere quam neutrum ; et ideo tacitum in illis divinæ Scripturæ verbis animi dolorem, quoniam consequens esse intelligitur, etiamsi non dicatur, ut corpore sic dolente, animus quoque sterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe et in veteribus Scripturis : *Vindicta carnis impii ignis et vermis* (*Eccli.* vii, 19). Potuit brevius dici, *Vindicta impii*, cur ergo dictum est *carnis impii*, nisi quia, utrumque, id est et ignis et vermis, pœna erit carnis ? Aut si vindictam carnis propterea dicere voluit quia hoc in homine vindicabitur, quod secundum carnem vixerit : propter hoc enim veniet in mortem secundam, quam significavit Apostolus dicens : *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini* (*Rom.* viii); eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem : hoc proprie, illud non proprie [*al.*, tropice, *del.*, non]; aut utrumque proprie corpori. Jam satis superius disputavi posse animalia etiam in ignibus vivere in ustione sine consumptione, in dolore sine morte, per miraculum omnipotentissimi creatoris.]

† Et paulo post (*Ibid.*). [Eligat ergo unum e duobus quisque quod placet, utrum et vermem ad corpus proprie an ad animam, translato a corporalibus ad incorporalia vocabulo, existimet pertinere, etc. Dum tamen nullo modo illa corpora talia futura esse credamus, ut nullis ab igne afficiantur doloribus (cap. 10). Hic occurrit quærere si non erit ignis incorporalis noxius, sicut est animi dolor, sed corporalis, tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari; quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum ? Idem quippe ignis erit supplicio scilicet hominum attributis et dæmonum, dicente Christo : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41). Nisi quia sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, ex isto aere crasso atque humido, cujus impulsus vento flante sentitur. Quod genus elementi si nihil ab igne perpeti posset, non ureret fervefactus in balneis. Ut enim urat, prior uritur, facitque quod patitur. Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari. Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi : non ut

A ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inspirentur, et animalia fiant, quæ constent spiritu et corpore; sed, ut dixi, miris et ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia et iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus, et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est. Dicerem quidem : sic arsuros sine ullo suo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos ille dives, quando dicebat : *Crucior in hac flamma* (*Luc.* xvi, 24) ; nisi convenienter responderi cernerem, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos levavit, et Eleazarum [*al.*, Lazarum] vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi, qualis digitus Eleazari de quo id sibi

B fieri postulavit ; ubi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis et illa flamma qua exarsit, et illa guttula quam poposcit, qualia sunt etiam visa dormentium, sive in exstasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum. Nam et ipse homo cum spiritu, non corpore, sit in talibus visis, ita se tamen tunc similem suo corpori videt, ut discernere omnino non possit. At vero gehenna illa, quod etiam *stagnum ignis et sulphuris* dictum est (*Apoc.* xx, 9), corporeus ignis erit, et cruciabit corpora damnatorum, aut et hominum et dæmonum, solida hominum, aerea dæmonum ; aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus, hærentes sumendo pœnam, non imper-

C tiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utrisque erit, sicut Veritas dixit :

† Idem in libro Enchiridion (cap. 92) : [Quicunque vero ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur per unum Mediatorem Dei et hominum, resurgent quidem etiam ipsi unusquisque cum sua carne (*I Tim.* ii, 5), sed ut cum diabolo et ejus angelis puniantur. Utrum sane ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcunque [*al.*, quicunque] in eis vitiosa et deformia membra gestarunt, in requirendo laborare quid opus est ? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. Nec moveat quomodo erit in eis corpus incorrup-

D tibile, si dolore poterit, aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur ; et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur ; hæc in sanctis Scripturis secunda mors dicitur. Nec prima tamen, qua suum corpus anima relinquere cogitur, nec secunda, qua pœnale corpus anima relinquere non permittitur, homini accidisset si nemo peccasset]. Satis dilucideque monstratum est auctoritate ; Patrumque concordia corpora humana resurrectionis tempore neque ætherea, neque aerea futura, sed carnea, quæ sempiterna immortalitate donata pro meritis suis vel gloriam percipiant vel

ignominiam. Jam porro cætera quæ sequuntur cum ex prioribus frustata atque ad nihilum redacta sint, ad hoc tantum ponenda videntur, ut vomituum tuorum nauseæ cuivis facilius innotescant.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 19, num. 4, sect. 2.) Θ *Hinc est*, inquis, *quod diabolus post lapsum detrusus ab æthereo spatio, adjunctum est ei invito aereum corpus, in quo pœnas suæ superbiæ luat, miro atque ineffabili naturarum modo peragitur; occulto tamen justoque judicio, ut quod elementa mundi inter se, quasi quodam naturalis amoris vinculo, complexa inseparabiliterque conjuncta, ordinatissimo motu appetunt, veritatem odientibus vertatur in supplicium. Ignea quippe qualitas superior naturali vi inferiorum elementorum qualitates in se transfundere semper appetit naturali motu quasi quoddam sui alimentum. Cum ergo, ut diximus, suprema omnium corporum qualitas, quæ est ætherea, inferiores qualitates et intra se ambiendo coarctat, et in se, prout lex naturarum sinit, commovere non desinat, naturarum intra se mirabile perficit gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum. Proinde impiorum omnium, angelorum videlicet hominumque perversorum, corpora ita sunt supplicia ignis æterni perpessura, ut integritate eorum substantiæ nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permansura, omnibus deinde naturæ bonis ad universitatis ornamentum mirabili ordine refulsuris, excepta beatitudine qua privabuntur, quæ non est ex natura, sed ex gratia; superioris ignis corporei cum inferioris aeris corporibus qualitate conluctante, naturali vi servata infelicium animarum intentio de corporibus suis æternas patiatur ærumnas, ita videlicet ut idem ipse ignis omnibus corporibus fiat gloria quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna.*

CORRECTIO

† His tuæ perversitatis exhalationibus responsionem breviter perstringendam, ex abundanti non incongruum judicavi de aereis dæmonum corporibus, quid Patribus visum sit sufficienter eorum dictis conjici valet. Magis quippe, ut eis visum est, substantia propria, quam in corporibus undecunque conrogatis atque condictis pœnas suis meritis debitas luent. Quod etiam sanctus Fulgentius ad Petrum confirmat cum dicit:

[Quosdam igitur spiritus sic Deus creavit ut semper essent, quosdam vero, ut esse spiritus quandoque desinerent: illos itaque desituros, quosdam ex aqua, quosdam vero, quia sic voluit Omnipotens, produxit ex terra; superiores vero spiritus nullum cum corporeis elementis habere fecit naturale consortium.] † Si igitur auctoritati tanti doctoris acquiescimus, neque æetherea, neque aerea angelicis spiritibus corpora commodamus.

Sane quod de elementorum amicitia fabellas vanitatis eructas, quasi inferiora quæque, quodam

A amoris vinculo, ita superioribus, id est igni, cedant, ut ejus alimentum fieri non detrectent, mirum si superior ignis elementis inferioribus egeat, ut nonnisi eorum pabulis alatur, subsistere queat. Debueras siquidem eodem modo de cæteris tractare, cujus unumquodque, ut subsistere possit, indigeat. Nam hujus nostri ignis natura est, ut exceptis miraculis, quidquid attigerit consumat. Cur ergo ille non consumit cætera elementa, si ejus sunt alimentum? Cumque legamus et incunctanter certissimum teneamus conspectu judicis trementi ignem accendendum, quo cœlum et terra, id est aer nebulosus, et terrenæ materiei superficies, transeant, nescio quid necesse sit illum tanta manifestatione tantoque terrore ad hæc renovanda accendi, cum

B possent illiusætherei, ut dicis, alimento absumi. Falsum est igitur *intra hunc ignem æthereum cuncta ambiendo coarctari, atque intra eum naturarum mirabile perfici gaudium, malarumque voluntatem ineffabile tormentum.* Quomodo enim convenient gaudium atque tormentum? Nullus quippe dum torquetur gaudet, præter illos qui sponte tormenta subeunt, quod vel maxime in sanctis omnibus elucet. At cum omnes pœnas corporibus amoveas, et insuper gaudium, pulchritudinem fulgoremque omnibus impiis, angelis atque hominibus adhibeas, voluntatesque solas tormentum pati perhibeas: quas intentio animarum infelicium de suis corporibus patiatur ærumnas non video? Si enim gaudebunt, si omnem pulchritudinem habebunt

C eorum corpora, si refulgebunt, si gloria omnibus erit corporibus, et intrinsecus iniquitate propria tantummodo damnabuntur, quæ illis extrinsecus cumulabitur pœna? Si neque dolebunt corpora, neque pœnam sentient, quid eorum animabus extrinsecus cumulabitur pœnæ? Si nunquam ille ignis omnibus corporibus fiet gloria, sequitur ut nulla extrinsecus animabus cumuletur pœna. Aut qua ratione ab eis beatitudinem excipis, quibus gaudium pulchritudinem, fulgorem gloriamque non adimis? Quæ quam sint frivola et ratio et auctoritas patenter insinuat. Luctam vero superioris ignis cum corporibus aereis quam ridicule garrias, prudens quisque facilitate qua advertit, evertit. Verum quomodo corpora semper arsura subjungas,

D cum ea nihil perpeti tanta pervicacia tantaque impudentia hactenus executus sis, minime perpendere valeo: quo pacto etenim ardebit quod et nihil patietur et omni pulchritudine, fulgore, et gloria decorabitur. Ais enim:

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 19, num. 5, sect. 4). Θ *Quod si alicui incredibile videtur corpora quidem semper arsura, et de ipsorum nihil periturum natura, videat illum lapidem qui in Arcadia sub monte nascitur Erimanthi: qui cum sit ferrei nitoris tactu accensus, ab igni exstingui nequit, quem Græci nomine vero abestum, id est inexstinguibilem memorant, ita ut et color ei præbeatur ignea natura, et nihil minuatur de*

ejus substantia; videat salamandram in igne viventem.

CORRECTIO.

† Quæ cum ex beati Augustini libris mutuaveris, vel potius compilaveris, alio penitus sensu quam ab eo fuerant posita protulisti : ille enim ad hoc de asbesto, salamandra, et montibus Ætnæ similitudinem proposuit, ut paganorum contradictionibus exemplo temporalium rerum multisque non ignotarum occurreret, qui negabant fieri posse ut corpora igni arderent et consumi nullatenus possent ; ad hoc ergo his et aliis exemplis eorum infidelitati responsum est, quo docerentur impiorum corpora illo igni et semper dolitura, sed nunquam consumenda, nunquam peritura; videlicet ut per ea integritatem substantiæ semper mansuræ fidelissimus doctor astrueret, nec tamen eis cruciatus doloresque perpetuos auferret, quod te facere manifestas, qui conclusionem hujus pravitatis hoc fine determinas.

JOANNES SCOTUS.

(Cap. 19, n. 6, sect. 4.) Θ *Hinc*, inquiens, *potest conjici non substantiam, neque ejus qualitates gehennali flamma torquendas, sed sensum patienter et animum reluctantis æterna miseria lecturos.*

CORRECTIO.

Ecce consuetissima tibi contrarietate miseriam æternam indicis, quibus paulo ante gaudium, pulchritudinem, fulgorem gloriamque contuleras. Sed de animo patiente audi sententiam sancti Hieronymi, brevem quidem verbis, sensu tamen et fidei veritate sublimem, qui in Epistola ad Ephesios ita hujus rei legitur meminisse, exponens quod ait Apostolus : *Nemo vos decipiat inanibus verbis : propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ* (*Ephes.* v, 6).

[Verba, inquiens, quæ decipiunt atque supplantant, inania sunt et vacua ; quæ vero ædificant audientes, plena, cumulata, conferta. Quia igitur sunt plerique qui dicunt non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum et conscientiam delicti futurum esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur, et in animo ignis accenditur : in similitudinem febris quæ non torquet extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens, punit sine cruciatuum forinsecus adhibitione quod possidet; has itaque persuasiones et decipulas fraudulentas verba inania appellavit et vacua, quæ videntur florentem quemdam habere sermonem, et blandiri peccantibus, sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad æterna supplicia, quia de nullo [*al.*, nulla re] sic irascitur Deus quomodo si peccator superbiat, et erectus ac rigidus non flectatur in fletum, nec misericordiam postulet pro delicto.]

† Cassiodorus in psalmo xx (vers. 10). [*Pones eos ut clibanum ignis.* Clibanus est coquendis panibus ænei vasculi deducta rotunditas, quæ sub urentibus flammis ardet intrinsecus : in qua similitudine merito peccatores ponuntur, qui in futuro judicio et mœrore animi, et pœnali excruciatione torquendi sunt, quia contra regulas Domini obstinata mente vixerunt. *Dominus in ira sua conturbabit eos et devorabit eos ignis.* Ordo judicii pulcherrima narratione describitur : illos enim peccatores, qui se pro actuum suorum malignitate discruciant, ira Domini dicit esse turbandos, quando audient : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* xxiii, 41), et ista sententia consequentur, ut perpetua flamma devorentur, nam jussionem Domini nulla mora subsequitur, sed mox ut decernit impletum est, iste tamen ignis sic absumit ut servet, sic servat ut cruciet, dabiturque miseris vita mortalis et pœna servatrix.]

† Idem in psalmo xlviii. [Peccatores enim in inferno positos mors æterna depascit. Nam sicut oves lanæ suæ amissione jugiter perseverant, sic in illo semper sine imminutione substantiæ invenit quod pœna discruciet. *Depascit* enim a jumentis tractum est, quæ herbas non radicitus vellunt, sed abscidunt ipsas potius summitates.]

† Nec omittendum credidimus quod cum in cæteris Origeni paria sentire delegeris, in genere pœnarum ab illo multum diversus abieris. Nam ille ignem et vermes impiorum conscientias criminum propriorum et sensit et docuit : tu ignem hoc quartum elementorum dogmatizans, excepta beatitudine qua priventur, nullam eis pœnam ullatenus vel in anima vel in corpore adhibendam, eosve asseveras. Hinc sanctus Hieronymus contra Rufinum sectatorem interpretemque Origenis scribens ita eloquitur (Videsis Hieron. *Contra Rufinum*, lib. ii, in principio) :

[Quod autem imprecaris fratribus, hoc est criminatoribus tuis, æternos ignes cum diabolo, non tam fratres mihi videris premere, quam diabolum sublevare, cum iisdem quibus homines Christiani ignibus puniendus sit. Ignes autem æternos quos intelligere solet Origenes, puto quod te non fugiat, conscientiam videlicet peccatorum, et pœnitudinem interna cordis urentem : de qua et Isaias loquatur : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* lxvi, 24) : et ad Babylonem scriptum sit : *Habes carbones ignibus, sedebis super eos : hi erunt tibi in adjutorio* (*Isa.* xlvii, 14) : et in Psalmo pœnitens audiat : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam : Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis* (*Ps.* cxix, 3, 4), ut linguam dolosam : sagittæ præceptorum Dei, de quibus in alio loco Propheta dicit : *Versatus sum in miseria dum configitur mihi spina* (*Ps.* xxxi, 4) : vulnerent atque confodiant, et peccatorum in ea solitudinem faciant. Illud quoque testimonium in quo Dominus loquitur : *Ignem veni mittere super terram, et quam volo ut ardeat* (*Luc.* xii, 49), sic interpretatur : Omnes cupio agere pœnitentiam, et excoquere Spiritu sancto vitia atque peccata. Ipse enim sum de quo scribitur : *Deus ignis consumens est* (*Deut.* iv, 24). Non ergo grande est hoc de dia-

bolo dicere, quod et hominibus præparatum est. Magis debueras, ut suspicionem salutis diabolicæ declinares, dicere : *Perditio factus es, et non eris in æternum* (*Jer.* XXVII). Et ex persona Domini loquentis ad Job de diabolo : *Ecce spes ejus frustrabitur eum, et videntibus cunctis præcipitabitur* (*Job.* XL, 28) : *non quasi crudelis suscitabo eum : quis enim resistere poterit vultui meo? Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Omnia quæ sub cœlo sunt mea sunt* : *non parcam ei, verbis potentibus, et ad deprecandum compositis* (*Job.* XLI, 1, 2, 3).]

† Cassiodorus in Psalmo IX : [*Cognoscetur Dominus judicia faciens : in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Vera nimis et absoluta sententia, quoniam tunc manifeste cognoscetur Dominus judicia faciens, quando peccatoribus dabit æterna cruciatione torqueri : hic enim, quia sunt eis libera scelera, relinqui creduntur forsitan impunita ; sed ubi dies ille manifestationis advenerit, et throno majestatis suæ Dominus salvator insederit, tunc generaliter agnoscetur operari judicia sua quando humanum genus, sive a sinistris, sive a dextris ejus fuerit arbitrio segregatum : hoc est enim judicia vere facere, uniuscujusque merita sine aliqua confusione discernere. Sequitur sententiæ hujus aperta declaratio. Dicit enim *unde cognoscitur Dominus* vere *judicia facere*, scilicet quando nexuosis operibus suis peccator astringitur, et secundum actuum qualitatem dignam recipit ultionem. Nam sensus ille omnino vitandus est, qui putat peccatorem sola delictorum suorum recordatione cruciandum. Nam si hoc tantum sufficeret, quare diceretur : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Et illud : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* LXVI, 24). Non enim hic loca tormentorum negat peccatoribus dari, sed per qualitates operum suorum eos dicit esse torquendos. Sentiamus ergo locum peccatorum suppliciis esse præparatum, intelligamus extrinsecus pœnale malum, quod sceleratis legimus imminere : nam ut revera cognoscamus beatitudinem a damnationis quibusdam terminis esse dividendam, recordemur divitem oculos sublevasse, pauperemque Lazarum in sinu Abrahæ fuisse conspectum, se autem flammis ultricibus deputatum. Unde ordo iste veritatis nullatenus diceretur, si peccatores malorum recordatio sola torqueret : hæc sunt *occulta filii* quæ titulus prædixit.]

Isidorus (*Sentent.* lib. I, c. 28) : [Duplex damnatorum pœna est in gehenna quorum et mentem urit tristitia, et corpus flamma, juxta vicissitudinem, ut qui mente tractaverunt, quod perficerent corpore, simul et animo puniantur et corpore. Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, ad aliquid non habere : hoc est habere lumen ad damnationem, ut videant impii unde doleant, et non habere ad consolationem, ne videant unde gaudeant. Apta fit comparatio de camino trium puerorum (*Dan.* III, 23, etc.) ad exemplum ignis gehennæ ; nam sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, et arsit ad comburenda ligamenta [*al.*, ligamina] vinculorum : ita ignis gehennæ et lucebit miseris ad augmentum pœnarum, ut videant unde doleant, et non lucebit ad consolationem, ne videant unde gaudeant ; inter hujus vitæ et futuræ infelicitatis miseriam multa discretio est : illic enim et miseria est propter cruciationum dolorem [*al.*, cruciationem dolorum], et tenebræ propter lucis aversionem, quorum unum in hac vita, id est miseria est, aliud non est ; in inferno autem utrumque est.]

† Ambrosius in Epistola prima ad Corinthios (XV, 22) : *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Hoc dicit quia sicut Adam peccans mortem invenit, et omnes ex ejus origine tenuit ut dissolvantur, ita et Christus non peccans, et per hoc vincens mortem (quia qui non peccat vincit mortem, quia mors ex peccato), omnibus qui sunt ex ejus corpore acquisivit vitam, id est resurrectionem. Quamvis ergo generalem tribuerit resurrectionem, ut sicut in Adam omnes sive justi sive injusti moriuntur : ita et in Christo omnes tam credentes quam diffidentes resurgant (*Rom.* V, 9, 18, etc.), licet ad pœnam increduli, tamen vivificari videntur, quia corpora sua recipient jam non morituri, sed passuri pœnam id eis sine fine, quod credere noluerunt.

† Idem in eadem Ambrosius (XV, 37) : [*Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicujus cæterorum* : *Deus autem illi dat corpus prout voluit* [al., *vult*], *et unicuique seminum proprium corpus.* Si ergo nudum granum seminatur, et [*al.*, ut] Dei nutu quodammodo elementorum ministerio vestitum resurgit [*al.*, resurgat], multa secum habens incrementa utilitatis humanæ : cur non credibile sit Dei virtute mortuum posse resurgere, meliorata tantum substantia, non numero multiplicatum ? (*Joan.* XII, 25.) Quid ergo requiritur ab infideli, quo corpore resurgant mortui, cum exempla præcedant ad fidem hanc melioratæ resurrectionis [*al.*, resurrectionis prædicant fidem], non amissæ substantiæ ? quia proprium corpus recipiet in quo creatus Adam est, justa exempla supradicta. *Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominis, alia autem pecoris, alia caro volatilium, alia caro piscium* (*I Cor.* V, 20). Cum ex eadem massa omnis caro sit, unde et quomodo in his tanta diversitas est, ut una impensa faceret genera diversa ? Dicant nunc sophistæ mundi, et scrutatores siderum si valent comprehendere quæ extra se sunt, cum quid intra se sit, nesciant. Denique omnes mundani philosophi, qui mentem suam legi Dei humiliare, ut fidem ejus susciperent, noluerunt, diversa semper et contraria asserentes, inanissimis disputationibus invicem se confuderunt ; quia in nullo horum testificatæ veritatis signum agnitum est, quod ante positum verbis commendaret doctrinam, sicut et Deus decrevit disciplinæ nostræ, quæ non verbis probatur, sed virtute, cui non pos-

sunt verba resistere. Quemadmodum ergo et una impensa diversa animantium caro est: ita et unius carnis homines diversi erunt dignitate in resurrectione, ut talis unusquisque appareat qualis fuerit meriti.]

† Et post paululum Ambrosius (xv, 42): Tetricis autem stellis, et omnium novissimis, perfidorum resurrectio similis est; quia errorem secuti, stellis in errorem ducentibus comparandi sunt. Sicut dicit Judas apostolus in Epistola sua (*Jud.* xiii). Infidelitas enim non potest claram resurrectionem habere; quia sicut carbo cinere suo coopertus obcæcatur, ita et hi perfidia sua erroris tenebris circumdati luce carebunt.

EPILOGUS.

De divina prædestinatione.

Epilogus porro tuus viccnario tandem conclusus numero confessionem tuæ fidei continens ab omni pene catholicorum sinceritate, et puritate secluditur. Dicendo quippe:

JOANNES SCOTUS.

(Num. 1, sect. 1.) Θ *Quæ cum ita sint, ecce unum Deum colo.*

CORRECTIO.

† Satis aperteque demonstras te non aliter Deum colere, nisi tot tantisque mendaciis, imo blasphemiis eum incessas, a quibus ille omnimodis noscitur alienus, ac per hoc nec veraciter colore convinceris, quem tot phantasiis insimulare non metuis. Quodque adjungis, quem unum Deum te colere fatearis:

JOANNES SCOTUS.

(Epil. n. 2, sect, 1.) Θ *Unum*, inquiens, *omnium principium, et sapientiam, qua sapiens est quæcunque anima sapiens est, et ipsum munus, quo beata sunt quæcunque beata sunt.*

CORRECTIO.

† Amplectimur congratulantes veræ catholicæque fidei, qua sanctæ, summæ atque individuæ Trinitatis veritatem, et unitatem prædicari cognoscimus; si tamen nomine principii non aliud latebræ tui pectoris, quam orthodoxæ fidei sanitas continent: non enim elucet quorum omnium unum principium Patrem Domini nostri Jesu Christi dixeris, utrumnam creaturam omnium, an et Filii et Spiritus sancti, quos sapientiæ, munerisque vocabulis appellare voluisti, an etiam sui ipsius: quoniam absque ulla exceptione dicendo omnium, nihil sequestratum videris intelligi voluisse: nam omnium creaturarum non solum Patrem, nec solum Filium, neque solum Spiritum sanctum, sed simul Patrem et Filium et Spiritum sanctum in tribus personis, unaque essentia, majestate, potestate, voluntate, incommutabilitate, æternitate unum solum, et verum Deum auctorem conditoremque, ac per hoc unum principium fide infatigabili atque immutabili confitemur. Patrem vero Filii principium eo modo dicimus non abnui quo Filii genitorem, non creaturæ conditorem fatemur. Spiritus etiam sancti

A principium ea conditione minime obsistimus asseri, qua ab ipso eum procedere credimus, et prædicamus: utrum sane sui etiam principium dici debeat, viderit quicunque talia de eo sentire velit, quæ nec divina eloquia continent, neque ratio ullatenus persuadet. Unde quoniam quid *omnis* significatione senseris minime patet, incongruum de eo ulterius duximus disputandum, ne de incertis quasi certum aliquid definire reprehensibiliter judicaremur, sed quod continuatim adjungis:

JOANNES SCOTUS.

(Epil. n. 3. sect. 1) Θ *Et ejus unam, et solam, veram prædestinationem profiteor, quæ est quod ipse est, quia lex ejus æterna et incommutabilis est.*

B CORRECTIO.

† Detestabiliter exsecramur, quoniam relativum ejus nunquam poterit illius esse substantivum: aliud quippe est prædestinare, aliud esse; hoc substantive, illud relative. Item dicendo:

JOANNES SCOTUS.

(Epil. n. 4, sect. 1.) Θ *Quæ sicut neminem prædestinavit ad malitiam, quia bona est, ita neminem prædestinavit ad interitum, quia vita est, et reflexim: sicut nulli malo prædestinavit malitiam, quæ interitus est, ita nulli malo prædestinavit interitum, quia malitia est. Nulli namque Catholico licet credere summam bonitatem, ex qua est omne bonum, prædestinasse alicui aliquam mali-*
C *tiam, et summam vitam, ex qua, et in qua, et per quam, omnia vivunt, alicui prædestinasse interitum, vel pœnam: quando ne id quidem, quod se invicem perdit, perire permittit.*

CORRECTIO.

† Venenorum tuorum purulentias efflas, quibus impudentissime veritati atque auctoritati tam sacrarum litterarum, quam earumdem tractatorum fidelium obstrepere nullatenus erubescis. Dicimus itaque summam bonitatem, summamque vitam Deum nullum ad malitiam, id est peccatum prædestinasse: neque vel præsciendo, vel prævidendo, vel prædestinando compulisse, aut necessitatem cuiquam ullatenus intulisse: sed peccatoribus pœnam, quam tu interitus et malitiæ vocabulis denotas prædestinasse, quia justum est: et peccatores meritis suppliciis, quia justus est: quamvis enim pœna quælibet, vel temporalis, vel æterna æquitate omnipotentissimi Judicis merentibus irrogata patienti cuique mala, vel malitia videatur, quia tamen a summo bono, et summe justo est, profecto et justa, et bona est: porro quod adnectis:

JOANNES SCOTUS.

(Epil. n. 5, n. 2.) Θ *Proinde cum audio prædicatores tuos, o beatissima Veritas, vita omnium communis, dicentes te prædestinasse impios ad interitum, aut interitum impiis, continuo video te prædestinasse, id est, ante sæcula definisse intra leges tuas incommutabiles certum numerum eorum, qui in sua*

impietate (quam nunquam, et nusquam prædestinasti) interituri essent, quod alio modo dici potest. Prædestinasti, Domine, in tua præscientia, quæ falli mutarique non potest, numerum illorum qui suæ impietatis et pœnam, et interitum præparaturi essent, non in eis quod fecisti puniturus, sed in eis, quod non fecisti, puniri relicturus.

CORRECTIO.

† Non minus impium quam fatuum judicatur: non enim prædicatores veritatis dicunt, quod eos dicere contingis, sed dicunt veraciter et fideliter Deum, sicut supplicium peccatoribus, ita peccatores suppliciis destinasse: quoniam justitiæ illius indubitanter competit, quod et verax Scriptura clamat: *Quia tu reddes*, inquiens, *unicuique secundum opera sua* (*Matth.* XVI, 27), non dixit, tu reddi permittes, aut puniri a seipsis seipsos relinques, sed *tu reddes unicuique secundum opera sua.* Ipse itaque puniet, qui reddet, non qui recipiet, qui etiam se in judicio dicturum impiis testatur: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41): non dicit relinquam vos, ut a vobis ipsis patiamini, quod præparastis, sed judiciaria severitate, et irrevocabili potestate: *Ite in ignem æternum:* nec dicit, quem præparavit, vel preparat sibi diabolus, et angeli ejus; sed, *Qui paratus est diabolo*; *et angelis ejus.* Si quæris a quo paratus, audi Isaiam prophetam terribiliter intonantem: *Parata est enim ab heri a rege Tophet; parata et dilatata* (*Isa.* XXX, 33). *Tophet* siquidem gehennam, *regem* vero Deum, his verbis propheticis designatum nullo obsistente sanctus Hieronymus explanat: et licet recte dici soleat quemque peccatorem præparare sibi mortem, vel pœnam, quam peccando comparare consuevit, tamen qui nunquam mori, nunquam tormenta pati vellet, nequaquam ea sibi ipse vult facere, vel ingerere recte dicitur, ad quæ nimirum ducatur ac pertrahatur invitus: dicente Propheta ad Deum: *Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus* (*Ps.* LIV, 24). Nisi forte et hic eadem insulsitate dicturus es, *deduces* pro deduci permittes positum, quod e vestigio judex districtus evertit, qui dicturum se tempore messis suis messoribus prædixit: *Ite, colligite zizania, et ligate ea in fasciculos ad comburendum, et mittite eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XIII, 29, etc.) Angelorum quippe sanctorum id erit officii, ut omnes impios sententia judicis accepta pro qualitate facinorum discriminatos, atque conjunctos flammis ultricibus mittant, tam videlicet homines, quam diabolum, et angelos ejus, de quo Dominus ad Job loquitur (*Job* XL, 28): *Et videntibus cunctis præcipitabitur*, a quo quæso, nisi districtione præcipientis judicis, et obsecutione angelicæ servitutis? quo vero, nisi *In ignem æternum qui ei paratus est ab origine mundi.* Sicut enim justis regnum, ita injustis et impiis ignis paratus est ab origine mundi. Qui i itur colliguntur, qui ligantur, qui mittuntur in caminum ignis, quo pacto relinqui a se ipsis puniri dicendi sunt, cum ad hæc omnia inviti, nolentesque ab aliis pertrahantur.

Dicimus itaque a Deo secundum Scripturas ejus mala, id est pœnas, atque supplicia, ne cum Colutianis hæreticis damnemur, qui dicentes Deum non facere mala contra illud quod scriptum est: *Ego Dominus creans mala* (*Isa.* XLV, 7), ab Ecclesia damnati atque expulsi sunt. Rursum dicimus *a Deo* secundum Scripturas ejus *non esse mala*, id est peccata vel malas naturas, ne cum Florimanis hæreticis ab Ecclesiæ unitate pellamur. Qui a contrario dixerunt Deum creasse mala, contra id quod scriptum est, *Fecit Deus omnia bona* (*Gen.* I, 31): punit igitur Deus quod fecit, id est naturam angelicam, et humanam quæ peccavit, non relinquit puniri in eis quod ipse non fecit, id est malam solummodo voluntatem quæ sicut natura non est, ita per se pœnam sentire non potest: sed merito pœnam natura sentiet, quæ perperam voluit, ac fecit. Accedat Doctor gentium in fide et veritate, et has tuæ perversitatis ineptias apostolica auctoritate detruncet, qui cum de hac difficillima imo indissolubili quæstione fortissimi disputaret, adjunxit: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quare me sic fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud vero in contumeliam?* (*Rom.* IX, 20, etc.) Quid sibi vult proposita figuli similitudo facientis *ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*, nisi ut hinc ostendatur bonitas Dei, atque justitia facientis quosdam gratuito misericordia in gloriam, alios justitia inflexibili in ignominiam sempiternam? Ne etenim huc illucque more lymphatico distrahamur, et alia in verbis illius, quam ipse dixerat effingamus: non ait relinquere, vel sinere, sed, propulso totius ambiguitatis nubilo, *facere.* Veniat et coapostolus ejus Petrus, et pari sententia tuam proturbet insaniam, qui cum diceret: *Novit Dominus pios et de tentatione eripere*: subjunxit: *Impios vero igni in judicio reservare* (*II Petr.* II, 9). Ecce propugnator fortissimus victorque fidelissimus non dixit: novit impios relinquere igni perpetuo in judicio cruciandos, sed reservare.

Properet quoque beatus Judas apostolus, et parilem suis coapostolis in te ferat sententiam, qui in Epistola sua ita de te tuisque similibus profatur (*Jud.* 3 seq.): *Necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei: subintroierunt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem et Deum nostrum Jesum Christum negantes. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt perdidit; angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reservavit: sicut Sodoma, et Gomorrha,*

et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum : ignis æterni pænam sustinentes. Audis *prescriptos*, et negas prædestinatos. Audis *Sodomitas* exemplum *ignis æterni*, et dicis a se puniendos relinqui ? Non enim Sodomitæ seipsos punierunt, aut à seipsis puniri relecti sunt, sed nefarie vivendo meruerunt flammeis atque sulfureis imbribus cœlitus influentibus concremari : sic ergo et tartaro trusi igne ad hoc facto et præparato sine dubio comburentur.

Videamus etiam quanta teipsum tuis assertionibus contrarietate impugnes. Nam tu ipse multo ante dixeras, propterea prædestinatum vel præparatum illum ignem diabolo dici, quoniam in eo fuerat ordinandus cum omnibus suæ malitiæ consortibus puniendus, et quemadmodum idem ignis bonus profecto, quoniam a bono factus non aliam ob causam malum dicatur, nisi quod in eo mali ordinatissime disponantur : ita etiam pœna non incongrue asseritur, quoniam idem mali in eodem criminibus suis libidinose commissis, laboriose, miserabiliterque crucientur. Aut igitur falsum est a Deo illum ignem, qui pœna est reproborum, factum, et verum erit quod ais : a Deo nec prædestinatam, nec præparatam pœnam ; aut certe, si verum est a Deo factum, te quoque adnitente et præparatum : procul dubio falsum erit a Deo nec pœnam, nec supplicium destinatum, vel præparatum. Evidenter quippe ipse illius conditor atque irrogator se tanto ante dicturum prædixit : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41) ; qui igitur secundum apostolos suos : *Potest ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud vero in contumeliam* (*Rom.* ix, 21), *novitque pios de tentatione eripere, impios vero igni cruciandos reservare* (*I Petr.* ii, 9), ipse nimirum sua irrevocabili sententia pœnis a se factis prædestinatis, præparatis, præordinatis, atque dispositis torquendos reprobos præscientia inenarrabili prædamnavit ac judicavit etiam antequam conderet ; qui solus præscire potuit, qualis quisque futurus, et quo fine vitam esset feneam terminaturus. Ipse siquidem de quibusdam eorum dixit : *Qui enim non credit, jam judicatus est* (*Joan.* iii, 18), nec dixit judicabitur, quod tamen certissime futurum credimus ; modo superius satis adnotato, sed *judicatus est*, quando, quæso, nisi antequam factus ? Si ergo jam judicatus est, qui non credit id est damnatus, quare non prædestinatus, vel præparatus eadem divinæ æquitatis regula ad pœnam verissime dicatur : siquidem qui tanto ante in prescientia sua potuit judicare atque damnare, utique potuit prædestinare eidem damnationi, ac præparare :

Porro si proponamus Deum dicentem : *Se facere mala et creare tenebras* (*Isa.* xli, 7) ; teque id negantem imo infieiantem, quicunque sano cerebro fuerit, Deo potius, quam tibi credulitatis assensum humillimus adhibebit : præsertim cum nihil aliud de Dei prædestinationibus, quam de ejus judiciis justissimis perindeque inevitabilibus sentiendum fides censeat orthodoxa. Si itaque causandus est Deus secundum te, tuique complices, quod prædestinaverit impios pœnis, pœnasque impiis : consequenter causandus est, quare non credentes jam judicaverit, jamque damnaverit : quod si blasphemum atque impium est, restat ut sinceritas Catholicæ fidei tantorum judiciorum imperscrutabili abysso humillime, fidelissimeque substrata, nequaquam de supernis dispositionibus causetur, verum cum Apostolo exclamet : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incrustabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarus ejus fuit, aut quis prior dedit illi et retribuetur ei : quoniam ex ipso, et per ipso et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum : Amen* (*Rom.* xi, 33-36) ; audiatque terribiliter intentantem : *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* xi, 20) ; et prophetam salubriter monitantem : *Altiora te ne quæsieris, et profundiora te ne scrutatus fueris* (*Eccle.* iii, 22). Unde et Psalmista testatur, *Terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* lxv, 5) ; et iterum *judicia tua abyssus multa (Psal.* xxxv, 7). Tanto ergo, ut ait beatus Gregorius, necesse est ut quisque in humilitate se deprimat, quanto et si sit electus ignorat.

Quid sane adjumenti conferat assertionibus tuis explanatio, qua dicis (*Epilog.* num. 6, sect. 2). *Deum prædestinasse, id est, ante sæcula definisse certum numerum eorum, qui in sua impietate interituri essent.* Minime video, quam refragantem eis potius, non ignoro. Quid est prædestinasse, id est définisse numerum periturorum, nisi perituros prædestinasse, id est definisse. Si ergo prædestinavit, id est definivit numerum periturorum, præscivit utique perituros : quid autem pejus aut perniciosius creaturis rationalibus dici potest, quam perire ? Qui ergo præscivit perituros malum utique præscivit : malum est enim et omni malo deterius perire. Si, inquam, prædestinavit, id est, definivit quot essent perituri, nullo reluctante malos malumque prædestinavit, id est définivit, et ubi est astructio tua, qua tantopere nisus es affirmare ; Deum nec præscisse, nec prædestinasse malum, quod est pœna, atque supplicium : numquam enim prædestinare, id est definire posset certum numerum periturorum, nisi præscisset perituros. Malum igitur præscivit, qui perire incunctanter malum est.

Quodque adnectis (*Epilog.* num. 7, sect, 2) identidem alio modo dici posse, prædestinasse Deum numerum illorum qui suæ impietatis et pœnam, et interitum preparaturi essent, non in eis quod ipse fecerat puniturus ; sed in eis quod non fecerat puniri relicturus : verum quidem est impios sibi et pœnam et interitum peccando, id est impie vivendo præparare ; sed non minus verum est a Deo illis eamdem pœnam justissime præparatam. Nam quod illi sibi præparant nequiter vivendo, hoc eis Deus præparat æquissime judicando, et justissime rependendo. Scriptum est enim : *Quia tu reddes unicuique juxta opera sua* (*Rom.* ii, 6). At nusquam scri-

ptum est : reddet sibi unusquisque juxta opera sua. A Item scriptum est : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Dei, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (*II Cor.* v, 10). Sed nusquam scriptum est : Dabit sibi unusquisque propria corporis, prout gessit, sivi bonum, sivi malum : qui enim recipit, procul dubio, alio retribuente recipit, quod meretur non sibi tribuit, quod ex se habere non potuit. Quis vero seipsum punire ullatenus vellet, quin punientis inevitabilem necessitatem fugeret, si valeret ? Enimvero nullus est, qui seipsum punire velit etiam temporali morte, nedum æterna gehennæ cruciatione. Nam etsi legamus quosdam sibi manus, vel laqueo, vel ferro, vel veneno, vel præcipitio, vel submersionne mortem consciscendo B injecisse, plures etiam philosophorum id appetisse : unde et epistolæ nobilissimi secundum suos Senecæ in hujusce laudes eloquentissime perorare noscuntur : fides tamen, et religio Christiana summæ impietatis deputat, si quis manus sibi violenter inferat, magnaque sit gloriæ sanctos pati hilariter, mortem sibi pro nomine Domini nostri Jesu Christi allatam, non sponte subire dilatam. Unde et præceptum ipsius acceperant dicentes : *Si vos persecuti fuerint in civitate ista, fugitate in aliam* (*Matth.* x, 23) : neque enim ipse Dominus Jesus seipsum punivit, atque interfecit, *qui peccatum non fecit, et in cujus ore dolus inventus non est* (*I Petr.* II, 22) : sed utique sponte subiit, ac pertulit illatam ab hostibus passionem. Qui tanta C beatorum martyrum ? multitudo Dicendine sunt semetipsos punisse, qui persecutoribus tot eis tormentorum genera invehentibus non solum reluctati non sunt, verum etiam fide interrita succumbere maluerunt ? quod si in hac vita absurdissimun putari certum est, quanto minus credendum est punire se quemquam, ubi locus effugiendi nullus datur ? Fatendum est igitur Deum illic nullos a se ipsis puniendos relinquere, sed ipsum eis ineffugibili justitia retribuere, quod merentur, qui dixit : *Nolite timere eos qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete, qui potest animam, et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* x, 28). Non dixit relinquere, ut se perdat : sed *qui potest animan, et corpus perdere*, D qui etiam dixit : *Ego occidam :* Non occidi a seipsis permittam. *Et ego vivere faciam* : non a seipsis vivere relinquam : *percutiam*, non percuti a seipsis relinquam. *Et ego sanabo*, non a seipsis sanari relinquam. Et hoc quare? audi quare? *Et non est, qui de manu mea possit eruere* (*Deut.* XXXII, 39). Et item : *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore* (*Deut.* XXXII, 35). Et iterum : *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII, 29).

Jam vero quod ais (*Epilog.* num. 8, sect. 2) *non in eis puniturum Deum quod ipse fecerit, sed in eis puniri relicturum quod ipse non fecerit*, per omnia falsum esse convincitur. Corpus enim et animam ipse fecit: quorum dum corpus ab hominibus perimi posse, non autem et animam dixit, a se vero utrumque, id est et corpus et animam, perdendum censuit in gehenna, nimirum quod in eis ipse fecit sese perditurum, id est puniturum satis aperteque declaravit. Relinqui a Deo, malum indubitanter est : si ergo secundum te prædestinavit Deus, quos relinqueret perituros, malum omnino prædestinavit, nec jam poterit stare tua definitio dicentis : *Deum mala prædestinasse.* Quid enim pejus dici potest, quam relinqui a Deo ? Unde et ipse per Psalmistam dicit : *Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum ; Ibunt in adinventionibus suis* (*Psal* LXXX, 13). Hinc etiam orat quisque devotus cum Psalmista dicens ad Deum : *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me* (*Psal.* III, 22). Si igitur relinquere Dei malum est, et deterius omni malo, et hoc ipsum Deus prædestinavit ut relinqueret, et malum et pœnam pessimam utique prædestinavit vel præfinivit. Vide saltem nunc quid hactenus tua effecerit disputatio versipellis. Deinde infers :

JOANNES SCOTUS.

(Epilog. num. 9, sect. 2) Θ *Hæc est fides mea, o æterna lux mentium, de tua prædestinatione quæ tu es.*

CORRECTIO.

÷ Imo est infidelitas tua de Dei prædestinatione, quæ non ipse est : multa etenim de Deo relative prædicantur, quæ certum est Deum facere, quæ tamen ipse non est. Scriptum est quippe : *Tentavit Deus Abraham* (*Gen.* XXII, 1), et rursum *Tentaturus Dominus Deus vester :* et ipse Dominus loquitur : *Ego Dominus seduxi prophetam illum* (*Ezech.* XIV, 9) ; et Psalmista de illo : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 11). Item ; *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, ut dolum facerent in servos ejus* (*Psal.* CIV, 25). Item : *Et errare fecit eos in invio, et non in via* (*Psal.* CVI, 40). Et alius propheta ad eum : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava* (*Isa.* VI, 10). Et Apostolus : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, et tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* (*Rom.* I, 28 seq), etc., e multa alia, quæ nunc persequi, et longum est et non necessarium judicatur. Ideone erunt hæc omnia, quæ præmisimus, et similia Dei substantia, ut dicatur Deus esse tentatio, seductio, perditio, conversio in malum, error, excæcatio, aggravatio, traditio, occisio, et alia innumera, quæ passim in divinis eloquiis de Dei justitia veraciter et fideliter prædicantur ? Quibus omnibus nullatenus ejus substantiam demonstrari nullus nisi mente captus ignorat. Falsum est igitur Dei substantiam esse ejus prædestinationem, sed ita eam de illo relative prædicari, quemadmodum creationem, operationem, factum, ordinationem, dispositionem, dispensationem, gubernationem, et plura similia quibus illius omnipotentia, vel bonitas, vel æquitas, vel judicia perdocentur. Tandem quasi victor subditorum contributione gratulabundus efflas virus pestiferæ exhalationis, dicens :

JOANNES SCOTUS.

(Epilog. num. 10, sect. 3.) Θ *Ac per hoc cum*

omnibus orthodoxis fidelibus anathematizo eos qui A *dicunt duas prædestinationes esse, aut unam geminam, aut bipartitam, aut duplam : si enim duæ sunt, non est una divina substantia : si gemina, non est individua, si bipartita, non est simplex, sed partibus composita ; si dupla est, complicata est ; quod si prohibemur divinam unitatem dicere triplam, qua dementia audet hæreticus eam asserere duplam ? Tali igitur monstruoso, venenoso, mortifero dogmate a cordibus nostris radicitus exploso, credamus unam æternam prædestinationem Dei Deum esse, et non nisi in his quæ sunt esse, ad ea vero quæ non sunt nullo modo pertinere.*

CORRECTIO.

† *Quis dabit*, inquit propheta, *capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo vulneratos filios populi mei?* (*Jer.* IX, 1.) Et ipse Dominus perituram *videns* impiam *civitatem, flensque super eam dixit: Quia si cognovisses et tu* (*Luc.* XIX, 41) : subauditur fleres. Quæ duo testimonia mihi tibique convenire, si pia mente adverteres, præcaveres, quoniam nec mihi satis tuam deflendi miseriam copia inest, nec tibi effugiendi ingruentis interitus præcipitium cautela subest. Cui cum minime suffecerit tantis in Deum blasphemiis prorupisse, anathemandos [a] ejus electos cum ipso in æterna beatitudine gloriantes, imo ipsum omnium Deum et Dominum impudentissima pervicacia pervicacissimaque impudentia, cum bestia quæ de abysso ascendere scribitur, os aperire blasphemissimum nullatenus formidasti. Verum ut cætera facilius omnibus viribus effetentur, prima insaniæ falsitas denotetur. Ideoque falsissimum esse non dubitatur, quod tecum omnibus orthodoxis fidelibus anathematizare blasphemas. Nullus quippe orthodoxorum fidelium in tua scita concedit, nullus tuis impietatibus indulget, nullus tuis insaniis acquiescit.

Sed mirum valde est quod homo anathematus antequam natus in quemquam anathema ferre præsumpserit : nimirum de illorum te numero esse demonstras, *qui posuerunt in cœlo* [al., *in cœlum*] *os suum, et quorum lingua transivit in terram* (*Psal.* LXXII, 9). Necessarioque perpendendum censeo, in quos anathema tanta impietate protuleris : nempe in papam Innocentium, Zosimum, Bonifacium, Sixtum, Leonem, Cœlestinum, Gregorium, omnesque tam Romanæ urbis pontifices quam sequentium ordinum gradus et populos : in Ambrosium episcopum cum omnibus Italis ; in Augustinum, Primasium, Fulgentiumque episcopos cum omnibus Africanis ; in Hieronymum presbyterum cum omnibus Orientalibus et Græcis ; in Prosperum et Hilarium cum omnibus Gallis ; in Isidorum, cum omnibus fidelibus Hispanis ; in Cassiodorum quoque cum his omnibus ; in Bedam presbyterum cum omnibus Anglis atque Britannis ; in Bonifacium episcopum cum omnibus Germanis ; in ipsos insuper apostolos prophetasque : et quod his omnibus majus est, in ipsum Deum deorum, qui judicia sua sese præstituto tempore erga probos et reprobos inevitabili dispositione prædestinavit : imo quod nobis vel per tempora, vel in fine temporum futurum præviderat, antequam conderet, statuit, intemporaliter judicavit atque definivit. Quidquid enim de Dei judiciis prophetæ apostolorumque successores, vel voce pronuntiaverunt, vel litteris mandaverunt, nonnisi ipso inspirante, docente ac jubente locuti sunt. Ac per hoc quidquid in eos anathematis ingeritur, indubitanter in injuriam in eis et per eos loquentis refertur : qui quam de Dei prædestinatione concorditer senserint, unanimiter prædicarint, quoniam jam satis superque quantum visum est demonstravimus, nunc repetere supersedimus.

B (*Epil.* 3, num. 11, sect. 3.) Cum quibus omnibus nequaquam metuimus dicere prædestinationem geminam, nec eam pluraliter enuntiare formidamus, approbantes argumentationem tuam qua dicis : Si enim duæ sunt, non est una divina substantia : verum est quippe non esse prædestinationem divinam substantiam, sed ejus dispositionem, ordinationem atque judicia. Similiter : Si gemina est, inquis, non est individua ; si bipartita, non est simplex ; si dupla est, complicata est. Quod si prohibemur divinam unitatem dicere triplam, qua dementia audet hæreticus eam asserere duplam ? Licet Dei prædestinatio non significet ejus substantiam ; non enim esse, sed disponere monstrat : disponere autem, sicut prædestinare, ad creaturas C ejus relative dicitur ; quemadmodum tamen in primis hujus operis partibus, largiente Domino, dictum est ; multa de Deo essentialiter prædicantur, quæ pluraliter efferri unitas illius essentiæ non præjudicat. Quibus, ne fastidii gratia repetantur, omissis, unum tibi ex Evangelio proferimus, quod cæterorum confirmationi non obsit. Dominus conditor universitatis atque dispositor dicit : *Ego sum resurrectio et vita* (*Joan.* XI, 25), cumque resurrectionem tanta evidentia intimaverit, alibi tamen in eodem Evangelio ait : *Nolite mirari hoc, quia venit hora qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus ; et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala, in resurrectionem judicii Joan.* v, 28). Secundum hæc Domini testimonia, et Patres exponunt, et veritas edocet, D duas esse resurrectiones, unam sanctorum, alteram impiorum, quas Dominus vitæ atque judicii nuncupavit : judicium autem hoc loco pro damnatione positum Patres intelligunt. Et veluti alia est resurrectio animæ, qua relictis vitiis per Dei gratiam virtutibus vivere incipit, de qua idem Dominus dicit : *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent* (*Ibid.*, vers. 25) ; *audient*, id est obaudient atque obsequentur : et alia est resurrectio corporum, de qua quod præmisimus itidem loquitur, *quia venit hora, quando hi qui in monumentis sunt, audient vocem ejus ; et procedent, qui bona egerant, in resurrectionem vitæ ; qui vero*

[a] Hoc verbo sæpius usus est D. Augustinus, epistola 95 ad Innocentium, de Gratia, c. 2.

mala, in resurrectionem judicii. Ita alia est resurrectio A qua justi beatitudinem capient sempiternam, et alia qua injusti mittentur in supplicium sempiternum : non quo diverso tempore fiant, sed quo diverso fomite gestiant. Hanc resurrectionis diversitatem angelus quoque Danieli prophetæ denuntians, ita commendat : *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper* (*Dan.* XII, 2). Quid vero sacratius, dulcius desiderabiliusque in religione Christiana vocabulo potest dici resurrectionis. Et tamen tanta diversitate profertur, ut de ea dubitare solius dementis sit. Ipse igitur qui se resurrectionis nomine designavit, eamque primus in æternum victurus, propria resurgendo virtute in se victor mortis exhibuit, B hoc ante sæcula se facturum prædestinavit, id est disposuit, quod in resurrectionis veritate et diversitate et se faciendum præscivit et post facturum eduxit. Quia videlicet ipso auctore ac judice *resurgent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala, in resurrectionem judicii.* Hoc se facturum prædestinavit, qui hoc se facturum prænovit, misericordiam videlicet atque judicium, quibus omnis rationalis creaturæ dispositio comprehenditur, nec extra valet quippiam reperiri.

Et quemadmodum dispositiones, ordinationes, dispensationes, gubernationes administrationesque divinæ nequaquam ejus essentiam, sed effectum clamitantes, pluraliter efferuntur : C sic incunctanter prædestinationes ipsius liberrima pluralitate censentur : quas sicut ais in his, et nos dicimus, quæ sunt, id est in misericordia et judicio, in gloria et ignominia, id est vita æterna, et igne æterno, quæ a Deo esse catholicorum ambigit nemo : ad ea vero quæ non sunt pertinere Dei prædestinationes, quis nisi qui non est, arbitretur ? Non enim prædestinatur atque disponitur, quod nequaquam est : est autem vita æterna, est et ignis æternus ; illa ad gloriam, iste ad pœnam ; illa ad regnum, iste ad tormentum. Ad hæc prædestinationes Dei pertinere dicimus, quia esse ea nullatenus dubitamus. Prædestinavit igitur Deus vitam æternam bonis, prædestinavit ignem æternum malis, prædestinavit vitam æternam piis, prædestinavit pœnam D ignis æterni impiis. Unde et se dicturum in examine ultimo prædixit istis : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* ; illis : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XLI, 34). *Et regnum paratum* dixit et *ignem paratum* adæque non tacuit. A quo, quæso, nisi a se ipso ? Quo judice illis regnum, istis retribuitur ignis supplicium.

Hæc est nostra fides : quia hæc est vera prophetica, apostolica, orthodoxa atque catholica fides. Poteram quidem et ipse tibi dicere anathema, nisi exspectarem, et mallem, et optarem tui correctionem quam perditionem. Proinde nondum in te severitatem anathematis jaculor, quoniam hortor, moneo, et totis cordis affectibus rogo, ut respectu supernæ gratiæ resipiscas, et a tam lethali veterno tandem evigiles ; et quid Christiana puritas sentiat, exquiras benevolus, humilis apprehendas, mitis acquiescas, mansuetus secteris, devotus teneas, et fidelis in omnibus exsequaris.

Relinque quadruvium vanitatis, quod sequens extorris viæ factus es veritatis. Quanto melius, quantoque salubrius ageres, si uni veræ sempiternæque viæ innitens, quadriga illius humilis vehi, quam quadruvii tui inflatus typho raptum ire in diversa diligeres! Quadriga hujus viæ sunt quatuor Evangelia, uno paradisi fonte manantia, quibus nobis via panditur salutaris. Quadriga hujus viæ quatuor sunt virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, quibus omnis morum probitas venustatur. Quadriga hujus viæ sunt quatuor divinorum eloquiorum species historica, ethica, allegorica, anagogica, quibus ad omnem sacrarum litterarum intellectum, illuminante gratia ejus, inducimur : quæ si humiliter fideliterque sectari studuisses, nunquam in tanta errorum atque abominationum, imo blasphemarium præcipitia incidisses. Verum dum quadruvio varicoso tanta pertinacia inhæsisti, nequaquam elogium libri Ecclesiastici evadere valuisti, quo dicitur : *Qui sophistice loquitur, obidilis est, omni re defraudabitur. Non enim data est illi a Domino gratia. Omni enim sapientia defraudatus est* (*Eccli.* XXXVII, 23). Et illud : *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* X, 19). Quibus si expediri desideras, humilitati sublimissimæ Crucifixi supplex prosternere, ut eum Apostolo dicere valeas : *Nihil indicavi me scire inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2). Et item : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). His in nomine et adjutorio Dei, pro captu et viribus meæ pusillitatis, magis devote quam docte, tuæ quoque correctionis, frater Joannes, gratia exaratis, libet quam breviter quamque succincte capitulatim singula adnotare, quo legentis audientisve intentio lecta vel audita memoriæ tenacius valeat commendare.

RECAPITULATIO TOTIUS OPERIS

DEF. I, CAP. I T. ET SECT. I [a].

Θ Dicis : *Quadruvio regularum quatuor totius philosophiæ omnem quæstionem solvi.*

† Respondemus : Nec illud quadruvium, nec ullas mundanæ sapientiæ species ad omnem quæstionem dissolvendam sufficere absque gratia Dei, *et fide quæ*

[a] Vide Cellotium in Gottescalcho, pag. 133.

per dilectionem operatur, ac veraci studio, et sanctarum scientia Scripturarum. A

DEF. II, CAP. 2, SECT. 2 ET 6, ET CAP. 3, SECT. 1.

Θ Dicis : *Prædestinationem et præscientiam Dei, ejus esse essentiam sicut voluntatem, sapientiam et veritatem.*

† Respondemus : Sapientiam, veritatem et voluntatem in Deo essentialiter prædicari, prædestinationem vero et præscientiam relative, proindeque non esse Dei substantiam.

DEF. III, CAP. 2, SECT. 2 ET CAP. 15, SECT. 4.

Θ Dicis: *Præcientiam et prædestinationem unum idem esse.*

† Respondemus : Plurimum differre, quoniam B multa præsciuntur quæ non prædestinantur ; nulla vero prædestinantur, nisi præsciantur.

DEF. IV, CAP. 2, SECT. 3.

Θ Dicis : *Hominem ad Deum quem libero arbitrio sine labore deseruerat, sine laboris studio et cooperantis gratiæ dono pervenire non posse.*

† Respondemus : Nullum nisi prævenientis Dei gratiæ aspirationem saltem laboris studium posse concipere.

DEF. V, CAP. 2, sect. 3.

Θ Dicis : *Prædestinationem in Deo secundum substantiam esse, relative autem fieri non posse.*

† Respondemus : Cuivis facillime patere prædestinationem in Deo semper relative, sed nunquam C secundum substantiam dici, esse quippe ad nihil aliud refertur ; prædestinare vero nunquam, nisi ad aliquid dici potest.

DEF. VI, CAP. 2, SECT. 6

Θ Dicis : *Sicut duas essentias cæteraque omnia quæ de Deo dicuntur, geminari, vel triplicari, vel multiplicari, impium esse, ita prædestinationes duas asserentem reatu impietatis.*

† Respondemus : Essentiam Dei nullatenus geminandam, vel triplicandam, vel multiplicandam. Multa tamen eorum quæ de ipso substantialiter prædicantur, pluraliter efferri : neque ideo ejus essentiam geminari, vel triplicari, vel multiplicari, quoniam tali pluralitate non jam ejus essentia, sed effectus ipsius demonstrantur; ac per hoc non D reatu impietatis ligari asserentem prædestinationes pluraliter, quia non essentia ejus, sed efficientiæ ipsius tali vocabulo efferuntur.

DEF. VII, CAP. 2, SECT. 2; CAP. 3, SECT. 1.

Θ Dicis : *Prædestinationem Dei unam esse, sicut unam divinam operationem, sapientiam, substantiam, voluntatem.*

† Respondemus : Prædestinationem, et operationem divinam relative ad multa dici ; sapientiam vero, substantiam et voluntatem, ad naturam simplicem tantummodo, quamvis et voluntates Dei pro efficientiis ejus creberrime legamus.

DEF. VIII, CAP. 2. SECT. 2 ; CAP. 3, SECT. 1.

Θ Dicis : *Quidquid de divina voluntate intelligitur de prædestinasione Dei sentiri debere.*

† Respondemus : Quamvis nullus nisi volendo aliquid prædestinet, tamen aliud esse dicimus velle, aliud prædestinare : velle enim ad se tantum dici, prædestinare vero referri ad alia, ac per hoc non unum esse.

DEF. IX, CAP. 3, SECT. 5.

Θ Dicis : *Prædestinationem, ut charitatem, non esse geminam, vel duplam, vel multiplicem, et pluralitate carere.*

† Respondemus: Prædestinationem, et charitatem a Patribus, et geminam, et bipertitam frequenter positas, et prædestinationes pluraliter prolatas.

DEF. X, CAP, 4, SECT. 1.

Θ Dicis : *Tres hæreses, unam Pelagianorum liberi arbitrii commendatione sine gratia ; alteram, gratiæ solius; tertiam, Gottescalchanam, prædestinationibus necessitates et vim inferentem.*

† Respondemus : Detestari nos Pelagianos asserentes aliquid boni per liberum arbitrium fieri posse sine adjutorio gratiæ, et eos, si qui sunt (quos tamen nunquam audivimus), qui gratiam solam ita commendant, ut funditus libertatem arbitrii auferant ; sed ita liberum arbitrium vitiatum et infirmatum transgressione primorum nostri generis, ut per se prorsus ad nihil boni assurgere valeat, nisi præveniatur aspirante gratia, et subsequatur auxiliante : nec minus eos qui prædestinationibus Dei necessitates et vim inferri creaturis somniant. Quamvis enim Deus cuncta præscierit, et de omnibus creaturis secundum præscientiam suam prædestinaverit, nullum tamen eadem præscientiam suam prædestinaverit, nullum tamen eadem præscientia et prædestinatio ad aliquid impellit.

DEF. XI, CAP. 4, SECT. 6

Θ Dicis : *Substantiam hominis esse tria, id est esse, velle et scire, et hanc peccando non amisisse.*

† Respondemus : Non esse substantiam hominis velle et scire : quoniam, cum semper habeat homo esse, non semper habet velle et scire. Nam et bonum velle, et bonum scire peccando amisit, nec per se eadem nisi per prævenientem Dei gratiam assequi ullatenus potest.

DEF. XIII, CAP. 4, SECT. 6.

Θ Dicis : *Nullam naturam posse perire.*

† Respondemus : Rationales creaturas in totum non posse perire, irrationales vero posse.

DEF. XII, CAP. 4, SECT. 6.

Θ Dicis : *Hominem liberam voluntatem, id est naturam suam, non perdidisse.*

† Respondemus : Naturam ejus non esse liberam voluntatem, eam tamen ad malum semper habuisse : ad bonum vero ita perdidisse, ut absque gratiæ præventione nulla sit.

DEF. XIV, CAP. 4, SECT. 5.

Θ Dicis : *Libertatem homini post peccatum re-*

mansisse, vigorem vero et potestatem ejus perdidisse.

† Respondemus : Nullam esse libertatem, si careat vigore et potestate : remansisse autem libertatem homini ad malum tantummodo.

DEF. XV, CAP. 4, SECT. 8.

Θ Dicis : *Velle homini a se per naturam esse, inchoare vero posse et perficere, non nisi per gratiam.*

† Respondemus : Nec velle, nec inchoare, nec posse, nec perficere hominum quippiam boni, nisi præveniente et subsequente gratia Dei.

DEF. XVI, CAP. 5, SECT. 4 ET 5.

Θ Dicis : *Deum, sicut neminem compellat peccare, ita nec bene vivere.*

† Respondemus : Deum neminem impellere ad peccandum, ad bene vivendum vero multis correptionum generibus invitare, imo compellere, dicente ipso : *Faciam ut in præceptis meis ambuletis* (*Ezech.* XI, 20). Et item: *Compelle intrare* (*Luc.* XIV, 23).

DEF. XVII. CAP. 5, SECT. 4.

Θ Dicis : *Si qua causa præcedat voluntatem, id est naturam ad bona, vel mala cogitanda, vel facienda, non esse naturam.*

† Respondemus: Voluntatem non esse naturam. Præcedi tamen eam ad bona quidem diversis causis medentis et miserentis Dei ; ad mala vero, nullis nisi propriæ perversitatis meritis exigentibus.

DEF. XVIII, CAP. 6, SECT. 1.

Θ Dicis : *Nullum peccatum nullamque ejus pœnam aliunde nasci, nisi propria hominis voluntate libero male utentis arbitrio.*

† Respondemus : Peccamus propria hominis voluntate nasci : pœnam vero ejus Deo justo judice irrogari.

DEF. XIX, CAP. 8, SECT. 5.

Θ Dicis : *Sicut animale corpus potuisse mori, quia adhuc non erat perfectum, id est spiritale : ita voluntatem liberam adhuc animalem merito, quia mortalem potuisse peccare : quoniam adhuc non esset perfecta.*

† Respondemus : Non ideo peccasse hominem, quia nondum erat spiritalis, sed quia de nihilo conditus, non de Factoris substantia fuerat editus, propria voluntate sese a summo bono avertit atque avertendo intumuit. Nam et diabolus non ideo peccavit quia nondum esset spiritalis, cujus tota natura spiritalis, imo spiritus condita fuerat; sed quia et ipse de nihilo factus, voluit quod velle non debuit. Voluntas quoque non ideo peccare potuit, quoniam adhuc non erat perfecta, sed quia sponte se a vero liberatore et salvatore avertit auctor voluntatis, quam mortalem quasi naturam ineptissime nuncupas.

DEF. XX, CAP. 8, SECT. 9

Θ Dicis : *Talem esse differentiam inter liberum hominis arbitrium, et ejus substantiam, ut natura in voluntate rationali : liberum vero arbitrium in* A *ejus libertate, sive in motu liberæ naturaliter voluntatis, sive in munere intelligentiæ dicatur.*

† Respondemus : Falsissimam esse talem differentiam : quoniam voluntas hominis non est natura ejus, liberum vero arbitrium nihil aliud quam voluntatem libertatis, id est electionem boni vel mali, vocari.

DEF. XXI, CAP. 10, SECT. 1.

Θ Dicis : *Dei præscire aut prædestinare peccata, vel mortem, vel pœnas ; hominum vel angelorum, a contrario intelligendum.*

† Respondemus : Deum præscire tantum peccata, mortem vero vel pœnas, et præscisse, pariter et prædestinasse : neque a contrario ullatenus sentiendum.

B

DEF. XXII, CAP. 10, SECT. 3.

Θ Dicis : *Omne malum peccatum, et ejus pœnam esse, et hæc nihil esse.*

† Respondemus : Peccatum nihil esse, at pœnam ejus aliquid esse : id est creaturas Dei quæ peccatoribus pœnales efficiuntur, exceptis eis peccatis quæ pœnæ dicuntur præcedentium peccatorum.

DEF. XXIII, CAP. 10, SEC. 5.

Θ Dicis : *Mortem miseriamque suppliciorum æternalium omnino nihil esse : ac per hoc nec præsciri, nec prædestinari.*

† Respondemus : Mortem quidem per se non esse naturam : separationem tamen animæ, et corporis, et pœnas gehennalium tormentorum, non C nisi Deo judice fieri, ac per hoc et præsciri ab ipso et prædestinari.

DEF. XXIV, CAP. 11. T. ET SECT. 1.

Θ Dicis : *Non esse Dei prædestinationem nisi de his qui præparati sunt ad æternam felicitatem.*

† Respondemus : Si ita est, nec Dei judicium, nisi de his esse qui præparati sunt ad æternam felicitatem : omnis quippe Dei prædestinatio ad ejus justissimum judicium pertinet.

DEF. XXV, CAP. 11, SECT. 1.

Θ Dicis: *Abusive translateque dici præscire Deum et prædestinare.*

† Respondemus : Verum esse sed abusione, et translatione nulli, præter ipsum proprie et principaliter convenire.

D

DEF. XXVI, CAP. 11, SECT. 1.

Θ Dicis : *Quoties dicitur Deus præscisse et prædestinasse impios ad interitum vel supplicium æternum, pro non præscisse et non prædestinasse.*

† Respondemus : Nullum sanctorum Patrum hanc perversitatis insaniam admisisse ; sed ita omnes sancto quoque Fulgentio exponente sensisse, quemadmodum hodieque catholica sensit Ecclesia : quia sicut veraciter dicitur judicasse bonos ad gloriam, malos ad pœnam ; ita veraciter dicitur prædestinasse bonos ad regnum, malos ad tormentum.

DEF. XXVII, CAP. 11, SECT. 1.

Θ Dicis : *Si enim prædestinati sunt, necessario*

peribunt, pœnasque patientur inevitabiles: quod si ita est, quomodo juste judicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire?

† Respondemus: Eadem argumentatione de sanctis posse dici. Si enim prædestinati sunt, necessario salvabuntur, regnumque percipient inevitabile. Quod si ita est, quomodo juste judicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit salvari? Ubi enim necessitas infertur, vis quodammodo impenditur, non gratia prærogatur.

DEF. XXVIII, CAP. 11, SECT. 3.

Θ Dicis: *Sanctas Scripturas præscientiam et prædestinationem non nisi in solis sanctis ponere.*

† Respondemus: Deo nos potius credere quam tibi. Ipse enim in libro IV Regum per Isaiam prophetam contra Sennacherib loquitur inter cætera: *Habitaculum tuum, et egressum tuum, et introitum tuum, et viam tuam ego præscivi, et furorem tuum contra me. Insanisti in me, et superbia tua ascendit in aures meas* (*IV Reg.* XIX, 27). Item per Jeremiam: *Audivimus superbiam Moab: superbus est valde; sublimitatem ejus, et arrogantiam, et superbiam, et altitudinem cordis illius ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus, et quod non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat conata sit facere* (*Jer.* XLVIII, 29, 30). Et Apostolus: *Nos Deus elegit ultimos apostolos, velut morti destinatos* (*I Cor.* IV, 9).

DEF. XXIX, CAP. 11, SECT. 2; ET CAP. 12, SECT. 2.

Θ Dicis: *Augustinum aliquoties in reprobis prædestinationem a contrario posuisse.*

† Respondemus: S. Fulgentii veracissimæ expositioni nos assentiri, non tuæ falsissimæ depravationi.

DEF. XXX, CAP. 12, SECT. 5; ET CAP. 15, SECT. 4.

Θ Dicis: *Omnem præscientiam Dei prædestinationem esse, et omnem prædestinationem præscientiam.*

† Respondemus: Falsum esse, quoniam præscit Deus peccata quæ non prædestinat.

DEF. XXXI, CAP. 12, T. ET SECT. 4.

Θ Dicis: *Omnem prædestinationem Dei omnino esse præparationem gratiæ.*

† Respondemus: Et hoc falsum esse, quia prædestinavit Deus peccatoribus pœnas, quæ non ad gratiam, sed ad justitiam illius pertinent.

DEF. XXXII, CAP. 12, SECT. 5 et 6.

Θ Dicis: *Electos pro non electis, filios Dei pro non filiis.*

† Respondemus: Nunquam id Patres ita sensisse.

DEF. XXXIII, CAP. 13, SECT. 1 ET 2; ET CAP. 15, SECT. 2.

Θ Dicis: *Electum Judam pro non electo, et amicum, qui nunquam non fuerit inimicus, a contrario accipi.*

† Respondemus: Electum Judam ad apostolatus officium, et ad opus cui congruebat, quamvis non ad regnum æternum: similiter amicum quando primum electus est, licet post avaritiæ pondere factus sit inimicus, teque contradicere Deo dicenti per Psalmistam: *Et si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulavimus cum consensu* (*Ps.* LIV, 13-15). Et item: *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* (*Ps.* XL, 10).

DEF. XXXIV, CAP. 13, SECT. 4.

Θ Dicis: *Peccatores relictos æterno igni plectendos.*

† Respondemus: Non relictos solum, sed etiam prædestinatos, judicatos ac traditos æterno igni plectendos.

DEF. XXXV, CAP. 14, SECT. 1.

Θ Dicis: *Ex verbis Augustini probari prædestinatos non nisi de justis dici.*

† Respondemus: Nunquam ita sensisse Augustinum, nunquam dixisse.

DEF. XXXVI, CAP. 14, SECT. 4.

Θ Dicis: *Contra teipsum pœnam prædestinatam peccatoribus, ipsos vero præscitos tantum, non prædestinatos.*

† Respondemus: Licet tibi contraria proferas, verumtamen dixisse pœnam prædestinatam peccatoribus, ipsosque non tantum præscitos, verum etiam prædestinatos.

DEF. XXXVII, CAP. 15, SECT. 8.

Θ Dicis: *Pœnas mala esse, ideoque non a Deo, a quo non sit malum.*

† Respondemus: Deum dixisse per prophetam: *Ego Dominus formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem, et creans mala. Ego Dominus faciens omnia hæc* (*Isa.* XLV, 7).

DEF. XXXVIII, CAP. 15, SECT. 8.

Θ Dicis: *Deum non punire quæ fecit.*

† Respondemus: Nihil aliud Deum punire, id est pœnis addicere, quam quod fecit: sed merito peccati, quod ipse non fecit: non enim in beato Job peccatum aliquod puniebatur, sed tantum caro, quam Deus fecit, et quod omnibus majus est. In Domino nostro Jesu Christo nihil aliud punitum est, nisi quod ipse fecerat, id est caro ipsius.

DEF. XXXIX, CAP. 15, SECT. 8.

Θ Dicis: *Deum ab eis quæ fecit naturalia munera non tollere.*

† Respondemus: Deum cæcos facere, surdos, mutos, et claudos, et steriles, et cætera similia.

DEF. XL, CAP. 16 T.

Θ Dicis: *Nulla natura naturam puniri.*

† Respondemus: Nullam naturam nisi ab alia natura puniri, videlicet creatam naturam a creatrice natura, ut ipse qui factor est naturarum creatarum, ipse sit judex, ipse punitor, vel creatas naturas a creatis naturis.

DEF. XLI, CAP. 16 T.

A

θ Dicis: *Nihil aliud esse pœnas peccatorum, nisi peccata eorum.*

† Respondemus: Multa esse genera suppliciorum, vel præsentium, vel futurorum, justissimi Judicis præter peccata: nam ut de his interim taceam, quid, quæso, punitum est iniquitatis in cæco nato? Quem cum propter peccata ita punitum apostoli putarent, Dominum sciscitati sunt: *Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* (*Joan.* IX, 2). Quibus ipse ait: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo* (*Ibid.*, 3). Similiter de Lazaro infirmato: *Infirmitas hæc non ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam* (*Joan.* XI, 4). Cum tamen legamus per plures B infirmitates corporibus scelerum pœnas merito irrogari, dicente Domino ad paralyticum sanatum: *Vade, et amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan.* V, 14).

DEF. XLII, CAP. 16, SECT. 1.

θ Dicis: *In igne æterno nihil aliud esse pœnam quam beatæ felicitatis absentiam.*

† Respondemus: Et hanc esse pœnam, et ignis ardorem nimium, et vermium consumptionem.

DEF. XLIII, CAP. 16, SECT. 4.

θ Dicis: *In illo igne nullum esse qui non habeat insitam sibi naturaliter absentis beatitudinis notionem, ejusque desiderium.*

† Respondemus: Prophetæ nos potius credere C dicenti: *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis* (*Psal.* LXXXVII, 13.)

DEF. XLIV, CAP. 16, SECT. 1.

θ Dicis: *Habituros miseros felicitatis et veritatis notionem atque scientiam, ac per hoc non esse miseros nec puniri.*

† Respondemus: Dixisse Prophetam: *Introibit usque in progenies patrum suorum, usque in æternum non videbit lumen* (*Ps.* XLVIII, 20): ac per hoc et miseros, quia ad beatitudinem nunquam assurgant, et punitos, quibus pœna nunquam desit.

DEF. XLV, CAP. 16, SECT. 2 ET 7.

θ Dicis: *In diabolo, et impiis hominibus non puniri, nisi perversitatem propriæ voluntatis.* D

† Respondemus: Puniri in eis naturam depravatam et vitiatam propria voluntate.

DEF. XLVI, CAP. 16, SECT. 2.

θ Dicis: *Non peccasse naturam, sed voluntatem.*

† Respondemus: Naturam peccasse quidem, sed non fuisse vitium naturæ, sicut a Deo bono condita est: sed sicut per propriam voluntatem corrupta est, ipsum tamen peccatum non solummodo voluntati quæ natura non est, sed ejus naturæ deputandum, cujus voluntas est; ideoque naturam peccatricem jure punitam. Natura quippe, id est anima, suasionem serpentis admisit, et eadem per naturam, id est per corpus suum, ligni inhibiti pomum comedit.

DEF. XLVII, CAP. 16, SECT. 3.

θ Dicis: *In primo homine non peccasse naturæ generalitatem, sed uniuscujusque individuam voluntatem.*

† Respondemus: Peccasse in eo naturæ generalitatem, quam massam damnationis Scripturæ vocitant, ideoque totam a justo Judice damnatam, non solam voluntatem, nec reparari posse penitus, nisi per Mediatoris humilitatem.

DEF. XLVIII, CAP. 16, SECT. 3.

θ Dicis: *Si ea natura delinqueret, cum una sit, tota profecto periret.*

† Respondemus: Totam naturam deliquisse, proindeque totam quodammodo perisse. Ac per hoc liberatore eam indigere. Non enim in parvulis voluntas peccati, quæ nulla est, sed natura damnatæ originis punitur.

DEF. XLIX, CAP. 16, SECT. 3.

θ Dicis: *Proinde in nullo naturam puniri, quia ex Deo sit, et non peccet: sed libidinem perversæ voluntatis cruciari, dum ea quæ male aut indigne appetit habere non sinatur.*

† Respondemus: Esse quidem et hanc pœnam in hac interim vita, et ante diem judicii; post autem non aliam, quam et memoriam peccatorum, et ignem gehennæ inexstinguibilem. Apostolus autem e contra clamat: *Fuimus natura filii iræ* (*Eph.* II, 3). Et item: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem* (*Rom.* VI, 19). Et item: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Membra corporis utique natura sunt, quæ cum sint facta a Deo, non a Deo habent quod peccant, sed a se per propriam voluntatem: ideoque jure puniuntur.

DEF. L, CAP. 16, SECT. 4.

θ Dicis: *Ex nullo bono malum esse.*

† Respondemus: Nullum malum, nisi ex bono esse.

DEF. LI, CAP. 16, SECT. 7.

θ Dicis: *Eum qui hic libero voluntatis arbitrio, quod est naturalis intelligentiæ munus, id est mentis acies, in usus turpitudinis mutet, illic ne omnino veritatis honestate fruatur, justissime perdere et tenebras æternæ ignorantiæ non evitare.*

† Respondemus: Verum esse quidem, sed contra teipsum qui paulo ante miseris illic beatitudinis, felicitatis et veritatis notionem, scientiam ac desiderium dederas: nec tamen hac veritate excludi pœnas ignis æterni.

DEF. LII, CAP. 17, SECT. 3.

θ Dicis: *Deum ubicunque fuerit præsentia, ibi esse et habitatione.*

† Respondemus: Scripturarum dicere: *Quoniam*

in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* I, 4).

DEF. LIII, CAP. 17, SECT. 4.

Θ Dicis : *Præsentiam et habitationem Dei in his quæ nec ab eo sunt, nec ea fecit, e contrario dici, cum in eis non sint.*

† Respondemus : In divinis eloquiis nusquam Dei habitationem in his quæ non sunt positam ; præscientiam vero ejus etiam malitiæ et peccatis nostris non abesse.

DEF. LIV, CAP. 17, SECT. 5.

Θ Dicis : *Similitudinem domus cujusdam patrisfamilias intra hanc domum cœli et terræ, malos in aere, bonos in æthere constitui.*

† Respondemus : Malos sub terris in inferno igni perpetuo mancipari, bonos supra omne hoc visibile cœlum, quod firmamentum sanctæ Scripturæ nuncupant, sempiterna beatitudine glorificari.

DEF. LV, CAP. 17, SECT. 7.

Θ Dicis : *Ignem æternum ad urendum diabolum et angelos ejus, non homines factum.*

† Respondemus : Dixisse Deum : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te : melius est tibi luscum introire in vitam æternam, quam duos oculos habentem mitti in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur* (*Marc.* IX, 46, 47). Similiter de manu et pede.

DEF. LVI, CAP. 17, SECT. 7.

Θ Dicis : *Diabolo, postquam æthere detrusus sit, ubi in æthereo corpore non poterat pœnas sentire, additum corpus aereum, in quo ignem sentiret.*

† Respondemus : Id auctoritate Scripturæ propheticæ atque apostolicæ minime posse probari.

DEF. LVII, CAP. 17, SECT. 8.

Θ Dicis : *Non esse illum ignem pœnam, neque ad eam præparatum vel prædestinatum.*

† Respondemus : Dixisse Dominum, cum parabolam piscium bonorum atque malorum pronuntiasset : *exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XIII, 49, 50). Quod te adversus teipsum patenter dixisse monstratur, qui prius eumdem ignem ad urendum diabolum et angelos ejus factum dixeras, quo enim pacto quis uri, nisi pœnaliter queat, non video.

DEF. LVIII, CAP. 17, SECT. 8.

Θ Dicis : *Eumdem ignem sedem factum esse impiorum, in quo non minus habitent beati quam miseri.*

† Respondemus : Non sedem suavitatis et dignitatis, ut desipis, impiorum sed æternum esse tormentum, nec in eo habitaturos beatos dicente Domino : *Ibunt hi in supplicium æternum justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 46). Nusquam autem sacrarum litterarum ille ignis vita æterna nuncupatur.

DEF. LIX, CAP. 17, SECT. 9.

Θ Dicis : *Miseriam nullam esse, nisi mortem æternam ; mortem æternam, nisi veritatis ignorantiam ; nullamque miseriam esse, nisi veritatis ignorantiam et ubi ignoretur veritas, ibi nullam vitam.*

† Respondemus : Peccatorem in hac vita salutariter pœnitentem dicere : *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem* (*Ps.* XXXVII, 7), et Apostolum : *Miser ego homo* (*Rom.* VII, 24) ; et alterum : *Miseri estote et lugete* (*Jac.* IV, 9), quos utique æternæ morti gratia Dei exemptos, nullaque veritatis ignorantia tenebratos libere confitemur. Verum repugnare tibi sensa et dicta tua quisquis non advertit, intellectu caret. Nam supra dixeras inesse illis beatitudinis, felicitatis et veritatis notionem, scientiam et desiderium. Item ubi ignoretur veritas, ibi nullam vitam. Si impii in illo igne sedem tantum habituri, non et pœnam passuri sunt, quomodo nullam vitam habebunt ? sed Veritas clamat habituros illic impios vitam, sed pœnalem.

DEF. LX, CAP. 18, T. ET SECT. 1.

Θ Dicis : *Errorem prædestinationi ex liberalium disciplinarum ignorantia, Græcarum litterarum inscitia ortam esse.*

† Respondemus : Non esse errorem, sed veritatem prædestinationis geminæ a Patribus approbatam tantopere ac prædicatam eosque perfectam earumdem scientiam habuisse nullatenus dubitamus, teque potius tantillula earum scientiola ultra vires tuas tumuisse atque in tantas blasphemias impie prorupisse.

DEF. LXI CAP. 18, SECT. 1.

Θ Dicis : *Eas Dei sapientiam suas comites investigatricesque fieri voluisse.*

† Respondemus : Nullo comite Dei sapientiam indiguisse, nec per eas se investigari. Sed per Spiritum suum de quo ipse promittit : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13) ; quod absque contradictione in prophetis pastoribus, in apostolis piscatoribus litterarum insciis comprobatur, dicente Apostolo : *Nam cum non cognovisset mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (*I Cor.* I, 21) Et evangelista : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Et item Apostolo : *Evangelium quod prædicatum est a me, non est secundum hominem ; neque enim ab homine accepi illud, neque didici sed per revelationem Jesu Christi* (*Gal.* I, 11, 12).

DEF. LXII, CAP. 18, SECT. 3.

Θ Dicis : *Prædestinatioenm, et prædefinitionem nihil aliud esse quam prævisionem.*

† Respondemus : Falsum esse multa quippe prævidentur quæ nec prædestinantur nec prædefiniuntur.

DEF. LXIII, CAP, 18, SECT. 4.

Θ Dicis : *Deum nec prævidisse nec prædestinasse mortem et pœnas, quia nihil sunt.*

† Respondemus : Deum et prævidisse et prædestinasse mortem et pœnas, qui peccaturum hominem

prævidens, ei ne peccaret interdixit, et si peccaret A moriturum illum prædixit.

DEF. LXIV, CAP. 18, SECT. 7.

Θ Dicis : *Dei sapientiam prædestinasse in suis legibus modos ultra quos impiorum malitia progredi non possit, nec sini alicujus malitiam in infinitum, prout velit, extendi, divinis legibus progrediendi modum imponentibus.*

† Respondemus : Verum esse, dicente beato Job : *Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt* (*Job* XIV, 5). Quæ sententia tua nobiscum potius quam tecum agit, vis enim hanc esse pœnam peccatoribus, quando non tantum peccare sinuntur quantum volunt. Si ergo hæc illis pœna est, a quo, quæso, est, nisi ab illo a quo prædestinati sunt B modi, ultra quos impiorum malitia progredi non possit. Si, inquam, divinis legibus progrediendi modum imponentibus, non sinitur alicujus malitia in infinitum, prout velit extendi, et hæc pœna est, a quo, rogo, nisi ab illo cujus legibus coercetur ? Fatere igitur hanc cohibitionem pœnalem illis a Deo impositam, ac per hoc absque contradictione ab ipso esse pœnam.

DEF. LXV, CAP. 18, SECT. 7.

Θ Dicis : *Nihil appetere impiorum omnium, et diaboli nequitiam, nisi ab eo qui est summa essentia, recedere, in tantum ut eorum natura, si lex divina sineret, in nihilum rediret.*

† Respondemus : Mirari nos disputatorem argutissimum, ut qui prius dixeras insitum cuique na- C turaliter beatitudinis appetitum, eamque omnes appetere, nunc e contrario asseras nihil eos appetere nisi ab eo qui est summa essentia recedere cum summa essentia ipsa sit indubitanter beatitudo sempiterna. Item qui ante dixeras nullam naturam perire, nunc asseris naturam, si lex divina sineret, in nihilum redire,

DEF. LXVI, CAP, 18, SECT. 8.

Θ Dicis : *Invitos Deo servire impios, non naturam, quam in eis fecit, et in eis non punit ; sed malam voluntatem, quam in eis non fecit, et in eis punit ; in eo quod ei inviti serviunt, puniri in seipsis sua pœna.*

† Respondemus : Utrumque, et naturam scilicet D et voluntatem impiorum Deo invite servire justeque puniri, non a seipsis sua pœna, sed ab illo, cujus est potestas justa. Verum te his dictis plurimum impugnans, qui supra nullum vel ad bonum vel ad malum compelli astruxeras.

DEF. LXVII, CAP. 18, SECT. 8.

Θ Dicis : *De qua pœna quos juste non liberet, ad eam illos quodammodo præparet dum eos ad eam se ipsos præparare permittat.*

† Respondemus : Id Patres nunquam tali locutione dictum sensisse, quin imo et præparare seipsos ad pœnam inique vivendo, et in iniquitate perseverando ; et Deum vel præparare, vel prædestinare, illos justissime judicando.

DEF. LXVIII, CAP. 19, SECT. 1.

Θ Dicis : *Ignem æternum istum ipsum quartum mundi elementum.*

† Respondemus : Alium potius multo videri, quoniam et qualitatis diversæ sint.

DEF. LXIX, CAP. 19, SECT. 1.

Θ Dicis : *In eo corpora sanctorum in ætheream mutari qualitatem, impiorum vero in aeream qualitatem transitura.*

† Respondemus : Sanctorum corpora nequaquam vel in illo igne, absque ipso in æthercam mutari qualitatem, sed in veritate propriæ carnis atque membrorum quamlibet glorificatæ mansura, atque in æternum victura ; impiorum vero corpora nullam omnino immutationem habitura præter immortalitatem, qua jam corrumpi per mortem atque deficere nunquam possint.

DEF. LXX, CAP. 19, SECT. 3.

Θ Dicis : *In eodem igne naturarum intra se mirabile perfici gaudium, malarum vero voluntatem ineffabile tormentum.*

† Respondemus Nullum illic gaudium naturarum ubi, testante Domino, *fletus erit et stridor dentium*, teque ipsum validissime impugnare, qui ante dixeras miseriam nullam esse, nisi mortem æternam, æternam mortem veritatis ignorantiam : et ubi ignoretur veritas, ibi nullam vitam. Quod, quæso, gaudium illis irrogas quibus æternam mortem, miseriam, veritatis ignorantiam, nullamque vitam messe docueras?

DEF. LXXI, CAP. 19, SECT. 3.

Θ Dicis : *Impiorum angelorum et hominum corpora pulchritudinem et naturalem incolumitatem habitura et refulsura.*

† Respondemus : Dicere Scripturam : *Ubi nullus ordo et sempiternus horror inhabitat* (*Job* 10, 22).

DEF. LXXII, CAP. 19, SECT. 3.

Θ Dicis : *Excepta beatitudine qua privabuntur, nullam habere pœnam.*

† Respondemus : Eos et animarum et corporum æternos perpeti cruciatus.

DEF. LXXIII, CAP. 19, SECT. 3.

Θ Dicis : *Infelicium animarum intentionem de corporibus suis æternas pati ærumnas.*

† Respondemus : Nullatenus nos videre quamobrem infelices homines, quibus ante gaudium contulisti ; vel quas ærumnas de corporibus suis patiantur, quibus integritatem, pulchritudinem, incolumitatem fulgoremque dedisti.

DEF. LXXIV, CAP. 19, SECT. 3.

Θ Dicis : *Ipsum ignem omnibus corporibus fieri gloriam.*

† Respondemus : Nullam prorsus fieri gloriam... verum interminabile tormentum.

DEF. LXXV, EPIL. SECT. 2.

Θ Dicis : *Prædestinasse Deum impios ad interitum*

aut interitum impiis, id est, ante sæcula definisse certum numerum eorum qui in sua impietate interituri essent. A

✝ Respondemus : Id nos amplecti atque fateri, explosa tamen tergiversatione tua, qua aliud quam sonet intelligis.

DEF. LXXVI, EPIL. SECT. 2.

Θ Dicis : *Non in eis Deum quod fecerat punitu-rum, sed in eis quod non fecerat puniri relicturum.*

(Quæ supersunt, responsio scilicet ad hanc definitionem, cum ultima definitione, desunt in manuscripto bibliothecæ Jac. Aug. Thuani, sed responsionem vide ad Epilogum, n. 6. — Definitio ultima in Hincmaro habetur de Prædest., c. 31, pag. 232, unde hic reposita.)

DEF. LXXVII ET ULT., EPIL. SECT. 3.

Θ Dicis : *Anathematizare te eos qui geminam prædestinationem dicunt, aut prædestinationes pluraliter efferunt.*

✝ Respondemus : Tibi potius convenire, qui veritatem judiciorum Dei tantisper impugnas, fidem dictorum veracium negas, sensa Patrum per omnia reverendorum fidelissima depravas, et ea insuper novus falsitatum inventor enuntias, quæ nullus ante hac dixisse vel scripsisse ullatenus reperitur.

SANCTI PRUDENTII

TRECENSIS EPISCOPI

EPISTOLA TRACTORIA[a]

AD VENILONEM,

Quam per vicarium misit ad ordinationem Æneæ Parisiensis, cum ipse adesse non posset.

Patri venerabili et cæteris Patribus fratribusque B sincerissime diligendis atque coepiscopis reverendis, PRUDENTIUS æternam in Domino salutem.

Quantum ad meritum peccatorum meorum spectat justissimo Dei judicio, quatenus vero ad indebitas atque indeficientes ejus misericordias pertinere dignoscitur, misericordissimo ipsius munere infirmitatibus pene omnibus notis depressus, sancto desiderabilique vestro conventui adesse prohibeor. Quod autem possum præsentibus litteris atque legato nostræ Ecclesiæ presbytero Arnoldo mei consensus præsentiam eatenus exhibeo, ut is qui ordinandus est, apostolicæ sedis omnibus institutis, et beatorum Patrum, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Xisti, Leonis, Gelasii, Cœlestini, Gregorii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Isidori, Primasii, Ful- C gentii, Gregorii, Hieronymi, Cassiodori, Bedæ aliorumque, adæque catholicorum atque orthodoxorum virorum scriptis et dictis, ac specialiter super quatuor capitulis, quibus omnis Ecclesia catholica adversus Pelagium ejusque hæreseos sequaces pugnavit ac vicit, atque ad posterorum memoriam litteris auctoritate et veritate plenissimis mandavit, confitendo subscribere, subscribendo confiteri voluerit, ejus me ordinationi consentaneum esse profiteor. Sin alias, prorsus neque assentior, neque fidelibus Christi assentiendum suadeo. Capitulorum vero quatuor præmissorum seriem, quamvis vestram prudentiam multo vivacius quam meam extremitatem compertam esse non dubitem, necessario tamen breviter annectendam judicavi. Ut faci- D lius quid sentiam, cui veritati consentiam, vestra bonitas recognoscat.

[a] Vide Hincmarum, lib. de Prædestinatione, cap. 21.

De libero arbitrio.

Primo. Videlicet, ut liberum arbitrium in Adam merito inobedientiæ amissum, ita nobis per Dominum nostrum Jesum Christum redditum atque liberatum confiteatur : interim in spe, postmodum autem in re, sicut dicit Apostolus : *Spe enim salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24). Ut tamen semper ad omne opus bonum Dei omnipotentis gratia indigeamus, sive cogitandum, sive inchoandum, operandum ac perseveranter consummandum, et sine ipsa nihil boni nos posse ullatenus, aut cogitare, aut velle, aut operari sciamus.

De gemina prædestinatione.

Secundo. Ut Dei omnipotentis altissimo secretoque consilio credat atque fateatur, quosdam Dei gratuita misericordia ante omnia sæcula prædestinatos ad vitam, quosdam imperscrutabili justitia prædestinatos ad pœnam, ut id videlicet, sive in salvandis, sive in damnandis, prædestinaverit quod se præscierat esse judicando facturum, dicente propheta : *Qui fecit quæ futura sunt* (*Isa.* XLV, 11, *sec. LXX*).

De morte Christi.

Tertio. Ut credat ac confiteatur cum omnibus catholicis, sanguinem Domini nostri Jesu Christi pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fusum : non autem pro illis qui nunquam in eum crediderunt, nec hodieque credunt, nunquamque credituri sunt, dicente ipso Domino: *Venit enim Filius hominis non ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis* (*Matth.* XX, 28).

De voluntate Dei.

Quarto. Ut credat atque confiteatur Deum omnipotentem quoscunque vult salvare, et neminem posse salvari ullatenus, nisi quem ipse salvaverit: omnes autem salvari quoscunque ipse salvare voluerit. Ac per hoc quicunque non salvantur, penitus non esse voluntatem illius ut salventur, dicente propheta : *Omnia quæcunque voluit Deus, fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV, 6).

Et licet quædam sint alia quibus in Pelagio damnatis universaliter Ecclesia consenserit, satagerit A atque subscripserit, hæc tamen specialiter adversus eum ejusque complices per apostolicam sedem, instantia beatissimi Aurelii, Carthaginensis episcopi, atque Augustini, cum aliis ducentis quatuordecim episcopis ab ejus pravissimis sensibus eruta, vindicata, et multis tam epistolis quam libris toto orbe vulgata, omnis hodieque gaudet, confitetur, prædicat, et tenet atque tenebit Ecclesia. His per omnia consentaneam, prædicabilem paternitatem, fraternitatemque vestram gratia superna invictam atque prævalidam, et suo munere gaudentem perpetuo conservare dignetur.

EJUSDEM EPISTOLA AD QUEMDAM EPISCOPUM.

(Mabill., Vet. Analect.)

Domino mihi in dominorum Domino desiderabiliter venerando *ill.* merito sacerdotali paternoque culmine insignito, PRUDENTIUS famulorum Christi humillimus, sempiternam in omnium Salvatore salutem.

Quantum, mi fratrum charissime, litteræ tuæ perdesiderabilis mihi germanitatis textus meam diu insatiabiliterque collectam sitim æstumque dulcedo recreaverit, quantumque jucundissimæ oblectationis invexerit, fideliter fateor dici nequit: quippe cum tot tantisque perturbationum fluctibus pene irrevocabiliter obrutus, ne sibilo quidem ut dicitur, tui quidquam haurire valuerim, utrum te super ad Dominum jam redisse contingeret, cum repente vix tandem a palatinis excubiis, quibus diu inservire coactus fueram, absolutus, latorem C quam desiderabilium mihi apicum... vestræ Trecas, cui me divina gratia, non autem ulla meritorum meorum plenitudo præesse dignata est, offendi. Et audito, quod extinctum metuebam, alterius mei nomine, explosis, gaudio superante, soporibus, desperatione potius quam oblivione contractis, respiravi ; et supernæ bonitati, quæ inter adversa et prospera suos servare consuevit gratulatus, litterarum insatiabili atque multodies iterata recursione inhærens illic meum *ill.* germanum B unanimem, imo me alterum quæritans, tandem reperisse me plurimum gaudeo : quoniam qui ipso mihi auditu extinctus videbatur, subito vivens apparuit : et quem abisse autumabam superesse non ambigo. Agens itaque auctori bonorum omnium gratias, indefesse hoc uno inexplebiliter bono afficior, quo te non tam vivere quam bene vivere audio, audiens gratulor, gratulans desidero, desiderans postulo ; et ut ipse convivere merear tuis [piis] precibus opto ac meritis, quibus me ab omnibus propositum votumque Christianæ militiæ infatigabiliter oppugnantibus innutabiliter relevari confido. Age nunc, fratrum dulcissime, et duce omnium ordinantis, omnia serenantis gratia, me meæque discretioni commissos sanctissimæ instantissimæque intercessionis ope fulcire non desinas : quos plurimum vivere si xenia propriæ adinventionis vel ligatæ, vel solutæ crebro visitans, mittenda imperans, desiderantibus miseris. Bene te semperque in Domino valentem, nosque importunarum clavo supplicationum ad portum optati littoris revehentem virtus omnipotentis brachii conservare dignetur.

Quot voces oculis, lingua, audituque manuque.
Hausisti, totidem lætificere bonis.

SANCTI PRUDENTII

TRECENSIS EPISCOPI

SERMO DE VITA ET MORTE GLORIOSÆ VIRGINIS MAURÆ

(Apud Camuz., Promptuarium antiq. Tricass. diœc.)

Instatis, charissimi filii, opportune, importune, D ut loco sermonis quem diebus solemnibus vobis facere consuevi, de vita gloriosa, et morte pretiosa sororis nostræ Mauræ, non solum dicam quidquam, sed et scriptum relinquam posteris profuturum. Ad hoc enim frater ejus Eutropius, præpositus vester, qui fuit spiritali affectione germanior, quam carnali, me ex parte vestra, et vir religiosissimus Leo

abbas, vicinus noster, qui eam catechizavit et regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, ex parte sanctorum monachorum sollicitavit frequenter. Gaudeo in Domino de uberrimis vestræ devotionis manipulis, quibus non sufficit quod virtutes Dei in illa propriis oculis aspexistis, nisi etiam pluries recitatas propriis auribus hauriatis. Ad ipsarum enim auditionem iteratam, in odorem unguentorum suorum ferventius curritis, et exemplo domestico provocati, rursus laborem amplectentes, bravii fructum et honorem exspectatis, quem jam prudens virgo adepta est, quæ, accepto oleo et aptata lampade, cum sponso ad perennes nuptias est ingressa, de quibus modo nostro cantemus interim dum viatores, ut ad eos recumbere valeamus comprehensores, recepti ubi justi epulantur et exsultant in conspectu Dei.

Sedula in Christi et Ecclesiæ servitio Sedulia vidua, beatæ mater puellæ, et præfatus Eutropius frater ejus asserunt nondum eam ætatis suæ annum vigesimum tertium peregisse, cum, calcatis carnalibus nuptiis, ad prædictas cœlestes nuptias est admissa. Porro Marianus pater ejus, qui in ecclesia Apostolorum sepultus est, paulo ante ipsam migravit a sæculo, quem ipsa filia, ab ipso carnaliter mundo genita, multo semine lacrymarum Deo studuit specialiter generare. Qui cum esset dives, potens et nobilis, jam ingressus erat latas sæculi vias, sed per Dei gratiam ad arctam viam quæ ducit ad vitam, duce filia, reversus est. Revera tractabilis homo erat, et consiliis acquiescens, et qui nihil qualecunque patri suo de salutari conversione Eutropii filii sui credidit, de salute propria virgini Mauræ filiæ credere non negavit. Adduxit ad me femina virum, juvencula semen, filia patrem, ovicula leonem : et ad pedes meos procumbere faciens, admiranda cautela docuit et de commissis medullitus conteri, et plenarie confiteri. Qui etiam de consilio meo et filiæ suæ quam optimam habui adjutricem, temporalibus abdicatis, et ecclesiam Apostolorum [a] hæredem constituit, et in ipsa tandem corpus proprium ex multa cordis devotione sepeliri mandavit. Gratias tibi ago, Domine Deus, qui talem nobis in tuo ministerio cooperatricem tibi complacuit concessisse ; quæ sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, prius proxima quæque, ut patet in patre et familia patris, et remota postea inflammavit, igne quem venisti mittere in terram, et ut ardeat voluisti.

Nihil secum frater Eutropius, in conversione sua de rebus paternis attulit, ea unicæ sorori suæ, ea intentione habendas relinquens, ut ipsis mediantibus nobiliores subiret thalamos, et solemnius posset matrimonium celebrare. Mira res ! Eutropius, ut salva pace sua loquar, valedicens sæculo, de sæcularibus cogitabat ; Maura vero, remanens in sæculo, secum de cœlo tractabat, unde fructum nunc reportat in respectione animarum sanctarum, non mortalem ex nuptiis, sed vitalem ex lacrymis, ejus saporem gustans in cœlis, cujus odorem olfecit in terris. Non doleas, Eutropi fili mi, nec te in opibus derelictis, tuæ intentionis fructu frustratum causeris, revera ipsis mediantibus, Maura soror tua nobiliores thalamos subiit, et solemnius connubium sortita est, de mammona iniquitatis, magnos amicos et sponsum potentem et divitem in omnes qui invocant eum et speciosum forma præ filiis hominum acquisivit. Magnus amicus princeps apostolorum et claviger regni cœlorum, magnus sanctus Paulus electionis vas, quorum obsequiis in Tricassina ecclesia et se et sua pro parte non modica dedicavit. Quis oleum ad lampades ministrabat ? Maura. Quis palas conferebat ? Maura. Quis vestimenta sacerdotalia de proprio comparabat ? Maura. Pretiosius habeo super aurum et topazium, collatum mihi lineum indumentum, quod propriis manibus nevit, composuit, dealbavit, et ut eo induerer inter sacra missarum solemnia humiliter postulavit. O virgo liberalis et benigna, hæc fecisti, et tacui ! Tacui, nunquid semper tacebo ? tempus tacendi et tempus loquendi, cum jam cum Sponso gloriaris in cœlo. Fateor, virgo prudentissima, jam continere non possum os meum. In una re duo pretiosissima munera contulisti, qua donante non posset quidquam mihi esse, nisi pretiosum et maximum, qua tribuente omne datum est gratum, omne receptum acceptum, omne rarum est charum. Quid mihi ? Plus animum pensabam quam manum, plus affectum quam factum, plus hilaritatem quam tristitiam. Gratias ago, virgo gratiosa, gratuitati tuæ quæ tam præclarum habitum indigno contulisti. Sed nundquid solum ? Non utique : donum geminasti, et abundans abunde donasti. Ornatum dupliceum præbuisti, unum corporalem, et alterum spiritalem, unum exteriorem et alterum interiorem, unum patentem, alterum latentem, quem ad aperiendam divinam et tuam clementiam, et miseri cordis mei duritiam, non jam latare volo, sed patere. Ficus eram arida, etiam merito non nisi incendium exspectabam ; arueram tanquam fenum merito mittendum in clibanum ; anima mea sicut terra sine aqua, et ideo sterilis et infructuosa. Quid exspecto ? Quid miseriam meam manifestius non ostendo ? Dominici corporis sacramentum cum raro devotionis butyro tractabam, quando vestem contulit memoratam, sine lactucis agrestibus agnum edebam, sine pane lacrymarum ad panem accedebam angelorum. Quid plura ? Ipsa fortis mulier quæsivit, non dico lanam, sed linum, et operata est consilio manuum suarum, complevitque diebus paucis opus suum quod fecerat, in quo facientis industria relucebat, et tandem Prudentio dedit episcopo quem amabat. Non abscondam amplius, Domine, misericordiam tuam a consilio multo, narrabo altissima quæ fecisti magnalia per famulam tuam Mauram ! nam receptum indumentum, statim illius antiquæ virgæ virtutem habuit, et aquam copiosam de me

[a] Ecclesia Apostolorum est ecclesia episcopalis Trecensis, quæ sanctis Petro et Paulo dicata est.

duriore quam petra produxit, quantæque postea A efficaciæ fuerit, quoties eo plures nostrum inter sacra missarum solemnia sunt induti, quod tam notum est et expertum, commemorare et displicet pro titillatione inanis gloriæ more fragilitatis humanæ, et placet pro Deo et Dei laude. Displicet, quia timeo de amissione tanti thesauri, quem vident palam tot et tanti hostes invisibiles reportari. Placet, quia per hoc intelligo Dei magnalia prædicari. Felix es, Sedulia, quæ talem non tam mundo quam Deo sobolem genuisti, et quæ in terra nata est cum angustia tua, nunc in cœlis nascitur cum lætitia tua et nostra; imo magis sua quam tua vel nostra, quippe nostra semiplena est, nam flemus pariter et gaudemus. Gaudemus quidem quod talem habuimus, et ipsius æternis gaudiis congaudemus; B flemus vero quod talem amisimus, quam totius honestatis, devotionis et pudicitiæ exemplar et speculum habebamus; sua vero jam lætitia plena est et perfecta, quia, torrente cœlestis voluptatis potata, gaudet de iis quæ evasit periculis atque pœnis; gaudet de iis quæ invenit præmiis, mansionibus et concivibus suis. Jam ergo, bona Sedulia, fletus absterge, sicca lacrymas quæ de cælo vocem lapsam publice nobiscum in ejus transitu audivisti: Veni, inquit, dilecta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivit rex speciem tuam, dum etiam invocaret Dominum. Deus deorum locutus est et vocavit Mauram, vocans eam manifesta voce sonoque audibili, qui prius eam vocaverat inspiratione mentali. Stabam ego ex una parte C grabati, et Leo abbas ex altera, qui tunc, submissa voce, more suo, psalmos Davidicos ad caput beatæ virginis ruminabat. Stabant etiam nobiscum Mauricius, Eutropius Levita, consanguineus virginis, et multa turba fidelium circumfusa. Tacebamus omnes, te exspectante Sedulia, quæ quandoque singultus et gemitus emittebas, cum repente præfatum organum insonuit inæstimabili et ineffabili suavitate, omnium aures et corda supra omnem modum humanum demulcens. Nec defuit curiositas importuna, si quis forsitan esset intus vel extra, qui tam dulcifluam harmoniam effundere potuisset, verum veraciter deprehensum est et odore et canore, quod tunc etiam descendit in jubilatione, qui ascendit Dominus in jubilatione, D nec dedignatus est tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo, post visa longa sponsalia, sponsæ venienti occurrere, et in ejus occursu cantica lætitiæ dignanter decantare, qui ea jam disponebat traducere, et sibi connubio stabili jungere propriamque dicare. Noli, jam socrus Dei ergo effecta Sedulia, amplius lamentari, quæ ipsum audivisti Dominum, in traductione filiæ gratulari.

Sed cur jam sermonem facio de egressu, qui pauca vel nulla adhuc de ingressu locutus sum, aut progressu. Quare jam finem teneo nondum capite apprehenso? Revera pretiosum finem occulta [*f.*, oculata] fide prospexi, sed te teste, Sedulia, teque constanter asserente, Eutropi, gloriosa ætatis suæ primordia intellexi. Portare quippe cœpit jugum Domini ab adolescentia, et mane manna recolligens, revera summo mane in Dominicam vineam missa est operatrix. O bone Jesu, verum prorsus est, quod adolescentulæ dilexerunt te nimis, et in adolescentula Maura videmus completum quod fuerat satis ante prædictum. Ab ineunte ætate quotidie a matutinis laudibus usque ad horam sextam moram faciebat in ecclesia Apostolorum ubi, sicut nostis, tribus modis imago Domini depingitur Salvatoris: nam repræsentatur tanquam puer sedens in gremio matris, et tanquam magnus Dominus sedens in solio majestatis, et tanquam juvenis pendens in patibulo crucis. Porro hanc beata Maura consuetudinem a tenera observavit ætate, ut quotidie totum prædictum non cessaret expendere, primo se toto corpore prosternens coram infante, secundo coram juvene, tertio coram rege, nec unquam ulla necessitate potuit abstrahi, quin singulis diebus Dominum sub effigie triplici cerneret indefessa oculo corporali. Revera tritum et verum est, ubi amor, ibi oculus, sinceroque et integro adolescentula Dominum diligens affectu, quæ satiari non poterat ex aspectu.

Jam aperire libet, fratres charissimi, quod usque modo clausum, quod hactenus occultavi. Quia et de cætero damnosum tacere et fructuosum arbitror reserare, tempusque est ut exponam spontaneus quod ab ore suo extorseram importunis. Instabat dies vocationis suæ, et velox depositio tabernaculi sui. Unde cupiens ab ipsa tandem instructionem aliquam reperire Testamenti, quæsivi ab ea, et quæstionem pluries iteravi, cur coram supradicta dicti Salvatoris effigie, prosternebat se morose, quotidie, successive. Denique multipliciter obsecrata, non sine multa difficultate respondit: Felix, inquit, Apostolorum ecclesia, in qua frequenter audivi, et puerum in matris gremio vagientem, et juvenem in cruce gementem, et regem in solio terribiliter intonantem, sed mihi virgam auream amicabiliter donantem. Cumque statim ei novam movere inciperem de Salvatoris nostri gemitu et vagitu quæstionem, manum meam manu sua constringens, et per hoc linguam meam compescens, hæc pauca subjunxit: Non naturæ, sed miraculis ascribendum est, si ad recolenda fidei nostræ mirifica sacramenta, et ea in mentibus fidelium roboranda lignum aridum, gemitum edidit aut vagitum. O quam felix filia nostra laboriosa, non fecunditate filiorum, sed sanctorum operum! O mater tam sollicita et circa plurima perturbata! Non solum enim clericorum, sed monachorum necessitatibus subvenire curabat, quod Leo abbas et sancta ipsius congregatio recognoscunt, quibus de proprio cucullas et mapulas acquirebat, gratiam et suffragia beatorum apostolorum Petri et Pauli sollicita quæritabat in ecclesia clericorum, et sanctorum martyrum Gervasii et Protasii patrocinia studiosius implorabat in monasterio monachorum, quod licet apud Mantiniacum circiter quatuor millibus ab hac Tricassina civitate distat, qualibet tamen quarta et sexta feria causa peregrinationis nudis pedibus et absque

lineis, in arcto panis et aquæ jejunio visitabatur ab ipsa. Quantæ autem virtutis et efficaciæ sit mapula quam Leoni Maura tribuit, claris indiciis protestantur et Melanus clericus et sanctissimus monachus et Paulinus clericus, ipsius tactu a febribus liberati. Et quamvis hoc quidam mansueti Leonis meritis attribuant et ascribant, potius tamen arbitror sentiendum quod et ipse Leo sentit nobiscum, ut illud in gloriam sanctæ virginis convertatur, quod Sponsus suus mirabiliter operatur, ne murenulas aureas sibi præsumat alius usurpare, quas in signum dilectionis et ornamentum decoris, dilectus dilectæ voluit præsentare. Nondum, frater Maurici, a memoria mea elapsum est quod te ministrante occultata [*f.*, oculata] fide cognovi. Expleta namque matutina synopsi, innuisti mihi ut Mauram aspicerem arctius amplectentem et dulcius osculantem altare ubi corpus beatæ virginis Mastidiæ requiescit, sed et hora sexta a fratribus decantata, ad pedes ejusdem altaris lacrymarum suarum rivulum ostendisti, quo proprios oculos linivisti, quæ linitio quantum tibi profuit, et gratia lacrymarum quam habes, et oculi macula quam modo non habes certis probant et irrefragabilibus argumentis. Ipse namque mirabilium Agni et sponsæ suæ operum quoad vixeris, clarissimum, vivum et verum testimonium effectus es ; nam laudes Christi et Mauræ, etsi lingua taceat, oculus tamen quocunque perrexeris prædicare non cessat.

Scimus omnes, Maurici Levita charissime, quod parum sonoram vocem habeas, ita ut cum sanctum Evangelium legis, ab ostio ecclesiæ audiri vix possis. Unde ergo sonoritas illa fuit quæ die Parasceves aures Mauræ, sed solius et longe positæ penetravit? Dicta siquidem die, inter Sextam et Nonam, apud sancti Aventini ecclesiam in suburbio civitatis ipsius, sanctæ prædicationis semina ego peccator miserrimus, talis qualis episcopus, pro officii mei debito in cordibus audientium jaciebam, et pro modulo meo divini sermonis hamo piscabar pisciculos, etsi paucos et parvos. Aderat et Maura attente audiens, et sedens inter alios auditores, quæ nulla unquam occasione, ab hujusmodi pia occupatione potuit revocari, sed quia ex Deo erat, verba Dei audiebat, ea in corde suo, quasi in libro conscribens, cumque pro temporis exigentia sermonem facerem de Dominicæ passionis sacramento, repente se erigens, aliis sedentibus, stetit supra pedes suos, et totam se signo vivificæ crucis munivit. Cumque quæsissem ab ea quid ei accidisset, et quare, contra morem, cum aliis sedentibus non sederet, ut erat ipsa verecundo vultu, et columbina simplicitate, respondit: Estne, Pater, sedendum, quando sanctum legitur Evangelium? En Mauricius Levita in ecclesia Apostolorum Dominicam cœpit legere passionem, si placet astantibus, omissis paululum aliis audiendam; statimque si quid audirent a circumstantibus inquisivi, factoque silentio tota multitudo se nihil prorsus audire respondit, unde divinam intelligens in præclara virgine adfuisse, virtutem lacrymis ubertim fluentibus, nequaquam potui quem incœperam complere sermonem. Verum illico propter infideles, magnalia Dei certius probaturi, ad Apostolorum ecclesiam properavimus universi, in cujus introitu facientes modicam stationem, vix tandem audire potuimus adhuc legentis Mauricii vocem tenuem et exilem. Tum finito Evangelio Dominicæ passionis, communiter offerentes Domino gloriam et honorem offerentes Domino gloriam nomini ejus, in templo ejus omnes diximus gloriam, qui in sanctis suis gloriosus est. Porro virgo Dei ad pedes meos tremebunda jacebat ; aliis gaudentibus, ipsa flebat, pectus tundebat, et quæ verbum salutis turbasset, se peccatricem miserrimam clamitabat.

Paulo post illuxit dies vocationis prædictæ, dies cui magnum præerat luminare, Matthæus videlicet apostolus et evangelista, tunc cujus agebatur solemnitas gloriosa ; sed luminare minus adjunctum est ei, Maura videlicet sponsa Dei, placita prorsus et grata apostolo, quæ placet coram Deo in lumine viventium, ut jam sint duæ olivæ et duo candelabra lucentia ante Dominum, par turturum aut duo pulli columbarum. Habes enim tu, beate Matthæe apostole, potestatem sororem circumducendi mulierem sicut frater Domini Jacobus et Cephas, et minus revera censes esse telonarium, quam sponsæ Christi paranymphum. Nec jam dedignaris invocantem virginem in tuum asciscì consortium, qui te fuisse recolis publicanum, et revera Mauræ diligis sanctitatem, qui perennem Mauritaniæ prædicasti salutem : et erga candidam virginem dulciter mansuescis, qui Æthiopes horridos nequaquam expavescis. Adveniente igitur memorata solemnitate, quam beatæ Mauræ vocationis suæ jucunditas duplicabat, nobis videntibus, de lectulo infirmitatis suæ, prout potuit, caput erexit, et erectum in partes quatuor inclinavit ; et cur hoc faceret a Leone familiariter requisita, respondit: En lectulum meum quatuor fortes a quatuor partibus ambiunt, cruentas bestias repellentes, Petrus videlicet atque Paulus, Gervasius et Protasius, quibus quoad vixi devotione, qua potui deservivi. Statimque ad me conversa subjunxit : Hoc extremum munus a te peto, Prudenti Pater episcope, ut in eorum præsentia de manu tua eucharistæ et unctionis extremæ recipiam sacramenta, quod et factum est ; statimque oratione Dominica inchoata, cum secundum petitionem implesset, qua dicitur : *Adveniat regnum tuum*, consummato supernæ vocationis jubilo feliciter migravit ad Dominum. Mox Mauriciana matrona, soror Seduliæ, et duæ filiæ Mauricianæ, Damona et Thecia, cilicium de sancto corpore rapientes, in quatuor particulas diviserunt, et sibi tribus retentis, quartam mihi, quam pro magno thesauro custodio posuerunt, corpusque de more lavantes, aquam in lac conversam, testimonium pudicitiæ virginalis, videndam meis oculis præsentarunt. Quod Leonicus, filius Damonæ, dulcedine captus, abunde deglutiens, a febrili ardore sanatus est ; tactuque sancti cilicii Thecia a macula

quadam in facie quam a matris utero contraxerat, et ob hoc viro displicebat, liberata est. Ipsa etiam hora migrationis sanctæ virginis, Veranus monachus, olfactus sensu diu ante prorsus amisso, eumdem odorem suavitatis sensit in monaste- A rio Leonis quem proximi sancto corporis sentiebant. Quo condigne tradito sepulturæ, in loco ubi nunc a fidelibus honoratur, innumera miracula subsecuta sunt, ipso operante, qui vivit et regnat in omnia sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI PRUDENTII

TRECENSIS EPISCOPI

ANNALES

SIVE

ANNALIUM BERTINIANORUM PARS SECUNDA.

(Apud Pertz., Monumenta Germaniæ historica.)

EXCERPTUM

EX PERTZII AD ANNALES BERTINIANOS PRÆFATIONE.

Secundam Bertinianorum Annalium partem Prudentio, clara olim Trecensium episcopo, deberi, ex Hincmari Remensis epistola quinta et vicesima, ad Egilonem archiepiscopum Senonensem directa (*a*), intelligitur, qua ita scribit: « Domnus Prudentius in Annali gestorum nostrorum regum, quæ composuit, ad confirmandam suam sententiam, gestis anni Dominicæ incarnationis 859 indidit dicens: *Nicolaus pontifex Romanus de gratia Dei et libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis et de sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat et catholice decernit;* quod per alium non audivimus, nec alibi legimus. Unde, quia ipsa gesta, quibus hæc conscripta sunt, jam in plurimorum manus devenerunt, necesse est ut taliter de hoc domno apostolico suggeratis, ne scandalum inde in Ecclesia veniat.... Ipsum autem Annale quod dico, rex habet, et ipse est ille liber quem coram vobis in ecclesia, ubi vox nobis commendavit, coram vobis ab illo C mihi præstitum ei reddidi. » Verba ab Hincmaro relata, excepto *de* ante *sanguine*, in Annalibus nostris sub finem anni 859 leguntur. Cum vero Prudentius anno 861, ut ibi paulo post habetur, obierit, certe ultra ejus anni initium opus suum producere non potuit. Doctissimus olim abbas Lebeuf peculiari ea de re dissertatione (*b*) commentatus, reliqua inde ab anno 861 a prioribus plane diversa esse probavit. Et primum quoad singulas voces, Prudentium ex Hispania oriundum, patrio more, quotiescunque occurrat (*c*), non *Epiphaniæ*, sed B *Apparitionis* Domini Festum dicere, res Francorum et in universum Christianorum *nostras* vocare (*d*), si qua res poscat, non vocem *hostis* sed Romano more *exercitus* adhibere, utque ex Julii Cæsaris Commentariis et Itinerario Antoniniano didicerit, urbes Galliæ veteri appellatione *Agedincum Senonum, Augustam Trecorum, Augustam Trevirorum, Augustam Veromanduorum, Cæsarodunum Turonum, Durocortorum Remorum, Samarobrivam Ambianorum, Lotitiam Parisiorum, Tullum Leucorum* nominare, dum contra a continuatore operis post annum 861 semel tantum *Durocortorum Remorum* adhibeatur, et vox *hostis* loco *exercitus* (*e*) genere masculino et feminino, et *honores* (*f*) loco *beneficia feudalia* (*g*) apud eum occurrant, proposuit. Porro Prudentium non solum Hispanica plurima referre (*h*), sed in omnibus quæ memoratu digna contigerint, mutationibus solis et lunæ (*i*), cometis (*j*), aurora boreali (*k*), pluviis et tempestatibus (*l*), terræ motibus (*m*), exundationibus aquarum (*n*), fulminibus (*o*), hieme et pestibus (*p*), fame (*q*) et luporum devastationibus (*r*) describendis versari, et res ecclesiasticas leviter tantum et verbis antiquitus usitatis attingere (*s*), et omnia, bona malave, animo pio et benigno divinæ omnipotentiæ libenter ascribere (*t*), quibus omnibus omissis, continuatorem id maxime agere, ut, quantum necesse fuerit, historiam Caroli regis, cæterum ante omnia Hincmari Remensis archiepiscopi gesta, nullis prætermissis, quam latissime exponeret. Quod cum cuilibet inspicienti pa-

(*a*) In Hincmari Opp. tomo II, p. 292.
(*b*) *Dissertations sur l'histoire ecclésiastique et civile de Paris*, Paris, 1739, p. 432-499.
(*c*) Annis 838, 839, 840, 842.
(*d*) Annis 836, 837 *bis*, 838 *bis*, 839, 845, 847, 849, 850.
(*e*) Annis 865, 866, 868, 872, 873, 875, 880.
(*f*) Prudentius semel anno 839 de honoribus beneficiariis loquitur. D
(*g*) Annis 865, 866, 869 *bis*, 872, 882.
(*h*) Annis 839 et 847 *de Puotone;* 844, 847, 848, 849, 852, 858, 859.
(*i*) Annis 838, 840, 860.
(*j*) Anno 855.
(*k*) Annis 839, 859.
(*l*) Annis 846, 858.
(*m*) Annis 842, 849.
(*n*) Annis 839, 846. Cf. 858.
(*o*) Anno 858.
(*p*) Annis 856, 860.
(*q*) Annis 843.
(*r*) Annis 846, 858.
(*s*) Annis 837, 846, 853, 859.
(*t*) Annis 839, 843, 845, 848, 850, 853, 858.

teat, nec, Prudentium (*a*), ita continuatorem quoque summis in Ecclesia gradibus sublimatum fuisse (*b*), dubitare liceat, et complura, quemadmodum Prudentio Trecas aut alium in Senonum atque Antissiodori vicinia (*c*), ita tertiæ partis auctori Galliam Belgicam et Remos sedem assignent (*d*), Annalium inde ab anno 861 auctorem ipsum Hincmarum fuisse, extra dubium venit. Ita jam ante abbatem Lebeuf Cardinali Fleury et episcopo de la Ravallière persuasum fuit; et quicunque eam Annalium partem attentius evolverit, archiepiscopi illius, non solum in jure canonico, sed et in rebus ipsis suo tempore gestis versatissimi, ingenium minime desiderabit; et quædam ab eo allata vix cuiquam præter Hincmarum nota esse potuerunt. Ejusmodi sunt quæ anno 867 de clericis peregrinorum habitu ab Hincmaro Romam ablegatis, de die quo Hincmarus papæ epistolam accepit regique Carolo legit, et anno 882 de Hincmari fuga Sparnacum refert; et quisnam præter Remensem archiepiscopum contentionis de primatu Galliæ inter Hincmarum et Ansegisum anno 876 880 de Ludovici regis itinere ab Aquis in *istas* partes, usque ad Duziacum, Attiniacum, Ercuriacum et Ribodimontem affert, quorum tria priora in diœcesi Remensi sita, vigintiquinque, undecim et quinque tantum leucis Remis distant.

A tam late exponendæ curam suscipere voluisset?

Jam igitur, Hincmarum, Prudentio defuncto, Annales ejus a Carolo rege sibi commodatos descripsisse atque continuatione auxisse, statuere licebit. Quæ si ita se habere concedas, facile quoque intelligitur, cur locus de Gotteschalco, quem, qualis hodie in annalibus anno 849 exstet, a Prudentio scribi non potuisse viri docti existimant, eam in speciem mutatus sit. Hincmarum enim ex sententia sua librum suo usui destinatum correcturum fuisse, re ipsa patet, nec est quod vel leviter in eo reprehendi possit. Abbas Lebeuf in editione Bouquetiana loci, qualem a Prudentio profectum fuisse existimat, restituendi periculum fecit; cujus sententiam infra quoque referemus.

Cæterum Annales non in monasterio sancti Bertini compositos esse, mentio de eo anno 845 injecta, *cum a quodam monasterio Sithdiu nomine* B *direpto... repedarent*, satis demonstrat.

Annum Prudentius atque Hincmarus a nativitate Domini inchoant.

(*a*) Anno 846.
(*b*) Annis 865, 872.
(*c*) Annis 841, 846, 858, 859.
(*d*) Cf. quæ annis 862, 866, 871, 877 de Transsequanis, 870 de Caroli vastationibus in Belgica, et

S. PRUDENTII ANNALES

SIVE

ANNALUM BERTINIANORUM PARS SECUNDA.

AB ANNO 835 USQUE AD ANNUM 861.

His et aliis regni utilitatibus jure dispositis, omnibusque ad propria absolutis, ipse imperator sanctum Quadragesimæ tempus in eodem palatio sacrosanctam festivitatem Paschæ in sæpedicta urbe apud memoratum Drogonem archiepiscopum celebravit, ac deinde ad placitum suum generalé, quod in Stremiaco [a] prope Lugdunum civitatem se habiturum indixerat, profectus est. Quo in mense Iunio habito, et donis annualibus receptis, dispositisque markis Hispaniæ, Septimaniæ sive Provinciæ, ad Aquisgrani reversus est. Verum dum in eodem placito moraretur [1], Nordmanni secunda irruptione Dorestadum irruentes, vastaverunt atque hostiliter deprædati sunt. Imperator autem graviter ferens, Aquis perveniens, disposita omni maritima custodia, Arduenna autumnalem venationem exercuit, ac deinde Aquisgrani ad hiemandum rediit anno incarnationis Domini 836.

DCCCXXXVI

Ubi Natalis Domini festivitate celebrata, missos iterum ad Lotharium direxit, monentes eum reve- C rentiæ ac obedientiæ paternæ, pacisque in concordiam multipliciter inculcantes; ad quod manifestius agnoscendum, iussum est, ut suos, quibus maxime fidebat, legatos ad patrem dirigeret, cum quibus tractari de suo honore atque salute posset, et qui paternam erga illum voluntatem audire sibique fideliter nunciare valerent. Qui patris iussionibus non usquequaque refragans, mense Maio in villa Theodonis ad imperatoris præsentiam direxit Walonem abbatem.... [2], cum quibus de adventu eius tractatum est, ac nostra ex parte firmatum, ut incolumis una cum suis ad patris veniret præsentiam, et deinceps redire potuisset; sed et a suis similiter sacramento promissum est, eum [3] ad genitoris sui præsentiam statuto placito absque dilatione venturum. Quibus absolutis, ipse circa Rumerici montem diebus aliquot venatione patrata, tandem mense Septembri ad indictum placitum Wormatiam venit. In quo cum dona annualia more solito reciperet, ac Lotharium operiretur [4], nunciatus est febri correptus nullatenus advenisse posse. Ad quem directis

VARIANTES LECTIONES

(EX CHESNIO ET BOUQUETO).

[1] Moratur *Ch. et B.* [2] *Hic nomen excidisse manifestum. Cf. Ludovici anon. cap.* 55. [3] Ei *Chesn. et Bouq.* [4] Opperiretur *Bouq.*

NOTÆ

[a] *Cremieu* ad Rhodanum. Valesii Notit. Gall., pag. 534.

denuo Hugone abbate [a] et Adalgario comite, de infirmitate ac recuperatione ejus et voluntate in posterum veniendi quæsitum est, necnon de restitutione rerum ecclesiis Dei in Francia constitutis, quæ in Italia sitæ, a suis pro libitu fuerant usurpatæ; verum et de episcopis atque comitibus, qui dudum cum Augusta fideli devotione de Italia venerant, ut eis et sedes propriæ et comitatus ac beneficia seu res propriæ redderentur. Ad hæc Lotharius per missos suos, oppositis quibusdam conditionibus, non in omnibus se assentiri posse mandavit. Eodem tempore Nordmanni Dorestadum [1] et Frisiam rursum depopulati sunt, sed et Horich, rex Danorum, per legatos suos in eodem placito amicitiæ atque obedientiæ conditiones mandans, se nullatenus eorum importunitatibus assensum præbuisse testatus, de suorum ad imperatorem missorum interfectione conquestus est, qui dudum circa Coloniam Agrippinam quorumdam præsumptione necati fuerant; quorum necem etiam imperator, missis ad hoc solum legatis, justissime ultus est. Peracta autumnali venatione in Franconofurd palatio, ad Aquisgrani reversus est, ubi etiam missi eiusdem Horich venerunt, quærentes summam eorum, quos ipse captos ex his interfici fecerat, qui in nostros fines talia iamdudum moliti sunt. Azenarius quoque, citerioris Wasconiæ comes, qui ante aliquot annos a Pippino desciverat, horribili morte interiit; fraterque illius Sancio-Sanci eamdem regionem negante Pippino occupavit. Tunc etiam Walo abba [2], cuius consiliis Lotharius plurimum utebatur, in Italia obiit.

DCCCXXXVII

Imperator autem post natalitiæ celebritatis solemnia, purificatione [b] beatæ semper virginis Mariæ episcoporum conventum in Aquis habuit, in quo de sanctis Dei ecclesiis plurimum tractatum est, et quid cuique ordine proprio conveniret, patefactum atque descriptum est. Epistola etiam ab eodem venerabilium episcoporum conventu ad Pippinum directa est, in [3] qua eum salutis suæ magnopere monuerunt, et insuper, ut memor moris progenitorum suorum, præcipue piissimi genitoris sui, res ecclesiarum Dei pridem a suis invasas atque direptas integritati earum restitueret, ne tali etiam occasione divinam contra se iracundiam ardentius incitaret. Qui tantorum patrum assensus consilio, cuncta restituit, ac singulis ecclesiis easdem res scriptionibus [4] annulo [5] suo roboratis proprie resignavit. Igitur imperator, disposita Frisiæ Maritimæque [6] [c] custodia, mense Maio ad Theodonis villam veniens et annualia dona recipiens, iter suum Romam defensionis sanctæ Romanæ Ecclesiæ atque orationis gratia indixit, directis interim ad Lotharium legatis, monentibus ut eum paterna reverentia susciperet, atque itineris apparatum decenter opportuneque procuraret. Ea tempestate Nordmanni [d] irruptione solita Frisiam irruentes in insula quæ Walacria [e] dicitur nostros imparatos aggressi, multos trucidaverunt, plures deprædati sunt; et aliquamdiu inibi commorantes, censu prout libuit exacto, ad Dorestadum eadem furia pervenerunt, et tributa similiter exegerunt. Quibus imperator auditis, prætermisso memorato itinere, ad Noviomagum castrum, vicinum Dorestado, properare non distulit; cujus adventu Nordmanni audito, continuo recesserunt. Imperator vero generali conventu habito, publice cum his quæstionem habuit, quos principes ad eamdem custodiam delegaverat. Qua discussione patuit, partim impossibilitate, partim quorumdam inobedientia eos inimicis non potuisse resistere; unde et ad comprimendam Frisionum [7] inobedientiam strenui abbates ac comites directi sunt, et, ut deinceps illorum incursionibus facilius obsisti queat, classis quaqua versus diligentius parari iussa est. Lotharius autem clusas in Alpibus muris firmissimis arctari præcepit. Et Landbertus, fautorum Lotharii maximus, et Hugo, socer illius, defunctus est. Interea Brittones, quadam insolentia moti, rebellare conati sunt; quorum motus imperator directa expeditione cito compressit, redditaque nostris terra et datis obsidibus, fideles sese polliciti sunt permansuros. Post hæc adveniente atque annuente Ludoico et missis Pippini, omnique populo qui præsentes in Aquis palatio adesse iussi fuerant, dedit filio suo Carolo maximam Belgarum partem, id est a mari per fines Saxoniæ usque ad fines Ribuariorum totam [8] Frisiam, et per fines [f] Ribuariorum comitatus Moilla [g], Batua, Hammelant [9], Mosagao; deinde vero quidquid inter

VARIANTES LECTIONES

[1] Dorestatum *Chesn.* [2] Abbas *B.* [3] *Deest Ch.* [4] Easdem rescriptionibus *Ch.* [5] *In autographo sine dubio* anulo *legitur.* [6] *Ch. et B,* disposita Frisiæ maritimaque custodia; *quod ita depravatum esse puto, quia propriam vocis* Maritima *vim non intellexerint.* [7] Fresnionum, Chesn. [8] t. F. et p. f. R. *deest Ch.* [9] *Hanc*

NOTÆ

[a] Fratre imperatoris; cf. Vitam Ludovici, cap. 55.

[b] Hic conventus anno superiori habitus est, nec die Purificationis beatæ Virginis, sed sexta die februarii, ut demonstrant verba, quibus inchoatur: *Cum convenissemus episcopi... Aquisgrani palatii in secretario basilicæ sanctæ Genetricis Dei Mariæ, quod dicitur Lateranis, anno incarnationis Domini Nostri Jesu Christi* 836 *indict.* 14, *anno vero imperii prædicti Cæsaris* 23, 8 *scilicet Iduum mensis Februarii* BOUQUET.

[c] *Frisiæ Maritimæque* h. e. Frisiæ et Seelandiæ, eodem modo quo in chartis medii ævi haud raro, *Campania et Maritima* me legisse memini, non quod Seelandia a Frisia, et Maritima a Campania Romana prorsus diversæ, sed quod earum partes fuerint.

[d] *Nordmanni* usque *continuo recesserunt* ex nostris decerpta in chronico de gestis Nordmannorum in Francia, quod infra sequetur.

[e] Walchern in Seelandia.

[f] *Per fines* id est *inde a finibus*; comitatus enim jam nominandi Frisiæ et Austrasiæ partes, et ad fines Ribuariorum siti erant.

[g] Comitatus Moilla ad Vahalem in confinibus Frisiæ et Ribuariæ ponendus, ubi inter Noviomagum

Mosam et Sequanam usque ad Burgundiam una cum Viridunense constitit, et de[a] Burgundia Tullensem, Odornensem[b], Bedensem[1 c], Blesinsem[d], Pertinsem[e], utrosque Barenses[f], Brionensem[g], Tricassinum, Altiodrensem, Senonicum, Wastinensem[h], Milidunensem[i], Stampensem, Castrinsem, Parisiacum, et deinde per Sequanam usque in mare oceanum, et per idem mare usque ad Frisiam ; omnes videlicet episcopatus, abbatias, comitatus, fiscos, et omnia intra prædictos fines consistentia cum omnibus ad se pertinentibus, in quacumque regione consistant : sicque jubente imperatore, in sui præsentia episcopi, abbates, comites et vassalli dominici in memoratis locis beneficia habentes, Carolo se commendaverunt, et fidelitatem sacramento firmaverunt.

DCCCXXXVIII.

Post hæc peractis sacræ Nativitatis, apparitionis atque oblationis dominicæ solemnitatibus, inchoatisque Quadragesimæ jejuniis, imperatori sermo innotuit, Ludoicum[2] fratris Lotharii intra Alpium septa colloquium expetiisse[3] ; quod quia se inscio inconsultoque præsumpserat, ægre tulit, directisque quam celerrime quaquaversum cursoribus, generaliter fideles accersit, propereque undique adcurrentibus filiorum suspectum colloquium patefacit, et si ita necessitas postulet, ad resistendum paratissimos monet. Quo Ludoicus cognito, octavarum sanctæ Paschæ hebdomada[4] jubente patre advenit, subtiliterque discussus, tandem sacramento cum sibi maxime credulis, nihil fidelitati patris atque honori adversum illo colloquio meditatum, firmavit; sicque remisso ad propria, ut mense maio imperatori in Noviomago occurreret, injunctum est. Nam illo iuxta condictum imperator progredi disponebat, quatenus sua præsentia damnum quod annis præteritis piratarum[5] importunitate nostrorumque desidia contigerat vitaretur ; habitoque conventu fidelium, copiosus circa maritima apparatus distributus est. Inter quæ Danorum piratæ patria egressi, ortoque subito maritimorum fluctuum turbine, vix paucissimis eva-

A dentibus submersi sunt. Ludoicus[6] autem patris præsentiæ, secundum quod jussum fuerat, sese offerre non distulit, habitaque secus quam oportuerat conflictatione verborum, quidquid ultra citraque Rhenum paterni juris usurpaverat, recipiente patre amisit, Helisatiam videlicet, Saxoniam, Thoringiam, Austriam atque Alamanniam. Interim Sarracenorum piraticæ classes Massiliam Provinciæ irruentes, abductis sanctimonialibus, quarum illic non modica congregatio degebat, omnibus, et cunctis masculini, sexus clericis et laicis, vastataque urbe, thesauros quoque ecclesiarum Christi secum universaliter asportarunt. Igitur imperator ad placitum suum generale, sicut condixerat, mediante Augusto in Carisiaco B pervenit; quo Pippino paternis obsequiis assistente atque favente, fratri Carolo, tunc cingulo insignito, pars Niustriæ ad præsens data est, ducatus videlicet Cenomannicus, omnisque occiduæ Galliæ ora intra Ligerim et Sequanam constituta. Absolutoque conventu, ipse orationis gratia Parisius sanctorumque martyrum basilicas curavit invisere. Directoque Carolo in partes Cenomannicas, ipse in Verno[j], Compendio ceterisque circumiacentibus locis venationi congruis stativa habuit, atque invitante Hugone, fratre et beati Quintini martyris monasterii abbate, eiusdem martyris festivitate honorifice alacriterque celebrata, Attiniacum perveniens, Carolum redeuntem suscepit. Ubi etiam missi Horich venientes, piratarum in C nostros fines dudum irruentium maximos a se ob imperatoris fidelitatem captos atque interfici iussos retulerunt, petentes insuper sibi dari Frisianos atque Abodritos. Cujus petitio, quanto imperatori indecens sive incongrua visa est, tanto vilius spreta et pro nihilo ducta est. Verum pridem imperatore in verno venationem exercente, Adalgarius et Egilo comes, ad Abodritos et Wilzos a fide deficientes dudum directi, reversi sunt, adductis secum obsidibus imperatori deinceps subditos fore nuntiantes. Imperator vero cœptum peragens iter, ad Franconofurd hiemandi gratia profectus est. Eclipsin[7] luna quintadecima medio no-

VARIANTES LECTIONES.

Meam coniecturam se ipsam defensuram esse confido. Chesn. et Bouq. legunt Moilla. Ettrabam, Melant, *Nithardi historia lib. I. cap.* 6. Moilla. Halt, Trahammolant, *quod Valezius corrigit* Moilla, Hattuarias, Hammolant. [1] *deest Ch.* [2] Lodicum *Ch.* [3] Expetisse *Ch.* [4] Ebdomada *Ch.* [5] Pyratarum *Ch., ita pluries.* [6] Lodoicus *Ch.* [7] Eclypsin *Chesn. scribere solet.*

NOTÆ.

et Schengenscbantz hodieque vicus Millingen occurrit ; pagi Batua, Hammolant et Mosagao satis noti.

[a] *De* ut supra *per*, idem ac *inde a* ; nam omnes pagi jam recensendi extra Burgundiam eiusque in confinibus collocati erant.

[b] Ad fontes Odornæ sive Ornæ, quæ infra *Vitry-le-Français* Matronam influit, *Pays d'Ornois.*

[c] Pagus hic inter Tullensem et Blesensem in Bassiniaco situs fuerit ; nam vocem ab imperito quodam intrusam esse, statui nequit, quod eam et Nithardus l. I. c. 6. agnoscit.

[d] Inter Odornensem et Barrensem, ad fluvium *Bloise* qui Matronam influit, in quo e. g. *Blesy, Blaize-le-Château, Blezy-au-Bois* ; pagi ejus pars D inferior adhuc sæculo proxime elapso *Pays Blesois* audiebat.

[e] Ad Matronam, in quo, e. g. *Pertes* infra *Saint-Dizier*, et *Pontion.*

[f] In quibus *Bar-sur-Seine et Bar-sur-Aube.*

[g] Circa, *Brienne, Troyes, Auxerre, Sens.*

[h] *Le Gastinois* ; quod postea et pagum Milidunensem complectebatur ; pagus inter Aurelianensem, Antissiodorensem, Senonicum, Milidunensem et Stampensem situs erat.

[i] Circa, *Melun, Etampes, Chartres, Paris.*

[j] Vernum locus est Ver dictus, Crispiaco et Silvæ ac Isaræ propinquus. Et certe in iisdem annalibus ad a. 877. Verni situs designatur inter Compendium et monasterium sancti Dionysii. Bouq.

ctis Nonas Decembris passa est. Pippinus filius imperatoris, rex Aquitaniæ, Idus Decembris defunctus est, relictis duobus filiis Pippino et Carolo. Proficiscenti igitur imperatori nunciatus est Ludoicus, filius ejus, Franconofurd hostilibus vallatus agminibus insedisse, sibique non solum ejusdem palatii sessionem ad hiemandum, verum etiam Rheni fluminis moliri transitum inhibere; quo imperator nuncio haud mediocriter motus, quaqua versum fideles acciri decernit; at ipse, ut cœperat, Maguntiam Pervenit anno ab incarnatione Domini 839.

DCCCXXXIX

Ubi Nativitatis atque apparitionis dominicæ festivitatibus emensis, directis celerrime fidelibus, ad pacis concordiam Ludoicum hortatus est. Sed nequaquam valuit revocare, quin insuper consistenti Maguntiæ imperatori, ipse ex adverso in Castella[1][a] ultra Rhenum posita pertinaciter atque hostiliter immorans, transitu fluminis cohibebat. Imperator autem, sanguinem communis populi fundi admodum metuens, ad loca alia transpositioni opportuna divertere nullatenus dedignatus est; in quibus omnibus econtra ripis insistentem et transfretare conantibus obsistentem filium conspicatus; eratque videre miseriam, hac pio patre, illac impio filio digredientibus. Qua necessitate imperator compulsus, Maguntiam repedat, fideliumque hinc inde propere confluentium ob asperitatem hiemis incommoditatem diutius non ferens, tribus ferme infra memoratam urbem milibus Rheno transposito, Saxones obvios suscepit. Ludoicus vero, comperto patris eatenus sibi inopinato transpositu, deficientibus quos ex Austrasiis, Thoringiis atque Alamannis illexerat secumque adduxerat, concitus aufugit, Norciamque, quæ nunc Baioaria dicitur, regnum videlicet sibi olim a patre traditum, revertitur. Imperator paternæ pietatis non immemor, filium persequi supersedit, receptisque qui ab illo ad imperatoris clementiam fugerant, ac sacramento firmatis, et insuper discordiarum incentoribus fautoribusque pro merito criminum partim rebus partim exsilio damnatis, Franconofurd pervenit; ubi aliquot diebus perendinans, marcas populosque Germanicos disponere suæque fidei arctius subjugare non distulit, ac deinde in partes Alamanniæ tempore Quadragesimæ ad villam regiam quæ Bodoma[b] dicitur properavit. Interea lacrymabile nimiumque cunctis catholicæ[2] Ecclesiæ filiis ingemiscendum, fama perferente, innotuit. Bodo[c] diaconus, Alamannica gente progenitus, et ab ipsis pene cunabulis in christiana religione palatinis eruditionibus divinis humanisque litteris aliquatenus imbutus, qui anno præcedente Romam orationis gratia properandi licentiam ab Augustis poposcerat, multisque donariis muneratus impetraverat, humani generis hoste pellectus, relicta christianitate ad judaismum sese convertit. Et primum quidem consilio proditionis atque perditionis suæ cum Judæis inito, quos secum adduxerat paganis vendendos callide machinari non timuit; quibus distractis, uno tantummodo secum, qui nepos eius, ferebatur, retento abnegata — quod lacrimabiliter dicimus — Christi fide, sese Judæum professus est. Sicque circumsisus capillisque ac barba crescentibus, et mutato potiusque usurpato Eleazari nomine, accinctus etiam cingulo militari, cuiusdam Judæi filiam sibi matrimonio copulavit, coacto memorato nepote suo similiter ad judaismum translato, tandemque cum Judæis, miserrima cupiditate devinctus, Cæsarangustam, urbem Hispaniæ, mediante Augusto mense ingressus est. Quod quantum Augustis cunctisque christianæ fidei gratia redemptis luctuosum extiterit, difficultas, qua imperatori id facile credendum persuaderi non potuit, patenter omnibus indicavit. Præterea die septimo Kalendas Ianuarii, die videlicet passionis beati Stephani protomartyris, tanta inundatio contra morem maritimorum æstuum per[3] totam pene Frisiam occupavit, ut aggeribus arenarum illic copiosis, quos dunos vocitant, fere coæquaretur, et omnia quæcumque involverat, tam homines quam animalia cetera et domos, absumpserit; quorum numerus diligentissime comprehensus, duorum millium quadringentorum triginta septem relatus est. Acies quoque in cœlo igneas colorumque aliorum mense februarii, sed et stellas igneos crines emittentes crebro videri contigit. Verum post sanctum Pascha imperatori in Francia repedanti rex Anglorum legatos misit, postulans per Franciam pergendi Romam orationis gratia transitum sibi ab imperatore tribui, monens etiam curam subjectorum sibi erga animarum salutem sollicitius impendendam, quoniam visio cuidam apud illos ostensa non minimum

VARIANTES LECTIONES.

[1] In castella *Ch. et B.: sed haud dubie* in Castella *scribendum, ut feci.* [2] catholicis *Ch.* [3] *id est* totam Frisiam peroccupavit.

NOTÆ.

[a] *Cassel*, contra Moguntiam situm, et a Romanis conditum. Cf. Meginhardi *Vitam S. Ferrutii.*

[b] *Bodman*, ad lacum Bodamicum.

[c] De eodem sic habet Rhabanus in libro adversus Iudæos, cap. 42: *Quod nunquam antea gestum meminimus, seductus est ab eis* [*Iudæis*] *diaconus palatinus, nobiliter natus, nobiliter nutritus et in ecclesiæ officiis exercitatus, et apud principem bene habitus; ita ut eorum diabolicis persuasionibus abstractus et illectus, desereret palatium, desereret patriam et parentes, desereret penitus christianorum regnum; et nunc apud Hispaniam inter Sarracenos Iudæis sociatus, persuasus sit ab impiis Christum Dei Filium negare, baptismi gratiam profanare, circumcisionem carnalem accipere, nomen sibi mutare, ut qui antea Bodo, nunc Eliezer appelletur; ita ut et superstitione et habitu totus Iudæus effectus, quotidie in synagogis Satanæ, barbatus et coniugatus, cum cæteris blasphemet Christum et Ecclesiam eius.* Bouq.

animos eorum terruerat; cuius seriem visionis imperatori mittere studuit, habentem hunc modum: *Visio cuiusdam religiosi presbyteri de terra Anglorum quæ post Natalem Domini ei rapto a corpore ostensa est.*

« Quadam nocte cum idem religiosus presbyter dormiret, quidam homo ad eum venit, præcipiens illi ut eum sequeretur. Tunc ille surgens, secutus est eum; ductor vero illius duxit eum ad terram sibi ignotam, ubi varia et mira ædificia constructa vidit, inter quæ ecclesia facta erat, in quam ille et [1] ductor eius introivit, ibidemque plurimos pueros legentes vidit. Cumque ductorem suum interrogaret, an inquirere auderet quinam pueri essent, respondit ei: Interroga quod vis, et libenter tibi indicabo. Et cum ad illos appropinquaret, ut videret quod legerent, perpexit libros eorum non solum nigris litteris, verum etiam sanguineis esse descriptos, ita videlicet, ut una linea nigris esset litteris descripta, et altera sanguineis. Cumque interrogassem, cur libri illi sanguineis lineis descripti essent, respondit ductor meus: Lineæ sanguineæ, quas in istis libris conspicis, diversa hominum christianorum peccata sunt, quia ea quæ in libris divinis illis præcepta et iussa sunt, minime facere et adimplere volunt. Pueri vero isti, qui hic quasi legendo discurrunt, animæ sunt sanctorum, quæ quotidie pro christianorum peccatis et facinoribus deplorant, et pro illis intercedunt, ut tandem aliquando ad pœnitentiam convertantur; et nisi istæ animæ sanctorum tam incessante cum fletu ad Deum clamarent, iam aliquatenus finis tantorum malorum in christiano populo esset. Recordaris, quia anno præsenti fruges non solum in terra, verum etiam in arboribus et vitibus abundanter ostensæ sunt, sed propter peccata hominum maxima pars illarum periit, quæ ad usum atque utilitatem humanam non pervenit; quod si cito homines christiani de variis vitiis et facinoribus eorum non egerint pœnitentiam, et diem dominicum melius et honorabilius non observaverint [2], cito super eos maximum et intolerabile periculum veniet; videlicet tribus diebus et noctibus super terram illorum nebula spississima expandetur, et statim homines pagani cum immensa multitudine navium super illos venient, et maximam partem populi et terræ christianorum cum omnibus quæ possident igni ferroque devastabunt. Sed tamen, si adhuc veram pœnitentiam agere volunt, et peccata illorum iuxta præceptum Domini ieiunio et oratione adque elemosynis [3] emendare studuerint [4], tunc has pœnas et pericula per intercessionem sanctorum evadere poterunt. »

Venerunt etiam legati Græcorum a Theophilo imperatore directi, Theodosius [a] videlicet, Calcedonensis metropolitanus episcopus, et Theophanius spatharius, ferentes cum donis imperatore dignis epistolam; quos imperator quinto decimo Kalendas Iunii in Ingulenheim honorifice suscepit. Quorum legatio super confirmatione pacti et pacis atque perpetuæ inter utrumque imperatorem eique subditos amicitiæ et charitatis agebat, necnon de victoriis, quas adversus exteras bellando gentes cœlitus fuerat assecutus, gratificatio et in Domino exsultatio ferebatur; in quibus imperatorem sibique subiectos amicabiliter datori victoriarum omnium gratias referre poposcit. Misit etiam cum eis quosdam, qui se, id est gentem suam, Rhos [b] vocari dicebant, quos rex illorum, Chacanus vocabulo, ad se amicitiæ, sicut asserebant, causa direxerat, petens per memoratam epistolam, quatenus benignitate imperatoris redeundi facultatem atque auxilium per imperium suum totum habere possent, quoniam itinera per quæ ad illum Constautinopolim venerant, inter barbaras et nimiæ feritatis gentes immanissimas habuerant, quibus eos, ne forte periculum inciderent, redire noluit. Quorum adventus causam imperator diligentius investigans, comperit eos gentis esse Sueonum, exploratores potius regni illius nostrique quam amicitiæ petitores ratus, penes se eo usque retinendos iudicavit, quod veraciter invenire posset, utrum fideliter eo necne pervenerint; idque Theophilo per memoratos legatos suos atque epistolam intimare non distulit, et quod eos illius amore libenter susceperit, ac si fideles invenirentur, et facultas absque illorum periculo in patriam remeandi daretur, cum auxilio remittendos; sin alias, una cum missis nostris ad eius præsentiam dirigendos, ut quid de talibus fieri deberet, ipse decernendo efficeret. Quibus peractis, imperator urbem Vangionum iuxta condictum tertio Kalendas Iunii pervenit, ibi susceptis quibusdam, quos ad hoc [5] specialiter properare iusserat, fidelibus, Lotharium filium suum ab Italia venientem paterno suscipere affectu minime renuit. Quo palam omnibus ad genitoris vestigia suppliciter procidente et præteritorum excessuum veniam humiliter postulante, imperator, misericordia qua incorporaliter [6] semper viguit flexus, quidquid in eum præcedentibus annis ipse suique deliquerant, paterna benignitate concessit, ita tamen, si deinceps nihil adversus eum pravis machinationibus molirentur. Suorum quoque complures non solum proprietatibus, verum etiam beneficiariis donavit honoribus, insuperque descriptione regni sui æqualibus pene partibus discreta, optionem illi,

VARIANTES LECTIONES.

[1] *deest Ch.* [2] honorabilius observarint. *Ch.* [3] elemosynis *Ch.* [4] studuerunt *Ch.* [5] quos adhuc *Ch.* [6] incomparabiliter?

NOTÆ.

[a] Theodosius patricius erat, non episcopus, ut testatur chronographia jussu Constantini Porphyrogeniti scripta lib. III, num. 37: quod docent etiam Curopalata et Cedrenus. Bouq.

[b] Id est *Russi*.

quam earum mallet, offerre non dedignatus est. A Cuius divisionis formula ita se habuit : Quarum altera regnum Italiæ partemque Burgundiæ, id est vallem Augustanam [a], comitatum Valissorum [b], comitatum Waldensem [c] usque ad mare Rhodani [d] ac deinde orientalem atque aquilonalem Rhodani partem usque ad comitatum Lugdunensem, comitatum Scudingium [1] [e], comitatum Wirascorum [f], comitatum Portisiorum [g]; comitatum Suentisiorum [h], comitatum Calmontensium [i], ducatum Mosellicorum [j], comitatum Arduennensium [k], comitatum Condorusto [l], inde per cursum Mosæ usque in mare, ducatum Ribuariorum [m], Wormazfelda [n], Sperohgouwi [o], ducatum Helisatiæ, ducatum Alamanniæ, Curiam, ducatum Austrasiorum cum Swalafelda [p] et Nortgowi [q] et Hessi [2], B ducatum Toringubæ cum marchis [3] suis regnum Saxoniæ cum marchis [4] suis, ducatum Fresiæ usque Mosam, comitatum Hamarlant, comitatum Batavorum [r], comitatum Testrabenticum [s], Dorestado. Alteram partem Burgundiæ, id est comitatum Genavensem [t], comitatum Lugdunensem [u], comitatum Cavallonensem [v], comitatum Amaus [x], comitatum Hatoariorum [y], comitatum Lingonicum [z], comitatum Tullensium [aa], et sic per decursum Mosæ usque in mare, et inter Mosam et Sequanam, et inter Sequanam et Ligerim cum marcha Britannica, Aquitaniam et Wasconiam cum marchis ad se pertinentibus, Septimaniam cum marchis suis, et Provinciam habuit. Quo superiorem potius eligente, imperator Carolo filio suo inferiorem contulit, ea conditione, ut viventi fideliter obsequentes, eo decedente memoratis portionibus potirentur. Sacramentisque multifariam a Lothario susceptis, eum in Italiam redire permisit.

Imperator autem indicto generali placito Kalendas Septembris ergà Cavallonem [bb], legatos ad Ludoicum direxit, præcipiens, ut fines Baioariæ nullatenus egredi nisi sese iubente præsumeret, idque sacramento firmare iuberet : sin alias, circa initia septembris ad Augustburg hostiliter sibi occursurum minime dubitaret. Descriptis itaque atque destinatis, qui secum Baioariam, si necessitas compelleret, quique cum filio suo Carolo Cavallonem contra motus Aquitanicos, quibus cum Pippino, Pippini filio, quidam Aquitanorum nuper ab imperatore defecerant, compescendos, etiam cum Saxonibus adversus Danorum Sclavorumque, qui ferebantur, incursus occurrerent, ipse in Cruciniaco [cc] castro sese venationibus alacriter exercendo, missorum in Baioariam directorum reditum statuit opperiri [5]. Qui reversi, missis Ludoici ad imperatoris usque præsentiam comitantibus, nuntiaverunt, paternis eum iussionibus non admodum obviasse, sed ea se pariturum conditione spopondisse, si sacramenti firmitas quam quærebat, ab imperatoris fidelibus sibi etiam fieret. Verum quia tunc contigit defuisse primates, per quos eamdem firmitatem fieri deposcebat, illius fidei imperator atque supplicibus promissionibus potius committendum delegit, quousque a partibus Aquitanicis adepta divinitus victoria rediens, mandatis perseverantem benigne susciperet, secus vero molientem pro viribus insequi non tardaret. C Sed et ipso patente concessit [6] quibusdam propter motus illius nuper a se separatis et rerum [7] proprietate

VARIANTES LECTIONES.

[1] Suedingium *Chesn. et Bouq., Valesius recte coniecit* scudingium. [2] *ita depravatam Chesnii et Bouqueti lectionem* ducatum Austrasiorum cum Sunalafelda et Norogo, Wiechessi, *emendare conatus sum.* [3] Cum archis *Ch. et Bouq.* [4] cum archis *Ch. et B.* [5] operiri *Chesn.* [6] *Ita emendari ; Ches. et Bouq. legunt* necessit, *et Bouq. in margine coniecit* necesse fuit. [7] nuper in se separatis verum *Chesn.*

NOTÆ.

[a] *Val d'Aosta.*
[b] Wallis.
[c] Waadtland, *pays de Vaud.*
[d] Lacus Lemanus.
[e] Circa *Salins.*
[f] Ad utramque Dubis amnis ripam circa Vesontium.
[g] *Le Pertois* ad fontes Araris fluminis in regno Burgundiæ, (non, ut Valesius et Bouquetus opinantur, *le Pertois* ad Matronam).
[h] *Le Saintois*, e septentrione Portisiorum, et a meridie Tulli ; Valesius, Bouquetus et Chronicon Gottwicense contra Miræum et Scœhpflinum (in Alsat. illustr., tom. I, p. 671.) Sundgaviam in Alsatia interpretantur.
[i] Magnus Lotharingiæ pagus, in quo *Nancy, Epinal* et *Remiremont.*
[j] Cujus metropolis Augusta Trevirorum.
[k] In quo *Stablo, Malmedy.*
[l] Intra Mosam et Urtam circa *Huy ;* vide infra a. 870
[m] Cujus metropolis Colonia Agrippina.
[n] Pagus Wormatiensis.
[o] Pagus Spirensis.
[p] Ad fontes Alemonæ.
[q] In eo, e. g. *Eichstadt, Nurnberg, Eger, Ingotstat, Sulzbach*, et al.
[r] Balua.
[s] Testerbant.
[t] Genf.
[u] *Lyon.*
[v] *Châlons-sur-Saône.*
[xy] Valesius notit. Gall., p. 481, corrigendum censet *Amans ;* pagi Amansensis meminit Erricus monachus in libro de Miraculis S. Germani, ex A cujus verbis patet, eum non longe ab Arari, Oscara, Vincenna et Tila fluviis abesse. Hatoarii isti ad flumen Ararim jacebant. In Chronico S. Benigni Hugo Attoariorum comes memoratur. In Chronico Besuensi pagi et comitatus Atoariensis frequens fit mentio. Existimat Valesius Attuarios Francicam gentem, captos et translatos a Constantio Chloro Cæsare nomen ei pago dedisse. BOUQUET.— Ex ipsa divisionis tabula apparet, pagos Amaus et Hatoariorum a meridie ad septentrionem inter pagos Cavallonensem et Lingonicum, et ab occidente pagorum Scudingii, Wirascorum et Portisorum sitos fuisse ; imo Hattuarii Lingonibus accensebantur. Vales. Notit., p. 281.
[z] *Langres.*
[aa] *Toul.*
[bb] *Châlons-sur-Saône.*
[cc] *Kreuznach* prope Bingen.

multatis, ut sua cuique restituerentur, eo dumtaxat pacto, si fidem inviolabiliter imperatori servare studerent, et nullam penitus regni fidetiumque sollicitationem quoquo modo aut tergiversationem machinarentur. Directis interim ad hoc specialiter missis, qui ab his hujusmodi firmitatem sacramento susciperent, dispositis quoque Saxonum adversus Soraborum et Wiltzorum [1] incursiones, qui nuper quasdam ipsius marchæ Saxoniæ [2] villas incendio cremaverant, et Austrasiorum Toringorumque contra Abodritorum et qui dicuntur Linones [3] defectiones expeditionibus, ipse per Arduennam venatu sese delectabiliter exercens, ceteros totius regni sui fideles circa Calendas Septembris Cavallonem, ut condixerat, sibi obvios adesse præcepit. Quidam [a] etiam piratæ in quamdam Frisiæ partem irruentes, non parum incommodi nostris finibus intulerunt. Direxit et Oricus missos ad imperatorem, quemdam videlicet, cujus consiliis præ cunctis fidere et omnia agere videbatur, et cum eo nepotem suum munera gentilitia deferentes, pacis amicitiæque arctius stabiliusque gratia confirmandæ : quibus hilariter susceptis atque muneratis, quia propter quædam incommoda super Frisionibus querebantur, duces strenui destinati sunt, qui tempore constituto illis de omnibus justitiam adimplerent. Imperator autem Cavallone receptis fidelibus, in Aquitaniam exercitum omnem convertit, pariterque tertio ferme ab urbe Arvernorum miliario castra ponens, Aquitanos obvios habuit, quos filio suo sacramenti interpositione firmavit. Et Augustam quidem cum filio ad Pictavos sese præcedere decrevit, ipse vero ad castrum quod vulgo Cartilatum [b] dicitur contendit, quoniam eo quidam complicum Pippini [4] consistere ferebantur; quod castrum nihil quidem manu artifici additum, naturali tantum rupe editum, hinc inde præcipitio vallium muniebatur, præter orientalem dumtaxat partem, qua parvo admodum intervallo continenti dirimitur. In quo tamen consistentes obsidione ad deditionem coegit, eisque consuetissima pietate vitam, membra et hereditatem concessit. Inde in partes Torennæ [c], quo infideles eius delitescere frustraque resistere moliebantur, abitum divertit; verum his in diversa vagantibus sparsimque quaqua versum fugitantibus, imperatoris exercitus continua autumni serenitate solisque inclementia non parum incommoditatis expertus est. Nam febre maxima ex parte correptus, partim occubuit, partim difficillima regressione reversus est. Qua imperator necessitate compulsus, et asperitate hiemis imminentis detentus, absoluto reliquo exercitu, ad Pictavos in hiberna concessit. Saxones interea contra Sorabos qui Colidici [d] vocantur, apud Kesigesburch dimicantes, cœlestibus auxiliis fulti, victoriam adepti sunt, regeque ipsorum Cimuscelo interfecto, eamdem urbem et undecim castella ceperunt; receptis etiam sacramentis a rege inter eosdem tumultus repente creato, insuper obsidibus, multam terræ indixerunt; sed et legati imperatoris ad Horich [5] pacis gratia directi, receptis sacramentis, indissolubilem pepigerunt.

DCCCXL.

Imperator autem, nativitatis atque apparitionis dominicæ festum, sed et beatæ Mariæ semper virginis purificationem in urbe Pictavorum celebrans, motus Aquitanicos componere satagebat, cum interim propinquante quadragesimali observatione, sinistrum quippiam illi nunciatum est, Ludoicum videlicet, filium suum, consueta iamdudum insolentia usque ad Rhenum regni gubernaculum usurpare. Quo admodum nuncio motus, relictis Augusta et filio Carolo cum non pauca parte exercitus in urbe memorata, ipse ad Aquis palatium veniens, resurrectione dominica inibi celebrata, Germaniam transposito Rheno ingreditur, fugatoque filio et paganorum exterarumque gentium adminicula etiam sui præsentia, compluribus datis muneribus, expetente, eum ulterius persequi destitit. Eclypsis solis III Nonas Maii ante nonam [e] diei horam multis in locis a plurimis visa est. Imperator vero a persequendo filio rediens, correptus morbo in insula Rheni infra Maguntiam ad prospectum Ingulenheim palatii sita XII Kalendas Iulii defunctus est.

Lotharius, comperto genitoris obitu, ab Italia Gallias ingressus, iura naturæ transgressus, imperatorio elatus nomine, in utrumque fratrem, Hludowicum videlicet et Carolum, hostiliter armatur, et nunc hunc, nunc illum prælio impetit, sed utrumque minus prospere. Secundum suam duntaxat insolentiam patrato negotio, quibusdam conditionibus usque ad tempus ab utroque discessit; nec tamen contra eos, seu clam seu manifeste, pravitatem suæ cupiditatis atque crudelitatis destitit machinari.

DCCCXLI.

Hludowicus autem et Carolus, alter ultra, alter

VARIANTES LECTIONES.

[1] wltzorum *Ch. et B.* [2] *lege* saxonicæ. [3] lino *Ch.* [4] pippinum *Ch.* [5] *ita correxi; Chesn. et Bouq.* Corich.

NOTÆ.

[a] Hæc exscripta sunt in Chronico de Normannorum gestis in Francia an. 840.

[b] Carlat in Arvernia superiore, a quo pagus Cartilatensis nomen accepit, *le Carladez*. Valesii Notit. Gall., p. 130.

[c] *Turenne.*

[d] Pagus principatus Anhaltini, in quo oppidum Kothen situm est, quod sub voce *Kesigesburch* latere posset. Certe quod primo in mentem venire poterat *Nienburch*, monasterium antiquum ad confluentes Budæ et Salæ, antea Thangmaresfeld audiebat. Cf. Beckman, Hist. serenissimæ domus Anhaltinæ, pag. 428. Chronici Gotwicensis auctor loco *Kesigesburg*, legit *Resigeburg*, et *Rosenburg* in dextra Salæ ripa interpretatur. Qua de re codex ipse consulendus erit.

[e] Circa meridiem ; cf. l'*Art de vérifier les dates.*

citra Rhenum, partim vi, partim minis, partim honoribus, partim quibusdam conditionibus, omnes partium suarum sibi vel subdunt vel conciliant. Et Lotharius quidem diebus quadragesimæ Moguntiam usque adversus Hludowicum procinctum ducit; sed obsistente ipso, a transitu fluminis diu abstinetur; verum astu quodam atque perfidia populi Hludowico inhærentis [1] Lothario transeunte, Hludowicus Babioriam petivit. Carolum quoque a Sequanæ transitu Lotharii multiplex populus nititur inhibere; qui tamen, virili prudentia prudentique virtute transposito flumine, omnes in fugam bis terque coegit. Lotharius, audita suorum fuga Carolique adventu, iterum Rhenum transponit, dispositisque adversus Hludowicum custodiis, obviam Carolo proficiscitur. Hludowicus in Lotharii adversus se dispositas turmas irruens, magnaque ex parte internecioni donans, ceteros in fugam egit ac deinde Carolo fratri opem laturus properare festinat. Interea [a] piratæ Danorum ab oceano Euripo [b] devecti, Rotumam [c] irruentes, rapinis, ferro, igneque bacchantes, urbem, monachos, reliquumque vulgum et cædibus et captivitate pessumdederunt, et omnia monasteria seu quæcumque loca flumini Sequanæ adhærentia aut depopulati sunt, aut multis acceptis pecuniis territa relinquunt. Hludowico denique propinquanti [2] Carolus frater summo desiderio atque amore obvius venit, pariterque conjuncti, sicut fraterna caritate, ita etiam castrorum metatione, convivii etiam consiliorumque unitate, apud fratrem Lotharium super pacis et unanimitatis, totius quoque populi et regni gubernatione, creberrimis [3] legationibus satisagunt; qui tamen sæpissimis eos legatis et iuramentis ludens, tandem recepto ab Aquitania Pippino, Pippini dudum defuncti fratris filio, in pago Altiodorensi, in loco qui dicitur Fontanidus, utrumque fratrem regni portionibus hostili apparatu privare contendit. Cumque ad pacis fraternitatisque concordiam minime revocari posset, obviis fratribus septimo Kalendas Iulii die sabbato mane interceptus, multis utrimque cadentibus, compluribus profligatis, turpiter victus aufugit. Palantium autem cædes passim agitabatur, donec Hludowicus et Carolus pietate ferventes ab eorum interfectione cessandum decreverunt; quin etiam longius a castris obtentu christianitatis fugientes persequi desierunt, episcopisque

A mandatum, ut die crastina, quia ejusdem rei gratia in loco eodem stativa habuerunt, mortuorum cadavera, prout temporis [4] opportunitas sineret, sepulturæ mandarent. In quo prælio Georgius, Ravennatis episcopus, a Gregorio Romano pontifice ad Lotharium fratresque eius pacis gratia directus, sed a Lothario detentus, neque ad fratres venire permissus, captus est, et cum honore ad propria remissus. Lotharius terga vertens et Aquasgrani perveniens, Saxones ceterosque contines restaurandi prælii gratia sibi conciliare studet, in tantum, ut Saxonibus qui Stellinga [d] appellantur, quorum multiplicior numerus in eorum gente habetur, optionem cuiuscumque legis vel antiquorum Saxonum consuetudinis, utram earum mal-B lent, concesserit; qui semper ad mala proclives, magis ritum paganorum imitari, quam christianæ fidei sacramenta tenere delegerunt. Herioldo, qui cum ceteris Danorum maritimis incommoda tanta sui causa ad patris iniuriam invexerat, Gualacras [e] aliaque [5] vicina loca huius meriti gratia in beneficium contulit. Dignum sane omni detestatione facinus, ut qui mala christianis intulerant, iidem christianorum terris et populis Christique ecclesiis præferrentur, ut persecutores fidei christianæ domini christianorum existerent, et dæmonum cultoribus christiani populi deservirent.

Hludowicus partim terroribus, partim gratia, Saxonum quidem complures, Austrasiorum, ToC ringorum atque Alamannorum suæ omnes subiugat ditioni. Carolus, dispositis, quantum opportunitas rerum [6] sivit, Aquitanicis partibus, per Cenomannos [f], Parisios atque Bellovagos [g], Franciam permeans, Hasbanienses [h] adit, sibique plus amore quam timore conciliat.

Lotharius, Rheni amne transposito, Hludowicum bello impetere moliens [7], cogitatuum suorum conatibus [8] frustatus, in Carolum subito vertitur, ratus eum longius a fratre Hludówico separatim aggressum facilius evincendum. Carolus Lotitiam [1] Parisiorum regressus, transito Sequana flumine Lotharii molitionibus diu obsistit. Lotharius transpositione fluvii prohibitus, superiores ipsius expetens partes per Mauripen-D sem i pagum Senones penetrat, unde et Cenomannos nullo negotio adiens, cuncta rapinis, incendiis, stupris, sacrilegiis, sacramentisque adeo

VARIANTES LECTIONES.

[1] inhærentes *Ch.* [2] propinquante *Ch.* [3] celeberrimis *Ch.* [4] corporis *Ch. et B. Quod emendandam censui.* [5] invexerat, Gaula Crusalia, quæ vicina loco *Ch.* [6] rerum *deest Ch.* [7] molliens *Ch.* [8] conatibus *deest Ch.*

NOTÆ.

[a] Hæc in Chronico de gestis Normannorum exscribuntur.
[b] Freto Caletano, *Canal.*
[c] *Rouen.*
[d] Cf. Nithardi Hist., lib. IV, cap. 2.
[e] *Walcheren* insula.
[f] *Le Mans.*
[g] *Beauvais.*
[h] Circa Leodium.

[1] I. e. Lutetiam.

Abbas Lebeuf putat Mauripensem pagum extensum esse secus ripam dexteram Sequanæ atque etiam parumper secus dexteram Icaunæ ripam. Vocatur Morivensis in actis synodi Suessionis habitæ anno 862; et Morvisus in Caroli Calvi capitulis Silvacensibus, an. 853. Lingua vernacula dictus fuerat *le Morvois*, postmodum corrupto nomine *le Montois*. Bouq.

iniuriat, ut ne ab ipsis adytis temperaret. Nam quoscumque salvandi gratia repositos vel in ecclesiis vel in earum gazophylaciis thesauros, etiam sacerdotibus et ceterorum ordinum clericis iuramento devinctis, reperire potuit, auferre non distulit; ipsas quoque sanctimoniales divinis cultibus deditas feminas in sui sacramenta coegit. Carolus apud Parisius diutius diversatus, urbem Catalaunis, dominicæ nativitatis festum ibi celebraturus advenit.

DCCCXLII

Inde Trecas adiens, per Alsensem [a] pagum et Tullum civitatem, Vosegi saltu transposito, penes Argentoratum urbem fratri Hludowico coniungitur. Lotharius nulla penitus sua suorumve utilitate inferiores Galliæ partes tantopere populatus, erga Parisiorum Lotitiam fluvium Sequanæ transiens, Aquasgrani rediit, fratrumque coniunctionem audiens, ægre tulit. Hludowicus et Carolus, quo sibi firmius populos utrique subditos necterent, sacramento sese alterutro devinxerunt; fideles quoque populi partis utriusque pari se iuramento constrinxerunt, ut uter eorumdem fratrum adversus alterum sinistri quippiam moliretur, relicto prorsus auctore dissidii, omnes sese ad servatorem fraternitatis amicitiæque converterent. Quibus patratis, ad Lotharium pacis gratia dirigunt; qui legatis eorum a sui præsentia atque conloquio inhibitis, ad obsistendum fratribus se suosque hostiliter præparat. Quo in Sentiaco [1] [b] palatio, a Mosella flumine octo ferme milibus constructo, eiusdem [2] transeundi facultatem dispositis custodiis denegante, Hludowicus navali, Carolus equestri apparatu, castrum Confluentes perveniunt, ibique Mosellam viriliter [3] transire inchoantibus, omnes Lotharii excubiæ velociter aufugerunt. Lotharius, inopinato fratrum adventu territus, cessit, sublatisque cunctis ad Aquisgrani palatio tam sanctæ Mariæ quam regalibus thesauris, disco etiam miræ magnitudinis ac pulchritudinis argenteo, in quo et orbis totius descriptio et astrorum consideratio, et varius planetarum discursus, divisis ab invicem spatiis, signis eminentioribus sculpta radiabant [c], particulatim præciso suisque distributo, a quibus tamen, quamvis tale mercede conductis, per contubernia turmatim deserebatur [4], per Catalaunis fugiens, apud Trecas paschali solemnitate peracta, Lugdunum petiit. Hludowicus penes Coloniam Agrippinam, Carolus in Heristallio palatio eamdem festivita-

A tem celebrantes, homines ipsarum partium ad sese refugientes suscipiunt, fratremque [5] persequi desistentes. Quibus multipliciter receptis, fratris abitum gradu tardiusculo insequuntur, quia [6] apud fratres super pacis fœdere licet invitus satagens, legatos quibus plurimum nitebatur dirigit. Electo ad hoc negotium [7] Matasconis urbis vicinio, illuc utrimque coitur, et utriusque partis castra Arare fluvio dirimente, in quamdam insulam ejusdem fluminis ad commune colloquium aspectumque coeunt. Ubi venia de præteritis perperam gestis vicissim postulata atque accepta, sacramentum quoque alter alteri veræ pacis fraternitatisque iuraverunt, et de regni totius æquis portionibus diligentius faciendis Kalendis Octobribus in urbe B Mediomatricorum, Metis vocabulo [8], decreverunt. Ea tempestate Normannorum classis in emporio quod Quantovicus [9] [d] dicitur, repentino sub lucem adventu deprædationibus, captivitate et nece sexus utriusque hominum adeo debacchati sunt, ut nihil in eo præter ædificia pretio [10] redempta relinquerent. Maurorum etiam piratæ per Rhodanum prope Arelatum delati, cuncta passim deprædati, impune oneratis navibus regressi sunt. Carolus autem a Matascone Aquitaniam ingressus atque pervagatus, ad memoratum placiti locum et tempus venire non distulit. Lotharius apud Augustam Treverorum legatos Græcorum [e] suscipit, eisque absolutis, eiusdem placiti tempore palatio quod Theodonis villa dicitur resedit.

C Hludowicus, peragrata omni Saxonia, cunctos sibi eatenus obsisteutes vi [11] atque terrore ita perdomuit, ut comprehensis omnibus auctoribus tantæ impietatis, qui et christianam fidem pene reliquerant, et sibi suisque fidelibus tantopere obstiterant, 140 capitis amputatione plecteret, 14 patibulo penderet, innumeros membrorum præcisione debiles redderet, nullumque sibi ullatenus refragantem relinqueret. Interea Beneventanis inter se dissidentibus, Sarraceni ab Africa ab eis invitati, primo quidem auxiliatores, postmodum vero violenti insecutores, plurimas civitatum vi obtinent. Carolus mense Octobri ab urbe Mediomatricorum Vangium profectus, Hludowico fratri coniungitur. Quibus inibi diutius immoran-D tibus, et missis alternatim ad Lotharium intercurrentibus ac de regni portionibus multum diuque consultantibus, tandem inventum est, ut missi trecitini [f] per universum suæ ditionis regnum deligerentur, quorum industria diligentior des-

VARIANTES LECTIONES.

[1] Quo Hisentiaco *Ch.* [2] et eiusdem *Ch.* [3] *deest Ch.* [4] *ita emendavi, Ch. et B.* deferebatur *legunt.* [5] fratrem *Ch.* [6] qui ? [7] negocium *Ch.* [8] iterum convenire *vel aliud eiusmodi ante* decreverunt *excidisse videtur.* [9] quentovicus *Ch.* [10] precio *Ch.* [11] *sic legendum censeo*; *Ch.* obsistentes sui, atque terrore, *B.* obsistentes suisque terrore.

NOTÆ.

[a] Abbas Lebeuf Alsensem putat pagum esse *l'Azois* dictum, inter Trecas et Barrum ad Albam. BOUQUET.

[b] *Sinzig.*

[c] Cf. Eginhardi Vitam Caroli, cap. 33.

[d] Alii putant Quantovicum locum esse ad Quantiam situm, non longe a Stabulis, aut a monasterio sancti Judoci, in Ambianensi diœcesi; alii vero ipsum esse sancti Judoci monasterium existimant. Quatovici cladem in annum 844 rejicit Chronicon Fontanellense. BOUQ.

[e] Id est Theodoræ Augustæ et Michaelis ejus filii. BOUQ.

[f] Id est triceni.

criptio fieret, cuius serie trium fratrum æquissima regnorum divisio irrefragabiliter statuto tempore patraretur : quibus destinatis, Hludowicus Germaniam repedat, Lotharius medioximis [1] regni Francorum immoratur ; Carolus Carisiacum palatium veniens, Ermendrud, neptem Adalardi comitis, uxorem ducit, atque Augustam Viromandorum, ad memoriam videlicet beati Quintini martyris, nativitatis Domini et apparitionis festum celebraturus, proficiscitur. Inter hæc terræmotus in inferioribus Galliæ factus est.

DCCCXLIII.

Lotharius et Hludowicus intra fines regnorum suorum sese cohibentes, pacifice degunt. Carolus Aquitaniam pervagatur. Quo illic constituto, Nomenogius Britto et Lantbertus, qui nuper ab eius fidelitate defecerant, Rainaldum, Namnetorum ducem, interficiunt, complures capiunt. Emergentibus igitur hinc inde tot tantisque incessabiliter malis, vastante passim cuncta raptore, coacti sunt per multa totius Galliæ loca homines terræ mixtam paucitatem farinæ atque in panis speciem redactam comedere, eratque lacrimabile, imo execrabile nimium facinus, cum iumenta raptorum pabulis abundarent, et homines ipsius terrenæ admixtionis crustulis indigerent. Piratæ [a] Nordmannorum urbem Namnetum [2] adgressi, interfectis episcopo et multis clericorum atque laicorum sexusque promiscui, deprædata civitate, inferioris Aquilaniæ partes depopulari adoriuntur ; ad postremum insulam quamdam [b] ingressi, convectis a continenti domibus, hiemare velut perpetuis sedibus statuerunt. Carolus ad condictum fratribus obvians penes Virodunum coniungitur ; ubi distributis portionibus, Hludowicus ultra Rhenum omnia, citra Rhenum vero Nemetum, Vangium et Moguntiam civitates pagosque sortitus est ; Lotharius inter Rhenum et Scaldem in mare decurrentem, et rursus per Cameracensem, Hainnoum [c] [3] Lomensem [d], Castritium [e], et eos comitatus qui Mosæ citra contigui habentur usque ad Ararem Rodano influentem, et per deflexum Rodani in mare, cum comitatibus similiter sibi utrimque adhærentibus ; cetera usque ad Hispaniam Carolo cesserunt : factisque sacramentis, tandem altrinsecus est discessum. Ea tempestate, concordantibus

A ad invicem Beneventanis, Dei auxilio de illis partibus Sarraceni expulsi sunt.

DCCCXLIV.

Hiems mollissima usque ad Calendas [4] Februarii quadam temperie modificata, Bernardus [f], comes marcæ Hispanicæ, iamdudum grandia moliens [5] summisque inhians, maiestatis reus Francorum iudicio iussu Caroli in Aquitania capitalem sententiam subiit. Gregorius, Romanæ Ecclesiæ pontifex, decessit, cui Sergius succedens, in eadem sede substituitur. Quo in sede apostolica ordinato, Lotharius filium suum Hludowicum Romam cum Drogone, Mediomatricorum episcopo, dirigit, acturos, ne deinceps decedente apostolico

B quisquam illic præter sui iussionem missorumque suorum præsentiam ordinetur antistes. Qui Romam venientes, honorifice suscepti sunt, peractoque negotio, Hludowicum pontifex Romanus unctione in regem consecratum cingulo decoravit ; Drogonem vero episcopum sui vicarium Galliarum Germaniarumque partibus designavit. Siginulfus, Beneventanorum dux, ad Lotharium cum suis omnibus sui deditionem faciens, centum milium aureorum mulcta sese ipsi fecit obnoxium ; quibus Beneventani, qui pridem alias versi fuerant, compertis, ad eumdem Siginulfum sese convertentes, Sarracenorum reliquias a suis finibus expellere moliuntur. Lantbertus cum Britonibus quosdam Caroli markionum Meduanæ [g] ponte interceptos perimit. Pippinus, Pippini quondam regis filius, exercitui [6] ex

C Francia ad Carolum Tolosam civitatem obsidione vallantem properanti in pago Ecolesimo occurrens, ita brevi et absque suorum casu profligavit ut primoribus interfectis, ceteros fugam etiam ante congressum ineuntes, vix paucis evadentibus, aut caperet, aut spoliatos sacramentoque adstrictos ad propria redire permitteret. Qua inopinata congressione Hugo, presbyter et abbas [h], filius Caroli Magni quondam imperatoris et frater Hludowici itidem imperatoris patruusque Lotharii Lodoici et Caroli regum, necnon Richboto abbas [i], et ipse consobrinus regum, nepos videlicet Caroli imperatoris ex filia, Eckardus quoque et Ravanus comites cum aliis pluribus interfecti ; capti vero Ebroinus, Pictavorum episcopus, Ragenarius, Sa-

VARIANTES LECTIONES.

[1] medioximus *Ch.* [2] nannetum *Ch.* [3] hainnaum, iœmsem *Ch.* [4] kalendas *Ch.* [5] molliens *Ch.* [6] exercitu *Ch.*

NOTÆ.

[a] In Chronico de Normannorum gestis exscriptum.

[b] *L'île de Rhé.*

[c] *Hennegau.*

[d] Comitatus Namurcensis, et pars episcopatus Leodiensis inter Sabim et Mosam.

[e] Ad fluvios Mosam et Barum, in quo *Donchery.* Valesii Notit. Gall., p. 133. Versus septentrionem igitur usque ad pagi Lomensis confinia pertinuisse videtur.

[f] Is duos ex uxore Dodana reliquit filios, ut ipsamet testatur in suo Manuali a Mabillonio sæc. IV.

D Benedict., part. I, pag. 750, publicato. Ex quo etiam liquet Willelmum, Bernardi filium natu majorem, hoc anno annum ætatis 18 egisse ; ait enim Dodana eum natum esse anno 13 Ludovici Pii, III Kalendarum Decembrium, hoc est anno Christi 826. Willelmus patris mortem ulturus, Pippini auxilio Tolosam intercepit, quam statim Carolus rex obsidione cinxit. Bouq.

[g] *Mayenne.*

[h] Sancti Quintini et sancti Bertini.

[i] Centulensis.

marobrivæ[1]. [a]Ambianorum episcopus, et Lupus abbas, ac filii Eckardi comitis duo, item Lokardius[2], Guntardus et Richuinus comites, Engilwinus etiam, aliique non pauci nobilium. Nomenogius Britto eadem tempestate fines sibi suisque antecessoribus distributos insolenter egrediens, Cenomannos usque cuncta longe lateque populando, ignibus etiam plurima cremando, pervenit; ubi audita Nordmannorum in fines ejus irruptione, redire compulsus est.

Hludowicus, rex Germanorum, populos Sclavorum et terras aggressus, quosdam in deditionem cepit, quosdam interfecit, omnes pene illarum partium regulos sibi aut vi aut gratia subegit. Nortmanni [b] Britanniam insulam, ea quam maxime parte quam Angli-Saxones incolunt, bello impetentes, triduo pugnando victores effecti, prædas, rapinas, neces passim facientes, terra pro libitu potiuntur. Interea fratrum, id est Lotharii, Hludowici et Caroli, alternatim fraterno affectu legatis multifariam discurrentibus, mense Octobri iidem penes Theodonis villam conveniunt, habitoque diebus aliquot amicabili pernecessarioque conloquio, inter se fraternitatis et caritatis jura in posterum non violanda confirmant. Omnes quoque discordiarum satores cauturos sollicitius exsecraturosque, et statum ecclesiarum, imminentibus necessitatibus fœdissime rebus dilaceratum, ac personis minus congruis, id est laicis, vulgo contraditum, redintegraturos sese promittunt. Unde et ad Pippinum, Landbertum atque Nomenogium pacis gratia missos pariter destinant, ut fratri Carolo ut obedientes fideles de cetero permansuri occurrere non differant; sin alias, eis tempore opportuno viriliter conglobati, eorum infidelitatibus ulciscendis, se interminando profecturos pronunciant.

Nordmanni per Garrondam Tolosam usque proficiscentes, prædas passim impuneque perficiunt; unde regressi quidam Galliciamque adgressi, partim balistariorum occursu, partim tempestate maris intercepti dispereunt; sed et quidam eorum ulterioris Hispaniæ partes adorsi, diu acriterque cum Sarracenis dimicantes, tandem victi resiliunt.

DCCCXLV.

Hiems asperrima. Nordmannorum naves centum viginti mense Martio per Sequanam hinc et abinde cuncta vastantes, Loticiam Parisiorum nullo penitus obsistente pervadunt. Quibus cum Carolus occurrere moliretur, sed prævalere suos nullatenus posse prospiceret, quibusdam pactionibus, et munere

A septem milium librarum eis exhibito, a progrediendo compescuit, ac redire persuasit. Fulcradus comes et ceteri Provinciales ab Lothario[3] deficiunt, sibique potestatem totius Provinciæ usurpant. Nordmannorum rex Oricus [c] sexcentas naves per Albim fluvium in Germaniam adversus Hludowicum dirigit: quibus Saxones occurrentes, commisso prælio, Domini nostri Jesu Christi auxilio victores efficiuntur: unde digressi, Sclavorum quamdam impetunt et capiunt civitatem. [d] Fames valida Galliæ interiora consumit, adeo ut multa hominum milia eadem invalescente absumpta sint. Carolus agrum Floriacum [e], in quo sancti Benedicti monasterium consistit, duodecim ab Aurelianorum urbe leugis, veniens, Pippinum Pippini filium suscipit, et receptis ab eo sacramentis

B fidelitatis, quatenus ita deinceps ei fidelis sicut nepos patruo existeret, et in quibuscumque necessitatibus ipsi pro viribus auxilium ferret, totius Aquitaniæ dominatum sibi permisit, præter Pictavos, Sanctonas et Ecolimenses; unde et omnes Aquitanici, qui eatenus cum Carolo fuerant, ad eumdem Pippinum continuo sui conversionem efficere studuerunt.

Beneventani cum Sarracenis, veteri discordia recrudescente, denuo dissident. Nordmanni [f], alveo Sequanæ remenso, maria repetunt, cuncta maris loca finitima diripiunt, vastant, atque incendiis concremant. Sed licet peccatis nostris divinæ bonitatis æquitas nimium offensa, taliter christianorum terras et regna attriverit, ne tamen

C etiam pagani improvidentiæ aut certe impotentiæ Dominum omnipotentissimum impune diutius insimularent, cum a quodam monasterio, Sithdiu [g] nomine, direpto incensoque, oneratis navibus repedarent, ita divino iudicio vel tenebris cœcati et insania sunt perculsi, ut vix perpauci evaderent, qui Dei omnipotentis iter[4] ceteris nunciarent. Unde, ut fertur, commotus animo rex eorum[5] Oricus, ad Hludowicum, regem Germanorum, legatos pacis gratia destinat, captivitatem [h] absolvere thesaurosque paratus pro viribus restituere. Lotharius Provinciam ingressus, fere totam[6] suæ potestati recuperat. Dani, qui anno præterito Aquitaniam vastaverant, remeantes, Sanctonas invadunt, confligentes superant, quietisque sedibus immorantur. Karolus Britanniam Galliæ cum paucis minus caute aggressus, deficientibus suis rebus sinistra fortuna universis, Cenomannos festinato revertitur, reparatoque exercitu, eamdem parat impetere.

VARIANTES LECTIONES.

[1] *Ch.* somarobricæ. [2] *Ch. in margine* Leutharius [3] *fortasse* a Hlotario. [4] iram? [5] *deest Ch.* [6] ingressus Bretotiam suæ *Ch. B.*

NOTÆ.

[a] *Amiens.*
[b] In Chronico de gestis Normannorum exscriptum.
[c] In Chronico de gestis Normannorum exscriptum.
[d] Hamburgum innuit.
[e] *Fleury*, ubi sæculis aliquot post Hugo Floriacensis scripsit.
[f] Cf. Chronicon. de gestis Normannorum.
[g] S. Bertini.
[h] Id est captivos universos.

DCCCXLVI.

Piratæ [a] Danorum Fresiam adeuntes, recepto pro libitu censu, pugnando quoque victores effecti, tota pene provincia potiuntur. Ventus aquilo per totam hiemem usque ad ipsa fere Maii mensis initia acerrime segetibus et vineis incumbit. Luporum incursio inferiorum Galliæ partium homines audentissime devorat, sed et in partibus Aquitaniæ in modum exercitus usque ad trecentos ferme conglobati et per viam facto agmine gradientes, volentibusque resistere fortiter unanimiterque contrastare feruntur. Carolus apud villam sancti Remigii [b], Sparnacum [c] nomine, contra morem conventum populi sui generalem mense Iunio habuit, in quo episcoporum regni sui pernecessaria admonitio de causis ecclesiasticis ita flocci pensa est, ut B vix umquam reverentia pontificalis, christianorum duntaxat temporibus, sic posthabita legatur. Quadam die iunior quidam [1] cum equa coiens repertus, iudicio Francorum vivus incendio crematur. Inde partes Britanniæ Carolus cum exercitu petens, pacem cum Nomenogio, duce Brittonum, intervenientibus hinc et inde [2] sacramentis paciscitur. Huius anni mense Maio tanta apud Altiodorum civitatem inundatio pluvarium fluxit, ut parietes penetrans, ipsas etiam cupas plenas vini in fluvium Icaunam [d] retulerit, sed et, quod est mirabilius, quamdam vineam cum terra, vitibus et arboribus omnibus in nullo disruptam, ita ut erat solidam, a parte Icaunæ fluminis in alteram eiusdem fluvii partem transposuerit, ac si in eodem C agro naturaliter fuerit.

Mense augusto Sarraceni Maurique Tiberi Romam aggressi, basilicam beati Petri apostolorum principis devastantes, ablatis cum ipso altari, quod tumbæ memorati apostolorum principis superpositum fuerat, omnibus ornamentis atque thesauris, quemdam montem centum ab Urbe milibus munitissimum occupant. Quos quidem ducum [3] Hlotarii minus religiose adorsi atque deleti sunt; pars autem hostium ecclesiam beati Pauli apostoli adiens a Campaniensibus oppressa, prorsus interfecta est. Hludowicus, rex Germanorum, adversus Slavos profectus, tam intestino suorum conflictu quam hostium victoria conterritus, reversus est. Hlodoicus Hlotarii filius, D rex Italiæ, cum Sarracenis pugnans victus vix Romam pervenit.

DCCCXLVII.

Legati [e] Abdirhaman, regis Sarracenorum, a A Corduba Hispaniæ ad Carolum pacis petendæ fœderisque firmandi gratia veniunt, quos apud Remorum Durocortorum [f] decenter et suscepit et absolvit. Bodo qui ante annos aliquot [g] christiana veritate derelicta ad Iudæorum perfidiam concesserat, in tantum mali profecit, ut in omnes christianos Hispaniæ degentes tam regis quam gentis Sarracenorum animos concitare studuerit [4], quatenus aut relicta christianæ fidei religione ad Iudæorum insaniam Sarracenorumve dementiam se converterent, aut certe omnes interficerentur. Super quo omnium illius regni christianorum petitio ad Carolum regem regnique sui episcopos ceterosque nostræ fidei ordines lacrimabiliter missa est, ut memoratus apostata reposceretur, ne diutius christianis illic versantibus aut impedimento aut neci foret.

Dani [g] partem inferioris Galliæ, quam Britones incolunt, adeuntes, ter cum eisdem bellantes superant; Nomenogiusque victus cum suis fugit, dein per [5] legatos muneribus a suis eos sedibus amovit.

Sergius, Romanus pontifex, VI Kalend. Februarii defungitur, et Leo in eius locum eligitur. Sarraceni, oneratis thesaurorum multitudine, quos ex basilica beati Petri apostoli asportarant, navibus redire conati, cum inter navigandum Deo et Domino nostro Iesu Christo ejusque apostolis ore pestifero derogarent, orto repente inevitabili turbine, conlisis in sese navibus, omnes pereunt: quædam thesaurorum in sinibus defunctorum, quos mare littoribus reiecerat, inventa, ad beati Petri apostoli memoriam revehuntur. Scotti [h] a Nortmannis [6] per annos plurimos impeti, tributarii efficiuntur, insulis circumquaque positis nullo resistente potiti immorantes [7].

Hlotharius, Hludowicus [8] et Carolus legatos ad Oric, Danorum regem, destinant, mandantes ut suos a [9] christianorum infestationibus cohiberet, sin alias, bello se impetendum nullatenus dubitaret.

Ea tempestate Mauri et Sarraceni Beneventum invadunt, et usque ad Romana confinia populantur. Dani Aquitaniam maritimam impetunt et prædantur, urbemque Burdegalam diu oppugnant; alii quoque Danorum emporium quod Dorestadum [10] dicitur et insulam Batavam occupant atque obtinent. Hludowici [11], Germanorum regis, exercitus advertus Sclavos prospere dimicant, ita ut, quod ante annum amiserat, reciperet.

VARIANTES LECTIONES.

[1] Iuniorem cum *Ch.* [2] et abinde *Ch.* [3] *ita Chesnii et Bouq. lectionem* dudum *correxi.* [4] statuerit *Ch. et B. deest. C.* [5] Normannis *Ch. sic pluries.* [6] *Locus haud dubie corruptus*; *fortasse legendum*; efficiuntur; qui (*i. e. Nortmanni*) insulis... immorantur. [8] Hlodowicus *Ch.* [9] *Deest Ch.* [10] Dorastadum *Ch.* [11] Hlodowici *Ch*,

NOTÆ.

[a] Cf. Chronicon de gestis Normann.
[b] Id est Ecclesiæ Rhemensis.
[c] *Epernay.*
[d] *Yonne.*
[e] De causis hujus legationis ef. Petrum de Marca lib III Marcæ Hispan., cap. 27.
[f] *Reims.*
[g] Cf. supra an. 839.
[h] Cf. Chron. de gestis. Norm. an. 840.

DCCCXLVIII

Sclavi in regnum Hludowici hostiliter irruentes, ab eo in Christi nomine superantur. Carolus Nortmannorum Burdegalam oppugnantium partem aggressus, viriliter superat. Exercitus Hlotharii contra Sarracenos Beneventum obtinentes dimicans, victor efficitur. Dani [a] Burdegalam Aquitaniæ, Iudæis prodentibus, captam depopulatamque incendunt. Aquitani desidia inertiaque Pippini coacti, Carolum petunt, atque in urbe Aurelianorum pene omnes nobiliores cum episcopis et abbatibus in regem eligunt, sacroque chrismate delibutum et benedictione episcopali solemniter consecrant. Piratæ Græcorum Massiliam Provinciæ nullo obsistente vastantes, impune recedunt. Nortmanni [b] Metullum [1] vicum [c] populantes, incendio tradunt. Scotti super Nortmannos irruentes, auxilio Domini nostri Iesu Christi victores eos a suis finibus propellunt; unde et rex Scottorum ad Carolum pacis et amicitiæ gratia legatos cum muneribus mittit, viam sibi petendi Romam concedi deposcens. Mauri denuo Beneventum invadunt. Guilhelmus [d], filius Bernardi, Impurium [e], et Barcinonam dolo magis quam vi capit.

DCCCXLIX.

Hlotharius et Carolus, sanioribus usi consiliis, in pacem germanamque concordiam redeunt. Apud Galliam XIII Kal. Martii, nocte sequenti clericis nocturnas preces Domino solventibus, terræ motus valide sed nulla quorumlibet ædificiorum ruina factus est. Godescalcus Gallus quidam, monasterii Orbacensis parœciæ Suessionicæ monachus et presbyter, scientia tumidus, quibusdam superstitionibus deditus, Italiam specie religionis aggressus, inde turpiter eiectus, Dalmatiam, Pannoniam Noricamque adorsus, quædam nostræ saluti valde contraria, præcipue sub nomine prædestinationis, pestiferis dictis et scriptis adstruens, in præsentia Hludowici, Germanorum regis, episcopali concilio detectus atque convictus, tandem ad dioeceseos suæ urbem metropolim, Remorum Durocortorum nomine, cui Ingmarus vir venerabilis præsidet, redire compellitur, quatenus illic dignum suæ perfidiæ iudicium subiret. Quem sanctæ Dei Ecclesiæ strenuissimus cultor [2] Carolus, advocato sanctorum memoratæ dioeceseos episcoporum conventu [3] [f], suis aspectibus præsentari decrevit, quo perductus, publice flagellatus librosque suarum adsertionum igni cremare compulsus est. Hludowicus et Carolus germana caritate convenientes, tanto fraterni amoris vinculo devincti patuerunt, ut alter alteri baculos publice tribuendo, regum uxores et liberos superstiti commendaret.

Carolus Aquitaniam aggreditur. Nomenogius Brito [4] consueta perfidia Andegavis et vicina eis circumquaque loca invadit. Nortmanni [g], Petrocorium [h], Aquitaniæ civitatem, populantes [i], incendunt, atque

VARIANTES LECTIONES

[1] Metallum *Chesn. et Bouq., qui tamen* metullum *corrigendum censuit*. [2] Suæ perfidiæ. Strenuissimus cultor *Ch*. [3] *Quæ supra leguntur, restituere conatus sum, antequam, Bouqueti conjecturam vidissem. Ea sic se habet* perfidiæ supplicium lueret: quem sanctæ Dei Ecclesiæ st. c., *nec ita quoque legi posse diffiteor. Bouquetus adjicit*: *Doctissimus abbas Lebeuf qui hanc annalium partem Prudentio tribuit, hunc de Gothescalco locum ab Hincmaro interpolatum suspicatur, sicque primum a Prudentio scriptum*: Godescalcus Gallus quidam, monasterii Orbacensis diœceseos Suessonicæ monachus et presbyter, reprehensus quod quædam nostræ saluti valde contraria, præcipue sub nomine prædestinationis, suis dictis et scriptis adstrueret, Italiam aggressus, inde turpiter ejectus, Dalmatiam, Pannoniam Noricamque adorsus, in præsentia Hludowici Germanorum regis episcopali concilio detectus atque convictus, tandem ad diœceseos suæ urbem metropolim Remorum, Durocortorum nomine, cui Ingmarus vir venerabilis præsidet, redire compellitur, Quem non multo post Ecclesiæ Dei strenuissimus cultor Carolus, etc. [4] Britto *Ch*.

NOTÆ

[a] Cf. Chron. de gestis Nortmann.

[b] Cf. idem.

[c] Metullum, Metulum, castrum in Pictonibus situm. Bouq.

[d] Guillelmus ducatum Tolosanum a Pippino, Aquitaniæ rege, obtinuit vel post mortem patris, vel anno 845, quo Pippinus, pace facta cum Carolo, maximam Aquitaniæ partem acquisivit. Bouq.

[e] Ampurias.

[f] Carisiaci. Hincmarus in libello de Prædestinatione, cap. 2, ait: *In synodali conventu in Carisiaco palatio iterum auditus Gothescalcus ab episcopis et ceteris quam plurimis viris ecclesiasticis atque religiosis, qui eidem synodo interfuerunt, videlicet Wenilone Senonensium archiepiscopo, Hincmaro Remorum episcopo, aliisque duodecim ibidem nominatis*. Bouq.

[g] Cf. Chron. de gestis Norm. a. 848.

[h] *Périgueux*.

[i] De hac clade insignis est epistola Agii Vabrensis abbatis, quam ineunte sæculo decimo scripsit de origine monasterii Vabrensis: cujus epistolæ fragmentum retulit Catellus in Historia comitum Tolosanorum, pag. 69: *Tempore*, inquit Agius, *quo ex partibus Europæ ab aquilonis cardine diffusa gens Marchomanorum sævissima atque barbarorum immanior, Galliamque introgressa, fortissimis ictibus sancta patiebatur Ecclesia: nam nullo ferente barbarorum vesaniam, erat non modica tribulatio, quia per omnes pene pagos juxta Gallicum oceanum dispersæ sunt ecclesiæ urbesque depopulatæ, atque monasteria abjecta. Tanta namque fuerat rabies persequentium, ut quos capere Christianos quivissent, aut mucrone necarent, aut etiam quos horror necis innocentum invaserat, propter redemptionem servare nitebantur. Nonnulli equidem Christianorum torvissimam experti persecutionem, relinquentes prædia et paternos abjicientes fundos, partes Orientis se incolatus dedere. Multi denique elegerant magis cuspidibus occumbere potius, quam incolumes paternos linquere lares. Alii nempe plures, quorum in cordibus fides minime radices ceperat, lavacrum sanctæ regenerationis negligentes, sed paganorum latebrosas diligentes astutias, illorum se fœderi et vitiis* [sociabant]... *Erat igitur eo tempore monasterium in provincia Galliæ in Petracorio pago, nomine Palnatus, in quo jugiter, deicolæ Christo famulabantur, nihil habentes proprium præter quod norma sancti Benedicti cedebat. Alia namque monasteria in eadem provincia oppido ditiora, in quibus, jam fata ingruente peste, famis periculo multi monachorum sancti Benedicti normam negligere cæperunt*, etc. Bouque.

impune ad naves remeant. Mauri et Sarraceni Lunam, Italiæ civitatem, adprædantes [1], nullo obsistente maritima omnia usque ad Provinciam devastant. Karolus filius Pippini, relicto Hlothario, fratrem suum Pippinum in Aquitania vagantem adire cupiens, a fidelibus Caroli regis comprehensus est, et ad ejus præsentiam perductus; qui, merito perfidiæ in eumdem patruum suum et patrem ex fonte sacro, sententiam quidem capitalem meruerat, sed clementiæ respectu servatus est. Unde et mense Iunio apud urbem Carnutum [a] Carolo rege conventum habente, post missarum solemnia ambonem ecclesiæ conscendens, innotuit omnibus voce propria, se ob divinæ servitutis amorem clericum nullo cogente velle fieri; ibique ab episcopis qui præsentes aderant benedictus, et ad clericum tonsus est. Hludowicus rex Germanorum ægrotans, exercitum suum in Sclavos dirigit; qui turpiter profligatus, quid dispendii sibi absentia ducis intulerit, cadendo fugiendoque expertus est. Carolus Aquitaniam ingressus, pene omnes Christo sibi propitio [2] conciliando subiugat, marcam quoque Hispanicam pro libitu disponit. Nomenogius Britto consueta sibi insolentia bacchatus est.

DCCCL

Guilhelmus, Bernardi filius, in marca Hispanica Aledramnum et Isembardum comites dolo capit, sed ipse dolosius captus, et apud Barcinonem [b] interfectus est. Mauri usque ad Arelatum, nullo obsistente, cuncta devastant, sed cum redirent, vento contrario rejecti et interfecti sunt. Lotharius filium suum Hludowicum [3] Romam mittit, qui a Leone papa honorifice susceptus et in imperatorem unctus est. Oric [4], rex Nortmannorum [5], impugnantibus sese duobus nepotibus suis, bello impetitur: quibus partitione regni pacatis, Roric [6] nepos Herioldi, qui nuper a Lothario defecerat, assumptis Nortmannorum [c] exercitibus, cum multitudine navium Fresiam et Batavum insulam aliaque vicina loca per Rhenum et Vahalem devastat. Quem Lotharius cum comprimere nequiret, in fidem recepit, eique Dorestadum et alios comitatus largitur; ceterorum vero pars Menapios [d], Tarvisios [e] aliosque maritimos deprædantur, pars Britanniam insulam Anglosque impetentes, ab eis auxilio Domini nostri Iesu Christi superantur.

DCCCLI

Nomenogius [f] Brito moritur. Lotharius [7], Hludowicus et Carolus apud Marsnam [g] palatium conveniunt, ubi etiam fraterne paucis diebus morati, hæc communi procerum suorum consilio atque consensu decernunt, propriorumque nominum monogrammatibus confirmant [h].

Cap. I. « Ut omnium præteritorum malorum et contrarietatum et supplantationum ac malarum machinationum seu nocimentorum in invicem actorum abolitio ita inter nos fiat, et a nostris cordibus penitus avellatur cum omni malitia et rancore, ut nec in memoriam ad retributionem mali vel contrarietatis vel improperii de cetero exinde quiddam fiat.

Cap. II. « Ut tanta inter nos, Domino cooperante, veræ caritatis benignitas abhinc semper maneat, de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, sine dolo et simulatione, ut nemo suo pari suum regnum aut suos fideles, vel quod ad salutem et prosperitatem ac honorem regium pertinet, discupiat aut forconsiliet, aut per occultos susurrones libenter composita mendacia seu detractiones acceptet.

Cap. III. Unusquisque fideliter suum parem, ubicumque necessitas ei fuerit et ipse potuerit, aut per se aut per filium aut per fideles suos et consilio et auxilio adjuvet, ut regnum, fideles, prosperitatem atque honorem regium debite valeat obtinere, et veraciter unusquisque erga alterum certatim demonstret, quia in fratris sui adversitate, si evenerit, fraterno modo contristatur, et in prosperitate illius lætatur. Et talem fidem sicut inter nos modo abhinc in ante conservaturos [8] confirmatum habemus, sic unusquisque infantibus fratris sui, si obierit, qui superfuerit conservabit.

Cap. IV. « Et quia per vagos et inreverentes homines pax et tranquillitas regni perturbari solet, volumus ut ad quemcumque nostrum talis venerit, et de his quæ egit rationem et iustitiam subterfugere velit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, nisi ut ad rectam rationem et debitam emendationem perducatur; et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur.

Cap. V. « Similiter et de eo agendum est, qui pro aliquo capitali et publico crimine a quolibet

VARIANTES LECTIONES

[1] *Legendum aut* deprædantes *aut* adprehendentes. [2] Propicio *Ch.* [3] ludoicum *Ch.* [4] Orich *Ch.* [5] Nortmannorum *Ch.* [6] Rorich *Ch.* [7] Hlotharius *Chesn.* [8] conversaturos *Ch. et B.*

NOTÆ

[a] *Chartres.*

[b] Cf. Marcam Hispanicam, lib. III, cap. 17, num. 5 et 6.

[c] Cf. Chron. de gestis Normann.

[d] Flandriæ pars.

[e] Id est Tarvannenses, quorum caput Tervanna prope *St Omer* situm est.

[f] Nomenoius, dux Britanniæ, primum fuit missus Ludovici pii imperatoris, ut discimus ex litteris donationis ab eodem Nomenoio monasterio Rotonensi factæ, quas datas putat Mabillonius anno 834, quasque Sæc. 4 Benedict. parte II, pag. 185, recitat. Bouq.

[g] Marsna palatium ad confluentes Mosæ et Guliæ infra Trajectum superius situm, hodie *Mersen.*

[h] Cf. Baluzii Capitularia, t. II, col. 45, edit. Chiniac.; a quibus nostri aliquot verbis omissis vel mutatis differunt.

episcopo corripitur, vel excommunicationis [1] crimen faciens, regnum et regis regimen mutat, ne debitam penitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragat; interdum etiam incestam propinquam suam aut sanctimonialem, vel raptam sive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens secum duxit: hic talis cum episcopus, ad cuius curam pertinebat, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicuius nostrum inveniat, et Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat; sed a nobis vel a ministris reipublicæ constringatur, ut et simul cum diabolica præda, quam secum duxit, ad episcopum suum redeat, et de commisso crimine publico debitam pœnitentiam suscipiat aut susceptam legitime peragere compellatur.

Cap. VI. « Ut nostri fideles unusquisque in suo [2] ordine et statu veraciter sint de nobis securi, quia nullum abhinc inante contra legem et iustitiam, auctoritatem ac iustam rationem, aut damnabimus aut dehonorabimus aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus, et illorum, scilicet veraciter nobis fidelium, communi consilio, secundum Dei voluntatem et commune salvamentum, ad restitutionem sanctæDei Ecclesiæ et statum regni, et ad honorem regium [3] atque pacem populi commissi nobis pertinenti; assensum præbebimus in hoc, ut illi non solum non sint nobis contradicentes et resistentes ad ista exequenda, verum etiam sic sint nobis fideles et obedientes ac veri adiutores ac cooperatores, vero consilio et sincero auxilio, ad ista peragenda quæ præmisimus, sicut per rectum unusquisque in suo ordine et statu suo principi et seniori esse debet.

Cap. VII. « Ut sic simul coniuncti, et nos fratres ad invicem, et nos cum fidelibus nostris, et fideles nostri nobiscum, et omnes simul cum Deo nos reconiungamus, et, ut nobis sit propitius, illi pro devoto munere offeramus, ut unusquisque omnium nostrum absque sua propria excusatione aut iustificatione recognoscamus, in quibus aut singulatim aut communiter contra illius mandata et decreta suorum [4] fecimus aut consensimus in ordine ecclesiastico et statu regni, et per singula in medium illa propinquo vel confœderato, imo nec sibi ipsi, seculariter parcat, ut spiritualiter et salubriter parcere possit; quin, sicut præmisimus in præcedenti capitulo, vero consilio et sincero auxilio illa in commune certatim emendare totis viribus procuremus, quantocius rationabiliter poterimus.

Cap. VIII. « Et si aliquis ex subditis in quocumque ordine et statu de hac convenientia exierit, aut se retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, seniores cum veraciter fidelibus suis hæc secundum Dei voluntatem et legem ac iustam rationem, velit nolit ille qui divino consilio et decreto et huic convenientiæ resistens et contradicens fuerit, exsequantur. Et si aliquis de senioribus de hac convenientia exierit aut se retraxerit, cum pluressenioruin nostrorum fideles et regnorum primores convenerint inunum, eorum [5] qui hæc observaverint seniorum consilio et episcoporum indicio ac communi consensu, qualiter de eo, qui debite admonitus incorrigibilis perseveraverit, agendum sit, favente Domino decernemus et ut obnixius supradicta capitula a nobis auxiliante Domino inviolabiliter observentur, et nos illa observaturos certius credatis, manibus propriis subterfimavimus. »

Post [a] hæc piratæ Danorum Fresiam et Batavos populantur sed et usque ad monasterium sancti Bavonis quod Gant [b] dicunt debacchantes, idem monasterium incendunt, venientesque urbem Rotumum [c], usque ad Belvacum [d] pedestri gradu perveniunt. Qua incensa cum redirent, a nostris intercepti, et aliqua ex parte profligati sunt. Respogius, filius Nomenogii, ad Carolum veniens, in urbe Andegavorum datis manibus suscipitur et tam regalibus indumentis quam paternæ potestatis ditione donatur, additis insuper ei Redonibus [e]. Namnetis [f] et Ratense [g].

Sarraceni Beneventum et alias civitates quieta statione possident [h]. Hludowicus [6] rex Sclavos pene omnes populatur et suæ subiugat ditioni. Leo apostololicus, Sarracenorum irruptiones metuens, ecclesiam beati Petri hinc inde muro communiens, eumdem murum usque ad civitatem perducit, Romanæque urbi contiguum efficit.

DCCCLII.

Nortmanni [7] [i] 252 navibus Fresiam adeunt, acceptisque multis prout ipsi statuerunt, ad alia di-

VARIANTES LECTIONES.

[1] *cum Baluzio legendum* vel excommunicatur, aut ante 'excommunicationem crimen faciens, etc. [2] suo *deest Ch.* [3] regnum *Ch.* [4] *deest* Sanctorum. [5] eos *Ch.* [6] ludovicus *Ch.* [7] normanni *Ch.; sæpius quod hic monuisse sufficiat.*

NOTÆ.

[a] Cf. Chron. de gestis Normann. a. 850.
[b] *Gent.*
[c] *Rouen*
[d] *Beauvais.*
[e] *Rennes.*
[f] *Nantes.*
[g] Prope pagum Namnetensem situm (*le pays et duché de Raitz ou Retz*) vocabulum a vico Ratiatensi traxit, quem alii *le Restail*, alii *Rié*, alii jam destructum esse credunt. Valesii Notit. Gall., p. 465.
[h] Pagius ad annum 851, num. 1, legendum censet *non possident;* crediderim potius auctorem, quæ de civitatibus Beneventanis, præcipue Bari, ferri audierit, de ipsa Benevento urbe perperam intellexisse. Eam jam anno 848 Ludovicus II Saracenis eripuerat. Cf. Erchemperti Hist. Langob., c. 20. Murat. SS. II, I, 242.
[i] Cf. Chron. de gestis Norm.

vertunt. Mauri Barcinonam, Judæis prodentibus, capiunt, interfectisque pene omnibus christianis et urbe vastata, impune redeunt. Carolus fratrem Lotharium ad sui conloquium invitans apud Augustam Viromandorum [a], quæ beati Quintini martyris corpore insignitur, fraterne suscipit, honorifice afficit, germane tractat, regaliter munerat, redeuntemque benigne deducit.

Landbertus et Guarnarius fratres, pars vel maxima discordiarum, alter dolo, alter indicio interficiuntur. Salomon Britto Carolo fidelis efficitur, tertiaque Britanniæ parte donatur. Sancius, comes Vasconiæ, Pippinum Pippini filium capit [b], et usque ad præsentiam Caroli servat; quem Carolus captum in Franciam ducit, ac post conloquium Lotharii in monasterio sancti Medardi apud Suessiones tonderi iubet. Hludowicus [1], Lotharii filius, Beneventum adiens, Bairam [c] civitatem oppugnat, interruptoque muro, pessimus usus consiliis a cœpto resilit; nam dicentibus consiliariis suis, magnam illic partem esse thesaurorum, qua penitus fraudaretur, si passim omnibus intrandi copia daretur, in castra sese recipit, prohibitis omnibus ab irruptione urbis. Quibus recedentibus, Mauri ita noctu muri interrupta trabibus muniunt, ut venientem in crastinum hostem nullatenus formident; proinde in cassum tanto labore deducto, Hludowicus cum exercitu suo ad propria remeat. Abdirhaman [2], rex Sarracenorum in Hispania consistentium, Cordubæ moritur, regnumque ejus filius ipsius adsequitur. Godefridus, Herioldi Dani filius, qui quondam sub imperatore Hludowico Maguntiaci [3] fuerat baptizatus, a Lothario deficiens ad suos se confert; unde conrogata manu valida, Fresiam cum multitudine navium [4] adgreditur, deinde vicina Scaldis fluminis, ad postremum Sequanam [5] ingreditur. Quo occurrentibus Lothario et Carolo cum omni suo exercitu, utramque ripam ejusdem fluminis obsident.

DCCCLIII.

In qua obsidione dominicæ nativitatis festivitatem celebrant. Sed nolentibus ex parte Caroli erant inire bellum, absque utilitate recessum est. Carolus eumdem Godefridum quibusdam pactionibus sibi conciliat; ceteri Danorum usque ad mensem Martium inibi absque ulla formidine resident, cuncta eo furiosius quo liberius diripiunt, cremant atque captivant. Lothariusque filiam Caroli a sacro fonte suscipit, et paucos post dies ad sua remeare contendit. Dani [d], mense Iulio, relicta Sequana, Ligerim adeuntes, Namnetim urbem et monasterium sancti Florentii ac vicina loca populantur. Carolus mense Aprili synodum episcoporum iuxta urbem Suessionum in monasterium sancti Medardi adgregans, duos presbyteros, monachos eiusdem monasterii, ipse synodo præsidens, episcopis iudicantibus, degradari fecit, eo quod Pippinum furari et cum eo in Aquitaniam fugere disposuissent. Ingmarus, Remorum episcopus, omnes ecclesiæ suæ presbyteros, diaconos et subdiaconos, quoscumque Ebo post depositionem suam ordinaverat, synodo indicante, deposuit. Pippinus Carolo sacramentum fidelitatis iurat, et insuper habitum monachi suscipit, regulæque observationem more monachi solito promittit. Carolus inde ad Carisiacum veniens, cum quibusdam episcopis et abbatibus monasticis quatuor [e] capitula edidit, et propria subscriptione roboravit. Quorum primum est: a Deo neminem prædestinatum ad pœnam unamque esse Dei prædestinationem, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad restributionem iustitiæ. Secundum: liberum arbitrium, quod in primo ordine perdidimus, nobis præveniente et adiuvante Christi gratia redditum. Tertium: velle Deum generaliter omnes homines salvos fieri, licet non omnes salventur. Quartum: Christi sanguinem pro omnibus fusum, licet non omnes passionis mysterio redimantur. Aquitani pene omnes a Carolo recedunt, atque ad Hludowicum, regem Germaniæ, legatos suæ deditionis cum obsidibus mittunt. Idem Hludowicus pro quibusdam conditionibus, tempore pertubationum inter se et Carolum factis, adversus Carolum acriter permovetur. Gunedes [f] contra Hludowicum solitis sibi perfidiis mentiuntur. Lotharius imperator, defuncta ante biennium Ermengarda christianissima regina, duas sibi ancillas ex villa regia [6] copulavit, ex quarum altera, Doda vocabulo, filium genuerat, quem Karolomannum vocari iubet; aliique filii eius similiter adulteriis inserviunt. Piratæ [g] Danorum a Namnetibus superiora petentes, mense Novembri, VI videlicet Idus, urbem Turonum impune adeunt atque incendunt cum ecclesia sancti Martini et ceteris adiacentibus locis; sed quia evidenti certitudine hoc præscitum fuerat, corpus beati Martini ad Cormaricum [h], monasterium eius ecclesiæ, ac inde ad civitatem Aurelianorum transportaverunt [7].

Bulgari, societatis sivi Sclavis, et, ut fertur, a nostris muneribus invitati, adversus Hludowicum,

VARIANTES LECTIONES.

[1] *Ch. hic et alias* ludowicus, ludoicus. [2] abdirham *Ch. B.* [3] maguneiaci *Ch.* [4] navium *deest. Ch.* [5] Sequanam *deest in Ch. et Bouq., vocabulum tamen excidisse patet; pro ipsa re vel* Summam *vel* Sequanam *restituendum erat,* Sequanam *tamen esse, quæ anno sequenti narrantur et annales Fuldenses ad a* 850 *evincunt.* [6] sibi ancillas ex villa regia sibi copulavit *B.* [7] *legere malo, cum chronico de gestis Normannorum* transportatum est.

NOTÆ.

[a] *Saint-Quentin* Cf. Vales. Not. Gall., p. 595, 596.

[b] Mense Septembri. Cf. Chron. Aquitanicum sive Memmianum et Chron. Engolismense apud Bouq. VII, pag. 222, 223.

[c] *Bari* civitas intelligitur.

[d] Cf. Chron. de gestis Norm.

[e] Cf. Mabillonii Ann. Bened., lib. XXXIV, n. 52.

[f] Id est Winedi.

[g] Cf. Chron. de gestis Norm.

[h] *Cormeri*, in pago Turonico.

Germaniæ regem, acriter promoventur, sed Domino pugnante vincuntur. Græci vero non minus contra Hludowicum filium Lotharii, regem Italiæ, concitantur, propter filiam imperatoris Constantinopolitani ab eo desponsatam sed ad eius nuptias venire differentem. Romani quoque, artati Sarracenorum Maurorumque incursionibus, ob sui defensionem omnino neglectam apud imperatorem Lotharium conqueruntur.

DCCCLIV.

Carolus super fratris sui Hludowici fide suspectus, ad Lotharium in vico Leutico [a] venit, ubi diu de communi amicitia atque indissolubili [1] tractantes, tandem coram omnibus qui aderant, identidem super sancta iurando vicissim firmaverunt, commendatis alternatim filiis, proceribus et regnis. Interea Hludowicus adolescens, filius Hludowici regis Germanorum, ab Aquitanis a patre expetitur, Ligerim transit, et ab eis, a quibus fuerat postulatus, suscipitur. Carolus profectionem in Aquitaniam tempore quadragesimæ celebrat, in qua usque paschalem festivitatem demoratur, eiusque populus prædis, incendiis, hominumque captivitatibus totum suum laborem impendit nec ab ipsis ecclesiis et altaribus Dei suam cupiditatem et audaciam cohibet.

Lotharius fratrem suum Hludowicum super Rhenum de fraternitate erga Carolum alloquitur ; sed prius acriter sese mordentes, tandem ad concordiam redeunt, pacisque nomine fœderantur. Unde non modice Carolus sollicitus, ab Aquitania nullo peracto negotio [2] repedans, fratrem Lotharium ad palatium suum Attiniacum invitat ; quo convenientes, quod dudum pepigerant firmaverunt.

Dani in Ligere consistentes, usque ad Blisum [3] [b] castrum veniunt, ipsumque incendunt, volentes inde Aurelianis pervenire eadem patraturi. Præparantibus vero adversus eos navigia et bellatores episcopo Aurelianensium Agio et Carnutum Buchardo [4], ab intentione desistunt, et inferiora Ligeris repetunt. Alii quoque piratæ Danorum Fresiam Saxoniæ adiacentem populantur. Lotharius et Carolus legatos ad fratrem Hludowicum pro pacis concordia, et ut filium suum ab Aquitania revocet, mittunt. Carolus iterum Aquitaniam adit. Pippinus, Pippini filius, qui in monasterio sancti Medardi tonsus habitum monachi susceperat, et iuramentum permansionis fecerat, Aquitaniam ingreditur, parsque maxima populi terræ ad eum convolat. Karlus rex, Pippini causa posthabita, Hludowicum nepotem ab Aquitania fugatum ad patrem in Germaniam redire compellit. Karlus, Pippini frater, iam diaconus ordinatus, a Corbeiensi monasterio recedit. Karlus rex Karlomannum, filium suum, tonsura ecclesiastica dedicat. Dani [c] intestino inter se prælio dimicantes, adeo tridui concertatione obstinatissima bacchati sunt, ut Orico rege et ceteris cum eo interfectis regibus, pene omnis nobilitas interierit. Piratæ Nortmannorum Ligere insistentes, denuo civitatem Andegavorum incendio concremant.

DCCCLV.

Lotharius totam Fresiam filio suo Lothario donat ; unde Roric et Godefridus patriam, id est Daniam, repedant spe potestatis regiæ nanciscendæ. Lotharius infirmatur, qua de re occasio data est Hludovico et Carolo fratribus ad concordiam redeundi.

Nortmanni [d] Burdegalam, Aquitaniæ civitatem, invadunt, et hac illacque pro libitu pervagantur. Karlus Aquitanis petentibus Karlum filium suum, regem designatum attribuit. Karlus etiam Edilvulfum [e], regem Anglorum Saxonum, Romam properantem honorifice suscipit, omni regio habitu donat, et usque ad regni sui terminos cum obsequiis rege dignis deduci facit. Lotharius adversus Karlum occasione suspectæ fidei queritur. Multa catholicæ fidei contraria in regno Karli, ipso quoque non nescio, concitantur.

Mense Augusto, Leo, apostolicæ sedis antistes defunctus est, eique Benedictus successit. Eodem mense duæ stellæ maioris et minoris quantitatis visæ sunt a parte occidentis orientem versus incedere, et hoc per decem vices adeo alternatim, ut maiore permanente, minor aliquoties nullatenus appareret. Lotharius imperator, morbo correptus vitamque desperans, monasterium Promeæ in Arduenna constitutum adiit, seculoque et regno penitus abrenuncians, tonsus est, vitam habitumque monachi humiliter sumens. Dispositoque inter filios, qui secum morabantur, regno, ita ut Lotharius cognominem [5] eius Franciam, Karlus vero Provinciam obtineret, intra sex dies vita decessit IV Kalendarum [f] Octobrium, atque in eodem monasterio sepulturam, ut desideraverat, consecutus est.

Aquitani urbem Lemovicum mediante Octobri mense convenientes, Karlum puerum, filium Karli, regem generaliter constituunt, unctoque per pontificem coronam regni imponunt sceptrumque attri-

VARIANTES LECTIONES.

[1] *supple* pace. [2] negocio *Ch.* [3] Blisium *Ch.* [4] Budiardo *Ch. B.* Buchardum *legendum esse Bouquetus ex canone tertio concilii Suessionensis secundi a.* 853 *celebrati infert.* [5] *ita correxi ; Ch. et B.* cognomen.

NOTÆ,

[a] *Luttich.*
[b] *Blois.*
[c] Cf. Chron. de gestis Norm., an. 853.
[d] Cf. Chron. de gestis Norm. a. 853.
[e] Hoc anno Edilvulfum seu Æthelwolfum Romam perrexisse, secumque suum filium Ælfredum duxisse, testantur Asserus Vitæ Ælfredi auctor coævus, et Ethelwerdus antiquus chronographus lib. III. Bouq.
[f] Alii (e. g. Necrologium Sangallense *P.*) habent

buunt. Nortmanni [a], Ligerim ingressi, relictis navibus pedestri itinere urbem Pictavorum adire moliuntur; sed occurentibus Aquitanis adeo profligati sunt, ut ultra trecentos pauci evaserint. Roric et Godefridus, nequaquam arridentibus sibi successibus, Dorestado se continent, et parte maxima Fresiæ potiuntur. Hludowicus, rex Germanorum, crebris Sclavorum defectionibus agitatur.

DCCCLVI.

Hiems asperrima et sicca, pestilentia valida, qua magna pars hominum absumitur. Hludowicus rex Italiæ, filius Lotharii, super portione regni paterni in Francia apud patruos suos Hludowicum et Karlum conqueritur [1], Italiam largitate avi Hludowici imperatoris se asserens assecutum. Aquitani Karlum puerum, quem nuper regem constituerant, spernentes, Pippinum ex monacho, qui de monasterio sancti Medardi aufugerat, eductum custodia regem simulant. Karlus rex cum Respogio [b] Britonum [2] paciscens, filiam ejus filio suo Hludowico despondet, dato illi ducatu Cenomannico usque ad viam quæ a Lotitia Parisiorum Cæsaredunum Turonum ducit. Proceres quondam Lotharii filium ejus, Lotharium, regem Franciæ etiam sacra unctione [3] constituunt. Piratæ [c] Danorum XIV Kalend. Maii civitatem Aurelianis adeunt, prædantur et impune revertuntur. Comites pene omnes ex regno Karli regis cum Aquitanis adversus eum coniurant, invitantes Hludowicum, regem Germanorum, ad suum consilium perficiendum; quo diutius in expeditione Sclavorum detento, ubi et magnam partem sui exercitus amisit, isti moras illius non ferentes, Karlo regi reconciliantur. Et Aquitani [4], spreto Pippino, Karlum puerum, filium Karli regis quem antea pepulerant, recipiunt, et in Aquitaniam reducunt. Iterum [d] piratæ Danorum alii mediante Augusto Sequanam ingrediuntur, et vastatis direptisque ex utraque fluminis parte civitatibus, etiam procul positis monasteriis atque villis, locum qui dicitur Fossa Givaldi [e], Sequanæ contiguum stationique munitissimum [5] deligunt, ubi hiemem quieti transigunt. Edilwulf [f], rex occidentalium Anglorum, Roma rediens, Iudith, filiam Karli regis, mense Iulio desponsatam Kalendis Octobribus in Vermeria [g] palatio in matrimonium accipit, et eam, Ingmaro Durocortori Remorum episcopo benedicente, imposito capiti ejus diademate reginæ nomine insignit, quod sibi suæque genti eatenus fuerat insuetum: patratoque regiis apparatibus utrimque atque muneribus matrimonio, cum ea Britanniam, regni sui ditionem, navigio repetit. Hludowicus imperator Italiæ, et Lotharius frater eius, rex Franciæ, cum Karlo puero germano suo apud Urbam [h] conveniunt; ubi adeo pro regni paterni portionibus dissident, ut pene armis inter sese decernant. Karlo tamen fratri suo Provinciam et ducatum Lugdunensem iuxta paternam dispositionem distribuunt, eripientibus eum a fratre Lothario optimatibus, qui illum moliebatur in clericum tonsurare. Sarraceni de Benevento, Neapolim fraude adeuntes, vastant, diripiunt et funditus evertunt.

DCCCLVII.

Piratæ [i] Danorum V Kalendas Ianuarias Lutiiciam Parisiorum invadunt atque incendio tradunt. Hi vero qui apud inferiora Ligeris morabantur, Turones et omnia circumquaque loca usque ad Blisum castrum deprædantur. Aquitanorum aliqui persuasione occulte conspirantium Francorum quorumdam in Karlum, a Karlo admodum puero deficientes, Pippino sociantur. Karlus rex et Lotharius, nepos eius, sacramentis vicissim exhibitis fœderantur, similiter. Hludowicus, rex Germaniæ, et Hludowicus, imperator Italiæ. Pippinus Danorum piratis sociatur, Pictavorum civitatem devastat, et multa alia Aquitaniæ loca depopulat. Lotharius concubinis abutens, uxorem suam reginam abicit.

In urbe Colonia Agrippina Gunthario episcopo adstante, in ecclesia beati Petri nubes densissima desuper crebris fulminibus incubat, cum subito fulgor in modum ignis per subgrundia [j], eiusdem ecclesiæ intrans, unum sacerdotem et unum diaconum unumque ex laicis interficit, ac terræ abditis reconditur.

In Augusta etiam Trevirorum Teotgando episcopo cum clero et populo celebrante, nubes teterrima superincumbens, tonitruis fulminisbusque ecclesiam territans, turrem campanarum sonantium comminuit, tantaque tenebrositate ecclesiam implevit, ut vix alterutrum sese cognoscere valerent, visusque est canis nimiæ enormitatis in circuitu altaris discurrere, subito terræ hiatu.

VARIANTES LECTIONES.

[1] conquiritur *Ch.* [2] rege *excidit.* [3] ratione *Ch. B.* [4] reconciliantur. Exaqui spreto *Ch. B. Hic* Exinde Aquitani *corrigit.* [5] congruum *chron. de gestis Norm.*

NOTÆ.

III Kal. Oct. Forte Lotharius mortuus fuerit IV Kal. Oct. ac postridie sepultus, et alii ad diem mortis, alii ad diem sepulturæ respexerint. Lotharius etiam nocte inter IV et III Kal. Oct. vita fungi potuit. Bouq.

[a] Cf. Chron. de gestis Norm.

[b] Id est Erespogio seu Herispogio.

[c] Cf. Chron. de gestis Norm., an. 855.

[d] Cf. Chron. de gestis Norm.

[e] Nec Valesio nec Bouqueto notus.

[f] Asserus ad annum 855 sic habet de Ethelwolfo: *Ibi* [Romæ] *anno integro demoratus est* [usque ad a. 856]: *quo peracto ad patriam suam remeavit, afferens secum Iudithani, Caroli Francorum regis filiam*, Ethelwerdus quoque supra citatus: *Igitur revertente eo* [Athulfo] *ad patriam, Carolus rex Francorum filiam suam tradidit ei in matrimonium, quam susceptam duxit ad patriam suam.* Bouq.

[g] *Verberie* ad Isaram (*Oise*) prope *Senlis.*

[h] *Orbe* ad Orbam, lacum Neuenburgensem influentem.

[i] Cf. Chron. de gestis Norm.

[j] *Subgrundium.* Pars tecti proeminens, qua aquæ a muro projiciuntur.

Dani [a] Sequanæ insistentes cuncta libere vastant, Lutetiamque Parisiorum [b] adgressi, basilicam beati Petri et sanctæ Genovefæ [c] incendunt et ceteras omnes, præter domum sancti Stephani et ecclesiam sancti Vincentii atque Germani, præterque ecclesiam sancti Dionysii, pro quibus tantummodo, ne incenderentur, multa solidorum summa soluta est. Alii Danorum emporium quod Dorestadum [1] dicitur vi capiunt, totamque Batavorum insulam et cætera loca contermina diripiunt. Respogius, dux Britonum, a Salomone et Almaro Britonibus diu contra se dissidentibus interimitur. Quidam procerum Carli regis Aquitanis sociati, multas prædas pluraque incommoda perpetrant. Frotbaldus, episcopus Carnotum, insistentibus sibi Danis in eadem civitate, pedibus fugiens fluviumque Anduram [d] natatu petens, aquis interceptus [2] moritur [e].

DCCCLVIII.

Quando ipse Karolus intravit in insulam Sequanæ dictam Osellum [f], ubi magnum sustinuit periculum, sicut a multis tunc fuit cognitum, et quando frater suus Hludowicus super illum venit cum omni hostili apparatu; sed largiente misericordia Dei, cum honore non recessit. Dominicæ nativitatis festo noctu et interdiu, Moguntiæ validus et creberrimus [3] terræ motus efficitur, quem etiam valida hominum mortalitas insequitur.

In territorio..... mare quamdam arborem radicitus evulsam et Gallicanis provinciis ante ignotam eiecit, carentem foliis, sed loco frondium habentem ramusculos similitudine herbæ partim latæ sed longioris, loco vero foliorum quædam triangula specie, colore autem unguium humanorum vel ossium [4] piscium, quæ in eis tenuia sunt; et hæc ita summitati earumdem herbarum inhærentia, ac si extrinsecus adposita viderentur, more eorum qui ex diversis metallis in ornamentis cingulorum vel hominum vel equestrium falerarum extrinsecus adfigi solent.

In pago Senonico, in ecclesia sanctæ Porcariæ [g], die Dominico celebrante missa presbytero, lupus subito introiens plebemque assistentem discurrendo perturbans, tandem inter feminas identidem faciens, disparuit.

Edilvulf, rex occidentalium Saxonum, moritur: relictam eius Judith reginam, Edelbodus [5], filius ejus uxorem ducit. [h] Berno, dux partis piratarum Sequanæ [i] insistentium, ad Karlum regem in Vermeria palatio venit, eiusque se manibus dedens, fidelitatem statim iurat. Pars altera eorumdem piratarum Hludowicum [j], abbatem monasterii sancti Dionysii, cum fratre ipsius Ganzleno capiunt, eisque redemptionis suæ gravissimam multam imponunt, ob quam multi thesaurorum ecclesiarum Dei ex regno Karli ipso iubente exhausti sunt; sed his minime sufficientibus, ab eodem rege et omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, cæterisque viris potentibus multa ad suppletionem prædictæ summæ

VARIANTES LECTIONES.

[1] dorstatum *Ch.* [2] interceptis *Ch.* [3] celeberrimus *Ch.* [4] oscium *Ch. et B.* [5] adalboldus *Ch.*

NOTÆ.

[a] Cf. Chron. de gestis Norm.

[b] Funestam hanc cladem luget Paschasius Radbertus lib. VI, in Lamentationes Jeremiæ: *Quis umquam*, ait, *crederet, vel quis umquam cogitare potuisset quod accidere tale aliquid potuisset in nostris partibus quod transcurso tempore omnes accidisse conspeximus. doluimus ac deflevimus, et valde pertimuimus; unde et adhuc hodie non minus pertimescimus, ut piratæ, diversis admodum collecti ex familiis, Parisiorum attingerent fines, ecclesiasque Christi hinc inde cremarent circa littus? Quis umquam, quæso, crederet quod latrones promiscuæ gentis umquam talia auderent? vel quis æstimare potuisset, quod tam gloriosum regnum, tamque munitum et latissimum, tam populosum et firmissimum, talium hominum humiliari vel sordibus fædari deberet? Fateor enim quod nullus ex regibus terræ ista cogitaret, neque ullus habitator orbis nostri audire potuisset quod Parisium nostrum hostis intraret.* BOUQUET.

[c] Auctor anonymus miraculorum sanctæ Genovefæ, qui hoc tempore vivebat, hæc habet: *Beatissima virgo Genovefa per quinque annorum curricula mansit extra proprium sedem, populantibus Normannis omnem regionem Sequanæ adjacentem. Quibus ad sua revertentibus, reduximus ad locum sanctum dominam nostram.* Loquitur etiam de lugubri ædis sanctæ Genovefæ per Normannos combustione Stephanus Tornacensis in epistola 164 ad episcopum Londinensem data: *Inter alias*, inquit, *quod sine suspirio ac singultu referre non possumus aut debemus, ecclesiam apostolorum Petri et Pauli, in qua beata virgo Genovefa requiescit in corpore, regali ore et opere constructam, musivo intus et extra sicut reliquiæ adhuc testantur, ornatam et depictam, miserabili concremarunt incendio, nec sacro loco parcentes, nec beatæ virgini aliisque sanctis, qui ibi requiescunt, venerationem exhibentes.* BOUQ.

[d] L'*Eure*.

[e] In Necrologio Carnutenæ ecclesiæ, cujus partem edidit Mabillonius tomo II Analect., pag. 550, hæc cædes in annum sequentem rejicitur, et Frotbaldus cæsus dicitur: *Anno incarnationis Domini* 858. *indict.* 6. *a paganis Sequanensibus facta est magna cædes Carnotis, in qua interempti sunt Frotbaldus episcopus, Stephanus presbyter*, etc.— In chartario monasterii sancti Petri Carnutensis episcopum cum canonicis et monachis cruentis gladiis mactatum fuisse legitur, nempe pridie Idus Junii. BOUQ.

[f] A similitudine Rostrum Asini, Gallice *l'ile de Besdane*, alias *Oissel*. vocatur. BOUQ.

[g] Nunc (id est anno 1749) prædium est *Sainte-Procaire* dictum, ab abbatia Pontiniacensi dependens, ab eaque distans leucæ dimidio, BOUQ.

[h] Ingulfus in Historia de hoc matrimonio sic loquitur: *Ethelbaldus thorum patris sui ascendens, quod nec inter gentes usquam est auditum, propriam novercam Juditham, quondam filiam regis Francorum, sumptam a patre Ethelvolfo in conjugium, cum omnium comprovincialium scelus suum abhorrentium maximo stupore, duxit in uxorem.* BOUQ.

[i] Cf, Chron. de gestis Norm., an. 857.

[j] Ludovicus et Gauzlenus eumdem patrem habuere Roriconem, comitem Cenomannensem, sed non eamdem matrem. Ludovicus filius erat Rotrudis, Caroli magni filiæ; Gauzlenus filius Bilichildis; qui fuit abbas Glannafoliensis, etc. BOUQ.

certatim conlata sunt. [a] Comites vero Karli regis cum Britonibus iuncti, deficientes a Karlo, filium eius Hludowicum eiusque sequaces a partibus Cenomannicis deterritum, Sequanam transire atque ad patrem refugere compellunt. Lotharius rex cum fratre suo Karolo, Provinciæ rege, amicitiam firmat, datis ei duobus episcopalibus [1] ex regno suo portionibus, id est Bilisio [b] et Tarantasia [c]: similiter Karlus eidem fratri suo Lothario regnum suum ea conditione tradidit, ut si, antequam uxorem acciperet et filios generaret, ab hac vita decederet, ei Lotharius iure hæreditario succederet.

Mense Maio, in vico Leudico, in quo corpus sancti Landberti quiescit, tanta subito pluviarum inundatio effusa est, ut domus et muros lapideos seu quæcumque ædificia cum hominibus et omnibus quæcumque illic invenit, usque ad ipsam ecclesiam memoriæ sancti Landberti violenta irruptione in Mosam fluvium præcipitaverit. Dani [d] Saxoniam adgrediuntur, sed repelluntur. Benedictus Romanus pontifex moritur; Nicolaus præsentia magis ac favore Hludowici regis et procerum ejus quam cleri electione substituitur. Lotharius rex, cogentibus suis, uxorem quam abiecerat recepit, nec tamen ad thorum admittit, sed custodiæ tradit. Karlus rex insulam Sequanæ vocabulo Oscellum, Danos in ea commemorantes obsessurus, mense Iulio aggreditur, ubi ad eum Karolus puer, filius eius, ab Aquitania pervenit. Cum quo Pippinum iam laicum suscipit, et ei comitatus ac monasteria in Aquitania tribuit. Lotharius etiam rex ad eamdem insulam mense Augusto properat avunculo adiutorium conlaturus; ubi usque IX Kalendas Octobris absque profectu obsidionis demorantes, tandem ad propria remeant. Interim comites ex regno Karoli regis Hludowicum, Germanorum regem, quem per quinque annos invitaverant, adducunt; qui Kalendas Septembris Ponteonem [e] regiam villam adveniens, per Catalaunos [f] et Cupedenses [g] Agedincum Senonum [h] pervenit; inde Aurelianensem pagum adiens, receptis ab Aquitania et Neustria atque Britonibus qui ad eum se venturos spoponderant, eadem pene via usque ad Cupedenses remeat. Quibus Karolus rex compertis, per Catalaunos usque ad Breonem [i] villam festinus graditur, ubi concurrentibus ad eum Burgundiæ primoribus, Hludovicum insequentem præstolatur: sed intercurrentibus nunciis, cum nulla pacis compositio fieret, tertio tandem die, id est pridie Idus Novembris, præparatis hinc inde aciebus, videns Karlus se a suis deseri, recessit et partes Burgundiæ petiit. Hludowicus vero, receptis his qui a Karlo defecerant, Augustam Tricorum [j] adit, ibique distribuens invitatoribus suis comitatus, monasteria, villas regias atque proprietates, ad Attiniacum palatium revertitur. Quo Lotharius rex ei occurrit, et confirmatis inter se pactionibus, ad sua repedat. Hludowicus vero per Durocortorum Remorum et Laudunensem pagum ad Augustam Veromandorum, in cœnobio videlicet sancti Quintini martyris dominicæ nativitatis festum celebraturus, ingreditur [2]. Interea quidam [k] monachus ex monasterio sancti Vincentii martyris vel sancti Germani confessoris, a Corduba, civitate Hispaniæ, rediens, corpora beatorum martyrum Georgii diaconi et Aurelii caputque Nathaliæ secum detulit, atque in villa Acmanto [l] in loculis servanda collocavit.

DCCCLIX.

Dani [m] loca ultra Scaldem populantur. Vulgus promiscuum inter Sequanam et Ligerim inter se coniurans adversus Danos in Sequana consistentes, fortiter resistit; sed quia incaute suscepta est eorum coniuratio, a potentioribus nostris facile interficiuntur. Karlus rex recuperatis viribus fratrem suum Hludowicum nec opinantem adgreditur, et de regni sui finibus pellit. Lotharius rex ad Karlum patruum suum festinat, et die dominico initii quadragesimæ in arcas [n] palatio, publice sacramentis vicissim per se ipsos datis, sese iterum confirmant. Karlus quædam monasteria, quæ antea clerici ha-

VARIANTES LECTIONES.

[1] episcopatibus *Ch. et B.* [2] regreditur ?

NOTÆ.

[a] Ex parte monasterii sancti Dionysii datæ sunt *ex auro sexcentæ octoginta quinque libræ, ex argento tria millia ducenta quinquaginta,* præter vassallos eorumque uxores ac liberos. Ita legi ad calcem Aquisgranensis regulæ canonicorum, in codice sancti Nicasii Rhemensis ab annis 800 exarato; notat Mabillonius, lib. XXXV Annal. Bened., num. 33. Bouq.

[b] *Belley* ad Rhodanum.

[c] *Moustiers.*

[d] Cf. Chron. de gestis Norm., an. 857.

[e] *Pontion.*

[f] *Châlons-sur-Marne.*

[g] Doctissimus abbas *Lebeuf*, in dissertatione peculiari (*Mémoires de l'Acad. des Inscriptions*, tom. XVIII, p. 282 et suiv.) ex Helingaudi comitis donatione (Mabill., *ann.* III, pag. 671.) centenam Cupedensem in pago Meldico circa Sesanne positam, et caput ejus Cubtas, vulgo *Queudes*, fuisse probavit.

[h] *Sens.*

[i] *Brienne.*

[j] *Troyes.*

[k] Monachus iste Usuardus est, Martyrologii scriptor. Hujus translationis historiam composuit Aimoinus, monachus cœnobii sancti Germani apud Parisios. Bouq.

[l] Idem Aimoinus, lib. III, cap 7: *Illum enim Acmantum villam nostræ possessionis, in qua tunc major pars fratrum ob infestam paganorum degebat persecutionem, aggredientes.* Cum corpore sancti Germani in hanc villam confugerant monachi, ut colligitur ex libro II de Miraculis ejus ab eodem Aimoino composito. Vicus est vulgo dictus *Aimant* prope Monasteriolum ad Icaunæ et Sequanæ confluentem. Bouq.

[m] Cf. Chron. de gestis Normann.

[n] Arcæ, olim villa regia inter Macerias et Carolopolim ad Mosam flumen, nunc vicus qui vetus nomen retinet, *Arches.* Bouq.

bere solebant, laicis distribuit. Piratæ [a] Danorum A longo maris circuitu, inter Hispanias videlicet et Africam navigantes, Rhodanum ingrediuntur, depopulatisque quibusdam civitatibus ac monasteriis, in insula quæ Camaria [b] dicitur, sedes ponunt [1]. Karlus rex per diversa loca conventus episcoporum agit, sed quarto a Tullo Leucorum miliario in villa Saponarias [c] cum Lothario et Karlo, nepotibus suis regibus, synodo episcoporum adsistens, libellum accusationis adversus Guanilonem, Agedinci Senonum metropolitanum episcopum, porrigit. Quæ tamen actio propter absentiam eiusdem Guanilonis episcopi dilata est. Inde ad conloquium fratris sui Hludowici regis in insula Rheni inter Antunnacum [2] et Confluentes properat. Cuius colloquii effectus differtur usque ad VIII Kalendas B Novembris apud Basiliam civitatem. Quo Hludowico adveniente, Karlus propter Lotharii absentiam ab itinere cœpto revertitur. Aquitani ad Karlum puerum omnes pene convertuntur. Pippinus Rotberto comiti et Britonibus sociatur.

Acies in cœlo mense Augusto, Septembri et Octobri nocturno tempore visuntur, ita ut diurna claritas ab oriente usque in septentrionem continue fulserit, et columnæ sanguineæ ex ea discurrentes processerint. Dani [d] noviter advenientes monasterium sancti Walarici [e] et Samarobrivam, Ambianorum civitatem, aliaque circumquaque loca rapinis et incendiis vastant; alii quoque eorum insulam Rheni Patavum [f] simili furore invadunt; hi vero qui in Sequana morantur, Noviomum [g] D civitatem noctu adgressi, Immonem episcopum cum aliis nobilibus tam clericis quam laicis capiunt, vastataque civitate secum abducunt, atque in itinere interficiunt. Qui etiam ante duos menses Ermenfridum Belvagorum [h] in quadam villa interfecerant, sed et anno præterito Baltfridum [3], Baioccassium [i] episcopum, necaverant. Ossa beatorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii metu eorumdem Danorum in pagum Mauripensem, in villam, sui iuris Novientum [j], devecta sunt, atque II Kalendas Octobris in locutis diligenter conlocata.

Lotharius fratri suo Hludowico, Italorum regi, quamdam regni sui portionem attribuit, ea [4] videlicet quæ ultra Iuram montem habebat, id est Genuam, Lausonnam et Sedunum [k] civitates, cum episcopatibus, monasteriis et comitatibus, præter hospitale quod est in monte Iovis [l] et Pipincensem comitatum [m].

Guanilo, episcopus Senonum, absque audientia episcoporum Karlo regi reconciliatur. Nicolaus pontifex Romanus, de gratia Dei et libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis et [5] sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat et catholice decernit.

DCCCLX.

Hiems diutina et continuis nivibus ac gelu dira, a mense videlicet Novembri usque ad Aprilem. Lotharius reginam suam Teutbergam irrevocabili odio habitam..... [6], ut ipsa coram episcopis confiteretur, fratrem suum Hucbertum sibi sodomitico scelere commixtum; unde et pœnitentiæ continuo addicta est atque in monasterium retrusa. Karlus rex, inani Danorum in Somna consistentium pollicitatione pellectus, exactionem de thesauris ecclesiarum et omnibus mansis ac negociatoribus etiam paupertinis, ita ut etiam domus eorum et omnia utensilia adpreciarentur, et inde statutus census exigeretur, fieri iubet; nam eidem [7] Dani promiserant, si eis tria milia librarum argenti pondere examinato tribueret, se adversus eos Danos qui in Sequana versabantur ituros, eosque inde aut expulsuros aut interfecturos.

Pridie Nonas Aprilis nocte sequenti, nova videlicet luna iam inchoata, fertur quædam obscuritas corniculata, eodem schemate [8] quo luna splendebat, per medium eiusdem lunæ apparuisse, ita ut hinc inde luceret, sed in medio obscuraretur. Similiter dicitur VIII Idus Aprilis sol ortus, quamdam in medio sui orbe tenebrositatem passus, qua ad inferiora eius delabente, mox alia a superioribus ei ingruerit, eiusque orbem usque ad infima similiter percurrerit, et hoc luna decima.

VARIANTES LECTIONES.

[1] dicitur se disponunt *Ch.* [2] autunnacum *Ch.* [3] blatfridum *Ch. B.* [4] eam videlicet quæ *B.* [5] et de *S. Hincmari epistola* 25. [6] *supplendum* coegit *vel aliud ejusmodi.* [7] idem *Ch.*, *eadem sententia.* [8] scemate *Ch.*

NOTÆ.

[a] Cf. Chron. de gest. Norm.

[b] *La Camargue*, in ostio Rhodani. Vales., Not. Gal., p. 119.

[c] Hujus villæ quæ una leuca distabat a Tullo, multa supersunt vestigia. Bouq.

[d] Cf. Chron. de gest. Norm.

[e] *Saint-Valery.*

[f] Id est Batuam.

[g] *Noyon.*

[h] *Beauvais.* — Immonem tamen Noviomensem episcopum, et Ermenfridum Bellovacensem ad mensem Octobrem anni subsequentis superstites fuisse, manifestum est ex actis concilii Tullensis apud Tusiacum, cui ambo subscripsere. Rainelmus quidem, Immonis successor, ibidem etiam inter subscribentium nomina invenitur: at post synodum ejus D actis, quod non raro fiebat, subscribere potuit, ut certe iisdem subscripsere Antissiodorenses duo, Abbo scilicet et Christianus. Ita Mabillonius lib. XXXV Annal. Bened., num. 50. Bouquet.

[i] *Bayeux.*

[j] *Nogent-sur-Seine.*

[k] *Genf, Lausanne, Sitten.*

[l] Hospitale in monte sancti Bernardi, in quod et ego Kalendis Augustis an. 1823, ex Italia redux, diverti, et pro more Patrum optimorum humanissime exceptus, grates iis in hoc loco post privatas publicas solvo.

[m] Sine dubio comitatus Pipinensis, a castro Bipp nomen sortitus, in occidentali Juræ montis latere, ad fontes Birsæ fluminis, cujus mappam videsis in Schœpptlini Alsat. Illustr. I, p. 619.

Dani [a] in Somma consistentes, cum eis non da- A retur supradictus census, receptis obsidibus, ad Anglo-Saxones navigant; a quibus profligati atque repulsi, alias partes petunt. Hi vero Dani qui in Rhodano morabantur, usque ad Valentiam [b] civitatem vastando perveniunt; unde direptis quæ circa erant omnibus, revertentes ad insulam in qua sedes posuerant, redeunt.

Hludowicus, Karlus et Lotharius reges Kalendas Iunias apud castrum quod Confluentes vocatur conveniunt, ibique de pace inter se diu tractantes, tandem concordiam atque amicitiam ipsi per se iuramento firmant. Hludowicus, imperator Italiæ, suorum factione impetitur, et ipse contra eos ac contra Beneventanos rapinis atque incendiis desævit.

Dani [c] qui in Rhodano fuerant, Italiam petunt, B et Pisas civitatem aliasque capiunt, deprædantur, atque devastant. Lotharius rex, metuens avunculum suum Karlum, Hludowico regi Germaniæ sociatur, atque ob eamdem societatem partem regni sui, id est Helizatiam, tradit. Uxor Lotharii, timens odium viri sui atque insidias, ad fratrem suum Hucbertum in regno Karli aufugit. Karlus rex monasterium sancti Martini filio suo Hludowico largitur.

DCCCLXI.

Dani [d] mense Ianuario [e] Lutetiam Parisiorum et ecclesiam sancti Vincentii martyris et sancti Germani confessoris incendio tradunt; negotiatores quoque per Sequanam navigio sursum versus fugientes insequuntur et capiunt. Alii quoque Danorum piratæ Tarvanensem pagum adeunt et devastant.

Quarto Kalendas Aprilis luna post horam noctis octavam tota in nigredinem vertitur. Karlus rex filium suum Lotharium claudum in monasterio sancti Iohannis [f] clericum fieri iubet.

NOTÆ.

[a] Cf. Chron. de gestis Norm.

[b] *Valence.*

[c] Cf. Chron. de gestis Norm.

[d] Cf. idem an. 861.

[e] Potior fides habenda Aimoino, monacho sancti Germani, qui hoc tempore florebat. Is enim in Historia miraculorum sancti Germani Patis, lib. II, num. 10, hoc excidium accidisse tradit die sancto Paschæ. BOUQUET.

[f] Id est in monasterio Reomaensi. Lotharius etiam ejusdem loci abbas fuit, itidemque monasterii sancti Germani Antissiodorensis. BOUQ.

VERSUS SANCTI PRUDENTII.

(Apud Camuzat., Promptuarium ant. Tricass. diœcesis.)

Augustam Thrici [*f.*, Trini nutu statuere monachi C
Augusti, quondam Romuleæque manus:
Ac Domini Christi cunctum radiante per orbem
Nomine Christicolis conditur alta domus,
Quam pulvis Petri decorat, Paulique verendus,
Culmen apostolicum qui pietate gerunt.
Hinc ego devoto famulans Prudentius actu
Hoc Evangelii solvo libenter opus
Hesperia genitus, Celtas deductus et altus
Pontificis trabeis officioque datus.
Quattuor afflati supero quod lumine scribæ
Veraci nimium composuere stylo.
Initiis [Principiis] Christum variis ac fine fatentes,
At non disparili gesta beata fide.
Virgine Matthæus hominem genuente Maria,
Mandantem gentes instruierque refert.
Fine tenus secli sanctos comitarier omnes,
Spondentem semper adfore, seque suis.
Altithroni Marcus sobolem fremituque leonis
Scandentem pulso celsa sopore canit.
Discipulos autem mundum peragrasse docendo,
Doctrinam signis ac stipulasse novis.
Conceptum Ducat roboat Spiramine sancto
Oblatum vitulum dira subiisse crucis
Ast illos celebris triviose sacraria templi,
Perciperent donec, æthere dona Patris.
Verbum Joannes prævertens tempora prima
Atque hominem factum, esse simulque Deum.
Præpetibus pennis aquilæ volitando perennem
Intuitu solem non hebetante tuens
Commissis ovibus pascendi munere Petrum,
Tranquilla narrans se quoque sorte datum.
Christus ab his Jesus, Dominusque Deus refertur,
Omnia præcedens, omnia sponte creans.
Æterno æternus, Genitoris pectore manans,
Filius omnipotens, Omnipotente satus.
Virginea sumus hominem matrice creatum,
Criminis expertem, terrigenique patris.
Admiranda docens, faciens miranda potenter,
Traditus in risus fixus et inde cruci.
D Emittens animam propria ditione beatam,
Tartaridis [Tartareis] solvens eripiensque suos.
Hinc incorruptus, triduana morte resurgens,
Libravit summis, vivida membra polis.
Consessusque throni donatus ire paterni,
Exsultat pedibus subdita cuncta suis.
Perstrictis breviter, referat quæ codicis hujus
Actio: nunc ad te, Rex bone, verto preces.
Respice devoti miseratus munia servi,
Ac miserando mei, annue grata tibi.

SANCTI PRUDENTII

TRECENSIS EPISCOPI

FLORILEGIUM EX SACRA SCRIPTURA

(Apud Trombelli, Vet. Patr. Opp., Bononiæ 1755.)

LECTORI BENEVOLO

Quale sit Opusculum Prudentii Tricassini, quod tibi, humanissime Lector, exhibeo, tradit Clarissimus Joseph Blanchinus his verbis: *Est Florilegium locorum Veteris ac Novi Testamenti ad imbuendos in fide et moribus eos qui ordinandi sunt homines, accommodatum ad instar florum Psalmorum.* Miserat illud idem ex Vaticano regio Alexandrino codice 191 exscriptum idem Clariss. itemque humanissimus Blanchinus Optimo Præposito Gorio, ut in suis Symbolis illud ederet. At Gorius, ut est comissimus, meique amicissimus, illud mihi dono dedit, hoc tantum a me exposcens, ut Clariss. Blanchini, a quo ille receperat, mentionem facerem. Id utique libentissime facio: quem enim, nisi ingratus is sit, et omnis humanitatis expers, prodere pudeat eum a quo beneficio non levi affectus sit? Nolo vero miretur Lector, quod in hoc *florile-* A *gio* inter præcepta Christiano populo imposita recenseatur abstinentia *ab animatium sanguine*, ideoque *a morticinis*. Scilicet Christianis impositum in Hierosolymitano Concilio ab apostolis mandatum, ut abstineant se a *contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine* (*Act. Apost.* xv, 20) priscis temporibus in Ecclesiis plurimis diligentissime observabatur atque id quidem perspicue discis ex Concilio Quinisexto [a], ex Wormatiensi Synodo Adriano II Pontifice, et regnante Ludovico Pio celebrato [b], ex Pœnitentialibus quoque plurimis id ipsum præcipientibus, atque inculcantibus. Quamobrem mirum non est, si Prudentius noster vir ea ætate celeberrimus [c] id a populo suo exquisierit. Vale.

[a] *Can.* 67. Divina nobis Scriptura mandavit, a sanguine, et suffocato, et fornicatione abstinere.... B Si quis deinceps animalis sanguinem quovis modo comedere aggrediatur, si sit quidem Clericus, deponatur: sin autem Laicus, segregetur, *pag.* 1379, *tomi VII Concil.*, *edit. Ven.* 1729.

[b] *Can.* 65. Animalia, quæ a lupis, seu canibus lacerantur, non sunt comedenda, nisi porcis, et canibus, nec cervus, nec caprea, si mortui inveniuntur. Porci autem, qui sanguinem hominis gustantes tetigerunt, manducentur, sed qui cadaver mortuum lacerantes manducaverint, carnes eorum manducare non licet, usque dum macerantur post annum..... Aves et alia animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda, *pag.* 466 *tomi X. Concil.*, *edit. Ven.* 1630.

[c] *Vide quæ de* Prudentio Tricassino, *seu* Trecensi *docet* Gallia Christiana *de Episcopis Trecensibus ad annum* 846. Cave *de Scriptoribus Ecclesiasticis, de* Prudente Tricassino, *ad annum* 846, *pag.* 36, *tomi II. Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina, mediæ et infimæ ætatis lib.* xvi, *pag.* 19, *tom. VI, editionis Patavinæ. Denique ne cunctos enumerem, ille ipse Clariss. Joseph Blanchinus, quem crebro laudavi* [*tom. I Operum Venerabilis Cardinalis Thomasi in appendice, part.* II, *tom. I, pag.* 464].

INCIPIT LIBER

Hæc PRUDENTIUS EPISCOPUS TRECENSIS tam de Veteri quam de Novo collegit Testamento, et ad sacros ordines properantes memoriæ commendare præcepit, quæ et PRÆCEPTA vocantur.

IN GENESI. (*Gen.* IX, 3, 4, 5) Dixit Dominus ad Noe: Carnem cum sanguine non comedetis, etc.

IN EXODO. Dixit Dominus ad Moysen. (*Exod.* XIII, 9) Lex Domini semper sit in ore tuo. (*Exod.* XIX, 15) Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris. (*Exod.* XIX, 22) Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos. (*Exod.* XX, 2) Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. (*Exod.* XX, 7) Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. (*Ibid.*, *v.* 12 *et seq.*) Honora C patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt. (*Exod.* XX, 23) Non facietis deos argenteos, nec deos aureos. (*Exod.* XXI, 12) Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. (*Ibid.*, *v.* 14 *et seq.*) Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo avelles eum, ut moriatur. Qui percusserit patrem suum, aut matrem morte moriatur. Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur. Qu-

maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. A (*Exod.* XXI, 20) Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. (*Exod.* XXII, 16 *et subseq. etiam cap.* XXIII) Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. Maleficos non patieris, vivere. Qui coierit cum jumento, morte moriatur. Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli. Advenam non contristabis, neque affliges eum. Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, B et filii vestri pupilli. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Si pignus a proximo tuo acceperis, vestimentum ante solis occasum redde ei; ipsum enim est solum, quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat. Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. Decimas tuas et primitias tuas non tardabis offerre. Viri sancti eritis mihi. Carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus. Non suscipies vocem mendacii; nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. Non sequeris turbam ad faciendum malum; C nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. Pauperis quoque non misereberis in judicio. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Non declinabis in judicium pauperis. Mendacium fugies. Insontem et justum non occides. Nec accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. Peregrino molestus non eris. (*Exod.* XXIII, v. 12 *et subseq.*) Sex diebus operaberis; septima die cessabis, ut requiescat bos, et asinus tuus; et refrigeretur filius ancillæ tuæ, et advena. Omnia, quæ dixi vobis, custodite; et per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur D ex ore vestro. (*Ibid.*, *v.* 15) Non apparebis in conspectu meo vacuus. (*Ibid.*, *v.* 19) Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. (*Ibid.*, *v.* 25) Servietisque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis, et aquis, et auferam infirmitatem de medio tui; (*Ibid.*, *v.* 27) cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam.

In Levitico. Dixit Dominus ad Moysen. (*Levit.*, V 1 *et subseq.*) Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est [a] nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. (*Ibid.*, *v.* 4) Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis ut vel male quid faceret, vel bene, et idipsum juramento, et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato. (*Levit.* VI, 2) Anima, quæ peccaverit, et contempto Domino negaverit depositum proximi sui, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, et inficians insuper perjeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines, convicta delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra. (*Levit.* VII, 26 *et subseq.*) Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus, quam de pecoribus. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis.

(*Levit.* X, 8 *et subseq.*) Dixit Dominus ad Aaron: Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum est sempiternum in generationes vestras, et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum. (*Ibid.*, XI, 44) Filii Israel, sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod movetur in terra.

(*Levit.* XV, 16) Dixit Dominus ad Moysen et Aaron: Vir de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum et immundus erit usque ad vesperum. (*Ibid.*, *v.* 18) Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua, et immunda erit usque ad vesperum. (*Ibid.*, *v.* 24) Si coierit vir cum muliere tempore sanguinis menstrualis, immundus erit. (*Levit.* XVII, 10) Homo quilibet de domo Israel, et de advenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo. (*Levit.* XX, 22) Custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis. Ego Dominus. [a] Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est. Non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies, turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris sui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eo, quod caro sit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est [b]; et uxorem fratris sui nullus accipiat. Turpitudinem [c]

[a] Levit. XVIII, 6, et subseq. cum aliqua tamen varietate.

[b] Vulgata vers. 16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est.*

[c] Vulgata *Turpitudinem uxoris tuæ* [deest filiæ.]

filiæ uxoris tuæ, et filiæ ejus non revelabis. Filiam filii illius[a] non sumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius est, et talis coitus incestus est. Sororem uxoris tuæ non accipies, nec revalabis turpitudinem ejus[b]. Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedas, nec revelabis fœditatem ejus. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis. Cum masculo non commisceberis coitu femineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei, quia scelus est. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes. Custodite legitima mea et judicia, et non faciatis ex omnibus abominationibus istis (*Levit.* XVIII, *v.* 29). Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quidpiam, peribit de medio populi sui (*Levit.* XIX, *v.* 3). Unusquisque patrem suum, e matrem suam timeat (*Ibid. v.* 9). Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum, nec remanentes spicas colliges : neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes, Non facietis furtum Non mentiemini, nec decipiat unusquisque proximum suum. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Non maledices surdo : nec coram cæco pones offendiculum ; sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo. Non eris criminator, nec susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. Nec oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras ultionem ; nec memoreris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus. Leges meas custodite. Ego Dominus Deus vester. (*Ibid., v.* 26). Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia (*Ibid., v.* 29). Non prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, et impleatur piaculo. Sabbata mea custodite, et sanctuarum meum metuite. Ego Dominus. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, et polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester. Coram cano capite consurge, honora personam senis, et time Dominum Deum tuum. Ego Dominus. Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, ne exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et

A æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester. Custodite omnia præcepta mea, et universa judicia mea, et facite ea. Ego Dominus (*Levit.* XX, 7). Sanctificamini, et estote sancti, quia ego Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, et facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos. Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur. Qui patri, matrique maledixerit, sanguis ejus sit super eum. Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera. (*Ibid., v.* 13), Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur : sit sanguis eorum super eos. Qui cum jumento, et pecore co-

B ierit morte moriatur, pecus quoque occidite ; mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo : sanguis eorum sit super eos (*Ibid., v.* 27). Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur : lapidibus obruent eos : sanguis eorum sit super illos (*Levit.* XXIV, 15). Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur (*Ibid., v.* 22). Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit, quia ego sum Dominus Deus vester (*Levit.* XXV, 35). Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam, et peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam

C dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. [c] Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit et mutari non poterit, id est, nec melius malo nec pejus bono. Quod si mutaverit, et ipsum quod mutatum est, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino (*Ibid., v.* 28). Omne, quod Domino consecratur, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum sanctorum erit Domino. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt, et illi sanctificantur. Omnium decimarum bovis, et ovis, et capræ, quæ sub pastoris juga (virga) transeunt,

D quidquid decimum venerit santificabitur Domino. Non (eligetur) legetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit : et quod mutatum est, et pro quo mutatum est, sanctificatur.

In libro NUMERI (*Num.* III, 10, etc.) Dixit Dominus ad Moysen : Aaron autem et filios ejus consttues super cultum Sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. [d] Alii nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario priusquam

[a] Deest itaque *et filiam filiæ illius* per amanuensis errorem utique.

[b] Deest *adhuc illa vivente*, quia scilicet in lege veteri, si ex priori marito non habuerat hæredem, frater mariti compelletur eam accipere, ut suscitaret semen fratris sui.

[c] Levit. XXVII, 9. An ad pecora respicit oblata Ecclesiæ? an potius ad filios, qui more eorum temporum adhuc parvuli, Domino offerebantur ? Judicaverit Lector.

[d] Num. IV, 20. Indicare videtur morem multarum Ecclesiarum [per ea præsertim tempora] quæ laicos

involvantur, alioquin morientur (*Num.* xv, 30). A Anima, quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo : verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum : idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam (*Num.* xxviii, 2). Oblationem meam, et panes, et incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua (*Num.* xxx, 3). Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit (*Ibid.*, *v.* 10). Vidua et repudiata quidquid voverint reddent. (*Num.* xxxv, 30) Homicida sub testibus punietur : ad unius testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis.

In Deuteronomio (*Deut.* iv, 9). Custodi igitur te- B metipsum, et animam tuam sollicite : ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios, ac nepotes tuos (*Deut.* vi, 4) Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere dormiens, atque consurgens : et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, et movebuntur inter oculos tuos, scribensque ea in limine et ostiis domus tuæ (*Ibid.*, *v.* 16). Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. Fac C quod placitum est, et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi (*Deut.* vii, 12). Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea, et feceris, custodiet Dominus Deus tuus tibi pactum, et misericordiam, quam juravit patribus tuis, et diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ oleo, et armentis, gregibus ovium tuarum super terram : benedictus eris inter omnes populos : non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus quam [a] in jumentis. Auferet Dominus a te omnem languorem et infirmitates (*Deut.* viii, 1). Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter ut facias, ut possitis vivere, et multiplicemini (*Ibid.*, *v.* 11). Observa, et cave nequando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas manda- D ta ejus, atque judicia : ne postquam comederis, et satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, et habitaberis in eis, habuerisque armenta, et ovium greges, argenti, et auri, cunctarumque rerum copiam ; elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui (*Ibid.*, *v.* 17). Nec dices in corde tuo : Fortitudo mea, et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit.

Moyses dixit ad filios Israel (*Deut.* x, 17). Deus magnus, et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera, et facit judicium pupillo et viduæ : amat peregrinum et dat ei victum, atque vestitum. Et vos ergo amate peregrinos (*Deut.* xi, 1). Ama Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus, et cæremonias, judicia, atque mandata omni tempore (*Ibid.*, *v.* 18). Ponite hæc verba mea in cordibus, et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter vestros oculos collocate. Docete filios vestros, ut illa meditentur. Quando sederis in domo tua, et ambulaberis, atque surrexeris, scribes ea super postes, et januas domus tuæ, ut multiplicentur dies tui, et filiorum tuorum (*Deut.* xii, 5). Ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester, venietis et offeretis in illo loco holocausta, et victimas vestras, decimas, et primitias manuum vestrarum, et vota atque donaria (*Ibid.*, *v.* 11) Illuc omnia quæ præcipio, conferetis holocausta, et hostias, ac decimas, et primitias manuum vestrarum, et quidquid præcipuum est in muneribus, quæ [b] vovistis Domino. [c] Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus. (*Ibid.*, *v.* 19). Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore, quo versaris in terra (*Ibid.*, *v.* 23, 24). Cave ne sanguinem comedas, sed super terram funde, quasi aquam, ut sit tibi bene, et filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini (*Deut.* xiii, 4). Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, mandata illius custodite, et audite vocem ejus, ipsi servietis, et ipsi adhærebitis (*Deut.* xiv, 1) Filii estote Domini Dei vestri. Non vos incidetis, non facietis calvitium super mortuo, quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo (*Ibid.*, *v.* 21). Quidquid morticinum est non vescemini ex eo (*Deut.* xv, 4). Omnino indigens, et mendicus non erit inter vos, ut benedicat tibi Dominus. Si tamen audieris vocem Domini, et custodieris universa, quæ jussit, et quæ ego præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est (*Ibid.*, *v.* 6) Dominaberis nationes plurimas, et tui nemo dominabitur. Si unus de fratribus tuis ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Ne avertas oculos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare, ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum, sed dabis ei : [d] non neges quidpiam callide in ejus necessitatibus sublevandis. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terra. (*Deut.* xvi, 16) Non apparebis ante Dominum vacuus, sed offerret unusquisque secundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. (*Ibid.*, *v.* 19). Non accipies

ab altari nonnihil remotos esse jubebant, dum sacrificium peragebatur.

[a] Vulgata, *gregibus tuis.*

[b] Vulgata, *vovebitis.*

[c] Vers. 13. Conventicula in domibus, quæ schismatici et hæretici ad evitandas Ecclesiæ reprehensiones, non raro faciunt, his verbis damnata, putat [nisi plane fallor] noster scriptor.

[d] In vulgata, *nec ages.*

personam, nec munera : quia munera excæcant A oculos sapientium, et mutant verba justorum. Juste quod justum est persequeris, ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dedit tibi. (*Deut.* XVII, 8) Si judicium videris verba variari, surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes, et ad judicem, qui fuerit in illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus : sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram ; qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel, B cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia (*Deut.* XVIII, 10). Nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec pythones consulat, nec divinos, [a] nec quærat a mortuis veritatem. (*Deut.* XIX, 14) Non assumes, et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam. Non stabit testis unus contra aliquem : quidquid illud peccati, et facinoris fuerit, sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum : si fuerit testis mendax contra aliquem accusans eum. [b] Cumque invenerint falsum testem dixisse C contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit. (*Deut.* XXII, 5) Non inducetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea : abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. (*Ibid.*, *v.* 22) Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est adulter et adultera. Si puellam virginem desponderit vir et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum illa, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur ; puella, quia non clamavit, cum esset in civitate ; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui. (*Deut.* XXIII, 9) Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra D castra, et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua. (*Ibid.*, *v.* 15) Non trades servum Domino suo, qui ad te confugerit, sed habitavit tecum in loco, qui ei placuerit, nec contristes eum. Non erit meretrix de filiabus Israel, neque scortator. Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem. Fratri tuo absque usura, id quod indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate, et ore tuo locutus es. (*Deut.* XXIV, 10) Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas, sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus. sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum. *Ibid.*, *v.* 16) Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro suo peccato morietur. Non pervertes judicium advenæ, et pupilli; nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas eum, sed advenam, et pupillum, et viduam patieris auferre. Si vendemiaveris vineam tuam ; non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli ac viduæ. (*Deut.* XXV, 1) Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint Judices, quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt ; quem impium, condemnabunt impietatis ; sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis prosternent, et coram se facient verberari : pro mensura peccati erit, et plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant. (*Deut.* XXV 13). Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus, nec erit in domo tua modius major, et minor : pondus habebis justum et verum. Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam.

De libro JOSUE. [c] Bennun. (*Josue* XXIV, 1-14, etc.) Dixit Josue filiis Israel : Timete Dominum, et servite ei perfecto corde, atque verissimo, et auferte deos, quibus servierunt patres vestri. (*Ibid.*, *v.* 25) Auferte deos alienos de medio vestri, et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel.

De Libro REGUM. Dixit Samuel propheta. *I Reg.* XV, 22) Melior est enim obedientia, quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum ; quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.

De PROPHETIS. (*Isa.* V, 22) Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.

Secundum MATHÆUM, (*Matth.* III, 2) Pænitentiam agite : appropinquabit enim regnum cœlorum. (*Ibid.*, *v.* 8) Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. (*Matth.* V, 13) Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit in quo salietur ? (*Ibid.*, *v.* 16) Sic luceat

[a] Cod. *set quærat* [per errorem utique.]

[b] Hic per Amanuensis imprudentiam desunt nonnulla, quæ ex Scriptura ipsa, Lector suppleat, necesse est. Sunt porro ista : *Stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum, qui fuerint in diebus illis.*

[c] Quo spectet vox hæc *Bennun*, ignorare me fateor.

lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bo- A na opera, et glorificent Patrem vestrum. *Ibid.*, *v.* 19) Qui enim solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum ; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Dictum est antiquis : Non occides ; qui autem occiderit, reus erit judicio. [a] Si ergo (*Ibid.*, *v*, 23 *et seq.*) offeres munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo. (*Ibid.*, *v.* 28). Om- B nis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

(*Ibid.*, *v.* 32) Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit adulterat. Dictum est antiquis : Non perjurabis ; reddes autem Domino juramenta tua. Non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est ; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est ; neque per caput tuum jurabis ; sit autem sermo vester, est, est : non non ; quod autem his abundantius est, a malo est. (*Ibid*,, *v.* 39) Non resistere malo : si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium ; et qui C te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. Qui petit a te, da ei, volenti mutuari a te, ne avertaris. (*Matth.* v, 44) Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos : et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos (*Ibid.*, *v.* 48). Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est (*Matth.* vi, 1 *et seq.*). Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedum non habebitis apud patrem vestrum. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quod faciat dextra tua. Et cum oratis, non, eritis sicut hypocritæ ; orantes autem nolite multum loqui. Sic ergo orabitis : Pater noster, qui es in cœlis, etc. (*Ibid.*, *v.* 14) Si enim di- D miseritis hominibus peccata eorum : et Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra (*Ibid.*, *v.* 19) Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. (*Ibid.*, *v.* 34) Nolite ergo esse solliciti in crastinum. (*Matth.* vii, 1 *et subseq.*) Nolite judicare, ut non judicemini : in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Ibid.*, *v.* 6) Nolite dare sanctum canibus : neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Petite et dabitur vobis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis. (*Ibid.*, *v.* 12)

Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Intrate per angustam portam. quæ ducit ad vitam. (*Matth.* x, 9) Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris ; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam ; dignus est enim operarius cibo suo. (*Ibid.*, *v.* 28) Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam. (*Ibid.*, *v.* 37) Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus, et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. (*Ibid.*, *v.* 40) Qui recipit vos, me recipit. Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, amen dico vibis non perdet mercedem suam. (*Matth.* xi, 29) Tollite jugum meum super vos, et dicíste a me quia mitis sum et humilis corde, et inveniestis requiem animabus vestris. (*Matth.* ix, 13) Misericordiam volo, et non sacrificium. (*Matth.* xii, 36) Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. (*Matth.* xv, 4) Honora patrem et matrem, et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Quicunque dixerit patri vel matri : Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem suum aut matrem suam : et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. (*Matth.* xvi, 24) Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit aminam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? *Matth.* xviii, 3) Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. (*Ibid.*, *v.* 6 *et seq.*) Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala : verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te erue eum, et projice abs te. Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis, qui in me credunt (*Ibid.*, *v.* 15 *et seq.*). Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum : quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. (*Ibid.*, *v.* 21) Petrus dixit : Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei ? usque septies ? Dixit ei Jesu : non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. (*Matth.* xix, 3) Ac-

[a] Videtur nonnulla deesse. quæ ex Matthæo ipsa supplenda sint. Hæc porro habet Matthæus : *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio : qui autem dixerit fratr suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.*

cesserunt Pharisæi dicentes : si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa ? Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. (*Ibid.*, *v*, 6) Qui respondens ait : Quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur et qui dimissam duxerit, mœchatur. (*Ibid.*, *v.* 17 *et seq.*) Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices. Honora patrem, et matrem, et diliges proximum tuum sicut teipsum. Omnia hæc custodivi : quid adhuc mihi deest ? Ait ilii Jesus : si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo. Amen dico nobis, quia B dives difficile iutrabit in regnum cœlorum. Et iterum : facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare iu regnum Dei. Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt. Petrus dixit ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis ? Dixit ei Jesus : Amen dico vobis, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel ; et omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. (*Matth*, xxiii, 12). Qui autem se exaltaverit humiliabitur, (*Ibid.*, *v.* 21. Qui jurat in templo, C jurat in illo qui habitat in ipso : et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei et in eo qui sedet seper eum. (*Matth.* xxiv, 42) Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus est. (*Matt.* xxv, 34) Dicet rex his quia dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.

Ex Epistola ad Romanos. (*Rom.* i, 28) Qui non probaverunt Deum habere in notitia ; tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate : susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus D non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia ; quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : et non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. (*Rom.* ii, 11, *et seq.*) Non est enim personarum acceptio apud Deum. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. (*Rom.* vi, 12 *et seq.*) Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus ; peccatum enim vobis non dominabitur : non enim sub lege estis sed sub gratia. Cui exhibetis vos, servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam. A (*Rom.* vii 2). Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri : igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. (*Rom.* xii 1, *et seq.*) Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. (*Rom.* xiii, 1) Omnis anima potestatibus sublimoribus subdita sit ; non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. (*Ibid.*, *v.* 7) Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui honorem, honorem ; cui timorem, timorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. (*Ibid. v*, 13) Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione ; sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. (*Rom.* xiv, 3) Is qui manducat, non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non judicet : Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judices alienum servum ? suo Domino stat, aut cadit. (*Rom.* xvi, 17) Rogo vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, et offendicula propter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt et declinate ab illis. (*Ibid.*, *v.* 19) Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.

Ex Epistola I ad Corinthios. (*I Cor*, i, 10) Obsecro autem vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata ; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem [a] scientia. (*Ibid.*, *v.* 31). Qui gloriatur, in Domino glorietur. (*I Cor.* iv, 5). Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo. (*I Cor.* v. 9 *et seq.*) Non commisceamini fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus. Si is, qui frater nominaiur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax : cum ejusmodi nec cibum sumere. Auferte malum ex vobis ipsis. (I *Cor.* vi, 9) Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi. (I *Cor.* vii, 1) Bonum est homini mulierem non tangere : propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat (*Ibid.*, *v.* 8). Dico autem non nuptis, et viduis : bonum est illis, si sic manent, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant : melius est enim nubere quam uri ; iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Do-

[a] Vulgata : *sententia*

minus, uxorem a non discedere Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat. (*Ibid.*, *v.* 37) Alligatus es uxori? noli quærere solutionem; solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. (*Ibid.*, *v.* 29) Qui habent uxores, tanquam non habentes sint: et qui flent, tanquam non flentes: et qui gaudent, tanquam non gaudentes sint. (*Ibid.*, *v*, 38) Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit melius facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino; beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. (I *Cor.* IX, 7) Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et fructum ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt; si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui Altari deserviunt, cum Altari participant? (I *Cor.* X, 6) Non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*I Cor.* X, 24). Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam (*Ibid. v*, 31). Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, (I *Cor.* XI, 4 *et seq.*) Omnis vir orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite deturpat caput suum: nam si non velatur mulier, tondeatur; si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. Vir igitur non debet velare caput quoniam imago et gloria est Dei. (*Ibid.*, *v.* 16). Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei (I *Cor.* XI, 27). Quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit: indigne, judicium sibi manducat et bibit non dijudicans corpus Domini; quod si nos metipsos dijudicaremus, non utique judicaremur; dum judicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. (I *Cor.* XIV, 20). Fratres mei, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote: sensibus autem perfecti estote. (*Ibid.*, *v.* 34). Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui sed subditas esse, sicut et lex dicit. (*Ibid.*, *v.* 38. Si qui autem ignorat, ignorabitur. Itaque, fratres, æmulamini prophetare: et loqui linguis nolite prohibere. (*Cor.* XV 33) Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Ex Epistola II ad Corinthios. (II *Cor.* v, 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. (II *Cor.* VI, 14) Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?

Ad Galatas. (*Galat.* I, 10 Si hominibus placerem, Christi servus non essem. (*Galat.* IV, 10) Dies observatis, et men[illegible], et tempora, et annos: timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis. (*Galat.* v, 9) Modicum fermentum totam massam corrumpit. (*Ibid.*, *v.* 13). Vos enim in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem servite invicem. (*Ibid.*, *v.* 14) Diliges proximum tuum sicut teipsum; quod si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. (*Galat.* VI, 6 *et seq.* Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur; quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.

Ad Ephesios. (*Ephes.* IV, 29) Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si qui bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia, tollatur a vobis cum omni malitia; estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. (*Ephes*, v, 11) Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite; (*Ibid.*, *v.* 18 nolite inebriari vino, in quo est luxuria. (*Ibid.*, *v*, 22) Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi eam gloriosam. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. (*Ephes.* v, 29) Filii, obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est. (*Ephes.* VI, I) Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini. Servi obedite dominis carnalibus cum omni timore, et tremore, in disciplina et correptione Domini. Servi, obedite dominis carnalibus cum omni timore, et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas: scientes quod et illorum, et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio apud Deum non est.

Ad Philippenses. (*Philip.* II, 3) Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ

sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. (*Ibid.*, *v* 14) Omnia autem facite sine murmurationibus, et hæsitationibus, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione.

Ad Colossenses. (*Col.* v, 5 *et seq.*) Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram ; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus. Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro ; nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, et induentes novum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit eum ; induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. *Ibid.*, *v.* 17) Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. (*Col.* iv, 6) Sermo vester semper gratiæ sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.

Ad Thessalonicenses I. (*I Thess.* x, 4) Rogamus autem vos, fratres; ut abundetis magis et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis.

Ad Thessalonicenses II. (*II Thess.* iii, 6) Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. *Ibid.*, *v.* 10) Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis : quoniam si quis non vult operari, nec manducet ; audivimus enim inter vos quosdam ambulare in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes [a] (in Christo Jesu Domino nostro).

Ad Timotheum. I (*I Tim.* ii, 9) Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia, et sobrietate ornantes se non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa : sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona ; mulier in silentio discat cum omni subjectione : docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. (I *Tim.* iii, 11) Mulieres simul pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. (I *Tim.* iv, 7) Ineptas et aniles fabulas devita, exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. (I *Tim.* v, 1)

A seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem ; juvenes ut fratres ; anus ut matres ; juvenculas ut sorores in omni castitate. Viduas honora, quæ vere viduæ sunt, si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est coram Deo. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est ; et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit,

B si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas devita ; cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt : habentes damnationem quod primam fidem irritam fecerunt ; simul autem, et otiosæ discunt circuire domos : non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet. (*Ibid.*, *v.* 17) Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina ; dicit enim Scriptura : non [b] infrenabis os bovi trituranti, et dignus est operarius mercede sua. (*Ibid.*, *v.* 20) Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant. (I *Tim.* vi, 1) Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur. (*Ibid.*, *v.* 7) Nihil enim intulimus in hunc modum ; haud dubium quod nec auferre quid possumus, habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.

Ad Timotheum II. (II *Tim.* ii, 4) Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. (*Ibid.*, *v.* 14) Noli verbis contendere : ad nihil utile est, nisi ad subversionem audientium. [c] Radix omnium malorum est cupiditas. [d] Profana autem et inania vaniloquia devita.

Ad Titum. (*Tit.* ii, 1) Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam. Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia.

D Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non vino multum servientes, bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant ; prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas suis viris ; juvenes similiter hortare ut sobrii sint ; (*Tit.* iii, 1) admone illos, principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. (*Ibid.*, *v.* 9) Stultas autem

[a] Hæc addidit Scriptor noster, ad hunc modum interpretans, quæ post versiculum 13 scribit Paulus.

[b] Vulgata : *alligabis.*

[c] I Tim. vi, 10. Allegandus itaque erat locus iste antea.

[d] II Tim. ii, 16. Codex habet *et inani loquela*, per manifestum utique Amanuensis errorem.

quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita; hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita.

Ad Hebræos. (*Hebr.* III, 12) Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo; [*Et post plura*] (*Hebr.* X, 35) nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem; patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem (*Hebr.* XII, 5). Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate: tanquam filiis vobis offert se Deus; quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus particips facti estis omnes: ergo adulteri, et non filii estis. (*Ibid.*, *v.* 11) Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ. (*Ibid.*, *v.* 14) Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. (*Hebr.* XIII, 1) Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis. (*Ibid.*, *v.* 17) Obedite præpositis vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes.

Ludovicus Cæsar factus coronante Stephano.
Hoc in sede papa magno tunc[a] Esebo pontifex.
Fundamenta renovavit cuncta loci istius.
Urbis jura sibi subdens Præsul auxit omnia.

[a] Fortasse *Eusebius*: Sed cujus civitatis episcopus, seu pontifex fuerit, Eusebius iste, qui ædem sacram renovavit, ignorare me fateor.

EXCERPTA EX PONTIFICALI S. PRUDENTII,

SIVE

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ TRECENSIS.

(Apud Marten., de Ant. Eccl. Rit., tom. I.)

I

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

Cum ingreditur sacerdos ad visitandum infirmum primum dicat: Pax huic domui III. *Et resp.* Et cum spiritu tuo. *Deinde antiph.* Benedic, Domine, domum istam. *Et aspergatur aqua benedicta cum odore incensi. Postea dicat Orationes*:

Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es, etc.

Alia.

Dominum Jesum Christum cum omni supplicatione, rogemus, etc.

Alia.

Succurre, Domine, infirmo isti N., et medica eum spiritali medicamine, ut pristinæ sanitati restitutus gratiarum tibi sanus referat actiones. Per.

Alia.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam, etc.

Alia.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis, etc.

Alia.

Deus qui humano generi et salutis remedium, etc.

Alia.

Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus, etc.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, etc.

Postea dicat ad infirmum: Quid me vocas frater? *Respondet ille*: ut mihi pœnitentiam tradas. *Respondet sacerdos*: Det tibi Dominus Jesu Christus veniam. Tamen si Dominus respexerit, custodies illam? *Respondet*: Custodiam.

Tunc sacerdos faciet crucem e cinere super pectus ejus, et imponet cilicium super caput ejus. Post hæc sequitur oratio:

Deum omnipotentem ac misericordem, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, fratres charissimi, supplices deprecemur, ut conversum ad veniam rectam famulum suum N. misericordiæ suæ veniam propitiatus indulgeat, et si qua sunt culparum suarum vulnera, quæ post sacri lavacri undam attraxit; ita in hac publica confessione delicta sanentur, ut nulla in eo cicatricum signa remaneant. Per.

Alia.

Deus justorum gloria, misericordia peccatorum, da huic famulo tuo N. plenam indulgentiæ veniam, pœnitentiæ loco exoratus indulge, ut qui præterita peccata deplorat, futura mala non sentiat, neque jam ulterius lugendo committat. Dimitte ei omnia crimina, et in semitis eum justitiæ placatus restaura: ut securus mereatur deinceps inter tuos bene

meritis currere, et ad pacis æterna præmia pervenire. Per. A

Alia.

Domine Deus omnipotens, sempiterne, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, succurre lapsis, miserere fessis, ut quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per.

Tunc infirmus dicat orationem Dominicam et symbolum cum signaculo sanctæ Trinitatis. Interroget sacerdos ita :

Vis dimittere his, qui in te peccaverunt, omnia ut et Deus dimittat tibi omnia peccata tua, ipso dicente : Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra ? *Si non vult dimittere, non suscipias* B *ejus confessionem. Et require eum diligenter si est incestuosus ; et si vult dimittere ipsa incesta, da ei pœnitentiam; et si non vult, noli dare ei pœnitentiam. Et post hæc confiteatur omnia peccata sua quantum recordari potest : et post hæc dicat hæc verba :* Multa sunt, Domine, peccata mea in verbis, in factis, in cogitationibus. *Et inclinet se ad genua sacerdotis. Tunc dicat sacerdos orationem post confessionem :*

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, creator et conservator humani generis, qui peccantium pœnitentiam vis potius quam mortem ; hunc servum tuum, qui mundi erroribus lapsus, atque diaboli infestatione deceptus, prostratus jacet : ante conspectum majestatis tuæ, tu C qui pius es et misericors, respice, et erige elisum, solve compeditum, illumina cæcum, et revoca eum ad salutem. Tu enim per prophetam dixisti : Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat : concede etiam, Domine, ut fructum dignum pœnitentiæ peragat, et perpetuam veniam percipere mereatur. Et Ecclesiæ tuæ sanctæ conjunctus gratuletur. Per.

Alia

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus et confessione placatus es, ita et huic famulo tuo N. placare, Domine, et precibus ejus benignus aspira, ut in confessione flebili permanens, et petitione perpetua clementiam tuam clementer exoret, sacrisque altaribus et sacramentis restitutus, rursus cœlesti gloriæ mancipetur. Per.

Alia

Omnipotens et misericors Deus, confitenti tibi huic famulo tuo N. delicta pro tua pietate relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per.

Alia

Respice, Domine, propitius super hunc famulum tuum N., etc.

Conversus ad infirmum dicet :

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimittat tibi Dominus peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet in omni bono, et perducat te in vitam æternam. Amen.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, custodiat te Jesus Christus, etc.

Benedicat te Deus Pater, sanet te Dei Filius, etc.

Alia

Omnipotens sempiterne Deus qui subvenis in periculis, etc.

Benedictiones super infirmum.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat, etc.

Benedicat te Deus cœli, etc.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, etc.

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, etc.

Oratio ad communicandum infirmum.

Salvator noster Redemptorque omnium, qui non solum pœnitentibus, sed etiam his qui nec ad te venire cupiunt, veniam ultroneus, ac propitius miserator indulges, te supplices quæsumus, ut hunc famulum N. ad corporis et sanguinis tui communionem indulta venia cœlesti benedictione perducas. Per.

Alia.

Exaudi nos, Domine Deus noster, et præsta ut per manus impositionem nostræ descendat super hunc famulum tuum idoneitatis auxilium, qui omnibus lapsis veniam libenter ignoscis, et satisfactionem contentus ad te complecteris reverti, da ei ut communionis recepta gratia, referat de sæviente hoste victoriam, quatenus divinis redditus mensis, cœlesti pane saturetur. Per.

Tunc jubeat sacerdos recitare Pater noster ; *et cum perfecerit dicat collectam sequentem.*

Humili mente, charitateque devota, immensum atque clementem Deum invisibilem petimus, ut lapsorum gemitus atque obsecrationes exaudiat, oblivioni tradat priorum actuum maculas, ut eumdem N. sub indulgentia pietatis suæ ad sacræ communionis participationem perducat. Per.

Hinc detur sacrificium infirmo ita dicendo.

Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi sint tibi ad perpetuam salutem hic et in æternum. Amen.

Post hæc sequitur oratio

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro N. sacrosanctum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corporis, quam animæ sit salus. Per eumdem Dominum.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem.

Deus misericors, Deus clemens, etc.

Hic ungendus est infirmus de oleo sancto. Tunc si episcopus affuerit, imponat sive sacerdotis, sive cujuscunque infirmi capiti manum : alioquin presbyter reconcilians presbytero infirmo manum superponere non debet. Cæteris vero infirmis superponat manum et dicat hanc orationem :

Omnipotens Deus, qui in nomine Unigeniti sui misit Spiritum sanctum, etc.

Postea accepta ampulla cum oleo dicat.

Per istam unctionem et Dei benedictionem mundentur ab omni sorde peccati, et sanctificentur manus, et os, cor quoque, tactus, odoratus, sensus, visus, auditus et gustus, totum corpus et anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum in nomine ejusdem Dei nostri. Reddat tibi Dominus lætitiam salutaris sui, et spiritu principali confirmet te ; Spiritum sanctum innovet in visceribus tuis, et ne auferat illum a te, sed benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti descendat super te, quæ copiosa supra defluat, et in extrema totius corporis tui descendat, interius exteriusque te repleat atque circumdet, et sit semper tecum. Amen.

Sic denique ungat ægrotum, dicens has orationes vicissim.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sit tibi hæc perunctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis.

Item.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ungo te oleo sancto in remissionem tuorum omnium peccatorum in vitam æternam. Amen.

Dum inungitur ægrotus, dicatur antiphona : Sana me, Domine, etc. *Sequuntur octo psalmi ad imitationem octo beatitudinum, sive ad spem octavæ diei resurrectionis.* Domine, ne in furore 1. Ad te levavi. Beati quorum. Domine, ne in furore 2. Domine, exaudi 1. De profundis. Domine, exaudi 2. Kyrie eleison. Pater noster. *Capitula.* Ego dixi, Domine, miserere mei. Convertere, Domine. Salvum fac servum tuum. Domine conserva eum. Domine, opem fer ei super lectum. Mitte ei, Domine. Nihil proficiat.

Oratio in superciliis oculorum.

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Dominum.

Ad aures deintus.

Ungo aures sacrati olei de liquore, ut quidquid delectatione nocua auditus admissum est, medicina salutaris evacuet. Per.

Ad nares in summitate.

Ungo has nares de oleo sacrato, ut quidquid noxie contractum est odoratu superfluo, ista emundet medicatio. Per.

Ad labia exterius.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quidquid otiosa vel criminosa peccasti locutione divina clementia miserante expietur hac unctione. Per Dominum.

Ad manus exterius.

Ungo has manus de oleo consecrato, ut quidquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Ad pedes

Ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quidquid superfluo vel nocuo incessu commiserunt, ista aboleat perunctio. Per.

Deinde ungatur in gutture, in collo, in scapulis in umbilico, seu in loco ubi plus dolor imminerit perungatur. Hoc enim faciunt, ut si aliqua macula adhæsit, hanc medicina Dei sanetur, et tunc dicantur istæ orationes super eum.

Inungo te de oleo sancto in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut non lateat in te Spiritus immundus, neque in membris, neque ni medullis neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi et Spiritus sancti, quatenus per hujus orationem mysterii, et per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus, sive fotus, pristinam etælioratam recipere merearis sanitatem. Per Dominum nostrum.

Oratio post unctionem olei.

Jesu, Salvator noster et Domine, qui es vera salus, et medicina, etc.

His expletis communicet eum.

Orationes post communionem.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, etc.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ægritudines animarum, etc.

Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione, etc.

Sequitur missa pro infirmo. Item alia missa pro infirmo qui proximus est morti.

II

Ad noct. sexta Sabbati vel septima Sabbati non pulsatur signum, neque ad cursus per diem, sed tanguntur tabulæ. In Parascere, hoc est feria sexta, ad officium statim incipiat lector : Lectio Oseæ prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus in tribulatione sua. ℟. Domine, audivi, etc. Lectio libri Exodi. In diebus illis dixit Dominus ad Moysen et Aaron. *Tract.* Eripe me, Domine. Passio Domini Jesu Christi secundum Joannem. In illo tempore egressus est Jesus trans torrentem, etc.

Finita passione, dicuntur orationes pro omni Ecclesia et ejus ordinibus : quibus peroratis, corpus Dominum pridie consecratum fertur in patena, et ponitur super altare. Sacerdos vero accedens ad altare dicat. Oremus, præceptis salutaribus moniti, etc. *Et cum dixerit :* Per omnia sæcula sæculorum, *sumit de sancta, et ponit in calicem nihil dicens : quia ipso die non conceditur ei salutare poculum. Ita fiunt omnia per ordinem, quando finitæ fuerint orationes istæ a sacerdote, sicut supra scriptum est :* Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, etc.

Interea procedunt duo cantores portantes crucem juxta positionem loci retro altare, et dicant cum leni-

tate vocis: Popule meus, etc. *Similiter stent duo* A *ante crucem: respondeant in eadem voce antiphonam* Agios, etc. *Græca Græce, Latine etiam eamdem omnis tertio reincipit chorus*: Sanctus Deus, etc. *Post trinam vero decantationem, nudatur crux syndone quo tegebatur, et respicientes qui eam psallendo deduxerint in populum, incipiunt antiphonam hanc alta voce*: Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit: venite, adoremus. *Psal.* Beati immaculati.

Sacerdos autem descendat reverenter cum compresbyteris et diaconibus, et adoratam deosculatur crucem: similiter et reliqui post ipsos ordinibus suis. Indeque reascendens sacerdos ad altare, communicat et omnis clerus post ipsum; et populus. Sequuntur antiphonæ et rursus: Crucem B tuam adoramus, *ut in Miss. Rom.*

Agnus Dei *non canunt, neque communionem; sed communicantibus omnibus, expleta sunt omnia.*

III

Sabbato sancto Paschæ agitur primum litania septena propter septiformem Spiritus sancti gratiam. Agnus Dei *non canitur, nisi in terna litania, quæ ad introitum canitur.*

ORDO BAPTISTERII DICENDUS UBI EVENERIT.

Prius tribus vicibus insufflat, et dicit quod sequitur: Exi ab eo, spiritus immunde, et da locum Spiritui sancto paraclito in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.

Accipe signum crucis tam in fronte, quam in C corde, etc., *ut in lib. Sanc. S. Gregor.*

Postea facies crucem in fronte, et in pectore: Signum crucis et Salvatoris Domini nostri in fronte tua pono. Signum crucis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in pectore tuo pono. Signum crucis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in pectore tuo pono.

Deinde dices orationem: Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare, etc.

Alia.

Preces nostras, quæsumus, Domine, elementer exaudi et hunc electum, etc.

Alia.

Deus, qui humani generis ita es conditor, etc. D

Benedictio salis ad dandum catechumeno.

Exorcizo te, creatura salis, etc., *ut in Sacr. S. Greg. papæ.*

Hac oratione expleta, accipiat sacerdos de eodem sale, et ponat in ore infantis dicendo illi: Accipe sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam.

Oratio.

Deus Patrum nostrorum, etc. *ut in lib. Sacr. S. Greg. papæ*

Super masculos.

Deus Abraham, Deus Isaac, etc., *ibid.* Ergo, maledicte, *ibid.*

[a] *Adde* oleo.

Super feminas.

Deus cœli, Deus terræ, etc., *ibid.*

Super masculos.

Deus, immortale præsidium, etc.
Audi, maledicte Satana, etc.
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.

Super masculos.

Exorcizo te, immunde spiritus, etc.

Item super feminas.

Exorcizo te, immunde spiritus, etc.

Inde tangat aures de sputo, et dicat ei: Effeta quod est adaperire, in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquabit judicium Dei.

Deinde oret his verbis: Nec te latet, Satana, etc.

Postea vero tangat pectus et inter scapulas de oleo exorcizato crucem faciendo cum pollice, et vocato nomine ejus dicat ei interrogando: Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio.

Interrog. Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Interrog. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Et ego linio te [a] salutis in Christo Jesu Domino notro in vitam æternam. Pax tibi.

Hoc expleto, cum litania descendat ad fontem benedicendum, et dicat: Dominus vobiscum. Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ, etc., *ut in lib. S. Greg.* Per omnia sæcula. Qui invisibili potentia, etc. Gratia de Spiritu sancto. *Hic dividitur aqua in modum crucis.* Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam, etc. *Hic mutat vocem sicut lectionem legens*: Hæc nobis præcepta servantibus, etc. *Hic non sufflare, sed aspirare debes*: Tu has simplices aquas, etc. *Hic deponantur duo cerei in aqua*: Descendat in hanc plenitudinem fontis, etc. *Deinde accipiens sacerdos vas cum chrismate fundat ex ea in cruce super ipsam, et dicat*: In nomine Spiritus sancti paracliti sanctificetur et fecundetur fons iste. *Et miscens ea manu sua cum aqua, aspergat tam super fontem, quam super populum circumstantem.*

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ? ℟ Credo.

Interrog. Credis in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum natum et passum? ℟. Credo.

Interrog. Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem remissionem peccatorum, carnis ressurrectionem, vitam æternam? Amen. ℟. Credo.

Interrog. Vis baptizari? ℟ Volo.

Et accipiens eum a parentibus sacerdos mergat sub trina mersione, sanctam Trinitatem semel vocans, ita dicendo:

Baptizo te, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. *Ut autem surrexerit a fonte, faciat presbyter signum crucis de chrismate cum pollice, et dicat hanc orationem*:

Deus omnipotens et Pater Domini nostri Jesu, etc., *ut in lib. Sacram. S. Greg.*

Deinde accipiat sacerdos vestem candidam, ponat super caput, et dicat ei : Accipe vestem candidam et immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeasque vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Et vestitur infans vestimentis suis. Si vero episcopus adest, statim confirmari oportet de chrismate, et postea communicare. Et si episcopus deest, a presbytero communicetur, et dicat orationem :

Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Amen.

Oratio.

B Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus est, etc.

Oratio ad baptizandum infirmum.

Medelam tuam deprecor, Domine sancte, etc., *ut in lib. Sacram. S. Gregor.*

Tangat ei nares et aures de sputo dicens: Ephpheta. *Tangat et pectus et inter scapulas dicens :* Abrenuntias ?

Benedictio fontis.

Exorcizo te, creatura aquæ, etc., in remissionem peccatorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est.

Interrog. Credis in Deum Patrem ? *Et tunc baptizas et linis eum de chrismate crucem faciendo in vertice ejus ac dicens :* Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, etc. Accipe vestem candidam, etc. C

Benedictio cerei in Sabbato sancto.

Exsultet jam angelica turba, etc.

Post hæc leguntur lectione secundum Gregorium hoc modo.

Sequitur litania quinta propter quinarium videlicet sensum pro quo orat Ecclesia, ut his aperiat Deus qui baptizantur.

Sequitur litania trina ob reverentiam sanctæ Trinitatis, Kyrie eleison, etc.

Cum cantor dixerit Fili Dei, te rogamus audi nos, *mutata voce dicat :* Accendite, *Tunc erigunt se diaconi ab oratione, et tamen sese non osculantur juxta morem. Cantor autem in eadem voce subsequatur dicens :* Agnus Dei. *Expleta litania, sacerdos incipiat* Gloria in excelsis Deo. *Oratio* : Deus qui hanc sacratissimam. Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Colossenses. Fratres, si consurrexistis cum Christo, etc. Alleluia. ℣ Confitemini. *Tract. :* Laudate. *Lumen vero ante Evangelium non portatur, offerenda non canitur neque communio.* Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. In illo tempore, vespere autem Sabbati, etc. *Secreta* : Suscipe. *Præfatio* : Te quidem omni tempore. Communicantes et noctem sacratissimam, etc. Hanc igitur, etc., *ut in Missali Rom. Statim incipiant vesperas canonicas in directum psallentes. Capitulum non dicatur, nec versus, sed incipiatur antiph.* : Vespere autem Sabbati. *Ad complendum.* Spiritum nobis, Domine, etc. *ut in Missali Rom.*

IV

DE AGONIZANTIBUS.

Cum anima in agone sui exitus dissolutione corporis visa fuerit laborare, fratres conveniant omnes, et canantur septem pœnitentiæ psalmi, atque agenda est litania, proust temporis permiserit ratio, et secundum quod egressus ejus causa potuerit perspici, vel æstimari.

Sequitur oratio post litaniam :

Suscipe, Domine, animam famuli tui N. in bonum. Libera eam ex omnibus periculis infernorum, et de laqueis pœnarum et ex omnibus tribulationibus tartari.

Libera, Domine, animam ejus, sicut liberasti Enoch et Eliam, etc.

Sequitur ℟. Subvenite, sancti Dei.

℣. Suscipiat te Christus, etc.

Quo finito, dicatur pro eo hæc oratio sive commendatio :

Tibi, Domine, commendamus, etc.

Misericordiam tuam, Domine sancte, Pater omnipotens, etc.

Si autem quidquam supervixerit, canantur alii psalmi, sive legantur Passiones Christi, vel iterum agatur litania usquequo anima corpore terrenæ corruptionis absolvatur, in cujus egressu dicatur antiphona : Suscipiat te Christus. *Psal.* : In exitu Israel.

Sequitur oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam ad similitudinem, etc.

Sequitur antiphona :

Chorus angelorum. *Psal.* : Dilexi quoniam. *Canontur et alii quatuor usque* Ad Dominum cum tribularer Clamavi.

Oratio.

Diri vulneris novitate percussi, etc.

Tunc roget sacerdos orare pro eo dicens :

Kyrie eleison. Pater noster. Requiem æternam. Ne tradas bestiis. Anima ejus in bonis. In memoria æterna. Non intres in judicium. A porta inferi. Surge, Domine, in requiem tuam.

D Partem beatæ resurrectionis obtineat, etc.

Oratio post levatum corpus.

Suscipe, Domine, animam servi tui N. revertentem ad te, etc.

Sequitur ℟. Paucitatem dierum.

℣. Ecce in pulvere sedeo.

Oratio antequam de domo efferatur.

Suscipe, Domine, animam servi tui N. quam de ergastulo, etc.

Deus cui competit medicinam præstare post mortem, etc.

Tunc cum ℟. Subvenite, sancti Dei, *et aliis responsoriis deportetur ad ecclesiam, et cum appropinquatum fuerit, canitur psalmus* Miserere, mei, Deus, *cum antiphona* Requiem æternam. *Deinde in ecclesia ser-*

retur corpus defuncti quoadusque pro ejus anima A
missa canatur.

Oratio ad missam.

Qæsumus, Domine, etc.

Post celebrationem missæ stet sacerdos cum cereis et incenso juxta feretrum, et dicat hanc orationem.

OREMUS.

Non intres in judicium, etc.

Sequitur ℟. Subvenite. Kyrie. III.

Deus cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo corpora nostra, etc.

Sequitur. ℟. Antequam nascerer. Kyrie eleison. *Ter.* Fac, quæsumus, Domine, hanc cum famulo tuo, etc.

Tunc roget sacerdos orare pro eo.

Pater noster. Requiem æternam. A porta inferi. B

Sequitur oratio.

Inclina, Domine, aurem tuam, etc. *Et sic levatur de ecclesia cum antiphona* Aperite illi portas. *Psal.* Confitemini Domino. *Et deportetur usque ad locum sepulcri.*

Oratio ante sepulcrum.

Piæ recordationis affectu, etc. (*Sequuntur plures antiphonæ, psalmi, et orationes dicendæ ante et post sepultum corpus, quibus subjungitur hæc rubrica.*)

Die autem Dominico non celebrentur agenda mortuorum, nec nomina eorum celebrentur ad missam; sed tantum regum, vel principum, et sacerdotum, vel pro omni populo Christiano oblata vel vota reddantur. Defunctorum autem qui moriuntur die Dominico, Christus Filius Dei ipse det eis requiem, qui semetipsum pro ipsis, vel pro universo genere humano hostiam obtulit.

Missa pro defuncto in die tertio, septimo et trigesimo.

SANCTI PRUDENTII

TRECENSIS EPISCOPI.

BREVIARIUM PSALTERII

INCIPIT PROLOGUS [a].

Cum quædam nobilis matrona in civitatibus vel C oppidis a pluribus fuisset oppressa, atque ex accidentibus variis tribulationibus, ut plerique noverunt, adesset angustiata, nimisque tædiis afflicta, direxit ad me, rogans obnixe ut aliquid ex laude psalmorum ad consolationem compassionis suæ brevissimis scriptitarem versiculis. Quod ego non solum condolens petitioni, verum etiam ad omnes qui per diversas peragrantur provincias montesque ac valles, necnon et qui per flumina discurrunt et maria, timentes periclitari, ut ait Scriptura, periculis in flumine, periculis in mari, periculis in civitate, periculis latronum, periculis in solitudine, et cætera, cupientes eripi, et a Deo gubernatore salvari; hoc opusculum parvitatis meæ, veluti ex immanissimo prato summatim breviatimque studui D
psalmorum carpere flores. Et licet sint plures imitantes sanctorum Patrum exempla, quod experimento didicimus, qui omni videlicet die in divinis laudibus totum complent Psalterium; et tamen hi qui hoc petunt opus, et qui in diversis sunt periculis constituti, nec totum queunt explere Psalterium, etiam nec horis valent psallere canonicis; hos non pigeat in corde et ore revolvere [*cod.* revolvi] versiculos: remotis cunctis, in quibus ex parte Judæorum vel cæterorum perfidorum, apertissime lucideque patuli manent versiculi; ut psalmus continet secundus, vel tertius, quintus, tertius decimus, vigesimus primus, necnon et tricesimus quartus, tricesimus quintus, et tricesimus sextus, vel, *Quid gloriaris* (LI), seu sexagesimus septimus, sexagesimus octavus, et sexagesimus nonus, atque *Deus laudem meam* (CVIII), vel cæteri qui licet in suis sunt congrui sensibus, tamen in his non pertinent flagitari anxietatibus. Sed ne quis totum, quod absit, perdat in rebus præoccupatus activis, hos, dum vacat et potest, non tardet ornando recitare psalmorum versiculos. In his, ut scriptum est, totum pro parte, et partem pro toto, potest, juvante Domino Christo, centum quinquaginta perficere psalmos. Et ne immemor sit, ternis quaternisque horarum temporibus, septies in die Deo omnipotenti persolvens efficiat laudes; ut idem beatus David ait: *Septies in die laudem dixi tibi, Deus*, et cætera. Sed jam cœptum aggrediar opus, inserens primum cum ultimo ita: *Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte, et cujus spiritus in excelsis laudat Dominum de cœlis; nam omnis spiritus laudat*

[a] Ex codice Vaticano veteri sumpsi hoc prologum Prudentii episcopi Trecensis, qui sæculo IX in Gallia claruit: ipsos tamen psalmorum flores sive ipsum quod consequitur opusculum, exscribendum non judicavi; cum nihil fere præter Davidica verba ibi occurrat. MAI. — At hos psalmorum flores ex Psalterio Thomasii excepimus. EDIT. PATROL.

Dominum. Tu autem hujus negotii utilitatis receptor receptrixque, inchoa primum et ora cum David ita dicendo: *Deus, in adjutorium meum intende,* tribus vicibus, cum *Gloria Patri.* Atque deinceps ut permistum insertumque repereris, ora recitando, et flores cum jubilo fidenter carpe, Davidica psalmata canendo, a primo incipiens psalmo ita.

ORATIO.

Suscipere digneris, Domine Deus omnipotens, hos versiculos consecratos, quos supplex decantare ego cupio in honorem nominis tui, pro me misero indigno peccatore, et pro omnibus facinoribus meis, sive actis, sive factis, dictis, cogitationibus iniquis, concupiscentiis, sive omnibus negligentiis meis magnis ac minimis. Ut hi versiculi proficiant mihi ad vitam æternam, et ad remissionem omnium peccatorum, et ad spatium bene vivendi, et ad veram et condignam pœnitentiam agendam. Amen.

INCIPIT BREVIARIUM PSALTERII

Continens versus Psalmorum verba orationis continentes.

Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Miserere mihi, Domine, quoniam infirmus sum. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea et anima mea turbata est valde: et tu, Domine, usquequo? Convertere, Domine, et eripe animam meam. Salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me. Miserere mihi, Domine. Vide humilitatem meam de inimicis meis. Respice, et exaudi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus. Inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. Mirifica misericordias tuas, Domine, qui salvos facis sperantes in te. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum qui me afflixerunt. Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me. Ad defensionem meam aspice. Erue a framea, Deus, animam meam: et de manu canis unicam meam. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam. Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas edoce me: et dirige me in veritate tua. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiæ tuæ, quæ a seculo sunt. Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris. Secundum magnam misericordiam tuam, memor esto mei. Propter bonitatem tuam, Domine, propter nomen tuum, Domine, probitiaberis peccato meo. Copiosum est enim. Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinem vitam meam. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: Miserere mei et exaudi me. Ne avertas faciem tuam a me, et ne declines in ira a servo tuo. Adjutor meus esto. Ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Legem pone mihi, Domine, in via tua; et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas persequentium me. Ad te, Domine, clamabo. Deus meus, ne sileas a me, et ero similis descendentibus in lacum. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, et dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Ne simul tradas me cum peccatoribus et cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ, et rege eos, et extolle illos usque in sæculum. In te, Domine, speravi: non confundar in æternum, in tua justitia libera me. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eripias me. Esto mihi in Deum protectorem et in locum refugii, ut salvum me facias. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Redemisti me, Domine Deus veritatis. Eripe me de manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me. Illumina faciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in tua misericordia. Domine, non confundar, quoniam invocavi te. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, sicut speravimus in te. Judica, Domine, nocentes me: expugna impugnantes me. Apprehende arma et scutum et exurge in adjutorium mihi. Ne sileas, Domine, ne discedas a me. Exurge, Domine, intende judicium meum. Deus meus et Dominus meus, in causam meam. Judica me secundum misericordiam tuam, Domine Deus meus. Prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me. Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. Exaudi, Deus, orationem meam et deprecationem meam. Auribus percipe lacrymas meas: ne sileas a me, quoniam incola ego sum apud te in terra et peregrinus sicut omnes patres mei. Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam et amplius non ero. Tu autem, Domine, ne longe facias misericordias tuas a me: misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me, quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus. Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me. Complaceat tibi, Domine, ut

eripias me. Domine, in auxilium meum respice. A
Ego vero egenus et pauper sum, Deus, adjuva me. Adjutor meus et liberator meus esto, Domine, ne tardaveris. Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.

Exsurge, quare obdormis, Domine ? exsurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis ? oblivisceris inopiam nostram et tribulationem nostram ? Exsurge, Domine, adjuva nos et libera nos propter nomen tuum. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam : et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me. Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me, Deus, B
et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris et Spiritu principali confirma me. Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me. Deus, exaudi orationem. Auribus percipe verba oris mei. Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam. Intende in me, et exaudi me. In Deo laudabo verbum, et in Domino laudabo sermonem : in Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi homo. In me sunt, Deus, vota quæ reddam, laudationes tibi, quoniam eripuisti animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a C
lapsu, ut placeam coram Domino in lumine viventium. Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me : quia ecce occupaverunt animam meam, irruerunt in me fortes : ego vero orationem meam ad te, Domine. Tempus beneplaciti, Deus. In multudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ. Eripe me de luto, ut non inhæream. Libera me ex odientibus me,et de profundo aquarum non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super D
me puteus os suum. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua ; secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor. Velociter exaudi me. Intende animæ meæ et libera eam : propter inimicos meos eripe me. Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina. Ego vero agenus et pauper sum. Deus, adjuva me. Adjutor meus et liberator meus [es tu], Domine : ne tardaveris. In te, Domine, speravi : non confundar in æternum. In tua justitia libera me et eripe me. Inclina ad me aurem tuam : accelera ut eripias me. Esto mihi in Deum protectorem et in locum refugii, ut salvum me facias. Et tu, Domine, adjutor fortis. Repleatur os meum laude tua, ut possim cantare gloriam tuam tota die magnificentiam tuam. Ne projicias me in tempore senectutis, dum defecerit virtus mea. Deus, ne derelinquas me ; Deus, ne elonges a me. Deus meus, in auxilium meum respice : ego autem semper in te sperabo, Domine, et adjiciam super omnem laudem tuam : os meum pronuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt terræ domorum iniquitatum. Adjuva nos,Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui,Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Excita, Domine, potentiam tuam, et veni ut salvos facias nos. Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam,et salvi erimus. Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis : ut non in æternum irascaris nobis, neque extendas iram tuam a progenie in progenies. Deus, tu convertens vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis, Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. Inclina, Domine, aurem tuam ad me et exaudi me, quoniam egenus et pauper sum ego. Custodi animam meam quoniam sanctus sum. Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Miserere mihi, Domine, quoniam ad te clamavi tota die : lætifica animam servi tui, quia ad te, Domine, levavi animam meam. Et tu, Domine Deus meus, miserator et misericors, patiens et multum misericors, et verax, respice in me, et miserere mei ; da potestatem puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum, Domine, signum in bonum, ut videant qui me oderunt et confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvisti me. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram [te]. Intret oratio mea in conspectu tuo : inclina aurem tuam ad precem meam, Domine. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut jurasti David in veritate tua ? Memor esto opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.

Convertere, Domine, aliquantulum, et deprecare super servos tuos. Et si splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos. Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te perveniat. Ne avertas faciem tuam a me : in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam : in quacunque die invocavero te, velociter exaudi me. Ne educas me in dimidio dierum meorum in generationem et generationem anni tui. Et tu, Domine, fac mecum misericordiam propter nomen tuum, quoniam suavis est misericordia tua. Libera me, quoniam egenus et pauper sum ego, et cor meum conturbatum est in me. Sicut umbra cum declinat ablatus sum, et excussus sum sicut locusta Adjuva me, Domine Deus meus,et salvum me fac propter misericordiam tuam. Retribue servo tuo [ut] vivam et custodiam sermones tuos. Revela oculos meos, et conside-

rabo mirabilia de lege tua. Incola ego sum in terra: non abscondas a me mandata tua. Confirma me, Domine, in sermonibus tuis. Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam. Averte oculos meos, ne videant vanitatem. In via tua vivifica me. Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia in mandatis tuis credidi. Bonus es tu, Domine, et in bonitate tua doce me justificationes tuas. Fiat nunc, Domine, misericordia tua, ut consoletur me secundum eloquium tuum servo tuo. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam, quia lex tua meditatio mea est. Fiat cor meum immaculatum in tuis justificationibus, ut non confundar. Humiliatus sum usquequaque, Domine. Vivifica me secundum verbum tuum. Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, et judicia tua doce me. Suspice me secundum eloquium tuum, et vivam, et ne confundas me ab exspectatione mea. Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in tuis justificationibus. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam et justificationes tuas doce me. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Respice in me, et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia. Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua. Faciem tuam illumina super servum tuum et doce me justificationes tuas. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine, et secundum judicium tuum vivifica me.

Vide humilitatem meam et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus. Judica judicium meum et redime me: propter eloquium tuum vivifica me. Appropiet oratio mea in conspectu tuo, Domine, secundum eloquium tuum da mihi intellectum. Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine secundum eloquium tuum eripe me. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas. Pronuntiabit lingua mea eloquia tua, quia omnia mandata tua æquitas. Fiat manus tua, ut salvum me faciat, quia mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est. Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me. Erravi sicut ovis quæ perierat. Require servum tuum, Domine, quia mandata tua non sum oblitus. Miserere nobis, Domine, miserere nobis, quia multum repleti sumus contemptione. Benefac, Domine [bonis], et rectis corde. Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in austro. De profundis, clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in orationem servi tui. In quacunque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem tuam, et deduc me, Domine, in via æterna. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verbum malum. Intende in humilitatem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me, quoniam confortati sunt super me. Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Domine. Me exspectant justi, donec retribuas mihi. Domine, exaudi orationem meam: in veritate exaudi me in tua justitia: et ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam. Velociter exaudi me, Domine; defecit spiritus meus. Ne avertas faciem tuam a me, et ero similis descendentibus in lacum. Auditam mihi fac mane misericordiam tuam. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te, Domine, levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis. Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus, Spiritum tuus bonus deducet me in viam rectam, propter nomen tuum, Domine. vivificabis me in æquitate tua. Et educes de tribulatione animam meam, et in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam servus tuus sum ego.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Tu autem. Domine, miserere mei; et resuscita me, et retribuam eis. In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti [me] in conspectu tuo in æternum. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et usque in sæculum. Fiat, fiat. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Redemisti me, Domine Deus veritatis; salus mea de manu Domini, et gloria mea in conspectu Dei.

ORATIO IN TRIBULATIONE

Si ante oculos tuos, Domine, culpas quas fecimus, et plagas quas excipimus, conferamus, minus est quod patimur, majus est quod meremur. Peccati pœnam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis fragilitas nostra frangitur, et iniquitas non mutatur. Mens ægrota torquetur, et cervix dura non flectitur. Vita in dolore suspirat, et tamen in opere non se emendat. Si exspectas, non corrigimur; si vindicas, non duramus. Confitemur in correptione, quod fecimus; obliviscimur in visitatione quod flevimus. Si impresseris manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non facimus. Si ferias, clamamus, ut parcas; si parcas, iterum te provocamus ut ferias. Si angustiæ veniunt,

tempus petimus pœnitendi; si misericordia subveniat, abutimur patientia quæ pepercit. Adhuc plaga illata vix præterit, et jam non recolit mens ingrata quod pertulit. Si citius nos exaudias, ex misericordia insolescimus ; si tardius, ex impatientia murmuramus. Te, Domine, volumus servare quod feceris, non timemus negligere quod jusseris. Habes, Domine, confitentes reos : parce, quia pius es. Novimus quod, nisi dimittas, recte nos punias. Sed apud te est multa miseratio et propitiatio perabundans. Præsta sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui te rogarent. Clamantibus autem nobis ad te, Domine, miserere. Moveat misericordiam tuam vox fidelis et flebilis, atque illa (de qua totum speramus) pietas non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus : et cum grandis sit miseria esse nos reos, major tibi sit clementia esse nos miseros. Tuo supplices auxilio, ante te et criminis nostri mala ponimus et dolores, a te precando misericordiam (quam peccando repulimus) exspectamus. Præstetur his de indulgentia quod rogaris accipere, quos agnoscis fiduciam de sua justitia non habere. Erige nos Domine Deus noster, et alleva in misericordia tua, ut communione salutis et gaudio charitatis, dum ipsi salvari ex munere tuo cupimus, etiam fide et pace cunctarum gentium gaudeamus. Per.

PIA PRECATIO

EX LONGIORE ORATIONE SANCTI AMBROSII EPISCOPI

Te amatorem Ecclesiæ tuæ deprecor, Deus, pro sacerdotibus ejus, ut verbis simul et meritis vitæ populum sibi creditum ad cœlestem patriam invitent. Pro regibus, ducibus, et iis qui in sublimitate positi sunt, ut patres orphanorum, et judices viduarum semetipsos exhibeant : miseriis inopum et gemitibus pauperum doleant : nil nisi quod justum est in judicio quærant ; sicque administrent præsentia, ne amittant bona futura. Pro virginibus, continentibus, ac mundo renuntiantibus, ut præsentia despiciant, futura requirant : ne se negotiis sæcularibus implicent, ut tibi militantes placeant cui se probaverunt. Pro conjugatis, ut sic sibi invicem carnis debitum solvant, ne a desiderio patriæ cœlestis exorbitent. Sed quid ago, Domine? Quasi oblitus peccatorum meorum pro aliis orare præsumo? O quam in multis offendi atque offendo ! Sed non subrepit desperatio, cum publicanum in templo justificatum attendo ; cum latronem in cruce confitentem et de cruce ad paradisum transeuntem aspicio ; cum Mariam post multas criminum culpas fonte pietatis ablutam, cum Petrum post negationem apostolatus gratiam recuperasse intueor. Sed rogo, ineffabilis pietas, ut qui de tantis exemplis præsumere donasti, gemitus publicani, confessionem latronis, lacrymas meretricis fletusque negantis apostoli concedas. O Domine, si flagello temporali scelera mea vindicanda provideris, lacrymosus imploro ut dum contra hæc iratus desævis, semper in ira misericordiæ recorderis. Quem enim diligis, corripis ; flagellas autem omnem filium quem recipis. Quibus nimirum verbis, etsi virga percussionis minatur, paternus tamen pietatis affectus monstratur. Da ergo inter flagella tolerantiam, ne murmurationis notas, ut malus servus, incurram : sed magis, quasi bonus filius, gratiarum actiones rependam. Illud etiam magnopere peto ut diem obitus, diem extremi judicii, damnationem æterni supplicii, beatitudinemque regni futuri, semper meminerim. Quod nemo indesinenter potest, nisi qui ad vitam præordinatus est æternum. Et ut efficax hæc mea sit deprecatio, beatæ Mariæ virginis suffragia peto. Quam tanti meriti esse fecisti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, et nulla præter ipsam tam novum acciperet. Novum scilicet munus prima offerret, ut puerpera virgo perseveraret ; nulla præter ipsam tam novum acciperet, et post partum virgo maneret. Apostolorum intercessionem imploro, qui beatissimam Mediatoris paupertatem ejusque passiones vestigia insequentes ad tantum celsitudinis culmen pervenerunt, ut quæcunque ligarent super terram essent ligata et in cœlis, atque solverent super terram essent soluta et in cœlis ; atque in extremis sederent super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel. Martyrum preces deposco, qui pro Veritate non dubitarunt sanguinem fundere, nec dilexerunt animas suas usque ad mortem, ut mortis superarent auctorem. Confessorum orationes expostulo, qui bella tentantis inimici, dum pie viverent in catholica pace, vel etiam hæreticorum conflictationem diuturno certamine protulerunt, atque, ut verum dicam, longioris occultique martyrii palmas acceperunt. Talium, Domine Deus, preces nunquam spernis, si ut pro me exorent, ipse inspiraveris : qui in æternitate perenni vivis et regnas cuncta per sæcula et in omnibus sæculis Amen.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

FINIS TOMI CENTESIMI QUINTI DECIMI.

ne - Patrologia Latina vol. 115
" 2115

e 1942
943
946
4 Sept 73 SEP 6 1973
973

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

2115.